JOHANNIS GERHARDI

SS. Theol. D.

LOCI COMMUNES THEOLOGICI.

EFFIGIES PL. REVERENDI, AMPLISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI VIRI DR. IOHANNIS GERHARDI SS.THEOLOGIÆ DOCTORIS EIUSDEMQUE IN INCLUTA ACADEMIA SALANA PROFESSORIS PUBLICI CELEBERRIMI. nati Quedlenburgi Saxon d. 17. Octob: Ao Christi 1582. denati Ienæ 17 Aug. Ao 1637. Minist: 3,



Os placidum, mitesq; oculos, frontemq; GERHARDI
Tranquillam, effigies exhibet una tibi

Ipse autem tam multa ſtylo qui lecta regeſsit,
Scilicet eſse unus bibliotheca poteſt.
Auguſt, Buchnerus.

Digitized by Google

JOHANNIS GERHARDI

S.S. THEOL. D.

ET

IN ACADEMIA JENENSI QVONDAM PROFESSORIS,

Theologi Excellentiſſimi

LOCI THEOLOGICI,

Cum pro adſtruenda Veritate, tum pro deſtruenda quorumvis Contradicentium Falſitate, per theſes nervoſè, ſolidè & copioſè explicati;

AB AVTORE IPSO REVISI ET LOCIS INNUMERIS aucti, Indicibuſque, Materiarum, Locorum Scripturæ, Autorum, Rerumque & Verborum exornati, & à mendis innumeris repurgati.

IN NOVEM TOMOS

ET

EXEGESIN DIVISI.

Cum Gratia & Privilegio S. Cæſareæ Majeſtatis,

&

S. Regiæ Majeſtatis Suecicæ.



FRANCOFURTI & HAMBURGI,

Sumptibus ZACHARIÆ HERTELII Bibliopolæ Hamburgenſis.

ANNO DOMINI M. DC. LVII.

8. 9. M. 14

ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI
ac Domino, Domino

ERNESTO III.

Dei Gratiâ Duci Saxoniæ, Iuliæ, Cliviæ ac Bergæ, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Comiti in Marca & Ravensberg, Dynaſtæ in Ravenſtein, Heroi pio, conſtanti, glorioſiſſimo, Principi ac Domino meo clementiſſimo;

Gratiam ac Pacem à Deo Patre per Jeſum Chriſtum in Spiritu Sancto!

Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime,

ANnus jam agitur ipſe nonus & decimus, quo dies hodierna, quæ Auguſti Menſis decima ſeptima, B. Parenti meo miſeræ hujus vitæ exoptata clauſula, melioris autem illius æternæq; felix extitit natalis. Quemadmodum verò τὸν νῦν ἐν ἁγίοις toto illo, quo decumbebat, tempore Academiæ hujus ſalus atque Eccleſiæ vehementer anxium reddebat: ſic contra nullam vel certè perquàm exiguam noſtri gerere videbatur curam: Solicitudine ſe exſolvi facilè poſſe omni ratus, ſi vel tribus ſaltem lineis egregiam illam, quam poſt DEUM in Illuſtriſſ. Saxon. Ducibus utriusq; lineæ firmiter collocabat, in ſchedula aliquâ (quæ & Teſtamenti implere partes debebat) fiduciam collocaſſet. Horum namq; laudatiſſimorum Heroum ſicuti incomparabilem gratiam atq; indulgentiam ferè incredibilem ipſos viginti & amplius annos expertus abundè erat: ita optimè nobis noſtrisq; ſtudiis proſpectum fore, ubi tantos reliquiſſet Patronos atque Evergetas, dubitare nullus poterat. Bonum factum! Minimè Parentem deſideratiſſimum decepit ſpes illa pulcerrima. Etenim ut cæterorum Celſiſſimorum Saxoniæ Ducum, Dominorum noſtrorum clementiſſimorum, quorum ſub umbrâ vivimus ac protectione paternâ, illuſtria beneficia, quibus indies adficimur, ſilentii jam nunc ſipario involvam, alio fortè die commemoranda: ea Illuſtriſſimæ Veſtræ Celſitudinis in me meosq; beneficia ſunt, eaque merita, ut vix mente illorum concipere magnitudinem poſſim, nedum ut verbis eloquar. Præclarè nempe Illuſtr. V. Celſſ. judicavit, ex quo præcipuè Eidem indefeſſum ſuum ſtudium in opere Biblico (quod immortale & pietatis ſuæ & ſinceræ erga Chriſti Eccleſiam propenſionis laude Illuſtr. V. Celſſ. adornari voluit, monumentum ære petennius ac non niſi cum Univerſi hujus machinâ interiturum) Parens noſter probaverat, maximamque ſancti oneris partem promtus in ſe ſuſceperat; ſic ad Ipſam peculiari aliquâ pertinere ratione, familiæ noſtræ ſibi vindicare curam ac τῷ μακαρίτῃ implere deſideria. Implevit largiſſimè! Felices nos, poſteaquàm in pientiſſimi hujus ſuſcepti Principis patrocinium: fieri ſanè non poteſt, quin aliis ſuper alia, adeoque novis ſubinde ac maximis exornemur beneficiis. Teſtari tamen

de his

de his mecum omnes cumprimis adfinis meus *Iohannes Volckius* Philoſophiæ ac Med. D. gaudet: quippe quem Illuſt. V. Celſ. eo proſequuta principalis clementiæ favore eſt, ut in [illegible]um legi illum numerum voluerit, quorum non ſubditi modò ac plebeii, ſed ipſi proceres ac tota ſæpè illuſtris aula felicitatem in morbis profligandis experiretur atque induſtriam. De me verò quid dicam? vereor non immeritò, ne ſi recenſere hîc velim, quàm honorificè Illuſtriſſ. V. Celſ. de ſtudiis meis hactenus ſenſerit, nimis ſimul ſuperbè de iis loqui cogat. Vix lares patrios, ſtudiorum meorum in diverſis Germaniæ Academiis curriculo magnam partem abſoluto, confectoque itinere Gallo-Belgico, abhinc quinquennio ſalutaram, en ſponte I. V. C. in clementiſſimam illam inclinabat ſententiam, uti non Hiſtoriarum quidem, quæ reliquorum Academiæ hujus Nutriciorum, Principum Illuſtriſſimorum voluntas benigniſſima erat; ſed divinæ illius, quam Theologiam indigitamus, ſapientiæ tenuitati meæ ſparta committeretur. Hanc verò cùm multæ eæque graves cauſæ domi mihi notæ ſuſcipere tum prohiberent, continuò alteram illam, quam cæterorum Patriæ Patrum fuiſſe dixi, ſententiam clementer adprobabat: nihil interea intermittens eorum, quibus quòd penitus ſingulari addicta Ipſa ſtudiis meis clementiâ eſſet, declararet. Elapſum nunc circiter quadriennium eſt, quando Vir quidam religioſus ex intimis Africæ partibus, ſpatioſiſſimo nempe Abyſſinorum regno, homo doctus, probus, religionis inſuper ac rerum Æthiopicarum ſatis gnarus, pietatis, quam præ ſe ferebat, ſtudio Europæas provincias, & in his Veſtræ cumprimis Illuſtriſſimæ Celſitud. aulam, juſtitiæ, ſapientiæ ac ſanctitatis Veſtræ gloriâ commotus, haut aliter ac illa Sabæ Regina (à quâ & hodierni Æthiopiæ Reges per Menilechum quendam, quem memoratam Reginam ex Salomone ſuſcepiſſe, Æthiopes ſibi perſuaſum habent, genus ſe ſuum ducere gloriantur ac familiam) Regem Salomonem, Sapientiæ ejus famâ adducta, accedebat. Quid tum Veſtra Illuſtriſſima Celſitudo? Nihil faciebat reliqui, nihil intentatum relinquebat, quò proſelytus iſte de orthodoxâ noſtrâ religione accuratè informatus ad ſuos reverteretur. Poſteaquam verò Latinæ is Linguæ, quâ ceu optimo interprete animi noſtri ſenſa prodere exteris poſſumus, prorſus imperitus erat, ſolius patrii ſermonis gnarus, Veſtræque Illuſtriſſimæ Celſitudini relatum, Æthiopicæ me Linguæ ſubciſivi aliquid temporis cum antehac in Academia Jenenſi, tum poſtea Witebergenſi tribuiſſe, volebat clementiſſimè, uti Hoſpiti iſti, & facie & linguâ à nobis ut non leviter diſſidenti, ita religionis veræ amore ſatis nobis juncto, certè arctiùs jungi deſideranti per geminatæ & quod excurrit hebdomadæ ſpatium in illuſtri Veſtrâ aulâ juxta cum Dn. Jobo Ludolfo, Viro in ἀνατολικοπολυγλωττογνώσει excellenti, hodie verò Illuſtriſſimæ Veſtræ Celſ. Filii primogeniti longè dilectiſſimi, Illuſtriſſimi ac Celſiſſimi Principis ac Domini, Domini *IOHANNIS ERNESTI*, Ducis Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Bergæ, &c. Domini mei clementiſſimi Ephoro digniſſimo, adeſſem. Quantum per tempus illud principalis gratiæ exhibitum mihi fuerit, quantum clementiæ, quantum etiam beneficiorum, nimis certè temerarius ſim, ſi brevi exprimere oratione audeam. Putavit autem Illuſtr. Veſtra Celſitudo, tanta Se beneficia in me ubertim collata tueri aliâ ratione haut meliùs poſſe, quàm ut augeat; hinc ab eo tempore poſt plurima beneficia alia ſupremum hunc atq; illum quidem ſummum gratiæ erga me Suæ cumulum addidit, quando ſuperiori anno præeunte Senatûs Academici voluntate benevolâ, per denominationem conſuetam declaratâ, & calcar præcipuè addentibus Viris ſummis Dn. *D. GEORGIO FRANTZKE*, JCto celeberrimo Sacri Cæſ. Pal. Comite ſplendidiſſimo, V. J. C. Conſiliario intimo ac Cancellario eminentiſsimo, itemq; *B. Dn. D. SALOM. GLASSIO*, Theologo orthodoxo de Eccleſiâ Chriſti meritiſsimo, ac Superintendente non ita pridem generali Patronis meis æternum ſuſpiciendis, clementiſsimè cum reliquis Athenæi hujus Salani Nutriciis illuſtriſsimis annuit ordinariæ ut Profeſsionis Theologicæ munus mihi demandaretur. Quo quidem in officio dum tantorum Principum poſt Deum gratiâ vivo, ſedulò ſanè perpendo, quantâ ſolicitudine beneficium hoc ſervandum & curandum ſit: eaq; propter nil æquè cordi mihi atque curæ eſſe ſino, quàm ut ſtudioſam nobiſcum juventutem cœleſtis doctrinæ veritatem, tum in lectionibus, tum diſputationibus vindicando; orbem verò eruditum B. Parentis mei Scriptis, indefeſſo ſtudio eadem publicando, καδδύναμιν juvem. Atque fini iſtâ non id ſolum omne, quicquid de Parentis b. m. Lucubrationibus ineditum nobis relictum, animo promtiſſimo publicæ luci concredidi: verùm etiam id inſuper ſtrenuè dedi operam, quò jamtum antehac publicata Parentis Scripta elegantiori formâ recuſa denuò proferrentur in lucem. Hoc verò ſtudium meum ac debitam diligentiam Veſtræ Illuſtriſſimæ Celſitudini probari vel maximè concupiſcens, tum quoque unicè in deſideriis habens, ut perpetuum apud Ipſam humilimæ obſervantiæ meæ ac mentis gratæ pignus extet, præſens Locorum Theologicorum Opus, omnium quæ B. Parens juris fecit publici, primum quaſi & præcipuum, Illuſtriſſ. Veſtræ Celſitudini ex veteri formula lubens meritò dicare, dedicare ac conſecrare volui. Spe ſuſtentor indubiâ fore, ut Illuſtr. Veſtra Celſ. ex inſtituto

hoc

hoc diligentiam & ex diligentia obſervantiam humilimaq; ſervitia mea cognoſcat, atq; hinc, quâ eſt adverſus ſcientiarum omnium, ſacrarum cumprimis literarum, ſtudia atq; eorum cultores decantatâ propenſione, adeoque in Deum ipſum Pietatis & Religionis fervore inſigni & incomparabili non ſerenâ ſolùm fronte ac hilari ſubjectiſſimi animi prædem hunc admittat, verùm etiam, quæ votorum noſtrorum ſumma eſt, non *fratrum* minus *meorum* quàm *meis ſtudiis* clementiæ ſuæ auram porrò adſpiret. Ita Deus Optimus idemq; Maximus Illuſtriſſimam Veſtram Celſitudinem maximo Eccleſiæ reiq; tum publicæ tum literariæ commodo atque incremento quamdiutiſſimè florentem ſervet ac cœleſtem benedictionem ſuam in dies in Illuſtriſſima S. Veſt. Celſitudinis domo & totâ Saxonicâ Evangelicâ tubâ, auctiorem conſpectioremque reddat. Jenæ è Muſeo paterno die XVII. Auguſti Anni cIɔ. Iɔc. LVI.

Illuſtriſſimæ V[ræ] Cels[nis]

Subjectiſſimus atq; humilimus

JOHANNES ERNESTUS
Gerhardus. D.

DECA.

DECANUS, SENIOR, DOCTORES ET PROFESSORES THEOLOGI, IN ACADEMIA JENENSI

Lectori Salutem Dicunt.

QVòd os illud invictum, & tuba Dominica PAULUS, de SALVATORE noſtro, CHRISTO JESU, *Epheſ.4.v.11.&12.* ſcripſit: Καὶ αὐτὸς ἔδωκε, τοὺς μὲν Ἀποςόλους, τοὺς δὲ προφήτας, τοὺς δὲ εὐαγγελιςὰς, τοὺς δὲ ποιμένας καὶ διδασκάλους. Πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριςοῦ. *Et IDEM dedit, alios quidem Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios autem Evangeliſtas, alios autem Paſtores ac Doctores: Ad inſtaurationem Sanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis CHRISTI:* Idipſum etiamnũ, quamvis ſub Orbis ſenium; pro DEI immensâ ac infinitâ BONITATE & GRATIA experitur Eccleſia. Quamvis enim in hac conturbatarum rerum confluge, & labaſcentis mundi vacillatione, dudum ipſe impietate & ingratitudine ſuâ promeruiſſet, ut impleretur in eo, quòd ex ore divino comminatus eſt Eſaias, *Cap.3.v.1.& ſeqq. Ecce, dominator, Dominus exercituum auferet à Jeruſalem, & a Juda. validum & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ: & fortem, & virum bellatorem, judicem: & Prophetam, & ariolum, & ſenem: Principem ſuper quinquaginta, & honorabilem vultu, & conſiliarium, & ſapientem, de architectis, & prudentẽ eloquii myſtici:* tamen; *Miſericordia Domini, quia non ſumus conſumti: quia non defecerunt miſerationes ejus. Nova diluculo, multa eſt fides, Thren.3. v.22.23.* Præterquam enim, quòd ex ſummâ miſericordiâ Deus Paſtores & Doctores Eccleſiis in hunc diem usq; dedit, ac in quibuſdam locis, expulſos reſtituit: inſuper etiam tàm graves, tàm excellentes Viros his ultimis temporibus mundo conceſſit, ut hæc poſteriora ſecula cum ſuperioribus nullâ æqualitate committi, aut cum iiſdem comparari poſſint; quandoquidem multis paraſangis, ac intervallo longiſſimo eadem antecedunt, atque collata, poſt ſe relinquunt. In tantum enim, ut de omnimoda eruditione, quæ viguit in Linguis, Artibus, ac Facultatibus aliis; jam taceamus: his ultimis temporib. LUX EVANGELII reſplenduit, ac THEOLOGIA exculta eſt; ut ſalutari cognitione VERBI DIVINI, & notitiâ FIDEI præ aliis triumphare poſſemus, nedum abundare: niſi eſſent, qui *tenebras magis diligerent, quàm lucem, Joh.3.v.19.* & qui ad fulgentiſſimos SOLIS radios oculos clauderent & malitioſè cœcutirent. Ac quamvis in locis aliquibus, DEO permittente, violentis perſecutionibus ex hominum oculis remota fuerit, accenſa LUX EVANGELII; in exemplum, quid propter ingratitudinem & impietatem fieri potuiſſet; aut ex iiſdem cauſis, futuris temporibus juſto DEI judicio fieri apud alios quoq; poſſit? tamẽ ad pias RELIQVIAS factum eſt verbum DOMINI, *Eſa.30.v.20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem;* Hoc eſt; in ipſis tribulationib. ſuppeditabit neceſſaria: *Et nõ faciet avolare à te ultrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: Hæc eſt via, ambulate in eâ: & non declinetis neq; ad dexteram, neq; ad ſiniſtram!* Ut ita verè etiam hoc noſtrorum temporum decurſu fieri videamus, quantum quidem ad hodiernum Eccleſiæ ſtatum conſervandum; eandemq; Eccleſiam conſideratam ut *Plantatam*; eſt neceſſarium; quod alibi quoq; Apoſtolus docuit, dicens *1. Cor.12.v.28. Et alios quidem poſuit DEUS in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos, deinde Prophetas, tertiò Doctores, deinde Poteſtates, deinde dona ſanationum, ſubſidia, gubernationes, genera linguarum.* Et quod *ibidem v.4.& ſeqq.* ſcripſit: *Diviſiones autem donorum ſunt: ſed idem Spiritus: Et diviſiones miniſteriorum ſunt, & idem Dominus. Et diviſiones operationum ſunt, ſed idem eſt DEUS, efficiens omnia in omnibus. Unicuiq; verò datur manifeſtatio Spiritûs ad id, quod expedit. Nam huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii verò ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum: Alii verò fides per eundem Spiritum: alii verò dona ſanationum per eundem Spiritum: Alii verò efficacia potentiarum; alii verò prophetia: alii verò diſcretiones Spirituum: alii verò genera linguarum: alii verò interpretatio linguarum. Sed omnia hæc efficit unus ille & idem Spiritus, dividens peculiariter unicuiq; ſicuti vult.* Inter inſignes autem & excellentes iſtos VIROS ac THEOLOGOS, quos vidit ætas noſtra, primo loco cum aliis quoq; numerandus venit, *Plurimùm Reverendus ac deſideratiſſimus noſter, D. JOHANNES GERHARDUS*, æternum lumen ECCLESIÆ, & decus inæſtimabile Illuſtris Univerſitatis noſtræ JENENSIS; cujus memoria ſit in benedictione. In quem tanta contulerat bona, divina BENIGNITAS, eundemq; tàm excellentibus & multiplicibus donis SPIRITUS SANCTUS exornaverat; ut ſicuti dum viveret *viva quadam & obambulans Bibliotheca* videretur: ita etiamnum ab omnibus piis & cordatis viris pro eo habeatur, qui *admirandus* potius ſit, quàm *imitandus*, & qui vel ſolus, numeroſis & eruditiſſimis ac ſolidis ſcriptis ſuis Theologicis, Bibliothecam conſtituere poſſit. Perpende enim Benevole LECTOR, quàm adamantino & Herculeo labore, BEATUS NOSTER GERHARDUS, & quantâ dexteritate ac Pietate conſcripſerit, *Tomos Locorum Theologicorum*; *Confeſſionem Catholicam*; *Harmoniam Evangelicam*; *Aphoriſmos*; *Diſputationes Academicas*; *Commentarios in Geneſin*; *Petrinas Epiſtolas*; *nonnullas Paulinas*; *Apocalypſin*: *Homilias quoq;*; *Scholam Pietatis*, *Poſtillam Salomonæam*; & alia perquam

multa

multa Scripta, partim eo vivente, partim piè demortuo edita, & confiteberis talem fuiſſe *B. GERHARDVM*, ut eum meritò appellare poſſimus *Admirabilem & Operoſum*; ſicut *Origenem* ita appellavit *ὁ Athanaſius*, ut indicat *Socrates, Lib. VI. cap. 13.* & dicere: Eum fuiſſe; *Propugnaculum veritatis, Patrem rectæ fidei, Lumen Eccleſiæ, Orbis oraculum, Doctorem certaminum, & magnum fidei ſuſtentaculum*: uti ſummum illum Eccleſiæ Doctorem, *Athanaſium*; *Theodoretus, Epiphanius, Nazianzenus*, & *alii* ſoliti fuerunt appellare. Aut quòd fuerit, ut de Baſilio *Nazianzenus Epiſt. X. Edit. Pariſ. pag. 775.* ſcribit: ὁ τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμός, ἡ μεγάλη φωνὴ καὶ σάλπιγξ, τὸ τῶν λόγων βασίλειον. Hoc eſt: *Orbis lumen, magna vox & tuba, doctrinæ palatium.* Et ut paullò poſt dicit: εἷς δ' ἥλιος ἐν ἀστράσιν; *unus Sol inter ſidera.* Quamvis Beatus noſter in minimis ſemper profiteretur nomen ſuum; neque tam humilem ſeſe, quàm humilitatem ipſam erga quoſvis exhiberet. Ut hac ratione non ſolum noſtro, ſed etiam totius orbis Chriſtiani calculo omni laude major fuerit olim noſter, *IOHANNES GERHARDVS, Theologus excellentiſſimus, Vir deſideratiſſimus, & incomparabilis*, qui ante annos aliquamplurimos in UNIVERSITATE Noſtrâ fulgebat, *ſtellas velut inter Luna minores*; *oculus mundi eruditi, Phoſphorus piè cordatorum ac anteſignanus*, cujus ſolummodò nomen dixiſſe ſufficiat! Sed *fuit* ille, *abiit & reverti debet*, ut ſolenni formulâ, Tertulliani temporibus uſitatâ, hîc utamur. Vivit tamen, & vivet perpetuò in Scriptis, quæ modò commemoravimus, nec ſcombros, nec thus, aut ullam vetuſtatem metuentibus.

Cum itaq; VIR optimus & integerrimus, *Dn. ZACHARIAS HERTELIVS*, inæſtimabilem operam locaverit ECCLESIÆ CHRISTI, in recudendis *TOMIS LOCORVM THEOLOGICORVM*; & *additione* eorū; quæ *ὁ μακαρίτης NOSTER* ſuâ manu ad priora, in futuros uſus conſignaverat: non potuimus non ſolenniter hîc teſtari de *FACVLTATIS NOSTRÆ* conſenſu & ſuffragio, quo ſtudium hoc approbamus, operæq; ac ſumtibus Optimi HERTELII eo ipſo publicum aliquod gratitudinis monumentum erigimus; ac Tuo pio candori, *Benevole LECTOR*, hunc precioſiſſimum *LOCORVM THEOLOGICORVM Theſaurum* ſedulò commendamus. Quem tanti æſtimandum arbitramur, ut nullas mundi gazas cum eo comparandas eſſe cenſeamus. Deprehendet enim quilibet, qui ſine affectu hos ipſos *LOCOS* perlegerit, quòd contineant incredibilem rerum copiam, tractationem controverſiarum felicem, Orthodoxiæ confirmationem invictam, refutationem Adverſariorum ſolidiſſimam, ſimul tamen modeſtam; & quòd nucleum contineant Sacræ Scripturæ, ac ſincerioris & purioris DOCTRINÆ. Quin itaq; *ECCLESIA CHRISTI*, in eâq; omnes cordatiores, hos *LOCOS* porro ſint habituri quàm cariſſimè, nulli ambigimus. Quod autem ſupereſt, *Amice & Benevole LECTOR*, Tuis precibus ac amori tàm Nos, quàm Optimum & Integerrimum *Virum ZACHARIAM HERTELIVM*, inſignem operam in iſthac re *ECCLESIÆ* navantem, commendamus; ac Sacro-Sanctam & Individuam *TRINITATEM* devotis veneramur ſuſpiriis, ut *VERITATEM COELESTEM*, quæ in his *TOMIS* puriſſimè & ſolidiſſimè eſt expoſita, ad finem uſq; mundi conſervare, & ſubinde latiùs clementer propagare, ac contra omnes inimicos ita defendere velit: Ut eam & alii agnoſcentes, ſalvificè credant, piè vivant, & tandem nobiſcum æternùm ſalventur. Dabamus JENÆ, Prid. Nonarum Junii, Anno M.DC.LVI.

LECTORI PIO, BENEVOLO, AMICO ET CANDIDO S. P. D.

EN ſiſtimus tandem TIBI, L. B. iteratam ac fortè etiam noviſſimam LOCORVM THEOLOGICORUM, à B. Parente noſtro labore indefeſſo induſtriâq; propè incredibili collectorum editionem, quam quidem è veſtigio Harmoniam ſecuturam Evangelicam eſſe, licet certam ceperim fiduciam, quemadmodum etiam Præſtantiſſimus Vir ac rei litterariæ commodo egregiè augendo deditus Dn. ZACHARIAS HERTELIUS, Bibliopola Hamburgenſis iſtius promovendæ rei cauſâ omnem movit lapidem nec ullis pepercit ſumtibus: per typothetarum tamen concatenatos factum labores eſt, ut in præſentem uſq; diem negotium illud nobis maximè invitis fuerit protractum. Tantum tamen abeſt, ut in eam deſcendamus ſententiam, pia πολλῶν τ' ἀγαθῶν τε deſideria, quibus à multis jam annis ultimam hanc editionem expetierunt, è tam moleſtâ procraſtinatione aliquid cepiſſe decrementi, ut potiùs firmiter perſuadeamus nobis, illa ipſa in dies magis ac magis fuiſſe aucta. Optandum ſanè eſſet, uti fœtum hunc fœcundioris ingenii Parens denuò lambere, ceu in votis habebat, ipſe potuiſſet: verùm quæ rerum humanarum fragilitas eſt & inconſtantia dum in pulcerrimo ipſe verſatur opere Biblico Vinarienſi Saxonico-Erneſtino mors præmatura, nimis durus tribunus, intercedit, ac quieſcere hîc jubet vitæ æternæ Candidatum. Compenſare quidem damnum illud Diſputationes Iſagogicæ (in quibus B. Par. ea, quæ in Tomis LL. Theologicorum uberiùs ſunt expoſita, in compendium redigere; quæ verò prætermiſſa, complere ſatagebat) poſſent, ſi eodem, quo in I. Tomum hujusq; Exegeſin ac Tomum ſecundum cœpit, pertexere filo Auctori licuiſſet. Aſt cùm nec in hoc anxiæ plurimorum expectationi facere ſatis integrum τῷ νῦν ἐν ἀγίοις per denſam laborum molem fuerit, ſatius ego duxi, vel maximè etiam inelaboratas annotationes, quibus paterni Codd. undiq; referti, cum SS. Theologiæ cultoribus promtè communicare, quàm reprehenſionem iſtam, aut ſuſpicionem ſaltem, incurrere, ac ſi de B. Parentis laboribus invidere quid publicæ luci voluerim. Ne tamen honeſtæ τοῦ μακαρίτου famæ nubecula aliqua inde accedat, præprimis hoc in limine ſtatim lectores monendos duxi, quâ fini etiam omnia illa, quæ ea notis marginalibus manu B. P. ſcriptis (quarum aliquot millia deprehendere fuit) *editioni huic acceſſerunt, aſteriſcis notari ſive includi feci*: quò, ſi quid Te fortè offendat, minuſq; accuratè poſitum videatur, memineris, haut quaquam ex ſuâ ſententiâ marginalia iſta omnia LL. Theologicorum textui B. Parẽtem adjeciſſe, certè minimè ſine eo, ut quæ feſtinante adſcripta manu fuerunt, edantur vel in publicum proferantur modò. Quia tamen cum pleriſq; ita comparatum, ut licet nõ ex aſſe ſententiæ Auctoris reſpondeant eandemq; confirment, juvare tamen Lectorem curioſum aliquatenus poſſe, non mihi magis, quàm aliis viſa fuerint, ac ſuprà laudatus Dn. Hertelius additionem vehementer urſerit; nolui illorum opinioni repugnare ſive Hertelii deſiderio deeſſe. Id verò recipio, me, ubi excuſationem hanc locum apud Te inveniſſe cognovero, ſtrenuè daturum operam eſſe, quò deinceps & *Notæ Parentis b. m. in omnes Novi Teſtamenti libros* à multis viris doctis hactenus deſcriptæ, à plurimis verò penè cum indignatione expetitæ, publicè quoq; uſurâ lucis fruantur. In eâ namq; opinione ſum ac ſemper fui, nullius boni abſq; ſocio jucundam eſſe poſſeſſionem, invidiamq; in artificibus quidem improbandam, in illis verò, qui iiſdem Muſarum initiati ſacris ſunt, vehementer culpandam eſſe atq; vituperandam. Quibus TE, Lector amice, ex animi ſententiâ valere precor, ſpe iſtâ ſuffultus pulcerrimâ, TE promtiſſimo meo inſerviendi TIBI ſtudio calcar additurum, certè non penitus illud improbaturum. Jenæ. XVI. Kal. Septembr. ANNO CHRISTI NAT. 1656.

JOH. ERNESTUS GERHARDUS. D.

CHEMNITIO Brunſuiga ſuo: GERHARDVS honore
Quedlinburga tuæ pandit proſcenia famæ,
Quem Salica æterno ſtupet & vox publica luctu,
Illuſtrem pietate Virum, qui nubifer Atlas!
Conticeant Druides, Stagiraq; porticus alma,
Cum Memphi procul hinc ſacraria vana Quiritum,
Corruat & Latium, Papæ criticumq; tribunal,
Ex verbo JOVÆ, noſtro cenſore GERHARDO,
Dum meditatur opus, divinæ jura loquelæ.
Adſpice dic, Virum Sion, quo victa fatiſcit
Judice Barbaries mordetq; irata catenas,
Quiq; renaſcenti pietatis dogmate ſeclo
Sufficit, & veri divinis vocibus oris
Pallentes nigris animas emancipat umbris.
Has non una Tuas, Doctor Vir Candide! laudes
Terra capit, plaudit Tibi terrarum ultima Thule,
Oceanusq; pater, qua pandit carbaſa cymba
Chriſtigenûm, toto quo vox modò perſonat orbe
Verbi cœleſtis, quivis veneratur honores
Summe! tuos, ſibi depoſitum poſcitque colendum;
It cœlo ſublime decus: pie! reddite cœlo
Ergo tuo citius, ſuperas tamen ora Virorum,
Et tua venturi relegent monumenta nepotes,
Queis tua fata levant, queis te ſolantur Athenæ.

Theol. immortalis, ſummè venerandi ſoceri,
æternum B. M. hunc cultum
debuit

Ioh. Volck. Phil. & Med. D.
Medicus Provinc. Ducatûs
Saxo-Gothani.

ΕΠΙΤΑΣΤΙΧΟΝ.

REVERENDO PRÆMODUM, AMPLISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO VIRO

DN. IOHANNI GERHARDO,

SS. Theolog. Doctori ac Profeſſ. Publ. in inclutâ Salanâ celeberrimo de univerſa Eccleſia meritiſſimo

Domino Fautori, & Præceptori meo deſideratiſſimo.

GRátia quanta DEI Tibi ſit collata GERHARDE,
Nullius poterit lingua referre ſatis.
Voce, ſtylo, vitâ ſacra commentaria fundis,
Ac propriis jugulas enſibus Auſonios.
Stás pro Lege DEI; cauponantesq; Sophiſtas
Ejicis; atq; aperis pro pietate Scholas.
Hinc non eſt Academia, non eſt ulla Cathedra
Noſtrorum, quæ non culta Labore tuô.
Non tantis ſtudiis pervolvent mille, quot unus
Scripſiſti ſanctos, magne GERHARDE, libros.
Omnes miramur, pariter, pariterq; colamus,
Quos per Te fudit Gratia ſancta, libros.
Quæ dedit in terris Tibi tot monumenta laborum,
TE beet in cœlis Gratia Dia, precor.

Petrus Philips SS. Theolog. D.
Eccleſiæ Cathredralis Halberſtadienſis & Patriæ Paſtor primarius.

I I.

SAncte GERHARDE! pius quem jam propugnat Olympus;
Immortale caput! non te veneranda ſilebit
Relligio, Te vera fides & ſanctius ævum
Perpetuum memorat, titulis æternat honorum.
Felices Chriſti populos! Hoc vindice tanto
Inconcuſſa ſtetit pietas, abjectaq; caſtra
Tuta ſtetêre ſuo; variis terroribus actæ
Chriſtiadæ turmæ ſparſæ coiere ſodales
Hoc uno ſolante viro; quem matre cadentem
Ipſa ſuo Euſebie puerum nutrivit in antro,
Virtutum Cujus latuit ſub fronte caterva
Conglomerat divina ſuas ſociataque curas.
Quo Saxo ſe jactet, habet, pietas & alumno
Surgat, & æternis inſcribant nomina faſtis
Hoſtilis Latii; quo Leucoris, alta beata
LVTHERO Iſlebium celebris, doctoque ſuperbit

CHEM-

FERDINANDUS TERTIUS, DIVINA FAVENTE Clementiâ Electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. REX, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgiæ, ac ſuperioris & inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes Habſpurgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Goritiæ, Landgravius Alſatiæ, Marchio Sacri Romani Imperii Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis & Salinarum &c.

Inter glorioſas Reipublicæ curas, & Auguſtalium ſollicitudinum ſalutiferos fructus, non minima cenſetur portio Cæſarei Culminis Providentiam litterarum pariter atque earundem Cultorum commodis & ornamentis pro virili & tuendis & augendis proſpicere: quippe quarum ſingularis & eximia quædam cognitio ac ſcientia laudabilem naturam eximiè perpolit atque exornat, ſuppeditat Prudenti unde præclâra Sapientiæ comparet incrementa; Bellatori conferr unde maſculâ animi virtute roboretur. Principi ſuggerit, quemadmodum populos ſub æquali juſtitię moderamine componat, temperet, gubernet, quin immò in tota hac rerum univerſitate non reperitur ulla fortuna ac conditio, quam litterarum non augeat atque illuſtret glorioſa notitia. Vnde rem ſanè præclaram, Reipublicæ utilem, omnique laude ac favore digniſſimam præſtant, qui ſedulam ac gnavam iis ipſis in litteris, lucubrando ſcribendoque ponunt operam, easque ita excolunt, ut aliorum geniis atque ingeniis informandis erudiendisque velut facem ac lumen præferunt, eoſque ex ignorantiæ tenebris velut manu educant. Quum itaque Noſter & Sacri Imperii fidelis dilectus Joannes Erneſtus Gerhardus humillime nobis expoſuerit Bibliopolas quoſdam exteros Gallos & Belgas contra omne Jus faſque Parentis ſui quindecim ab hinc annis defuncti lucubrationes, & Scripta Germanico-Latina alibi recuſa liberè in Germaniam adeoque in Provincias Juriſdictioni Noſtrę Imperiali ſubjectas importare, ac paſſim divendere non ſint vetiti, adeoque rei ſuæ domeſticæ ſummam intulerint fraudem ac diſpendium, ac proinde Nos ſupplicabundè orarit, uti adverſus projectam id genus licentiam, ac licentioſam temeritatem exterorum Bibliopolarum, quam ſi Noſtrates Bibliopolæ in Galliis aut Belgio ſibi uſurpare, atque exercere præſumerent, haud ſanè ferrent impunè, Cæſarei Noſtri Diplomatis præſidio ipſi tanquam parentis ſui hæredi, ac Zachariæ Hertelio Bibliopolæ Hamburgenſi, quem parens quondam ipſius, atque ipſe dicti parentis vigiliis & lucubrationibus in lucem edendis, elegerint; Succurrere clementer dignaremur, Nos qui præter quod etiam non rogati juſta cogitamus, ſupplicantium preces rationi conſentaneas libenter amplectimur, demiſſiſſimæ prædicti Gerhardi petitioni eò annuimus faciliùs, quanto gravius Nobis videtur eximiam induſtriam ac ſtudium laboris ſui fructu defraudari, & unde meritò debebat ſperare commodum, diſpendium pati injuſtum, quocirca pro auctoritate Noſtra Cæſ. decernimus, ſtatuimus, inhibemus ac vetamus ne quis Typographus, Bibliopola, aut alii librariam negotiationem exercentes ſępe dicti Gerhardi lucubrationes Germanico-Latinas vel Latino-Germanicas, quocunque modo, charactere aut forma, integras ſive aliquam earundem partem typis imitari, edere, excudere, vel alio recudendas dare, vel alibi etiam impreſſas importare, venum exponere, clam vel palam aut diſtrahere intra Sacri Romani Imperii Regnorumque ac Provinciarum Noſtrarum hæreditariarum fines intra decennium à die dati hujus Cæſarei Noſtri Diplomatis computandum, abſque ipſius Joannis Erneſti Gerhardi ac Zachariæ Hertelii Bibliopolæ Hamburgenſis uniusvè & alteriùs hæredum Voluntate ac conſenſu auſit, præſumatve: Si quis autem ſecus faxit, & Edictum hoc Noſtrum temerario quodam auſu migrare, contemnere aut tranſgredi non fuerit veritus, is non ſolum hujuſmodi libris perperam quippe ac fraudulenter recuſis atque importatis, quos quidem ante nominati Joannes Erneſtus Gerhardi & Zacharias Hertelius ipſorumvè hæredes ubicunque deprehenſos vel propria authoritate, vel Magiſtratus loci illius auxilio apprehendere ac ſibi vindicare poterunt, de facto privari, ſed viginti quoque marcarum auri puri puti ex ſemiſſe Ærario ſive Fiſco Noſtro Imperiali fraudis nimirum Vindici: ex altero verò ſemiſſe ſæpè memoratis Joanni Erneſto Gerhardi, & Zachariæ Hertelio eorumvè hæredibus omni ſpe veniæ præciſa pendendarum mulctam dare damnas eſto: hac tamen lege, ut prædicti Gerhardus & Hertelius quaterna nimirum exemplaria ſingularum lucubrationum Gerhardicarum ſuis ſumptibus ad Imperialem Noſtram Cancellatiam tranſmittant, quod ſi neglexerint hac Noſtra gratiâ ac

Privi-

Privilegio neutiquam gaudere fruivè poſſint, ſed eo ſtatim privari atque exuri eſſe cenſeantur.

Mandamus itaque Vniverſis ac ſingulis Noſtris ac Sacri Romani Imperii, Regnorum, Provinciarum ac Dominiorum Noſtrorum ſubditis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, dignitatis, conditionis ac fortunæ exiſtant, tàm Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, præſertim verò iis, qui in Magiſtratu conſtituti vel proprio vel ſuperiorum nomine ac loco jus dicunt, juſtitiæque exercent adminiſtrationem, ne quenquam Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum temerè & impunè tranſgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, ſi quos fortè comperierint, præſcriptâ pœnâ mulctari, aliiſque modis idoneis curent coerceri, ni graviſſimam Noſtram indignationem incurrere, & eandem mulctam luere voluerint. Harum teſtimonio litterarum manus Noſtræ ſubſcriptione & Sigilli Noſtri Cæſarei impreſſione munitarum, quæ dabantur in Arce Noſtra Regia Pragæ die vigeſima ſexta Septembris, Anno Dom. milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo ſecundo, Regnorum Noſtrorum Romani decimo ſexto, Hungarici vigeſimo ſeptimo, Bohemici verò vigeſimo quinto.

Ferdinandus

(L.S.)

Vt.
Ferdinandus Comes Curtius.

Ad Mandatum Sac. Cæſ. Majeſtatis proprium.

I. Walderode.

Præmiſſum Apographum vero ſuo Authentico, collatione accuratâ habitâ, verbotenus reſpondere, atteſtor ego infrà nominatus Notarius Cæſ. publ. hac manu mea & appoſitione Sigilli mei conſueti, ad hoc legitimè requiſitus. Actum Jenæ ipſis Nonis Martii Anno Chriſti 1653.

Ieremias Meurer Not. Caſ. publ. & h. t. inclyta Academia Ienenſis Secretar. in fidem ſubſcripſit.

JOHANNIS GERHARDI

S. S. THEOL. D.

ET

IN ACADEMIA JENENSI
QVONDAM PROFESSORIS
LONGE CELEBERRIMI,

EXEGESIS

Sive uberior Explicatio

ARTICVLORVM

DE SCRIPTURA SACRA, DE DEO & PERSONA CHRISTI

IN TOMO PRIMO.

Locorum Theologicorum
conciſius pertractatorum,

EDITIO NOVISSIMA,
ac quàm plurimis hinc inde augmentis ditata,
& illuſtrata.

In fine quadruplici Indice, Generali, Dictorum S. Scripturæ, Authorum, Verborum & Rerum, adjecto.

Cum Gratia & Privilegio S. Cæſareæ Maj.
&
S. Reg. Maj. Svecicæ.

FRANCOFVRTI & HAMBVRGI,
Sumptibus ZACHARIÆ HERTELII, Bibliopolæ Hamburgenſis.
ANNO DOMINI M. DC. LVII.

AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,
VIRTUTE, ERUDITIONE, PRUDENTIA, AUTORITATE;
ET RERUM USU CLARISSIMIS VIRIS

DNN. CONSULIBUS, DN. SYNDICO & DNN. SENATORIBUS

inclutæ Reipublicæ QUEDLINBURGENSIS,

Dominis fautoribus, amicis, ſympatriotis, agnatis & affinibus meis
plurimùm honorandis ac dilectis S.P.P.

AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI, SPECTATISSIMI; virtute, eruditione, prudentiâ, autoritate & rerum uſu Clariſſimi Viri, Domini fautores, amici, ſympatriotæ, agnati & affines plurimùm honorandi ac dilecti, quamvis omnibus verè piis cœleſtis patriæ amor & deſiderium cumprimis curæ cordiq; ſit, eſſe certè debeat, cùm πολίτευμα *ipſorum* ſit in cœlo *Philipp 3. v. 20.* ac peregrini tantùm & hoſpites ſint in mundo *Levit. 25. v. 23. Pſalm. 119. v. 19. Hebr. 11. v. 13. unde cum Davide ſæpiùs in ſuis ad Deum alloquiis repetunt :* Peregrinus ego ſum apud te & incola, ut omnes patres mei *Pſalm. 39. v. 13.* ξεῖνος ἐγὼ κοσμῖος, καὶ οὐρανοῦ εἰμὶ πολίτης: *interim ſpiritualis ille cœleſtis politeumatos amor nequaquam excludit naturalem affectum, quo erga ſuam in his terris patriam ducuntur, de quo Hieronymus in comment. cap. 7. Jerem. ſuper verba :* Dirigite vias veſtras &c. *ſic diſſerit :* Naturale eſt, ut unusquisque natale diligat ſolum, & nihil dulcius habeat patriâ; *quod deſumtum videri poteſt ex illo Euripidis in Phœniſſis,* ἀναγκαίως ἔχει πατρίδος ἐρᾶν ἅπαντας, ὃς δ' ἄλλως λέγει λόγοισι χαίρει, τὸν δὲ νοῦν ἐκεῖσ' ἔχει, *vel ex Ovidianis metris:*

Neſcio quâ natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Quemadmodum enim Viator toto quidem animi impetu ad lares patrios aſpirat interim non poteſt non ſibi gratulari, ſi in via commodum nactus fuerit hoſpitium, cujus beneficiis etiam gratâ mente utitur: ſic in via hujus vitæ, quæ nihil aliud eſt quàm curſus ad veram in cœlis vitam, gratis animis agnoſcere debemus, ſi benigniſſimus Deus talem naſcendi & commorandi nobis aſſignavit locum, qui ob beneficia in ſe divinitùs collata omnibus facilè ſeſe commendat, quemq; plures exoptant ſibi natalem obtigiſſe. Hanc felicitatem divinæ benignitatis virgulâ mihi quoq; obveniſſe, non ſine tacita gratulatione & voluptatis ſenſu ſæpius recordor. Natus enim ſum Quedlinburgi Saxonum, *(in illa ipſa ſcilicet urbe, cujus regimen veſtræ fidei & prudentiæ* Patres conſcripti, *eſt commiſſum) Anno 1582. die Octobri 17. Patre* Dn. Bartholomæo Gerhardo, *Veſtri Ordinis viro, Anno 1598. propridie Aſcenſionis Dominicæ rebus humanis exemto, cujus candor & erga Eccleſiarum ac Scholarum Miniſtros beneficentia omnibus adhuc in ore; Matre verò* Margarethâ Berndes, Dn. Johannis Berndes *Scabini Reipubl. Halberſtadenſis*

p.m.filia,quæ anno proximo 624.die Jan.27.in vivis eſſe deſiit, ac voce publicâ matronalium virtutum exemplar audire meruit. Vrbs iſthæc unde nomen ſuum ſortita fuerit, de ea diverſæ extant ſcriptorum ſententiæ, cùm quidam à catella in montis cacumine ibidem ab Henrici Aucupis Imper. conjuge inventâ Quedella dicta eam ſic appellatã cenſeant, conjecturâ permoti admodùm levi, quòd videant in Senatûs inſignibus catellam pingi ſolitam; quidam ab aquarum ſcaturiginibus, quibus locus ille abundat, denominatam eam arbitrantur, ac primùm dictam Quellenburgum; alij verò, quorum probabilior eſt opinio, pagi veteris, qui urbi originem præbuit, nomen relictum ipſi eſſe exiſtimant. Teſtantur enim Annalium conditores fuiſſe olim pagum eâ urbis parte ſitum, ubi hodie eſt parochia Blaſiana, Quintilingum nuncupatum; eidemq; vicinum fuiſſe pagum alium Nortingav appellatum, eo in loco ſitum, ubi hodie eſt parochia Egidiana. In medio iſtorum pagorum, ubi nunc forum eſt & Curia, fuiſſe ditiorum quorundam ædes, in quibus prænominati Imperatoris aulici ac ſatrapæ habitarint, Curtes Quintilingas vocari ſolitas, in cujus rei memoriam atq; antiquitatis ſignificationem adhuc hodie in domorum quarundam frontiſpicio depictum & inſculptum lapidibus conſpici homuncionem parvum & nudum ſuſpicantur, inde ex Quintlinburgo, quod fuit antiquum urbis nomen, Quedlinburgum poſtea eſſe formatum. Qui à Quadis ob incurſiones in has terras factas ex monumentis Hiſtoriarum notis urbem dictam cenſent, eos vix audiendos eſſe putarim, cùm iſti peſſimi nominis populi ſedem ſuam ibi fixiſſe nuſpiam commemorentur. Sita eſt hæc urbs maximâ ex parte in planitie ad radices ſylvæ Herciniæ, eamq; alluit feraciſſimum ac limpidiſſimum flumen Buda dictum, cujus ſcaturigo in monte Bructero quatuor ferè miliaribus ab urbe diſtat. Aër propter montium & ſylvarum vicinitatem atq; æqualem temperiem ſalubris, ſolum naſcendis frugibus fertile, unde nec lignorum, nec frugum, nec piſciũ, nec aliorum ad vitæ ſuſtentationem neceſſariorum copia incolis deeſſe poteſt, ac quam oportunitatem auſpiciis Conradi III. Imp. an. 1139. Comitia Imperialia in hac urbe fuêre celebrata. Circa an. 930. jam ſæpius nominatus Imperator Collegium virginum Illuſtrium & Nobilium in hac urbe inſtituit, eidemq; primam Abbatiſſam præfecit Mechtildam filiam ſuam, cujus Cœnobii ſtructuræ ſatis magnificæ cùm Imperator extremam manum morte præventus imponere non poſſet, (deceſſit enim an. 936. Minneslebiæ prope Wernigerodam ætatis ſuæ ſexageſimo, Imperii decimo ſeptimo, cùm ex Goslaria, ubi ſedes ipſi fuit Imperatoria, Romam verſus iter ſuſciperet & in itinere ſontico morbo corriperetur) relicta Auguſta Mechtilda & ejuſdem nominis filia Abbatiſſa ad umbrulum ſtructuram illam perduxerunt & laudatiſſimi Imperatoris exuvias in Monaſterio arcis, ut vocatur, honorificâ ſepulturâ repoſuerunt. Ex illo tempore huic Abbatiæ longâ ſerie præfuerunt Imperatorum, Regum, Electorum, Principum, Comitum filiæ, devotæ pietatis & aliarum virtutum laude conſpicuæ, quo honore & munere hodie magno cum ſubditorum bono fungitur Reverendiſſima ac Illuſtr. Princeps ac Domina, Domina DOROTHÆA SOPHIA Duciſſa Saxoniæ, Comitiſſa Provincialis Thuringiæ, Marchioniſſa Miſniæ, omnium bonorum amore & laude præconio digniſſima. Quod ſi ab externo urbis ſitu, & ædificiis ad interiorem ejus pulchritudinem ad Eccleſiaſtici ſc. & politici regiminis ſtatum oculos convertamus, longè adhuc clariùs conſpicientur beneficia divinâ gratiâ huic urbi præ multis aliis largiter conceſſa. Si templa ingrediamur, quorum octo numerantur in hac urbe videl. templum arcis (Servatio olim per Bernhardum Epiſcopum Halberſtadienſem conſecratum) Benedictinum, Nicolaiticum, Blaſianum, Egidianum, Wipertinum, ad Spiritum S. & Johanniticum, auditur in illis omnibus & ſingulis Dei beneficio ſonare vera Evangelii doctrina ab omnibus Pontificiis, Calvinianis & aliis hæreticis corruptelis repurgata. Cum ante centum annos lux Evangelicæ doctrinæ ex Cimmeriis Papatus tenebris emicare inciperet, illius radii ſatis maturè animos quorundam in hac urbe civium colluſtrarunt, conſtat enim ex Collectaneis Johannis Winniſtadii olim Paſtoris Blaſiani, & ex relatione

tione Marci Schulteti Paſtoris Neapolitani, quendam Monachum Auguſtinianum Vincentium in primo ſtatim repurgatæ B. Lutheri miniſterio doctrinæ initio ardentiſſimo zelo eam non tantùm amplexum eſſe, ſed etiam publicè in Cœnobio Auguſtinianorum magno cum applauſu propoſuiſſe, verùm à reliquis Monachis ipſum veneno ſublatum eſſe; cumq; per Magiſtratum & ſacrificulos curſus Evangelii in hac urbe impediretur, Quedlinburgenſes, Halberſtadienſes & alii catervatim in pagum vicinum Weſterhuſium, ubi Henningus Radeken Evangelium Chriſti purè docebat, confluxerunt, ibidemq; ſacrâ cœnâ juxta Chriſti inſtitutionem ſub utraq;, ut vocant, ſpecie uſi ſunt. Non multò pòſt in æde Blaſiana Evangelicam veritatem publicè profiteri incipiebat Johannes Sturke, is cùm die Palmarum habendâ ad populum concione & diſtribuendo corporis & ſanguinis Dominici Sacramento piè occupatus eſſet, curabat eum ab ipſo altari per miniſtrum avocari Capitaneus Philippus Moſebucus, finem nimirum eo, ut in arcem abductum, ad Ducem Saxoniæ Georgium, captivum ipſum mitteret. Sequebatur verò Paſtorem hunc ſuum copioſa civium & opificum manuariorum turba contra vim injuſtam præſidio ipſi futura, illorum zelum Capitaneus videns ab amicis & miniſtris ſuis perſuaſus liberum eum dimiſit, gravi priùs interdicto addito, ne ulterius concionaretur. Poſtquam verò hac ratione purioris doctrinæ præconibus intra urbis mœnia ſilentium à Magiſtratu ex Sacrificulorum & Monachorum impulſu eſſet impoſitum, excitavit Deus confeſſores & præcones in ptochodocheo extra urbem, quod à D. Johanne nomen ſortitum. Erat in eo vir ſenio & pietate venerandus Benedictus Kirchofius, qui licet per aliquot annos cæcus fuerat, tamen oculos mentis ipſi Deus aperuerat, ut lucem Evangelicæ veritatis videret eamq; publicè profiteri non metueret. Erat in eodem prochodocheo Collega alius Hermannus Dencus, qui vocis raucedine laborabat, qui Paſtoris fungebatur munere in adminiſtrandis Sacramentis juxta inſtitutionem Dominicam. Sic ergo raucus cantabat, cæcus concionabatur; Kirchofius enim Lutheri ſcripta ab aliis ſibi prælegi curabat, & quæ ex illis memòriæ, quâ præditus erat feliciſſimâ, infigere poterat, populo proponebat, Dencus verò cantionibus ſacris Collegæ ſui conciones excipiebat. Hîc denuò concurſus hominum ex Quedlinburgo & vicinis urbibus ac pagis factus, unde cathedra huic concionatori ex rudibus aſſeribus in area cœmiterii extruebatur, eò quod templum alioqui ſatis anguſtum tot auditores undiquaq; magno numero confluentes capere non poſſet; & quanquam Capitaneus Moſebucus equitibus armatis circa urbis mœnia oberrans concurſum illum civium minis ac vi illatâ prohibere niteretur, nihil tamen quicquam proficere potuit; Sic ergò cùm veritatis adverſarii intra urbem, videntes & vocem ſuam ſicut tubam exaltantes audire nollent, coacti ſunt permittere, ut cæci & rauci extra urbem ſub dio Deum celebrarent, ac verbum ejus à Pontificiis ſcoriis repurgatum populo proponerent. Elapſo temporis ſpacio iterum in ipſa urbe ad verbi divini propagationem excitati ſunt viri eruditione & pietate conſpicui Johannes Bethmannus in templo Neapolitano, Laurentius Donerus, in æde D. Egidii & Jonas Hildebrandus in æde Spiritus S. Paſtor, qui non ſine fortunarum & vitæ periculo puriorem Evangelii doctrinam populo inculcarunt, ac ſæpiùs in templorum turribus ſe abſcondere coacti fuerunt, ut ab inſidiis & violentia hoſtium ſuorum immunes eſſe poſſent. De Bethmanno memoriæ proditum eſt, quòd apud Principem Saxoniæ GEORGIUM ἀποςασίας ab Eccleſia & hæreſium in vulgus ſparſarum ab adverſariis ſuis accuſatus atq; hoc nomine à Principe vocatus animo infracto & imperterrito ad eum acceſſerit, qui eodem tempore Quedlinburgi commorabatur. Priusquam verò Principem adiret, fratri, cognatis & amicis ſuis valedixit, veritus ſcil. ipſos faciem ſuam in his terris non ampliùs viſuros. Timebat enim vitæ ſuæ propter adverſariorum minas & notam Principis illius vehementiam. Augebant hunc timorem non mediocriter rumuſculi militum & ſatellitum Principis, qui magno agmine in foro & ante ædes, in quibus Ducis hoſpitium erat, aſtabant, per quorum medium Bethman-

no erat tranſeundum. Illi namq; videntes Bethmannum riſum movebant; rhonchos ducebant, naſo adunco ipſum ſuſpendebant, dira illi minabantur, veſtes detrahendas & caput abſcindendum eſſe clamabant. Ipſe verò forti & conſtanti animo Principem accedebat, ac reverenter & ſubmiſsè ſolito more ad pedes ejus procumbebat, habens ſequentem ſe puerum nepotem ex fratre, qui ſacrorum Bibliorum librum geſtabat. Princeps cùm accuſatores ejus tertiâ etiam vice accerſiti non comparerent, verbis aſperioribus Bethmannum compellare cœpit, arguens eum, quod cùm à Romana Eccleſia Formatum ſuum, uti vocant, accepiſſet, & ad illius obœdientiam juramento ſe aſtrinxiſſet, ab ea tamen nefariè defecerit, Sectæ Lutheranæ ſeſe addixerit, falſa & Eccleſiæ Romano-Catholicæ contraria dogmata in vulgus ſparſerit, ſicq; innumerabiles animas gehennæ incendio mancipârit. Bethmannus quâ poterat humilitate & ſubmiſſione, eâ tamen gravitate, quæ conſtantem Chriſti Confeſſorem decebat, monſtrato Bibliorum Codice reſpondit: Juraſſe ſe in ſacra Biblia, in Canonica ſcil. Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, quæ eſſe ipſum Dei verbum & viam ſalutis ſine omni errore monſtrare univerſa fateatur Eccleſia. Ex illis ſeſe hactenus docuiſſe, & verbum Evangelii, quod Chriſti meritis unicè confidendum eſſe docet, auditoribus ſuis ſincerè propoſuiſſe. Quòd ſi ex ſacris literis convinci poſſit, ſe falſi quippiam hactenus ſectatum, alios ſeduxiſſe, non ſolùm publicè ſe illud retractaturum, ſed etiam pœnis promeritis ſeſe ultrò objecturum; quibus dictis ſubjecit, peccatorem coram Deo me agnoſco, Principi Domino meo clementiſſimo omni ſubmiſſione me ſubjicio. Princeps re aliquandiu ſecum deliberatâ & penſitatâ, errorem ut agnoſceret & ad Eccleſ. Rom. rediret, ipſum admonuit, mox verò addidit: Vade & tuo fungere officio, donec aliud quid in mandatis à nobis acceperis. Mortuo Bethmanno ſurrogatus eſt Pontificius ſacrificulus Johannes Genth, cujus concionibus & ſacris cùm auditores intereſſe recuſarent ac publico veræ religionis exercitio deſtituerentur, Rector Scholæ Neapolitanæ Johannes Leo ſuis diſcipulis & civibus ipſum accedentibus, Evangelicam doctrinam ex Scriptis Lutheri in Schola prælegebat, & pro virili explicabat. Hæc ſub initium repurgatæ doctrinæ fuêre geſta, donec tandem Principe Georgio Ann. 1538. ex iliacâ paſſione mortuo ſacrificuli Pontificii ſponte ex urbe profugerent ac Magiſtratus animadvertens ſe non poſſe Evangelii curſum impedire non tantùm à perſecutione deſiſteret, ſed etiam agnitâ ex verbo Dei doctrinæ Evangelicæ veritate negotium reformationis ſummis viribus promoveret, evocatis ad eam rem Concionatoribus idoneis ſinceræ religioni in Auguſtana Confeſſione expoſitæ addictis, quos parochiis urbis præfecit, accerſito etiam D. Tilemanno Pletenero Eccleſiæ Stolbergenſis Superintendente, qui uſitatas Ceremonias & cantilenas in templo arcis emendare cœpit. Ex illo tempore vera & ſincera doctrina Evangelii ſine ullo humanarum traditionum ac corruptelarum fermento in omnibus totius urbis templis ſemper hactenus fuit populo propoſita, ſuccedentibus in miniſterio ſerie non interruptâ viris eruditione & pietate Clariſſimis, ex quibus mihi noti fuêre M. Fridericus Abſtorffius, M. Andreas Leopoldi Superintendentes & Concionatores aulici; M Bartholomæus Bertramus, Andreas Brandes, Johannes Arndius, Bartholdus Velſteinius, M. Georgius Schollius (à quo ſacris Chriſtianis initiatus ſum) Johannes Weidlingius, Jacobus Apelius & alii complures, qui poſtquam ſuâ ætate inſervierunt Dei conſilio, piè placidèq; obdormiverunt & appoſiti ſunt Patribus ſuis uti Actor. 13. v. 36. Spiritus S. de piorum obitu loquitur: Qui in [illegible] & Miniſterio illis ſucceſſerunt, & adhuc Dei gratiâ vivunt, non minoribus Spiritus S. donis ornati ſunt, nec minore cum fructu opus Domini faciunt præclaræ eruditionis cum vera pietate, humanitate & modeſtia conjunctæ laude omninò digniſſimi. Si à Templis ad Curiam nos conferamus, deprehendemus in ea civitatis regimini hactenus præſediſſe & adhuc præſidere viros ætate, prudentiâ, autoritate & experientiâ ſpectatiſſimos juſtitiæ Præſides, cultores & defenſores vigilantiſſimos, qui civium ſalutem omnium ſuorum conſiliorum

& actio-

& actionum legem ſupremam ſibi ſtatuerunt, ac totis eò allaborant viribus, ut Remp. patriam, quam à Majoribus florentiſſimam acceperunt, in eodem ſtatu poſteris relinquant. Conſulatum meo tempore geſſerunt Ambroſius Rühelius, Petrus Sichelingius *(qui ex ſacro Baptiſmatis fonte me ſuſcepit)* Nicolaus Tulichius, Johannes Steinackerus, Lotharius Lûderus *omnes* ἐν τῷ ἁγίῳ, *illi Vobis viri Ampliſſimi, tibi inquam* Dn. Nicolae Schultzi, *Tibi* Dn. Chriſtophore Norice, *ac Tibi* Dn. Bodo Bluethi *& Collegis veſtris honoratiſſimis lampada regiminis civici tradiderunt, unde vobis nihil magis in votis optatisq; quàm ut laudatiſſimis Anteceſſorum veſtigiis fideliter inſiſtentes civium ſalutem & incolumitatem ſartam tectam conſervetis, quâ in re etiam votis ac conſiliis veſtris feliciſſimus reſpondet eventus. Reip. enim fidei veſtræ commiſſæ navem ita gubernatis, ut nec in eâ dirigendâ prudentia, nec in ſuſtinendis laboribus* φιλοπονία, *nec in ſuſtinendis adverſis patientia, nec in recto curſu tenendo animi præſentia cuiquam Veſtrûm unquam probari poſſit defuiſſe. De Te Conſultiſſime Dn.* D. Johannes Müllere *quid dicam? ultra tres annorum decurias Syndici munere in patria Rep. tantâ induſtriâ, ſolicitudine & dexteritate fungeris, ut parem hac in re ſucceſſorem vix videaris habiturus, ſuperiorem certè neminem. Tuum in evolvendis Theologicis ſcriptis ſtudium indefeſſum, de rebus ſacris & politicis judicium accuratum, erga Eccleſiarum & Scholarum Miniſtros ac quosvis eruditos affectum intemeratum nemo ignorare poteſt, cui animus, vita, mores & actiones tuæ paulò penitiùs ſunt perſpecta. Si ex Curia ad Scholam tranſeamus, ac ſuperiorum temporum Hiſtoriam paululum perluſtremus, deprehendemus ex Quedlinburgenſi Schola velut ex equo Trojano innumeros rei literariæ milites togatos prodiiſſe, quorum opera Eccleſiæ & Reip. fuit maximè ſalutaris & frugifera. Rectores ſemper habuit eruditione Clariſſimos, formandæ juventutis artifices inſignes, inter quos velut duæ faculæ & olivæ eminent* Baſilius Faber *Theſauri eruditionis Scholaſticæ editione per totam Europam notus &* M. Henricus Faber, *ſub cujus diſciplina meam quoq; pueritiam & adoleſcentiam exigere mihi contigit, cujus imaginem ad vivum expreſſam ob eximia in Scholam & univerſam civitatem merita in ipſo choro Benedictini templi collocari Vos viri Ampliſſimi haud præter rationem curâſtis. Memini ipſo peſtis tempore An. 98. piè defuncto ſedecim Doctores numerari potuiſſe, qui ipſius inſtitutioni magnam eruditionis ſuæ partem ſeſe acceptam ferre haud inviti fuerint confeſſi. Qui magnis illis Scholaſticæ juventutis formatoribus in docendi officio ſucceſſerunt, eidemq; adhuc præſunt, commiſſi muneris ſui partes gnaviter implere ac Anteceſſorum ſuorum laudem conſequi etiam ipſi ſatagunt. Si ex Schola in privatas civium ædes nos conferamus, occurret animis atq; oculis noſtris patrumfamiliâs in veræ doctrinæ ſtudio conſtantia, ſingularis erga Miniſterium obſervantia, erga Magiſtratum obœdientia, erga pauperculos Scholaſticos gratis alendos beneficentia, in liberis piè erudiendis, iisq; in diſciplina & correptione Domini educandis diligentia, ut de candore in converſatione familiari & juſtitiâ in contractibus aliisq; homileticis virtutibus nihil quicquam ulteriùs addam. Quamvis enim ut in roſeto ſpinæ & urticæ, ita quoq; in Reip. corpore ſemper inveniantur vitioſi aliqui humores & vomicæ, tamen cùm providâ veſtrâ, Viri Ampliſſimi, curâ & vigilantiâ illis quantum quidem fieri poteſt, malis occurratur, ideò reliquis ad virtutem natis & formatis civibus iſtud fraudi eſſe & laudi ipſorum aliquid detrahere minimè convenit. Meritò igitur Vobis, Conſules, honoratiſſimi & Senatores Spectatiſſimi de illius Reipubl. patriæ hactenus à me utcunq; deſcriptæ imperio, mihi verò de ejusdem (ratione nativitatis & educationis) conſortio ex animo gratulor. Neq; ab ullo homine mihi vitio verti poſſe exiſtimo, quòd in debitam patriæ laudem, quæ me naſcentem ſinu ſuo excepit, in qua infantia mea vagiit, pueritia luſit, juventus educata eſt, in qua longâ ſerie cognatos, amicos, ſodales, imò & patronos numerare poſſum, hæc qualiacunq; præfari voluerim. Plura ſunt & majora, quæ patriæ huic meæ benigniſſimus Deus conceſſit bona, quàm ut dignè à me poſſint recenſeri, prædicari, æſti-*

ri, æſtimari. Vobis autem viri Ampliſſimi hanc Exegeſin primi Locorum Theologicorum Tomi inſcribere volui, tum ut meum erga Rempubl. patriam & vos ejusdem Præſides affectum publicè teſtatum redderem, tum ut pro veſtro favore, honore & amore, quin & pro beneficiis tum mihi tum propinquis meis partim vitâ functis, partim adhuc viventibus πιω μίτςῳ à V. Ampl. & Spect. hactenus præſtitis aliquod duntaxat grati animi indicium exhiberem, tum ut debito illo, quo patriæ & vobis ejus Antiſtitibus ex promiſſo jampridem obſtrictus teneor, qualicunq; hac monetâ, cùm in officina mea literaria meliorem cudere non potuerim vel tandem me exolverem. Deum bonitate optimum, potentiâ maximum, ſupplicibus oro gemitibus, ut bona, quæ in patriam hanc noſtram contulit uberrima, jubeat ipſi eſſe ſi non perpetua, cùm in rebus humanis nihil ſit perpetuum, tamen diuturna, eademq; quotidie augere non ceſſet, ac vobis, Viri Clariſſimi, omnibus ac ſingulis pacatam regiminis tranquillitatem, vitæ longævitatem, conſtantem ſanitatem, omnem animæ atq; corporis proſperitatem ac tandem exacto hujus vitæ curriculo æternam felicitatem benigniſſimè largiatur. Dab. Jenæ Cal. Aprilis Anno 1625.

V.V. Amplit. & Spectab.

Studioſiſſimè obſervans, amans, æſtimans,

Joh. Gerhard. D.

DE

PROOEMIUM DE NATURA THEOLOGIÆ,

I.

TRadituri προλεγόμενα Locorum Theologicorum in tomis vel conciſiùs expoſitorum vel penitùs prætermiſſorum, proœmij loco de *Natura Theologiæ* quædam præmittemus, uſitatæ inſiſtentes methodo, ut primò ὀνοματολογίαν, poſteà πραγματολογίαν explicemus, ὀνόματα enim dicta putantur quaſi νοήματα, cùm *à vocum uſu ſepè provehamur in rei ipſius perceptionem.* Scal. exerc. 1. ſect. 1. *& ex nominis interpretatione faciliùs rei ratio nota fiat.* Idem lib. 1. de ling. Lat. cap. 4. ex quo concludit, *à nominibus in diſciplinarum tractatione eſſe auſpicandum* exerc. 359. ſect. 1.

1. De ὀνοματολογίᾳ Theologiæ, ad quam pertinet 1. ἐτυμολογία.

2. Ad ὀνοματολογίαν pertinet 1. ἐτυμολογία. Franc. Junius de Theol. cap. 1. & Sohnius tom. 1. oper. p. 66. Theologiam dictam putant, quòd ſit *ſermo Dei de ſeipſo*, ſed rectiùs judicatur dicta, quòd ſit λόγος περὶ τοῦ θεοῦ ἢ περὶ τῶν θείων, *doctrina de Deo ac rebus divinis*, ſicut Aſtrologia eſt non aſtrorum, ſed de aſtris ſermo. Auguſt. lib. 8. de civ. Dei cap. 1. *Theologia aut ſermonem Dei, aut de divinitate ſermonem rationemq́; ſignificat.* Quibuſdam dicta judicatur quaſi λογίων θεοῦ γνῶσις, ex Rom. 3. v. 2. cùm ſit oraculorum divinorum cognitio, rerum divinarum ſapientia, de Dei eſſentia, voluntate, operibus & beneficiis erga Eccleſiam nos inſtruens. Sed prior etymologia eſt concinnior. A Deo denominationem accepit, 1. *ratione cauſæ efficientis principalis*, quia eſt doctrina divinitùs patefacta. 2. & quidem cumprimis *ratione materiæ ſive objecti*, quia de Deo & rebus divinis tractat. 3. *ratione finis & effectus*, quia homines divinos, ſive *Naturæ divinæ conſortes facit* 2. Pet. 1. verſ. 4. Pulcrè Thomas p. 1. q. 1 art. 7. & Albertus 1. ſent. diſt. 1. art. 2. Theologia *à Deo docetur, Deum docet & ad Deum ducit*, quare à Deo rectè denominationem accepit.

3. Quamvis verò hæc appellatio ſit ἄγραφος, in Scripturis tamen occurrunt. 1. *ejus concretum*, videlicet nomen Theologi, quod extat in titulo libri Apocalypſeos, ubi Johannes Apoſtolus per ἀντονομασίαν, ſive κατ' ἐξοχὴν *Theologus* nominatur, quo encomio etiam ipſum ornant Epiphanius hæreſ. 51. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 12. Cyrill. Alexandr. lib. 3. de Trinit. Athanaſius in orat. contra idola Chryſoſt. proœm. in Pſal. 37. &c. 2. *ſimplicia vocabula*, ex quibus componitur, videlicet λόγος τοῦ θεοῦ καὶ λόγια θεοῦ Rom. 3. v. 2. 1. Pet. 4. v. 11. Heb. 5 v. 12.

2. ὁμωνυμία.

4. 2. ὁμωνυμία. In prophanis ſcriptoribus Theologi nomen tribuitur Philoſophis & Poetis, teſte Lactantio lib. de ira Dei cap. 11. Nazianzeno orat. 2. p. 22. Auguſtino lib. 18. de civit. Dei c. 14. ſicut etiam Apoſtolus Epimenidem Poetam Græcum vocat Gentilium *Prophetam* Tit. 1. v. 11. quia à Cretenſibus inter fatidicos fuit habitus, cui etiam poſt mortem ſacrificarunt, (Diogene Laertio teſte) ac prima Philoſophia ſive Metaphyſica, quatenus de naturali Dei cognitione tractat, Theologia appellatur à Platone lib. 2. de Republ. & Ariſtotele 10. Metaphyſ. c. 6. ſed hoc loco in ſignificatione longè diverſa accipitur, videlicet pro doctrina, quæ ex revelatione eſſentiæ & voluntatis divinæ in verbo tradita, eſt extructa. Hoc ſenſu quidam monent, Theologiæ nomen tripliciter accipi, 1. pro fide & religione Chriſtiana, quæ omnibus fidelibus, doctis æquè ac indoctis communis eſt, ut ſic Theologi dicantur, quicunq; norunt fidei articulos, iiſque aſſentiuntur, Chryſoſt. homil. 5. in 2. Theſ. 3. *Quisq; veſtrûm, ſi volet, doctor eſt, ſi non alterius, tamen ſui ipſius.* 2. pro functione Miniſterij Eccleſiaſtici, quo ſenſu omnes Miniſtri verbi dicuntur Theologi. 3. pro accuratiore divinorum myſteriorum cognitione, quâ ratione Theologi dicuntur, qui poſſunt veritatem divinam ſolidè ſtabilire, eiq́; oppoſitam falſitatem potenter deſtruere, δυνατοὶ καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, Tit. 1. v. 9. quæ tamen non ſunt diverſæ Theologiæ ſpecies, ſed diverſæ unius vocabuli ſignificationes. Græci Patres ſpecialiter hoc nomine utuntur pro doctrina de Filii divinitate, ſicut doctrinam de Filij incarnatione & humanitate vocant οἰκονομίαν.

3. συνωνυμία.

5. 3. Συνωνυμία. Theologia à priſcis Rabinis vocatur חָכְמָה, à Patribus θεοσοφία, & ſimpliciter σοφία ex Job. 28. v. 28. 1. Cor. 2. v. 6. Jac. 1. v. 5. Confer Auguſt. lib. 14. de Trin. cap. 1. Item θεοσέβεια ex 1. Tim. 2. v. 10. quas inter appellationes

ita diſtinguunt, ut θεοσοφία propriè verum Dei ſenſum, θεοσέβεια rectum Dei cultum denotet. Ex Luc.1.v.47. vocari poteſt γνῶσις σωτηρίας, ex 1. Cor.2.v.7. σοφία ἐν μυστηρίῳ ex 1.Cor.12.v.8. λόγος σοφίας ex 2. Cor.4.v.6. γνώσεως τῆς δόξης τοῦ θεοῦ ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ [ex quo loco Alex. Alenſ.p.1.q.1.membr.3. eam vocat *ſcientiam de ſubſtantia divina cognoſcenda per Chriſtum in opere reparationis*] ex Col.1.v.9. ἐπίγνωσις τοῦ θελήματος τοῦ θεοῦ ἐν σοφίᾳ καὶ συνέσει πνευματικῇ, ex v.10. ἐπίγνωσις τοῦ θεοῦ, ex 1.Tim.3.v.16. εὐσέβεια, ex Tit.1.v.1. ἐπίγνωσις τῆς ἀληθείας κατ' εὐσέβειαν, quæ eſt pulcerrima & pleniſſima ejuſdem paraphraſis. A quibuſdam veterum vocatur θεοδιδασκαλία, θεογνωσία, θεοῦ γνῶσις. Lactant. lib. 2. Inſt.c.16.

6. Ad Συνωνυμίαν etiam pertinent encomia & elogia, quæ Theologiæ à veteribus tribuuntur. Itemq; ſimilitudines, quibus ejus dignitatem & præſtantiam illuſtrant. Chryſoſtomus eam comparat *ampliſſimo palatio*, in quo ſunt altæ turres, cubicula, horti &c. ut & *agro fertiliſſimo omnibus floribus ornato*; Ambroſius *mannæ, quæ habebat in ſe omne delectamentum*; Auguſtinus *cælo*; Damaſcenus *terreſtri Paradiſo. & ligno vitæ &c.* Diadochius de perfect.ſpir.c.67. tom. 5. Biblioth. Patrum p.465. *Omnia dona Dei ſunt valdè bona, & omnium bonorum cauſa, ſed nullum ita cor noſtrum inflammat, & illud ad amandum bonitatem ejus excitat, ut donum Theologiæ. Cùm enim ſit fœtus matutinus gratiæ Dei prima etiam dona largitur animæ. Primùm enim facit, ut libenter ac jucundè omnes vitæ hujus amicitias contemnamus, ut qui pro cupiditatibus fluxis divitias verbi Dei majores, quàm dici poteſt, habeamus, deinde mentem noſtram igne Naturam mutante colluſtrat, unde conſortem miniſtrantium Spirituum eam facit.*

2. De τοῦ ὅτι. An ſit Theologia. 7. In πραγματολογίᾳ primo loco occurrit quæſtio, *An ſit Theologia*, ad quam affirmativè omninò reſpondendum. Eſſe enim Theologiam, docet 1. Cauſa efficiens in actu poſita, divina ſcilicet revelatio, quæ Theologiæ eſt principium. 2. Ipſius Dei Natura, is enim cùm ſit ſummum bonum ac proinde ſui communicativum ac diffuſivum, ideò etiam notitiam ſui creaturis rationalibus ad ſalutem ipſarum communicat. 3. Finis creationis. Ideò enim Deus creaturas rationales condidit, ut ab illis agnoſceretur & celebraretur, tùm in hac, tùm in futura vita. 4. Principia menti humanæ naturaliter inſita, quæ docent; eſſe Deum, eundemque eſſe colendum. 5. Conſenſus omnium gentium. Quãvis enim Gentiles extra Eccleſiam à verâ Theologiâ plurimùm aberrarint, eſſe tamen Theologiam, ſtudio eam ſectandi comprobarunt.

3. De τοῦ τί ἐστι. Quodnam ſit genus Theologiæ. 8. Integra & plena definitio Theologiæ ſuum inferiùs habebit locum, hîc de genere Theologiæ proximo diſpiciendum fuerit. De eo verò operosè diſputant Scholaſtici: Quidam volunt eſſe *ſcientiam*, ut Thomas cum ſuis aſſeclis 3. ſent. diſt. 33.q.1.art.2. q. 4. quibus reliqui hæc opponunt fundamenta: 1. Credere & ſcire ſunt maximè diſparata, Scientiæ enim certitudo ab internis & inhærentibus principiis, fidei verò ab externis, videl. ab autoritate revelantis pendet, Auguſt.lib.2.de ordine c. 5. *Quod credimus, debemus autoritati, quod intelligimus, rationi.* At Theologia eſt doctrina fidei Johan. 20. v.31.2. Cor.5.v.7. 2. De ſcientiis ex ratione ſubjectorum ſtatuendum 1. poſter. text. 43. Subjectum Theologiæ eſt Chriſtus, cujus cognitio ſcientifico modo haberi nequit, ſed ex divina revelatione eam peti oportet Matth.16.v.17. 1.Cor.2. v.7. Ergo Theologia non eſt ſcientia. 3. Cujuſvis ſcientiæ principium eſt intellectus, quando ex principiis aptè cognitis ad ſcientiam concluſionum devenitur.1.poſt.text.5. At in Theologia intellectus non eſt principium, ſed finis. Auguſt.lib.15.de Trin.c.2. *Credimus ut intelligamus, non intelligimus, ut credamus*, quod pij veteres probare ſolent ex Eſa. 7.v.9. ubi juxta vulgatam tranſlationem ſic legitur: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Gerſon meliori ſenſu, quàm metro inquit: *Vult intelligere prius, & poſt credere quisquis. huic ſacra Scriptura nil niſi ſcandala dat.* Ergo. 4. Scientiis ratiocinãdo inventis poteſt ſubeſſe falſum, quia diſcurſus æquè ſuſcipit falſum, ut opinio 2.prior c.21. At fidei nõ poteſt ſubeſſe falſum, ut docet Thomas 2.2.q.1.art.5.

9. Relictâ igitur Thomæ ſententiâ reliqui ſtatuunt, Theologiam propriè eſſe *ſapientiam*, 1. ex Natura ſapientiæ. Philoſophus dicit, eam eſſe omnium cognitionum exactiſſimam. lib.6. Ethic.c.7. ac præſtantiſſimam lib. 6. metaphyſ. text.2. Talis verò eſt Theologia. 2. ex definitione Plato lib. 6. de Republ. ſapientiam dicit eſſe *veram Dei cognitionem; cum puro ejus cultu & religione conjunctam.* Lactant. lib. 3. Inſtit.c.29. *Omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt, ut Deum cognoſcat & colat, hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt.* Idem lib. 4. Inſtit.c.4. *Idem Deus eſt, qui & intelligi debet, quod eſt ſapientiæ; & honorari, quod eſt religionis. Sed ſapientia præcedit, religio ſequitur, quia prius eſt Deum ſcire, conſequens colere, ita in duobus nominib. una vis eſt, quamvis diverſa eſſe videatur.* Aug. lib. 2. de lib.arbit.c.9. *Sapientia eſt veritas, in qua cernitur ſummum bonum*, unde lib.14. de Trinit.c.1. ſcribit: *Theologiam eſſe ſolam piam, veram ac divinam ſapientiam.* 3. ex conditionib. ſapientię, quarũ ſex enumerat Philoſophus 1. Metaphyſ.c.2. 1. *omnia ſcire. 2. difficilima ſcire. 3. certò ea ſcire. 4. cauſam ſcire cauſarũ. 5. eſſe gratiâ ſui. 6. ordinare & non ordinari.* At hæ conditiones Theologiæ competunt.

10. Fatemur ſanè, ſi genus quoddam ex habitibus intellectualibus ab Ariſtotele enumeratis, Theologiæ tribuendũ, inter omnes ſapientiam ad ejus Naturam proximè accedere, interim ſi abſolutè conſideretur, rectiùs definitur per habitum θεοδίδακτον, quàm per genus ex habitibus intellectualib. Ariſtotelicis deſumtum, cùm monente Savanarolâ lib. 3. de ſcient. diviſ. p. 800. *potiùs puritate cordis, operibus bonis, contemplatione & Spiritus ſancti illuſtratione, quàm vi ingenij addiſcatur*, quod ex Johan.6.v.45. ibidem probat.

11. Cæterùm cùm ſapientia alia ſit *contemplativa*, cujus finis veritas, alia *activa*, cujus finis opus, inde ulteriùs quærunt Scholaſtici: An Theologia ſit *contemplativa*, an verò *practica*, ubi denuò opinionibus plurimùm diſcrepant. Scotus in prolog. 1. ſent.q.4. vult eſſe *practicam*. Eum ſequitur Greg. de Arimino q.5.art. 4. Sed Marſilius q.3.art.5.concl.3.& 4. vult eſſe *ſpeculativam*. Bonavent.q.3. Albert.1.ſentent. 1. diſt.1. art. 4.& alij ſtatuunt, nec ſpeculativam nec practicam eſſe, ſed *affectivam*. Godofredus quod

lib.13.

lib.13. q. 1. vult eſſe *ſpeculativam & practicam ſimul.* Thomas part.1.q.1.art.4 hoc concedit, ſed addit, eſſe *magis ſpeculativam.* Richard. de media villa q.4. eſſe *magis practicam.* Eadem eſt ſententia Thomæ de Argentina q.4.art.2.

12. Poſtremã hanc ſententiam reliquis præferimus, eamq; veritati magis conſentaneam judicamus, cùm finis Theologiæ ultimus non ſit nuda γνῶσις, ſed πρᾶξις, ac proinde omnia, quę in Theologia traduntur, ad πρᾶξιν ſpectent, ſi non immediatè & directè, tamen mediatè & indirectè. Matth.7.v.21. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt.* Conf.v.24.25.26.& 27. Luc.6.v.46. *Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis, quæ dico?* Joan. 13.v.17. *Hæc ſi ſcitis, beati ſi feceritis.* 1.Cor. 4.v.20. *Non in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.* 1. Timot. 1.v.5. *Finis præcepti eſt charitas, ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non fictâ.* Hûc referenda ſunt dicta piorum veterum. Juſtinus in paræn. p. 25. *Non in verbis, ſed in factis res noſtræ religionis conſiſtunt.* Chryſoſt. hom.3.in 1.Cor. *Optimus Syllogiſmus in Theologia eſt Syllogiſmus operum.* Aug. lib.1. de doctr. Chriſt. c.4. *Univerſa Theologia eò ordinatur, ut Deo fruamur.* Jam verò frui eſt actus voluntatis, non intellectus. Theodoret. lib.12. de curand. Græc. affection. ſtatim in prĩnc. *Maximum bonum eſt rerũ divinarum cognitio. Neq; verò ſatis hæc eſt, quæ conſummatum hominem reddat, quaſi ea factus ſit dignus, oportet n. bonas rerum functiones ad cognitionem ſcientiamq; adjungere.* Et poſteà: *Oportet non ſolùm ſcire, quid de Deo ſentiendum ſit, verùm etiam ad illius leges vitam, moreſq; inſtituere. Sicut n. qui picturã, quive ſutoriam vel aliam quamvis artem perdiſcunt, non ut ſolam earum rationẽ teneant, illis dant operam, verùm multò magis, ut eas manibus ſuis exerceant, ſeq; opere aliquo magiſtrorum imitatores oſtendant: ita decet operarios pietatis non ſolùm Theologiam rationemq; Naturæ, ſed practice quoq; virtutis leges ac inſtituta perdiſcere.* Alex. Alenſis p.1.q.1.membr.4.art.2. *Theologia magis eſt virtutis, quàm artis, ſapientia magis quàm ſcientia, magisq; conſiſtit in virtute & efficacia, quàm in contemplatione & notitia.* Bonavent. in prolog. q.3. *Theologia eſt gratia contemplationis, & ut boni fiamus, principaliter tamen, ut boni fiamus.* Gerſon. lib. 4. de cõſol. proſ. 4. *Sicut apud Ciceronem orator deſcribitur, quòd ſit vir bonus dicendi peritus: ita Theologum nominamus virum bonum in ſacris literis eruditum, non quidem eruditione ſolius intellectus, ſed multò magis affectus, ut ea, quæ per Theologiam intelligit, traducat per jugem ruminationem in affectum cordis & executionem operis.*

De diviſione Theologiæ. 13. Theologia diſtinguitur *in veram & falſam.* Vera Theologia veram veri Dei cognitionem, falſa opiniones falſas de Deo in animis Gentilium luce verbi deſtitutorum complectitur. Lutherus in enarrat. Pſal.31.tom. 4. Lat.fol. 383. *De Deo cogitat & loquitur non tantùm populus Dei, ſed & populus Diaboli.* Notandum tamẽ, *Theologia falſa.* falſam Theologiam non niſi ὁμωνύμως καὶ οἰομένως æquivocè & putativè Theologiam vocari, juxta Gentilium ſcil. opinionem, non autem ὄντως juxta rei veritatem. Quando igitur Theologia in veram & falſam diſtinguitur, tùm iſtud fit magis per remotionem unius membri, ut falſa Theologia à vera & propriè ſic dicta removeatur, quàm per poſitionem duarum æqualium ſpecierum unum genus ὁμωνύμως participantium, atq; ejuſmodi eſt diviſio, ac ſi quis hominẽ in verum & pictum ſive mortuum diſtinguat.

14. Falſa Theologia ſubdiſtinguitur *in vulgarem & Philoſophicam.* Vulgaris vocatur, quæ in principiis Naturæ noſtræ imperfectis ſubſidens non aſſurgit altiùs per ratiocinationẽ. Philoſophica, quæ ratiocinationis errore in falſas concluſiones diffluxit Rom.1.v.21. ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν. Poſterior ratione objectorũ apud Gentiles erat duplex. Quædam n. de Diis propriè ſic dictis tractat & ſpecialiter Theologia vocatur, quædam verò de Dæmonib. agit. Aug. lib.9. de civ. Dei c.1. Theologiæ peculiariter ſic dictæ tria conſtituebant genera. Unum μυθικὸν ſeu ἱστορικὸν, alterum φυσικὸν ſeu μυστικὸν, tertium πολιτικὸν, ex quo fonte Theologia *fabuloſa, naturalis & civilis* profluxit. Quæ Dæmonum vim explicabat, alia dicebatur μαγεία καὶ γοητεία, quæ nempe de Dæmonibus malis placandis & averruncandis agebat, alia θεουργία καὶ τελετὴ, quæ Dæmones bonos ſacrificiis alliciebat & invitabat. Vide Euſeb. lib. 4. de præparat. Evangel. Auguſt. lib. 6.7.& 8. de civit. Dei. Cœl. Rhodigin. lib.1. lection. antiq. cap.33. lib.5. cap.42. Ludov. Viv. lib.10. Auguſt. de civit. Dei c.9. ubi haſce Theologiæ Ethnicæ ſpecies recenſent & refellunt.

15. Vera Theologia conſideratur *in ſe vel in* *Theologia vera.* *ſubjecto, abſolutè vel relatè.* Ex hoc fonte profluit diſtinctio in Theologiam ἀρχέτυπον καὶ ἔκτυπον. Ἀρχέτυπος ſeu πρωτότυπος eſt in Deo creatore, quâ Deus ſeipſum novit in ſeipſo, & extra ſe univerſa per ſeipſum actu ſcientiæ individuo & immutabili. Hæc Theologia in creatore eſt ἄκτιστος καὶ οὐσιώδης increata & eſſentialis, infinita & exemplaris, ac proinde toto genere differt ab ἐκτύπῳ, quæ eſt συμβεβηκυῖα καὶ κτιστὴ, accidentalis & finita, ac illius quædam ἀπόῤῥοια καὶ ἀπαύγασμα. Ἔκτυπος n. Theologia eſt ex priori quaſi expreſſa & efformata per gratioſam communicationem. Atq; hæc ratione ſubjecti eſt vel in Chriſto capite, vel in ejus membris. Theologia ἔκτυπος in Chriſto homine eſt habitualis ſapientia, perfectiſſimam Dei & rerum divinarum cognitionem complectens, quæ vocatur *Theologia unionis.* Hæc itidem toto genere differt à Theologia in creaturis rationalibus, quia humana Chriſti anima in ipſam τοῦ λόγου ὑπόστασιν aſſumta longè ultra omnium Angelorum & hominũm dignitatem & ſcientiam eſt evecta, unde vocatur planè ſingularis.

16. Ἔκτυπος Theologia in creaturis rationalibus eſt vel *comprehenſorum,* ut loquuntur, ſive *beatorum,* vel *viatorum.* Theologia beatorũ vocatur *Theologia viſionis ac vitæ,* quia in clara & intuitiva Dei notitia, ſive beatificâ viſione in vita æterna beatis communicatâ conſiſtit. Eſtq; vel Angelorum beatorum, qui ſemper vident *faciem Patris cœleſtis* Matth. 18. v.10. vel hominum beatorum, qui Deum *à facie ad faciem vident,* 1. Cor.13.v.12. 2. Cor.5.v.7. 1. Joh.3.v.2. De Angelorum & hominum beatorum Theologia in hujus vitę caligine parùm ſcire ac diſſerere poſſumus. Eleganter de ea Auguſt. lib.13. Confeſſ. c.15. ſcribit: *Vident faciem tuam ſemper, & ibi legunt ſine ſyllabis temporum, quid velit æterna*

voluntat tua, legunt, eligunt, diligunt, ſemper legunt, & nunquam præterit, quod legunt, eligendo etiam & diligendo legunt ipſam incommutabilitatem conſilii tui. Hæc beatorum Theologia à Theologia viatorum ſic diſtinguitur, quod illa ſit *permanens*, hæc *tranſiens*; illa *perfecta*, hæc *imperfecta* 1.Cor.13.v.9. [Quidam ἄπταυτος Theologiam ſic diſtinguunt, quòd alia ſit Angelorum, alia hominum, & quidem vel in hac vel in futura vita. Sed res eodem recidit.]

17. Theologia viatorum vocatur *Theologia revelationis & viæ*, eſtq; ſapientia divina ſive notitia rerum divinarum hominibus in hac vita à Deo communicata. Communicatur autem tùm per lumen Naturæ, & vocatur *Theologia naturalis*, tùm per lumen gratiæ in verbo revelato accenſum, & vocatur *Theologia ſupernaturalis, arcana ſive gratioſa.* Tertullianus lib.1.contra Marcion.p.175. *Nos definimus Deum primò Naturâ cognoſcendum, deinde doctrinâ recognoſcendum; Naturâ ex operibus, doctrinâ ex prædicationibus.* Aug.lib.8.de civit.Dei c.1. Theologiam dividit *in naturalem & revelatam*, ubi revelationis nomine utitur in ſtrictiore ſignificatione pro revelatione facta in verbo, in generali ſignificatione, revelatio etiam naturali Theologiæ communis eſt Rom.1.v.19. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ *manifeſtum eſt in eis, Deus enim illis revelavit.* Theodoret.ſerm.3.de cur.Græc.affect.fol.38. τὰ ἀληθῆ θεολογίας καὶ ἡ φύσις ἐξ ἀρχῆς παρέδωκε, καὶ τὰ θεῖα ὑστέρῳ ἐκράτυνε λόγια. Theologia naturalis eſt vel *ἔμφυτος naturaliter inſita*, quæ complectitur κοινὰς ἐννοίας nobis innatas, tùm Theoreticas, quòd ſit Deus, quòd ſit juſtus, quòd ſit bonus &c. tùm practicas, quòd Deus ſit colendus; vel ἐπίκτητος acquiſita, quæ ex contemplatione creaturarum & operum divinorum intuitu colligitur. Rom. 1. v. 20. τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται. Theologia naturalis ante lapſum fuiſſet longè perfectior & illuſtrior, quàm eſt hodiè poſt lapſum, vix enim tenues quædam reliquiæ ac ἐναύσματα divinæ imaginis ſuperſunt, ex quibus ut & ex inſpectione creaturarum aliquid de Deo & rebus divinis cognoſci poteſt, unde Alex. Alenſis dicit p.1.q.2.membr.3.art.2. *Deus per creaturas cognoſcitur ut per ſpeculum, per verbum ut per lucem.* Thom.p.1.q.1.art.1. *Veritas de Deo per rationem inveſtigata à paucis & per longum tempus & cum mixtione multorum errorum homini provenit.* De hac Theologia naturali in articulo de Deo in cap. de notitia Dei naturali pluribus agetur. Theologia ſupernaturalis ex lumine gratiæ orta acquiritur vel modo extraordinario per immediatam Dei illuminationem & inſpirationem, ut in Prophetis & Apoſtolis, vel modo ordinario per orationem, meditationem, tentationem, &c. Ad meditationem pertinet diligens & ſedula Scripturæ ἐρεύνησις ſive perſcrutatio, ſtudium linguarum, quibus V. ac N. ſcriptum eſt Teſtamentum, lectio interpretum, exercitia diſputationum atq; alia adminicula ſuo loco enumerata. Hoc loco agimus de Theologia vera, ἐκτύπῳ in hominibus viatoribus ex lumine gratiæ in verbo patefacto accenſa, & modo ordinario communicata. Eam quidam diſtinguunt in *Theoreticam*, quam vocant θεωρίαν Dei cognitionem, ac θεολογίαν ſpecialiter ſic dictam; & *practicam*, quam vocant θεοσέβειαν ac Dei cultû, ſed quid de hac diſtinctione ſtatuendum ſit, ex ſuperioribus patere poteſt.

18. *Cauſa efficiens Theologiæ ſupernaturalis* eſt divina revelatio in verbo patefacto tradita. Proinde cauſa efficiens principalis eſt Deus revelans Matth.11.v.27.c.16.v.17.1.Cor.2.10. Cauſa inſtrumentalis eſt verbum divinæ revelationis medium. Quemadmodum antem duplex eſt hominis verbum. 1. internum ac ἐνδιάθετον, quod in mente latet, & eſt quaſi mentis quædam ſoboles: dicitur etiam λόγος ἔσω. 2. externum καὶ προφορικόν, λόγος ἔξω dictum, quod exterius profertur: idque iterum duplex eſt, vel enim ore profertur ac internas mentis cogitationes ἀποκαλύπτει, vel in charta deſcriptum extat, ἔστι μὲν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ, ait Philoſophus, περὶ ἑρμηνείας c.1. Sic Deus ad cujus imaginem homo factus eſt, itidem duplex habet verbum 1. *internum & æternum*, quod ex ipſius ſubſtantia ab omni æternitate eſt genitum, quod eſt verbum ὑφεστὸς, ὑποστατικόν, quo ipſo à verbo hominis longiſſimo intervallo diſtinguitur; 2. *externum*, quo in tempore homines alloquitur, & quidem tum per afflatum ſive inſpirationem internam, quæ complectitur immediatam ἔλλαμψιν, tum per ſermonem externum, eundemque vel immediatè vel mediatè per Angelos & homines ſuos præcones & miniſtros prolatum; vel in Scripturas redactum, quod vocatur verbum Dei ſcriptum ſive Scriptura ſacra. Sed hæ diſtinctiones non faciunt eſſentialem aliquam differentiam inter verbum Dei hominibus communicatum, ſed tantùm diſtinctos communicationis & revelationis modos exprimunt. Unum n. idemq; Dei verbũ ac conſilium de ſalute noſtra eſt, quod revelatum & communicatum fuit Prophetis & Apoſtolis per immediatam illuminationem & inſpirationem; illis, quos Prophetæ & Apoſtoli in his terris adhuc viventes docuerunt, per vivæ vocis prædicationẽ; nobis per Scripturæ lectionẽ & meditationẽ hodiè cõmunicatur.

19. Ex eo ϕορισματικῶς colligimus, principium Theologiæ ſupernaturalis adæquatum, & proprium eſſe divinam revelationem, quæ cùm hodiè non niſi in ſacris literis, h.e. in Prophetica V. & Apoſtolicis N.T. libris deſcripta extet, inde ſcriptum Dei verbum, ſive quod idem eſt, Scripturam ſacram dicimus eſſe unicum & proprium Theologiæ principium. Ubi tamen obſervandum, non *de eſſendi*, ſed *de cognoſcendi principio* hic agi. Deus eſt principium eſſendi, & cauſa Theologiæ prima, quippe à quo & finis & media oriuntur, ſed principium cognoſcendi in Theologia eſt Dei verbum. Quidam ex Scholaſticis diſputant, articulos fidei eſſe Theologiæ principia. Tho.p.1.q.1.art.7. Capreol.q.1.prolog.art.1.concl. 5. ſed illis *rectè* ſe opponunt reliqui hoc argumento uſi. Principiata in aliqua diſciplina non poſſunt eſſe ejuſdem principia. Sed articuli fidei ſunt principiata, videlicet concluſiones ex Scriptura deductæ. Ergò non illi, ſed ipſa Scriptura eſt unicum & proprium Theologiæ principium.

20. Probatur id evidenti iſthoc argumento. Cui conveniunt omnes principii proprietates, omnia requiſita, illud etiam meritò ſtatuitur principium. Jam v. Scripturæ ſacræ conveniunt omnes principij in Theologia proprietates. Ergò. Aſſum-

De cauſa efficiente Theologiæ.

gò. Aſſumtum probatur. Principia in qualibet diſciplina debent eſſe *πρῶτα καὶ ἄμεσα, ἀληθῆ, ἀνυπόθετα, αὐτόπιστα, ἀναντίῤῥητα καὶ ἀναπόδεικτα*, adeò ut quicquid illis adverſatur, aut ex iis, quæ eiſdem contraria ſunt, concluditur, nihil eo fallacius omnibus rectè judicantibus appareat, & viciſſim quicquid illis congruit, certum & firmum eſſe omnes ſtatuant. Ariſt. 1. poſt. c. 2. At hæ proprietates omnes & ſingulæ conveniunt ſcripto Dei verbo, & quidem ſoli, ut in articulo de Scriptura latiùs demonſtrabitur. Ergò ſcriptum Dei verbum eſt *μόνον καὶ ἴδιον* Theologiæ principium.

21. Annotabo hac de re egregia dicta Lyrani & Thomæ Aquinatis, quæ contra Pontificios probè notanda & preſsè urgenda. Nicolaus Lyranus in præf. comm. ſuper Tobiam ſic ſcribit: *Sicut in Scripturis Philoſophicis veritas cognoſcitur per reductionem ad prima principia, per ſe nota: ita in Scripturis à Catholicis Dd. traditis cognoſcitur, quantum ad ea, quæ ſunt fide tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ ſunt habita ex divina revelatione, cui nullo modo poteſt ſubeſſe falſum.* Thomas p. 1. q. 1. art. 8. reſp. ad 2. ſic diſſerit: *Argumentari ex autoritate eſt maximè proprium Theologiæ, eò quod principia ejus per revelationem habentur & ſic oportet ut credatur autoritati eorum, quibus revelatio facta eſt. Neque hoc derogat dignitati hujus doctrinæ. Nam licet locus ab autoritate, quæ fundatur ſuper ratione humana, ſit infirmiſſimus: locus tamen ab autoritate, quæ fundatur ſuper revelatione divina, eſt efficaciſſimus. Vtitur tamen ſacra doctrina etiam ratione humanâ, non quidem ad probandam fidem, quia per hoc tolleretur meritum fidei, ſed ad manifeſtandum aliqua, quæ traduntur in hac doctrina. Cum igitur gratia non tollat Naturam, ſed perficiat, oportet ut naturalis ratio ſubſerviat fidei, ſicut & naturalis inclinatio voluntatis obſequitur caritati. Et inde eſt, quod autoritatibus Philoſophorum ſacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem veritatem cognoſcere potuerunt, ut Actor. 17. ſed tamen ſacra doctrina hujuſmodi autoritatibus utitur quaſi extraneis argumentis & probabilibus. Autoritatibus autem Canonicæ Scripturæ utitur propriè ex neceſſitate argumentando, autoritatibus autem aliorum doctorum Eccleſiæ quaſi arguendo ex propriis, ſed probabiliter. Innititur enim fides noſtra revelationi Prophetis & Apoſtolis factæ, qui Canonicos libros ſcripſerunt, non autem revelationi, ſi qua fuit aliis doctoribus facta.* Hiſce Lyrani & Thomæ pronunciatis fortè non immeritò annomeratur illud Bellarmini in præf. controv. primæ generalis ſub finem. *Convenit inter nos & omnes omninò hæreticos, verbum Dei eſſe regulam fidei, ex qua de dogmatibus judicandum ſit, eſſe commune principium ab omnibus conceſſum, unde argumenta ducantur, denique eſſe gladium ſpiritualem, qui in hoc certamine recuſari non poſſit.* lib. 1. de verb. Dei cap. 2. *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſt notius, nihil certius, ut ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illis fidem habendam eſſe neget.*

22. Quando ergo ex Papæ decretis, Conciliorum ſtatutis, Patrum dictis, Eccleſiæ conſuetudine &c. in fidei articulis & concluſionibus Theologicis argumenta petuntur, illa habenda ſunt non ex primariis, ſed ſecundariis & minùs principalibus, de quibus ex unico illo & proprio Theologiæ principio judicandum. Neq; enim ullum concludendi robur obtinent, niſi quatenus cum eo conſentiunt, à quo ſi in diverſum abeunt, omnis collectionis vis in eis protinus expirat. Producimus de ſingulis confeſſionem ipſorum adverſariorum. De Papæ decretis ſic ſcribit Ambroſius Catharinus in comm. Gal. 2. *De quolibet alio Papa præter B. Petrum concluſio ſit. Nihil prohibet Papam errare etiam in fide ac deficere, etiamſi novitii quidam ſcriptores auſi ſint oppoſitum defendere præter communem ſenſum Doctorum.* De Conciliorum ſtatutis ſic ſentit Panormitanus in c. ſignificaſti extr. de electione num. 3. *Concilium poteſt errare, ſicut aliâs erravit &c. Nam in concernentibus fidem etiam dictum unius privati eſſet præferendum dicto Papæ, ſi ille moveretur melioribus rationibus V. & N. T. quàm Papa: Nec obſtat, ſi dicatur, quod Concilium non poteſt errare, quia Chriſtus oravit pro Eccleſia ſua, ut non deficeret, quia dico, quod licet Concilium generale repræſentet totam Eccleſiam univerſalem, tamen, in veritate non eſt verè univerſalis Eccleſia, ſed repræſentativè, quia univerſalis Eccleſia conſtituitur ex collectione omnium fidelium, unde omnes fideles orbis conſtituunt iſtam Eccleſiam univerſalem, cujus caput & ſponſus eſt ipſe Chriſtus, & iſta eſt illa Eccleſia, quæ errare non poteſt.* De Patrum dictis ſic diſſerit Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 12. *Patrum ſcripta non ſunt regulæ, nec habent autoritatem obligandi.* & lib. 3. de verb. Dei c. 10. *Quis negat Patres habuiſſe excellenter donum interpretandi, & tamen præcipuos eorum lapſos fuiſſe.* De Eccleſiæ conſuetudine in jure Canonico diſt. 8. decret. multa adducuntur præclara veterum dicta. c. Veritate ex Auguſtino. *Veritate manifeſtatâ cedat conſuetudo veritati. Planè quis dubitet veritati manifeſtè conſuetudinem cedere? nemo conſuetudinem rationi & veritati præponat, quia conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit.* Confer c. Conſuetudinem. c. Qui contemtâ. c. Fruſtra. c. Conſuetudo diſt. ead.

23. Ex eodem fundamento colligimus in articulis illis, qui ſunt puræ fidei & meræ revelationis non poſſe ex principiis humanæ rationis argumenta formari contra patefactam in verbo divino veritatem, nec debere humanam rationem alterum Theologiæ principium unà cum revelatione in verbo tradita ſtatui. Quamvis n. quædam in Theologia tradantur, quæ ex lumine Naturæ & rationis quodammodo cognoſci poſſint, tamen ad fidei myſteria propriè ſic dicta pernoſcenda humana ratio ex ſuis principiis aſſurgere nequit. & quæcunque per Naturam nota in Theologia traduntur, ea non cogitur aliunde emendicare, ſed ex proprio ſuo principio, videlicet ex Dei verbo ſufficienter ea poteſt demonſtrare. Scal. exerc. 6. ſect. 3. *Artifex ab artifice quæſtiones, enunciata, effata, concluſiones duplici modo accipit. Vnus eſt, cum inferioris cognitio pendet omninò à principiis ſuperioris, quod fit in ſcientiis ſubalternis. Alius modus eſt, cùm artifex ea, quæ ab alio poſita ſunt, admittit, quæ etiam ſine ipſe cognoſceret, ſed non tanquam ſuorum principia, neque perinde ab illo probata, quaſi ipſe probare non poſſit, ſed ut examinet ac judicet.* Poſteriori hoc modo Theologus à Philoſopho quædam accipit, non quaſi abſq; principiis Philoſophiæ

ex Scriptura tanquam proprio & οἰκείῳ ſcientiæ ſuæ principio illud cognoſcere non poſſit, ſed quia in examine ad normam ſui principij veritatem ejus animadvertit. Gerſon. lib. 1. de conſol. Theol. proſ. 1. *Sicut Naturam gratia, ſicut ancillam domina & diſciplinam magiſtra, ſicut tempus æternitas, ſicut ratiocinationem intelligentia, ſicut viſibilia ea, quæ non videntur; ſic Theologia Philoſophiam ſuperat quā non abjicit, ſed in obſequium ſumit. Eſt autem lex æternitatis & ordo, ut ſuprema inferiorum jungantur ad ſuperiorum infima.* lib. 3. proſa 4. *Theologia Chriſtianorum Philoſophiæ doctrinas, ſi vera ſunt, ſi recta, ſi ſalutares, approbat, utens eis jure ſuo & Catholicas reddens; ſi tenebroſiores ſunt; illuminat; ſi noxiis erroribus mixta ſunt, ſeparat precioſum à vili; illud retinens, aliud exterminans.*

24. Præpoſterum igitur eſt concluſionem ἐξ οἰκείων, ex proprio Theologiæ principio videl. ex verbo Dei deductam ἐξ ἀλλοτρίων, ex alieno principio oppugnare, & hac ratione μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος, à Philoſophis ipſis improbatam committere. Agnoſcunt hoc θεωρητικοί, qui nō ubiq; illud obſervant πρακτικοί. Sadeel in præf. operū Theol. de Methodo diſputandi in Theol. p. 7. *Cùm Theologia ſit ſupra omnes ſcientias, eam ſubjici principiis Philoſophicis nō ineptum modò, verum etiam iniquiſſimum ac indigniſſimum eſt.* Idem art. 43. & 44. abjurat. & reſponſ. p. 485. *Cùm Scriptura ſit norma omnis veritatis & æquitatis in rebus ad ſalutem pertinentib. Philoſophia ex Scriptura metienda eſt, nō contra.* Petrus Martyr claſſ. 2. locor. comm. c. 1. §. 25. *Primū id quod credi volumus, oſtendi debet ex ſacris literis, deinde ſi id aſſequi non poſſumus, fide nitemur, rationem ſeponemus.* Suitliv. de purgat. contra Bellarm. c. 18. p. 242. *Cùm fides ſuperet rationē, & ratio in divinis cæca ſit, & parum proſpiciat, nihil aliud h. l. Bellarminus agit, quā ut purgatorium ſuum, quod ratione fulcire nititur, ad fidem non pertinere demonſtret, & ut ſuam cæcitatem, qui tanta luce circumfuſus in tenebris hæret, omnibus palàm faciat.* Mornæus in præfat. lib. de Euchariſt. p. 44 *Thomas doctrinam ſuam directè ad Scripturam reſtringit, quàm hoc ab illis abhorrens, qui ex Philoſophia, aliarumve diſciplinarum principiis diſputare volunt contra illam Logicæ regulam μὴ μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος, ab una ad aliam ſcientiam ne tranſeas, cùm ſecundum verum Logicæ uſum noſtra ratiocinatio è principiis unius ſcientiæ theoremata, ex his corollaria ad eandem pertinentia deducere debeat* lib. 3. de ſacrif. Miſſæ c. 13. p. 1123. *Humanæ rationes in Theologicis, in rebus divinis non magis recipiendæ; quàm Iuriſconſultorum apud Medicos, aut viciſſim, imò eò minùs, quod Theologiæ ſubjectum infinitum ſit, nemini cognitū, niſi quatenus ſeſe retegit, unde & ipſa infinitè & ſupra omnem analogiam cæteris diſciplinis ſupereminear.* Witakerus contra Rainoldum cap. 8. p. 261. *Argumentum illud, quod in rebus fidei & religionis rationi ſoli innititur ingenuè fatemur, in Domini militia telum illicitum eſſe. Quicquid ergo contra Philoſophiam & rationem dixerunt, quando à fide abhorret, quam ex Scripturis diſcimus, totum illud latis animis excipimus.* Confer. tr. de Interpr. Script. §. 172.

6 De Materia & Forma Theologiæ. 25. *Materia Theologiæ* docendi cauſâ ſtatui poſſunt veritates Theologicæ [quas ita vocant Scholaſtici] h. e. principia & concluſiones Theologicæ ex verbo revelato tanquam ex proprio principio deductæ. *Forma* eſt ipſa οἰκονομία ac diſpoſitio illarum veritatum, de qua plurimùm variant tùm veteres tùm recentiores Scriptores. Aug. in Ench. c. 4. & Thomas opuſc. 3. omnia, quæ in Theologia traduntur, revocant ad 3. capita, videlicet *ad fidem, ſpem & charitatem.* Idem Aug. lib. 2. de doctr. Chriſtian. c. 9. dicit, Theologiam continere *regulas credendi* & *præcepta vivendi*, hoc eſt doctrinam de fide & bonis operibus, cum qua diſtributione congruit ea, quâ partes Theologiæ ſtatuuntur duæ, quarum prior exponat *credenda*, poſterior *facienda*; prior verum de Deo ſenſum, poſterior rectum Dei cultum; prior fidem veram, poſterior vitam ſinceram; in priore apprehendatur veritas, in poſteriore exerceatur pietas; in priore Deus noſcatur, in poſteriore colatur; prior diſponat nos in Deum, poſterior in proximum, lib. 83. qq. q. 81. Theologiam conſtare dicit *cognitione Dei & noſtri*, unde quotidiè ad Deum ingemuiſſe dicitur; *Domine, da mihi noſſe te & me.* Quidam duas ejus ſtatuunt partes. Unam de *ſalutis amiſſione*, alteram de *ſalutis reparatione.* Quidam ratione objecti tres Theologiæ partes conſtituunt. Unam *de Deo*; alteram *de Angelis*; tertiam *de hominibus* in ſtatu Naturæ inſtitutæ, deſtitutæ & reſtitutæ conſideratis. Quidam quatuor ejus partes numerant. 1. *De cognitione Dei creatoris.* 2. *de cognitione Chriſti Redemtoris.* 3. *de modo percipiendæ Chriſti gratiæ.* 4. *de externis mediis ad ſalutem ducentibus.* Lomb. in princ. ſent. ſecutus Auguſt. 1. de doctr. Chriſt. c. 2. docet, univerſam ſacram doctrinam eſſe, vel *de rebus vel de ſignis.* Rerum alias docet eſſe *quibus fruendum*; alias, *quibus utendum*; alias, quæ *ipſæ fruuntur & utuntur.* Signorum alia dicit eſſe Vet. alia Nov. T. Noſtram de ſerie Locorum Theologicorum ſententiam expoſuimus diſp. 1. Aphoriſm.

7. De fine Theologiæ. 26 *Finis Theologiæ* eſt vel *principalis* ac ſummus, vel intermedius. Principalis ac ſummus eſt Dei glorificatio, ideo enim Deus in verbo ſuo ſeſe revelavit, ac Theologicam ſapientiam eo fine hominibus communicat, ut ab illis rectè agnitus in hac & futura vita celebretur, colatur, invocetur. Lactant. lib. 4. Inſt. c. 3. p. 195. *Si divinitas, quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficentia genus humanum ſuſtentat, & quaſi paternâ indulgentia fovet, vult profectò gratiam ſibi referri, & honorem dari, nec conſtare homini ratio pietatis poteſt, ſi cœleſtibus beneficiis extiterit ingratus.* Auguſt. de ſpir. & lit. c. 13. *Ipſa eſt illa ſapientia, quæ pietas vocatur, quâ colitur Pater luminum, à quo eſt omne datum optimum & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis actionisq; gratiarum ut cultor ejus non in ſeipſo, ſed in illo glorietur. Intermedius* ac proximus finis eſt vel internus, informatio hominum ad ſalutem æternam, vel externus, ipſa beatitudinis ſeu vitæ æternæ conſecutio. Luc. 1. v. 76. Joh. 5. v. 39. c. 20. v. ult. Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 16. Quæcunq; ergo ad hunc finem non ducunt nec conducūt, ſive directè, ſive ſaltem indirectè, ſive immediatè ſive mediatè, ea non pertinent ad Theologicā γνῶσιν. Hilar. lib. 10. de Trin. f. 228. *Non per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocat, nec multiplici eloquentiæ facundiæ genere ſolicitat. In abſoluto nobis ac facili eſt æternitas, Ieſum ſuſcitatū à mortuis per Deum credere, & ipſum etiam*

Dominum

Dominum confiteri. Ex quo facilè colligitur, quid de quibuſdam futilibus magis quàm utilibus Scholaſticorum quæſtionibus & otioſis ſpeculationibus, quas Apoſtolus vocat μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις 2. Tim. 2. v. 23. ſtatuendum ſit, videlicet quod ad ματαιολογίαν potiùs quàm ad θεολογίαν pertioeant. 1. Timoth. 1. v. 6. Nicolaus Clemangis Magiſter Pariſienſis dixit, *Sophiſtarum doctrinam eandem habere Naturam cum fructibus circa ſtagnum aſphaltidis aut Sodomiticum creſcentibus, qui etſi externè ſpeciem jucundam aſpectui præbeant, tamen internè tantum cinis & pulvis ſunt.* Conf. Ludov. Viv. in Aug. de C. D. lib. 2. cap. 13. l. 3. c. 31. l. 11. c. 11. & 24. lib. 13. cap. 1. lib. 18. cap. 18. lib. 19. c. 12. l. 20. cap. 6. lib. 21. cap. 7. & Eraſmum in annot. 1. Tim. 1.

8. *De effectu Theologiæ.*

27. *Effectus Theologiæ* eſt vel proprius vel accidentarius. *Proprius* cum fine ejus genuino & proprio coincidit, conſiſtit enim in eo, quod homines poſſit σοφίσαι εἰς σωτηρίαν 2. Tim. 3. verſ. 15. πλουτίζειν ἐν παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ γνώσει. 1. Cor. 1. v. 5. conoatam pravitatem corrigere, meotes ad Deum elevare, de credendis & faciendis inſtruere, & hac ratione ad regnum cœlorum viam monſtrare. De hoc proprio Theologiæ effectu præclarè diſſerit Diadochius in loco paulò ſuperiùs citato. *Accidentarius* eſt, quod damnatiooem eorum auget, qui cùm voluntatem Dei habueriot probè cognitam & perſpectam, eam tamen opere implere minimè ſtuduerunt, Luc. 12. v. 47. *Ubi eſt majus donum ſcientiæ, ibi tranſgreſſio majori ſubjacet culpæ,* inquit Gregorius. *Scientia potiùs aggravat, ſi non fiat,* inquit Hugo in cap. 13. Joh.

9. *De objecto Theologiæ.*

28. *Subjectum circa quod ſive objectum* Theologiæ variè à variis aſſignatur. Quidam duplex ſtatuunt objectum, primarium videlic. Deum glorificandum, & *ſecundarium*, videl. hominem ſalvandum. Illud vocant objectum *contemplationis*, hoc verò *operationis*. Quidam objectum ſtatuunt *Deum & creaturas*, in quarum contemplatiooe eam non minus quàm in Dei cognitiooe occupari volunt. Quidam objectum ſtatuunt, Deom non abſolutè, ſed *relatè* videl. reſpectu divinæ revelationis conſideratum, unde Luth. dicit in cap. 26. Geneſ. *Deum quærendum eſſe non in prædicamento ſubſtantiæ, ſed relationis.* Hieron. in prooem. com. ſuper lament. Jer. *ad Chriſti & Eccleſiæ Sacramenta* objectum Theologiæ revocat Luth. præfat. comm. in Pſal. 51. tom. 4. Lat. fol. 379. *Theologiæ proprium ſubjectum eſt homo peccati reus ac perditus, ac Deus juſtificans & Salvator hominis peccatoris.* Quidam Chriſtum, vel quod idem eſt, Deom, quatenus in facie Chriſti Mediatoris ſeſe exhibuit, unicum Theologiæ objectum ſtatuunt 1. Cor. 2. v. 2. 2. Cor. 4. v. 6. Luther. tom. 7. Germ. fol. 73. *Deus nullibi inveniri poteſt niſi in Chriſto.* Sed hæc omnia non ſunt oppoſita, verùm ſubordinata. Diximus ſuperiùs, Theologiam eſſe doctrinam practicam, jam verò in practicis diſciplinis objectum ſive ſubjectum circa quod eſt illud, in quo tota diſciplina occupatur. Illud in Theologia eſt homo, quatenus ad æternam beatitudinem eſt perducendus. Materiale hujus ſubjecti eſt homo, formale quatenus eſt ad ſalutem informandus ac perducendus. Quemadmodum ergò in Medicina præmittitur φυσιολογία ac παθολογία, quæ affectiones ſubjecti, corporis ſcil. humani, circa quod quatenus ſanandum eſt, occupatur, conſiderat: ſic in Theologia, quæ ſpiritualis eſt medicina, de Natura hominis inſtituta ac deſtituta priùs agitur, poſtea media ad finem Theologiæ, videl. hominis reparationem ac ſalutem ducentia proponuntur, quæ ſunt vera & ſalutaris Dei agnitio, vera io Chriſtum fides, & quæcunque mediis hiſce inſerviunt.

10. *De adjunctis Theologiæ.*

29. *Adjunctum Theologiæ* eſt inſignis ejuſdem præſtantia, quæ colligitur 1. ex cauſa efficiente principali, quæ eſt Deus, à cujus bonitate & ſapientia hæc diſciplina prodiit. 2. ex cauſa inſtrumeotali, quæ ſunt Prophetæ & Apoſtoli θεοδίδακτοι, ac proindè nulli errori vel minima ex parte in verbo Dei prædicando & ſcribendo obnoxii. 2. Pet. 1. v. 21. 3. ex priocipii conditiooe Theologia innititur divinæ revelationi, quæ eſt αὐτάληθεια, ac proindè eſt omnium certiſſima. Chryſoſt. hom. 83. in Matth. p. 703. λόγος αὐτοῦ ἀπαραλόγιστος, ἡ δὲ αἴσθησις ἡμῶν εὐεξαπάτητος· οὗτος οὐδέποτε διέπεσεν, αὕτη δὲ τὰ πλείονα σφάλλεται. Idem hom. 4. in 1. Cor. p. 347. *Via Theologiæ profectò longè eſt quàm humana ſapientia major, eoq; magis, quò majus eſt res divinas fide accipere, quàm earum rationes perſcrutari.* 4. ex materiæ dignitate. Agit de myſteriis divinis ſupra omnem humanæ rationis captum poſitis, tractat de Deo creatore, redemtore ac ſanctificatore. Deum ſpeculatur, ut in eo cuncta ſunt, ut ab eo proficiſcuntur, ut ad eundem redeunt, ut in eodem cooquieſcunt. 5. ex finis utilitate, Informat nos ad vitam æternam. R. Hillelis dictum celebratur הַבָּא הָעוֹלָם חַיֵּי לוֹ קָנָה לוֹ דִבְרֵי תוֹרָה קָנָה. *Qui acquirit ſibi verba legis, accipit ſibi vitam æternam futuram.* Gerſon lib. 2. de conſol. Theol. proſ. 1. *Theologia doctrix eſt diſciplinæ Dei & electrix operum illius, quæ ſobrietatem & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus.* Rectè igitur concludit Thomas lib. 1. contra gent. cap. 2. *Inter hominum ſtudia Theologiæ ſtudium eſt perfectius, ſublimius, utilius & jucundius,* id quod ibidem latè demonſtrat.

11. *De contrariis Theologiæ.*

30. *Contraria* Theologiæ ſunt 1. *Gentiliſmus* veram & ſalutarem Dei notitiam penitùs ignorans ac repudians. 2. *Epicuræiſmus* Theologiam ſubſannans. 3. *Hæreſis* Theologiam depravans.

12. *De definitione Theologiæ.*

31. Ex ſuperioribus omnibus talis poteſt colligi defioitio. Theologia (ſyſtematicè & abſtractivè coofiderata) eſt doctrina ex verbo Dei extructa, quâ homines in fide vera & vita pia erudiuntur ad vitam æternam. Theologia (habitualiter & concretivè conſiderata) eſt habitus θεόσδοτος per verbum à Spiritu ſancto homini collatus, quo non ſolùm in divinorum myſteriorum cognitione per mentis illuminationem inſtruitur, ut quæ intelligitio affectum cordis & executionem operis ſalutariter traducat, ſed etiam aptus & expeditus redditur de divinis illis myſteriis, ac viâ ſalutis alios informandi, ac cœleſtem veritatem à corruptelis cootradicentium vindicandi, ut homines fide verâ & bonis operibus rutilantes ad regoum cœlorum perducantur:

Idea articuli de Scriptura ſacra.

1. PRincipium Theologiæ unicum, immotum ac proprium eſt Scriptura ſacra, ſive quod idem eſt verbum Dei in Propheticis & Apoſtolicis N. T. libris comprehenſum §. 1.

2. Ejus ſpectanda tùm ὀνοματολογία, tum πραγματολογία.

Cap. 1. 3. Ad ὀνοματολογίαν pertinet 1. ἐτυμολογία §. 2. 2. ὁμωνυμία §. 3. 3. συνωνυμία §. 9.

4. Πραγματολογία Naturam & proprietates Scripturæ ſacræ per cauſas, effecta & adjuncta explicat.

Cap. 2. 5. Cauſa efficiens Scripturæ eſt vel principalis vel inſtrumentalis.

6. Cauſa principalis eſt verus Deus in eſſentia unus, in perſonis trinus. Pater, Filius & Sp. S. §. 12.

7. Cauſæ inſtrumentales fuerunt ſancti Dei homines Prophetæ in V. & Evangeliſtæ ac Apoſtoli in N. T. §. 18.

Cap. 3. 8. Ex cauſa efficiente principali divina Scripturæ autoritas oritur ac dependet §. 33.

Cap. 4. 9. Materia Scripturæ ſunt res ſacræ in literas Dei voluntate redactæ, quæ generali appellatione divinæ revelationis continentur §. 52.

10. Res illæ ſacræ libris divinâ inſpiratione editis continentur, unde materia ex qua Scripturæ, formaliter conſideratæ ſtatui poteſt ipſa compages & ſeries librorum Biblicorum §. 54.

Cap. 5. 11. Libri Biblici variis modis diſtinguuntur §. 55.
Cap. 6. inter omnes v. diviſiones eminet ea, quâ diſtin-
Cap. 7. guuntur inter Canonicos & Apocryphos, de u-
Cap. 8. triſque agitur in genere §. 63. de Canonicis V. T.
Cap. 9. libris in ſpecie §. 118. de Apocryphis V. T. libris
Cap. 10. in ſpecie §. 174 de libris N. T. Canonicis pri-
Cap. 11. mi ordinis in ſpecie §. 241. de libris N. T. Canonicis ſecundi ordinis in ſpecie §. 274. de Apocryphis ac rejectitiis N. T. libris §. 301.

12. Forma Scripturæ eſt interna ſive eſſentialis & Externa ſive Accidentalis. Interna forma eſt ipſa divina Scripturæ autoritas ac majeſtas, quæ ex immediato Spir. S. afflatu ac rerum, quas exponit ſublimitate originem trahit §. 305.

Cap. 12. 13. Forma externa eſt tum idioma lingua Hebræa, quo Vetus; & Græca, quo Novum perſcriptum eſt inſtrumentum; tum ſermonis ac ſtyli, quo in Scriptura Spiritus S. utitur, proprietas, imo ſingularitas ſimplicitatem ac majeſtatem conjunctam habens §. 306.

Cap. 13. 14. Ex eo, quod V. T. linguâ Hebraicâ, Novum verò Græcâ à ſanctis Dei hominibus perſcriptum, colligitur πορισματικῶς, quod ſolus textus Hebræus in V. & Græcus in N. T. ſit authenticus §. 310.

Cap. 14. 15. Abſit igitur, ut Hebræum textum hominum vel malitiâ vel incuriâ plurimis in locis corruptum eſſe dicamus §. 318.

Cap. 15. 16. Nec poteſt corruptela ex eo probari, quod Rabini Codici Biblico addiderint puncta, eam enim hypotheſin improbamus §. 334.

Cap. 16. 17. Ut autem textus Hebraici integritatem in V. ita quoque Græci textus in N. T. puritatem à corruptelis authenticam ejus autoritatem labefactantibus aſſerimus §. 353.

Cap. 17. 18. Finis Scripturæ reſpectu Dei eſt ſalutaris Dei agnitio & celebratio reſpectu noſtri eſt vel intermedius vel ultimus, Intermedii ſunt διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία ac παράκλησις; ultimus eſt noſtra ſalus ac vita æterna §. 361.

19. Effectus Scripturæ ſunt eximia, cæleſtia & verè divina beneficia, quæ Deus per verbum ſuum hominibus communicat §. 365.

20. Ex cauſa efficiente & fine Scripturæ oritur ejuſdem 1. perfectio §. 366. Cap. 18.

21. Quæ excludit neceſſitatem Traditionum §. 393. Cap. 19.

22. 2. Et perſpicuitas §. 413. Cap. 20.

23. Ex Scripturæ perfectione & perſpicuitate reſultat hoc ἀξίωμα, quod ipſa ſit ſola, unica & perfecta omnium Theologicarum controverſiarum norma §. 436. Cap. 21.

24. Earundemque judex infallibilis §. 452. Cap. 22.

25. Objectum Scripturæ ſunt omnes omninò homines §. 480. ex quo πορισματικῶς colligitur, Laicis Scripturæ lectione nequaquam eſſe interdicendum §. 481. Cap. 23.

26. Quòd ſi Laici ad Scripturæ lectionem non admittendi tantum, ſed etiam invitandi, utique etiam neceſſarium erit, ut libri ſacri in linguas vernaculas transferantur, quæ Scripturarum verſiones commendandæ § 493. Cap. 24.

27. Potiores & uſitatiores verſiones ſunt, 1. Chaldaica V. T. §. 504. 2. Græca V. T. §. 506. 3. Syriaca N. T. §. 508. 4. Arabica §. 510. 5. Vulgata Latina §. 512. 6. Lutheri Germanica §. 521.

28. Ut finis Scripturæ propter quem hominibus tradita eſt, obtineri poſſit, ejuſdem interpretatio requiritur §. 526. Cap. 25.

29. Uſus hujus articuli eſt cùm Theoreticus. 1. διδασκαλικὸς, 2. ἐλεγκτικὸς, tùm practicus 1. παιδευτικὸς 2. παρακλητικὸς §. 537. Cap. 26.

30. Definitio Scripturæ ex ſuperioribus talis poteſt formari. Scriptura ſacra eſt verbum Dei ejuſdem voluntate à Prophetis, Evangeliſtis & Apoſtolis in literas redactum doctrinam de eſſentia & voluntate Dei perfectè & perſpicuè exponens, ut ex eo homines erudiantur ad vitam æternam §. 538. Cap. 27.

Idea Articuli de Natura Dei & attributis divinis.

1. Ut Scriptura ſacra in Theologia eſt unicum principium cognoſcendi, ſic Deus eſt unicum & ſummum principium eſſendi, tum ipſius Scripturæ ſacræ tum operum divinorum reſpectu §. 1.

2. Doctrinam de Deo commendat ejuſdem 1. Neceſſitas. §. 2. 2. Utilitas §. 3. 3. difficultas §. 4.

3. Doctrina de Deo conſtat tum ὀνοματολογίᾳ tum πραγματολογίᾳ §. 6.

4. ὀνοματολογία complectitur 1. ἐτυμολογίαν divinorum nominum §. 1. Cap. 1.

5. 2. ὁμωνυμίαν, vocis Elohim §. 12. & Θεὸς §. 14. Cap. 2.

6. 3. συνωνυμίαν, ad quam pertinent varia nomina divina §. 20. inter quæ eminent potiſſimùm tria, 1. Jehovah §. 22. 2. Adonai §. 48. 3. Elohim §. 52. Cap. 3.

7. In πραγματολογίᾳ demonſtratur primò omniũ τὸ ὅτι quod ſit Deus §. 58. Cap. 4.

8. Eſſe Deum demonſtratur tum ex Natura, tum ex Scriptura §. 59. ubi de naturali Dei notitia agitur §. 63.

9. Se-

Cap. 1. 9. *Secundò τὸ τί ἐστι. Quid ſit Deus* §. 89.

Cap. 6. 10. *Ex definitione Dei manifeſtum conſiderandam eſſe in Deo 1. eſſentiæ unitatem, quæ demonſtratur* §. 95.

Cap. 7. 11. *Attributa divina, de quibus in genere agitur* §. 104.

12. *Docendi causâ diſtinguuntur in tres claſſes. Ad primam pertinent, quòd Deus ſit eſſentia 1. ſpiritualis & incorporea* §. 114. *ac proinde etiam inviſibilis* §. 124. 2. *ſummè ſimplex* §. 129 3. *æterna* §. 139. *ac proinde immutabilis* §. 150. *& immortalis* §. 159. 4. *infinita* §. 162. *& immenſa* §. 171.

13. *Ad ſecundam claſſem pertinent Dei 1. omnipotentia* §. 190. 2. *bonitas* §. 208. *& miſericordia* §. 216. 3. *juſtitia* §. 229. 4. *omniſcientia* §. 243. *& omniſapientia* §. 258. 5. *agendi libertas* §. 265. 6. *veritas* §. 285.

14. *Ad tertiam claſſem pertinent Dei 1. perfectio* §. 291. 2. *majeſtas & gloria* §. 300. 3. *beatitas* §. 306.

Idea Articuli de ſanctiſſimo Trinitatis myſterio.

1. *Explicatio hujus articuli abſolvitur 1. prooemiali προθεωρίᾳ, 2. ipsâ ejuſdem ἐργασίᾳ* §. 1.

Cap. 1. 2. *Prooemialis προθεωρία abſolvitur ſex theſibus, quarum prima eſt. Myſterium Trinitatis ſalvandis omnibus ſcitu ac creditu eſſe neceſſarium* §. 1.

3. *Secunda, de myſterio Trinitatis non tantùm in Eccleſia θετικῶς docendum, ſed etiam contra ejuſdem impugnatores ἀντιθετικῶς eſſe diſputandam* §. 13.

4. *Tertia, Myſterium Trinitatis non ex Patrum rivulis, nec ex turbidis Scholaſticorum lacunis, ſed ex limpidiſſimis Scripturarum fontibus probari debere & poſſe* §. 15.

5. *Quarta, Myſterium Trinitatis non ſolùm ex N. ſed etiã V. T. confirmari poſſe & debere* §. 20.

6. *Quinta, Myſterium Trinitatis ex naturali ratione à priori cum primis probari, nec poſſe nec debere* §. 23.

7. *Sexta, Myſterium Trinitatis ex naturali ratione oppugnari non debere, expugnari non poſſe* §. 32.

Cap. 2. 8. *ἐργασία hujus articuli conſtat tum ὀνοματολογίᾳ tum πραγματολογίᾳ* §. 38.

9. *ὀνοματολογία eſt vel generalis vel ſpecialis. Generalis continetur duabus theſibus. Prior hæc eſt, Licitum eſſe in myſterio Trinitatis uti vocabulis, quæ αὐτολεξεὶ non extant in Scripturis ſacris* §. 39.

10. *Poſterior eſt; Non eſſe probandam eorum temeritatem, qui novis vocabulis ab Eccleſia nondùm receptis in hoc myſterio explicando utuntur* §. 45.

11. *Specialis ὀνοματολογία explicat appellationes in hujus myſterii tractatione uſitatas. 1. Hebræas* §. 47. 2. *Græcas quales ſunt οὐσία* §. 48. *ὁμοούσιος* §. 50. *ὑπόστασις* §. 53. *ὕπαρξις* §. 59. *πρόσωπον* §. *eod.* 3. *Latinas, quales ſunt eſſentia, ſubſtantia, conſubſtantialis* §. 69. *perſona, ſubſiſtentia* §. 61. *Trinitas* §. 64. 4. *Germanicas* §. 67.

Cap. 3. 12. *Πραγματολογίας membra ſunt duo. Prius κατασκευαστικόν, in quo Trinitatis myſterium ex Scripturis demonſtratur. Poſterius ἀνασκευαστικόν, in quo Anti-Trinitariorum argumenta ſolvuntur* §. 68.

13. *Argumenta κατασκευαστικὰ ſunt, 1. unum generale* §. 70. 2. *plura ſpecialia.*

14. *Eorum quædam deſumuntur ex V. quædam ex N. Teſt. quæ poſteriora propter majorem N. T. lucem primo loco ponuntur* §. 74.

15. *Primum argumentum ex N. T. pro aſtruendo Trinitatis myſterio deſumtum petitur ex θεοφανείᾳ in Baptiſmi Chriſto collati adminiſtratione* §. 75. Cap. 4.

16. *Secundum argumentum N. Teſt. petitur ex Baptiſmi noſtri inſtitutione* §. 85. Cap. 5.

17. *Tertium argumentum N. Teſt. deducitur ex verbis Chriſti Ioh. 14. v. 16.* §. 103. Cap. 6.

18. *Quartum argumentum N. Teſt. petitur ex 1. Ioh. 5. v. 7.* §. 108. Cap. 7.

19. *Ex V. Teſt. itidem quatuor principalia argumenta petuntur. Primum ex articulo creationis* §. 109. Cap. 8.

20. *Secundum ex beneficio liberationis è ſervitute Ægyptiaca* §. 133. Cap. 9.

21. *Tertium ex promiſſione de Meſſia* §. 146. Cap. 10.

22. *Quartum ex benedictione Eccleſiaſtica Numer. 6. v. 22.* §. 151. Cap. 11.

23. *Hiſce quatuor principalibus argumentis ex V. T. ſubjunguntur duæ claſſes dictorum V. T. in quibus myſterium Trinitatis proponitur, quarum prior pluralitatem, poſterior Trinitatem perſonarum in Deo probat* §. 152. *ac quatuor claſſes dictorum N. T.* §. 165. Cap. 12.

24. *Poſterius membrum ἀνασκευαστικὸν reſpondet argumentis Photinianorum, petitis 1. ab eſſentiæ divinæ unitate* §. 167. 2. *ab eſſentiæ divinæ ſimplicitate* §. 168. 3. *à Patris cœleſtis majeſtate* §. 169. Cap. 13.

Idea Articuli de perſona & officio Chriſti.

1. *Prooemium probat doctrinæ hujus 1. Dignitatem* §. 1. 2. *Utilitatem* §. 2. 3. *Neceſſitatem* §. 3.

2. *ἐργασία hujus articuli abſolvitur 1. ὀνοματολογίᾳ, 2. πραγματολογίᾳ, ὀνοματολογία continet 1. ἐτυμολογίαν nominis Ieſu* §. 6. *& Chriſti* §. 13. Cap. 1.

3. 2. *ὁμωνυμίαν nominis Ieſu* §. 18. *& Chriſti* §. 22. Cap. 2.

4. 3. *συνωνυμίαν, quæ varia Chriſti nomina exponit* §. 23. *ejuſdemque typos* §. 28. Cap. 3.

5. *In πραγματολογίᾳ agitur 1. de perſona, 2. de officio Chriſti. Perſona Chriſti conſtat duabus Naturis divinâ & humanâ* §. 34. Cap. 4.

6. *Vera Chriſti Deitas probatur* §. 42. 1. *ex nominibus divinis* §. 45. 2. *ex attributis divinis eſſentialibus* §. 47. 3. *ex proprietate perſonali* §. 52. 4. *ex operibus divinis* §. 55. 5. *ex cultu divino* §. 63. Cap. 5.

7. *Humana Chriſti Natura probatur* §. 79. Cap. 6.

8. *Perſonalis harum duarum Naturarum in Chriſto unio probatur* §. 101. *ubi 1. de cauſa ejus efficiente* §. 102. 2. *materia* §. 109. 3. *forma* §. 115 4. *fine* §. 140. Cap. 7.

9. *Ex unione perſonali oritur, 1. Naturarum communicatio, de qua* §. 148. Cap. 8.

10. *Ex unione & communicatione Naturarum reſultant, 1. propoſitiones perſonales, de quibus* §. 155. Cap. 9.

11. 2. *Communicatio idiomatum, de qua generatim agitur* §. 174. Cap. 10.

12. Hu-

Cap. 11. 12. *Hujus communicationis idiomatum ſtatuuntur tria genera. Primum eſt quo utriuſque Naturæ propria prædicantur de Chriſti perſona, de quo §. 186. ad quod etiam pertinent illa prædicationes, in quibus humanæ Naturæ proprietates de Filio Dei prædicantur §. 193.*

Cap. 12. 13. *Secundum eſt, quo divina Natura Filii propriam ſuam gloriam & excellentiam humanæ Naturæ communicat manens ipſa paſſionum carnis expers, de quo §. 261.*

14. *In hoc genere conſideranda ſunt, 1. ipſa communicatio. 2. communicatorum uſurpatio. In communicatione ſpectanda. 1. Eſſentialia. 2. Circumſtantialia. Eſſentialia ſunt 1. Termini. 2. Materia communicationis. Termini duo ſunt, videl. is qui communicat, de quo §. 203. & terminus ad quem videlicet, is cui communicatur, de quo §. 205.*

15. *Materia communicationis ſive id quod communicatur, eſt divina majeſtas, gloria & potentia, & proinde dona vere infinita & divina, de quibus in genere agitur §. 210. in ſpecie. 1. de nomine divino §. 213. 2. de idiomatibus divinis videl. omnipotentia §. 214. omniſcientia §. 215. vi vivificandi §. 216. poteſtate faciendi judicium §. 217. 3. de operibus divinis videl. omnipræſentia §. 218. θαυματουργία §. 230. opere redemtionis §. 231. conſtitutione miniſterii & collectione Eccleſiæ §. 232. miſſione Sp. S. §. 233. mundatione a peccatis §. 234. reſuſcitatione mortuorum, adminiſtratione judicii & piorum glorificatione §. 235. 4. de cultu religioſa adorationis §. 236.*

16. *Circumſtantia communicationis ſunt 1. modus, de quo §. 267. 2. tempus, de quo §. 270.*

17. *Tertium genus communicationis idiomatum eſt, quo in operibus officii utraque Natura agit, quod ſibi proprium eſt, cum communicatione alterius de quo §. 282.* Cap. 13.

18. *Ex communicatorum idiomatum uſurpatione oritur diſtinctio inter ſtatum exinanitionis & exaltationis §. 293.* Cap. 14.

19. *Officium Chriſti vulgò triplex ſtatuitur. Propheticum, de quo §. 321. Sacerdotale, de quo §. 323. & Regium, de quo §. 324.* Cap 15.

LOCVS

LOCVS PRIMVS
DE
SCRIPTURA SACRA.

I.

Ratio ordinis

CUm Scriptura Sacra ſit unicum & proprium Theologiæ principium, ideò ab ea meritò initiũ facimus: Quidam ab articulo de *DEO* explicationem Locorum Theologicorum inchoandam cenſent, cùm ipſe ſit principium eſſendi & ipſius Scripturæ ſacræ autor, ſed in diſciplinarum tractatione non tàm ad *eſſendi* quàm *cognoſcendi* principium; nec tàm ad rei dignitatem quàm tradendi & percipiendi facilitatem reſpectus habetur. Ex Pontificiis quidam ordiuntur ab articulo *de Eccleſia*. Convenienter id quidem, ſi ipſorum hypotheſes reſpiciantur, Scripturæ enim autoritatem inſolidùm ab Eccleſia dependere aſſerunt, ſed minùs rectè ſi ipſam veritatem reſpicias. Ex Scriptura enim unicè diſcenda & petenda ſunt, quæ de Eccleſiæ vel notis vel privilegiis magno conatu diſputantur. Inſiſtemus autem uſitatæ methodo, ut à nominis explicatione exorſi ad πραγματολογίας per cauſas expediendam deſcendamus.

CAPUT I.
De ὀνοματολογίᾳ Scripturæ ſacræ.

1. ἐτυμολογίας — 2. Ad ὀνοματολογίαν pertinet 1. ἐτυμολογία. Scriptura ſic vocatur *à formali externo*, ſcribendi ſcil. actione quâ verbum Dei vivâ voce anteà propagatum Dei juſſu in literas eſt redactum. Hujus ſcriptionis Deus ipſe auguſtum fecit initium, quando legem ſuam in monte Sinai tabulis lapideis inſcripſit, quæ ob id dicitur מִכְתַּב אֱלֹהִים *Scriptura Dei*. Exod. 32. v. 16. Dicitur autem Scriptura ut & Biblia ἐξοχικῶς, κατ' ἀντονομασίαν & κατ' ἐξαίρετον λόγον, quia ſunt βίβλος θεοῦ liber à Deo profectus, de Deo tractans & ad Deum ducens. Differentiæ causâ vocatur Scriptura *ſacra* appellatione ex Rom. 1. v. 2. & 2. Tim. 3. v. 15. petitâ, ubi γραφαὶ ἅγιαι & ἱερὰ γράμματα dicuntur. Rationes appellationis petendæ. 1. *à cauſa efficiente principali*, ab autore ſummo, qui eſt Deus ſanctus ille Sanctorum, imò ipſa ſanctitas. Eſa. 6. v. 3. Dan. 9. v. 24. 2. *à cauſa inſtrumentali*, quæ ſunt ſancti Dei homines. 2. Pet. 1. v. 21. Prophetæ ſcil. & Apoſtoli à Spiritu S. φερόμενοι. Theodor. præfat. in Pſalm. tom. 1. p. 79. Gregor. in præf. Jobi c. 1. docent, *manus Scriptorum ſacrorum calamos S. S. fuiſſe, quibus ille in deſcribendis ſacris voluminibus fuit uſus*. 3. *à materia*, continet enim ſacra & divina myſteria, ſancta vitæ præcepta. Pſ. 105. v. 42. Hiſtorias ſacras &c. 4. *à fine & effectu*, quia Spiritus S. per Scripturæ lectionem & meditationem hominem ſanctificat. Joh. 17. v. 17. Clemens Alexandr. in Parænet. ad gentes p. 29. *Sunt verè ſacræ literæ, quæ ſacros faciunt, & deificant*. 5. *ab adjuncto*, quia ab omnibus, non ſolùm profanis, ſed etiam Eccleſiaſticis ſcriptis eſt ſeparata, & in ſublimi Canonicæ autoritatis ſede conſtituta, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus.

3. 2. ὁμωνυμία. Scripturæ ſacræ nomen uſurpatur vel γενικῶς, *generaliter & impropriè* pro omnibus libris in Codice Biblico contentis, ſive illi ſint Canonici ſive apocryphi; vel εἰδικῶς, *ſpecialiter & propriè* pro ſolis Canonicis V. & N. T. libris. Sic Hieronym. præfat. in Judith. ſcribit, *Nicenam Synodum librum illum in ſacris Scripturis numeraſſe*, qui tamen ex eo non efficitur Canonicus. Concilium Toletanum 2. Can. 1. librum ſapientiæ nominat *Scripturam ſacram*, qui tamen itidem eſt extra Canonem. Non poterunt Pontificii hanc vocabuli diſtinctionem repudiare, cùm ipſi quoque ex Canone quoſdam excludant, qui in Codice Biblico continentur, ut inferiùs apparebit. — 2. ὁμωνυμία.

4. Bellarminus adhuc latiorem & generaliorem Scripturæ ſacræ appellationem ſtatuit, quando lib. 2. de Conciliis c. 12. §. dico ſecundò, prò defenſione Gratiani, qui in jure Canonico c. in Canonicis. diſt. 19. *Pontificum decretales dixerat eſſe ſacras & Canonicas Scripturas*, ſic diſputat. *Decreta Pontificum dicuntur Scriptura ſacra, ut diſtinguantur à prophanis; & Canonica, ut diſtinguantur à ſcriptis Patrum, quæ non ſunt regula*. Et poſteà. *Canones Pontificũ & Conciliorum ſuo modo poſſunt dici ſcripta ſacra & Canonica*, quod probat ex act. 3. Synodi VII. & c. Cum Martha. extr. de celebrat. miſſ.

ubi

ubi gloſſa dicit *Sacra Scriptura hic appellantur ſcripta Auguſtini.* Sed nos repudiatâ illâ ἀκυρολογίᾳ ſolis Canonicis V. ac N. T. libris Scripturæ Sacræ & Canonicæ appellationem propriè & ſpecificè acceptam vendicamus, interim ex hac Bellarmini diſtinctione utile illud conſectarium deducimus. Si ex appellatione Scripturæ Sacræ Pontificum & Conciliorum Canonibus attributa nequaquam probari poteſt, Pontificum & Conciliorum decreta pertinere ad Scripturæ Canonem, utique etiam ex appellatione Scripturæ ſacræ libris apocryphis attributa non poterit probari apocryphos illos ac controverſos libros ad Scripturæ Canonem pertinere. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Nulla proindè vis ineſt argumento, ab appellatione Scripturæ ſacræ deſumto, quod toties Bellarminus urget pro aſſerenda controverſorum illorum librorum autoritate, ut ſuo loco pleniùs monebitur.

5. Pertinet & hoc ad ὁμωνυμίαν vocis explicandam, quod Scripturæ nomine non tàm *formale externum ſive ſigna*, h. e. apices literarum, *ſcribendi* actus & dictiones, quibus divina revelatio eſt deſcripta, quàm *ipſum materiale ſive ſignatum*, adeoque illud ipſum, quod ſcribendo notatur ac ſignificatur, ipſum ſc. Dei verbum de eſſentia & voluntate Dei nos inſtruens, ſit intelligendum. Quidam illud ſic efferunt, quòd verbum Dei ſumatur vel ἐσωτερικῶς, pro ipſa ſententia, quam Deus exprimit, vel ἐξωτερικῶς ſeu ſecundùm πάθη, quæ ſunt prædicatio & ſcriptio. Ut enim in omni ſcriptura ab intelligente ſive νοερᾷ cauſa perfecta, ita quoque in hac Prophetica & Apoſtolica Scriptura duo ſunt conſideranda, vid. primò ipſæ literæ, ſyllabæ & dictiones, quæ ſcribuntur, & ſunt externa ſymbola animi notiones ſignificantia & exprimentia; ſecundò ipſæ ſententiæ, quæ ſunt veluti ſignatum externis illis literarum, ſyllabarum & dictionum ſymbolis expreſſum, proinde Scripturæ nomine hîc utrumque complectimur & poſterius quidem principaliter.

6. Ex quo πραγματικῶς colligimus. 1. Quædam prædicari de Scriptura *reſpectu materialis*, utpotè quòd ſit antiquior Eccleſiâ, quòd ſit ipſum illud Dei verbum à Prophetis & Apoſtolis vivâ voce olim prædicatum; quædam *reſpectu formalis*, quòd ſit temporis ratione Eccleſiâ poſterior, quod in die noviſſimo ſit deſitura, cùm tamen ratione materialis nec *ſolvi* nec interire poſſit. Joh. 10. v. 35.

Inter verbum Dei & Scripturam non eſt reale diſcrimen.

7. 2. Inter *verbum Dei & Scripturam ſacram* materialiter acceptam non eſſe reale aliquod diſcrimen. Probatur hoc 1. *ex Scriptura materia.* Idem ac nihil aliud Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt, quòd divinâ inſpiratione edocti priùs vivâ voce prædicârunt. 1. Cor. 15. verſ. 1. 2. Cor. 1. v. 13. Phil. 3. v. 1. 2. Theſſ. 2. v. 15. 1. Joh. 1. v. 3. quod poſtremum valdè eſt emphaticum. *Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis. v. 4. Et hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit plenum. verſ. 5. & hæc eſt annunciatio, quam audivimus ab eo, & annunciamus vobis.* ταῦτα certè non ſunt aliud atque aliud. Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. cap. 1. p. 169. *Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconiaverunt, poſteà verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* Niceph. lib. 2. Hiſtor. cap. 34. *Quæ Paulus præſens oratione ſuâ dilucidè docuerat, eadem per compendium abſens in memoriam revocans Epiſtolas dedit.* 2. *ex phraſium* ἰσοδυναμίᾳ. Vaticinia Prophetica V. T. in N. T. quandoque allegantur his verbis: *Ut impleretur quod dictum eſt per Prophetam.* Matth. 1. v. 22. cap. 2. v. 15. cap. 4. v. 14. &c. quandoque verò hiſce formulis, *ut impleretur quod ſcriptum eſt, quid dicit Scriptura? Scriptum eſt in Prophetis, Scriptum eſt, &c.* Matt. 4. v. 4. 7. 10. Marc. 15. v. 28. Joh. 19. v. 36. Rom. 4. v. 3. c. 10. v. 11. c. 11. v. 2. &c. Ergò quod Prophetę dixerunt vel prędixerũt, idem eſt cum eo quod ſcripſerunt. Sic legere & audire verbũ Dei in pari omninò cenſu habētur. Luc. 16. v. 29 jubentur divitis epulonis fratres *audire Moſen & Prophetas.* At non poterant audire prædicationem Moſis & Prophetarum ante aliquot ſecula jamtum defunctorum. Ergò ad evolvenda ipſorum ſcripta remittuntur, ac proindè legere ſcripta Moſis & Prophetarum eſt audire Moſen & Prophetas. Act. 13. v. 27. *Voces Prophetarum leguntur per omne Sabbatum.* quiſquis ergò prę lectioni Propheticorum ſcriptorũ intereſt, audit Prophetarum voces, h. e. illud ipſum quod Prophetæ vivâ voce prædicarunt. Act. 15. v. 21. *Moſes ab antiquis temporibus habet in ſingulis civitatibus* τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν, *qui ipſum prædicent;* quomodo verò Moſes, hoc eſt, Moſaica doctrina in ſingulis civitatibus prædicabatur? explicatio ſtatim ſequitur, *dùm per omne Sabbatum in Synagogis legitur.* Matt. 17. v. 5. voce cœlitùs delatâ jubemur *audire Chriſtum*, Luc. 10. v. 16. jubemur *audire Apoſtolos.* At non poſſumus aliâ ratione eos hodiè audire quàm in Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcriptis, Canonicis V. T. libris omni ex parte homogeneis, in illis enim & per illa nobis loquuntur, ſicut hæc explicatio ab ipſo Chriſto ſuppeditatur Joh. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, illa de me teſtificantur.* 3. *ex regula Logica. Accidens non mutat rei eſſentiam.* Accidit Dei verbo ſivè voce enuncietur, ſivè in literas redigatur. Unum idemque Dei verbum eſt, ſive prædicationis ſive ſcriptionis modo nobis innoteſcat, cùm nec cauſa efficiens principalis, nec materia, nec forma interna, nec finis mutetur, ſed tantùm modus patefactionis in uſu organico conſiſtens variet. Exod. 20. v. 13. ſcriptum eſt. *Non occides.* Hoc verbum idem eſt cum eo, quod poſteà prædicatum & vivâ voce in Chriſto repetitum. Matt. 5. v. 21. 4. *ex* δεικτικῇ *particula ab Apoſtolis uſurpata.* Paulus de ſcriptura Moſaica & homogeneis V. ac N. T. libris δεικτικῶς inquit. τοῦτο ἐστὶ τὸ ῥῆμα τῆς πίστεως, *quod prædicamus.* Roman. 10. v. 9. Petrus 1. Epiſt. 1. v. 25. ſcribit, *Verbum DOMINI manet in æternum.* τοῦτο δέ ἐστι τὸ ῥῆμα τὸ εὐαγγελισθὲν εἰς ὑμᾶς, *hoc eſt verbũ, quod evangelizatum eſt in vos.* Quò pertinet etiam dictum Johanniticum ſuperiùs adductum. 1. Joh. 1. v. 3. 4. & 5. 5. *Ex ſimilium Naturâ.* Sicut unum idemque eſt mandatum regium, quod voce præconis promulgatur, & quod publico programmate deſcriptum affigitur: ita quoque verbum Dei ſcriptum & non ſcriptum eſt unum atque idem verbum. Quemadmodum homo, qui luce heſternâ erat nudus, hodiernâ verò veſtitus,

tus, unus homo eſt, qui biſariam ſeſe habuit, non autem duplex ſeu duo homines: ita quoque verbum, quod priùs prædicatum fuit vivâ voce & poſtmodum literis conſignatum eſt, non eſt duplex DEI verbum, ſed unum idemque, quod biſariam ſeſe habuit. 6. *ex conſequente abſurdo.* Si eſt duplex verbum ſcriptum & non ſcriptū, duplex etiam erit Evangelium, & duplex gratiæ promiſſio. Contrarium teſtatur Apoſtolus Gal. 3. v. 15. 16. Si diviſio verbi in ſcriptum & non ſcriptum eſſet, non diviſio ſubjecti in ſua accidentia, ſed diviſio generis in ſpecies, adeoque ipſam verbi eſſentiam ingrederetur, conſequens foret, verbo pronunciato Dei verbum evaneſcere, pereuntibus libris verbum Dei perire, & quæ ſunt hujus generis abſurda alia complura. Contrarium teſtantur Chriſtus Luc. 21. v. 33. & Eſaias. cap. 40. v. 9.

8. 3. Pontificios inter verbum Dei ſcriptum & non ſcriptum minùs rectè diſtinguere. Argumentis ipſorum, quibus hypotheſin ſuam probare conantur, ſatisfieri poteſt, ſi obſervetur 1. poſſe hanc diſtinctionem certo modo ac reſpectu admitti, videl. ſi nomine *verbi non ſcripti* intelligatur divina revelatio vivâ voce à Patriarchis ante exaratos libros Moſaicos propagata, ſed poſt editum Scripturæ Canonem nullum ſtatui poteſt verbum Dei non ſcriptum à ſcripto contradiſtinctum. 2. diſtinguendum eſſe inter capita divinæ revelationis principalis, neceſſaria, eſſentialia &c. atque inter uberiorem eorundem explicationem. Prophetæ & Apoſtoli literis conſignatunt capita doctrinæ ſuæ principalia, quæ ſunt omnibus ſcitu neceſſaria, quæ vivâ voce latiùs ab eis expoſita fuiſſe non negamus. Cyrill. lib. 12. in Joh. cap. 68. ſub fin. *Non omnia, quæ Dominus fecit, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tàm ad mores quam ad dogmata putarunt ſufficere, ut rectâ fide & operibus ac virtute rutilantes ad regnum cælorum perveniamus in Chriſto Jeſu.* Auguſtin tract. 49. in Joh. in princ. *Cùm multa feciſſet Dominus JESVS, non omnia ſcripta ſunt, ſicut ſanctus Evangeliſta teſtatur, multa Dominum Chriſtum & dixiſſe & feciſſe, quæ ſcripta non ſunt, electa ſunt autem quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur.*

συνωνυμία. 9. 3. συνωνυμία ** Scripturam Sacram Spiritus Sanct. vocat γραφὴν, vel γραφὰς κατ᾽ ἐξοχὴν Joh. 7. v. 38. & 42. Act. 8. v. 12. Rom. 4. v. 3. quandoque verò addito epitheto γραφὰς ἁγίας Rom. 1. v. 2. ἱερὰ γράμματα 2. Tim. 3. v. 15. γραφὴν θεόπνευστον. v. 16. quia ſicut Spiritu Sanct. φερόμενοι locuti ſunt, ita quoque ſcripſerunt ſancti Dei homines. 2. Petr. 1. v. 21. Rabini, teſte Galatino lib. 1. de arcan. Catholic. verit. c. 1. Biblia vocant מקדש־יה *rem Dei ſanctam.* Item בית מקדש *domum ſanctuarij*, quem titulum Venetiana Biblia habent præfixum. Cùmq; inter verbum Dei, & Scripturam ſacram materialiter conſideratam non ſit reale aliquod diſcrimen, ideò ad συνωνυμίαν referendæ ſunt honorificæ appellationes, quæ verbo Dei in Scripturis tribuuntur, utpote quòd ſit דבר־יהוה λόγος θεοῦ, *verbum Dei*, à Deo editum & de Deo nos inſtruens, λόγια τοῦ θεοῦ, *eloquia Dei.* Rom. 3. v. 2. ζῶν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, *vivus & efficax Dei ſermo* Heb. 4. v. 12. ῥήματα τῆς ζωῆς αἰωνίου, *verba vitæ æternæ.* Joh. 6. v. 68. Cumprimis hûc pertinet totus Pſalmus 119. in quo verbum Dei quamplurimis honorificis appellationibus inſignitur. Compages librorum ſacrorum vocatur à Spir. Sanct. ספר התורה *liber legis.* Joſ. 1. v. 8. ספר יהוה *liber Jehova.* Eſa. 34. v. 16. מקרא *lectio.* Nehem. 8. v. 8. eò quòd legi penſitarique ad noſtram ſalutem perpetuò debeat.

Exegeſis.

10. Referenda etiam ad hunc locum honorifica illa encomia & variæ periphraſes, quibus Eccleſiaſtici Doctores Scripturam ſacram exornant. Athanaſius Dialog. 2. contra Maced. τροφὴ ψυχῆς ἡ γραφή. Baſil. in Pſ. 1. *Scriptura eſt communis Medica animarum officina.* Auguſt. in enarr. Pſ. 90. can. 2. & ſerm. 56. ad fratr. in erem. Macarius homil. 33. Gregor. libr. 4. Epiſt. 40. Scripturam vocant *literas invitatorias, a Deo per ſanctos viros nobis transmiſſas, quibus ad æternam patriam invitamur. Quid eſt*, ait Auguſt. *Scriptura ſacra, niſi quædam Epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam, in qua verba Dei ſonant & cor Dei diſcitur?* Dionyſius Carthuſ. in comm. Epiſt. ad Titum. *Divina eloquia & rori & aquæ & lacti & melli & vino aſſimilantur propter vim in ipſis generativam & augmentativam, ſicut in lacte, & revivificativam ſicut in vino & mundificativam ſimul ac ſervativam, ſicut in melle.* Petrus de Aliaco lib. 2. ſentent. *Scriptura penetrat ut gladius, conterit ut malleus, ardet ut facula; velut gladius errorum zizania aſcindit; velut malleus hæreſes univerſas interimit; velut facula criminum faſciculos comburit; velut lucerna per nocturna hujus mundi ſilentia lumen commeantibus exiſtit.* Scriptura ſacta eſt *fidei menſura, morum & errorum cenſura & ad cælos viam monſtrans cynoſura.* Scriptura eſt *os Spiritus ſancti*, per quod credentes vocat; eſt *manus Spiritus S.* per quam credentes ducit ad vitam æternam; eſt *lux*, per quam oculos parvulorum illuminat. Scriptura eſt ἐκτύπωμα, expreſſio divinæ ſapientiæ, Spiritus S. afflatu ſanctis hominibus communicata. *Quod naufrago tabula; quod militi gladius; quod argentario malleus; quod architecto regula; hoc fidelibus eſt Scriptura ſacra.* Confer aphor. practic. ſub tit. Verbum Dei.

CAPUT II.

De Cauſa efficiente Scripturæ ſacræ.

11. Ab ὀνοματολογίᾳ tranſitum facimus ad πραγματολογίαν, quæ ab expoſitione cauſarum meritò ſumit initium, cùm ſcire ſit rem per cauſas cognoſcere. Præmittenda quidem videri poſſet quæſtio de τοῦ ὅτι, an ſit Scriptura aliqua ſacra, divina & θεόπνευστος, in ſublimi Canonicæ autoritatis ſede conſtituta. *Sed quia inter Eccleſiæ filios de eo nulla* datur dubitatio, & quia deciſio hujus quæſtionis contra Ethnicos demonſtrandæ pendet à Scripturæ autoritate, autoritas à cauſa efficiente, ideò facilioris doctrinæ, ergò de efficiente prius agendum erit. *Cauſa efficiens Scripturæ S.*

12. *Cauſa efficiens Scripturæ* eſt vel *principalis* vel *inſtrumentalis.* Cauſa principalis eſt verus Deus in eſſentia unus, in perſonis trinus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Probatur hoc 1. *ex Scriptura materia.* Scriptura materialiter ac- *1. Principalis, quæ eſt Deus.*

 cepta

cepta nihil aliud eſt, quàm Dei verbum. Jam verò Deus eſt ſummus verbi ſui autor, quo ſenſu etiam Dei verbum vocatur. Ergò etiam Deus eſt ſummus Scripturæ autor. Scriptura nihil aliud eſt quàm divina revelatio in ſacras literas redacta. Nam revelatum Dei verbum & Scriptura ſacra realiter non differunt, cùm illas ipſas divinas revelationes ſancti Dei homines in Scripturas redegerint. Jam verò ſolus Deus eſt, qui ex arcana majeſtatis ſuæ ſede prodiens non ſolùm per opus creatioois, ſed etiam per expreſſum verbum primis parentibus ante lapſum, & iiſdem, uti etiam Patriarchis & Prophetis poſt lapſum in V. T. ſeſe, hoc eſt, doctrinam de ſua eſſentia & voluntate revelavit, unde toties repetunt Prophetæ נְאֻם יְהוָה *dixit Dominus, dictum Jehovæ, factum eſt verbum Domini, os Domini locutum eſt, audite verbum Dei &c.* ac in N. T. *locutus eſt ad nos per Filium*. Hebr. 1. v. 1. qui ſuos in univerſam terram ablegavit Apoſtolos, de quibus dixit Luc. 10. v. 16 *Qui vos audit, me audit*; ac per eoſdem, ut & per Evangeliſtas neceſſaria divinæ revelationis capita conſcribi voluit. Ergò. Deus eſt Scripturæ, vel quod idem eſt, divinæ revelationis in ſacras literas redactæ autor. Hûc referendi ſunt varii divinæ patefactionis in V. T. modi, quos recenſet Deus ipſe Num. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum.* v. 8. *Moſi autem ore ad os loquor, aſpectu & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Quò reſpiciens autor Epiſtolæ ad Hebræos cap. 1. v. 1. dicit, *Deum πολυμερῶς ϗ πολυτρόπως multis vicibus multisq́; modis olim in V. Teſt. ad Patres fuiſſe locutum,* ubi & temporum & perſonarum & modorum, quibus revelatio divina facta eſt, diverſitas inſinuatur. Quandoque enim Deus allocutus eſt Prophetas im̃ediatè per ſeipſum, quandoque per Angelos; quandoque ſolam Dei vocem audiverunt, quandoque verò etiam externam aliquam ſpeciem viderunt; quandoque Deus illis apparuit in ecſtaſi & vigilantibus; quandoque per ſomnium & dormientibus; quandoque ſolo interiore afflatu eos inſtruxit interiùs; quandoq́; rerum imagines oculis ipſorum objecit exteriùs. Hos divinæ revelationis modos quidam ſic diſtinguunt. Revelatio divina in V. T. fuit vel *ordinaria* vel *extraordinaria.* Ordinaria 1. per verbum. 2. per Urim & Thumim. Extraordinaria facta fuit vel vigilantibus vel dormientibus. Vigilantibus vel per nudas viſiones, vel per vocem. Dormientibus per ſomnia. Auguſtin. Steuchus ex Num. 12. quinque prophetiarum genera colligit 1. בְּמַרְאָה *per viſionem*, cùm rem in viſionibus revelatam intuemur. 2. בַּחֲלוֹם *in ſomnio*, quod contingit dormientibus, ac per internas viſiones fieri poteſt. 3. בְּחִידוֹת *in ænigmatibus*, cùm aliud videtur, aliud innuitur, ut erat, cùm Ezechiel librum comederet, qualis etiam fuit apocalypſis facta Johanni. 4. בִּתְמֻנַת יְהוָה *in figura vel idea Domini*, cùm rerum imagines intuemur. Quintum genus præſtantiſſimum eſt, quod fit per allocutionem divinã פֶּה אֶל פֶּה *ore ad os*, qui modus cum Angelis Moſi fideli Dei ſervo fuit communis. Pertinet etiam hûc modus revelationis per Urim & Thumim in pectorali Sacerdotis Ex. 28. v. 30. de quo ex Rabinis latè diſputant Galat. lib. 2. de arcan. cap. 12. Fagius in paraph. Chald. Ex. 28. Schindl. in Lex. in verbo אור ** Schickardus in tr. de Jure regio Ebr. משפט המלך inſcripto cap.** Qualis fuerit ille divinæ revelationis modus, exactè ſcire hominem hodiè arbitramur poſſe neminem. Confer tract. de legib. Cerem. & forenſ. §. 9.

13. 2. *Ex ſcribendi mandato.* DEUS non ſolùm per verbum ſuum hominibus ſeſe patefecit, ſed etiam illud ipſum verbum ſuum vivâ voce priùs prophetatum, poſteà per Moſen & Prophetas in Veteri, ac per Evangeliſtas & Apoſtolos in N. T. in Scripturas redigi voluit. Cùm enim per annos bis mille quadringentos & quinquaginta quatuor à creatione ſc. mundi uſque ad Moſis ætatem doctrina cœleſtis vivâ voce abſque ſcripto fuiſſet propagata & conſervata (cui propagationi & conſervationi doctrinæ cæleſtis per vivæ vocis traditionem inſerviit longævitas Patriarcharum, peculiares revelationes ſæpiùs factæ & repetitæ, repurgationes corruptelarum, factæ per Patriarchas &c.) tandem Deus vocavit Moſen, cui multis iiſque illuſtribus miraculis ac cumprimis mirandâ eductione filiorum Iſraël ex Ægypto maximam autoritatem conciliavit, per quem Hiſtoriam creationis & lapſus, promulgationem protevangelii, promiſſiones de Meſſia ſubindè iteratas & ſolennem divinæ legis repetitionem conſcribi voluit, ac Prophetis clariorem ſubindè revelationem doctrinæ de Meſſia proferentibus vaticinia ſua annotandi mandatum expreſſum dedit, quò pertinent diſerta mandata Moſi & Prophetis in V. T. data. Ex. 17. v. 14. *Dixit Dominus ad Moſen. Scribe hoc memoriale in libro* cap. 34. v. 27. *Scribe tibi verba hæc, quia ſecundùm verba iſta pepigi fœdus tecum & cum filiis Iſraël.* Eſaiæ dicit Dominus cap. 8. v. 1. *Tolle tibi volumen grande, & ſcribe in eo ſtylo hominis.* cap. 30. v. 8. *Scribe illud in tabula eis, & in libro exara illud, & erit in die noviſſimo in teſtimoniũ uſq; in ſeculum.* Jerem. dicit Dominus c. 30. v. 2. *Scribe tibi omnia verba, quæ ſum locutus ad te in libro.* cap. 36. v. 2. *Tolle tibi volumen libri, & ſcribes in eo omnia verba, quæ locutus ſum ad te ſuper Iſrael & ſuper Juda & ſuper omnes gentes à die, quâ locutus ſum ad te.* Ezechieli dicit Dominus cap. 24. v. 2. *Fili hominis, ſcribe tibi nomen diei, quo appropinquavit Rex Babel ad Jeruſalem.* cap. 43. v. 11. *deſcriptiones domus & omnes leges ejus ſcire fac eos & ſcribe in oculis eorum.* Habacuco dicit Dominus cap. 2. v. 2. *Scribe viſionem & explana in tabulis, ut percurrat, qui legerit eam.* Hûc pertinet, quod lingua Davidis dicitur *ſtylus prompti Scribæ* Pſ. 45. v. 2. qui Scriba non eſt alius quàm Spiritus ſanctus ſummus Scripturæ autor, ut docet Baſilius in enarr. hujus Pſalmi tom. 1. p. 273. De Evangeliſtis & Apoſtolis in N. T. paulò pòſt in quæſtionibus demonſtrabitur, quod ſcribendi mandatum à Deo acceperint. Ex quibus omnibus ſic concludimus. Cujus juſſu & mandato Prophetæ in V. T. & Apoſtoli in N. T. ſcripſerunt, is eſt ſum̃us Scripturæ autor. Jam verò Dei juſſu & mandato ſancti illi Dei homines ſcripſerunt. Ergò Deus eſt ſummus Scripturæ autor.

14. 3. *Ex interno ad ſcriptionem impulſu.* Sicut Spiritu ſancto φερόμενοι, inſpirati & impulſi locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Pet. 1. v. 21.

ita

ita quoque ejuſdem impulſu & inſpiratu ſcripſerunt. Ratio eſt, quia non ſolùm in prædicatione doctrinæ cœleſtis, ſed etiam in ſcriptione fuerunt Dei organa, undè in ipſis librorum exordiis ſeſe Dei ſervos & Chriſti Apoſtolos vocant. Cumprimis verò peculiariter notetur, quòd Scriptura ſacra vocetur θεόπνευςος 2. Timoth.3.v.16. Atqui auguſtum illud nomen obtinere minimè poſſet, niſi divinâ inſpiratione eſſet exarata & Deus ejus ſummus autor eſſet.

15. 4. *Ex auguſto ſcriptionis initio.* Deus non ſolùm verbum ſuum hominibus patefecit, in Scripturas illud redigi præcepit, & interno inſpiratu ad ſcribendum Prophetas & Apoſtolos impulit, ſed etiam verbi ſui ſcriptionem ſuo facto & exemplo initiavit, dedicavit & conſecravit, quando verba legis ſuæ tabulis lapideis ipſemet inſcripſit, ut ſic prima Scripturæ origo Deum ipſum autorem immediatum agnoſcat. Exod.24.v.1. *Dixit Dominus ad Moſen. Aſcende ad me in montem &c. & dabo tibi tabulas lapideas & legem & mandatum, quæ ſcripſi ad docendum eos.* Exod.32. v.16. *Et tabula opus Dei erant, & Scriptura Scriptura Dei erat.* Quod Rabini referente Galatino lib.7. de arcan. c.1. & Reuchlino lib.3. Cabalæ dicunt, *legem Dei ante mundi creationem conditam eſſe duobus annorum millibus ac literis igneis in dorſo ignis candidi ſcriptam*, id quilibet parabolicè dictum eſſe intelligit. Nimirùm pro more ſuo converterunt doctrinam majorum de æterna & immota legis norma in nugas & fabulas. Joſephus lib.1. antiquit. cap.3. mentionem facit quorundam, quæ à Setho duabus columnis ante diluvium fuerunt inciſa & inſcripta, ſed ea non pertinuerunt ad Scripturæ Canonem, ac hodiè amplius non extant, nos verò hoc loco de origine Scripturæ Canonicæ agimus. Auguſtin. lib.15. de Civ. Dei cap.23. de Enochi ſcriptis ſic diſſerit. *Scripſiſſe quidem nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adam negare non poſſumus, cùm hoc in Epiſtola Canonica Judas Apoſtolus dicat. Sed non fruſtrà non ſunt in ea Canone Scripturarum, qui ſervabatur in templo Hebræi populi ſuccedentium diligentiâ Sacerdotum. Cur autem hoc, niſi quia ob antiquitatem ſuſpecta fidei judicata ſunt, nec utrum hæc eſſent, quæ ille ſcripſiſſet, poterat inveniri, non talibus proferentibus, qui ea per ſeriem ſucceſſionis reperientur ritè ſervaſſe. Unde illa, quæ ſub ejus nomine proferuntur, & continent iſtas de gigantibus fabulas, quòd non habuerint homines patres, rectè à prudentibus judicantur, non ipſius eſſe credenda, ſicut multa ſub nominibus & aliorum Prophetarum & recentiora ſub nominibus Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum autoritate Canonicâ diligenti examinatione remota ſunt.* Hæc Auguſt. Sed Judas non dicit, Enochum ſcripſiſſe, ſed tantùm *prophetaſſe*, quod per prædicationem vivæ vocis fieri potuit, ac Judas hoc Enochi vaticinium habere potuit ex indubitata traditione, ſicut Paulus nomina Magorum *Jannes & Jambres* 2. Tim 3. v.8. Quidam de reali potiùs quàm verbali prophetia hoc accipiunt. Sicut mors corporalis in ſex priores patres Eccleſiæ, videlicet in Adamum, Seth, Enos, Kenan, Mahaleël & Jared propter peccatum efficaciter dominata eſt, in ſeptimum verò Enoch ſuam vim & potentiam exercere non potuit: ita quoque per ſex millia annorum, quibus mundus hic ſtabit, in omnes homines dominabitur, ſed in ſeptimo millenario, qui initium æternæ ac cœleſtis vitæ futurus eſt, amiſſo aculeo ſuo prorſus abolebitur, atque eò reſpicere arbitrantur Judam, quando Enochum ſeptimum ab Adamo de judicio extremo vaticinatum eſſe ſcribit.

16. Certum igitur & immotum eſto, Canonicæ Scripturæ initium à Deo ipſo in ſolenni legis promulgatione eſſe factum, quod ad autoritatem, dignitatem ac majeſtatem Scripturæ illuſtrandam plurimum omninò facit. Quæ enim *de libro Jobi* ab Origene lib.1. in Jobum & quibuſdam aliis afferuntur, quod eum Moſes apud Jethro ſocerum ſuum in terra Midian repererit, & ſecum ad filios Iſraël in Ægyptum attulerit, ut exemplo Jobi Pharaonicas oppreſſiones patienter ferre diſcerent, non poſſunt certis & immotis argumentis confirmari. Confer Sixt. Sen. lib.1. Biblioth. ſanctæ tit. Job. p.9. Judæi ex cap.24. Exod. v.7. ubi mentio fit *voluminis fœderis* ante allatas Decalogi tabulas, colligunt, Geneſeos librum à Moſe conſcriptũ fuiſſe, antequam Deus Decalogi tabulas ſcriberet. Sed manifeſtum eſt, in Moſaica illa relatione eſſe figuram anticipationis ſive ὕστερον πρότερον Scripturis ſacris familiarem, volumen enim illud fœderis fuit *liber teſtamenti*, quod Deus cum Iſraëlitis in monte Sinai iniit, h. e. liber legis. Hebr.9.v.19. quem ſcribendi mandatum tunc demùm Moſes accepit, cùm Deus Decalogi tabulas ſuo digito ſcripſiſſet. Exod.34 v.27. Num.21.v.14. mentio fit *libri bellorum Domini* סֵפֶר מִלְחֲמֹת יְהוָה· Quidam putant librum illum fuiſſe Judæis notum, hodiè temporum injuriâ amiſſum abſque ulla ſacrarum literarum jactura, cùm fuerit duntaxat Hiſtoricum ſcriptum. Quidam Hebræorum ſtatuunt, hunc eſſe librum Judicum, in quo multa deſcribuntur prælia, quæ Iſraëlitæ cum Amalec geſſerunt. Quicquid ſit, in Hebræo eſt futurum יֵאָמַר *dicetur in libro bellorum Domini*, ex quo manifeſtum eſt, librum illum poſt Moſaicos eſſe ſcriptum. Joſ.10.v.13. mentio fit סֵפֶר הַיָּשָׁר *libri juſtorum*, quod LXX. reddiderunt βιβλίῳ τοῦ εὐθοῦς. Quidam accipiunt de libro legis Moſaicæ, qui dicatur liber recti & æqui, eò quòd legem doceat. Rationem conjecturæ proferunt hanc, quòd in libro illo inveniantur promiſſa de oſtentis, quæ Deus propter Iſraëlitas ſit editurus. Quidam exiſtimant eſſe ipſum librum Joſuæ. Illud manifeſtum eſt, librum iſtum, quicunque tandem fuerit, non poſſe eſſe librum aliquem antediluvianum, cùm agatur de Hiſtoria, quæ ſub Joſua accidit. Non poteſt igitur certis & evidentibus argumentis demonſtrari, ante ſcriptionem legis Dei manu in tabulis lapideis exaratam librum aliquem ſacrum & Canonicum fuiſſe ſcriptum, ex quo porrò ſequitur, originem Canonicæ ſcripturæ ad Deum ipſum omninò eſſe referendam.

17. Ut autem in reliquis Dei operibus, ita quoque in revelatione verbi & promulgatione Scripturæ ordo ac diſcrimen perſonarum Trinitatis obſervandum. *De Patre* dicitur Luc.1. v.55. quòd *locutus fuerit ad Patres*. v.70. *per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt Prophetarum ejus.* Hebr.1.v.1. quòd *multifariam multisq́ modis* *Pater.*

locutus fuerit ad Patres per Prophetas, noviſſimè autem locutus nobis ſit ἐν υἱῷ, in Filio ac per Filium. v. 2. *per quem & ſecula fecerit*, hoc eſt: Quemadmodum Pater per Filium creavit totum hoc univerſum, non tanquam per inſtrumentum aliquod ſeparatum, nec tanquam per inferiorem aliquem miniſtrum, ſed ut per ſubſtantialem ac coeſſentialem virtutem: ita quoque per Filium locutus eſt, non tanquam per miniſtrum aliquem, quales fuerunt Patriarchæ, Prophetæ & Apoſtoli, ſed tanquam per eſſentialem & hypoſtaticam *ſapientiam*. 1. Corinth. 1. verſ. 30. Prov. 8. v. 12.

Filius.

Matth. 11. v. 18. *Filius* ſecunda Deitatis perſona propterea dicitur ὁ Λόγος, & in Chaldaicis Bibliis Maimerab, quia eſt perſona illa, per quam Pater cum primis parentibus & Patriarchis locutus eſt, quæque aliquoties in forma ea, quam in plenitudine temporis poſteà aſſumſit, Sanctis in V. T. apparuit, & familiariter cum eis locuta eſt. Hanc rationem appellationis ſuppeditat ipſe Johannes, quando poſt nomen Λόγου Filio attributum ſubjicit, ipſum *conſilium Dei* de ſalute noſtra *enarraſſe* cap. 1. v. 18. Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 14. p. 242. ſuper dictum. *Nemo cognovit Patrem, niſi Filius & quibuscunque Filius revelaverit. Revelaverit* (inquit) *non ſolum in futurum dictum eſt, quaſi tunc inciperet Verbum manifeſtare Patrem, cùm de Maria natus, ſed communiter per totum tempus poſitum eſt. Ab initio enim aſſiſtens Filius ſuo plaſmati revelat omnibus Patrem, quibus vult & quando vult, & quemadmodum vult Pater.* Nazianzen. orat. 2. de Filio p. 164. Filium inter reliquas cauſas dicit vocari Λόγον διὰ τὸ ἐξαγγελτικόν. Cùm in plenitudine temporis aſſumſiſſet humanam Naturam, ipſe in perſona propria per tres annos, & quod excurrit, ſemen verbi ſparſit, ſcripto verò nihil eorum complexus eſt. Quod enim de Epiſtola quadam Chriſti ad Agbarum Edeſſenorum Toparcham ex urbis Edeſſæ grammatophylacio deſumtum refert Euſebius lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 14. cùm ſit extra Scripturam Canonicam, eſt incertum. Baronius in annalibus ann. 31. num. 57. fidem hujus Epiſtolæ multis confirmare nititur, ſed opponimus illi autoritatem Gelaſii Pontificis, qui unà cum Concilio Romano utramque Epiſtolam tàm Agbari ad Chriſtum, quàm Chriſti ad Agbarum inter Apocrypha retulit c. Sancta Romana. diſt. 15. Gelaſii judicium ſequuntur Melchior Canus, qui Hiſtoriam de mutuis inter Chriſtum & Agbarum literis habet pro fabula, & Coſterus qui in Enchirid. p. 43. ſic diſputat. *Scripſit Chriſtus* Joh. 8. *digitis ſed in terram & nō nobis ſed Iudæis. Literæ Chriſti ad Agbarum Regem non extant propriâ Chriſti manu, neque unquam ab Eccleſia pro ejuſmodi ſunt accepta.*

Spiritus S.

De Spiritu ſancto hæc loquuntur dicta. 2. Sam. 23. v. 2. *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus fuit per linguam meam.* (Ut autem Spiritus Domini locutus eſt per Davidem, ita quoque ſcripſit per Davidem, undè linguam ſuam comparat *ſtylo prompti Scribæ.* Pſal. 45. v. 2. qui Scriba, ut ſuperiùs etiam monuimus, eſt Spiritus ſanctus) Act. 28. v. 25. *Benè Spiritus ſanctus locutus eſt per Eſaiam Prophetam ad Patres noſtros.* 1. Pet. 1. v. 11. *Spiritus Chriſti in Prophetis prædixit futuras paſſiones* 2. Pet. 1. v. 21. *Spiritu ſancto φερόμενοι locuti ſunt ſancti Dei homines.* Cùm Apoſtoli Synodicam Epiſtolam ſcriberent & auguſtum ſcriptionis initium in N. T. facerent, disertè addiderunt, *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Act. 15. v. 28.

18. *Cauſa inſtrumentales* Scripturæ S. fuerunt *ſancti Dei homines.* 2. Pet. 1. v. 21. h. e. homines peculiariter atque immediatè à Deo ad id vocati & electi, ut divinas revelationes ſcripto conſignarent, quales fuerunt Prophetæ in V. & Evangeliſtæ ac Apoſtoli in N. T. quos propterea meritò *Dei amanuenſes, Chriſti manus & Spiritus ſancti tabelliones ſive Notarios* vocamus, cùm nec locuti fuerint nec ſcripſerint humanâ ſive propriâ voluntate, ſed φερόμενοι ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου, acti, ducti, impulſi, inſpirati & gubernati à Spir. ſancto. Scripſerunt non ut homines, ſed ut *Dei homines*, h. e. ut Dei ſervi & peculiaria Spiritus S. organa. Quando igitur liber aliquis Canonicus vocatur liber Moſis, Pſalterium Davidis, Epiſtola Pauli &c. illud fit duntaxat ratione Miniſterii, non ratione cauſæ principalis, undè Auguſtin. lib. 18. de civ. Dei cap. 41. de Canonicis V. T. libris ſic loquitur. *Ipſi illis* (Iſraelitis) *Philoſophi, ipſi ſapientes, ipſi Theologi, ipſi Prophetæ, ipſi doctores probitatis atque pietatis. Quicunque ſecundùm illos ſapuit & vixit, non ſecundùm homines, ſed ſecundùm Deum, qui per eos locutus eſt, ſapuit ac vixit, non hæc ora humana, ſed oracula divina fuderunt.* De Canonicis N. T. libris idem lib. 1. de conſ. Evangel. cap. 35. ſic diſſerit. *Quicquid Chriſtus de ſuis dictis ac factis nos ſcire voluit, ipſis* (Evangeliſtis & Apoſtolis) *ſcribendum tanquam ſuis manibus imperavit.*

2. Inſtrumentales, quæ ſunt ſancti Dei homines.

19. Quæritur hoc loco. 1. *Quare Deus verbum ſuum prius vivâ voce propagatum in Scripturas redigi voluerit?* Oſtendit Chronologia, per 2454. annos cœleſtem doctrinam per vivæ vocis traditionem ſine Scripturarum adminiculo fuiſſe conſervatam, poſteà verò Deus per Moſen & Prophetas in V. ac per Evangeliſtas & Apoſtolos in N. Teſt. eandem literis mandari voluit, cujus conſilii ſui ipſum, utpotè ſapientiſſimum graviſſimas habuiſſe cauſas, dubitari nequit. Videntur autem fuiſſe præcipuæ & primariæ. 1. *Vitæ humanæ brevitas.* Patriarchæ plerique omnes, qui ante diluvium vixerunt, fuêre μακρόβιοι, quorum ætas ad octingentos & nongentos annos aſſurrexit Gen. 5. v. 5. & ſeqq. potuit igitur ipſorum temporibus doctrinæ ſinceritas per vivæ vocis traditionem conſervari, ſed anni poſterorum, qui poſt diluvium vixerunt, non attigerunt annos majorum. Gen. 47. v. 9. ac Moſes primus V. T. ſcriptor de ſuis temporibus dicit Pſ. 90. v. 10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſunt ſeptuaginta anni, ſi in excellentia octoginta anni*, ergò tùm non ampliùs commodè abſque ſcripto puritas verbi divini conſervari potuit. 2. *hominum numeroſitas.* Genus humanum progreſſu temporis magis magiſq; fuit multiplicatum & Eccleſiæ pomœria dilatata, ergò per Scripturas illis conſulendum fuit, cùm traditio pura & ſincera ad omnes non pertingeret. 3. *cuſtodiæ à traditione expectandæ infidelitas.* Quàm infidelis cuſtos puritatis in doctrina cœleſti fuerit traditio, oſtendunt tùm multiplices corruptelæ, quæ eo tempore, quo per traditionem doctrina conſervari

Q. 1. Quare Deus verbum ſuum ſcribi voluit?

debuit,

Digitized by Google

debuit, in Eccleſiam irrepſerunt, Joſ. 24. v. 3. *Patres veſtri Thare, Abraham, &c. ſervierunt Diis alienis.* Geneſ. 35. v. 2. in familia Jacobi inveniuntur *idola.* Ezech. 20. v. 7. Iſraelitæ in Ægypto coluerunt *offenſiones oculorum &c.* tùm crebræ illæ revelationes, quæ ad prohibendas & removendas illas corruptelas ſubindè fuerunt adhibitæ. 4. *memoriæ humanæ imbecillitas.* Cùm enim eorum, quæ humanum tranſcendunt captum, facilis ſit oblivio, ideò divinæ providentiæ conſultiſſimum fuit viſum, capita divinarum revelationum primaria ſcripto comprehendi. Juſtinus Apol. 2. pro Chriſt. p. 58. & in Dial. cum Tryph. ſcripta Evangeliſtarum vocat *ἀπομνημονεύματα*, q. d. *memoriæ mandata ac recitata Chriſti dicta & facta.* Euſebius l. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. de Matthæo ſcribit. *Cùm prædicaſſet Hebræis, & ad gentes ire pararet, utile judicavit, ſi iis, quos corpore deſerebat, aliquod memoriale doctrinæ ſuæ & prædicationis relinqueret.* Idem de eo affirmat Niceph. libr. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 45. *Diſcedens* (Matthæus) *abſentiam ſuam ſcripto præſenti compenſavit.* De Marco ſic ſcribit Niceph. lib. ejuſd. cap. 15. ſecutus Clementem Alexandrinum lib. 6. ſtrom. Hier. in catal. & Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 13. *Tantum in auditorum animis pietatis lumen reliquit Petrus, ut auditu contenti eſſe & in iis, quæ ſine ſcripto de divino verbo addidiciſſent, permanere non poſſent. Quam ob cauſam Marcum, qui tum Apoſtolum conſectabatur, magnâ animorum contentione obteſtabantur, ut monumentum aliquod traditæ ſine ſcripto diſciplinæ in literas relatum eis relinqueret, neque prius inde diſcederet, quam id, quod rogatus eſſet, perfeciſſet. Quo cognito Apoſtolus divino inſtinctu Spiritus, per quam eſt tamen eximia eorum virorum delectatus voluntate & cupiditate &c.* De Paulo idem libr. 2. Hiſt. c. 34. ſcribit. *Paulus ad eos quos ipſum adire Spiritus S. vis & gratia juſſerat, quosq; per fidem in Chriſtum Evangelicam magnificè regeneraverat, quæ præſens oratione ſuâ dilucidè docuerat, eadem per compendium abſens in memoriam revocans Epiſtolas dedit.* Hûc referri poteſt locus Petrinus 2. Epiſt. 1. v. 15. σπουδάσω δὲ καὶ ἑκάστοτε ἔχειν ὑμᾶς μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον τὴν τούτων μνήμην ποιεῖσθαι. *Quin & curam atque operam adhibebo, ut poſt meum deceſſum, omni tempore poſſitis horum de quibus nunc ſcribo, memoriam vobis renovare.* Id enim fecit relinquendo illis monumentum ſuarum Epiſtolarum, quibus ſæpè relectis futurum eſſet, ut præceptorum ac monitorum ejus nunquam obliviſcerentur; quem eſſe genuinũ hujus loci ſenſum, agnoſcit Eſtius ſcriptor Pontificius in com. 5. *cœleſtis doctrinæ ſtabilitas.* Hanc rationem exprimunt ipſimet Evangeliſtæ & Apoſtoli. Luc. 1. v. 3. *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere.* v. 4. *ut cognoſcas eorum verborum, de quibus inſtitutus es τὴν ἀσφάλειαν,* ubi trium verborum emphaſis probè notanda. Nam verbo ἀνατάξασθαι innuit propter corruptelas quorundam, qui vivâ voce aliena ab Evangelica veritate tradiderunt, opus fuiſſe accurato ſcripto rem prout geſta fuit à principio uſque ad finem exponente. Et quia ſe πεπληροφορημένα allaturum affirmat, omnem ſuſpicandi aut dubitandi de ſuo Evangelio occaſionem lectori præcidit. Atqui ut ipſum muniat contra figmenta, errores atque hæreſes, ἀσφάλειαν ſe traditurum pollicetur, quòd hujus narrationis præſidio tuti futuri ſint contra Satanæ fraudes & hominum commenta, quicunque in verè dictis acquieſcentes, non præbebunt aures mendaciis. Philip. 3. v. 1. *Eadem vobis ſcribere mihi quidem non eſt moleſtum, vobis autem ἀσφαλὲς, vos firmos ac tutos præſtat.* Iren. lib. 3. adv. hæreſ. cap. 1. *Apoſtoli, quod primùm præconiaverunt, poſteà per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* De Luca memorat Euſebius lib. 3. Hiſt. cap. 24. ideò eum ſcripſiſſe, *quia viderat multos alios temerè præſumſiſſe literis mandare, quæ non perfectè noverant, ut ab incertis aliorum narrationibus nos abſtraheret.*** 6. *Hominum improbitas.* Theophyl. in prooem. ſuper Matth. p. 1. *Magni quidem illi atque divini viri, qui ante datam Moſi legem vixere, non ex literis & libris diſcebant, ſed mundâ præditi mente, Spiritus illuſtratione illuminabantur, atque in hunc modum Deo ipſis ore ad eos colloquente, quæ Deo placita erant cognoſcebant. At poſtquam deteriores facti ſunt homines & indigni, qui à Spiritu S. illuſtrarentur & docerentur, conceſſit tandem miſericors Deus Scripturas, ut videl. per illas divinæ voluntatis eſſent memores.* Chryſoſt. hom. 1. in Matth. *Patriarchas & Apoſtolos mente puriores fuiſſe ac proinde Deum illos allocutum fuiſſe & ſine Scripturis docuiſſe, nos verò rudiores atque hebetiores eſſe ac proinde Deum voluiſſe nos per Scripturas erudire.*** 7. Acceſſit ad has cauſas in N. T. *hæreticorum perverſitas,* quæ fuit reprimenda. Illis enim figmentis ſuis erroneis traditionum nomen prætexere ſolenne fuit, quod de Simonianis memorat Iren. lib. 1. cap. 1. pag. 14. de Archonticis Epiphanius, ac de omnibus hæreticis Iren. lib. 3. cap. 2. de Johanne Evangeliſta commemorant pii veteres, quòd præcipua cauſa contexendæ Hiſtoriæ Evangelicæ ipſi extiterit Ebionis & Cerinthi hæreſis in Aſia ſpargi cœpta. Iren. lib. 3. cap. 11. pag. 184. *Johannes Domini diſcipulus volens per Evangelii annunciationem auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat hominibus errorem & multò priùs ab his qui dicuntur Nicolaitæ &c. ut confunderet eos &c. & regulam veritatis conſtitueret in Eccleſia, ſic inchoavit Evangelium.* Hieronym. in prooem. comm. in Matth. *Johannes Apoſtolus & Evangeliſta, cùm eſſet in Aſia, & jam tunc hæreticorum ſemina pullularent, Cerinthi, Ebiones & cæterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe &c. coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis & multarum Eccleſiarum legationibus de divinitate Salvatoris altiùs ſcribere, & ad ipſum, ut ita dicam, Dei verbum non tàm audaci quàm felici temeritate prorumpere undè Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria, cùm à fratribus cogeretur, ut ſcriberet, ita facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur, quo expleto revelatione ſaturatus illud prooemium è cœlo veniens eructavit. In principio erat verbum.* Tres haſce poſteriores ſcriptionis cauſas expreſſit Thomas de Aquin. in cat. aurea ſuper Evangel. *Scripſerunt,* inquit, *Evangeliſtæ & Apoſtoli 1. ut quos præſentes non poſſent, per Scripturam de Evangelio docerent. 2. ut in perpetua memoria conſervarentur, quæ de Chriſti dictis ac factis nos ſcire convenit. 3. ne per hæreticos falſa doctrina ſub nomine Evangelii ſpargeretur.*

Exegeſis.

Q. 2. An neceſſariæ fuerint Scripturæ?

20. Quæritur 2. *An neceſſarium fuerit Scripturas in Eccleſia extare?* Scripturas ſacras eſſe *utiles* nemo Chriſtianorum negare poteſt, cùm disertis verbis id aſtruat Apoſtolus 2. Timoth. 3 v. 16. inſtruunt enim nos de rebus Naturâ ignotis, nt patet ex doctrina Evangelii, conſervant doctrinæ pnritatem contra corruptelas & errores Matth. 22. verſ. 39. conſerunt nobis certitudinem Luc. 1. v. 3. 2. Pet. 1. v. 19. adeoque *πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ* ſunt *ὠφέλιμοι*, unde ad diligentem & aſſiduam earum lectionem revocamur Joh. 5. v. 39. 1. Tim. 4. v. 13. 2. Tim. 3. v. 15. hoc verò in quæſtione eſt, an cum utilitate illa etiam *neceſſitas* quædam ſit conjuncta, propter quam Deus in Eccleſia eas extare voluerit? Negat hoc Bellarm. libr. 4. de verbo Dei cap. 4. ac demonſtrare conatur, *Scripturas ſine traditionibus non fuiſſe ſimpliciter neceſſarias*, quam ſententiam ſic declarat, quòd neceſſariæ fuerint Scripturæ *non ſimpliciter, ſed ad bene eſſe*, id eſt, utiles duntaxat. Probat eandem ſequentibus fundamentis. 1. *quia ante Moſen nulla fuit Scriptura divina. Ut ergò potuit antiqua illa religio ſine Scriptura ad duo millia annorum conſervari, ita quoque doctrina Chriſti conſervari potuiſſet ſine Scriptura ad mille quingentos annos. 2. à Moſe uſque ad Chriſtum extiterunt quidem Scripturæ, tamen ea ſola erant Judæorum; reliquæ gentes, in quibus etiam erat apud aliquos vera religio & fides, ſolâ traditione non ſcripta utebantur. 3. In ipſo populo DEI etſi extarent Scripturæ, tamen magis utebantur Judæi traditione quàm Scripturâ, quia uſque ad tempora Eſdræ Scripturæ non erant redactæ ad formam librorum, ut facilè & commodè haberi poſſent, ſed erant diſperſæ in variis annalibus & chartis, & interdùm ex negligentia Sacerdotum longo tempore non inveniebantur.* 2. Reg. 22. *Eſdras autem poſt captivitatem omnia collegit & in unum corpus redegit. 4. à Chriſti adventu per annos multos Eccleſia fuit ſine Scripturis*, teſte Irenæo lib. 3. adverſus hæreſes cap. 4.

21. Ad hunc Bellarmini *μισοχεάτου* diſcurſum reſpondemus. 1. *in genere*. Diſtinguendum eſt inter *neceſſitatem abſolutam & hypotheticam*. Scripturæ non fuerunt neceſſariæ abſolutè & ſimpliciter, ſed ex hypotheſi *propter hominum corruptionem*, ut loquitur Chryſoſt. homil. 1. in Matth. & propter cauſas reliquas in præcedente quæſtione enumeratas. Potuiſſet nos Deus ſine ſcripturis ad vitam æternam erudire, ſed quia non niſi per Scripturas in negotio ſalutis nobiſcum agere voluit, ideò jam ex hypotheſi Scripturæ ſunt neceſſariæ.

22. 2. *In ſpecie* ad ſingula illius diſcurſus membra. 1. Alia eſt ratio temporum Moſis ætatem antegreſſorum, alia verò ſequentium. Temporibus Patriarcharum ante Moſen doctrinæ cœleſtis puritas vivæ vocis traditione commodè conſervari poterat, tùm propter ſummam Patriarcharum autoritatem variis teſtimoniis divinis confirmatam, tùm propter eorundem longævitatem, tùm ob Eccleſiæ ad unicam duntaxat gentem, aſtrictæ exiguitatem, tùm ob divinarum revelationum ſubinde repetitarum multiplicitatem, tùm ob corruptelarum raritatem, quippè quæ Patriarcharum autoritate ſtatim reprimebantur, tùm propter rudimentorum populo Dei ſancto ante Moſen uſitatorum varietatem, quæ cùm pleraque omnia temporibus Moſis deſinerent, divina ſapientia Scripturas judicavit Eccleſiæ eſſe neceſſarias. 2. Apud gentes ad Eccleſiæ Iſraeliticæ conſortium vocatas non fuiſſe Scripturas uſitatas, ſed ſolâ traditione non ſcriptâ eas fuiſſe contentas, gratis dicitur. Quomodo enim ignotæ potuerunt eſſe Scripturæ ſacræ illis, qui fidei confeſſione populo Iſraelitico ſeſe aggregarunt, cùm principale & primarium fidei Iſraeliticæ caput, imò fundamentum fuerit illud, quod in Moſaicis & Propheticis Scripturis cœleſtis doctrina viam ſalutis docens contineatur? Notum eſt Ptolemæo Philadelpho Ægypti Regi allata eſſe Biblia & ejuſdem auſpiciis in Græcam linguam converſa. Nota ſunt Philoſophorum & Poëtarum gentilium furta, quibus quædam ex ſacris literis in ſuos tranſtulêre libros. Eunuchus Reginæ Candacis in curru legit Eſaiam Prophetam Act. 8. v. 28. Quando *Moſes*, id eſt, ſcripta Moſaica, *à temporibus antiquis in ſingulis Judææ civitatibus per omne Sabbatum in Synagogis fuêre prælecta*. Act. 15. v. 21. potuerunt etiam proſelyti ad eorum auditionem accedere. Ac ſi vel maximè evictum eſſet, gentes illas ad verum Iſraëlis DEUM converſas ſolâ traditione non ſcriptâ fuiſſe uſas, tamen illud duntaxat probaret, Scripturas non eſſe in individuo omnibus ad ſalutem abſolutè neceſſarias, cùm vivæ vocis prędicatione Scripturis per omnia conformi quidam convertantur, ſed ex eo inferri non poſſet, reſpectu ad totam Eccleſiam habito Scripturas non eſſe neceſſarias. 3. Ejuſdem veritatis eſt, quod etſi in populo Dei extarent Scripturæ, Judæi tamen magis uſi fuerint traditione quàm Scripturâ. Iſraëlitæ enim ubique ad ſcriptam Dei legem tanquam ad unicam fidei, morum & cultus divini regulam revocantur. Deut. 4. v. 26. cap. 12. v. 32. Joſ. 23. v. 6. Eſa. 8. v. 20. nuſpiam verò ad traditiones non ſcriptas remittuntur. Certè quæ parentes jubêtur filiis ſuis enarrare Deut. 6. v. 20. Pſ. 44. v. 1. Pſ. 78. v. 3. ea non ex traditionibus, ſed ex ſcripta Dei lege erant unicè petenda. Ac teſtatur Hiſtoria illius ipſius temporis, quod Bellarminus adducit, quoties Judæi vel latum unguem à Scripturæ regula ad traditiones, conſuetudines, proprias ratiocinationes, exempla aliarum gentium &c. diſceſſerunt, protinùs ad errorum præcipitia eos fuiſſe abductos & corruptelas cœleſti doctrinæ fuiſſe illatas. Quid *quod non deſunt quidam Catholici, qui negant ullam fuiſſe traditionem non ſcriptam apud Judæos*, fatente Bellarmino lib. 4. de verbo Dei ſcripto cap. 8. quomodo igitur magis traditioni quàm Scriptutis adhæreſcere potuerunt? Quod probationis loco Bellarminus adducit, parum roboris obtinet. Eſdras Pſalterium & alios libros ſacros in ordinem redegit, non tamen ita perturbatæ & ignotæ ante ipſum fuerunt Scripturæ, ut legi non potuerint. 4. Paucis initio N. Teſt. annis Chriſti & Apoſtolorum doctrina ſine ſcripto conſervata fuit. (Juxta Irenæi ſupputationem per viginti annos Eccleſia Nov. Teſt. ſcriptis Apoſtolicis caruit, refert enim Matthæum tunc primum ſcripſiſſe, cùm Paulus jam eſſet Romæ. Sed Theophylactus dicit, Matthæum octavo

ſtatim

ſtatim poſt Chriſti aſcenſionem ſcripſiſſe anno, ac Paulus antequam Romam duceretur, jamdum aliquot Epiſtolas ad minimum ſex ſcripſerat) poſteà verò cùm Evangelij doctrina ad gentes eſſet propagata, ipſâ experientiâ de Scripturæ neceſſitate Apoſtoli edocti fuerunt, quod Bellarminus ipſe quodammodo agnoſcit, quando in hoc ipſo capite §. Secundò &c. ſic ſcribit: *Apoſtoli ad prædicandum ſuâ ſponte & ex proprio inſtituto perrexerunt, ſed ad ſcribendum non niſi neceſſitate quadam coacti animum applicuerunt.* Adde quod diverſa ſit ratio illorum temporum, quibus Apoſtoli vixerunt, & eorum, quæ mortem Apoſtolorum ſunt ſecuta. Apoſtoli immediato Spiritus ſancti afflatu ducti habuerunt privilegium infallibilitatis, ſed Apoſtolorum in miniſterio ſucceſſores eodem fuêre deſtituti. Dn. Chemnicius in exam. Concion. pag. 29. etiam hoc monet, quod doctrina Evangelij antequam conſcriberetur, fuerit prius contra Judæorum & gentium calumnias & contradictiones prædicatione Apoſtolorum ſignis & prodigiis per totum terrarum orbem confirmanda & aſſenſione credentium in omnibus terris comprobanda, ut certi eſſemus, ea quæ ſcripta ſunt, non eſſe dubia, incerta & parum firma, ſed πεπληροφορημένα. Luc. 1. v. 1. hoc eſt, à Deo per Apoſtolos confirmata, & à primis fidelibus per totum mundum ut certiſſimæ fidei comprobata. Denique illo ipſo tempore, quo Eccleſia N. Teſt. ſcriptis Apoſtolicis fuit deſtituta, extabat Vet. Teſtam. Scriptura, in qua ejuſdem doctrinæ, quam Apoſtoli tradiderunt, ſumma exponitur, & ad cujus lectionem auditores ſuos remiſerunt. Joh. 5. v. 39. 2. Tim. 3. v. 15. &c.

Q. 3. An Evangeliſtæ & Apoſtoli habuerint ſcribendi mandatum.

23. Q. 3. *An Evangeliſtæ & Apoſtoli in Nov. Teſtam. habuerint ſcribendi mandatum?* Negant Pontificij. Sic enim Lindanus libr. 1. panopl. cap. 23. *Natura verbi Evangelici à ſcripto & literis planè abhorret.* Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 4. §. Secundò. *Si Chriſto & Apoſtolis fuiſſet propoſitum, verbum Dei coarctandi & reſtringendi ad Scripturam, inprimis rem tanti momenti Chriſtus apertè præcepiſſet, & Apoſtoli alicubi teſtarentur, ſe ex mandato Domini ſcribere, quemadmodum ex mandato Domini in toto orbe docuerunt. At id nusquam legimus.* Coſterus in Enchir. pag. 43. *Chriſtus Eccleſiam ſuam à chartaceis ſcriptis pendere, & myſteria ſua membranis committere noluit.* Piſtor. in hodeget. pag. 32. *Apoſtoli non ſcripſerunt ex propoſito, ſed propter incidentem neceſſitatem.* pag. 33. *non ex Dei mandato.*

24. Contra erroneam illam aſſertionem argumenta producimus ſequentia. 1. *ex impulſu divino*, quo ad ſcribendum ſancti Dei homines permoti fuerunt. Quicunque impulſu & inſpiratione divinâ permoti ad ſcribendum acceſſerunt, illi mandato & voluntate Domini ſcripſerunt. Ratio eſt, quia in ſanctis Dei hominibus mandatum exterius & impulſus interior æquiparantur. Quid enim aliud eſt divinus ille impulſus quàm mandatum internum & occultum ejuſdem omninò autoritatis ac ponderis cum mandato externo & manifeſto? Etiam Prophetæ in Vet. Teſtam. non ſemper acceperunt externum & expreſſum mandatum ſcribendi, & tamen Scriptura ipſorum eſt, & judicatur divina ex Dei mandato profecta. Oſe. 8. v. 12. *ait Dominus, ſcripſi illis magnalia legis meæ*, ubi Moſaicam Scripturam ex inſtinctu & impulſu ſuo profectam ſibi ipſi tribuit. Jam verò Evangeliſtæ & Apoſtoli impulſu & inſpiratione divina permoti ad ſcribendum acceſſerunt. Probamus hoc teſtimoniis. 1. *Scriptura.* πᾶσα γραφὴ ſcilicet ἱερά, ut ex verſ. præced. conſtat, ἐστι θεόπνευστος, ait Apoſtolus 2. Timoth. 3. v. 16. impulſu divino tradita, & quaſi *inſpirata*, ubi loquitur non ſolùm de libris Vet. Teſtam. ſed etiam de ſcriptis Nov. Teſtam. quæ illis ſunt omninò homogenea, quæque eo tempore maximâ ex parte jam tum extabant, cùm hæc poſterior ad Timotheum Epiſtola inter omnes Apoſtolicas ſit ultima Anno Chriſti 59. ſcripta. a. *Patrum.* Iren. lib. 3. adv. hæreſ. cap. 1. *Apoſtoli quod primum præconiaverunt, poſteà per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt.* Athanaſius in Epiſtola ad Liberium de Chriſto ſcribit. *Hic Vet. & Nov. Teſtam. compoſuit.* Epiphanius contra ἀλόγους. *Tunc Spiritus ſanctus impellit Lucam, ut ab imo profundo proferret ſententiam confutantem deceptos, neque denuò manum admoveret iis, quæ alii prætereierunt.* Dorotheus Cyri Epiſcopus refert, *Lucam ex mandato Petri ſuum Evangelium & Acta ſua ex mandato Pauli exaraſſe.* Atqui illa mandata Petri & Pauli ex Spiritus ſancti inſpiratione fuêre profecta, quia φερόμενοι à Spiritu ſancto locuti ſunt ſancti Dei homines. 2. Petr. 1. v. 21. De Marco ſcribit Hieron. in catalog. quòd *Petrus Evangelium rogatu fratrum Romæ ab ipſo ſcriptum approbaverit, & Eccleſiæ legendum ſuâ autoritate commendârit*, quibus ſimilia ex Clemente Alexandrino recenſet Euſebius lib. 1. cap. 15. ut paulò ſuperiùs etiam monuimus August. lib. 1. de conſ. Evangel. cap. ult. *Cùm illi* (Evangeliſtæ & Apoſtoli) *ſcripſerunt, quæ ille oſtendit & dixit, nequaquam dicendum eſt, quòd ipſe non ſcripſerit, quandoquidem membra ejus id operata ſunt, quod dictante capite cognoverunt. Quicquid enim ille de ſuis dictis & factis nos legere voluit, hoc ſcribendum eis tanquam ſuis manibus imperavit. Hoc unitatis conſortium & in diverſis officiis concordium membrorum ſub uno capite miniſterium quisquis intellexerit, non aliter accipiet, quod narrantibus diſcipulis Chriſti in Evangelio legerit, quàm ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit.* Eucherius in regulis. *In conſilio Dei nobis utique inacceſſibili & incomprehenſibili ante ſecula depoſitum eſt, quando & qualiter, quibusve autoribus Scriptura ſacra conderetur.* 3. *ipſorum adverſariorum.* Bellarm. lib. 4. de verbo Dei cap. 3. §. Falſum. *Non negamus, quin Deo volente & inſpirante Apoſtoli ſcripſerint quæ ſcripſerunt, aliud verò eſt aliquid facere Deo ſuggerente & inſpirante, aliud coapertè præcipiente.* Et poſteà. *Loquitur Auguſtinus de imperio interno; quo Chriſtus inviſibiliter ut caput membra ſua movet ad varias actiones, quod imperium ſuggeſtio quædam & inſpiratio potius, quàm præceptum propriè dictum exiſtimari debet.* (Imò verò quæ ex inſpiratione divina Prophetæ olim protulerunt & fecerunt, ea ex mandato Domini protuliſſe & feciſſe cenſentur. Idem de Apoſtolis eſto judicium. Neve quis ex loco Apoſtolico 1. Cor. 7. v. 25. diſcrimen faciendum cenſeat inter Dei mandatum & inſpirationem, notandum, quòd

Apoſtolus loquatur de mandato quodam generali omnes virgines obligante, quòd expreſſè & ſpecialiter hac de re à Deo ſit promulgatum, à quo diſtinguit ſuam γνώμην temporum illorum & perſonarum conditioni prudenter accommodatam. Perſtat igitur concluſio, quòd Evangeliſtæ & Apoſtoli ex mandato & voluntate Dei ſcripſerint.

25. 2. *Ex mandato Chriſti*, quo jubentur *docere omnes gentes*. Qui jubentur docere omnes gentes, illi etiam jubentur doctrinam ſuam ſcripto complecti, neque enim omnes gentes etiam ſecuturi temporis vivâ voce abſque ſcripto docere poterant. Jam verò Apoſtoli jubentur *docere omnes gentes* Matth. 28. verſ. 19. non illius ſolùm, ſed etiam ſecuturi temporis, ut conſtat ex promiſſione addita verſ. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*. Ergò. Dixerit aliquis, *ſi ex his verbis Chriſti evinci poſſet, mandatum ſcribendi Apoſtolis fuiſſe datum, conſequens fore, quòd debuerint omnes ſcribere, cum omnes ex æquo hoc mandatum acceperint*. Reſp. mandatum hoc toti Apoſtolorũ Collegio, ac venerandæ dodecadi fuit datum. Sufficit ergò, quòd quidam illorum ſcripſeriot, quorum ſcripta reliqui ſuo ſuffragio confirmarunt, & auditores ſuos ad ea remiſerunt. Maodatum prædicandi pertinebat non ſolùm ad univerſos, ſed etiam ſingulos, ſed ſcribendi mandatum à quibuſdam duntaxat executiooi fuit dandum, cùm oon fuerit neceſſarium omnes ac ſingulos ſcribere, quod ipſum ex peculiari DEI inſtioctu & familiari Spiritus ſancti alloquio cognoſcere potuerunt.

26. 3. *Ex Apoſtolorum officio*. Quorum officium eſt oon ſolùm vivâ voce *prædicando*, ſed etiam *ſcribendo* de Chriſto Salvatore teſtari, illorum Scriptura à mandato divino origioem trahit. Ratio eſt, quia niſi Scriptura illa eſſet divina & à divino mandato profecta, utique nec teſtimooium poſſet eſſe divinum. Teſtis in judicio non requiſitus audiri non debet. Jam verò Apoſtoli non ſolùm vivâ voce prædicando, ſed etiam ſcribendo de Chriſto teſtati ſunt, ac teſtari etiam debuerunt. Johan. 15. v. 27. *Vos perhibebitis de me teſtimonium*. Actor. 1. verſ. 8. *eritis mihi teſtes in Ieruſalem & in omni Iudea & Samaria uſque ad fines terræ*. Act. 10. v. 41. *Dedit Deus eum manifeſtum fieri nobis præordinatis teſtibus*. v. 2. *& præcepit nobis prædicare populo & teſtificari*. Quomodo verò teſtificati ſunt de Chriſto? num ſolâ prædicatione, an verò etiam ſcriptione, reſpondet emphaſis dictorum Scripturæ. Johann. 21. v. 24. *Hic eſt diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus, quia verum eſt teſtimonium ejus*. Apocal. 1. v. 2. *Iohannes teſtificatus eſt verbum Dei & teſtimonium Chriſti & quæcunque vidit*. v. 3. *Beatus, qui legit & audit verba prophetiæ hujus*. Peculiariter notandus locus iuſignis 1. Joh. 1. v. 3. & 4. ubi tres Apoſtolici officij enumerantur partes, videlicet primò *videre & audire*, ſecundò *annunciare*, tertiò inſuper *ſcribere*, & additur finis ſcriptionis, qui divinam ejus originem comprobat. *Quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, & hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit plenum*.

27. 4. *Ex ſpeciali ſcribendi præcepto*. Johannes Apoſtolus expreſſum & ſpeciale ſcribendi mandatum divinitùs accepit. Ergò negari oequit, ſaltem aliquem ex Apoſtolis ex mandato ſcripſiſſe. Apoc. 1. v. 11. *Quod vides, ſcribe in libro*. v. 19. *Scribe, quæ vidiſti* cap. 2. v. 1. *Angelo Epheſinæ Eccleſiæ ſcribe*. v. 8. *Angelo Smirnenſis Eccleſiæ ſcribe*. Idem mandatum repetitur cap. 2. v. 12. & 18. cap. 3. v. 1. 7. & 14. cap. 14. v. 13. cap. 19. v. 9. cap. 21. v. 5. Jam verò in hoc ſcriptionis opere eſt par ratio Johannis & reliquorum Nov. Teſtam. ſcriptorum, cùm omnes ex ioſpiratione divina ſcripſerint, quæ expreſſo & diſerto mandato hîc æquiparatur. Excipit Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 3. *quòd Iohannes juſſus fuerit ſcribere arcanas quaſdam viſiones, non doctrinam Evangelij & præcepta morum*. Reſp. & falſa & inconveniens eſt hæc exceptio. Prius conſtat ex allegatis Apocalypſeos locis, in quibus ad *Aſiæ* Epiſcopos oon ſolùm arcanas quaſdam viſiones, ſed etiam ex quæ ad Evangelij doctrinam & præcepta morum vel maximè pertinent, divino maodato Johannes ſcribit. Poſterius ſic oſtendimus. De ſimilibus & homogeneis eſt idem judicium. Atqui viſionum divinarum & doctrinæ Nov. Teſtam. hactenùs eſt eadem ratio, quòd utræque originem ducant à divina revelatione, ac utræque ab Apoſtolis Spiritus ſancti impulſu fuerint prædicatæ & ſcriptæ. Ergò de utriſque idem debet eſſe judicium. De Prophetarum ſcriptis itidem quoad ſingulas partes & pericopas ſpecialiter oſtendi nequit, quod divino mandato expreſſo eas ſcripſerint, interim tamen quia generalia mandata & teſtimonia de ipſorum ſcriptis extant, ideò omnes & ſingulæ ſcriptorum illorum partes divino maodato editæ rectè judicantur. Cur igitur de tota Apocalypſi, imò de omnibus & ſingulis N. T. libris idem pronunciare verebimur? Si de ſolis viſionibus annotandis Johannes mandatum accepiſſet, utiq; io Apocalypſeos ſcriptione nihil quicquam attuliſſet ad doctrinam Evangelij & præcepta motum pertinens, ut fines mandati divinitùs accepti tranſiliret.

28. 5. *Ex Spiritus ſancti approbatione*. Quam Scriptionem Spiritus ſanctus diſertè comprobavit, ea non poteſt non eſſe divina & ex divino mandato profecta, ſiquidem quod Spiritus ſanctus approbat, illud eſt divinæ voluntati & mandato conforme. Jamverò Apoſtolorum ſcriptionem SS. diſertè comprobavit, tùm Synodicâ illa Epiſtolâ Actor. 15 v. 28. quæ fuit ſcriptionis in Nov. T. initium, io qua diſertis verbis Apoſtoli dicunt. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, tùm miraculis per Apoſtolos editis, ijſdem enim miraculis, quibus confirmata eſt Apoſtolorum prædicatio, confirmata etiam eſt ipſorum ſcriptio. Si Princeps literis quibuſdam ſigillum ſuum imprimit, confirmat literarum ſcriptionem, ac judicatur illud ipſum, quod in literis cootinetur præcepiſſe. Sed ſcriptio Apoſtolorum habet adjunctum *ſigillum miraculorum*. 2. Cor. 12. v. 12, Heb. 2. v. 4. &c. Ergò eſt divinitùs confirmata. Huc referri poteſt mandatum Chriſti de *ſcrutandis Scripturis*. Johan. 5. v. 39. quod generale eſt & tàm N. quàm V. T. ſcripta reſpicit, utraq; enim de Chriſto teſtantur. Itemque præceptum illud Apoſtolicum *attende lectioni*. 1. Tim. 4. v. 13. quod itidem non V. ſolùm, ſed & N. T. libros reſpicit.

29. 6. *Ex*

29. 6. *Ex deductione ad abſurdum*. Si Evangeliſtæ & Apoſtoli abſque mandato divino ſcripſiſſent, Scriptura ipſorum non eſſet divina. Quodcunq; enim deſtituitur divino mandato, non poteſt haberi pro divino, cùm illud ſolum Deo placeat, & probetur, quod ipſius mandato eſt conforme. Et quales tandem erunt Apoſtoli, ſi Dei nomine literas ſcripſerint abſque Dei mandato, cùm læſæ majeſtatis crimen incurrat, qui Principis nomine abſque ejus mandato literas ſcribit? Apoſtoli fuerunt *Dei Legati*. 2. Corin. 5. v. 20. quocunque igitur modo ſive prædicatione ſive ſcriptione voluntatem Dei expoſuerunt, Legantis nomine mandato & autoritate id feciſſe, judicandi ſunt. Sicut *Spiritu ſancto* φερόμενοι *locuti ſunt ſancti Dei homines*. 2. Pet. 1. v. 21. ita quoq; ejuſdem ductu & impulſu ſcripſerunt, quod quiſquis præfractè negat, divinam Scripturæ autoritatem ſi non directè, tamen obliquè convellit. ** Theoph. præfat. in Matth. *Cùm in V. T.* δέδωκεν ὁ φιλάνθρωπος θεὸς τὰς γραφὰς *etiam in Novo* ἠξίωσε γραφῆναι τὰ εὐαγγέλια.**

30. Argumenta Pontificiorum facilem habent explicationem, ſi obſervetur diſtinctio ſuperiùs tradita inter mandatum externum & internum. Bellarminus d. l. hæc profert 1. *Apoſtoli ad prædicandum vivâ voce non expectarunt oblatam occaſionem vel neceſſitatem, ſed ſponte ſuâ & ex proprio inſtituto perrexerunt, at ad ſcribendum non niſi neceſſitate quadam coacti animum applicuerunt. Matthæus eâ occaſione ſcripſit, quòd ad gentes abiturus Hebræis memoriale doctrinæ ſuæ relinquere voluit. Marcus precibus Romanorum compulſus Evangelium ſcripſit, Lucas ad incertas aliorum narrationes retundendas ſcripſit. Iohannes propter exorientem Ebionitarum hæreſin Evangelium ſcripſit. Ergò non de ſcribendo, ſed de prædicando primariâ intentione cogitarunt, nec ſcribendi mandatum acceperunt.* Reſp. 1. Si Apoſtoli *neceſſitate quadam coacti animum ad ſcribendum applicuerunt*, quod hoc loco Bellarminus aſſerit, utique Scripturas judicarunt eſſe neceſſarias, quod tamen Bellarm. negat lib. 4. de verbo Dei cap. 4, 2. Occaſiones ſcribendi Apoſtolis exteriùs oblatæ non tollunt internum ſcribendi mandatum, ſed illud potiùs ſtabiliunt, cùm mirabili divinæ providentiæ diſpoſitione occaſiones illæ Apoſtolis oblatæ fuerint, & ad eas interior Spiritus ſancti impulſus poſteà acceſſerit, quo permoti manum ſcriptioni adhibuerunt. 3. Ejuſmodi occaſiones in ipſa Apoſtolorum prædicatione alicubi occurrunt. Act. 17. verſ. 16. Paulus cùm Athenis Silam & Timotheum expectaret, *incitabatur Spiritus ejus in ipſo videns idololatriæ deditam civitatem*. Confer totam Actorum Apoſtolicorum Hiſtoriam. Jam verò Bellarminus concedit, Apoſtolos ex mandato Dei prædicaſſe. Agnoſcat igitur occaſiones ad ſcribendum oblatas cum mandato ſcribendi minimè pugnare. 4. Quod Eccleſia illius temporis ab Evangeliſtis & Apoſtolis petiit, id fuit divinæ voluntati conforme. Ergò Deus ipſum voluiſſe cenſendus eſt.

31. 2. *Si Apoſtoli doctrinam ſuam literis conſignare ex profeſſo voluiſſent, certè Catecheſin aut ſimilem librum confeciſſent. At ipſi vel Hiſtoriam ſcripſerunt, ut Evangeliſtæ, vel Epiſtolas ex occaſione aliquâ, ut Petrus, Paulus, Iacobus, Iudas, Iohannes, & in iis non niſi obiter diſputationes de dogmatibus tractaverunt. Denique vel ſinguli Apoſtoli edidiſſent ſcriptam doctrinam, cùm ſinguli haberent curam alicujus provinciæ, vel certè omnes ſimul congregati, antequam diſcederent in ſuas provincias, communem aliquem librum edidiſſent, ſicut conſtat eos communiter Symbolum fidei compoſuiſſe.* Reſp. hæc omnia nondum probant, Apoſtolos ſine mandato divino Scripturas edidiſſe: 1. Evangeliſtæ Chriſti dicta & facta literis mandare, non autem Catecheſin aliquam tradere & voluerunt & debuerunt, ſed in illis ipſis Chriſti concionibus omnes fidei Chriſtianæ articuli proponuntur. Vide. Cent. 1. Magdæburg. & Syntagma Wigandi. 2. Apoſtoli nequaquam obiter duntaxat & ὡς ἐν παρόδῳ, ſed ex profeſſo ſummos fidei articulos tractant, ut ex inductione probari poteſt. Articulus de Juſtificatione in Epiſtolis ad Romanos, Galatas & Epheſios fundamentaliter explicatur. Articulus de Euchariſtia 1. Corinth. 10. & 11. articulus de Chriſti & noſtra reſurrectione 1. Corint. 15. &c. 3. Singulos Apoſtolos doctrinam ſuam ſcripto complecti vel omnes communem aliquem librum edere non fuit neceſſarium, quia quæcunque omnes & ſinguli docuerunt, fuerunt invicem exactiſſimè ſibi conformia, ac quòd unus ipſorum ſcripſit, nomine omnium ſcripſit. Johannes reliquorum Evangeliſtarum ſcripta approbavit, & Canonicas Nov. Teſtam. Scripturas collegit, referente Euſebio lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. Epiphanio hæreſ. 51. contra ἀλόγους &c. 4. Symbolum Apoſtolicum eſt inſtar alicujus Catecheſeos. Atqui illud totum in ſcriptis Apoſtolicis continetur Aug. lib. 1. de Symb. *Illa verba, quæ audiſtis, per divinas Scripturas ſparſa ſunt.* Ergò catecheſis aliqua ab Apoſtolis ſcripta deſiderari nequit.

32. 3. Andradius, Lindanus & Coſterus adducunt dictum Propheticum Jer. 31. v. 33. *Dabo legem meam in corda eorum, & in interiori eorum ſcribam eam*, ac illud Apoſtolicum 2. Corinth. 3. v. 3. *Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta à nobis non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis*, ex quibus colligunt, *Chriſtum non voluiſſe Eccleſiam ſuam à chartaceis ſcriptis pendere, nec membranis myſteria ſua committere.* Bellarminus crudum illud pronunciatum ſic emollit. *Dicimus Nov. Teſt. præcipuè in corde ſcribi debere, nec neceſſariò exigere, ut ſcribatur in libris.* Reſp. 1. Scripturæ nomine, quam phraſi Suenckfeldianâ *libros chartaceos & membranas*, per contemtum appellant, complectimur non ſolùm externos literarum apices & characteres, ſed etiam res ipſas per characteres ſignatas, id eſt, ipſum Dei verbum ac divinam patefactionem externis characteribus ἐκτετυπωμένην & expreſſam, ut in ὀνοματολογίᾳ monuimus. Jam verò res illæ ſive doctrina cœleſtis in Scripturis propoſita ita comparata eſt, ut ab interiore illa Scriptura, factâ per Spiritum ſanctum in cordibus hominum, eſſentialiter minimè differat, cùm eadem myſteria, quæ Spiritus ſanctus cordi Eccleſiæ ſive credentium inſcribit, etiam literis ſcribi voluerit. Johan. 20. v. 31. Roman. 1. v. 16. &c. atque Eccleſiam ab ea pendere debere diſertè præceperit. Deuter. 4. v. 2. Eſa. 8. v. 20. Luc. 16. verſ. 29. Johan. 5. v. 39.

2. Pet. 1.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

2.Pet.1.v.19. 2. In dicto Propbetico agitur de diſcrimine Veteris ac Novi Teſtamenti. Illud continet doctrinam mandatorum ſcriptam in tabulis lapideis, per quam corda interiùs non renovantur: hoc verò continet promiſſionem gratiæ, per quam datur Spiritus ſanctus corda regenerans & renovans, ſed ex eo inferri nequit, doctrinam N.T. non debuiſſe literis commendari. 3. Quæ enim hæc eſt conſequentia? Deus in N. T. per opus regenerationis & renovationis ſcribit legem in cordibus credentium. Ergò Apoſtoli non habuerunt mandatum ſcribendi, vel ergò Eccleſia non pendet à libris Propheticis & Apoſtolicis? Deum per Spiritum ſanctum tanquam ſalutarem *digitum* ſuum Matth.12.v.27.Luc.11.v.20. verbum Evangelij ſcribere in cordibus hominum, atque idem per Apoſtolos velut amanuenſes membranis ſive chartis inſcribere, nequaquam ſeſe mutuò tollunt, ſed invicem probè conſiſtere poſſunt, præſertim cùm poſt editam Nov. T. Scripturam Deus nequaquam velit immediatè nobiſcum agere, ſed mediatè videlicet per verbum ſuum Propheticis & Apoſtolicis libris comprehenſum nos renovare & legem ſuam cordibus noſtris inſcribere.** Hieron. in comm. Nunc autem in Evangelio poſt crucem, reſurrectionem & aſcenſionem dare ſe pactum non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus pollicetur. Cumque ſcriptum fuerit Domini Teſtamentum in mente credentium, ipſum eſſe eis in Deum, & illos eſſe in populum, ut nequaquam Judaicos quærant Magiſtros & traditiones & mandata hominum, ſed doceantur à Spiritu ſancto, ſi tamen audire mereantur, templum DEI eſtis & Spiritus Dei habitat in vobis, Spiritus autem ſpirat ubi vult & diverſas babet gratias. ** 4. Modus ſcribendi *metaphoricus* non tollit, ſed potiùs præſupponit modum ſcribendi *proprium*. Nec ex diverſo ſcribendi modo rerum ſcriptarum diverſitas erui poteſt. 5. Si hic eſſet ſenſus dicti Prophetici, quòd doctrina N. T. non debeat ſcripto comprehendi. quorſum Apoſtoli eam ſcripto comprehendere voluiſſent? Aut negandum erit libros illos N T. eſſe divinos & Apoſtolicos, id eſt, immediato Spiritus ſancti afflatu perſcriptos, aut concedendum, externam Apoſtolorum ſcriptionem cum interiore & ſpirituali illa ſcriptione, cujus Propheta meminit, minimè pugnare. 6. Autor Epiſtolæ ad Hebræos in media ſcriptione, dum doctrinam Nov. T. literis commendat, illam ſententiam Jeremiæ allegat cap. 8. v. 10. Paulus jamtum ſcripſerat utramque Epiſtolam ad Theſſalonicenſes & priorem ad Corinthios, quando dicit. *Vos eſtis Epiſtola non atramento, ſed Spiritu ſcripta*, ac illud ipſum tunc non vivâ voce tradebat, ſed ſcribebat. Ergò non poteſt ex hiſce dictis quidquam contra externam ſcriptionem colligi. 7. Senſus dicti Apoſtolici ex contextu manifeſtus eſt. Pſeudo Apoſtoli apud Corinthios literis commendatitiis ſeſe inſinuare ſtudebant, ſed Paulus dicit, ſe illis minimè indigere, cùm ipſimet Corinthij ſint loco vivæ Epiſtolæ, de quibus effectus ipſe, videlicet opus converſionis teſtabatur, eos in doctrina Evangelij fideliter à Paulo inſtitutos eſſe, hoc ſenſu appellat eos *Epiſtolam ſuam*. v. 2. reſpectu ſcilicet miniſterij ſui ac cauſæ inſtrumentalis; & *Epiſtolam Chriſti* verſ. 3. reſpectu ſcilicet cauſæ principalis & objecti, videlicet doctrinæ de Chriſto. Cornel. à Lapid. in comm. h. l. *Vos ô Corinthy meâ operâ converſi eſtis mihi inſtar Epiſtolæ commendatitia ab omnibus lecta & intellecta, quam pro mea commendatione exhibeo, quibus volo, ſicut enim opus commendat opificem & ſigillum res ſignata facit fidem, ſic vos quaſi Epiſtola commendatitia à vobis obſignata me commendatis.* Idem. *Vos à me converſi eſtis indelebiliter animo meo inſcripti inſculptiq́, ubi nota, quòd Paulus hanc Epiſtolam bis ſcripſerit. Primò in ſeipſa, cùm in Corinthiorum mente fidem & Spiritum Chriſti inſeruit & inſcripſit. Secundò eandem ſcripſit & impreſſit in corde ſuo per eorum curam & amorem. Tertiò vos etiam eſtis Exempla Chriſti, quorum ſcilicet in cordibus miniſterio meo quaſi calamo inſcriptus eſt Chriſtus, ipſeq́ Chriſtus in iis per me & meam prædicationem, ſuam fidem, ſpem, caritatem & reliqua dona inſcripſit non atramento, ſed Spiritu ſancto.* Quâ verò ante hinc inferri poterit, vel Apoſtolos ſcribendi manu fuiſſe deſtitutos, vel Scripturam illam interiorem & ſpiritualem excludere externam Apoſtolorum ſcriptionem, vel Scripturas in N. T. non fuiſſe neceſſarias, vel Apoſtolos aliam doctrinam cordibus Corinthiorum, aliam chartis inſcripſiſſe?

CAPUT III.

De divina Scripturæ ſacræ Autoritate.

33. Ex cauſa efficiente principali Scripturæ S. quæ Deus eſt, divina Scripturæ *autoritas* oritur ac dependet. Quia enim Scriptura S. Deum autorem habet, cujus immediatâ inſpiratione Prophetæ, Evangeliſtæ & Apoſtoli ſcripſerunt, indè atq; ideò divinam autoritatem obtinet; quia eſt θεόπνευστος divinâ inſpiratione edita ac promulgata, ideò eſt αὐτόπιστος, τὸ πιστὸν ἀφ' ἑαυτῆς ἔχουσα. Permagni verò intereſt, Scripturæ divinam ſuam autoritatem ſartam tectam conſtare. Ut enim rectè monet Auguſtinus lib. 1. de doctr. Chriſt. cap. 37. *Titubabit fides, ſi divinarum Scripturarum vacillet autoritas.* Nec minoris æſtimandum, cognatum ζήτημα, undè apud nos Scriptura ſuam autoritatem obtineat? *Autoritas Scripturæ.*

34. Poteſt enim de Scripturæ autoritate dupliciter quæri. 1. *abſolutè*, undè Scriptura in ſe ac per ſe conſiderata divinam ſuam autoritatem habeat? 2. *relatè*, & quidem dupliciter. 1. *reſpectu noſtri*, undè Scripturæ autoritas nobis innoteſcat, ut eam pro verè divina & Canonica habeamus. 2. *reſpectu Eccleſiæ ſive comparatè*, quando quæritur, an Scripturæ an Eccleſiæ major ſit autoritas?

35. Quando de Scripturæ autoritate *abſolutè* quæritur, non poteſt nec debet aliter reſponderi, quàm divinam illam Scripturæ autoritatem à ſolo Deo eſſe ac dependere, cùm dignitas & præſtantia effectus à dignitate cauſæ unicè originem trahat. Nemeſius de opif. homin. cap. 2. ἡ τῶν θείων λογικῶν διδασκαλία τὸ πιστὸν ἀφ' ἑαυτῆς ἔχει διὰ τὸ θεόπνευστον εἶναι, quo etiam referenda ſunt illuſtria dicta Raymundi de Sabaude & Baptiſtæ Mantuani, quorum prius adductum

ductum fuit tom. 1. Locor. §. 26. poſterius. §. 32.

36. Atque hactenùs nobiſcum conſentire videri volunt Pontificij. Sed ſi porrò quęratur, undè divina illa Scripturę autoritas nobis innoteſcat, ibi in divortia ſententiarum ſcindimur. Noſtra hęc eſt ſententia, quòd *ratione objecti*, id eſt, eorum, apud quos Scriptura divinam autoritatem habet vel habere debet, diſtinguendum ſit inter eos, qui ſunt in Eccleſia, & eos, qui ſunt extra Eccleſiam. Qui *ſunt in Eccleſia*, illi ſponte agnoſcunt divinam Scripturę autoritatem, eamque *αὐτόπιστον* & *ἀξιόπιστον* eſſe ſtatuunt. Quomodo enim Eccleſię filij de veritate fundamenti, cui Eccleſia innititur, dubitare poterunt? quomodo de autoritate verbi divini in Scripturis contenti poſſunt quęrere, qui vim & efficaciam verbi in corde ſuo ipſimet ſentiunt, & per illud ad vitam ęternam ſeſe regenitos eſſe agnoſcunt? Qui ſunt *extra Eccleſiam*, illi ſunt in duplici differentia, vel enim *Scripturas rejiciunt*, vel earum *autoritatem ignorant*. Priorum duę ſunt claſſes. Quidam *totam Scripturam* rejiciunt, ut gentiles; quidam verò *partem duntaxat Scripturæ* rejiciunt, ut Judęi, qui Vet. T. recipiunt, N. verò repudiant. Qui ex parte duntaxat Scripturam rejiciunt, illi ex ea parte, quam recipiunt, erroris convinci, & ad recipiendam totius Scripturę autoritatem perduci poſſunt. Qui totam Scripturam rejiciunt, eorum quidam ſunt *ſanabiles*, qui afferunt animum moderatum ac diſcendi cupidum; quidam verò *inſanabiles*, qui afferunt animum pręfractum & obſtinatum, ac contumaciter veritati reſiſtunt. Act. 13. v. 46. cap. 19. verſ. 24. inſanabiles, perindè ut deſperati ęgroti prognoſticis ſunt relinquendi. Tit. 3. v. 16. Sanabiles de Scripturę autoritate tribus teſtimoniorum generibus convinci poſſunt. Primum eſt *internum Spiritus ſancti teſtimonium*, qui ut reddit *teſtimonium Spiritui credentium, quòd ſint filij Dei* Roman. 8. v. 16. ita quoque efficaciter eos convincit, quòd in Scripturis vox Patris cœleſtis contineatur ac ſolus Deus eſt idoneus & authenticus teſtis. Ad hoc teſtimonium pertinet vivus piorum ſenſus in quotidiana invocatione & exercitiis pœnitentiæ ac fidei, virtus conſolandi & roborandi animum adverſus omnis generis adverſitates, tentationes, perſecutiones &c. quam in lectione & meditatione Scripturæ pii quotidiè experiuntur. Secundum continet *interna κριτήρια ipſi Scripturæ inſita*, quorum quædam petuntur ex cauſis, quædam ex effectis, quædam ex ſubjecto, quædam ex adjunctis: Talia *κριτήρια* ſunt, antiquitas rerum majeſtas, ſermonis ſingularitas, perpetua conformitas, prophetiæ de rebus futuris dignitas, complementi veritas, miraculorum, quibus doctrina illa confirmata eſt, divinitas, Diabolici adverſus eam furoris immanitas, ipſius Scripturæ in perſuadendo & permovendo efficacitas &c. Tertium continet *omnis generis teſtimonia externa*, inter quæ eminet Eccleſiæ teſtificatio, ad quam accedit Martyrum obſignatio, illi enim doctrinam in Scripturis traditam ſanguine ſuo confirmarunt. Item, pœnæ blaſphemorum & perſecutorum, qui doctrinam illam contumaciter oppugnarunt. Quò pertinent cumprimis *αὐτόγραφα* Evangeliſtarum & Apoſtolorum, quæ in primitiva Eccleſia adhuc extiterunt, ac ſucceſſores proximè de illis teſtimonium reddere potuerunt.

37. Pontificij verò contrà ſtatuunt, omnem Scripturæ autoritatem quoad nos unicè & in ſolidùm ab Eccleſia dependere. Cuſanus Epiſt. 2. ad Bohem. *Scripturarum autoritas conſtituta eſt ab Eccleſiæ approbatione.* Eccius in Enchirid. in cap. de autor. Eccleſ. reſp. ad 3. object. hæret. *Scriptura non eſt authentica niſi Eccleſiæ autoritate.* Quidam Gallus referente Sleidano in comm. rer. geſt. ann. 1553. *non plus tribuit Epiſtolis Pauli quàm fabulis Æſopi abſq; Eccleſiæ autoritate.* Johannes Maria Verratus Carmelitanus ſcribit, *Scripturas firmitatem non habere niſi ab Eccleſiæ traditione.* Piggius lib. 1. Hierarch. Eccleſ. cap. 2. *Omnis, quæ nunc apud nos eſt, Scripturarum autoritas ab Eccleſiæ autoritate dependet neceſſario.* Andradius lib. 2. defenſ. Conc. Trident. pag. 157. *Nihil quicquam ineſt divinitatis Scripturæ, quæ nos ad credendum, quæ in illis continentur, religione aliquâ conſtringat, ſed Eccleſiæ tanta vis eſt & amplitudo.* Thomas Bozius l. 16. de ſign. Eccleſiæ cap. 10. *Quicquid divina Scriptura autoritatis habet, id totum fuit atque eſt ab Eccleſia, nam ſinguli ejus libri confecti ſunt a filiis Eccleſiæ.* Bellarm. libr. 4. de verbo Dei cap. 4. *Non aliundè habemus, Scripturam eſſe divinam, & qui ſint libri ſacri quàm ex traditione non ſcripta.* lib. 2. de Sacram. cap. 25. *Omnium dogmatum firmitas pendet ab autoritate præſentis Eccleſiæ.* Stapleт. in relect. princip. doctrin. contr. 4. p. 495. *Eccleſia taxavit Scripturas.* Item, *Eccleſia facit, ut vera eſſe à nobis credantur, quæ in Scripturis continentur.* In triplic. adv. Whitaker. *Propter ſolam Eccleſiæ autoritatem credimus Scripturæ ſacræ.* Piſtorius in Hodeget. pag. 2. *Ut libri Biblici pro verbo Dei à nobis agnoſci debeant & poſſint, unica cauſa eſt Eccleſiæ teſtimonium & mandatum, nulla Scriptura, nulla proprietas, nullus proprius Spiritus.* pag. 8. *ſed tantùm Catholica, perpetua tota Eccleſia Chriſti.* Vitus Miletus in diſcurſ. 600. error. Heßhuſij p. 21. *Dicimus Scripturam ſacram, ſine autoritate Eccleſiæ, nec tantùm quidem valituram, quoniam Æſopi valent fabulæ, has enim Æſopi eſſe fabulas, nec adeò incongruentes hominum moribus certâ traditione hominum conſtat: Scripturas verò eſſe Canonicas & à Deo immediatè inſpiratas, fideliter & incorruptè ſcriptas & ad nos tranſmiſſas, ſi Eccleſiæ tollas autoritatem & traditionem, undè obſecrò olearij iſti cognoſcent.*

38. Antequam contra hunc Pontificiorum errorem argumenta proferamus, notandum. 1. Aliud eſt Eccleſiam teſtari de Scriptura & ejus autoritate *διακονικῶς miniſterialiter*, aliud eam *conferre* Scripturæ ſuam autoritatem *δικαστικῶς prætoriè & judicialiter.* Eccleſiæ miniſterio & teſtificatione deducimur ad agnoſcendam Scripturæ autoritatem, ſed ex eo inferri nequit, quòd autoritas Scripturæ ſive in ſe, ſive quoad nos ab Eccleſiæ autoritate unicè pendeat, quia quando jam cognovimus Scripturam eſſe divinam, & verbum Dei continere, non amplius credimus Scripturæ propter Eccleſiam, ſed propter ſeipſam, quia ſcilicet eſt vox Dei, qui eſt *αὐταλήθεια*, ac proindè *αὐτόπιστος*, cui per ſe, propter ſe & immediatè credendum eſſe novimus. 2. Aliud eſt *ex Eccleſiæ teſtimonio* innoteſcere nobis Scripturæ autoritatem, aliud

aliud verò *ex ſolo Eccleſiæ teſtimonio* omnem Scripturę autoritatem quoad nos unicè dependere. Prius concedimus, poſterius negamus, quia præter Eccleſię teſtimonium aliæ duæ claſſes teſtimoniorum autoritatem Scripturæ demonſtrantium dantur, & in illa ipſa claſſe, quæ Eccleſiæ teſtimonium continet, etiam alia externa teſtimonia ex omni ſcil. hominum genere proferri poſſunt, interim non negamus Eccleſiæ teſtificationem in hac claſſe reliquis externis teſtimoniis proferendam. 3. Aliud eſt loqui de teſtimonio Eccleſiæ primitivæ, quæ ab Apoſtolis ſacrorum librorum autographa accepit, & fidele teſtimonium de illis poſteritati tradidit, aliud verò de autoritate præſentis Eccleſiæ. Pontificij quando de Eccleſiæ circa Scripturas autoritate loquuntur, intelligunt Eccleſiam Romanam præſentem h. e. ut ultima analyſis docet, Pontificem Romanum, ſicut alibi pleniùs fuit demonſtratum. Hic ſufficiat adducere locum ex jure Canonico c. Si Romanorum. diſt. 19. *Si Vetus Novumq; Teſtamentum ſunt recipienda, quòd de his recipiendis Sancti Papa Innocentij prolata videatur etiam ſententia, reſtat quòd Decretales Epiſtolæ Romanorum Pontificum ſunt recipiendæ, quoniam inter ipſos Canones unum B. Leonis Papæ capitulum conſtat eſſe permixtum, quo ita omnia decretalia conſtituta ſedis Apoſtolicæ cuſtodiri mandantur, ut ſi quis in illa commiſerit, veniam ſibi denegari noverit.*

39. Hiſce præmiſſis contra Pontificem illam hypotheſin ſic concludimus. 1. *à cauſa efficiente principali.* Autoritas pendens à ſolo Deo, non pendet ab autoritate Eccleſiæ. Scripturæ ſacræ & Canonicæ autoritas pendet à ſolo Deo. Ergò. Aſſumtum probatur. 1. quia effectum ſuam dignitatem & præſtantiam obtinet à ſua cauſa. Jam verò non Eccleſia, ſed Deus eſt Scripturæ autor. 2. autoritas ac majeſtas Scripturæ eſt ipſi divinitùs inſita, eſt ipſi interna, immediatè & per ſe inhęrens, proindè non dependet aliundè à quodam principio externo, nec mutatur eodem externo mutato, ſed ſemper eodem modo ſeſe habet. Excipiunt; *Diſtinguendum eſſe inter autoritatem Scripturæ in ſe & quoad nos conſideratam, priorem concedunt dependere à Deo, poſteriorem verò ab Eccleſia.* Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 10. *Chriſtus non eguit teſtimonio hominum pro ſe Ioh. 5. ſed tamen teſtimoniis hominum utebatur propter alios Ioh. 1. & 15. ſic Scriptura pro ſe non indiget teſtimonio hominum, tamen propter nos indiget Eccleſiæ teſtimonio, quia non ſumus certi, qui libri ſint Canonici.* Reſp. Non eſt duplex, ſed una Scripturę autoritas, eademque divina, non dependens ab Eccleſię autoritate, ſed à ſolo Deo. Autoritas Scripturę quoad nos nihil aliud eſt, quàm manifeſtatio & cognitio unicæ illius divinæ & ſummæ autoritatis, quæ Scripturæ eſt interna atque inſita. Eccleſia igitur non confert Scripturæ novam aliquam autoritatem quoad nos, ſed teſtificatione ſuâ ad agnitionem illius veritatis nos deducit. Concedimus, Eccleſiam eſſe Scripturæ ſacræ 1. *teſtem.* 2. *cuſtodem.* 3. *vindicem.* 4. *præconem*, & 5. *interpretem*, ſed negamus ex eo effici, quòd autoritas Scripturæ ſivè ſimpliciter, ſivè quoad nos ab Eccleſia pendeat, & quidem unicè pendeat. Quemadmodum enim literarum Regiarum vel Principalium autoritas non pendet ex tabularij eas afferentis, & de illis teſtificantis teſtimonio, nec auri gemmarumvè præſtantia depēdet ex teſtimonio artificis; ſed eſt interna literarum, auri ac gemmarum autoritas, quam tabularius & artifex ſuo duntaxat teſtimonio nobis manifeſtant: ita quoque Scripturæ autoritas non pendet ex Eccleſiæ de ea teſtificantis autoritate, ſed eſt Scripturæ ſacræ interna atque inſita divina autoritas, de qua Eccleſia teſtatur, ac proinde Eccleſia non confert aliquam Scripturis autoritatem, nec eſt cauſa ſola vel unica, nec ſumma vel præcipua, propter quam Scripturis credamus, ſed prima & ſumma cauſa, ut Scripturam agnoſcamus eſſe divinam & pro divina habeamus, eſt Spiritus ſanctus in Scriptura loquens & teſtificans, quòd *Spiritus ſit veritas* 1. Joh. 5. v. 6. Secundo loco ponenda ſunt *κριτήρια* interna, tertio teſtimonia externa, quæ ab omni hominum genere petuntur. Ordine quidem teſtificatio Eccleſiæ, per quam ad Scripturas legendas invitamur, poteſt eſſe primum teſtimonium, non autem dignitate vel perſuadendi efficaciâ. Refero huc verba Bellarmini lib. 3. de Juſtif. cap. 3. §. At inquit. *Probatio Eccleſiæ facit, ut omnibus innoteſcat, objectum illud eſſe revelatum à Deo & propter hoc certum & indubitatum, non autem tribuit firmitatem verbo Dei aliquid revelantis.*

40. 2. *A cauſa formali.* Quodcunque ante Eccleſiæ judicium & teſtimonium ſuam autoritatem obtinet, ejus autoritas non pendet ab Eccleſiæ judicio ac teſtimonio. Sed Scriptura ante Eccleſiæ judicium ſuam obtinet autoritatem. Ergò. Excipiunt, *Scripturas quoad nos non obtinere autoritatem, antequam accedat Eccleſiæ teſtimonium & judicium.* Reſp. Scripturæ in ſe ac per ſe ſunt authenticæ, *αὐτόπιστοι καὶ ἀξιόπιστοι* ante externum Eccleſiæ teſtimonium, quia ſunt *θεόπνευστοι*. Jam verò illud eſt authenticum, *αὐτόπιστον καὶ ἀξιόπιστον*, cui per ſe debetur fides, quod nullo alio extrinſeco accedente ex ſe fidem & autoritatem habet, ac proindè authenticum eſſe, & fidem atque autoritatem obtinere ſunt relata, quæ ſe mutuò ponunt. Scripturæ ſunt authenticæ ante Eccleſię teſtimonium. Ergò etiam fides illis debetur ante Eccleſię teſtimonium. Cùm Epiſtola Pauli ad Romanos per Phœben miniſtram illis traderetur, ea apud ipſos ſtatim fuit ac eſſe etiam debuit authentica, antequam Eccleſię teſtimonium accederet. Utique ergò authentica illius Epiſtolę autoritas etiam quoad homines conſiderata non pendet ab Eccleſię teſtimonio. Eadem eſt ratio reliquarum Scripturę partium, cum omnes ſint homogeneę, divinam ſcilicet atque inſitam autoritatem obtinentes. Quęrimus autem ex Pontificiis, quid tandem Eccleſię nomine intelligant, quando ab Eccleſię autoritate Scripturę autoritatem pendere aſſerunt? Si pręſentem, pendebit Scripturę autoritas à judicio Romani Pontificis, illum enim Eccleſię caput conſtituunt & honorifico Eccleſię nomine intelligunt. Bellarm. lib. 4. de Pontif. cap. 1. *ultimum judicium eſt ſummi Pontificis.* cap. 2. *ipſa infallibilitas non eſt in cœtu Conſiliariorum, vel in Concilio Epiſcoporum, ſed in ſolo Pontifice.* Gregor. de Valent. tom. 3. commentar. in Thom. pag. vigeſ. quart. *Nomine Eccleſiæ intelligimus ejus caput Romanum Pontificem.* Jam verò perquam abſur-

abſurdum eſt ſtatuere, quòd autoritas Scripturæ quoad nos unicè pendeat à teſtimonio Romani Pontificis, cùm apud myriades Chriſtianorum Scriptura divinam autoritatem obtineat, qui de Rom. Pontifice vel nihil audiverunt, vel judicium illius non unius aſſis æſtimant. Si primitivam Eccleſiam intelligunt, ad Patrum & Conciliorũ teſtimonia nos remittent. Atqui illis omnibus antiquior eſt Scriptura, atque ante illorum teſtificationem divinam apud Eccleſiæ filios obtinuit autoritatem, aliàs ſequeretur hoc abſurdũ, quod temporibus Patrum & Conciliorum teſtimonium antegreſſis Scriptura non fuerit habita divina. Reſpondeant etiam nobis, an certiùs conſtet, libros illos, in quibus teſtimonia de Scripturæ autoritate extant, eſſe Patrum illorum, quorum nomina præ ſe ferunt, quàm libros illos, de quibus teſtantur, eſſe ſacros & divinos verbum Dei nobis proponentes? De priore propter multa ψευδεπίγραφα, ſuppoſititia & adulterina ſcripta ſæpiùs dubitatur abſque ulla veræ fidei jactura. Poſterius omnibus verè piis certò conſtat ex internis Scripturæ μαρτυρίοις & Spiritus ſancti teſtimonio interno. Refero hîc inſignem locum ex Bellarmino, qui veritatis fulgore coactus ſic ſcribit lib. 1. de verbo Dei cap. 2. *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſt notius, nihil certius, ut ſtultiſſimum eſſe neceſſe ſit, qui illis fidem habendam eſſe neget. Notiſſimas enim eſſe teſtis eſt orbis Chriſtianus, & conſenſio omnium gentium, apud quas multis ſeculis ſummam ſemper obtinuerunt autoritatem. Certiſſimas autem atque veriſſimas eſſe nec humana inventa, ſed divina oracula continere. 1. teſtis eſt veritas vaticiniorum. 2. incredibilis quædam & planè divina conſpiratio atque concordia tot virorum, qui diverſis locis, temporibus, linguis, occaſionibus ſacra volumina conſcripſerunt. 3. Deus ipſe, qui aliquando cœleſti animadverſione hanc Scripturam ſuam ab humana profanatione defendit.* Vide Demetrii Phaleræi reſponſum Ptolemæo datum apud Joſephum lib. 12. antiq. cap. 2. Euſebium lib. 8. præparat. Evang. cap. 1. *4. Ipſa Scriptura, cujus ſi veræ fuerunt prædictiones rerum futurarum, ut eventus poſtea comprobavit, cur vera non ſint rerum præſentium teſtimonia? 5. infinitus numerus miraculorum.* Cum hac deductione nunquam conciliari poterit aſſertio illa, quòd Scripturæ autoritas unicè ab Eccleſiæ autoritate pendeat.

41. 3. *A proprio Scripturæ adjuncto.* Quod eſt principium ſummum, immediatum, neceſſarium & unica credendi cauſa & regula ejus autoritas non dependet ab Eccleſia. Scriptura eſt principium ſummum, immediatum, neceſſarium & unica credendi cauſa atque regula. In ſcientiis humanis habentur quædam principia αὐτόπιστα καὶ ἀναπόδεικτα certiſſima & indemonſtrabilia, quæ non dependent ex aliis, ſed alia ex ipſis. Tale principium in divinis eſt Scriptura ſacra, quippe cujus autor eſt Spiritus ſanctus, qui eſt *Spiritus veritatis.* Joh. 15. v. 26. Ergò Scripturæ autoritas non dependet ab Eccleſia. Aſſumtum conſtat ex omnibus illis Scripturæ dictis, quæ ad Scripturæ Canonem nos unicè revocant, quæ ſuo loco inferiùs enumerabuntur. Idipſum colligitur ex praxi Chriſti, Apoſtolorum & veterum Eccleſiæ Doctorum. Illi enim in rebus fidei unicè ad Scripturas provocarunt, & auditores ſuos remiſerunt. Quinimo teſtatur id cujusque pii experientia, ideò enim hoc vel illud dogma firmâ fide amplectimur, quia in Scripturis ſacris divinitùs illud revelatum eſſe cognoſcimus, non quia Eccleſia illud proponit. Principium primum non habet aliquid prius & fundamentum non fundatur in alio. Scriptura, ſivè quod idem eſt, vox Dei in Scripturis ſonans, doctrina Prophetarum & Apoſtolorum; divina revelatio per Prophetas & Apoſtolos hominib. tùm vivâ voce, tùm ſcriptis manifeſtata eſt primum credendi principium, & illud fidei atque Eccleſiæ fundamentum, ſuper quod extructi ſumus. Eph. 2. v. 20. Ergò non habet aliquod prius, nec innititur alteri fundamento Eccleſiæ ſcil. autoritati. Si autoritas Scripturæ quoad nos penderet ab Eccleſia, tunc fides noſtra, quâ credimus articulis in Scriptura propoſitis, reſolveretur ultimatè in judicium Eccleſiæ tanquam in primum & ſummum credendi principium. Sed poſterius concedi nequit. Ergò nec prius. Excipiunt Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 10. Staplet. lib. 9. princip. fid. cap. 3. & alii ex Pontificiis. 1. *Diſtinguendum eſſe inter fundamentum primarium & ſecundarium. Verbum Dei eſſe quidem primum fidei noſtræ fundamentum, ideò enim credimus, quicquid credimus, quia Deus id per Angelos & Prophetas revelavit, ſed præter hoc fundamentum primum requiri aliud fundamentum ſecundarium, Eccleſiæ ſcil. teſtificationem.* Reſp. *Si omnium dogmatum firmitas pendet ab Eccleſia*, ut ſcribit Bellarminus lib. 3. de Eccleſ. cap. 10. *ſi Eccleſia eſt ſimpliciter autor Scripturæ*, ut habet lib. 4. de Eccleſ. cap. 2. utique Eccleſia erit primarium fidei noſtræ fundamentum. Demus autem ex hypotheſi eſſe ſecundarium fundamentum, certè fundamentum ſecundarium non probat autoritatem primariò, & quidem unicè. Eccleſiæ teſtificatio ex hypotheſi Bellarmini eſt fundamentum ſecundarium. Ergò non probat autoritatem primariò & quidem unicè. Utimur Eccleſiæ teſtificatione ad agnitionem Canonicæ & divinæ autoritatis, quam Scriptura in ſe obtinet, ſed propterea non debet dici fundamentum vel primarium vel ſecundarium. Quo ſenſu & reſpectu Eccleſia appelletur στῦλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας in tract. de Eccleſ. §. 116. latè fuit expoſitum. 2. *Principia ſcientiarum eſſe in ſe indemonſtrabilia in eo quod quid eſt, reſpectu tamen noſtri demonſtrari per demonſtrationem quia quod eſt. Idem eſſe judicium de Scriptura.* Reſp. Concedimus Scripturas à poſteriore agnoſci pro divinis ex quibuſdam argumentis & teſtimoniis inter quæ Eccleſiæ teſtificatio etiam locum ſuum obtinet, ſed ex eo inferri nequit, *nunc è ex Eccleſiæ teſtimonio Scripturæ autoritatem agnoſci*; multò minùs *Scripturæ autoritatem ab Eccleſia tanquam à priore dependere.* Principia in ſcientiis ſuam in ſe ac per ſe autoritatem & certitudinem obtinent, ac ſtatim ut proferuntur, approbatione digna cenſentur, quo reſpectu etiam axiomata dicuntur, nequaquam verò illis autoritas quædam aliundè conciliatur. Sic Scriptura, quia primi principii rationem obtinet, ideò ſuam internam & immotam autoritatem in Eccleſia obtinet, quæ non aliundè ab Eccleſiæ ſcil. autoritate illi confertur. Si Eccleſiæ teſtimonium ſolum & per ſe ſumtum eſſet efficax ad conciliandam Scripturæ autoritatem quoad nos, tùm o-

tiones, ad quos Eccleſiæ judicium perveniret, ſtatim Scripturæ autoritatem reciperent. Sed praxis contrarium teſtatur. Joh. 5. v. 47. inquit Chriſtus: *Si non creditis literis Moſis, quomodo verbis meis credetis.* Theoph. in h. l. *Si non creditis verbis ſcriptis, quomodo credetis verbis meis non ſcriptis.* Corn. Janſenius dicit eſſe argumentum à majori, quia *ſicut firmius eſt, quod mandatur literis, ita culpabilius & majus eſt non credere ſcriptis, quam non credere verbis.* Sic ergò concludimus. Qui non credunt Scripturis Moſaicis & Propheticis, ne quidem ipſius Chriſti teſtimonio credunt. Jam verò teſtimonium Chriſti longè ſublimius, dignius & efficacius eſt, quàm Eccleſiæ teſtimonium. Ergò qui non credunt Scripturis, ſeu verbo Dei in Scripturis ſonanti, non credunt etiam Eccleſiæ. 3. *Vocem Eccleſiæ in hac quæſtione & probatione eſſe priorem ipſâ Scripturâ.* Reſp. Diſtinguendum eſt inter ordinem & efficaciam probandi. Ordinis reſpectu Eccleſiæ teſtificatio prior eſſe poteſt apud Ethnicum convertendum, quàm Scripturæ autoritas, quam nondum cognoſcit; interim tamen Eccleſiæ teſtificatio ad fidem Scripturis conciliandam nec ſufficit, nec ſatis efficax eſt, ſed ex ipſis internis Scripturæ κριτηρίοις ejus autoritas cognoſcitur, & per Spiritus ſancti internum teſtimonium obſignatur, ac tùm demùm de Eccleſiæ teſtificatione ex ipſa Scriptura à priori judicium fieri poteſt. Vera vox Eccleſiæ debet eſſe per omnia conformis & congrua Scripturæ, ac proindè quæ ſit vera veræ Eccleſiæ vox non poteſt à priori cognoſci, niſi ex Scripturâ. Quicquid Eccleſia rectè & ſalutariter docet, ex Scriptura petendum eſt. Naturâ igitur prior & dignior eſt vox Scripturæ quàm vox Eccleſiæ. Vera Eccleſia eſt cœtus verè fidelium. *Fides eſt ex auditu verbi* Rom. 10. v. 17. verbum non niſi in Scriptura proponitur. Ergò Scriptura eſt Eccleſiæ regula, non contrà. Credimus Eccleſiæ tanquam teſti, credimus Scripturæ tanquam primo & ſummo credendi principio, ex quo unicè petenda ſunt, quæ tùm de aliis fidei articulis, tùm de ipſa Eccleſia ſunt credenda. 4. *Per fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum.* Epheſ. 2. v. 20. *non intelligi illorum Scripturam, ſed prædicationem.* Reſp. inter doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum prædicatam & ſcriptam nullum eſt reale diſcrimen, ideò etiam ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum eo in loco intelliguntur. Quicquid Apoſtoli docuerunt, illud omne ex Moſe & Prophetis deſumſerunt. Actor. 17. v. 11. cap. 26. v. 22. at Moſis & Prophetarum doctrina non niſi in ſcriptis eorum tunc poterat audiri Luc. 16. v. 29. undè Iren. lib. 3. cap. 1. Ambroſius & Lyran. in comm. h. l. dictum Apoſtolicum ad libros Propheticos & Apoſtolicos meritò referunt. Notari etiam poteſt illud, Prophetarum duntaxat & Apoſtolorum, non autem aliorum etiam Eccleſiæ doctorum, qui vivæ vocis prædicatione Eccleſiam ædificarunt, in dicto Apoſtolico mentionem fieri, quia non aliorum, ſed Prophetarum duntaxat in V. & Apoſtolorum in N. T. officium fuit, fundamentum Eccleſiæ ponere. 1. Cor. 3. v. 10. Apoc. 21. v. 14. hoc eſt, doctrinam de Chriſto talibus ſcriptis complecti, quæ ſint Canonica, & ſuper quæ Eccleſiæ ædificium extruatur. Stapletonus quidem per Prophetas h. l. intelligit Prophetas N. T. quod placet etiam Socino & ipſius aſſeclis. At ſignificatio illa in Scripturis eſt rarior, cùm ubique ferè nomine Prophetarum intelligantur ſcripta Prophetica V. T. Luc. 16. v. 29. cap. 24. v. 27. Rom. 1. v. 2. 2. Pet. 1. v. 19. Hebr. 1. v. 1. ac loci circumſtantiæ oſtendunt, eandem ſignificationem etiam hîc agnoſcendam eſſe. Proponitur Eccleſia tanquam domus quædam ſpiritualis. Lapis angularis eſt Chriſtus, fundamentum ſunt Prophetæ & Apoſtoli, ratione ſuæ doctrinæ de Chriſto. 1. Pet. 2. v. 5. Ut ergò etiam V. T. fideles ad hanc ſpiritualem domum pertinere intelligantur, nomine Prophetarum V. T. doctores accipiendi erunt. Thomas lect. 6. in cap. 5. Epheſ. *nominat Apoſtolus utroſque, quia utrorumque doctrina eſt neceſſaria ad ſalutem. Quæ enim Prophetæ prædixerunt, ea Apoſtoli facta prædicarunt.* Per Prophetas igitur intelligendi hoc loco erunt Prophetæ V. T. qui non ſolùm vivæ vocis prædicationem, ſed etiam ac vel maximè Canonicorum librorum ſcriptione perpetuum in Eccleſia fundamentum conſtruxêre. Prædicatio Prophetarum & Apoſtolorum brevi duravit tempore, Apoſtolus autem hîc loquitur de perpetuo totius Eccleſiæ fundamento ad finem uſque mundi durante, cùm v. 21. dicat, *omnem ædificationem ſpiritualem in illo conſtrui.* Ergò vel maximè loquitur de ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis, ad quæ omnes Eccleſiæ filii adeoque ipſimet eorum in miniſterio ſucceſſores ſunt aſtricti, ut juxta normam in illis propoſitam doceant, & Eccleſiæ ædificationem perficiant. Stapletonus diſtinguit inter paſtores & auditores, ac locum hunc Apoſtolicum accepit *de ſolis auditoribus.* Atqui omnes omninò fideles ſuper hoc fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum extrui oportet, cùm ipſi quoque paſtores ad doctrinam Propheticam & Apoſtolicam ſint aſtricti. 5. *Judicium Eccleſiæ non eſſe merè humanum, ſed quodammodo divinum, ut in eo animus fidelis tutiſſimè acquieſcere poſſit. Verbum Eccleſiæ,* ſcribit Bellarm. d. l. *hoc eſt, Concilii vel Pontificis docentis ex cathedra non eſt omninò verbum hominis, ſed aliquo modo verbum Dei, id eſt, prolatum aſſiſtente & gubernante Spiritu ſancto.* Reſp. Per illam aſſiſtentiam & gubernationem Spiritus ſancti aut intelligitur *immediata* aſſiſtentia & gubernatio Spiritus ſancti, qualis fuit in Prophetis & Apoſtolis; vel *mediata*, quæ non niſi mediante doctrinâ Propheticâ & Apoſtolicâ in libris Canonicis V. ac N. T. propoſita locum habet. Si prius, Pontifex & Epiſcopi Prophetis & Apoſtolis, decreta Pontificis & Conciliorum ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum æquiparantur. Si poſterius, agnoſcant Pontifex & Epiſcopi, ſe æquè ac reliquos Eccleſiæ doctores ad normam Propheticorum & Apoſtolicorum librorum aſtrictos eſſe, & decreta ſua non poſſe nec debere pro verbo Dei haberi, niſi quatenùs exactiſſimè cum Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis conſentiant. Acceptamus autem, quod fatentur *Eccleſiæ judicium eſſe non merè & abſolutè, ſed quodammodo divinum,* ex quo porrò ſic inferimus. Primò nullum effectum eſt præſtantius ſuâ cauſâ: Ergò ſi Eccleſiæ teſtimonium non eſt merè, ſed quodammodo divinum, conſequens fuerit libros Biblicos ex ſolo Eccleſiæ teſtimonio receptos, duntaxat ut quodammodò divinos à Chriſtianis recipi. Secundò. Teſtimonium

quod fidem plenam, ἀμετάπτωτον & infallibilem facere debet, oportet eſſe merè divinum, quia fides eſt ex verbo. Rom. 10. v. 17. Tale verò non eſt externum humanum de Scriptura teſtimonium, ſed ipſius Spiritus ſancti in Scripturis loquentis vox & teſtificatio. Tertiò. Teſtimonium merè divinum eſt præſtantius teſtimonio, quod duntaxat quodammodò eſt divinum. Sed teſtimonium illud, quo Spiritus ſanctus per interna Scripturæ κριτήρια in corde noſtro de autoritate Scripturæ teſtatur, eſt merè divinum. Ergò præferendum eſt Eccleſiæ teſtimonio, quod eſt duntaxat quodammodò divinum. Quartò. Eccleſiæ teſtimonium extra Scripturam nec merè nec quodammodò eſt divinum, ſed merè humanum, ac tùm demùm eſt divinum, quando proſert ea, quæ Scripturis ſunt conſona. Ergò non poſſumus ſcire, an & quando Eccleſiæ teſtimonium ſit divinum, niſi ex ipſis Scripturis, ultima igitur fidei noſtræ reſolutio fieri debet in Scripturas, non in Eccleſię autoritatem. Credimus illis, quæ Deus per Eccleſiam ad nos loquitur, propter ipſius Dei autoritatem, qui loquitur, non propter Eccleſiæ autoritatem, per quam loquitur, Et ſic teſtimonium Eccleſiæ de Scripturæ autoritate divinum & fide digniſſimũ eſſe dicimus, quia Scripturæ oraculis comprobatur, & à Scriptura robur accipit; non propter aliquam Eccleſiæ digniorem & ſuperiorem autoritatem. Eccleſia non facit nobis Scripturam authenticam, aliàs omnia quæ in Eccleſia docentur ſine ulteriore probatione, pro authenticis eſſent habenda, ſed teſtificatione Eccleſię ad agnoſcendam Scripturam Canonicam, quæ ſui ipſius teſtis eſt certiſſima, deducimur:

42. 4. *Ex proprio Scripturæ effecto.* Si Scriptura ſacra ex internis κριτηρίοις, cumprimis ex vi quadam interna hominum mentes efficaciter movente & ad ſe rapiente; ac proindè ex interno Spiritus ſancti teſtimonio apud nos autoritatem obtinet, utique cjus autoritas etiam quoad nos non dependebit unicè ab Eccleſia. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Aſſumtum probatur, quia Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli ſuâ doctrinâ permoverunt hominũ animos, ut ea quę proponebant, pro divinis haberent, eaq; fide amplecterentur, etiam non accedente Eccleſiæ teſtimonio. Jam verò eadem quæ Prophetæ in Vet. Chriſtus & Apoſtoli in N. Teſt. prędicarunt, Dei voluntate in Scripturas redacta ſunt. Ergò eandem adhuc vim obtinent. Prędicatio & ſcriptio ſunt externa duntaxat accidentia, quæ Naturam, vim & efficaciam verbi internam minimè omnium mutant. Rom. 1. v. 16. *Evangelium eſt potentia Dei &c.* Heb. 4. v. 12. *Vivus Dei ſermo eſt efficax &c.* Verbum Dei comparatur *ſemini* Luc. 8. v. 11. 1. Pet. 1. v. 23. jam verò ſemen habet in ſe vim internam fructificandi. Marc. 4. v. 28. comparatur *igni* Jer. 23. v. 29. jam verò ignis habet vim internam urendi, ita quoq; verbum Dei ſive prædicatum ſive ſcriptum ejuſmodi vim corda ſpiritualiter immutandi & inflammandi obtinet; undè diſcipuli fatentur, *cor ſuum arſiſſe*, cùm Chriſtus ipſis interpretaretur Scripturas. Luc. 24. v. 32. ubi nota, quòd ſcriptũ Dei verbum à Chriſto propoſitum & expoſitum eam vim exeruerit. Verbũ Apoſtolorum abſq; ullo Eccleſiæ teſtimonio vel mandato exceptum fuit, *ut ipſius Dei ſermo.* 1. Theſſ. 2. v. 13. Quod de interno Spiritus ſancti teſtimonio dictum fuit, manifeſtum eſt tùm ex dictis Scripturæ. 1. Joh. 5. v. 6. Joh. 8. v. 47. cap. 18. v. 37. Rom. 8. v. 16. tùm ex ipſa piorum experientia. Declarari hæc omnia poſſunt Hiſtoriâ Samaritanorum Joh. 4. v. 42. verbis Chriſti Joh. 5. v. 34. & dicto Auguſtini contra Epiſt. Fundam. c. 5. *Sequamur eos, qui nos primùm invitant credere, quod nondum valemus intueri, ut fide valentiores facti, quod credimus, intelligere mereamur, non jam hominibus, ſed ipſo Deo intrinſecùs mentem noſtram firmante & illuminante.*

43. 5. *Ex Eccleſia adjuncto.* Autoritas Eccleſiæ & pendet & probatur ex Scripturæ autoritate. Ergò Scripturæ autoritas nõ pendet ex autoritate Eccleſiæ, aliàs committeretur circulus. Antecedens patet non ſolùm ex reipſa, quæ alibi pleniùs tractatur, quòd ſc. ex ſola Scriptura diſcendum ſit, quæ ſit vera Eccleſia, & quantum autoritatis illi competat, ſed etiam ex ipſa praxi adverſariorũ, qui Eccleſiæ autoritatem demonſtraturi confugiunt ad Scripturas, afferunt enim dicta Matt. 16. v. 16. c. 18. v. 17. &c. Eccleſiam dicunt nõ poſſe errare, quia regitur à Spiritu ſancto Joh. 16. v. 13. Matth. 28. v. 20. utique ergò Scripturas Naturâ notiores & certiores eſſe oportet, ſi ex illis Eccleſiæ autoritas perſuadenda. Confer tract. de Eccleſia c. de Notis §. 142.

44. 6. *Ex deductione ad abſurda.* Si autoritas Scripturæ quoad nos unicè pendet ex Eccleſiæ autoritate, conſequens fuerit. 1. non dari alia κριτήρια & teſtimonia, quibus de Scripturæ autoritate convincamur, quàm teſtificationem Eccleſiæ. 2. Ultimam fidei noſtræ reſolutionem fieri in teſtimonium humanum. 3. Scripturam non eſſe primum & ἀναπόδεικτον fidei & religionis Chriſtianæ principium; quippè quo aliud quoddam ſit prius & ſuperius, propter quod illi fides habeatur. 4. religionem Chriſtianam lubrico & dubio niti fundamento, quia Eccleſia diſſimiliter ſtatuit de Scripturæ Canone. 5. Deo in Scripturis & per Scripturas ad nos loquenti non eſſe credendum, niſi Eccleſia jubeat. Sed illa omnia ſunt abſurda & ἀσύστατα. Ergò & prius, ex quo talia proveniunt.

45. Ex Patribus huc referri poſſunt ſequentia dicta. Tertullian. in Apologet. cap. 5. *Apud vos de humano arbitratu divinitas penſatur, niſi homini Deus placuerit, Deus non erit, homo jam Deo propitius eſſe debebit.* (Loquitur Tertull. de apotheoſi gentilium, ſed accommodari idem poteſt ad Pontificios, qui ex Eccleſiæ autoritate Scripturam, id eſt, Dei vocem autoritatem ſuam habere diſputant) Auguſt. lib. 6. Confeſſ. cap. 5. *Perſuaſiſti mihi ô Deus, non qui crederent libris tuis, quos tu omnibus ferè gentibus autoritate fundaſti, ſed qui non crederent eſſe culpandos, nec audiendos eſſe, ſi qui mihi fortè dicerent, unde ſcis illos libros unius veri & veraciſſimi Dei Spiritum eſſe humano generi miniſtratos; idipſum enim maximè credendum erat.* (Ergò hos libros eſſe ſacros & divinos eſt primum fidei principium, quo non eſt quærendum aliud prius & ſuperius) libr. 11. Confeſſ. cap. 3. *Audiam & intelligam ô Deus, quomodo feciſti cœlum & terram: Scripſit hoc Moſes, ſcripſit & abiit, tranſivit hinc ad te: Neque enim nunc ante me eſt, nam ſi eſſet, tenerem eum, rogarem eum, & per te obſecrarem, ut mihi iſta panderet, & præberem aures*

Exegeſis

corpo-

corporis mei ſonis erumpentibus ex ore ejus. At ſi Hebræâ voce loqueretur, fruſtrà pulſaret ſenſum meum, nec inde mentem meam quicquam tangeret. Si autem Latinè, ſcirem quid diceret, ſed undè ſcirem, an verum diceret? Quod ſi & hoc ſcirem, num ab illo ſcirem? intus utique mihi, intus in domicilio cogitationis nec Hebræa, nec Græca, nec Latina, nec barbara veritas ſine oris & linguæ organis, ſine ſtrepitu ſyllabarum diceret. Verum dicis; & ego ſtatim certus confidenter illi homini tuo dicerem, Verum dicis. Cum ergo illum interrogare non poſſim, te quo plenus verâ dixit, veritas rogo &c. (Ergò Scriptura, vel quod idem eſt, Deus in Scripturis loquens ſolus de ſe αὐτόπιςος teſtis eſt, quia eſt ipſa veritas) Euſebius lib.3. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. refert veterem Eccleſiam ex tribus notis ψευδεπίγραφα & notha ſcripta rejeciſſe. *1. Si in ſcriptis eorum, qui Apoſtolis ſucceſſerunt, nulla eorum reperirietur mentio. 2. ſi ſtylus deprehenderetur à ſtylo & dicendi conſuetudine Apoſtolorum diverſus. 3. ſi doctrina à fide Catholica eſſet diſſentanea.* Salvian. lib. 3. de provid. *Humana omnia dicta argumentis & teſtib. egent, Dei autem ſermo ipſe ſibi teſtis eſt, quia neceſſe eſt quicquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum ſit teſtimonium veritatis.*

46. Ex adverſariis etiam quædam pro noſtra ſententia afferri poſſunt. c. Quis neſciat. diſt. 9. *Quis neſciat ſacram Scripturam Canonicam tam V. quam N. Teſt. certis ſuis terminis contineri, eamque omnibus poſterioribus Epiſcoporum literis ita præponi, ut de illa omninò dubitari vel diſceptari non poſſit, utrum verum vel utrum rectum ſit, quicquid in ea ſcriptum eſſe conſtiterit.* Biel. lib. 3. ſent. diſt. 25. dub. 3. *Veritates Catholicæ abſque omni approbatione Eccleſiæ ex Naturâ rei ſunt immutabiles & immutabiliter veræ, & ſic ſunt immutabiliter Catholicæ reputandæ.* Autor operis Eccl. cap. 1. §. 1. *Omnes Prophetiæ in ſacra Scriptura V. & N. Teſt. per ſe ſunt authenticæ, adeò ut alieno robore non indigeant.* Steuchus in princ. Coſmop. aſſerit, *ſacrorum librorum autoritatem minimè ſolâ legentium fide teneri, ſed afferre ſecum divinas quaſdam, potentiſſimasq́; rationes magnorum animorum ad ſe judicia trahentes.* Cajetan. in opuſc. tom. 2. tract. 1. cap. 1. *Fides Chriſtiana certitudo infallibile debet habere teſtimonium, quale nullus homo, ſed ſolus Deus præſtare poteſt. Vnde & Petrus Apoſtolus cœleſtis vocis in transfiguratione Chriſti auditæ proprio teſtimonio utens ſubjungit. Habemus firmiorem ſermonem Propheticum.* Hoſius in Confeſſ. Petricov. cap. 16. *Nos libenter concedimus accipienda eſſe Evangelica ut verbum Dei intus docentis & revelantis, neq́; credendum illis eſſe, niſi propter vocem Dei intus loquentis.* Andr. Fricius. *Deus eſt qui tuetur verbum ſuum, qui autoritatem ei tribuit, qui illud in dignitatem vindicat, qui per Spiritum ſanctum in cordibus hominum obſignat. Teſtimonium quidem Eccleſia Spiritu Dei afflata dare poteſt & verbo & doctrina, hanc ſcilicet, quam inde ab Apoſtolis quaſi per manus accepiſſet, & non aliam a Deo eſſe proditam, autoritatem verò illi tribuere nemo poteſt propter Deum ipſum, qui eſt autor illius, illuſtrator, defenſor, propugnator.* Caniſius in catech. cap. de præcept. Eccl. ſect. 16. *Nos Scripturæ propter teſtimonium divini Spiritus in illa loquentis credimus, adhæremus, ac maximam autoritatem illi tribuimus.* Gregor. de Valent. in anal. p. 268. *Abundè nobis ad eam rem* (certitudinem Scripturæ V. T.) *ſufficit ipſum per ſe teſtimonium Chriſti & Apoſtolorum, quo eorum eſt autoritas librorum commendata.* Locus Bellarmini hûc pertinens adductus eſt ſuperiùs §. 40.

Argumenta Pontificior quibus probare cupiunt autoritatem Scripturæ ab Eccleſia pendere.

47. Pontificii pro ſtabilienda ſua aſſertione præter dictum Apoſtolicum 1. Tim. 3. v. 15. *Eccleſia eſt firmamentum & columna veritatis,* cujus explicationem uberrimam propoſuimus in tract. de Eccleſ. §. 116. urgent quaſdam rationes, quarum vim breviter expendemus. 1. *Ex Eccleſiæ antiquitate. Scriptura eſt poſterior Eccleſiâ reſpectu acceptationis librorum illorum quoad nos. Antequam enim ederentur Scripturæ, jam tum erat Eccleſia, quæ libros ſacros recepit, approbavit & poſteris commendavit. Ergo Scripturæ autoritas pendet ab Eccleſia.* Reſp. Repetenda eſt diſtinctio inter Scripturæ materiale & formale. Illi qui à Moſe, Prophetis, Evangeliſtis & Apoſtolis libros ſacros acceperunt, & ſuo teſtimonio poſteris eoſdem commendarunt, priùs quidem fuêre in Eccleſiæ cœtu, & hactenùs Eccleſia fuit prior Scripturâ formaliter quoàd opus ſcriptionis conſiderata. Sed illi ipſi Scripturæ teſtes per verbum, quod in Scriptura continetur, fuerunt converſi & Eccleſiæ filii facti. Ergò non fuerunt priores Scripturâ materialiter conſideratâ, hoc eſt, verbo in Scripturis propoſito. Verbum Dei eſt *ſemen illud incorruptibile*, per quod homines regenerantur, & filii Dei redduntur. Jac. 1. v. 18. 1. Pet. 1. v. 23. idem verbum priùs fuit à Prophetis & Apoſtolis prædicatum, ac poſteà ab iiſdem in literas redactum. Quàm ergò abſonum eſt, fructum ſtatuere priorem ſemine, tàm abſurdum quoque eſt Eccleſiam abſolutè & ſimpliciter priorem ſtatuere Scripturâ materialiter & reſpectu verbi, quod continet, conſideratâ.

48. 2. *Ex Eccleſiæ claritate. Eccleſia eſt notior Scripturis. Prius enim cognoſcuntur paſtores quàm Scriptura.* Reſp. diſtinguendum inter notiora τῇ φύσει & notiora καθ' ἡμᾶς. Item, inter notitiam confuſam & diſtinctam. Confuſâ notitiâ fortaſſis prius cognoſci poſſunt paſtores quàm Scripturæ, nequaquam verò diſtinctâ. Qui enim veri paſtores ſint, quibus tutò animas noſtras committere poſſimus, & quæ ſit vera Eccleſia, cui nos aggregare debeamus, non niſi ex doctrina, quam proferunt, cognoſci poteſt, jam verò de illa doctrina judiciũ faciendum ex normâ verbi divini in Scripturis Propheticis & Apoſtolicis revelati. Actor. 17. v. 11. Si Eccleſia ſimpliciter eſt notior Scripturâ, cur Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 2. ſcribit. *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſſe certius, nihil notius?* Cur libr. 4. de Eccleſ. cap. 2. ſcribit, *aliquando Scripturam eſſe notiorem, quando ſcil. eſt recepta & clarè loquitur & quæſtio oritur de Eccleſia?* De tota hac re latè egimus. tr. de Eccl. §. 142.

49. 3. *Ex Eccleſiæ dignitate. Publicum Spiritus Sancti de Scripturis & earum autoritate judicium non ſonat niſi in Eccleſia. Ergo ex ſola Eccleſiæ autoritate pendet Scripturæ autoritas.* Reſp. 1. Judicium Eccleſiæ tùm demùm pro Spiritus ſancti judicio eſt habendũ, ſi ſit Scripturis ſacris conforme. Neque enim quicquid Eccleſia profert, ſtatim pro divino eſt habendum, niſi ex divinis tabulis proferatur, ad quas Deus ipſe Ec-

cleſiæ judicium alligavit. Eſa. 8. v. 20. Joh. 8. v. 31. Galat. 1. v. 8. 2. Quicquid ergò vel ab uno vel à pluribus extra & præter Scripturas proferatur, non eſt publicum Spiritus ſancti teſtimonium, ſed privatum. Contrà quicquid Scripturis ſacris conſonum profertur, illud eſt publicum Spiritus ſancti teſtimonium, ſi vel maximè ab uno duntaxat proferatur. 3. Spiritus ſanctus per interna *κριτήρια* ipſis Scripturis inſita de earum divinitate & autoritate teſtatur, quod eſt publicum Spiritus ſancti de Scripturis judicium. 4. Frivolum eſt, quod Pontificii pro publico Spiritus ſancti judicio habent illud omne, quod Papa, Cardinales & Epiſcopi in Conciliis proferunt, ſivè conforme ſit Scripturis, ſivè illis adverſum, ſivè in illis contineatur, ſivè minus; ſed ex ipſa Scriptura de illis Papæ & Conciliorum decretis cuilibet pio judicium faciendum. 5. Teſtimonium illud, quo Spiritus ſanctus pios de certitudine Scripturæ & gratiæ divinæ convincit, eſt internũ & abſconditum, ac proindè externis auribus in Eccleſia non auditur Rom. 8. v. 16. 2. Cor. 1. v. 21 1. Joh. 2. v. 20. 1. Joh. 5. v. 10.

50. 4. *Ex Scriptura conditione & qualitate. Nec ex internis κριτηρίοις, nec ex Spiritus ſancti teſtimonio autoritas Scripturæ pateſcere poteſt. Non ex prioribus, quia in profanis etiam libris & rerum & ſtyli majeſtatem ineſſe profani homines cenſent. Sic Turca in Alcorano, Iudai in Cabala, Ethnicus apud Triſmegiſtum non minus majeſtatis in verbis & rebus ſe invenire exiſtimant. In libris apocryphis itidem non minor ſtyli & rerum majeſtas, quàm in Canonicis.* Piſtor. in hodeg. p. 4. *In libro ſapientiæ plenior majeſtate ſtyli & res graviores quàm in libro Ruth, cùm tamen Evangelici librum Ruth in Canonem recipiant, librum Sapientiæ ex Canone excludant. Nec ex poſteriore, qui enim ex interno Spiritus ſancti teſtimonio judicant de Scriptura ſacra, ſententiis invicem variant. Ergò ex ſola Eccleſiæ autoritate Scripturæ autoritas cognoſcitur.* Reſp. 1. *κριτήρια* interna ſunt ſimul conjungenda, nec unum duntaxat ex reliquarum corpore & claſſe avellendum. 2. quin & reliquæ duæ claſſes argumentorum addendæ. 3. In aliis ſcriptis duntaxat hominum opinione, non autem reipsâ talis rerũ majeſtas & ſtyli proprietas occurrit. **Lindanus lib. 3. Interp. cap. 8. p. 116. *Scriptura ſacra ſua quoque eſt lingua, propria loquendi formula, ſuus cuique dicendi character, quæ ſi quis imprudens prætereat & ſacras literas ex Cicerone aut Demoſthene opinetur intelligendas, in graviſſimos neceſſe eſt impingat errores.*** 4. Spiritus ſancti teſtimonium non proponimus ſolùm, ſed interna *κριτήρια* & Eccleſiæ teſtificationem illi conjungimus. Qui tres illas argumentorum claſſes conjunctim aſſumſerit de Canonica Scripturæ autoritate errare minimè poterit. 5. Ipſa Eccleſia fatentibus Pontificiis, diſſimiliter de Canone pronunciavit. Ergó ne inferri poterit, ex illius teſtificatione non poſſe peti aliquot Canonicæ Scripturarum autoritatis judicium? 6. Spiritus dona non ſunt in omnibus æqualia, & qui Spiritu ſancto donati ſunt, non ſemper nec in omnibus ſequuntur judicium ac ductum Spiritus ſancti, ſed ſuis quandoque indulgent affectibus, vel aliorum præjudiciis in tranſverſum ſeſe rapi patiuntur. *At*, inquis, *ſola Eccleſia teſtificatur, hunc librum eſſe Matthæi, illum Marci. Ergò ipſa ſola de Scripturæ autoritate teſtatur.* Reſp. diſtinctæ ſunt quæſtiones, an Evangelium Matthæi ſit Matthæi, & an ſit Canonicum. Prior eſt fidei Hiſtoricæ, & pendet ex teſtificatione Hiſtorica, quæ ſuffragium dat libri titulo. Poſterior eſt non ſolùm Hiſtorica, ſed etiam dogmatica, nec dependet ſolùm ex teſtificatione Hiſtorica, ſed etiam argumentis inſitis & interno Spiritus ſancti teſtimonio.

51. 5. *Ex Auguſtini autoritate.* Auguſt. libr. contra Epiſt. Fundam. cap. 5. *Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ moveret autoritas.* Reſp. 1. loquitur Auguſt. de eo argumentorum genere, quod primò quidem poteſt aliquem permovere, ut Scripturas recipiat, & Evangelio credat, loquitur enim de ſe adhuc in Manichæiſmo conſtituto, quâ ratione ad recipiendam Scripturæ autoritatem perductus fuerit. Illud verò eſt teſtimonium Eccleſiæ. Ecquis enim non permoveretur conſtanti illo Eccleſiæ de Scripturis teſtimonio, ut eas pro ſacris ac divinis reciperet? Ex eo verò nequaquam ſequitur, Eccleſiæ teſtimonium vel ſolum vel præcipuum eſſe, propter quod Scripturas recipiamus. 2. Contrarium enim ibidem Auguſtinus docet. *Ipſi Evangelio*, inquit, *Catholicis prædicantibus credidi.* Et poſteà. *Eam Scripturam mihi profers, cui per illos Catholicos credideram.* Ergò per Eccleſiam ſive miniſterium & teſtimonium Eccleſiæ Scripturis ſe credere dicit, non propter Eccleſiam tanquam autoritatem majorem. 3. Sic Samaritani credebant in Chriſtum per verbum mulieris teſtimonium de Chriſto perhibentis, ſed poſteà Chriſtum ipſum audientes dicunt. *Non amplius διὰ τὴν σὴν λαλιὰν πιστεύομεν, ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic verè eſt Salvator mundi.* Joh. 4. v. 42. Eadem ratio eſt teſtimonii, quòd Eccleſia per Samaritanam præfigurata, perhibet Scripturis ſacris. 4. Michaël Medina ſcriptor alioqui Pontificius in volum. Venet. impreſſ agnoſcit dictum Auguſtini non poſſe noſtræ ſententiæ opponi. *Quòd ex eo*, inquit, *Auguſtini dicta Eccleſiæ quàm Scripturæ majorem autoritatem perſuadere conantur, prorſus eſt futile. Nam ex eo, quod Eccleſia Scripturas oſtendit, & eas à falſis diſcernendi poteſtatem exercet, eam eiſdem Scripturis autoritatem præſtare infirmè colligitur, niſi etiam is, qui inter hominum confertiſſimas turbas mihi Regem oſtenderet, potioris etiam quàm ipſe Rex autoritatis habendus eſſet, aut niſi Moſaica lex, quæ Chriſti & Evangelici ſtatûs fuit index.* Joh. 5. v. 39. & 47. *majoris eſſet autoritatis, quàm Chriſtus aut Chriſti Evangelium, quod eſt abſurdiſſimum. Enimverò Iohannes Baptiſta Chriſto teſtimonium perhibuit, fuit enim homo miſſus à Deo, ut teſtimonium perhiberet de lumine, & omnes crederent per illum, neque tamen continuò Chriſto fuit major aut æqualis. Moſes & Elias ſimul cum nube & cœleſti voce Chriſtum eſſe Meſſiam, & eundem cunctis mortalibus quaſi cœleſtem præceptorem audiendum eſſe teſtificabant, neque tamen protinus majores aut æquales ſunt Chriſto. Denique ſtella, paſtores, Magi, Anna & Simeon, qui omnes Chriſto detulerunt teſtimonium, ut generis humani redemptor, verusq; Meſſias agnoſceretur ab omnibus non ſunt Chriſto ipſo potiores. Eccleſia fateor eſt nobis cauſa credendi, hunc aut illum librum eſſe divinum, non tamen cum ipſa eadem Scriptura*

autoritate contendit, quemadmodum neque horum autoritas, qui de Chriſto teſtabantur, cum Chriſto erat ullopacto conferenda. Oſtendit Notarius aut publicus tabellio hanc aut illam eſſe Scripturam Regis, atque ita oſtendit, ut illi tantum fidem habeamus, quantam humana negotia poſtulant. Quis tamen tam inſanus, ut tabellionis autoritatem cū Regis aut Imperatoris ſcripti autoritate componat? 5. Gerſon in declarat. verit. quæ credendæ ſunt de neceſſ. ſalut. tom. 1. num. 14. lit. E. rectè monet, *Auguſtinum loqui de teſtimonio primitivæ Eccleſiæ,* & addit, *viciſſim dici poſſe Eccleſiæ non crederem, niſi me Scripturæ moveret autoritas.* Pontificii verò de ſua hodierna Romana Eccleſia unicè ſunt ſoliciti.

CAPUT IV.

De materia Scripturæ ſacræ.

Materia Scripturæ ſacra. 52. *Materiam* Scripturæ docendi cauſâ vocare poſſumus res ſacras in literas, Dei voluntate redactas, quæ generali appellatione divinæ revelationis continentur, ac variis modis diſpeſci poſſunt. 1. in Hiſtorias & dogmata. 2. in legem & Evangelium, quæ ſunt duo præcipua & primaria divinæ revelationis capita, ad quæ omnia, quæ in Scripturis traduntur, revocari poſſunt. Eſa. 8. v. 20. Joh. 1. v. 17. Rom. 3. v. 27. cap. 10. v. 5. Gal. 3. v. 21. Lex eſt doctrina operum, ad quam pertinent exempla obœdientię & inobœdientię, præmiorum & pœnarum, promiſſiones obœdientibus datæ & comminationes adverſus inobœdientes directæ. Evangelium eſt doctrina fidei, ad quam pertinent vaticinia V. Teſt. de Meſſiæ perſona, officio & beneficiis. Item, typi ſacrificiorum & alii præfigurantes Chriſtum; Hiſtoria Evangeliſtarum de Chriſti conceptione, nativitate, circumciſione, Baptiſmo, concionibus, miraculis, paſſione, morte, reſurrectione, aſcenſione ad cœlos & ad dextram Dei ſeſſione; Item, promiſſiones de gratia Dei, remiſſione peccatorum, juſtitia & vita æterna propter hunc Mediatorem credentibus in eum factæ, quarum longè plurimæ in ſcriptis Apoſtolorum occurrunt. 3. in credenda, facienda & ſperanda. 4. in fidei myſteria & vitæ præcepta &c.

53. Cùmque *finis legis* & nucleus Evangelii ſit Chriſtus. Rom. 10. v. 4. ideò τέλος σκοπιμώτατον ultimus ſcopus, adeoque centrum Scripturæ, ad quod omnia referuntur, eſt Chriſtus Jeſus. Pſal. 40. v. 8. *In capite libri ſcriptum eſt de me* (quod Hebr. 10. v. 7. redditur ἐν κεφαλίδι βιβλίου. Quidam monent κεφαλίδα volumen dictum eſſe metaphoricè à ſpecie, eò quòd convolutum & complicatum libri corpus, ut fuerunt libri veterum, quaſi opus capitatum ſit) Luc. 24. v. 27. *Incipiens à Moſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Joh. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas, quia illæ de me teſtificantur.* v. 46. *Si crederetis Moſi, crederetis etiam mihi, de me enim ille ſcripſit.* cap. 20. v. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quòd Ieſus ſit Chriſtus Dei Filius, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Actor. 3. v. 18. *Deus ea quæ prænunciavit per os omnium Prophetarum* (paſſurum ſcil. Chriſtum) *ſic implevit.* v. 23. *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps quotquot locuti ſunt, annunciaverunt dies illos.* cap. 10. v. 43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, &c.* Sicut homo eſt epitome totius univerſi ac Naturæ creatæ centrum: Sic Chriſtus eſt totius Scripturæ epitome ac centrum, α & ω, à quo omnia in Scripturis incipiunt, & in quo omnia deſinunt, undè Joannes initium ſcriptionis ſuæ facit à Chriſto. Joh. 1. v. 1. *In principio erat Verbum &c.* ac terminat ſuam ſcriptionem in Chriſto. Apoc. 22. v. 22. *Gratia Domini noſtri JeſuChriſti ſit vobiſcum.*

54. Res ſacræ in Scriptura propoſitæ libris divinâ inſpiratione editis continentur, undè *materia ex qua* Scripturæ formaliter conſideratæ haud incommodè ſtatui poteſt ipſa compages & ſeries librorum Biblicorum. Eſt enim Scriptura ex numero eorum, quæ ſunt unum κατὰ συναθροισμὸν per aggregationem partium. Diſſerendum igitur h. l. erit de variis librorum Biblicorum diviſionibus, quæ pleræq; omnes ex cauſa efficiente & materia ſunt petitæ.

CAPUT V.

De diviſionibus librorum Biblicorum.

55. Libri Biblici variis modis diſtinguuntur, utpotè 1. *in libros V. & N. Teſt.* (Auguſtinus lib. 3. ad Bonifac. cap. 4. putat rectiùs vocari *Vetus & Novum inſtrumentum*) Libri V. Teſt. ſunt, qui ante Chriſtum exhibitum editi; libri N. Teſt. qui poſt Chriſtum exhibitum ſcripti & Eccleſiæ commendati. Ubi obſerva, libros V. Teſt. eos vocari, non quòd nihil planè contineant de ſubſtantia, gratia & felicitate N. Teſt. propter Chriſtum credentibus in eum promiſſa, ſed quòd futurum ac ſuo tempore complendum pronuncient, ac pręfigurent illud, quod in N. Teſt. annunciatur completum Rom. 3. v. 21. cap. 16. v. 26. quò dubio procul reſpexit Auguſtinus, quando maluit vocare libros V. & N. inſtrumenti, cùm non temporis ſolùm, ſed etiam ſubſtantiæ reſpectu V. & N. Teſt. diſtinguantur. Cæterùm hæc duo Teſtamenta veteres præfigurari ac denotari dicunt *per duos Cherubinos* propitiatorium in arca fœderis alis ſuis tegentes. Exod. 25. v. 20. Greg. homil. 6. in Ezech. per *duos viros uvam ex terra Canaan portantes.* Num. 13. v. 24. per *fructus veteres & recentes.* Cant. 7. v. 4. Hieronym. in cap. 13. Matth. per *vetera & nova, quæ Scriba doctus ad regnum cœlorum de ſuo theſauro proferre* dicitur, Matth. 13. v. 52. Iren. lib. 4. cap. 21. Chryſoſtom. homil. 48. in Matth. per *duo ubera,* quæ matri Eccleſiæ tribuuntur. Cant. 6. v. 13. Auguſt. tract. 3. in 1. Epiſt. Joh. *Diviſiones librorum Biblicorum.*

56. 2. In libros *Propheticos & Apoſtolicos,* quæ diviſio priori eſt affinis, petita ex Eph. 2. v. 20. *Extructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum,* quod Ambroſ. in comm. illius loci ſic exponit, *ſupra Vetus & Novum Teſtamentum collocati.* Quod enim Apoſtoli prædicaverunt, Prophetæ futurum prædixerunt. Appellatio librorum Propheticorum petita eſt non tàm ex materia ſivè rebus contentis, quàm ex cauſa efficiente inſtrumentali, nomine enim eo generaliter accepto intelliguntur omnes V. Teſt. libri à Prophetis ſcripti, ſivè prophetias,

ſivè

ſivè Hiſtorias, ſivè legales conciones contineant. Apoſtolicorum librorum nomine itidem generaliter accepto intelliguntur omnes Nov. Teſtam. libri ab Apoſtolis & Evangeliſtis (quorum duo videlicet Matthæus & Johannes pertinent ad Apoſtolorum dodecada, duo verò, videl. Marcus & Lucas Apoſtolorum juſſu ſcripſerunt, & ipſorum Scriptura ab Apoſtolis eſt probata) divino Spiritus S. inſtinctu exarati.

57. 3. Libri Vet. Teſtam. à Chriſto ſubdividuntur *in Moſen, Prophetas & Pſalmos.* Luc. 24. v. 44. Moſes eſt ſtirps & radix, Prophetici libri conſtituunt arborem cum ſuis fructibus, Pſalmi ſunt flores. Neque enim probatur nobis, quod quidam ſtatuunt, Pſalmorum nomine generaliter accepto intelligi libros numeris aſtrictos, quales ſunt, Jobus, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Threni, ſed veriſimilius cenſemus ſpecialiter intelligi librum Pſalmorum, ut hac ratione Moſes ceu fons & ſcaturigo, ſtirps & radix, ac Pſalmi tanquam flos Scripturarum à reliquis Propheticis libris diſtinguantur. Luc. 16. v. 29. Actor. 26. v. 22. Chriſtus & Paulus V. Teſt. libros diſtinguunt *in Moſen & Prophetas*, i. e. in libros Moſaicos & Propheticos, quia Moſes reliquorum Prophetarum eſt ἀρχηγὸς καὶ ἔξαρχος.

58. 4. Rabini eos dividunt in תּוֹרָה *legem* נְבִיאִים *Prophetas* & כְּתוּבִים *hagiographa.* תּוֹרָה continet pentateuchum, quod ipſi vocant חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה & per abbreviationem חוּמָּשׁ quinarium legis. נְבִיאִים alii ſunt רִאשׁוֹנִים *priores*, alii אַחֲרוֹנִים *poſteriores.* Priores ſunt quatuor: Joſuæ, Judicum, Samuelis & Regum libri. Poſteriores itidem ſunt quatuor: Eſaias, Jeremias, Ezechiel & liber תְּרֵי עֲשַׂר vel per craſin תְּרֵיסַר duodecim Prophetarum, quos minores vocant. כְּתוּבִים ſunt reliqui omnes numero undecim. Pſalterium, Proverbia, Job, (qui tres libri cùm ſint Poëtici, peculiari nomine τεχνικῶς ex primis nominum Hebræorum literis compoſito vocantur אֱמֶת) חָמֵשׁ מְגִלּוֹת quinque volumina, videlicet Canticum Canticorum, Ruth, Threni, Eccleſiaſtes & Eſther, deinde Daniel, libri Eſdræ & Paralipomena. Elias Levita præfat. 3. in Maſoreth. pag. 40. Quamvis verò quidam ex Chriſtianis tùm veteribus, tùm recentioribus Interpretibus hanc diviſionem approbent, ut patet ex Hieronym. præfat. in Eſdr. & Nehem. Purcheto part. 1. victor. adv. Judæos cap. 8. Galatin. 1. de arcan. cap. 1. &c. non tamen nihil in ea deſiderari poteſt. Primò enim laborat ἀλληλουχίᾳ, cùm omnes ſacri libri ſint hagiographi. Secundò Danielem ex numero Prophetarum, ac libros Paralipomenon ab Hiſtoricis ſeparat ſine probabili aliquâ ratione. Quod ſi enim Joſuæ & Judicum libri digni habiti ſunt Prophetarum nomine, qui ſunt merè Hiſtorici, utique in eorum numerum etiam Paralipomenon libri referri potuiſſent, Pſalterio, Proverbiis & Jobo in odarum partem relatis. 3. fundamentum hujus diviſionis eſt perquam lubricum. Per כְּתוּבִים intelligunt libros *per Spiritum ſanctum, & non per prophetiam dictatos,* ut ſcribit R. D. Kimchi in proœm. Pſalm. *Spiritum ſanctum* vocant, quando Spiritus hominem vigilantem invadit, eumque ad vaticinandum impellit. *Prophetiam* vocant, quâ homini dormienti vel extra ſe rapto per Spiritum ſanctum aliquid revelatur. Fabricius in partit. Cod. Hebr. cap. 12. Alii prophetiam à Spiritu ſancto diſtinguunt hoc modo, ut Prophetæ in ecſtaſi à communi hominum ſtatu & ſenſibus emoti vel per ſomnium, vel per viſionem, vel per auditum vocis ſibi loquentis tradita divina eloquia proferre intelligantur. Sed Spiritus ſanctus metonymicè intelligitur abſque ſenſuum mutatione aliquâ hominem excitare ad pſallendum vel loquendum. Helvic. in tract. de Chald. paraphr. cap. 2. Quidam exiſtimant per כְּתוּבִים *hagiographa* intelligi libros ſcriptos inſtinctu Spiritus ſancti, ſed non prædicatos. At hæc omnia deſtituuntur certis & immotis fundamentis.

59. 5. Quidam ex Chriſtianis Doctoribus veteribus libros Veteris Teſtamenti dividunt in *Legales, Hiſtoricos, Paræneticos & Propheticos.* Legales ſunt quinque libri Moſis. Hiſtorici ſunt libri à Joſua uſque ad Hiſtoriam Jobi incluſivè. Parænetici ſunt libri Salomonis. Prophetici ſunt libri Prophetarum majorum & minorum. De Pſalmorum libro ſcribunt, quòd ex omnibus, quæ in reliquis libris continentur, quædam utilia contineat. Baſilius ſerm. de virtut. & laudib. Pſalmorum tom. 1. p. 214. Auguſt. in probl. Pſalm. tom. 8. col. 1.

60. 6. Huic diviſioni affinis eſt illa recentiorum, quâ libros Veteris Teſtamenti dividunt in *Legales, Hiſtoricos, Doctrinales & Propheticos.* Ad Legales referunt pentateuchon. Ad Hiſtoricos librum Joſuæ, Judicum, Ruth, libros Samuelis, Regum, Paralipomenon, Eſdræ, Nehemiæ. Ad doctrinales Jobum, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſten, Canticum Canticorum. Ad Propheticos quatuor majores & duodecim minores Prophetas. Qui dichotomiâ delectantur, dividunt Veteris Teſtamenti libros in Hiſtoricos & didaſcalicos. Hiſtorici diſtinguuntur juxta triplicem Iſraëliticæ Eccleſiæ & Reipublicæ ſtatum, videlicet ante poſſeſſionem terræ Canaan, in ipſa poſſeſſione & poſt adeptam poſſeſſionem. Didaſcalici dividuntur in Poëticos & Propheticos. Pflacherus tres conſtituit Veteris Teſtamenti librorum claſſes juxta triplex Chriſti officium, Sacerdotale ſcilicet, Regium & Propheticum. Chriſtum Sacerdotem docet Pentateuchon. Regem deſcribunt libri ſubſequentes Hiſtorici. Prophetam & Doctorem proponunt libri hagiographi & Prophetici.

61. 7. Prophetici libri ratione cauſæ inſtrumentalis & adjuncti temporis ſubdiſtingui poſſunt in libros illorum, qui prophetarunt *ante captivitatem Babylonicam*, ut Eſaias, Jeremias, Oſeas, Joël, Amos, Obadias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc & Sophonias; illorum qui prophetarunt *in ipſa captivitate*, ut Ezechiel & Daniel; denique illorum, *qui poſt captivitatem* prophetarunt, ut Haggæus, Zacharias & Malachias. Poſt Moſen ac Davidem ſcripſiſſe videntur Prophetæ hoc ordine. 1. Jonas. 2. Oſeas. 3. Amos. 4. Eſaias. 5. Micheas. 6. Joël. 7. Nahum. 8. Habacuc. 9. Jeremias. 10. Sophonias. 11. Obadias (cum tamen quidam Jonæ σύγχρονον ſtatuunt & ſub Achab & Jerobeam eum prophetaſſe volunt) 12. Daniel. 13. Ezechiel. 14. Haggæus. 15. Zacharias. 16. Malachias.

62. 8. Libri Novi Teſtamenti diſtinguuntur *in Hiſtoriales, Doctrinales & Propheticos.* Hi-

ſtoriales tradunt Hiſtoriam vel Chriſti, ut quatuor Evangeliſtæ, vel Apoſtolorum, ut Acta. Doctrinales ſunt Epiſtolæ Pauli, Jacobi, Petri, Johannis & Judæ. Propheticus unus eſt, videlicet Apocalypſis. Epiſtolæ Pauli quædam ſcriptæ ſunt *ante captivitatem*, quæ ſunt numero ſeptem. 1. prior ad Theſſalonicenſes. 2. poſterior ad Theſſalonicenſes. 3. prior ad Timotheum. 4. prior ad Corinthios. 5. ad Titum. 6. poſterior ad Corinthios. 7. ad Romanos. Quædam *in captivitate*, ad quam claſſem pertinent ſex reliquæ, de quibus non uſque adeò certò conſtat, quo ordine ſcriptæ fuerint. nonnulli tamen hunc ponunt. 1. ad Philippenſes. 2. ad Coloſſenſes. 3. ad Philemonem. 4. ad Epheſios. 5. ad Galatas. 6. poſterior ad Timotheum.

CAPUT VI.

De libris Canonicis & Apocryphis in genere.

Canonici libri. 63. Inter omnes librorum Biblicorum diviſiones eminet ea, quâ diſtinguuntur in *Canonicos & Apocryphos*, quę diviſio non tantùm utilis eſt, ſed etiam maximè neceſſaria. 1. ut fundamentum fidei à peregrinis additamentis purum & inviolatum ſervetur. Eph. 2. v. 20. 2. ut divina ab humanis, argentum à ſcoriis, granum à paleis ſeparetur. 3. ne apocryphis in partem autoritatis cenſum cum Canonicis relatis, ipſa Canonicorum librorum autoritas ac veritas obliquè labefactetur. Hiſce cauſis permoti pii veteres Apoſtolorum temporibus vicini in aſſignando librorum Canonicorum & Apocryphorum diſcrimine perquam induſtrii fuerunt, quin & quidam ipſorum peregrinationes longinquas ſuſceperunt, ut diſcrimen illud accuratiùs cognoſcerent.

Unde dicti. 64. *Canonici Libri* ἀπὸ τοῦ κανόνος dicuntur, quæ vocula deſumta eſt ex Pſalm. 19. v. 15. 2. Corinth. 10. v. 13. Galat. 6. v. 16. Philip. 3. v. 16. Quamvis enim Apoſtolus illic non de univerſa fidei norma, ſed de eo tantùm doctrinæ cœleſtis capite loquatur, quòd juſtitia legalis cum juſtitia Evangelica ſive fidei confundi nullo modo debeat, ideò tamen doctrinam illam appellat κανόνα, quòd quæ à Pſeudo-Apoſtolis tùm docebantur, ad eam tanquam certam & indubitatam regulam exigenda & ſicubi cum ea non conſentiant, rejicienda eſſe ſtatuat. Dicuntur aliàs ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus ἐνδιάθηκοι, ἀναμφιλέκτως ἐνδιάθηκοι, διαθηκόγραφοι, *Teſtamentarii*, eò quòd omnium conſenſu & ſine ambiguo ad Teſtamentum divinum pertinet. Nicephorus lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 1. libri *recepti* ab Epiph. de menſ. & ponderib. pag. 567. *legitimi*, ὁμολογουμένως γνήσιοι, *omnium conſenſu & teſtificatione probati, veri & genuini* ab Euſebio lib. 3. Hiſtor. cap. 9. Auguſtin. lib. 2. contra adverſar. legis & Prophetar. cap. 1. Nazianzeno in carm. de Script. ſacr. pag. 952. *Catholici* eò quòd immotum fidei Catholicæ fundamentum complectantur, & *Eccleſiaſtici*, eò quòd omnium Eccleſiarum approbationem meruerint. Auguſt. lib. 23. contra Fauſtum cap. 9. ῥητοὶ βίβλοι, quod à Chriſto ipſo in Canone ſunt pronunciati Epiph. hæreſ. 8. *Apocryphi* verò libri dicuntur ἀπὸ τοῦ ἀποκρύπτειν, q. d. abſconditi, vel quòd *occulta eorum origo non claruit illis, quorum teſtificatione verarum Scripturarum autoritas ad nos pervenit*, quæ ratio appellationis traditur ab Auguſtino libr. 11. contra Fauſtum cap. 2. vel *quòd publicè in Eccleſia ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum comprobandam non leguntur, ſed ad morum duntaxat ædificationem*, quæ ratio traditur ab Hieronymo in prolog. ſuper Prov. Salomonis. ** Sunt qui ἀπόκρυφον dici putant, ὅ, τι ἄπεστιν ἀπὸ τῆς κρύπτης ἁγίας, *quicquid abeſt à ſancta illa crypta & Bibliotheca librorum divinitus traditorũ Eccleſiæ quæ ab Epiphanio* lib. 2. de pond. vocatur *Aron* h. e. arca ſeu capſa Eccleſiæ, in qua libri divini recondebantur. Vel quod ἄξιοι ἀποκρυφῆς *digni qui magis abſcondantur quam legantur*, cenſente Athanaſ. in Synopſi. tom. 2. p. 134. **Gloſſa c. Sancta Romana diſt. 15. dicit apocryphos vocari libros, *quorum autor ignoratur*. At hac ratione multi libri Veteris Teſtamenti, qui ſunt exploratò Canonici, ut Ruth, Regum, Paralipomenon &c. eſſent apocryphi.

65. Canonici libri Veteris Teſtamenti ſunt. *Qui & quot ſint.* *1. Geneſis. 2. Exodus. 3. Leviticus. 4. Numeri, 5. Deuteronomium. 6. Joſua. 7. Judicum. 8. Ruth. 9. duo libri Samuelis. 10. duo Regum. 11. duo Paralipomenon. 12. Eſdras & Nehemias ſive ſecundus Eſdra. 13. Eſther. 14. Job. 15. Pſalterium. 16. Proverbia. 17. Eccleſiaſtes. 18. Canticum Canticorum. 19. Eſaias. 20. Jeremias. 21. Threni. 22. Ezechiel. 23. Daniel. 24. Duodecim Prophetæ minores, δώδεκα προφῆται, Oſeas, Joel, Amos, Obadias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Haggæus, Zacharias, Malachias.*

66. Sic ergò in univerſum ſunt 24. libri Canonici Veteris Teſtamenti, quos Rabini proptereà vocant עֶשְׂרִים וְאַרְבַּע *viginti & quatuor*, hoc enim ipſorum eſt dicterium, עֶשְׂרִים וְאַרְבַּע מִכְתַּב הַקֹּדֶשׁ quem numerum Hieronymus præfat. in Eſdr. & Nehemiam præfigurari putat per *24. Seniores*, qui coram throno Agni procidunt habentes ſinguli citharas & phialas aureas Apoc. 5. v. 8. quia omnes ſuavem de Chriſto loquelam & gratum de ipſius perſona atque officio odorem exhibent. Joſephus lib. 1. contra Appionem viginti duos numerat Canonicos V. Teſt. libros. *Non ſunt*, inquit, *apud nos infiniti libri, ſed ſolummodò duo & viginti. Horum quinque ſunt Moſeos. A morte verò Moſeos Prophetæ ſuorum temporum res geſtas conſcripſerunt in tredecim libris. Reliqui verò quatuor, per quos intelligit Pſalterium & tres libros Salomonis, hymnos in Deum & vitæ humanæ præcepta noſcuntur continere.* Joſephum ex Chriſtianis Doctoribus ſequuntur Origenes in Pſalm. 1. apud Euſebium libr. 6. Hiſtor. cap. 24. Epiphanius lib. de menſur. & ponderibus pag. 534. (ubi quatuor πεντατεύχους conſtituit, omiſſo ſcilicet numero minore ſine digito per rotundationem, perindè ut LXX. Interpp. dicimus pro 72.) Nazianzenus in carm. (ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύο καὶ εἴκοσι βίβλους, ταῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.) Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 4. pag. 98. Hilarius præfat. in Pſalm. Hi conferunt iſtum numerum cum numero literarum alphabeti Hebraici. Quemadmodum enim literæ alphabeti ſunt perfectiſſimæ & ſufficientiſſimæ ad o-

adomnes dictiones exprimendas : ita quoque hi libri Canonici ſunt perfectiſſimi ad omnis Theologicæ quæſtionis ſolutionem ſufficientes. Quinque ſunt literæ duplices, ita quidem quinque libros duplices eſſe volunt: Samuelis, Chronicorum, Regum, Eſdræ; Jeremiæ cum Threnis. Quidam numerant 25. quidam 35. libros Veteris Teſtamenti Canonicos abſque ulla omninò diſſenſione. Qui enim 22. numerant, Ruth cum libro Judicum & Threnos cum Jeremia conjungunt. Qui 25. numerant; Nehemiam ab Eſdra ſejungunt, quem reliqui poſteriorem librum Eſdræ vocant. Qui 35. numerant, Prophetas minores à reliquis pro uno libro computatos ſeparatim recenſent. De hiſce Canonicis Veteris Teſtamenti libris Auguſtinus libr. 18. de civit. Dei cap. 41. ſic loquitur. *Ipſi ſanè pauci eſſe debuerunt, ne multitudine viteſceret, quod clarum religione eſſe oporteret, nec tamen ita pauci, ut eorum non ſit miranda conſenſio.*

Apocryphi qui ſint.

67. Apocryphi Veteris Teſtamenti ſunt reliqui omnes, qui præter Canonicos in Veteris Teſtamenti Codice continentur. Illorum poteſt duplex conſtitui claſſis. 1. Quidam etiam *ipſorum Pontificiorum confeſſione* ſunt apocryphi, utut in Codice Biblico Græco vel Latino contineantur. Tales ſunt *tertius & quartus Eſdra, tertius & quartus Maccabæorum, Oratio Manaſſis, Pſalmus 151. Appendix libri Iob.* 2. Quidam *à Pontificiis habentur pro Canonicis*, cùm tamen reverà ſint Apocryphi. Illi ſunt vel integri libri vel librorum quorundam fragmenta. Integri libri ſunt vel didactici, ut *Siracides & Sapientia*; vel Hiſtorici, ut *Tobias, Iudith, Baruch, primus & ſecundus Maccabæorum.* Fragmenta ſunt *addidamenta ad Eſther & Danielem*, utpotè *hymnus trium puerorum, Hiſtoria Belis & Draconis, Hiſtoria Suſannæ.* Item, *Epiſtola Ieremiæ* libro Baruch annexa. Notandum hoc loco diligentiſſimè, Scriptores veteres nomine apocryphorum librorum in duplici ſignificatione uti. 1. de libris, qui ſunt occultæ originis, de quibus haudquaquam conſtat, quòd ſint Canonici ac divini, qui tamen in Eccleſia legi poſſunt ad morum ædificationem. Euſebius vocat *ſcripta ἀμφίλεκτα καὶ ἀντιλεγόμενα.* 2. de libris, qui continent fabulas, errores & mendacia, ac proindè non ſunt in Eccleſia legendi: Euſebius vocat *ſcripta adulterina, notha, abſurda & impia.* Prior ſignificatio occurrit apud Hieronymum in prologo Galeato; poſterior apud Auguſtinum libr. 15. de civit. Dei cap. 23. Origenem homil. 1. in Cantic: Hieronymum in Epiſt. ad Lætam de inſtitutione filiæ & Gelaſium cap. Sancta Romana diſt. 15. Prioris generis libri dicuntur apocryphi ſenſu eo, quòd ſint abſconditi, id eſt, originis abſconditæ & occultæ. Poſterioris generis libri dicuntur apocryphi ſenſu eo, quòd ſint abſcondendi, nec in Eccleſia legendi.

Ambiguitas vocis Apocryphorum.

68. De diſcrimine Canonicorum & Apocryphorum librorum gravis adverſaria nobis conſtituta eſt cum Pontificiis. Illi enim exceptis tertio & quarto Eſdræ, tertio & quarto Maccabæorum, Oratione Manaſſis, appendice libri Job, & Pſalmo 151. reliquos omnes, quotquot in Codice Biblico continentur, habent pro Canonicis, indè Concilium Tridentinum ſeſſ. 4. enumeratis libris, tùm Canonicis tùm Apocryphis, *Siracide, Sapientia, Tobia, Iudith, prima & ſecundo Maccabæorum &c.* Subjungit. *Si quis libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit, anathema ſit.* Poſſevinus in notis divini verbi editis in fol. p. 26. *Libros ſex, etiam Danielis partem nonnullam adimere voluerunt.* Lindanus libr. 3. panopl. cap. 4. ſcribit, *eos impio ſacrilegio ſeſe contaminare, qui in Scripturarum Chriſtianarum corpore quoſdam quaſi gradus autoritatis conantur locare, quod unam eandemque Spiritus Sancti vocem impiè humana ſtultitia diſcernicula audent in varias impares diſcerpere ac diſtrahere autoritatis claſſes.* Campianus rat. 1. *Proteſtantes ſcripto Dei verbo controverſias ſuas omnes dirimi volunt, qui tamen illud ipſum verbum, quod ſolum reſtat, exectis ex toto corpore tam multis partibus delumbarunt.*

Argumenta contra Canonicã Apocryphorum librorũ autoritatem.

69. Contra perniciosum hunc errorem noſtræ Eccleſiæ ſtatuunt ſolos illos libros, qui §. 65 enumerati ſunt, eſſe Canonicos Veteris Teſtamenti, reliquos autem omnes §. 67. recenſitos eſſe apocryphos, quod probamus duplici argumentorum genere *a priori* ſcilicet & *à poſteriori.* A priori tria producimus argumenta. 1. *ex cauſa efficiente inſtrumentali.* Omnis liber Canonicus Veteris Teſtamenti eſt ſcriptus à Propheta ex impulſu & inſpiratione Spiritus ſancti. Libri enumerati §. 67. non ſunt ſcripti à Prophetis. Ergò non ſunt Canonici. Major probatur ex ſequentibus Scripturæ dictis. Luc. 16. v. 29. *Habent Moſen* (Prophetarum omnium Ducem) *& Prophetas* reliquos (id eſt, Moſis & Prophetarum ſcripta ex impulſu Spiritus ſancti edita) cap. 24. v. 27. *incipiens à Moſe & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* v. 44. *neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moſis & Prophetis & Pſalmis.* Act. 3. v. 23. *Omnes Prophetæ a Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, annunciaverunt dies iſtos* (videlicet in ſuis ſcriptis) Rom. 16. v. 26. *quod patefactum eſt per Scripturas Propheticas.* Eph. 2. v. 10. *Extructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum.* Hebr. 1. v. 1. *multifariam multisq; modis Deus olim locutus eſt per Prophetas* (quorum vaticinia in ſcriptis eorũ adhuc extant) 2 Pet. 1. v. 19 *habemus firmiorem Propheticum ſermonem* (in ſcriptis ipſorum annotatum) v. 21. *non enim voluntate humanâ allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* In hiſce ac parallelis aliis Scripturæ dictis Scriptura Veteris Teſtamenti vocatur *Scriptura Prophetica, ſermo Propheticus*, ac 2. Tim. 3. v. 16. γραφὴ θεόπνευστος, quia à Prophetis ex inſpiratione & inſtinctu Spiritus ſancti eſt conſcripta atque edita. Ergò eſt eſſentiale, proprium & neceſſarium libri Canonici Veteris Teſtamenti requiſitum, eſſe ſcriptum à Propheta ex inſpiratione & inſtinctu Spiritus ſancti. Minor probatur ex adjuncto temporis, quia libri illi enumerati ſunt ſcripti poſt tempora Malachiæ, qui fuit ultimus Propheta Veteris Teſtamenti, à quo uſq; ad Johannem non poteſt monſtrari Propheta aliquis in populo Iſraelitico, undè etiam Scripturam Propheticam Veteris Teſtamenti concludit,

&quaſi

& quaſi obſignat vaticinio de Johanne Baptiſta, qui prædicatione Evangelii & adminiſtratione Baptiſmi auſpicaturus erat Novum Teſtamentum Malach.3.v.1. Ex eodem fundamento Canonicam illorum librorum autoritatem elevat Joſeph.lib.1. contra Appion. ubi diſputat, *non haberi apud Hebræos in Canone ſacrorum librorum illos libros, qui poſt tempora Artaxerxis Longimani ſcripti ſunt*, cùm librorum ſacrorum Canonem Eſdras compoſuerit, cujus vita non extendatur ultra tempora Artaxerxis Longimani. *Ab Artaxerxe* (inquit) *uſque ad noſtra tempora ſcripta quidem ſunt ſingula, ſed non eadem, quæ ſuperioribus illis fides adhibetur, propterea quòd non fuit vatum certa illa ſucceſſio.* ** Poſt Artaxerxem non fuit accurata Prophetarum ſucceſſio, teſte Euſebio lib.3.Hiſt.cap.10. Poſtremus Prophetarum fuit Malachias teſte Hieronymo lib.13.in Eſai.cap.49. Auguſt.lib.17.de civit. Dei c.24. Iam verò controverſi libri poſt Artaxerxis & Malachiæ tempora ſcripti ſunt.** Hûc referri poteſt, quod Bell.lib.1.de verbo Dei cap. 7.§. Sed adverſus &c. colligit. *Hiſtoriam Eſther non poſſe referri ad tempora Artaxerxis Mnemonis, cùm ſit in Canone librorum ſacrorum apud Hebræos; ad quem non pertinent libri poſt tempora Artaxerxis Longimani* ſcripti. Præſupponit igitur libros Canonicos eſſe à Prophetis ante tempus Artaxerxis ſcriptos, quod eſt veriſſimum.

2. *A forma externa.*

70. 2. *A forma externa*, videlicet linguâ, quâ perſcripti ſunt hi libri. Omnis liber Canonicus Veteris Teſtamenti eſt ſcriptus linguâ Propheticâ, videlicet Hebræâ. Controverſi illi libri non ſunt ſcripti linguâ Hebræâ. Ergò. Circa Majorem propoſitionem obſerva, pauculas quaſdam pericopas librorum Canonicorum in 2.3.4.5.6.& 7. capp. Danielis, in 4.5. & 6. Eſdræ, in cap.10. Jeremiæ, Chaldaico idiomate eſſe exaratas, ſed cùm lingua Chaldaica inflexione tantùm differat ab Hebræo idiomate, ac poſterioribus temporibus, præſertim poſt captivitatem Babylonicam Judæis cœperit eſſe familiaris, indè argumenti robori nihil propterea decedit. Probatio majoris peti poteſt ex præcedenti argumento. Quoſcunque enim libros Prophetæ Veteris Teſtamenti conſcripſerunt, illos vernaculâ ſua & Iſraëlitarum propriâ, hoc eſt, Hebræâ linguâ conſcribere voluerunt. Juſtin. Apol. 2. pro Chriſtian. p.56. *Vaticinia Prophetarum, qui temporibus ſuis in Judæa fuère Reges, ita ut cum ederentur promulgata & vernacula Hebræorum voce* τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν ἑβραΐδι φωνῇ *in libris per ipſos Prophetas compoſitis perſcripta ſunt, conſervarunt*. Circa minorem nota, quod Hieronymus in præfat. libror. Salom. referat, *ſe librum Siracidis & primum Maccabæorum Hebraicos repperiſſe. Idem libros Tobiæ & Judith Chaldaico ſermone extitiſſe ſcriptos ſuo tempore & à ſe in Latinum converſos* in præfationibus, quas in illos libros fecit, commemorat. Sed cùm libri illi omnes hodiè non extent, niſi in Græco ac Latino idiomate, cùmque ex aliis fundamentis Prophetica & Canonica eorum autoritas demonſtrari nequeat, ideò rectè ſtatuit idem Hieronymus, *libros illos nihilominùs eſſe apocryphos*. Si enim Canonici eſſent, divina providentia nunquam permiſiſſet textum eorum originalem deperditum fuiſſe. Ac diligentiſſimè notandum, ſi Canonica alicujus libri autoritas probanda ſit, requiſita librorum Canonicorum omnia & ſingula eſſe cõjungenda. Neque enim uno duntaxat requiſito poſito ſtatim inferri poteſt, librum aliquem eſſe Canonicum, ſed omnibus ſimul poſitis & probatis. *Negativè* ex unius requiſiti defectu probare poſſumus, librum aliquem non eſſe Canonicum, ſed *affirmativè* non niſi ex omnium requiſitorum conjunctione Canonicam alicujus libri autoritatem inferre poſſumus. Quod ſi Pontificii moroſius urgere velint, quoſdam ex libris illis controverſis olim Hebræâ lingua exaratos fuiſſe, opponi ipſis meritò poteſt, quòd etiam *quartus liber Eſdræ* Hebraicam redoleat phraſin, quem tamen ipſimet ex Canone ſecludant.

3. *Ex materia.*

71. 3. *Ex materia*. Omnis liber Canonicus Veteris Teſtamenti continet oracula de Chriſto in Veteri Teſtamento promiſſo, in Novo autem exhibito. Controverſi illi libri non continent oracula de Chriſto. Ergò. Major probatur ex ſequentibus dictis. Luc.24.v.44. *interpretabatur illis, quæ in Moſe, Prophetis & Pſalmis de ipſo erant*. Joh.5.v.39. *Scrutamini Scripturas, illæ enim ſunt, quæ de me teſtificantur*. Actor.3. v.23. *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, annunciarunt dies iſtos*. Actor.10.v. 43. *Omnes Prophetæ teſtimonium ipſi perhibent*. 1.Pet.1. v.11. *Spiritus Chriſti in Prophetis prænunciavit eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias*. In his & parallelis Scripturæ dictis proprium Prophetarum in V. Teſt. officium ſtatuitur de Chriſto teſtari & vaticinari. Quamvis verò in libro Ruth non videatur expreſſum aliquod oraculum de Chriſto contineri, tamen Hiſtoria illius ſcripti inſervit genealogiæ, quam contexunt Evangeliſtæ Matth.1. Luc.3. quæ oſtendit, Chriſtum eſſe filium Davidis & Abrahæ, quibus peculiariter promiſſus erat Meſſias ex ipſorum ſemine naſciturus. Circa minorem nota, quamvis in libro quarto Eſdræ quædam de Chriſto prædicta videantur, nondum tamen id confirmat Canonicam ejus autoritatem, cum reliquis Canonicorum librorum requiſitis deſtituatur, nec ab ipſis ſanioribus Pontificiis pro Canonico habeatur.

4. *A poſteriori.* *Controverſi illi libri* 1. *non adducuntur à Chriſto & Apoſtolis.*

72. *A poſteriori* hęc argumenta producimus, 1. Omnis liber Canonicus V. Teſt. à Chriſto & Apoſtolis in N. Teſt. ad confirmationem dogmatum adducitur. Controverſi illi libri non adducuntur à Chriſto & Apoſtolis in N. Teſt. ad dogmatum confirmationem. Ergò. Major probatur ex collatione librorum V. & N. Teſt ex Hiſtoria Evangelica, quæ Chriſtum ad Moſen & Prophetas in diſputationibus cum adverſariis cœleſtis veritatis ſemper provocaſſe oſtendit, & ex clariſſimis D. Pauli pronunciatis, quòd nihil *quicquam doceat extra ea, quæ Moſes & Prophetæ locuti ſunt*. Actor.26.v.22. quòd *juſtitia Dei teſtimonium accipiat à lege & Prophetis*. Rom.3. v.21. denique ex ipſa praxi Apoſtolica, quæ demonſtrat, quòd ſemper provocent ad ſcripta Prophetarum. Hieron. in præfat. Paralip. *Ad Hebræos recurrendum, unde & Dominus loquitur, & diſcipuli exempla præſumunt*. Auguſt.lib. 2. contra Epiſt. Gaudent.cap.23. de libris Maccabæorũ ſcribit: *Judæi non habent hanc Scripturam ſicut Legem & Prophetas & Pſalmos, quib. Dominus teſtimonium perhibet, tanquam teſtib. ſuis*.

Quæ

Quæ contra Minorem proferentur, ea in ſpecialí cujusque libri apocryphi examine inferiùs explicabuntur.

3 *Deſtituuntur teſtimonio Eccleſiæ Iſraëliticæ*

73. 2. Libri Canonici V. Teſt. teſtimonium habent Eccleſiæ Iſraëliticæ. Controverſi illi libri deſtituuntur Eccleſiæ Iſraëliticæ teſtimonio. Ergò. Major probatur. 1. ex dictis Scripturæ. Rom. 3. v. 2. *Iudæis concredita ſunt* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. (Quidam ſpecialiter intelligunt de verbis legis, quæ ore Dei in monte Sinai pronunciata, & juſſu ejusdem in arca teſtimonii apud Judæos fuêre conſervata. Quidam accipiunt de Sacramentis, quæ ſunt verbum viſibile. Sed Apoſtolus loquitur generaliter, non enim dicit creditum illis fuiſſe verbum Dei tantùm, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, nec Sacramenta tantùm, ſed oracula Dei τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, quæ vocula & verbum & Sacramenta complectitur. Ac reſpicit Apoſtolus ad mandatum Dei, in quo Prophetæ juſſi fuerunt præcipua capita doctrinæ divinitùs revelatæ conſcribere, & libros hoſce Eccleſiæ Judaicæ ac Levitis commendare, ut in latere arcæ ponerentur, ſicut paulò pòſt pleniùs docebimus. Lyranus ex ignorantia phraſeos ſic accipit, *quaſi eloquia Dei ſint credita à Iudæis, in quo gentes præcelluerunt.* Sed Apoſtolus non de hominum, ſed Dei fide, ut ſic loquar, hîc agit, quod eloquia Dei, in quibus ſeſe populo Iſraëlitico manifeſtavit, ipſis fuerint à Deo concredita) Roman. 9. v. 4. illorum eſt adoptio καὶ διαθῆκαι. (Auguſt. contra Fauſtum vocem διαθήκαι accipit de duobus Teſtamentis, quia novum in veteri eſt figuratum. Alii ſtatuunt, novius Teſtamenti legalis aliam atque aliam ſanctionem denotari, quarum una deſcripta ſit Geneſ. 17. altera Exodi 14. Concinnius eſt de duabus tabulis fœderis in arca reconditis accipere, in quibus Decalogus verba ſcil. fœderis Dei digito deſcriptus.) 2. ex re ipſa. Conſtat ex Hiſtoria V. T. eſſ. Moſen & Prophetas libros ſuos Dei voluntate & inſpiratione conſcriptos tradidiſſe Sacerdotibus, ut reponerent eos in latere arcæ fœderis, ſicque extare norma perpetua & immota doctrinæ in Eccleſia Sacerdotum cuſtodiæ demandata, quâ ratione Eccleſia Iſraëlitica cuſtos librorum Canonicorum divinitùs fuit conſtituta. Deut. 31. v. 24: *Et fuit, cùm conſummaſſet Moſes ſcribere verba legis iſtius in libro, donec conſummaſſet.* v. 25. *Et præcepit Moſe Levitis portantibus arcam fœderis Domini dicendo.* v. 26: *Capite librum legis iſtius, & ponite eum ex latere arcæ fœderis Domini Dei veſtri, & ſit ibi contra te in teſtem.* Joſ. 24. v. 26. *Scripſit Ioſua verba iſta in libro Legis Dei* (Ergò cum libris Moſaicis Scripturam ſuam conjunxit) *& tulit lapidem magnum, & ſtatuit eum ibi ſubter quercum, quæ in ſanctuario Domini.* v. 27. *Dixitque Ioſua ad omnem populum: Ecce lapis iſte erit nobis in teſtimonium.* 1. Sam. 10: v. 25. *Et locutus eſt Samuel ad populum judicium regni, & ſcripſit in libro, & repoſuit coram Domino,* 2. Reg. 22. v. 8. 2. Paral. 34. v. 14. *Dixit Hilkias Sacerdos magnus ad Saphan Scribam. Librum legis inveni in domo Domini.* (utique ergò in domum Dei prius fuit illatus) Eſai. 30 v. 8. *Scribe eis ſuper tabulam, & in libro diligenter exara, & erit in die poſtero in teſtimonium uſque in æternum.* 3. ex ratiocinatione. Si partem aliquam Scripturæ Canonicæ Eccleſia Judaica tempore Chriſti reſpuiſſet, utique à Chriſto & Apoſtolis hoc nomine fuiſſet taxata, cùm de minoribus erroribus tàm acriter Sacerdotes & Phariſæos reprehendant. Sed hoc poſterius in concionibus Chriſti & Apoſtolorum nuſpiam occurrit. Argumentum hoc eſt Origenis in octavo volumine explanationum Eſaiæ referente Hieronymo in cap. 6. Eſaiæ. At inquis, *non legitur Chriſtus hoc nomine reprehendiſſe Saducæos, quod ſolum pentateuchon reciperent. Ergo in hac negativa probatione parum roboris.* Reſp. Chriſtus non toties legitur diſputaſſe cum Saducæis, ut cum Sacerdotibus, Phariſæis & Scribis. Præterea Sadducæi peculiarem ſectam conſtituebant, ſed totius Eccleſiæ Iſraëliticæ non illo ſolùm, ſed & ſuperioribus temporibus conſenſus fuit, libros illos controverſos non fuiſſe Canonicos. Si in eo tota Eccleſia Iſraëlitica erraſſet, Chriſti reprehenſionem non effugiſſet. Denique Chriſtus obliquè hoc nomine Sadducæos taxavit, quando ad ipſos dixit: *Erratis neſcientes Scripturas.* Addimus autem huic Origenis argumento duo alia. Prius ſic habet. Si Eccleſia Iſraëlitica libros quoſdam ὄντως & verè Canonicos repudiaſſet, conſequens foret, veram Eccleſiam graviſſimè errare poſſe. Sed hoc conſequens Pontificii non admittunt. Ergò. Poſterius tale eſto. Si Eccleſia Iſraëlitica libros quoſdam verè Canonicos non recepiſſet, conſequens fuerit; quoſdam Canonicos libros à nulla Eccleſia tunc receptos fuiſſe; quia præter Iſraëliticam Eccleſiam tunc temporis non erat alia vera Eccleſia. Sed conſequens eſt abſurdum. Ergò. 4. ex teſtimoniis piorum veterum. Auguſt. Epiſt. 59. *Singulari Dei curâ & providentiâ contigiſſe* dicit, *ut Iudæi debellati ſubverſi & perpetuò exagitati, quamvis animis odio inflammatis Chriſtum perſequerentur, Scripturas tamen ſacras conſervarent, ut Evangelii Chriſti veritas & claritas apud omnes refulgeret, ſi hoſtium infeſtiſſimorum teſtimoniis valentiſſimis confirmaretur.* lib. 16. de civ. Dei cap. 37. *Chriſtus ex ore Iudæorum quamvis errantium, ſed tamen legem Prophetasque cantantium benedicitur, id eſt, veraciter dicitur:* lib. 12. contra Fauſtum cap. 23: *Quid eſt gens Iudæa, niſi quædam ſcriniaria Chriſtianorum bajulans legem & Prophetas ad teſtimonium aſſertionis Eccleſiæ?* 5. ex confeſſione ipſorum adverſariorum. Quàm fideles librorum Propheticorum cuſtodes fuerint Iſraëlitæ, teſtatur ipſe Bellarminus, quando lib. 2. de verbo Dei cap. 2. §. arg. tertium ſcribit, *incredibilem fuiſſe Iudæorum religionem erga ſacros libros,* idque probat ex Philone in libr. de egreſſ. filiorum Iſrael ex Ægypto & Euſeb. lib. 8. præparat. Evang. cap. 2. qui referunt *uſque ad ſua tempora per ſpacium ampliùs quàm duorum millium annorum, ne verbum quidem fuiſſe unquam in lege Hebræorum immutatum, & quemlibet Iudæum centies potiùs moriturum, quam ut pateretur legem in aliquo mutari.* At quomodo cum hac religioſa Judæorum erga libros Canonicos obſervantia convenit, quod finguntur integros libros Propheticos à Canone removiſſe? Idem Bellarm. lib. 3. de Eccleſ. cap. 16. §. ad tertiam. ſcribit, *ante Chriſti adventum Eccleſiam Iudæorum non defeciſſe.* Utique ergò teſtimonium Eccleſiæ Iſraëliticæ de Canone Scripturæ repudiari nequit. Toletus in cap. 3. Rom. ſic commentatur. *Concredita ſunt illis*

eloquia

eloquia Dei, id eſt, oracula divina in Scripturis contenta commiſſa ſunt Judæis, apud eos enim in quadam cuſtodia & depoſito eloquia Dei manſerunt, factiq; ſunt ij depoſitarij & cuſtodes eloquiorum Dei. At malè fidei cuſtodes & depoſitarii fuiſſent, ſi tot libros vere Canonicos è Canone removiſſent. Frivolum eſt, quod excipit Campianus rat. 1. *Judæos alphabetum Hebraicum ſibi pro regula Canonicorum poſuiſſe, proinde ipſorum teſtimonio non eſſe multum tribuendum.* Diſtinguendum eſt inter aliqualem alluſionem & fundamentalem probationem. Collationem librorum Canonicorum cum literis alphabeti Hebraici quoad numerum duntaxat alluſionis cauſâ proferunt, fundamentalem autem probationem in eo conſtituunt, quòd ſoli illi libri, quos pro Canonicis agnoſcunt, ſint à Prophetis ſcripti, & majoribus ipſorum commendati, non plures nec pauciores; ut patet ex Joſepho lib. 1. contra Appion. Quod ſi vitio vertenda eſt Judæis hæc alluſio, utique eadem culpa retundabit etiam in Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores. Illi enim eâdem alluſione ad numerum literarum Hebraicarum utuntur, ut patet ex Orig. apud Euſeb. lib. 6. Hiſtor. cap. 24. Hilario præfat. in Pſalm. Cyprian. in expoſit. Symb. Nazianz. in carm. Hieronymo in prolog. Galeato. Sic Matthæus in genealogia Chriſti tres conſtituit teſſeradecadas, non quaſi hunc numerum pro regula generationum eſſe vellet, ſed ut memoriæ lectorum conſuleret.

74. Minor probatur 1. ex teſtimonio Joſephi lib. 1. contra Appion. *Non ſunt nobis innumeri libri diſcordes inter ſe atque pugnantes, ſed duo tantùm & viginti omnium temporum commentarios continentes, quibus meritò fides exhibetur.* Hoc Joſephi teſtimonium recenſet Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 10. 2. ex confeſſione ipſorum adverſariorum. Marianus Victor in Scholiis ad Epiſt. 116. Hieronymi. *Non refert, quòd in Canone illos controverſos libros non eſſe ſcribat, quia de Hebræorum Canone, non de Eccleſiæ Canone id intelligit.* Catharinus in annot. adverſ. Cajetan. §. de libr. Maccab. *Hos Hieronymus apocryphos vocat; Fateor; ſed loquitur ſecundùm Canonem Hebræorum.* Eraſmus in 1. Tim. 1. p. 464. *Etiam illos Judæorum libros recipimus in Canonem noſtrum, quos illi in ſuum recipere noluerunt, Chriſtiani propenſiores in Judæorum libros, quam ipſi in ſuos, qui tamen ſua ſic amant, ut nulla gens inſanius.* Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 10. in princ. *Omnes illos libros, quos Proteſtantes non recipiunt, etiam Hebræi non admittunt.* Coſterus in Enchirid. cap. de Script. §. de num. lib. *Iſti libri in Canone Judæorum non habentur.* It. *Gregorius loquitur de Canone Hebræorum, in quem libri illi adſcripti non fuerunt.* Sic ergò ipſimet fateri coguntur, Eccleſiam Iſraeliticam veritatis tunc temporis columnam teſtem cauſæ noſtræ non habere.

3. Deſtituuntur teſtimonio Eccleſiæ primitivæ Chriſtianæ.

75. 3. Libri verè Canonici habent conſentiens primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ teſtimonium. Controverſi illi libri deſtituuntur unanimi primitivæ Eccleſiæ teſtimonio. Ergò non ſunt Canonici. Major probatur ex eo, quod Apoſtolus 1. Tim. 3. v. 15. Eccleſiam vocat στύλον καὶ ἑδραίωμα veritatis, cumprimis propter teſtimonium fide dignum, quod Canonicis Scripturis tribuit. Quamvis enim Eccleſia ſuâ autoritate nullum librum faciat Canonicum, id quod ipſimet Pontificii ſaniores agnoſcunt, Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 10. c. Itaque cùm divina & Canonicæ Scripturæ autoritas à ſolo Deo dependeat, tamen Eccleſia teſtis locum obtinet, ac ſuo teſtimonio manifeſtum facit, & confirmat, qui libri verè ſint Canonici, quos ſcil. à ſanctis Dei hominibus conſcriptos eſſe à majoribus accepit. Totum igitur probationis pondus incumbit minori propoſitioni, quòd ſcil. ſoli illi libri, quos noſtræ Eccleſiæ pro Canonicis V. T. libris agnoſcunt, gaudeant unanimi primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ teſtimonio, contrà verò controverſi illi libri eodem deſtituantur. Confirmanda verò erit minor teſtimonio Eccleſiarum antiquiſſimarum, ab ipſis Apoſtolis plantatarum, quas genuinum Scripturæ canonem unà cum traduce doctrinæ ab Apoſtolis accepiſſe dubitari nequit. Tertull. lib. de præſcript. *Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas authenticæ eorum literæ recitentur ſervantes vocem, repræſentantes faciem.* Auguſt. lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 8. *In Canonicis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurium autoritatem ſequatur, inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere & Epiſtolas accipere meruerunt.*

76. Aſiaticas Eccleſias eſſe Apoſtolicas, colligitur ex Epiſtolis Pauli ad Epheſios, ad Colloſſenſes & ad Timotheum Epheſinum Epiſcopum, ex Epiſtola Petri priore ad incolas Aſiæ & ex Epiſtolis, quas Johannes in Apocalypſi juſſu CHRISTI ſeptem Eccleſiis Aſiæ inſcripſit. cap. 2. & 3. Conſtat inſuper ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, Johannem Apoſtolum, qui ultimo inter omnes Apoſtolos loco mortuus eſt, vitam ſuam in Aſia finiiſſe. Hujus Aſiæ Epiſcopi Laodiceæ in Phrygia Pacatiana congregati in Concilio Laodiceno can. 59. ſtatuerunt, *non oportere libros in Eccleſia legere, qui ſunt extra Canonem τὰ βιβλία ἀκανόνιστα, ſed ſolos V. ac N. T. Canonicos libros.* Deindè catalogum librorum Canonicorum ſubjungunt, in quo hos omnes omittunt, de quibus controvertitur, ſolos autem illos enumerant, quos noſtræ Eccleſiæ recipiunt. Hujus Eccleſiæ Laodicenſis teſtimonium propterea magnifaciendum, quòd Eccleſiæ illius expreſſa fiat mentio. Coloſſ. 4. v. 16. Apoc. 3. v. 14. unde Staplet. lib. 2. de autorit. Script. cap. 3. §. 2. *Concilium Laodicenum pro aliis omnibus ſeſe protuliſſe* ſcribit, quamvis fide non bona protulerit. Adverſarii ut enervent hoc teſtimonium, variis utuntur exceptionibus, quarum potiores examinabimus. 1. Quidam excipiunt, *Laodicenum Concilium fuiſſe provinciale Epiſcoporum duntaxat 22. nec eſſe à Roman. Epiſcopo confirmatum, Carthaginenſe verò, in quo controverſi libri in Canonem recepti ſunt, fuiſſe Epiſcoporum 217. hoc ergò illi eſſe præferendum.* Reſp. illa ſunt provincialia Concilia, in quibus *unius tantùm provinciæ Epiſcopi congregantur*, definiente Bellarmino lib. 1. de Concil. cap. 4. §. Provincialia. Atqui in hoc Concilio congregati fuerunt Epiſcopi ex diverſis provinciis, quod docent verba in titulo Synodi. *Sancta Synodus, quæ apud Laodiceam Phrygiæ convenit ex diverſis regionibus Aſiæ*, in Græco eſt ἐπαρχιῶν. Præterea fuerunt

Concilium Laodicenū

in eo

in eo non 22. ſed 32. Epiſcopi, ut conſtat ex Gratiano c. Prima diſt. 16. *Sexta Laodicenſis, in qua Patres 32.* Ita enim legunt antiquiſſimæ editiones etiam ea, quæ Gregorij XIII. auſpiciis prodiit, ac Binius in notis tom. 1. pag. 292. idem ſtatuit. Laodicenum inſuper Concilium prius eſt Concilio Carthaginenſi. quia Laodicenum circa annum 364. Carthaginenſe circa annum 400. fuit inſtitutum. Ergo etiam majoris autoritatis eſt Laodicenum quàm Carthaginenſe. Ut enim habet regula juris Canonici c. Sancto Domino. „diſt. 50. ex Iſodoro. *Quotieſcunque in geſtis Con-„ciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Conci-„lij ſententia magis teneatur, cujus antiquior & „prior extat autoritas.* Videtur quidem hæc Iſidori regula à jure Canonico approbata, pugnare cum regula Auguſtini libr. 2. de Baptiſmo. contra Donatiſt. cap. 3. *quòd Concilia priora à poſterioribus emendentur,* ſed Bellarminus libr. 2. de Concil. cap. 7. conciliat hoc modo, *quòd Auguſtinus loquatur de quæſtionibus facti & præceptis morum, Iſidorus autem de doctrina fidei.* Jam verò quæſtio de Canone pertinet ad doctrinam fidei. Ergò in ea Iſidori regula obſervanda eſt, cujus vigore Laodiceni potius quàm Carthaginenſis Concilii deciſione ſtandum. ut nihil de eo dicamus, quòd Carthaginenſis Concilii ſententia non pugnet cum Laodiceno Concilio, ut ſuo loco demonſtrabimus. Denique Concilium Laodicenum confirmatum eſt in jure Canonico c. Prima. diſt. 16. c. Non oportet. diſt. 16. Eodem loco confirmatum eſt Concilium Laodicenum à Leone, quo confirmatum eſt Concilium Carthaginenſe c. de libellis diſt. 20. Ergò ejus authoritatem Pontificii elevare nequeunt. 2. Alii excipiunt, *Laodicenum Concilium illos libros numeraſſe, de quibus certi erant Epiſcopi, eſſe eos Canonicos & divinos, interim non negari à Concilio, etiam reliquos eſſe Canonicos, ſed rem dubiam non definiviſſe. At Carthaginenſe Concilium rò meliùs diſcuſſâ definiviſſe illud, quod Laodicenum dubium reliquerat.* Reſp. imò verò diſertis verbis ſolos Canonicos legi volunt, & in Canonicorum catalogo illos, de quibus controvertitur, prætermittunt. Bellarminus ipſe lib. 1. de verbo Dei c. 20. ita colligit. *Pſalmum 151. cujus mentio fit ab Athanaſio in Synopſi. non eſſe Canonicum. quia Concilium Laodicenum cum Romano ſub Gelaſio habito, & cum Tridentino Concilio 150. Pſalmos in Canone ponant.* Quod ſi ergò Pſalmus 151. ex eo rectè probatur apocryphus, quia 150. duntaxat Pſalmi nominatim in Conciliis ponuntur, pari ratione conſequens fuerit, libros illos ſex controverſos non eſſe Canonicos, quia nominatim 22. tantùm libri à Concilio Laodiceno in Canone ponuntur. Adde quòd non tantùm Patres Concilii Laodiceni ſuo ſilentio & prætermiſſione, ſed etiam rei [illegible] Eccleſiæ Orientalis Patres diſertâ nominatione apocryphos excludunt, ut poſteà apparebit. 3. Cotterus in Enchir. cap 1. p. 65. ſic excipit. *Patres illi non abjecerunt hos libros tanquam non ſacros, nec decreverunt non eſſe Canonicos, ſed non numeraverunt inter illos, qui in Eccleſia eſſent legendi, idq; præſertim propter Judæos ad fidem converſos & fere judaizantes, quibus Phrygia ab Apoſtolorum temporibus abundabat. Hos nimirùm ſancti illi Patres irritare noluerunt, ut libris V. T. in Eccleſia legendis, quos illi in Canone Hebræorum non habebant.* Reſp. decreverunt non eſſe legendos. Ergò etiam decreverunt non eſſe Canonicos, quia libri in Eccleſia legendi & Canonici Laodicenſibus dicuntur reciprocè. Quod verò in favorem Judæorum ita decreverint, falſiſſimum eſt, neque enim Canon fidei ad placitum hominum inflectendus. Ac ſi eo nomine de his libris tacuiſſent, nonne potiùs prohibuiſſent Epiſtolas Pauli legi ut Canonicas, quæ Judæis multò odioſiores, quàm libri Maccabæorum vel Sapientiæ. In can. 2. illius Concilii damnantur *Teſſeradecatitæ, ſivè Quartodecimani,* qui Lunâ 14. primi menſis cum Judæis Paſcha celebrarent (referente enim Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap 21. & Socrate lib. 1. cap. 6. alii ex Chriſtianis ſequebantur morem Judæorum, alii verò die Dominico proximè 14. Lunam ſequente Paſchâ celebrabant) Tantùm ergò abeſt, ut Patres iſti Judæis in conſtituendo Canone indulgere voluerint, ut hæreticos pronunciarint, qui in re adiaphora, videlicet in Judaica Paſchatis celebrandi conſuetudine pertinaciùs perſeverarent. Can. 29. ſtatuunt. *Non oportere Chriſtianos judaizare, & in Sabbatho vacare, ſed operari eos in eadem die Dominicam illi diei præponendo.* Si hac in re noluerunt Judæis indulgere, quis perſuadere ſibi patietur. quòd in gratiam eorum libros quosdam verè Canonicos in Eccleſia legi prohibuerint? 4. *Laodicenum Concilium prætermittit etiam Evangelium Lucæ, quod tamen verè Canonicum.* Reſp. in Epitome Conciliorum Carranzæ prætermittitur, ſed ab aliis omnibus, qui aliquâ de causâ catalogum librorum Canonicorum ediderunt. Evangelium Lucæ in Canone numeratur. Ergò hic error Concilii ex aliis Conciliis & Patribus corrigendus. Sed enim in ipſo Canone Concilii Laodiceni errore potiùs librarii, quàm aliquâ Patrum culpâ Evangelium Lucæ omiſſum videtur, nam in editione Colonienſi Severini Binii tom. 1. Conc p. 292. diſertè inter Canonicos Novi Teſt. libros numeratur. In verſione Gentiani Herveti etiam Baruch Jeremiæ annectitur, & Epiſtolæ Jeremiæ nominantur, cùm unica duntaxat ſit in libro Baruch Epiſtola, ſed in editione Severini Binii omittitur. Apocalypſis in omnibus editionibus prætermittitur, quâ de re quid ſtatuendum, ſuo loco apparebit. Quare cùm exceptiones hæ in medium allatæ nullius ſint ponderis ac roboris, ideò Ederus in œconom. Biblic. lib. 1. pag. 36. tab. 42. meritò fatetur, *in Concilio Laodiceno nullam iſtorum controverſorum librorum fieri mentionem.*

77. Ab Eccleſia *Laodicena in Phrygia minoris Aſiæ regione progredimur ad Eccleſias Judææ in Aſia majore, a quibus verbum DEI profectum eſt.* 1. Corinth. 14. v. 36. Extat apud Euſebium l. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 25. Epiſtola Melitonis Sardicenſis Epiſcopi ad Oneſimum, in qua memorat, ſe ad Eccleſias Judææ hoc fine profectum, ut de Canonis ſinceritate certi quid cognoſceret, is eundem omninò Canonicorum librorum numerum cum noſtris Eccleſiis recenſet. Rogatus erat hic Melito ab Oneſimo, ut veterum librorum certam ſummam præſcriberet, quo illi ſint numero & quo ordine diſpoſiti. illi igitur inter alia ſic reſcribit. *Diligente, in hoc ſui, ut tibi id præſtarem ſciens ſtudium tuum erga fidem & diligentiam ac ſedulitatem circa doctrinam, quod iſta potiſſimùm deſiderio, quo erga Deum afficeris & amore æternæ ſalutis, pro qua decertas, potiora duras. Itaque in* Melito.

Orientem reverſus & eo loco conſtitutus, ubi iſta ſunt & prædicata & geſta, V. T. libros diligenter cognitos in ordinem ſubjeci & ad te miſi, quorum hæc ſunt nomina &c. in quo catalogo illi prætermittuntur, de quibus inter nos & Pontificios cõtrovertitur. Melito fuit Epiſcopus Sardicenſis (vel ut Euſebii interpres vertit Sardenſis) Jam verò Eccleſia Sardicenſis eſt una ex illis ſeptem Eccleſiis Aſiæ, quibus Iohannes ex mandato Chriſti ſcripſit. Apoc. 3. v. 1. Eccleſia ergò Sardicenſis fuit Apoſtolica, hoc eſt, ab Apoſtolis plantata, cujus Epiſcopus fuit Melito, floruit circa annum Chriſti 170. potuit audire illos ſenes, qui adoleſcẽtes Iohannem Evangeliſtam ſenẽ audiverunt. Polycrates Epheſi Epiſcopus de eo aſſerit, *quod in cunctis per gratiam Spiritus ſancti ductus ſit* apud Euſebium lib. 5. Hiſt. c. 22. circa med. Tertullianus apud Hieronymum in catal. Eccleſ. ſcript. dicit, *eum à pleriſq; noſtrorum Prophetam appellari.* Is de ſe ipſo teſtatur, quòd *profectus fuerit ad Orientem*, hoc eſt, ad Eccleſias Palæſtinæ, Piſidiæ, Pãphiliæ, Ciliciæ, Phœnices, imò *uſq; in eum locum, in quo hæc geſta, & prædicata ſunt*, hoc eſt. in provincias Galilææ, Samariæ, Iudææ ac peragratis hiſce locis ſententias eorum, qui Eccleſiis tùm præerant, de Canõe perrogavit. ut & ſe & alios in hac quæſtione confirmaret. Quodnã autem Epiſcoporum illorum de Canone conſentiens fuerit teſtimonium, tùm ex Melitonis relatione, tùm ex ſubſequente ſpeciali enumeratione eluceſcit. Magni igitur faciendum hoc Melitonis teſtimoniũ, cui quod obvertant Pontificij, non habent, niſi quòd *librum Sapientiæ Canonicis annumeravit*, quem tamen noſtræ Eccleſiæ pro Canonico non agnoſcant. Sed quid hac de re ſtatuendum ſit, inferiùs explicabitur.

Euſebius Pamphili.

78. *Palæſtinæ* metropolis eſt *Cæſarea*, ubi Petrus Eccleſiam plantavit, cùm baptizaret Cornelium Act. 10. v. 48 ac Paulus ibidem coram Feſto & Agrippa Evangelium docuit, Actor. 25. & 26. Cæſarienſis igitur Eccleſia Apoſtolicis Eccleſiis eſt annumeranda. Illius Epiſcopus *Euſebius Pamphili* idem de Canone ſentit, quod Melito refert, & Cõcilium Laodicenũ definivit. Nam lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap 9. & 10. ex Joſepho recenſet libros ἐνδιαθήκους, atque hanc Joſephi ſententiam laudat lib. 6. cap. 12. librum Sapientiæ & Eccleſiaſticum nominatim ex Canone excludit. lib. ejuſd. cap. 24. ex Origene in expoſitione Pſalmi primi Catalogum Scripturarum Veteris Teſtamenti recenſet, & ad numerum alphabeti Hebraici revocat, in Chronic. de libris Maccabæorum dicit, eos non recipi inter divinas Scripturas.

Cyrillus Hieroſolymitanus.

79. A *Cæſarea* proficiſcamur *Hieroſolymam*, ubi itidem fuit Apoſtolica Eccleſia, quia Apoſtoli poſt Chriſti aſcenſionem aliquandiu Hieroſolymis docuerunt. Illius Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus fuit *Cyrillus*, is catech. 4. p. 98. eodem planè modo Canonicos libros recẽſet: ἀναγίνωσκε, inquit, τὰς θείας γραφάς, τὰς εἴκοσι δύο βίβλους. Poſtea eoſdem nobiſcum numerat libros, niſi quod Baruch Jeremiæ conjungit, & addit: *Hos ergò lege viginti duos, cum apocryphis verò nihil habe negotij has tantum ſtudioſè meditare Scripturas, quas in Eccleſia confidenter legimus. Multo prudentiores te & religioſiores fuerunt Apoſtoli & primi Epiſcopi veritatis duces, qui nobis eas tradiderunt. Tu igitur cum ſis filius Eccleſiæ, non tranſgrediaris illius terminos.*

Epiphanius.

80. Ex *Judæa* conferamus nos *in inſulam Cyprum*, cujus urbs præcipua fuit Salamis vel Salamin (quæ poſteà dicta fuit Couſtantia, ſicut Hieroſolyma dicta fuit Ælia) ubi Apoſtolus Paulus cũ Barnaba annunciavit ſermonem Domini Act. 13. v. 5. Fuit ergò illic Eccleſia Apoſtolica ſivè ab Apoſtolis plantata, cujus Epiſcopus fuit Epiphanius, quem Hieronymus in catal. ſcript. vocat Epiſcopum Cypri Salaminæ. Is ergò in lib. de menſur. & ponderib. fol. 534 refert, *Judæos miſiſſe ad Ptolemæum libros aureis literis deſcriptos viginti duos*, quos nominatim recenſet. De Sapientia Salomonis & Siracide ſcribit, *quod utiles quidem ſint, ſed in numerum Canonicorum non referantur, neque in arca fœderis fuerint repoſiti*. hæreſ. 8. contra Epicur. libros enumerat 27 quos Judæis a Deo traditos fuiſſe aſſerit vel potiùs inquit 22. ὡς τὰ παρ' αὐτοῖς στοιχεῖα τῶν ἑβραϊκῶν γραμμάτων ἀριθμούμενα. Quidam autem libri διπλοῦνται, hinc illa numeri varietas, ut duplicati ſint 22. ſeparati 27. Σοφίαν Σειρὰχ καὶ Σαλομῶντος dicit eſſe ἐν ἀμφιλέκτῳ.

Amphilochius.

81. *Cypro* conterminæ ſunt regiones Pamphiliæ, Lycaoniæ, Cappadociæ &c. Lycaoniæ urbs præcipua fuit *Iconium*, ubi Paulus Eccleſiam plantavit Act. 13. v. 51. cap. 14. v. 1. 2. Tim. 3. v. 11. Epiſcopus illius Eccleſiæ fuit *Amphilochius*, de quo Socrates lib. 5. cap. 8. pronunciat, *quod Patriarchatum Aſianum obtinuerit.* Is in jambis ad Seleucum ſic ſcribit. *Libros ſingulos à divino Spiritu profectos tibi recenſebo, atq; ut rem omnem dilucide cognoſcas, primùm tibi priſci fœderis libris commemorabo.* Poſteà omnes recenſet, quos Hebræi numerant & quos Eccleſiæ noſtræ pro Canonicis agnoſcunt, illos verò, de quibus controvertitur, omittit & addit. *Hic veriſſimus eſt Canon Scripturarum divinitùs inſpiratarum.*

Nazianzenus.

82. *Iconio* adjacet *Cappadocia*, ad quam Petrus priorem ſuam Epiſtolam ſcripſit, cujus urbs primaria fuit Nazianzum, cujus Epiſcopum egit *Gregorius* cognomento Theologus, *Nazianzenus* propterea dictus. Is in carmine de genuinis Scripturæ partibus eodem modo Canonicos libros recenſet, quo ſcriptores hactenùs enumerati, qui omnes partim antiquiores fuerunt Concilio Laodiceno, partim eodẽ tempore floruerunt. Verba Nazianzeni ſic habent. ἀρχαίας μὲν ἔθηκα δύο καὶ εἴκοσι βίβλους τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους. Ac diſertè addit. εἴ τις δὲ τούτων ἐκτὸς, οὐκ ἐν γνησίαις.

Origenes.

83. Orientalium Eccleſiarum & Epiſcoporum illis præpoſitorum teſtimoniis hactenùs enumeratis addenda ſunt etiam aliarum Eccleſiarum finitimarum teſtimonia. Alexandrinæ Eccleſiæ in Ægypto Catecheta fuit *Origenes*, Clementis Alexandrini diſcipulus & ſucceſſor, Adamantius ac χαλκέντερος ob laborum tolerantiam & ſcriptorum multitudinem appellatus. Is in expoſitione Pſalmi primi viginti duos Veteris Teſtamenti libros in Canone recenſet, hoc eſt, noſtrarum Eccleſiarum de Canone ſententiæ totus aſſurgit referente Euſebio libr. 6. Hiſt. Eccl. c. 24.

Athanaſius.

84. Origenis ſucceſſor in Alexandrina Eccleſia fuit *Athanaſius* Epiſcopus Alexandrinus, quem Epiphanius vocat *patrem rectæ fidei*. Nazianzenus *lumen Eccleſiæ*, Theodoretus lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 8. *propugnaculum veritatis*. Leo Imp. conſtit. 88. refert eum *inter diviniloquos viros, qui poſt Apoſtolos in Eccleſia claruerunt, ac luminarium inſtar Eccleſiæ firmamentũ rebus geſtis ac* docu-

documentis illuſtrarunt. Is in Synopſi tom. 2. p. 63. eoſdem commemorat libros, quos in Canone etiam nos recenſemus, reliquos vocat ἀκανονίστους. *Sunt,* inquit, *Canonici Vet. Teſt. libri 22. literis Hebraicis numero pares.* Eſtheris librum nõ connumerat, ſed poſt modùm addit, eũ ad aliud quoddam Canonicũ volumen pertinere. Forſan ad Eſdram, à quo librum illum fuiſſe ſcriptum Iſidorus & alii tradunt. Patribus Orientalibus annumerari poteſt *Nicephorus,* qui apud Cyrum Prodromum in verſibus inquit: τῆς μὲν παλαιᾶς εἰσιν εἴκοσι δύο. *Et Leontius Bizantinus Monachus,* qui in lib. de ſectis act. 2. ſcribit. τῆς μὲν τῆς παλαιᾶς βιβλία εἰσιν κβ. Poſteà ordine omnes Veteris & Novi Teſtamenti libros percurrit & addit. ταῦτα ἐστι τὰ κανονιζόμενα βιβλία ἐν ἐκκλησίᾳ παλαιά καὶ νέα.

Nicephorus.

85. Neve ſingulos Orientalium Eccleſiarum ſcriptores afferre cogamur, compendio rem tranſigemus. *In Sexta Synodo Conſtantinopolitana Trullana* dictâ, propterea quod in Trullo Imperatoris palatio ſic vocato fuerit congregata confirmatum fuit *Concilium Laodicenum,* quod noſtræ ſententiæ eſt ὁμόψηφον. Jam verò Synodo iſti Trollanæ interfuerunt plerique omnes patres Orientales. Balſamon in præfat. ſextæ Synodi probat, interfuiſſe etiam multos Occidentales, undè in quibuſdam exemplaribus vocatur *Concilium generale.* Damaſcenus qui non multò poſt Concilium illud circa annum 730. vixit, lib. 4. orth. fid. cap. 18. canonicos ſic recenſet. ἰστέον ὡς εἴκοσι καὶ δύο βίβλοι εἰσὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης κατὰ τὰ στοιχεῖα τῆς ἑβραΐδος φωνῆς. *Scire operæ precium eſt, quòd ſint viginti duo libri V. T. ſecundùm elementa Hebraicæ vocis.* ὡς εἶναι τὰς ἐνδιαθήκους βίβλους οὕτως, quod interpres malè reddidit, *ut ſint diſpoſiti libri hoc pacto,* cùm ἐνδιαθήκους appellet libros *Teſtamentarios.* Sapientiam Salomonis & Siracidis dicit eſſe ἐνάρετους καὶ καλάς, ἀλλὰ (inquit) οὐκ ἀριθμοῦνται οὐδὲ ἔκειντο ἐν τῇ κιβωτῷ; reliquorum apocryphorum ne quidem mentionem facit. Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 9. malâ fide probare nititur, quòd Damaſcenus Sapientiam & Eccleſiaſticum numeret inter Canonicos, cùm P. Victorius commentator Damaſceni & Canus lib. 2. locorum comm. cap. 10. agnoſcant, *Damaſcenum illos à Canone rejicere.* Aliam autem exceptionem affert Canus, *quòd Damaſcenus id affirmârit eo tẽpore, quo res nondum fuerit definita, quâ ratione* (inquit) *excuſamus etiam cæteros.* Conſequens ergò erit à Patribus Concilii Carthaginenſis & à Gelaſio, qui Damaſceno longè antiquiores, nondum fuiſſe hoc definitum, cùm tamen ad Concil. Carthaginenſe & Gelaſium adverſarii ſubindè provocent. Illud majori ſpecie Damaſceni teſtimonio obverti poſſet, quòd *Canones Apoſtolorum* per Clementem collectos numeret inter Canonicos. Sed hac in parte Damaſcenum aliquid humani paſſum ipſimet Pontificii agnoſcunt.

Synodus Trullana.

Damaſcenus.

86. Ex *Eccleſiarum Occidentalium Doctoribus* non minoris ponderis ac claritatis teſtimonia pro noſtræ ſententiæ confirmatione adducere poſſumus. Hilarius Pictavienſis fuit Epiſcopus in Aquitãia ultima Galliæ parte verſus Occidentem. Is in prologo Pſalmorum ſcribit, *legem V. T. in viginti duos libros deputari, ut cùm Hebræarum literarum numero conveniant, idq; ſecundùm traditionem veterum,* per quos intelligit Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores vetuſtiores.

Hilarius.

87. Cum Hilario idem docet *Hieronymus* natus in oppido Stridonis, quod in confinio Dalmatiæ Pannoniæque ſitum, ut ipſe in catalog. illuſtr. ſcript. teſtatur. Vixit is Romæ, Conſtantinopoli & in Bethlehem Syriæ; peragravit Italiam, Galliam, Græciam, Judæam, Syriam Ægyptum, quod ad commendationem teſtimonii de Canone ab ipſo prolati plurimùm facit. Is ergò in præfat. libror. Salomonis ſic diſſerit. *Sicut Judith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed inter Canonicas Scripturas non recipit: Sic & hæc duo volumina* (Sapientiam & Eccleſiaſticum) *legat ad ædificationem plebis non ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* Loquitur autem Hieronymus de Eccleſia Occidentali, quia in Orientali ne quidem lecti fuêre hi libri, ut conſtat ex ſuperioribus. Idem in prologo Galeato (qui propterea ſic vocatur, quia ut galea caput hominis armati defendit à jaculis & ictu adverſariorum, ſic iſte prologus defendere poteſt Scripturas Canonicas ab Apocryphis) poſt enumeratos 22. libros ſubjungit, *ſe eam ob cauſam hos recenſuiſſe, ut ſcire valeamus, quicquid extra hos eſt, eſſe ponendum inter apocrypha.* Et poſteà. *Quæ non habentur apud Hebræos, nec de viginti quatuor ſenibus ſunt, procul abjicienda.* Ad hoc Hieronymi teſtimonium variis modis reſpondent adverſarii. 1. Ambroſius Catharinus in exam. dogm. exceptor. è Cajet. dicit, *Hieronymum uti nomine Eccleſiæ pro hominibus hæreticis aut parum piis, ſed ſeditioſis, qui in illa perturbatione noluerunt recipere illos libros,* quod commentum refellit ipſe Julius Rugerius in oper. de libr. Canonic. & apocryphis. 2. Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 11. diſtinguit inter *Proto Canonicos* & *Deutero Canonicos,* Hieronymum ergò hoc velle, quòd non ſint de numero Canonicorum primi ordinis, quę diſtinctio etiã placet Stapletono lib. 9. de princ. fid cap. 6. 3. Andradius lib. 3. defenſ. fid. Trident. dicit, *Hieronymum locutum eſſe ex opinione Judæorum, non ſuâ.* Sed Bellarminus libr. 1. de verbo Dei cap. 10. infirmitatem horum ſubterfugiorum agnoſcens Hieronymi teſtimonium nobis largitur.

Hieronymus.

88. Hieronymi in Orientem profecti comes fuit *Ruffinus Aquileienſis Eccleſiæ Presbyter,* quem ipſe Hieronymus in Epiſtola ad Flurentium vocat *fratrem ſuum individuâ germanitatis caritate connexum.* Eum igitur meritò conjungimus Hieronymo. Solet is ſæpius præſertim in defenſione Origenis Hieronymo contradicere, ſed in hac quæſtione conſentit, quod Hieronymi teſtimonio pondus addit. Sic verò ſcribit in expoſitione Symboli Cypriano minùs rectè attributa. *Quæ ſunt Novi ac Veteris Teſtamenti volumina, quæ ſecundùm majorum traditionem per ipſum Spiritum ſanctum inſpirata creduntur & Eccleſiis Chriſti tradita, competens videtur in hoc loco evidenti numero, ſicut ex Patrum monumentis accepimus, deſignari.* Poſteà recenſet librorum Canonicorum catalogum eũ Hieronymiano prorſus congruentem, & addit. *Hæc ſunt, quæ Patres intra Canonem concluſerunt, ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt.* Et poſteà. *Sciendũ eſt, quod alii libri ſunt, qui non Canonici, ſed Eccleſiaſtici à majoribus appellati ſunt, ut eſt Sapientia Salomonis. Ejuſdem ordinis eſt libellus Tobiæ & Judith & Maccabæorum libri. In novo verò Teſta-*

Ruffinus.

mento liber, qui dicitur Paſtoris, quæ omnia legi quidem in Eccleſiis voluerunt, non tamen proferri ad autoritatem ex his fidei confirmandam. Concludit tandem. *Hæc nobis à Patribus, ut dixi, tradita, opportunum viſum eſt hoc loco deſignare ad inſtructionem eorum, qui prima Elementa ſuſcipiunt, ut ſciant, ex quibus ſibi fontibus verbi DEI hauriendi ſint pocula.* Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 11. Ruffinum hoc nomine ignorantiæ accuſat, quod Patrum traditiones in Concilio Carthaginenſi neſcierit, ſed de Carthaginenſium ſententia poſteà dicetur.

Philaſtrius.

89. Reliquorum Patrum in Occidentalibus Eccleſiis ſuffragia breviter enumerabimus. *Philaſtrius* fuit Brixienſis Epiſcopus Hieronymo & Ruffino coætaneus. Is in catalog. hæreſ. cap. 88. ſic diſſerit. *Statutum eſt ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, nullos libros in Eccleſia Catholica legi debere, niſi legem & Prophetas, & apocryphas vel abſconditas Scripturas legi debere morum cauſâ à perfectis, ſed ab omnibus legi non debere*; ubi legis & Prophetarum nomine exemplo Chriſti intelligit 22. Veteris Teſtamenti libros.

Gregorius.

Gregorius cognomento Magnus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit circa annum Chriſti 600. Is lib. 19. moralium in Jobum cap. 17. prolaturus teſtimonium ex primo Maccabæorum hac utitur προθεραπείᾳ. *De quâ re* (cavenda ſcilicet elatione) *non inordinatè facimus, ſi ex libris licet nō Canonicis, ſed tamen ad ædificationem plebis editis teſtimonium proferamus.* Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 12. regerit, *Gregorium loqui de Proto Canonicis.* Atqui Deutero Canonici recepti ſunt circa annum 400. à Concilio ſcilicet Carthaginenſi, ut volunt adverſarii. Gregorius ſcripſit ſeculo ſexto circa annum 600. Ergò planè excludit eos à Canone. Julius Rugerius dicit, *minùs notum fuiſſe Gregorio, illos eſſe Canonicos.* Atqui tantus Epiſcopus nec debuit nec potuit hoc ignorare. Coſterus in Enchir. tit. de lib. Canon. reſpondet, *ipſum loqui de Canone Hebræorum*, ſed hanc exceptionem eſſe frivolam, paulò pòſt demonſtrabimus. *Gloſſa Ordinaria* Bibliorum & *gloſſa juris Canonici* magnæ ſemper in Eccleſia Romana fuerunt autoritatis.

Gloſſa ordinaria Bibliorum.

Autor gloſſæ ordinariæ fuit *Alcuinus*, ut placet Antonino part. 3. tit. 4. cap. 15. & Ganguino libr. 4. Hiſtor. Franc. c. 1. vel *Strabus Fuldenſis* circa annum 840. ut placet Trithemio. In prologo illius agitur de libris Canonicis & non-Canonicis, ac eodem modo enumerantur libri Canonici, quo in noſtris Eccleſiis. Verba ſic habent: *Quia multi ex eo, quod non multùm operam dant Scripturæ ſacræ, exiſtimant omnes libros, qui in Bibliis continentur, pari veneratione eſſe reverendos & adorãdos neſcientes diſtinguere inter libros Canonicos, & nō Canonicos quos Hebræi inter apocrypha cōputant, unde ſæpe docti videntur ridiculi &c.* Autor illius Gloſſæ ſententiam ſuá confirmat autoritate Origenis, Hieronymi & Ruffini, ac in præfatione ſingulorum librorum apocryphorum illud repetit. *Incipit liber Tobiæ, qui non eſt in Canone, incipit Eccleſiaſticus, qui non eſt in Canone &c.* autoritas gloſſæ commendatur in præfatione tomorum Conciliorum.

Gloſſa juris Canonici.

Gloſſæ juris Canonici autor fuit *Johannes Semeca Teutonicus* juris Doctor Halberſtadii ſepultus: teſte Crantzio li. 8. Hiſt. Sax. c. 27. Is in c. Canones diſt. 15. in verb. *Apocrypha* ſic commentatur. *Apocrypha, id eſt, ſine autore, ut Sapientia Salomonis, liber Jeſu filii Sirach, qui dicitur Eccleſiaſticus & liber Judith & liber Tobiæ & liber Maccabæorum; hi apocryphi dicuntur, & tamen leguntur, ſed fortè non generaliter.*

Hugo Cardinalis.

90. Gregorio Pontifici Romano adjungantur duo Cardinales, *Hugo & Cajetanus*, quorum ille ſexcentis poſt Gregorium annis ſcripſit, hic verò trecentis poſt Hugonem. Hugo in prologo ſuper Joſuam hos ponit verſus:

Quinque libros Moſi, Joſue, Judicum, Samuelis;
Et Melachim, tres præcipuos bis ſexq́; Prophetas;
Poſt Hagiographa ſunt Daniel, David, Heſter & Eſdras,
Job, Paralipomenon & tres libri Salomonis.
Reſtant Apocryphi Jeſus, Sapientia, Paſtor.
Et Macabæorum libri, Judith atque Tobias.
Hi quia ſunt dubii, ſub Canone non numerantur.
Sed quia vera canunt, Eccleſia ſuſcipit illos.

Cajetanus.

Cajetanus, Thomas de Vio aliàs dictus, præfat. in Joſ. ſeptem capitula in Eſther, libros, Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Maccabæorum fatetur non eſſe Canonicos. in cap. ult. Eſther monet, *ad limam Hieronymi revocandos eſſe libros Canonicos Veteris Teſtamenti* præfat. comment. ad Clement. 7. *magnæ* dicit *Hieronymo gratias agendas, quod amoverit à nobis Judæorum calumniam.* Hæc omnia ſcripſit Cajetanus Romæ ante Concilium Tridentinum in ipſo Rom. Pontificis conſpectu.

Antoninus Archiep. Florentinus.

91. Antequam ex Italia abeamus, recenſenda ſunt aliorum in Italia Scriptorum teſtimonia noſtræ ſententiæ conformia. *Antoninus Archiepiſcopus Florentinus* in ſumma part. 3. tit. 18. cap. 6. §. Secundò: affirmat de ſex illis controverſis libris, quòd *eorum autoritas ad probanda ea, quæ ſunt dubia, non ſit idonea*, in quam ſententiam allegat Thomam ſecunda Secundæ, & Lyranum in prologo in librum Tobiæ, quòd ſcilicet *iſti libri non ſint tantæ autoritatis, ut ex eorum dictis ſufficientia ducantur argumenta in his, quæ ſunt fidei, ſicut ex aliis libris*, undè ſibi videri dicit Antoninus, *quod talem habeant autoritatem, qualem habent ſanctorum Doctorum ſcripta, quæ ab Eccleſia ſunt approbata.* Interfuit hic Antoninus Concilio Florẽtino. Si ergò verum eſſet, quod Caranza in ſumma Conciliorum, Bellarminus & alii de Florentino Concilio ſcribunt, *libros illos controverſos in iſto Concilio in Canonem receptos*, Antoninus ſibiipſi adverſaretur.

Pagninus.

Sanctes Pagninus in epitome, quam verſioni Bibliorum à ſe adornatæ præfixit, diſtinguit inter Canonicos & Hagiographos, id eſt, apocryphos.

Antonius Braciolus.

Antonius Braciolus in præfat. commẽt. in Biblia, quæ in Italicam linguam vertit, ait, ſe illuſtraſſe commentariis omnes Veteris Teſtamenti libros Canonicos, illuſtravit autem eos tantùm. quos noſtræ Eccleſiæ vocant Canonicos.

Franciſcus Picus.

Franciſc. Picus de fid. & ord. credendi theor. 5. idem de Canone nobiſcum ſtatuit. Sic ergò Doctores Eccleſiæ Italicæ in Canone conſtituendo. noſtram ſequuntur ſententiam.

Rabanus.

92. Ex *Italia* tranſibimus in *Germaniam*. *Rabanus Maurus* Abbas primùm Fuldenſis, poſteà Archiepiſcopus Moguntinus circa annum 856. fuit conſtitutus. Hic in libro de inſtit. Clericor. cap. 54. ſcribit, *totum Vetus Teſtamentum ab Eſdra fuiſſe in 22. libros diſtributum, ut tot eſſent libri in lege, quot & literæ.* At ſi controverſi annumerentur Canonicis libris, longè plures erunt quàm 22. libri.

Radulphus.

Radulphus Flaviacenſis Monachus fuit circa annum

annum 910. teſte Trithemio (Sigebertus in Chronico Fuldenſis Cœnobii Abbatem eum facit) Is libr. 14. in Levit. cap. 1. ſic ſcribit. *Tobias, Judith & Maccabæorum quamvis legantur ad inſtructionem Eccleſiæ, tamen non habent autoritatem.*

Dionyſius Carthuſ.

Dionyſius Carthuſienſis (Rurimundenſis loco Antuerpiæ finitimo) in præfat. librorum controverſorum negat Eccleſiaſticum, Tobiam & librum 1. Maccabæorum eſſe in Canone.

Ioh. Ferus.

Johannes Ferus Concionator Moguntinus in exam. Ordinandorum ſuo ſuffragio Radulphi & Dionyſii teſtimonia confirmat. *Sunt*, inquit, *hi apocryphi. Tertius & quartus Eſdræ, Tobias, Judith, Sapientiæ liber, Eccleſiaſticus, Baruch, & duo Maccabæorum.*

Lyranus.

Lyranus ex Brabantia oriundus. Fero longè antiquior prolog. in libr. apocryphos & in cap. 1. Eſdr. idem omninò ſtatuit. *Libros Tobiæ*, inquit, *& Judith & Maccabæorum, licet ſint Hiſtoriales, tamen intendo eos ad præſens pertranſire, quia non ſunt in Canone apud Judæos, neque apud Chriſtianos.*

Eraſmus.

Eraſmus, quem Leo X. Pontifex Romanus vocat *dilectum ſuum filium*, poſtquam in Catech. Symb. 4. pag. 153. recenſuiſſet libros, quos noſtræ Eccleſiæ pro Canonicis agnoſcunt, ſubjicit. *Intra hunc numerum concluſit priſcorum autoritas Veteris Teſtamenti volumina, de quorum fide nefas dubitare. Nunc vero receptus eſt in uſum Eccleſiaſticum Sapientiæ liber, & Eccleſiaſticus, & liber Tobiæ, & Judith, & Eſther, & Maccabæorum libri. Cæterùm an Eccleſia receperit hos libros eadem autoritate, quâ cæteros novit Spiritus Eccleſiæ.* Cui opponendum illud Auguſtini libr. 11. contra Fauſtum cap. 5. & Cajetani in 1. Cor. 12. *Sola ſcripta ab Apoſtolis, ſeu ab eis approbata ſacra Scriptura autoritatem habent.*

93. Ex *Germania* transfretabimus in *Angliam*.

Beda.

Beda lib. de ſex mundi ætatibus librum primum Maccabæorum à Canone excludit, idem procul dubio propter rationis paritatem de ſecundo & reliquis controverſis ſtatuens.

Brito.

Brito in comment. prolog. Galeati. *Libri Maccabæorum non ſunt in Canone, ſed in Eccleſia leguntur ex conſtitutione Eccleſiæ Romanæ.*

Occam.

Guilielmus Occam Collegii Mertonenſis alumnus part. 3. Dial. tract. 1. lib. 3. cap. 16. ſcribit, *libros Maccabæorum non eſſe in Canone, ſed recipi ad ædificationem morum, neq; majoris eſſe autoritatis quam ſcripta Patrum.*

94. Ex *Anglia* proficiſcemur in *Galliam*. De Hilarii Pictavienſis ſententia diximus ſuperiùs §. 86. In Epiſtola cujuſdam Hilarii Arelatenſis præfixa opuſculo Auguſtini de prædeſtinatione Sanctor. & dono perſever. refertur, quòd *Maſſiliæ Epiſcopi* teſtimonium ex libro Sapientiæ petitum cenſuerint omittendum.

Maſſiliæ Epiſcopi.

Petrus Cluniacenſis.

Petrus Cluniacenſis in Burgundia Abbas. lib. 1. Epiſt. 2. expoſito librorũ Canonicorũ numero ſubjungit: *Reſtant poſt hos authenticos libros, ſex etiam libri non rejiciendi* (aliàs reticendi) *Judith, Tobias, Sapientia, Eccleſiaſticus & duo Maccabæorum, qui tametſi ad ſublimem illam præcedentium dignitatem pervenire non potuerunt, tamen propter utilem & neceſſariam doctrinam ab Eccleſia recepti ſunt.* (videlicet ut ea legerentur non ad dogmatum confirmationem, ſed ad morum inſtructionem)

Hugo de S. Victore.

Hugo de Sancto Victore (in ſuburbio Pariſiorum eſt cœnobium, cui à S. Victore nomen inditum, ab eo hic Hugo denominatur) lib. 4. Didaſcal. c. 8. *Quomodo viginti duo Elementa ſunt, per quæ Hebraicè ſcribimus, omneq; loquimur, & eorum initiis vox humana comprehenditur: ita viginti duo volumina ſupputantur, quibus quaſi literis & exordiis in Dei doctrina tenera adhuc & lactens viri noſtri eruditur infantia.* in prolog. lib. 2. de Sacram. cap. 7. ait, *legi quidem libros illos controverſos, ſed in corpore textus aut in Canone autoritatis non ſcribi, ut eſt liber Tobiæ, Judith, Maccabæorum, Sapientia Salomonis & Eccleſiaſticus.*

Richardus de S. Victore.

Hugonem in eodem Monaſterio ſecutus eſt *Richardus de S. Victore*. Is libr. 2. except. cap. 9. ſic diſſerit. *Libri Canonici Veteris Teſtamenti ſunt 22. Sunt præterea alii libri, ut Sapientia Salomonis, liber Jeſu filii Sirach, Tobias, liber Maccabæorum, qui leguntur quidem, ſed non ſcribuntur in Canone.*

95. Ex *Gallia* in *Hiſpaniam* nos conferemus.

Iſidorus Hiſpalenſis.

Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus circa annum Chriſti 650. in lib. de Eccleſ. offic. ſic diſſerit: *Teſtamentum vetus fuit ab Eſdra in viginti duos libros conſtitutum, ut tot libri haberentur in lege, quot habentur & literæ.*

Toſtatus.

Fr. Toſtatus Abulenſis Epiſcopus circa annum 1440. idem cum ſuperioribus Scriptoribus de libris Canonicis ſtatuit.

Ximenius.

Fr Ximenius (al. Chimenius) Archiepiſcopus Toletanus circa annum 1516. in editione Bibliorum Complutenſium in præfat. apocryphorum dicit, *libros illos eſſe extra Canonem, quos Eccleſia potius ad ædificationem populi legat, quam ad Eccleſiaſticorum dogmatum autoritatem confirmandam.*

Benedictus Arias Montanus

Benedictus Arias Montanus, quem Gregorius XIII. *filium ſuum* appellat in Bibliis Hebræis cum interlineari verſione excuſis & approbatis à Theol. Lovanienſibus de his libris ſcribit: *Eccleſia orthodoxa Hebræorum Canonem ſecuta inter apocrypha eos recenſet.*

Fr. Ruizius.

Fr. Ruizius Sancti Facundi Abbas in regulis intelligendi Scripturam regul. 54. ad judicium Hieronymi de libris Canonicis provocat. *Ludovicus Vives* Hiſpaniæ infantis præceptor. lib. 5. de trad. diſcipl. & in com̃ent. lib. 18. de civ. Dei apocryphos ſtatuit *Tobiam, Judith, tertium & quartum Eſdræ.*

96. In *Africa* videtur integritas Canonis non adeò diligenter obſervata, cùm Sapientiæ librum Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus inter divinæ autoritatis libros numeret lib. 1. de prædeſt. Sanctor. c. 14. ſed præterquam quod Auguſtino quidam reſtiterint, conſtat ex *Junilio Afro* ad Auguſtini diſcipulum *de partibus divinæ Scripturæ* diſſerente, quòd librum Sapientiæ & reliquos controverſos libros non numeret in Canone, & rogatus, cur non numeret inter divinas Scripturas, reſpondet lib. 1. c. 2. *quia ſuper hac differentia recipiebantur apud Hebræos, ut Hieronymus aliiq; teſtantur.* c. 3. memorat, *quod Doctores Scholæ Niſibitanæ in Meſopotamia tradiderint, libros illos controverſos non eſſe Canonicos.*

Junilius Afer.

Juniliũ 200. annis ſecutus eſt autor de mirabilibus Scripturæ. Is libr. 2. cap. ult. libros Maccabæorum ab autoritate divini Canonis excludit.

Autor de mirabilibus Scripturæ.

97. Plura omninò veterum pro noſtræ ſententiæ confirmatione adduci poſſent teſtimonia; ſed conſtat *ea addendo, detrahendo, & immutando* à Pontificiis eſſe corrupta. 1. *Addendo.* In Canonibus Apoſtol. can. ult. habetur catalogus librorum Canonicorum, in quo licet tres Maccabæorum ponantur, tamen nec Eccleſiaſtici, nec Sapientiæ, nec Tobiæ, nec Judith fit mentio, teſtibus omnibus editionibus. Sed Franciſcus Tur-

Exegeſis

rianus

rianus Jeſuita edidit volumen Græcum Conciliorum cum Conſtitutionibus Apoſtolorum, in cujus libro octavo habetur hic catalogus, cui ipſe adjecit Ἰουδὶθ ἕν. Vide Franc. Junium in præfat. Indicis expurgat. 2. *Detrahendo.* Antoninus poſtquã. part. 3. tit. 18. c. 6. §. 2. ſententiam ſuam de lib. Canonicis propoſuiſſet, ſubjungit. *Atque de hoc habetur diſt. 15. c. Sancta Romana, & apud Thomã ac Lyranum,* quòd ſcilicet ex iſtis libris non poſſit quis efficaciter arguere, perindè atque ex reliquis. Sed in illo cap. nihil tale hodiè habetur, niſi fortè quis hûc referre velit, quod ibi dicitur, *Eccleſiam Rom repudiare illa ſcripta, quæ Hieronymus repudiat.* 3. *Immutando.* Apud Hieronymũ præfat. in libr. Tob. & Judith pro *apocrypha* ſubſtitutum eſt *hagiographa. Librum* (inquit) *Tobiæ, quem Hebræi de catalogo divinarum Scripturarũ ſecantes, his, quæ hagiographa memorant, mancipârũt.* Et alibi. *Apud Hebræos liber Judith inter hagiographa legitur, cujus autoritas ad roboranda ea, quæ in contentionem veniunt, minus idonea judicatur.* Sed hagiographa apud Hebræos conſtituunt certam Canonicorum librorũ claſſem. Si ergò libri Tobiæ & Judith inter hagiographa numerantur, quomodo ex Canone excluduntur? In ipſo textu Hieronymi ad marginem habetur. *Alias legitur apocrypha.* Brito itidem dicit, *aliam literam habere apocrypha.* Idẽ probant Lyranus ex gloſſ. ordin. Ambroſius Catharinus libr. 8. annotat. in dogm. Cajetan. Prologus gloſſæ ordinariæ, qui fontem erroris etiam aperit, quòd *ex devotione exſcribentium factum ſit.* Bellarminus huic cõtradictioni in textu Hieronymi ex corruptela iſta ortæ ſic reſpondet lib. 1. de verbo Dei c. 10 §. ad locum. *Judæi habuerunt duo genera hagiographorum, quædam intra arcam, quædam extra arcam, docente Epiphanio lib. de menſur. & ponder. Quæ erant intra arcam hagiographa dicebantur ad diſtinctionem Hiſtoricorum & Propheticorum voluminum. Et hæc Canonica habebantur, de his loquitur Hieronymus in prologo Galeato. Quæ autẽ erant extra arcam, dicebantur hagiographa ad diſtinctionem Canonicorum & Sacrorum. Et de his loquitur Hieronymus in præfat. Tobiæ & Judith.* Addimus nos. poſterioris generis hagiographa. cùm non fuerint extra arcam, ideò inter libros Teſtamentarios & Canonicos referri minimè poſſe.

98. Quid quod ipſimet Pontificii non ſolùm Iſraeliticæ Eccleſiæ (uti vidimus ſuperiùs §. 74.) ſed etiam antiquiſſimorum Chriſtianæ Eccleſiæ doctorum ſuffragium nobis largiuntur. Sixtus Senenſis lib. 1. Bibl. ſanctæ ſect. 1. *Priſci Eccleſiæ Patres libros illos controverſos* (Tobiam, Judith, Eccleſiaſticum &c.) *tanquam aprocryphos & non Canonicos habuerunt, eosq; apud ſolos catechumenos nondum Catholicæ lectionis capaces primùm legi permiſerunt, deindè procedente tempore apud omnes fideles recitari conceſſerunt, non ad dogmatum confirmationem, ſed ad ſolam populi inſtructionem, & quia publicè in Eccleſia legerentur Eccleſiaſticos nuncuparunt.* (Hæc omnia Sixtus ille veriſſimè: quod verò addit, *demùm inter Scripturas irrefragabilis autoritatis aſſumi eos voluiſſe,* in eo principium petit ac veritati minimè litat) Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. ad alteram. *Epiphanius, Hilarius, & Ruffinus in Scripturarum Canone exponendo apertè ſecuti ſunt Hebræos.* Idem teſtatur Canus lib. 2. locor. Theol. c. 10. & 11. De Hieronymo ſcribit Bellarminus d. l. cap. 10. §. Poſtrema: *Admitto Hieronymum in eadem* (cum Hebræis) *opinione fuiſſe.* At Hebræorum de Canone ſententia noſtræ, non autem Pontificiorum eſt conformis Melch. Canus lib 2. locor. Theol. cap. 10. f. 39. *Melito, qui quidem ad Orientem hujus rei ſciſcitandæ cauſâ, perrexit tandem diligenti inveſtigatione reperit, hos eſſe à V. inſtrumenti Canone ejiciendos. Idem docet Origenes, ut autor eſt Euſebius lib. 4. cap. 26. ſed & idem ipſe Euſebius lib. 6. cap. 11. Nec ab hac ſententia alienus fuit Damaſcenus & Athanaſius, quos Theologi multi ſecuti ſunt.* In his Cani verbis obſerva, quòd concedat, Damaſcenum nos hîc habere ὁμόψηφον, quod Stapletonus lib. 2. de autor. Script. cap. 4. §. 1. negare auſus. *Etiam Damaſcenum,* inquit, *cito, qui lib. 4. cap. 18. de orth. fide libros olim dubios in Canone nunc recenſet* Rectius Ederus œconom. Biblic. lib. 1. p. 22. tab. 24. *Damaſcenus lib. 4. de orth. fid. cap. 18. librorum V. T. catalogum diviſit in hunc ordinem (nimirùm ſecutus canonem Hebræorum & ad extremum ſubjungens) Libri Sapientiæ & Eccleſiaſtici ſunt pulcri, ſed non inveniuntur in Scripturis Propheticis, neq; ponebantur in arca.* Clitovæus in com. ſuper illum locum Damaſceni. *Sex illos Damaſcenus numero Canonicorum excluſit.* Eccur igitur tàm confidenter pronunciat Stapletonus, Damaſcenum eos inter Canonicos numeraſſe? Hieronymum in noſtra fuiſſe ſententia, fatetur Bellarminus loco proximè citato. quod jam antè monuimus. Negat illud Ambroſius Catharinus in annot. adverſ. Cajet. §. de libr. Maccab. ad lit. I. *Hos,* inquit, *Hieronymus vocat Apocryphos, fateor; Sed loquitur ſecundùm Canonem Hebræorum.* Reſpondeat verò pro nobis Bellarminus d. l. *Non verum eſt, quod alij reſpondent, Hieronymum tantùm dicere eos Canonicos fuiſſe apud Iudæos. At certè in prologo Galeato Hieronymus numerans librum Paſtoris, omnes ſimul dicit non eſſe in Canone, non igitur de Canone Iudæorum loquitur.*

99. Sed & præter teſtimonia ipſorummet *Suffragio ipſorũ Pontificiorum.* adverſariorum ſuo loco ſuperiùs adducta ex quibuſdam Pontificiorum hypotheſibus noſtram confirmare poſſumus ſententiam. 1. Noſtram de Canone ſententiam approbat *Concilium Laodicenum.* Illud probatum eſt *in Synodo VI. Conſtantinopolitana.* c. Quoniam diſt. 16. Sextam Synodum Conſtantinopolitanam confirmavit *Papa Adrianus* c. Sextam. diſt. 16. Aut ergò Papa & Cõcilia errarunt, aut noſtra de Canone ſententia firma ſubſiſtet. 2. In c. Sancta Romana. diſt. 15. dicitur, *Eccleſiã recipere & approbare illa ſcripta, quæ Hieronymus recipit; repudiare, quæ ipſe repudiat.* Atqui Hieronymus eodem omninò modo, quo noſtra Eccleſia Canonem recenſet. Canus lib. 2. locor. c. 11. & Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 10. reſpondent, *probari à Gelaſio ſententiam Hieronymi non in* Canone *Scripturarum conſtituendo, ſed in his autoribus condemnandis, quos Hieronymus zelo Dei & fidei religione reprehendit.* Atqui ſi tantùm Hieronymo tribuitur. ut univerſi Scriptores Eccleſiaſtici & inter hos nominatim Ruffinus & Origenes ipſius judicio ſubjiciantur, cur autoritatem ejus in Canone Scripturarum conſtituendo ſubterfugiunt, cùm Hebraicæ literaturæ ex omnibus Patribus fuerit peritiſſimus? 3. Prologus Galeatus Hieronymi omnibus Bibliis Latinis, etiam iis, quibus Pontificii utuntur, eſt præfixus. Jã verò in eo diſertè traditur diſtinctio Canonicorum & apocryphorum librorum.

4. *Bel-*

4. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 7. fatetur, *Eſdrã conſtituiſſe Canonem Hebræum*, cum verò lib. 2. de verbo Dei cap. 2. annumerat *Prophetis*. Ergò qui ſub anathematis comminatione mandãt pro Canonicis Scripturis haberi eos Veteris Teſtamenti libros, quos Eſdras in Canonem non recepit, illi Propheticæ autoritati repugnant.

Exceptiones Pontificiorum. 1. Diſtinguendum eſſe inter Canonem Hebræorũ & Chriſtianorum.

100. Hiſce argumentis pro noſtræ ſententiæ confirmatione adductis, ut qualitercunq; reſpõdere poſſint Pontificii, producunt ſequentes exceptiones. 1. *Diſtinguendum eſſe inter Canonem Hebræorum & Chriſtianorum. Patres, qui controverſos illos libros è Canone excludunt, loqui de Hebræorum, non autem Chriſtianorum Canone.* Marianus Victor in ſcholis ad Epiſt. 116. Hieronymi, Ambroſius Catharinus in annot. adverſus Cajet. §. de lib. Maccab. Coſt. in Enchir. tit de libr. Canon. Reſp. 1. Patres illos omnes & ſingulos, quorũ teſtimonia longâ ſerie produximus, de Hebræorum duntaxat Canone loqui, manifeſtè falſum eſt, ut examen & *αὐτοψία* teſtimoniorum demõſtrat. Concilium Laodicenum præſcribit, qui libri pro Canonicis in *Eccleſia Chriſtianorũ legi* debeant. Melito in Orientem profectus eſt, ut libros V. T. Canõicos accuratè perdiſceret, id verè planè fruſtraneum fuiſſet, ſi alium Judæorum, alium Chriſtianorum Canonẽ ſtatuiſſet. Idem ex verbis Athanaſii, Cyrilli, Ruffini, Hieronymi & aliorum liquidò cognoſci poteſt. Quid manifeſtius verbis illis Lyrani in comm. c. 1. Eſdr. *Libri Tobiæ, Judith, Maccabæorum, non ſunt in Canone, nec apud Hebræos, nec apud Chriſtianos.* 2. Bellarminus ipſe vanitatem hujus diſtinctionis agnoſcit lib. 1. de verb. Dei c. 10. *Non eſt verum, quod alii reſpondent, Hieronymum tantum dicere, eos Canõicos fuiſſe apud Judæos. At certè in prologo Galeato Hieronymus numerans librum Paſtoris, omnes ſimul dicit non eſſe in Canone, non ergò de Canone Hebræorũ loquitur.* 3. Si hoc ſenſu Canon Chriſtianorum à Canone Judæorum diſtinguitur, quod præter libros verè Canonicos, qui ſoli ſunt *ad dogmata fidei probanda* efficaces, Eccleſia Chriſtiana quoſdam *ad morum ædificationem* utiliter legẽdos receperit, concedimus diſtinctionem, ſed addimus, hanc Eccleſiæ receptionem nequaquam efficere, ut pro Canonicis propriè ſic dictis & divinâ inſpiratione editis haberi poſſint. 4. Genebrardus Pariſienſis agnoſcens non poſſe commodè inter Judæorum & Chriſtianorum Canonem diſtingui, in præfat. Chronogr. ad Arnoldum Pontacum aſſerit, *duos fuiſſe Canones Hebræorum, alterum à viris Synagôgæ magnæ, Eſdrâ, Nehemiâ, Daniele, Haggæo &c. editum, alterum verò in ſeptima Synodo Hieroſolymitana habita de vertendis Scripturis & mittendis LXXII. Interpp. ad Ptolemæum Philadelphum.* Hunc poſteriorem Hebræorum Canonem cum Chriſtianorum Canone congruentem probare conatur ex Epiphanio in lib. 1. de mẽſur. & ponderibus. Atqui Epiphanius diſertis verbis ibi aſſerit *ad Ptolemæum Ægypti Regem miſſos fuiſſe 22. libros genuinos & alios apocryphos*, idquod cũ priore Canone congruit. Quod Genebrardus addit, *Joſephũ lib. 2. contra Appion. citaſſe quædam verba Eccleſiaſtici*, id collatio locorũ oſtendit eſſe contortum. Nec Joſephus citavit Eccleſiaſticum, nec ſi citaſſet protinùs eſſet Canonicus, cùm ex Platone etiam leges citet. Quid de libris verè Canonicis Joſephus ſtatuerit, ex lib. 1. contra Appionem Sole clarius elucet.

2. Diſtinguendum eſſe inter ProtoCanonicos & DeuteroCanonicos

101. 2. *Diſtinguendum eſſe inter ProtoCanonicos & DeuteroCanonicos.* ProtoCanonicos vocant, de quibus nunquã fuit in Eccleſia dubitatio: DeuteroCanonicos verò, de quibus, quia non ſtatim ſub ipſis Apoſtolorũ temporibus, ſed longè pòſt ad notitiam totius Eccleſiæ pervenerunt, inter Catholicos fuit aliquando ſententia anceps. Ad hanc poſteriorem claſſem referunt controverſos illos V. T. libros, Eſther, Tobiam, Judith, Baruch &c. Sixt. Senenſ. lib. 1. Biblioth. ſanctæ ſect. 1. ſtatim ab initio. Hanc diſtinctionem cupidè amplectitur Stapleт. lib. 9. princip. doctrin. cap 6. quod mirum non eſt, cùm cap. ult. ejuſdem libri magnâ audaciâ aſſerat, *in Eccleſiæ poteſtate poſitum eſſe, Canonicam autoritatem libris nonnullis impertiri, ſi nimirùm tales ſint, qui ſcripti fuerint temporibus Apoſtolorum, neq; adhuc repudiati ſint Eccleſiæ teſtimonio, v. g. ſi facerent Canonicis Paſtorẽ Hermæ vel Canones Apoſtolorum & Conſtitutiones Clementis.* Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c 4. itidem in eam inclinare videtur ſententiam. Statuit enim tres ordines ſacrorum librorũ. Primo ordini aſſignat eos, *de quorum autoritate nulla nunquam fuit inter Catholicos homines diſceptatio.* Secundo eos, *qui tametſi verè Prophetici aut Apoſtolici ſint, non tamen ſemper æquè certa & explorata eorum fuit autoritas.* Poſtremo eos, *qui quanquam à nonnullis clariſſimis doctiſſimiſq; viris aliquando in numero divinorum voluminum haberentur publico tamen totius Eccleſiæ judicio nunquam approbati ſunt.* Ad primum ordinem refert Canonicos, quos noſtræ Eccleſiæ tales eſſe agnoſcunt. Ad ſecundum controverſos videlicet Tobiam, Judith, Sapientiam, Eccleſiaſticum &c. Ad tertium illos, qui recenſentur c. Sancta Romana diſt. 15. videlicet Orationem Manaſſæ, tertium & quartum Eſdræ, tertium & quartum Maccabæorum &c. Reſp. 1. inter libros V. T. non agnoſcimus ejuſmodi diſcrimen, quòd quidam ſint ProtoCanonici, quidam DeuteroCanonici, ſed illos dicimus eſſe *μονοκανονικοὺς*, hos verò *ἰδιοκανονικοὺς*, quia illis ſolis conveniunt Canonicorum librorum requiſita ſuperiùs enumerata, hi verò iiſdem penitùs deſtituuntur, ex quo naſcitur tale argumentum. Qui libri eſſentialibus Canonicorum librorum requiſitis deſtituuntur, illi nec Proto nec DeuteroCanonici haberi poſſunt. Sed libri illi controverſi eſſentialib⁹ librorũ Canonicorum requiſitis deſtituuntur, ut ſuperiùs demonſtravimus. Ergò. 2. Certum eſt, Eccleſiam Iſraëliticam libros illos controverſos nunquã in Canonem recepiſſe, quicquid tandẽ ſit de quibuſdam Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus. Aut ergò graviſſimè hoc nõine Iſraëlitica Eccleſia erravit, aut judicium illius in hac quæſtione amplectendum. Prius dici nequit, tùm quia à Chriſto & Apoſtolis fuiſſet hoc nomine reprehenſa, tùm quia Pontificii dicunt, Eccleſiam errare non poſſe. Manet ergò poſterius. 3. DeuteroCanonicos ſic dictos Eccleſia N. T. quidem recepit, ſed non in autoritatem Canonis, verùm ad lectionem Eccleſiaſticam. Hieron. præfat. in libros Salomonis. *Sicut Judith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed inter Canonicas Scripturas non accipit: ſic & hæc duo volumina* (Sapientiam & Eccleſiaſticum) *legit ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.* 4. Eccleſia non confert nec conferre poteſt libro alicui verè & ſuâ Naturâ non-Canonico autoritatem

Canonicam. ea enim in ſolidum dependet à Deo, ſed de autoritate Canonica duntaxat teſtatur. Bellarminus lib. 1. de verb. Dei cap. 10. §. Itaque. *Fatemur Eccleſiam nullo modo poſſe facere librum Canonicum de non Canonico, ſed tantùm declarare, quis ſit habendus Canonicus.* Quo modo ergò controverſi illi libri potuerunt ab Eccleſia in Canonem recipi, cùm Canonicâ autoritate & eſſentialibus Canonicorum librorum requiſitis deſtituantur?

3. Aliud eſſe non recipere, aliud verò rejicere.

102. 3. *Aliud eſſe non recipere, aliud verò rejicere. Eccleſiam Iſraeliticam controverſos illos libros non quidem recepiſſe, interim ex eo effici minimè poſſe, quod eos rejecerint ac repudiarint.* Melchior Canus lib. 2. locor. cap. 11. Reſp. 1. nugatoria hæc eſt diſtinctio. Nam in hac quæſtione non recipere & rejicere paria ſunt. Qui libri in Canonem non recipiuntur, ſivè in Canone non numerantur, eo ipſo ex Canone rejiciuntur. Sic Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 20. Pſalmum 151. apocryphum eſſe probat ea eo, quod Concilium Laodicenum, Romanum & Tridentinum nominatim ponant in Canone 150. Pſalmos. Si qua vis ineſſet huic diſtinctioni, poſſet ea contra Bellarmini probationem eodem modo urgeri. 2. *ἰσοδυναμία* inter *τὸ non recipere* & *τὸ rejicere*, patet ex collatione loci Matth. 10. v. 40. *Qui vos recipit, me recipit* cum Luc. 10. v. 16. *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* 3. Quomodo verò probat Canus, libros illos non eſſe à Judæis rejectos? *Iudæi*, inquit, *hos libros intra ſuum Canonem publicâ autoritate minimè receperunt, tametſi nonnulli ex illis ſacros & divinos eos eſſe crediderint.* Qui verò ſunt illi nonnulli? id Melchior Canus non exprimit, ſed remittit nos ad Cochlæum de Canone Scripturæ & Catholicæ Eccleſiæ autoritate cap. 11. Verùm in Cochlæo nihil quidquam de eo reperitur. Sixtus Senenſis lib. 1. ſect. 2. in tit. de libr. Maccab. citat Joſephum in libro de Maccabæis conſtantiſſimè affirmantem. *Hiſtoriam Eleazari & puerorum ſeptem cum matre apud Hebræos in ſacris Scripturis haberi.* Sed hoc interpres affirmat, non Joſephus, nam in Græco volumine nullum verborum illorum apparet veſtigium, nec conveniunt ſententiæ Joſephi l. 1. contra Appion. quē locum Euſeb. lib. 3. Hiſt. cap. 10. allegat.

4. Diſtinguendum eſſe inter tempus, quo nondũ perfectè conſtitutus Canon, & inter illud, quo publicâ Eccleſia autoritate fuit editus.

103. 4. *Diſtinguendum eſſe inter tempus, quo nondum perfectè conſtitutus ac notus fuit V. T. Canon, & non inter illud, quo fuit publicâ Eccleſiæ autoritate editus.* Sixt. Senenſ. lib. 8. hæreſ. 9. *Reſpondemus de verbis Hieronymi aſſerentis librum Sapientiæ in Canone ab Eccleſia non recipi, eum de Eccleſia ſuorum temporum id intellexiſſe.* Marianus Victor in Epiſt. 111. Hieronymi: *Statuit Hieronymus controverſos illos libros ſuo tempore non fuiſſe receptos.* Melchior Canus lib. 2 locor. cap. 10. arg. 2. objicit ſibi *Cyprianum, Melitonem, Origenem, Euſebium, Damaſcenum, Epiphanium hos ſex libros quiſ ſuis in controverſia rejeciſſe*, reſpondet autem c. 11. *id eo tempore factum, quo res nondum erat definita*, quâ unâ ratione vult omnes excuſatos Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 10. §. ultimo. *Admitto Hieronymum in ea fuiſſe opinione, quia nondum generale Concilium de his libris aliquid ſtatuerat.* Reſp. 1. quando ergò tandem conſtitutus fuit Canon? Concilium Florentinũ & Tridentinum ſunt nimis recentia. Illud habitum eſt Anno 1431. hoc verò Anno 1560. Carthaginenſe Concilium non fuit generale. Si obvertere velint *illud in generali Concilio Trullano fuiſſe confirmatum*, urgemus, quod Trullanum non ſolùm Carthaginenſe, ſed etiam Laodicenum Concilium confirmaverit. Jam verò Laodicenum noſtram de Canone confirmat ſententiam. 2. Patres, quorum teſtimonia ſuperiùs adduximus, quidam ante, quidam poſt Carthaginenſe Concilium vixerunt, illisne ergò ignotus fuiſſet Canon in Carthaginenſi Concilio editus? Si notus fuit, ac nihilominus controverſos illos libros inter apocrypha rejecerunt, conſequens eſt in Carthaginenſi Concilio non fuiſſe editum Canonem. Damaſcenus vixit circa ann. 730. *Si* illius tempore nondum fuit hoc definitum, ut loquitur Canus, cur provocant ad Concilium Carthaginenſe aliquot ſeculis ante Damaſcenum habitum? 3. Canon Vet. Teſt. ab Eſdra fuit conſtitutus & longè ante Chriſti nativitatem editus, nequaquam verò in Novo demùm Teſtamento Eccleſiæ autoritate promulgatus.

Argumenta Pontificior. 1. Apoſtoli declaraverunt hos libros eſſe Canonicos

104. Argumenta Pontificiorum, quibus probare cupiunt, controverſos illos libros eſſe Canonicos, potiora hæc ſunt. 1. *ab Apoſtolorum declaratione. Apoſtoli declaraverunt eos eſſe Canonicos.* Bellarm. l. b. 1. de verbo Dei c. 10. §. Jam hæc tria. *Etſi non habeantur de his libris teſtimonia a Synagoga Iudæorum, tamen habentur ab Eccleſia Apoſtolica, & hoc ſufficit. Apoſtoli enim poterant ſine aliis teſtimoniis declarare libros illos eſſe Canonicos, quod & fecerunt, alioqui nunquam Cyprianus & Clemens & alij tam conſtanter dixiſſent eſſe divinos.* Reſp. gratis & ſine teſte hoc aſſeritur. Nam 1. Apoſtoli teſtimoniis illorum librorum ad confirmationem dogmatum non ſunt uſi, ſed Vet. T. libros revocarunt ad duas claſſes, *ad legem & Prophetas*, id eſt, ad Moſaicos & Propheticos libros. Act. 26. v. 22. Rom. 3. v. 21. Jam verò controverſi illi libri nec Moſaici ſunt, nec Prophetici. 2. Apoſtoli nunquam hoc nomine Eccleſiam Iſraëliticam in concionibus vel ſcriptis taxarunt, quòd libros quoſdam verè Canonicos excluſerit, ſed contrà potiùs tribuerunt illi hoc elogium, *quòd concredita ipſi fuerint τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ* Rom. 3. v. 2. utique ergò non alios libros V. Teſt. Canonicos agnoverunt, quàm quos Iſraëlitica Eccleſia pro Canonicis habuit. Proindè Canonica illorum controverſorum librorum autoritas demonſtranda eſſet ex Eccleſiæ Iſraëliticæ teſtimonio. At conſtat, quod ea controverſos illos libros nunquam pro Canonicis agnoverit. 3. Agnoſcit ipſe Catharinus, Apoſtolos non declaraviſſe hos libros eſſe Canonicos. Nam libr. 1. annotat. in Epiſt. Corinth. reprehendit Cajetanum, quòd affirmaverat, *eam ſolam Scripturam eſſe ſacram ac divinam, quam Apoſtoli aut ſcripſerunt, aut approbarunt*, & addit: *Eccleſiam quoſdam libros recipere ut Canonicos, quos nec ſcriptos ab Apoſtolis, nec approbatos eſſe conſtes.* 4. Nec ullum ineſt robur argumento, quo Bellarminus probare conatur, Apoſtolos hos libros pro Canonicis declaraſſe. *Niſi*, inquit, *Apoſtoli declaraſſent hos libros eſſe Canonicos, Cyprianus, Clemens & alij non dixiſſent tam conſtanter eſſe divinos.* At nos longè rectiùs ſic concludimus. Si Apoſtoli declaraſſent hos libros eſſe Canonicos, nunquam tàm conſtanter Patres illi, quos ſuperiùs magno numero citavimus, ex Canone illos excluſiſſent. *Si* vel maximè Cyprianus & Clemens & pauci alii a partibus Pontificiorum in hac quæ-

ſtione

ſtione ſtarent, poſſemus illis opponere nubem teſtium ſuperiùs adductorum. Sed non opus eſt, ut inter ſe invicem collidantur, illi enim quos Bellarminus pro ſua ſententia adducit, nomine divinæ & ſacræ Scripturæ in ſignificatione latiore utuntur, ut paulò pòſt luce clariùs demonſtrabimus. 5. Diſputat Bellarminus d. l. *Eccleſiam declarare poſſe librum aliquem eſſe Canonicum, qui non fuerit à Canonico habitus ex tribus potiſſimùm rationibus. Primò ex veterum teſtimoniis. Secundò ex ſimilitudine librorum, de quibus ambigitur cum illis, de quibus non ambigitur. Tertiò ex cōmuni ſenſu & guſtu quaſi populi Chriſtiani.* Sed nulla harum rationum in controverſis illis libris locum habet: Nam primò non poſſunt de illis cōſentientia veterum teſtimonia proferri. Secundò ſimilitudo illa non eſt ſufficiens, ut liber aliquis non-Canonicus in Canonem recipiatur. Nam in quibus libris eſt eadem veritas, eorum non eſt ſtatim æqualis autoritas. Oratio Manaſſæ nihil continet, quod ſit falſum aut impium, nihilò tamen minùs Pontificii eam ex Canone excludunt. Præterea diſſimilitudo maxima eſt inter libros illos, de quibus controvertitur, & illos, de quibus non controvertitur. Illi enim vel falſum aut pravum aliquod continent, atque hoc nomine exploratò Canonicis repugnant, vel in veritatem Hiſtoricam & Chronologicam impingunt, vel ſibimetipſis contradicunt, ut in ſpeciali eorum examine poſteà demonſtrabitur. At de libris verè Canonicis nihil horum affirmari vel demonſtrari poteſt. Tertiò nec guſtus nec ſenſus communis populi Chriſtiani de hiſce libris demonſtrari poteſt, ſed verbis tantùm jactitatur.

a Concilia & Patres illos libros habent pro Canonicis.

105. 2. *A Conciliorum & Patrum teſtificatione. Controverſos illos libros in Canone ponunt Concilia Carthaginenſe 3. Can. 47. & Tridentinum ſeſſ. 4.* (quidam addunt Florentinum ſub Eugenio IV. habitum) *Pontifices Innocentius 1. in Epiſt. ad Exuperium, Gelaſius. 1. in decreto de libris ſacris & Eccleſiaſticis cum LXX Epiſcopis. Deniq; Patres, Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. Iſidorus lib. 6. Etymolog. cap. 1. Caſſiodorus lib. 1. divin. lect. & Rabanus lib. 2. de Inſtitut. Clericor.* Reſp. Major argumenti ſic habet. Quos libros Concilium Carthaginenſe & Tridentinum, Innocentius & Gelaſius, Auguſtinus, Iſidorus, Caſſiodorus & Rabanus vocant Canonicos, illi ſunt verè Canōici. Sed in hac majore propoſitione multa deſiderari poſſunt. Nam 1. Si vel maximè illi omnes à partibus Pontificiorum in hac quæſtione ſtarent, nihil tamen præjudicarent veritati tot antiquiſſimorum Patrum temporibus Apoſtolicis viciniorum tùm Orientalium tùm Occidentaliū teſtimoniis confirmatæ. 2. Concilia vel ſunt vetera vel recentiora. Vetera a. ſunt *œcumenica*, quorum major omninò autoritas, quale eſt Laodicenum, quod nobiſcum facit, aut *particularia*, quale Carthaginenſe tertiū, cui generalis Laodiceni Concilii autoritas præponderat; Recentiora ſunt Florentinum & Tridentinum, quibus veterum Concilior. autoritas longè præferenda. 3. Ne ipſi quidem Pontificii Carthaginenſis Concilii decreta ſimpliciter approbant. In Canone n. 26. ſtatuitur, *ne prima ſedis Epiſcopus appelletur ſummus Sacerdos, aut Princeps Sacerdotum.* Idē Concilium numerat quinq; libros Salomonis, It. Baruch. & Maccabæos relinquit extra Canonem. Hactenùs ergò cum Pontificiorum hypotheſibus non conſentit. 4. Concilium Carthaginenſe & adducti Patres ſuam ſententiam ſimpliciter exponunt, nequaquam verò anathema contrarium ſentientib. dicunt, quod facit Concilium Tridentinum, ac reliqui Patres, quorum teſtimonia ſuperiùs adduximus, tàm ante quàm poſt illud Concilium nulla decreti iſtius ratione habitâ controverſos illos libros è Canone removerunt. 5. Canon iſte, qui communiter dicitur 47. Concilii Carthaginenſis in quibusdam libris eſt can. 24. alterius Concilii ſub Bonifacio, teſte Surio. Ergò dubius eſt catalogus librorum iſtius Canonis 6. Concilium Carthaginenſe eſt particulare. Ergò non poteſt indubitatam fidem de Canonicis facere. Si reſpondeant, *confirmatum eſſe in Concilio generali Trullano*, notandum quòd Trullanum etiam confirmaverit Laodicenum, in quo noſtra de Canone ſententia approbatur. Adde quod Piggius in tract. propr. Canus in locis lib. 5. cap. 6. & Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 18. Canones Trullanæ Synodi dubiæ eſſe fidei ſtatuant, quòdq; multa ſint in Concilio Trullano, quæ ne ipſi quidem Pontificii recipiant. can. 13. prohibetur, *ne Diaconi aut Presbyteri à ſuis uxoribus ſeparentur*. can. 36. æquat Conſtantinopolitanum Epiſcopum Romano. can. 55. præſcribit Romanæ Eccleſiæ legem jejunii. can. 67. decretum ponit de ſanguine & ſuffocato non comedendo. can. 2. recipit 85. Canones Apoſtolorum 7. Gelaſius cum ſuo Concilio LXX. Epiſcoporum non niſi unum librum Maccabæorum recitat & unum etiam Eſdræ. 8 Concilii Tridentini decretum factum eſt ſeſſ. 4. Legati, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, qui tùm præſentes adfuerunt, & hoc decretum de numero librorum Canonicorum ediderunt omnes circiter 50. fuerunt, iiq; ferè Itali & Hiſpani. In tanta infrequentia nullum haberi potuit generale Concilium. 9. Ipſimet Pontificii dubitant, quando controverſi illi libri in Canonem recepti, & cur ab Eccleſia primitiva ſint excluſi. Coſter. in Enchir. p. 69. dicit, *non eſſe receptos propter Judæos ad fidem converſos, ne irritarentur*. Piſtorius in hodeget. p. 3. dicit, *Eccleſiam aliquot annis dubitaſſe & conſultaſſe*. Bellarm. lib. 2. de Sacrament. cap. 24. dicit, *Concilia edidiſſe Canonem*, non autem ea nominat. Stapleton. lib. 9. doctr. princ. cap. 14. & relect. princ. doctr. p. 514. audaciſſimè ſtatuit, *præſentem Eccleſiam poſſe aliquem librum in Canonem recipere*. 10. Breviter, de autoritate Canonica controverſorum iſtorum librorum non ex teſtimonio paucorum quorundam doctorum, ſed ex eſſentialibus & internis requiſitis atque ex conſentiente Eccleſiæ, cumprimis Iſraeliticæ teſtimonio faciendum eſt judicium. Melchior Canus lib. 2. locor cap. 8. fatetur, *dubitari inter Papiſtas, utrum omninò hoc poſitum ſit in autoritate cujuſdam Concilii, ut quinam liber pro Canonico recipiendus ſit, definiat.*

106. Ad Minorem, quod Concilium Carthaginenſe, & quidam ex Patribus controverſos iſtos libros Canonicos vocēt, & Canonicis eos annumerent, reſpondemus, Canonicos libros ſic dici vel *ſtrictè & propriè*, qui Canonicam, divinam & infallibilem ad probationem dogmatum autoritatē obtinent, vel *generaliter & latè*, qui in Eccleſia leguntur ad ædificationē fidelium. Prioris generis libri ἁπλῶς abſolutè & ſimpliciter vocantur Canonici, quia ſunt perfecta fidei & morū

ſimul

ſimul regula, poſterioris generis κατά τι comparatè duntaxat & relatè ſic vocantur, qnia ſententias aliquas ex Canonicis deſcriptas & Hiſtorias ad Eccleſiam Dei pertinentes continent, & in Eccleſiæ conventu legi ſolebant. Qui enim libri ſunt extra Canonem propriè & ſtrictè ſic dictum, in duas dividuntur claſſes. Prima continet eos, qui Canonicis libris propriè ſic dictis in corpore Bibliorum additi ſunt, non tamen parem cum illis autoritatem obtinent. Secnnda continet eos, qui ſimpliciter ſunt rejectitii & repudiandas fabulas continent. Libri ἀκανόνιστοι prioris claſſis dicuntur tùm *Eccleſiaſtici*, quia in Eccleſia leguntur, non quidem ad probanda dogmata, ſed ad morum ædificationem, tùm *apocryphi*, habito ſcilicet reſpectu ad Indubitatò Canonicos propriè & ſtrictè ſic dictos, tùm *Canonici*, cõparatè ſcilicet & relatè habito reſpectu ad claſſem alteram ἀκανονίστων, qui ſunt planè rejectitii. Quando igitur Conciliũ Carthaginenſe, Auguſtinus & alii ex veteribus libros hoſce controverſos Canonicos vocant, & Canonicis eos annumerant, tùm appellatione Canonicorum librorum utũtur in ſignificatione latiori, quâ Canonici vocantur libri, qui in Codice Biblico continentur & in Eccleſia ad ædificationem plebis leguntur, ac diſtincti ſunt ab apocryphis poſterioris generis, qui ſabulas repudiandas & abſonditas continent. Hanc noſtram diſtinctionem probamns. 1. ex teſtimonio Card. Cajetani, qui in commẽt. Hiſt. V. T. ſic diſſerit. *Ne turberis novitie, ſi alicubi repereris, libros iſtos* (Judith, Tobiam, Maccabæorum &c.) *inter Canonicos ſupputari, vel in ſacris Conciliis, vel in ſacris Doctorib. Nam ad Hieronymi limam reducenda ſunt tàm verba Conciliorum, quàm Doctorum, & juxta ejus ſententiam libri illi, & ſi qui alii in Canone Bibliæ ſimiles nõ ſunt Canonici, id eſt, regulares, ad firmanda ea, quæ ſunt fidei: poſſunt tamen dici Canonici, id eſt, regulares ad ædificationẽ fidelium, utpotè in Canone Bibliæ ad hoc recepti & autoriſati.* Canus quidem excipit, *Cajetanum fuiſſe Eraſmi novitatibus in eo deceptũ*, ſed opponimus Cano, quod Pererius in com. Geneſ. 1. vocat eum *virum de myſteriis fidei benè ſentientem, & de Theologia optime meritum*; quod Sixtus Seneuſ. lib. 4. Biblioth. tit. Thomas de Vio, eum vocat *incomparabilem Theologum, & inter doctiſſimos ſui ſeculi eruditiſſimum.* quod deniq; Bellarminus lib. de Script. Eccleſ. eum vocat *virum ſummi ingenii nec minoris pietatis.* 2. Ex Concilio Carthaginenſi. Poſtquam enim Patres illius Concilii Canonicos libros enumeraverant, ſubjungunt: *Hoc fratri & Conſacerdoti noſtro Boniſacio vel aliis earum partium Epiſcopis pro confirmando iſto Canone innoteſcat, quia à Patribus iſta accepimus in Eccleſia legenda.* Ergò libros illos qui in Eccleſia leguntur, etiamſi ad morum duntaxat ædificationem legantur, pro Canonicis habent. 3. Ex Concilio Trullano. Concilium Trullanum, & Carthaginenſe & Laodicenum confirmavit. Aut ergò ſtatuendum, quòd Synodus Trullana contrarias Conciliorum definitiones comprobaverit, aut dicendum quod nomen Canonicorum librorum in lãtiori ſignificatione à Patribus Concilii Carthaginenſis, propriè verò & ſtrictè à Patribus Concilii Laodiceni uſurpetur. 4. ex Auguſtino, qui Concilio Carthaginenſi interfuit & ſubſcripſit. Conſtat ex accurata Auguſtini lectione, quòd Canonicum ipſe vocet, quicquid in Eccleſia legitur, ſivè ad confirmationem dogmatum valeat, ſivè duntaxat ad morum ædificationem, apocryphum verò ipſi eſt fabuloſum, adulterinum & falſum, lib. 2. de doctr. cap. 8. Cùm dixiſſet, legendas eſſe Scripturas Canonicas, mox addit: *Tenebit Catechumenus hunc modum in Scripturis Canonicis legendis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur, Eccleſiis Catholicis præponat eis, quas quidam non accipiunt, in eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresq́; recipiunt.* Ibid. *Nam cæteras ſecurius leges fide veritatis inſtructus, ne præoccupent imbecillem animum & periculoſis mendaciis atque phantaſmatibus eludentes præjudicent aliquid contra ſanam intelligentiam.* Ex eo intelligitur, Auguſtino ſermonẽ eſſe de illis, quæ ſunt in extremo gradu apocrypha, quæ ſuperius §. 67. poſterioris generis apocrypha ſtatuimus, quorũ reſpectu hagiographa Eccleſiaſtica quodammodò Canonica dici merentur, quò etiam pertinet, quod lib. 11. contra Fauſtum cap. 2. apocryphos vocari ait, *qui nullâ teſtificationis luce declarati & prolati ſunt.* lib. 15. de civ. Dei cap. 23 *fabulas Scripturarum* vocat, *quæ apocryphæ nominantur; quarum propter multa falſa nulla eſt Canonica autoritas.* ibid. apocryphos definit, *quorum occulta origo non claruit illis, quorum teſtificatione autoritas verarum Scripturarum ad nos pervenit.* lib. 18. de civ. Dei cap. 36. ſcribit: *Supputatio illa temporũ, non in Scripturis ſanctis, quæ Canonicæ appellãtur, ſed in aliis invenitur, in quibus ſunt & Maccabæorũ libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet propter Martyrum quorundam paſſiones.* Canonicum ergò Auguſtino eſt, quicquid in Eccleſia ad morum ædificationem publicè legitur, etiamſi non ſit verè & propriè Canonicum ad firmanda fidei dogmata, lib. 2. contra Epiſt. Gaudent. cap. 23. monet, *ſobriè legendos eſſe Maccabæorum libros*, ſed hanc cautionem Canonicis propriè dictis non adhibuiſſet, ut colligitur ex lib. 11. contra Fauſtum cap. 5. lib. 2. de Baptiſm. cap. 3. lib. 2. contra Creſcon. cap. 31. & 32. Epiſt. 8. 9. 19. 48. 112. &c. ubi infallibilem autoritatem verè Canonicis tribuit. lib. 2. de mirabilib. Script. à divino Canone librus Maccabæorum diſtinguit. lib. 17. de civ. Dei cap. 20. concedit, *ea minùs firma eſſe, quæ non ſunt ſcripta in Canone Judæorum.* Ex quibus omnibus liquidò patet, Canonicum ab Auguſtino vocari, quod non eſt planè rejectum tanquam fabuloſum, ſed quod in Eccleſia legitur ac legi poteſt ad ædificationem fidelium, etiamſi cum reliquis propriè dictis Canonicis non habeat parem autoritatem. Neque enim tres cum Euſebio & Hieronymo, ſed duos duntaxat ſcriptorum ordines vocabulis apocryphorum & Canonicorum diſtinguitur. *Apocrypha* vocat, quæ ſunt fabuloſa, adulterina & falſa. Ea verò quæ in Eccleſia legebantur, vocat uno nomine *Canonica*, quibus tamen parem autoritatem non tribnit, ut ex locis allegatis conſtat. Ludov. Vives in lib. 15. de civ. Dei c. 23. *Apocrypha erant ea ſcripta, quibus publicè Eccleſia non utebatur, ſed privatim habebat, legebatq́; qui vellet, qualis erat Apocalypſis Petri Apoſtoli & liber Actorũ ejus.* 5. ex Iſidoro, qui itidem libros non Canonicos propriè ſic dictos ab Eccleſiaſticis, ſed Biblicos libros ab hæreticorũ fabulis appellatione Canonicorũ diſtĩguit. Sic n. ſcribit l. 6. etymol. c. 2. in fin. *Nã multa etiã ſub nominib. Prophetarũ & recen-*

tiora

tiora ſub nominib. Apoſtolorum ab hæreticis proferuntur, quæ omnia ſub nomine apocryphorum autoritate Canonicâ diligenti examinatione remota ſunt.

Patres teſtimonia ex his libris citant

107. 3. *Ex patrum allegatione. Patres controverſos illos libros non ſolum allegant, ſed etiam ſacros & divinos eos vocant. Ergò ex numero Canonicorum non ſunt excludendi.* Reſp. 1. diſtinguendum inter nudam allegationem & inter allegationem ut principii cujuſdam ex libris Canonicis deſumti. Ex nuda allegatione Patrum non poteſt Canonica alicujus libri autoritas demonſtrari, niſi probetur, quòd allegatus fuerit ut Canonicus, ac niſi omnia & ſingula Canonici libri requiſita ipſi cõpetant. Allegant Patres etiam tertium & quartum Eſdræ, allegant librum Paſtoris &c. quos tamen Canonicos non eſſe, ipſimet Pontificii agnoſcunt. 2. Nomen Scripturæ ſacræ & divinæ vel ſumitur *propriè & ſpecificè* pro libris Canonicis, vel *impropriè & latè* pro quolibet libro, qui in Codice Biblico continetur, & in Eccleſia ad morum ædificationem legitur. Quando Patres libros controverſos vocant ſacras & divinas Scripturas, utuntur hac appellatione in ſenſu latiore & improprio. Vocant ſacros libros, non quòd Canonicis eos omninò æquiparent, ſed tùm ratione temporis & occaſione eâ, quia Codicem Biblicum à Judæis Helleniſtis auctum acceperunt, tùm ratione argumenti, quod eſt de rebus ſacris, tùm ratione uſus, quia exempla virtutum ex illis capere licet. Sic tertium ut & quartum librum Eſdræ vocant *ſacros & divinos*, quos tamen Pontificii à Canone excludunt. Nec poteſt Bellarminus hanc diſtinctionem repudiare, cùm lib. 2. de Conc. cap. 12. §. dico ſecundò, ex eodem principio Gratianum excuſet, quòd Pontificum decretales dixerit eſſe ſacras & Canõicas. 3. Notari hoc loco poteſt cauſa, ex qua factum, ut quidam Patres præſertim in Eccleſia Occidentali controverſos illos libros vocarint ſacros, divinos & Canonicos, neque adeò exactè diſcrimen librorum Biblicorum, quo in Canonicos & Apocryphos ſecernuntur, obſervarint. Græca verſio LXX. Interpretum erat ipſis fermè authentica, Hebræus textus pleriſque ignotus, cùm ergò controverſi hi libri reliquis Canonicis in verſione LXX. Interpp. conjungerentur, judicarunt eos eſſe nonminùs Canonicos quàm reliquos, indè factum, cùm Hieronymus Biblia ex Hebræo verteret, quòd diſtinctio Canonicorum & Apocryphorum in lucem iterùm emerſit. Accedit quòd in Eccleſia Occidentali libri illi publicè fuerint prælecti, undè aliqua autoritas ipſis conciliata, ſed in Orientali Eccleſia non fuerunt prælecti.

108. Antequam ad ſpecialem ſingulorum librorum Biblicorum tàm Canonicorum, quàm apocryphorum conſiderationem deſcendamus, explicandæ ſunt hoc loco quædam quæſtiones.

Q. 1. An libri aliqui Canonici perierint.

Quæritur 1. *An libri aliqui Canonici perierint?* Affirmant 1. quidam ex Patribus. Chryſoſtomus homil. 9. in Matth. p. 85. *Multa ex Propheticis periêre monumentis, quod de Hiſtoria Paralipomenon probare poſſibile eſt. Deſides enim erant Judæi, nec deſides modo, ſed & impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Et de prophanitate quidem talis refert Jeremias, de negligentia verò in quarto libro Regum legimus, quoniam poſt multum temporis vix Deuteronomii ſit volumen repertum defoſſum quodam in loco ac pene deletum. Si autem abſque ulla incenſione templi, abſq; ullo impugnante civitatis tumultu, ſacri tamen libri variè deperibant, quis jam iſtud inter illas depopulationes vaſtationesq; hoſtium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigiſſe miretur?* Idem repetit homil. 7. in priorem ad Corinthios. Deſcendit in illam opinionem ex eo, quòd verba illa *Nazaræus vocabitur*. Item. *Ex Ægypto vocavi filium meum*, non inveniret in LXX. Interpp. cùm tamen extent in Hebræo. 2. Quidam idipſum demonſtrare conantur ex enumeratione librorum, quorum in Scripturis ſit mentio, cùm tamen hodiè nuſpiam extent. *Perierunt*, inquiunt, *liber bellorum Domini*, Num. 21. v. 14. (Hebræus textus ſic habet. *Proptereà dicetur in commemoratione bellorum Domini*. Græca verſio legit cum diſtinctione. *Sicut ſcriptum eſt in libro. Bellum quod geſtum eſt &c.*) *liber juſtorum*. Joſ. 10. v. 13. (de quo diximus ſuperiùs §. 16.) *bona pars parabolarum & Canticorum Salomonis*. 1. Reg. 4. v. 32. *libri Prophetæ Nathan & Gad*. 1. Paral. 29. v. 29. *Achiæ & Jeddo*. 2. Paral. 9. v. 29. *Semaiæ & Iddo*. 2. Para. 12. v. 15. *Jehu*. 2. Paral. 20. v. 34. *Hozai*. 2. Paral. 33. v. 19. &c. 3. Pontificii ex eo imperfectionem Scripturæ conantur probare, quod aliquot libri, qui ad Canonem pertinuerint, ſint amiſſi, ac proindè Canon non ampliùs ſit integer. Bellarminus lib. 4. de verb. Dei cap. 4. *Multi libri verè ſacri & Canonici perierunt. Ergò non habemus nec habuimus à mille & quingentis annis ſufficientem doctrinam, ſi tota ſita eſt in Scripturis.* Becan. in lib. de judic. controverſ. novendecim libros enumerat, qui ſint ex Canone amiſſi, ut imperfectionem Scripturæ ſtatuminet.

109. Quidam concedunt Pontificiis antecedens, eſſe ſcilicet libros quoſdam Canonicos amiſſos, ſed negant ex eo ſequi Canonis imperfectionem. 1. Diſtinguunt enim inter *perfectionem Canonis quantitativam*, quæ in numero librorum conſiſtit, & *objectivam*, quæ in explicatione rerum ad ſalutem ſcitu neceſſariarum verſatur. Propter libros quoſdam Canonicos amiſſos cõcedunt Canonem non amplius eſſe perfectum *quantitativè*, ſed tamen perfectum eſſe *objectivè*, quò referri poſſunt dicta piorum veterum, quibus paucitatem librorum Canonicorum autoritati & perfectioni eorum nihil quicquam derogare aſſerunt. De Canone V. T. Auguſtinus lib. 18. de civ. Dei cap. 41. ſic diſſerit. *Ipſi ſanè pauci eſſe debuerunt, ne multitudine vileſceret, quod clarum religione eſſe oporteret, nec tamen ita pauci, ut eorum non ſit miranda conſenſio.* De Canone Novi Teſtam. ſic ſcribit Juſtinus Apol. 2. pro Chriſt. pag. 17. *βραχεῖς καὶ σύντομοι παρ' αὐτοῦ (χριστοῦ) λόγοι γεγόνασιν, οὐ γὰρ σοφιστὴς ὑπῆρχεν, ἀλλὰ δύναμις θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἦν.* 2. Alii reſpondẽt, Deum Scripturæ autorem liberam habere poteſtatem Canonis vel augendi vel minuendi, qui jacturam amiſſione librorum quorundam V. T. Canonicorum additamento librorum Canonicorum N. T. reſarcire voluerit, ac proindè ex librorum iſtorum amiſſione Canonis integritati nihil decedere, ſed Canonem æquè perfectũ eſſe amiſſis aliquot libris quàm fuit libris illis adhuc in Eccleſia extantibus; cum quibus conſentit illud, quod alii reſpondent, integritatem ac perfectionẽ Canonis non eſſe definiendã numero

ſo librorum, ſed ſufficientiâ ad finem neceſſariâ ac providâ illâ & ſapientiſſima Dei voluntate, quæ jam indè à primordiis Eccleſiæ quovis tempore pro ſuo beneplacito Canonem certum conſtituit tùm paucioribus, tùm pluribus libris conſtantem. 3. Auguſtinus lib. 18. de civ. Dei cap. 38. diſtinguit inter libros *Hiſtoricos*, quos ſancti Dei homines ut homines diligentiâ Hiſtoricâ ad ubertatem cognitionis ſcripſerunt, & *Propheticos*, quos ut Prophetæ divinâ inſpiratione ad religionis autoritatem, in qua Canon cuſtoditur, ſcripſerunt. *In ipſa*, inquit. *Hiſtoria Regum Juda & Regum Iſrael, quæ res geſtas continet, de quibus Scripturæ Canonicæ credimus, commemorantur plurima, quæ ibi non explicantur, & in libris aliis inveniri dicuntur, quos Prophetæ ſcripſerunt & alicubi eorum quoq; Prophetarum nomina non tacentur, nec tamen inveniuntur in Canone, quem populus Dei recepit, cujus rei fateor cauſam me latet, niſi quod ego exiſtimo etiam ipſos, quibus ea, quæ in autoritate religionis eſſe deberent, ſanctus ubique Spiritus revelabatur, ſicut homines Hiſtoricâ diligentiâ, alia ſicut Prophetas divinâ inſpiratione ſcribere potuiſſe, atque hæc ita fuiſſe diſtincta, ut illa tanquam ipſis, iſta verò DEO tanquam per ipſos loquenti judicarentur eſſe tribuenda, ac ſic illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis autoritatem, in qua autoritate Canon cuſtoditur*. Qu dam contrà negant antecedens atque omnes illos libros, quorum in adductis Scripturæ locis mentio fit, extare putant ſub diverſis tamen nominibus.

110. Nos Auguſtini ſententiam amplectimur, & addimus. Si vel maximè probari poſſet quosdam etiam ex Propheticis libris divinâ inſpiratione ſcriptis amiſſos eſſe nondum enim evictum foret, Canonem eſſe imperfectum Diſtinguendum enim inter libros *ſacros* & inter *Canonicos ſpecificè ſic dictos*, id eſt. ad fidei univerſalis Canonem pertinentes, in Canonem à Prophetis relatos & ab Eccleſia receptos. Si quosdam priorum amiſſos eſſe daretur, ex eo tamen inferri minimè poſſit, etiam quoſdam poſteriorum amiſſos eſſe. Qui enim libri fine eo à ſanctis Dei hominibus ſcribebantur, ut eſſent pars Canonis, illi ad Sacerdotes delati in latere arcæ fœderalis reponebantur, & ſummâ diligentiâ aſſervabantur, ut nullum amiſſionis periculum divinâ providentiâ ſemper averſum ipſis immineret. Confer ea, quæ hac de re dicta ſuperiùs §. 73. Auguſtinus ipſe hane diſtinctionem videtur agnoſcere, quando lib. 15. de civ. Dei cap. 23. de libro Enoch ſcribit, *quod non fuerit in eo Canone, qui ſervabatur in templo Domini ſuccedentium diligentiâ Sacerdotum*. Quòd ſi libri illi, quos amiſſos eſſe urgent Pontificii, fuiſſent Canonici ſpecificè ſic dicti, nec ipſi quoque Pontificii Canonem haberent perfectum, neque enim in Vaticana Bibliotheca eos adhuc extare, neque in ſcrinio Papalis pectoris ſummam eorum contineri arbitramur.

Q. 2. An in conflagratione urbis Hieroſolymæ Prophetici libri fuerint conſumti ac per Eſdram poſtea reſtituti.

111. Q. 2. *An in conflagratione templi & urbis Hieroſolymæ à Chaldæis olim excitatâ Moſaici ac Prophetici libri omnes incendio fuerint conſumti, quos proinde Eſdras per miraculum poſtea reſtituerit?* Affirmant 1. quidam ex veteribus. Baſilius in Epiſt. ad Chilonem. *Hic campus, in quo ſucceſſu facto Eſdras omnes divinos libros ex mandato Dei eructavit*. Suidas. *Eſdras libros qui deſiderabantur è memoria depromptos deſcripſit*. In eandem opinionem propendere videntur Iren. lib. 3. adv. hæreſ. cap. 25. ubi ſcribit, *in captivitate populi quæ facta eſt à Nabuchodonoſor corruptis Scripturis & poſt ſeptuaginta annos deſcendentibus in regionem ſuam & poſt deindè temporibus Artaxerxis Perſarum Regis inſpiravit Deus Heſdræ Sacerdoti tribus Levi Prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quæ data eſſet per Moſen*. Tertullianus lib. de habitu muliebr. Clem. Alexandr. lib. 1. Stromat. Euſebius in Chronic. 2. quidam ex Pontificiis, Piſtorius in lib. contra D. Mentzeri Diſp. 1. Sixt. Senenſis lib. 1. Biblioth. ſub tit. Eſdræ libri duo. & alii. Nititur hæc opinio tribus potiſſimùm fundamentis. 1. teſtificatione ipſius Eſdræ lib. 4. cap. 14. ubi memoratur. *Eſdram totis quadraginta diebus divino Spiritu afflatum dictaſſe quinque viris, qui ſumma celeritate, quæ ab eo dicebantur, excipiebant, atque eo modo univerſam Scripturam, quæ planè perierat, eſſe reparatam*. 2. relatione Nehem. 8. v. 1. *Dixerunt Eſdræ Scribæ, ut afferret librum legis Moſi, attulit ergo Eſdras & c.* 3. appellatione Eſdræ, quòd vocetur ספר *Scriba*.

112. Nos opinionem illam repudiamus & contra eam urgemus. 1. *divinam providentiam*, quæ nunquam permiſit nec permittit, ut libri Canonici ad conſervandum verbi depoſitum & Eccleſiam omnium temporum inſtruendam ſcripti unquam aboleantur. Eſa. 40. v. 6. Luc. 21. v. 33. 1. Pet. 1. v. 25. 2. *exemplarium Biblicorum copiam*. In populo Iſraëlitico fuerunt aliquot millia Codicum Biblicorum, quippè quorum aſſidua & quotidiana lectio erat ſingulis demandata. Deuter. 6. v. 7. cap. 17. v. 18. &c. Ecquis verò ſibi perſuaderi patietur, illa omnia unà cum autographis, quæ in latere arcæ fœderalis aſſervabantur, fuiſſe incendio abſumta? Sacerdotes Dei ordinatione conſtituti erant divinæ legis interpretes ac cuſtodes. Jàm verò eorum aliquot millia in populo Iſraëlitico numerari potuerunt. David conſtituit mille & ſeptingentos Levitas, qui cis Jordanem populum docerent, bis mille & ſeptingentos, qui trans Jordanem docendi officio fungerentur, quomodo autem docere potuerunt abſque Biblico Codice? Quare ſi vel maximè exemplaria illa ſacrorum librorum, quæ in latere arcæ ſervabantur, fuiſſent incendio abſumta, quod tamen ut concedamus, nullâ evidente ratione cogimur, interim planè non eſt veriſimile, non manſiſſe aliqua exemplaria apud Sacerdotes, præſertim Prophetas Ezechielem, Danielem, Jeremiam, Haggæum, Zachariam & ipſum Eſdram, qui circa captivitatis Babylonicæ inſtantis ac durantis tempora vixerunt. Quidam addunt ex 2. libr. Maccab. 2. quod Jeremias ex Chaldaico illo urbis & templi incendio *arcam fœderis, altare incenſi & tabernaculum* eripuerit. Ergo procul dubio majori ſtudio libros ſacros conſervavit. Sed liber ille eſt apocryphus & narratio fabuloſa, ut ſuo loco inferiùs ducebitur, proinde hoc argumento minimè utimur. 3. *Scripturam manifeſtam*. Poſt Chaldaicum urbis ac templi incendium annis prope 70. & ante Eſdram annis plusquàm 80. Propheta Daniel cap. 9. v. 2. & 11 mentionem facit librorum Moſis & Jeremiæ tanquam eorum, qui adhuc ſalvi & integri extarent. 4. *Veritatem Hiſtoricam*. Teſtantur

tur Judæorum annales, in ipſa Babylonica captivitate Judæos habuiſſe ſuas Synagogas, in quibus Moſis & Prophetarum ſcripta prælegebantur Actor.15.v.21. ac duas inſignes Scholas, quarum una erat סוּרָא ſchola Syriæ altera בכומבדיתא & quælibet ſuum ראש ישיבה *Rectorem Academiæ* habebat. Buxdorff. in Theſaur. p.603. Fabric. in partit. Cod. Hebr. cap.2. Joſephus etiam memorat, Cyrum Regem ad donandam Judæis libertatem ac templi reficiendi poteſtatem oſtenſo ſibi Eſaiæ vaticinio cap.45. permotum fuiſſe. Narrat Joſephus lib. 7. de bell. Jud. c.24. *in triumpho Titi Veſpaſiani tabulas legum Judaicarum noviſſima ſpoliorum latas eſſe.* Quas ipſa autographa digitis Dei & Moſis ſcripta fuiſſe probabile eſt, cùm Joſephus in vita ſua tanquam inſigne beneficium Veſpaſiani celebret, quòd illas ſibi conceſſerit. 5. *rationis evidentiam.* Si in perſecutione Regis Antiochi non fuerunt libri ſacri omnes combuſti, multò minùs à Chaldæis illos omnes incenſos fuiſſe veriſimile alicui fieri poteſt. Connexio probatur, quia Antiochus ſtudioſè hoc egit, ut omnes libri ſacri comburerentur. 1. Maccab.1.v.59. ſed Chaldæos eodem fuiſſe animo nuſpiam aſſeritur, quin imò cùm ſpeciarim enumerentur, quæ Chaldaico incendio abſumta in lib. Regum & Paralip. cap. ultimis, Jerem.52.v.17. librorum ſacrorum nulla inter ea fit mentio. Antecedens probatur ex 1. Maccab.3. v.47. & ex ipſa rei evidentia. Dandus enim foret alius Eſdras, qui eos, quos hodie habemus, libros reſtituerit. Præterea ſi Eſdras dictaſſet libros ſacros penitùs deperditos, tum id factum fuiſſet linguâ Chaldaicâ, vel certè ex Hebraico & Caldaico idiomate mixta Iſraelitis tunc vernacula, unde etiam in Eſdra ac Daniele quædam Chaldaico idiomate ſcripta inveniuntur. At conſtat libros ſacros hodiernos puâ Hebræâ linguâ eſſe ſcriptos, eâ ipsâ ſcil. quâ primi parentes, Patriarchæ & Prophetæ uſi fuerunt, quod vel ex nominum propriorum etymologia manifeſtum. *Dixit Adam de uxore ſua recens creata. Hæc vocabitur* אִשָּׁה *quia ſumta eſt de* איש *ſive viro.* Geneſ.2.v.23. At in Chaldaica lingua vir & mulier non habent hanc nominis ſimilitudinem. Nam in ea vir dicitur בְּעֵל mulier אִתְּתָא in quibus tâlis ſimilitudo appellationum non invenitur. Quidam adducit etiam hanc rationem: Si Eſdras eſſet Bibliorum reparator, non haberemus eoſdem libros, quos Moſes & Prophetæ ſcripſerunt. Sed alterius ſententiæ patroni huic argumento occurrere poſſent, reſpõdendo, Eſdram non compoſuiſſe planè novos libros, ſed priores iiſdem ſententiis ac verbis redintegraſſe, nec autorem novorum ſed refectorem & reſtitutorem priſtinorum librorum fuiſſe. 6. *Saniorum Pontificiorum ευμφωνιαν.* Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 1. *Improbabilis nobis videtur illa opinio, quod Eſdras libros ſacros in Chaldaico incendio abſumtos repararit. Non enim alio fundamento nititur, quàm teſtimonio libri apocryphi, h.e. libri quarti Eſdræ.* Et ſub finem cap. *Cùm planum ſit, libros Eſdræ eſſe plenos vocibus Chaldaicis, libros autem Legis & Prophetarum puro idiomate Hebraico ſcriptos eſſe, planum quoque videri debet, Legis & Prophetarum libros non ab Eſdra, ſed à Moſe & antiquis Prophetis conſcriptos nos habere.* Pererius in præfat. comment. in Geneſ. multis argumentis eandem opinionem impugnat.

113. Nec ullum ineſt robur adverſæ partis argumentis. Nam 1. quamvis Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus & Euſebius in locis proximè citatis, ut & Ambroſius de bono mortis cap.10. & Chryſoſt. homil. 8. ad Hebræos quartum illum librum ſub nomine Eſdræ citent, quin & *divinum* ipſum vocent, ex quo probabilitas quædam huic opinioni apud veteres fuit conciliata, reverâ tamen quartus iſte liber eſt apocryphus, cùm pluribus in locis & in ipſo illo cap.14. fabulas Judaicas proponat atque ab ipſis ſanioribus Pontificiis repudietur, ut ſuo loco pleniùs docebimus. Adde quòd Eſdras eo loco non de divinorum & Canonicorum librorum reſtitutione, ſed de aliorum potiùs librorum ſcriptione agere videatur, quibus interior & myſtica quædam librorum ſacrorum intelligentia, quam *Cabalam* vocant, fuerit tradita, dicitur enim, quòd Eſdras per quadraginta dies 204. libros ſcripſerit, quorum 134. in vulgus indicaverit, 70. verò in publicum efferre Dei mandato fuerit prohibitus. 2. Locus Nehemiæ cap. 8. tantùm abeſt, ut confirmet opinionem de reparatione legis, ut illi potiùs repugnet, neque enim dixerunt Eſdræ, ut novos libros conſcriberet, ſed ut eos, quos adhuc extare ſciebant, afferret, emphaticum eſt, quod habetur v.9. *& invenerunt ſcriptum in lege.* Ergo ſuperſtes adhuc erat Scriptura legis, in qua per lectionem illud invenerunt. 3. Quo ſenſu Eſdras dicatur Scriba, apparebit ex ſequentibus. Aliàs in genere סופר Scriba ſacer dicitur is, qui eſt legis divinæ peritus ac interpres ſive doctor.

114. Q. 3. *An Eſdras libros ſacros tempore Babylonicæ captivitatis ſi non amiſſos repararit, tamen corruptos ſaltem reſtituerit?* Affirmant quidam ex veteribus, quorum hæc eſt ſententia, Eſdram fuiſſe librorum ſanctorum inſtauratorem, non omnia iterum dictando, ſed colligendo & ordinando Scripturas in unum corpus, quarum partes variis in locis invenerat & etiam emendando, ſi quæ depravata erant negligentia Scribarum, cum toto tempore captivitatis negligenter lex ſervata ſit, cùm non haberent Judæi templum & tabernaculum. Theodoretus præfat. in Pſalmos ait, *Scripturam veterem depravatam tempore captivitatis ab Eſdra fuiſſe reſtitutam.* Hoc ſenſu quidam accipiunt dicta Irenæi, Tertulliani & Clementis Alexandrini, quos alii prioris opinionis patronos faciunt. Sed nec hæc opinio probari à nobis poteſt. Nam 1. divina providentia à corruptione libros illos immunes conſervavit. Matth.5.v.18. 2. nullum hujus corruptelæ monſtrari poteſt veſtigium etiam ante Eſdræ tempora. 3. Conſtat ex Philone lib. de egreſſ. filiór. Iſraël ex Ægypto & Euſebio lib. 8. de præparat. Evang. cap.2. uſque ad Philonis tempora non fuiſſe quidquam in lege mutatum ac quemlibet Judæum centies potiùs fuiſſe moriturum, quàm ut pateretur legem in aliquo mutari. 4. Eſdram in libro legis coram Iſraelitis legiſſe memoratur. Nehem.8.v.2. ſed librum legis correxiſſe nuſpiam dicitur. Ergo tempore captivitatis libros ſacros apud ſe cuſtodivit, poſt captivitatem in publicum protulit, ab interitu eos vindicavit, atque in unum corpus redegit, teſtibus Athanaſio in Synopſi c. de libris Eſdr. Hi-

Q. 3. An Eſdras libros corruptos reſtituerit?

lario præfat. in Pſal. Chryſoſt. hom. 8. Hebr. nequaquam verò hominum incuriâ vel temporum injuriâ depravatos reſtituit.

Q. 4. An Eſdras novas literas Hebraicas invenerit?

115. Q. 4. *An Eſdras novas literas Hebraicas invenerit, antiquas relinquendo Samaritanis novas tradendo Iudæis.* Affirmat. 1. ex Rabinis Gerundenſis & R. Suthra in tractat. Sanhedrin. 2. ex veteribus Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus Hieronymus in prolog. Galeat. & in præfat. ſuper libr. Regum. argumento permotus eo, quod litera alphabeti veteris Hebraici poſtrema ſimilis fuerit literæ T Græcorum & figuram crucis repræſentarit, quod ex cap. 9. Ezech. in comment. illius loci colligit. Hodie verò poſtrema litera alphabeti nullam videtur habere crucis ſimilitudinem. Ergo novas literas habemus. 3. ex recentioribus Bellarmin. in Grammat. p. 11. & libr 2. de verbo Dei cap. 1. Bened. Arias Montan. lib. de Menſuris, Genebrardus. libr. 2. Chronol. ad ann. 3603. Druſius ad loc. difficil. Exod. 5. p. 163. Caſpar Waſerus libr. 2. de numiſm. Hebræor. cap. 3. ubi adducit formam ſiclorum Samaritanis literis inſignitorum, Witakerus de ſcriptur. p. 102. Scaliger in animadverſ. ad Euſebium p. 103. Calviſius & alii. Sed B. noſter Lutherus ** (cui adſtipulatur Schickardus in Miſchpach hammelech cap. 2. th 5. §. 5.) ** in præfat. ſup. Eſaiam rectius iſtud negat. *Hieronymus*, inquit, *fuit bonus Grammaticus, ſed malus Hiſtoricus, dum ſtatuit, in captivitate Babylonica literas Hebræis proprias fuiſſe deperditas*. Confirmat hanc ſententiam Lutheri 1. *Scripturæ ſacræ autoritas & majeſtas.* Ea enim ſuadet, ut ſtatuamus, characteres, quibus Moſes & Prophetæ divinam revelationem ſcripſerunt, non fuiſſe deperditos, ſed Judæos literis illis ſemper fuiſſe uſos, quibus Deus ipſe Decalogum digito ſuo tabulis lapideis inſculpſit & quibus ſancti Dei homines libros Canonicos conſcripſerunt. 2. *Eſdræ fidelitas.* Celebratur Eſdras tanquam legis divinæ aſſervator & vindex conſtantiſſimus Nehem. 8. v. 1. Ergo non eſt veriſimile ipſum in characteribus Scripturæ ſacræ quicquam mutare voluiſſe. 3. *Hiſtorica veritas.* Si Eſdras novas literas inveniſſet, nec ipſe, nec Nehemias, nec Joſephus in ſerie Hiſtoriæ illud prætermiſiſſent, ſed tanquam ἀξιομνημόνευτον annotaſſent. 4. *Rei ipſius evidentia & claritas.* Literas has, quas hodie habemus, eſſe verè Hebraicas oſtendunt earum nomina, quæ ſunt Hebraica; earumque ſignificationes figuris optimè convenientes. In Bibliis noſtris quidam Pſalmorum & capitum verſiculi diſtinguuntur juxta ſeriem literarum adhuc hodie uſitatarum, utpote Pſal. 25. 34. 37. 112. 119. 145. Proverb. 31. à v. 10. Threnor. 1. Ergo antiquas literas adhuc habemus. 5. *Iudæorum religioſitas.* Quàm fideles cuſtodes propriarum literarum omni ſeculo invariatarum fuerint Judæi, teſtatur Joſephus libr. 1. contr. Appion. quin adhuc hodie adeo ſuperſtitioſi ſunt, ut ſtatim quærant myſteria, ſi vel per ſcriptoris vel Typographi incuriam litera una alterâ ſit longior vel brevior, quomodo ergo totam literaturam Hebraicam paſſi fuiſſent immutari? Maſorethæ menda, quæ Scribarum negligentia in Codicem Biblicum irrepſerant, minimè auſi fuerunt tollere, ſed tantùm in margine correctionem notarunt. Ecquis igitur credet priſcos illos legis divinæ longè obſervantiores, characteres à Prophetis profectos, humanâ autoritate immutaſſe, præſertim ex ſtolido quodam erga Samaritanos odio? 6. *Facti ipſius impoſſibilitas.* Quis patietur ſibi perſuaderi inventis novis, inauditis & nunquam ad Eſdræ uſque ætatem viſis characteribus iiſque per Eſdram obtruſis in omnia Hebraica manuſcripta, in omnes Hebræas Bibliothecas, in omnium Iſraeliticorum Codicum Biblicorum canonem, abjectis protinus univerſis Canonicorum librorum exemplaribus veteribus apud omnes per totum terrarum orbem diſperſos, itemque proſelytos, religioſos, pios Reges & Monarchas locum fuiſſe datum, cum Eſdras hujus ſui inſtituti nec mandatum divinum nec mandati divini documentum attulerit, ſed nec poſteris hujus rei monumentum aliquod reliquerit, quo conſcientias ipſorum in rejiciendis veteribus authenticis & amplectendis novis literis muniret ac pacaret. 7. *conſequens abſurditas.* Niſi ſtatuamus his ipſis literis, quas hodie habemus, uſos ſanctos Dei homines, qui divinam revelationem annotarunt, expirabunt myſteria, quæ non ſolùm à Maſoretis, ſed etiam à Chriſtianis Interpretibus in literarum quarundam figuris quæruntur V. C. in ם clauſo in medio dictionis Eſ. 9. v. 6. in quo exemplo Auguſt. lib. 18. de civit. Dei cap. 39. Hieronymus de ſancta fide in libr. contra Judæos pag. 28. Galatin. libr. 4. de arcan. cap. 19. & libr. 7. cap. 13. myſterium agnoſcunt. 8. *rationis perſpicuitas.* Sicut Buxdorfius in Tiberiade ex eo, quod Maſoretæ menda punctorum corrigant, probat eos non eſſe autores punctorum & accentuum: ſic & nos inde, quod Maſoretæ menda literarum corrigant, inferre poſſumus, Eſdram, utpote qui cum Nehemia, Malachia & cæteris viris Synagogæ magnæ fuit primus Maſoræ autor, teſte Elia Levita in præfat. rythm. Maſoreth hammaſoreth literarum Hebraicarum, quas hodie habemus, inventorem non eſſe.

Argumenta in contrariam ſententiam. 1. Hieronymi autoritas.

116. Argumentis adverſæ partis facili negotio ſatisfieri poterit. Primum eſt *Hieronymi autoritas.* Sed reſp. 1. Hieronymum videri ſuam opinionem deſumſiſſe ex 4. Eſdr. cap. 4. v. 23. & 14. v. 21. qui fabuloſus eſt & apocryphus. Quidam putant id audiviſſe Hieronymum à Samaritanis, qui adhuc hodie illam laudem ſibi falsò vendicant. 2. Cauſam mutationis aſſignat Hieronymus odium Judæorum in Samaritanos. Atqui illi potius ſemper laborarunt, ut decem tribus ad ſe reducerent. Tempore Eſdræ tandem merus gentiliſmus inter Samaritanos viguit. 3. Quamvis aliqua literarum Hebraicarum inventio Eſdræ poſſit tribui, attamen illi non nova, ſed ταχυγραφίας elementa à doctis adſcribuntur. Alterum eſt, *litera ת cum figura crucis difformitas.*

2. litera ת cum figura crucis difformitas.

Reſp. 1. Crucis figura multiplex olim erat, ut latè oſtendit Lipſius lib. de Cruce. Poſtrema alphabeti Hebraici litera ת quandam adhuc patibuli ſeu crucis figuram oſtendit. 2. poſtrema litera Samaritanorum, quæ Hebræo ת reſpondet, nullam prorſus cum cruce habet convenientiam, ut liquidò apparebit, ſi conferatur figura hujus literæ, prout Bellarmin. ad calcem Inſtit. Hebr. eam deſcribit, cum figura crucis. Excipit quidem Gretſerus p. 441. *hodie non rectè eam efformari*; ſed eſt mera conjectura. Si aliter hodie literæ Samaritanorum formantur quàm tempore

Hie-

Hieronymi, cur Bellarminus ad ſententiæ ſuæ probationem hanc & non aliam figuram in Inſtitutionibus adduxiſſet? nec ullus autor meminit, priſtinam illam ſcribendi rationem apud Samaritanos fuiſſe immutatam. 3. Scaliger in animadverſ. ad Euſeb. p. 109. ipſemet agnoſcit, Origenem hæc ex fide aliena nimirum Judæi recitare, quem errantem Hieronymus eſt ſecutus.

3. Siclorum Judaicorũ cum Samaritana literatura conformitas.

Tertium argumentum eſt, *ſiclorum Judaicorum cum Samaritana literatura conformitas.* Sed reſp. 1. Sicli in ruderibus Hieroſolymitanis reperiri ſoliti nihil aliud probant, quàm quod Iſraelitæ etiam Samaritanis literis nonnunquam fuerint uſi, nequaquam verò evincunt, eas hodiernis eſſe antiquiores. 2. Sicut lapides *μνημονευτικοὶ* non poſſunt puritatem alicujus linguæ commonſtrare, ita nec Sicli illi Samariticis literis notati. Neq; enim conſtat, an publico mandato, an privato facto iſtiusmodi monetæ ſint cuſæ. Poſterius fit probabilius ex eo, quod nullius ſummi Sacerdotis in iis fiat mentio. 3. Hodiè quibuſdam antiquitatis ſtudioſis aſſervantur Sicli, illis, quos deſcribit Bened. Arias Montanus lib. de menſ. tum figurâ ſimiles, tum quantitate æquales, ſed inſcriptiones Hebraicis literis exaratas habentes. 4. Characteres Samaritici ortus ſui principium videntur agnoſcere partim Hebræam partim Syram ſcriptionem. eamque tam majorem, quàm minorem, interdum quibuſdam virgulis vel additis vel longiùs extenſis, inciſis, inverſis, abſciſſis vel etiam literis tranſpoſitis, ut tertiâ & quartâ, quarum illa Hebræis eſt quarta, hæc Syris tertia, Item Beth Syro majori in Phe & Phe in locum Beth collocato. Ut ergo Samaritana plurimùm à Syra, ita Syra ab Hebræa viciſſim dependet, ut ex oppoſitione alphabeti judicari poteſt. In quibuſdam tamen literis, ut Aleph, Jod, Zade & Kuph totalis eſt diſcrepantia. Ex quo intelligitur formam noſtram alphabeti Hebraici eſſe antiquiſſimam & ab eadem reliquas omnes defluxiſſe.

Q. 5. An capitum diſtinctio Eſdræ ſit tribuenda?

117. Q. 5. *An capitum diſtinctio Eſdræ ſit tribuenda?* Quidam affirmant & ex eo Eſdram סופר ſive *Scribam* fuiſſe dictum arbitrantur. Alii contra Maſoretis potius eam aſſignandam cenſent, cùm non ſit ſatis accurata ſed materias cognatas ſæpius divellat, quibus prioris ſententiæ patroni hoc opponunt, quod Eſdras inter Maſoretas principem locum obtinuerit ac proinde ab ipſorum conſortio ſegregari neutiquam debeat. Sũt qui Judæis Chriſtianis eam tribuant ac demum circa annum Chriſti 1220. in publicum uſum veniſſe ex Balæo probatum dare velint. Eſdram ex eo Scribam dici arbitrantur, quod libros V. Teſt. Hebraicos Chaldaicis literis Iſraelitico populo tunc magis notis deſcripſerit, ſicut Origenes Græcis. Sunt qui ob punctorum & accentuum inventionem Scribæ nomen ipſum promeruiſſe ſuſpicemur, quâ de re quid ſtatuendum ſit, ſuo loco videbimus.

CAPUT VII.

De Canonicis Vet. Teſtam. libris in ſpecie.

Lib Canonici V.T.

118. Diximus ſuperiùs §. 65. Eccleſias noſtras Iſraeliticæ antiquiſſimæ Eccleſiæ *ὁμοψήφως* hos & non alios libros in V. Teſt. canone agnoſcere. 1. *Quinque libros Moſis.* 2. *Joſuam.* 3. *Judicum.* 4. *Ruth.* 5. *duos Samuelis.* 6. *duos Regum.* 7. *duos Paralipomenon.* 8. *duos Eſdræ priores.* 9. *Eſtherem.* 10. *Jobum.* 11. *Pſalterium.* 12. *tres Salomonis, Proverbia, Eccleſiaſten & Canticum Canticorum.* 13. *quatuor Prophetas majores, Eſaiam, Jeremiam cum Threnis, Ezechielem & Danielem.* 14. *duodecim Prophetas minores, Oſeam, Joel, Amos, Obadiam, Jonam, Micheam, Nahum, Habacuc, Sophoniam, Haggeum, Zachariam, Malachiam.* De hiſce in ſpecie quædam monebimus ad ſolidam Scripturæ intelligentiam plurimùm ponderis habitura.

1. Geneſis.

119. *Primus liber Moſis* Hebræis dicitur בְּרֵאשִׁית à voce initiali; Rabinis סֵפֶר יְצִירָה *liber creationis,* Græcis *γένεσις,* quam appellationem Latina Eccleſia retinuit. Ratio appellationis duplex eſt, tùm quia *generationes cœli & terræ* deſcribit, ut loquitur Moſes cap. 2. v. 1. tùm quia Patriarcharum genealogiam exponit cap. 5. & alibi paſſim. Quidam exiſtimant eundem vocari librum הַיָּשָׁר *recti* vel *rectorum* ac juſtorum *βίβλιον* Joſ. 10. v. 13. 2. Sam. 1. v. 18. quia Patriarcharum Abrahami, Iſaaci & Jacobi Hiſtoriam deſcribit, quos peculiari nomine Cabaliſtæ vocant rectos. Hieronymus opinatur librum illum juſtorum eſſe *librum primum Samuelis vel Regum,* cùm in illo multorum juſtorum, utpote Samuelis, Davidis, Nathanis, Gath & aliorum fiat mentio. Quidam putant ſignificari *librum vitæ*, de quo Pſal. 69. v. 29. Quidam intelligunt duodecim Prophetas minores, qui tamen poſt multa demum ſecula vixerunt & ſcripſerunt. Plerique ſtatuunt fuiſſe peculiarem librum, in quo Sanctorum vita & res geſtæ fuerunt deſcriptæ, qui tamen ad nos non pervenerit, quâ de re ſuperius etiam aliquid monuimus. §. 16. Cæterùm Geneſis capitibus conſtat 50. & exponit Hiſtoriam annorum 2368. à mundi ſc. creatione uſq; ad mortem Joſephi. Poteſt diſtribui in partes ſex juxta numerum Patriarcharum, quorum vitam & res geſtas deſcribit, videl. *Adami, Noahi, Abrahami, Iſaaci, Jacobi & Joſephi.* Poteſt etiam in Hiſtoriam temporis *antediluviani & poſtdiluviani* diſtribui. Apud Hebræos prohibitum fuit, ne quis ante annum ætatis 30. caput primum Geneſeos legeret, aut aliis enarraret, teſte Hieronymo in Geneſ. quâ prohibitione B. Lutherus cenſet minimè fuiſſe opus, cùm tota Scriptura ipſis ſit liber obſignatus propter velamen oculis ipſorum impoſitum. Cauſæ propter quas Moſes Iſraelitarum legiſlator ſcriptionis ſuæ initium ab Hiſtoria creationis & Patriarcharum facere voluerit, hæ ſunt præcipuæ 1. ut ex deſcriptione eorum, quæ non niſi per divinam revelationem ipſi nota eſſe poterant, autoritatem ſuæ doctrinæ conciliaret: Auguſt. lib. 18. de civ. Dei cap. 40. *Cui narranti præterita melius credimus, quàm qui etiã futura prædixerit, quæ præſentia jam videmus?* 2. ut certũ fidei fundamentũ contra gentilium opiniones de mundi æternitate vel origine in Eccleſia extaret. 3. ut majeſtatem creatoris populo Iſraelitico inculcaret atque ad obedientiam eos permoveret. 4. ut exempla præmiorum pietati & pœnarum impietati retributarum in majoribus ipſorum populo Iſraelitico proponeret. Euſebius libr. 7. præpar. Evang. cap. 3. *Antequam*

leges poneret, majorum vitas animis hominum impreſſit. Ita bonorum præmiis & impiorum ſuppliciis ad amplexandam virtutem & fugiendam impietatem exhortatus leges tandem in medium propoſuit. 5. ut doceret, non eſſe alium Deum quærendum vel invocandum, quàm qui eſt mundi creator & certo verbo ſtatim ab initio mundi ſeſe hominibus patefecit.

2. *Exodus.* 120. *Secundus liber Moſis* vocatur שמות à ſecundâ voce; Græcis ἔξοδος, quam nomenclaturam Latini retinuerunt, propterea quod egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto deſcribat. Capitibus conſtat 40. & continet Hiſtoriam 142. annorum à morte ſcilicet Joſephi uſque ad extructionem tabernaculi. Diſtribui poteſt in τὰ προηγούμενα antecedentia, τὸ ἐπραχθὲν exitum ipſum & τὰ ἑπόμενα ſive conſequentia. Item in Eccleſiæ Iſraeliticæ nativitatem & educationem. Quidam totam Hiſtoriam dividunt in exitum Iſraelitarum ex Ægypto & commorationem eorundem ad montem Sinai. Partes integrantes conſtitui poſſunt ſex. 1. De vita Moſis, ejuſque ad Pharaonem legatione. 2. De plagis Ægypti, quibus Moſis autoritas confirmata. 3. De exitu Iſraelitarum ex Ægypto, tranſitu per mare rubrum, itinere per deſertum. 4. De conſtitutione Eccleſiæ & Reipublicæ promulgato Decalogo & cæteris legibus forenſibus ac Ceremonialibus. 5. De peccato populi ejuſdemque cum Deo reconciliatione. 6. De extructione tabernaculi ac rerum ad cultum divinum pertinentium apparatu.

3. *Leviticus.* 121. *Tertius liber Moſis* dicitur Hebræis ויקרא à prima dictione; Græcis & Latinis *Leviticus*, quia de Levitico Sacerdotio & Leviticis ſive Ceremonialibus legibus in eo potiſſimùm agitur. Capitibus conſtat 27. & continet Hiſtoriam unius menſis, videlicet primi in ſecundo poſt exitum ex Ægypto anno. Hieronymus in Epiſt. ad Paulin. ſcribit, *quod in eo ſingulæ penè ſyllabæ cœleſtia ſpirent Sacramenta, quia ad Chriſtum unitum Nov. Teſtam. ſummum Sacerdotem figura illius nos deducunt.* Ratione objectorum diſtingui poteſt in partes tres, quarum prima *de rebus*, altera *de perſonis*, tertia *de actionibus ſacris* tractat.

4. *Numeri.* 122. *Quartus liber Moſis* Hebræis vocatur וידבר ab initiali dictione; Græcis ἀριθμοὶ, Latinis *Numeri*, quia in eo egreſſæ de Ægypto tribus dinumerantur & quadraginta duarum per eremum manſionum numerus recenſentur. Statim in principio viri militiæ apti in populo recenſentur, poſtea enim Levitæ divini cultus exercitio publico deſtinati. Capitibus conſtat 36. & continet Hiſtoriam 38. annorum & 9. menſium, & dierum 20. videlicet à primo die ſecundi menſis in ſecundo poſt exitum anno uſque ad primum diem undecimi menſis in 40. poſt exitum anno. Deſcribit *iter Iſraelitarum* per deſertum & ejus tum *antecedentem præparationem*, tum *conſequentem ſtationem*, quâ occaſione exempla obœdientiæ præmiis honoratæ & inobœdientiæ pœnis viſitatæ Legiſlator inſpergit.

5. *Deuteronom.* 123. *Quintus liber Moſis* vocatur Hebræis אלה הדברים à primis dictionibus; Græcis δευτερονόμιον q. d. iterata lex, quia ut ait Irenæus lib. 4. cap. 1. pag. 233. *in eo univerſæ legis ſit recapitulatio ac proinde priorum librorum epitomen complectitur. Cum qua appellatione conſentit, quod Rabini eum vocant* משנה *repetita lectio*, eſt enim nihil aliud, ut iidem ſcribunt, quàm *memoria rerum priorum, quæ in aliis ſcribuntur libris*. Capitibus conſtat 34. & continet Hiſtoriam duorum poſtremorum menſium anni poſt exitum 40. Diſtingui poteſt in *doctrinalia* leges moralea, Ceremoniales & forenſes complectentia, *Hiſtorica & Prophetica*. Græca horum quinque librorum nomina ab ipſo Moſe eis impoſita eſſe cenſet Philo lib. de mundo. Sed veriſimilius eſt, LXX. Interpp. has Græcas appellationes excogitaſſe.

124. Hi quinque libri ſunt Moſaici ſive à Moſe ſcripti & quinario numero includuntur, unde Hebræis vocantur חומש Græcis πεντάτευχος. Thalmudiſtæ & Cabaliſtæ ex eo, quod quinque vicibus nominatur lux in principio cap. 1. Geneſ. ſignificatos fuiſſe autumant hos quinque libros, quod ceu luminaria quædam eſſent & propterea tutò illis fidendum Weidn. præfat. locorum fid. Chriſt. p. 8. (Notandum tamen, quod ultimum caput Deuteronomii poſt mortem Moſis à Joſua fuerit additum, ut colligitur ex Joſ. 24. v. 26. **Quidam ab Eſra hoc factum ſtatuunt. Joſephus aſſerit, quod Moſes mox moriturus ſeipſum in ſacris voluminibus mortuum ſcripſerit, veritus, ne propter excellentes virtutes ſuas Judæi ſe à Deo raptum prædicarent. Hebræi totum pentateuchũ dividunt in diſtinctiones ſive titulos duos & quinquaginta, Geneſin in 11. Exodum in 11. Leviticũ in 10. Numeros in 10. Deuteronomiũ in 10. quas etiam diſtinctiones inſcribunt à dictionibus ipſarũ initialibus, appellantes primam בראשית ſecundam נח tertiam לך לך & ſic deinceps, uſque in finem. Omnes Peſukim i. e. verſus in quos Judæi univerſum partiuntur Pentateuchum ſunt quinq; millia octingenti & triginta.**) Hoſce quinque Moſis libros Eccleſia Iſraelitica & Chriſtiana ſemper pro Canonicis habuit, nec tamen à Canone propterea reliquos exclusit, quod fecerũt olim Sadducæi a Zadoco ſic dicti, qui nullam Scripturam recipiebant, niſi Moſaicam, unde Chriſtus reſurrectionem mortuorũ, quam negabant, ex Moſe contra ipſos demonſtrat Matth. 22. v. 32. Samaritani ſive Samaritæ cum Sadducæis in hoc errore conſpirabant, nam & illi nullos præter Moſaicos libros recipiebant, unde etiam Sadducæi contulerunt ſe ad templum Samaritanorum in monte Garizim extructum. Contrà verò Ptolemæus (à quo Ptolemaitæ dicti) legem Moſis in tres partes dividebat atque unius quidem mundi opificem autorem faciebat, alterius Moſen, tertiæ Seniores Synagogæ. Per mundi opificem non intelligebat verum Deum; ſed medium aliquod Numen inter Deum & Diabolum, univerſam igitur legem repudiabat, Epiph. hæreſ. 33. Antitactæ legem dixerunt eſſe ſecundi Dei, ideò pietatem putabant, legi reſiſtere ſceleratè vivendo. Simon Magus legem eſſe ſiniſtræ virtutis docebat.

125. 6. *Liber Ioſuæ.* Græcis Ἰησοῦς Ναυῆ, quia continet Hiſtoriam rerum à Joſua ſervo Moſis geſtarum; quas ipſe Joſua Dei voluntate in literas redegit. Auguſtinus q. 12. in lib. Judic. dubitat, à quo ſcriptus fuerit liber Joſuæ. 6. *Ioſua.*

Qui-

Quidam eum tribuunt Eſdræ, alii Prophetæ cuidam : Sed titulus oſtendit, eum à Joſua ſcriptum, quod confirmat Münſterus in cap.1. Joſ. neque enim duntaxat reſpectu objecti. ſed etiam cauſæ efficientis inſtrumentalis liber Joſuæ vocatur ut colligitur ex Joſ.24.v.26. ** Quæ à morte Joſuæ uſque ad finem libri hujus ſcripta ſunt Eſdram adjeciſſe fama eſt. Theodoretus cenſet, etiam totum librum longè poſt mortem Ioſuæ fuiſſe collectum ex antiquo commentario, cui titulus fuit *Liber juſtorum*, adductus verbis cap. 10. *Nonne hæc ſcripta ſunt in libro Juſtorum.*** Conſtat capitibus 24. & continet Hiſtoriam annorum 18. videlicet à morte Moſis uſque ad mortem Joſuæ. Deſcribit Hiſtoriam. 1. introductionis Iſraelitarum in terram Canaan Duce Joſuâ. 2. debellationis Cananæorum. 3. diſtributionis terræ inter Iſraeliticas tribus. Poteſt etiam dividi in Hiſtoriam rerum à Joſua geſtarum. 1. belli. 2. pacis tempore. Continet verſus 645.

7. Iudicum 126. *7. Liber Iudicum*, Hebr. שופטים. Græcis *κριταὶ*. De autore intermedio hujus libri nihil certi conſtat. Hugo Cardinalis in prologo ſuper hunc locum ſcribit, *quemvis Iudicum ſuorum temporum res geſtas in acta retuliſſe. Samuelem autem vel Ezram, vel Ieremiam, vel Ezechiam potiùs in unum volumen iſthæc collegiſſe.* Conjecturam de Ezechia confirmat illud, quod amanuenſes ejus quædam Salomonis proverbia in unum contuliſſe dicuntur, Proverb.25. verſ.1. Vocatur liber Judicum, quia continet res geſtas ſub Judicum regimine. Deſcribit ſtatum Politiæ Iſraeliticæ à morte Joſuæ uſque ad Sacerdotium Eli, quomodo interea temporis Iſraelitæ apoſtaſiâ ſæpiùs iteratâ à Deo defecerint & propter eam debitis pœnis à Deo affecti fuerint, ſed poſt ſuam ad Deum converſionem per manum Judicum ex diverſis tribubus divinitùs excitatorum à poteſtate hoſtium fuerint iterum liberati. Auguſt.lib.18.de Civit. Dei cap.13. *Temporibus Iudicum alternaverunt apud populum Dei, & humilitates laborum pro eorum peccatis & proſperitates conſolationum propter miſerationem Dei.* Capitibus conſtat 21. & continet Hiſtoriam 299. annorum, quia à morte Joſuæ uſque ad mortem Athnielis numerantur anni 40. Jud.3.v.11. à morte Athnielis uſque ad mortem Ehud & Samgar anni 80. Iud.3.v.30. à morte Ehud & Samgar uſque ad mortem Deboræ anni 40. Iud.5.v.31. à morte Deboræ uſque ad mortem Gideonis anni 40. Iud. 8. v.28. à morte Gideonis uſque ad mortem Abimelechi anni 3. Iud.9.v.22. à morte Abimelechi uſque ad mortem Thola anni 23. Iud.10. v.2. à morte Thola uſque ad mortem Gair anni 22. Iud. 10. v.3. à morte Gair uſque ad mortem Jephtah anni 6. Iud.12.v.7. à morte Iephtah uſque ad mortem Ebzan anni 7. Iud. 12. v.9. à morte Ebzan uſque ad mortem Elom anni 10. Iud.12. v.11. à morte Elom uſque ad mortem Abdon anni 8. Iud.12.v.14. à morte Abdon uſque ad mortem Simſonis anni 20. Iud.16.v.31. à morte Simſonis uſque ad Sacerdotium Eli annus unus, hi anni omnes in unam ſummam collecti efficiunt 299. annos. Poteſt hic liber juxta numerum 12. Iudicum, quorum originem, vitam & res geſtas deſcribit, in totidem partes diſpeſci. Uſum ejuſdem Hieronymus Epiſtol. 103. ad Paulinum hiſce verbis exprimit : *In Iudicum libro quot Principes populi, tot figuræ ſunt.* Verſus continet 600.

127. 8. *Ruth* Autor hujus libri ignoratur. Capitib. conſtat 4. in quibus deſcribit Hiſtoriam Ruthæ Moabitidis, quomodo populo Dei per matrimonium cum Booz Davidis atavo inſerta fuerit, atque hac ratione in genealogia Salvatoris, propter quam hæc Hiſtoria potiſſimùm annotata eſt, locum obtinuerit. Sandæus Ieſuita in themate ſeculari de deſerenda Synagog. proteſtant. th.27. Proteſtantibus tribuit, *quod librum Ruth è ſacro Canone abraſerint.* Sed aut inſigniter fallitur, aut audacter mentitur, nemo enim noſtrûm negat librum Ruth eſſe Canonicum. Quo tempore Hiſtoria in hoc libello deſcripta contigerit, de eo variant interpretum ſententiæ. Chaldæus Paraphraſtes dicit, *Ruth fuiſſe filiam Eglon Regis Moab*, *cujus* mentio fit Iud. 3. v.12. Sed nullâ Scripturæ autoritate id probatur, nec veriſimile eſt, quod filia Regis peregrini hominis filio nubere & relictâ patriâ & avitâ regione panis quærendi causâ in aliam terram concedere voluerit R. D. Kimchi in cap.1. Ruth & alii ex Rabinis ſtatuunt, *Booz, qui Rutham in uxorem duxit, fuiſſe Iudicem illum, qui Iudic.12. v.8. vocatur* אבצ *Ebzan*, qui ſcilicet Iephtam proximè fuit ſecutus. Tremellius ex collatione Matth.1.v.5.& finis hujus libri oſtendere conatur, tempore Deboræ hanc Hiſtoriam contigiſſe. Contrà verò Auguſtinus libr.2. de doctrin. Chriſt. cap.8. ad Regum principia tempus hujus Hiſtoriæ refert, cum quo ferè coincidit, quod Ioſeph. libr.5. antiq. & Hugo Cardinalis ad Heli Sacerdotis tempus eam revocant. Sed Hiſtoria Ruthæ videtur antiquior, ſcribitur enim facta in diebus unius Iudicis, eorum ſcilicet qui in libro judicum deſcribuntur. In re dubia præſtat *ἐπέχειν*, quàm temerè aliquid definire. Poteſt Hiſtoria hujus libri diſtribui in *προηγούμενα, τὸ πραχθὲν* & *τὰ ἑπόμενα* nuptiarum inter Booz & Rutham viduam contractarum. Verſus continet 85. 8 Ruth.

128. 9. *Libri duo Samuelis.* Autor gloſſæ ordinariæ ſtatuit, primum librum fuiſſe conſcriptum à Samuele uſque ad partem eam, in qua mors ipſius commemoratur cap.25. reliqua autem, ut & ſecundum à Davide fuiſſe addita, quæ ſententia à quibuſdam confirmatur ex 1. Paralip.29. v.29. Dicuntur ergo libri Samuelis, tum *ratione cauſæ efficientis* inſtrumentalis, quia bona eorum pars à Samuele ſcripta, *tum ratione materiæ & objecti*, quia Hiſtoria Samuelis in priore parte libri primi deſcribitur. In poſteriore primi parte, ut & in ſecundo libro acta primorum Regum Iſraeliticorum Saulis & Davidis deſcribuntur, unde etiam apud Græcos & Latinos primus & ſecundus Regum dicuntur. Quidam à Nathane & Gad Prophetis partem poſteriorem libri primi & librum ſecundum ſcriptum arbitrantur. Primus Samuelis conſtat capitibus 31. & continet Hiſtoriam 80. annorum, videlicet ſub Heli. 40. 1. Samuel.4. v.18. ſub Samuele & Saule itidem 40. Actor.13.v.21. Pro ratione objectorum, in quibus deſcribendis occupatur, dividi poteſt in tres partes, videlicet in Hiſtoriam. 1. *Samuelis* ultimi Iudicis. 2. *Saulis* primi Regis. 3. *Davidis* in Saulis locum eje- 9. duo Samuelis.

cti. Secundus conſtat capitibus 24. & continet Hiſtoriam 40. annorum ſub regno Davidis 2. Samuel. 5. v. 4. & 5. Dividi poteſt juxta ſtatum regni Davidici, cujus exponit. 1. initium. 2. incrementum. 3. finem. Primus habet verſus 797. Secundus 679.

10. duo Regum.

129. 10. *Libri duo Regum.* Hebræis מְלָכִים. Græcis & Latinis *tertius & quartus Regum*, quia primum & ſecundum Samuelis itidem libris Regum accenſent. Hiſtoria Regum à diverſis Prophetis fuit conſcripta, quis verò in unum volumen & compendium quoddam eandem congeſſerit, certò ſciri ac definiri nequit. Plerique Eſdræ illud tribuunt. ** Procoplus Gazæus, R. Kimchi & Iſidorus, Jeremiam hoc opus in unum volumen congeſſiſſe tradunt, quia poſtremum caput libri Regum cum ultimo capite libri Jeremiæ ſtylo, verbis ac narratione convenit. Apparet verò hoc volumen per compendium fuiſſe collectum partim ex libris dierum Regum Juda & Iſraël, partim ex Nathan Prophetæ, Ahiæ Silonitis, Addo Videntis & Semeiæ, Hozai, Iehu & Eſaiæ Prophetarum ſcriptis ſæpiſſimè in 3. & 4. libro Regum citatis. ** Propheticis libris utrumque annumerandum eſſe, docet Auguſtinus lib. 17. de civit. Dei cap. 1. Primus liber Regum capitibus conſtat 22. & continet Hiſtoriam 118. annorum, videlicet 40. ſub Salomone 1. Regum 11. v. 42. 78. ſub reliquis Regibus Juda, quia Rehabeam Salomonis filius regnavit. 17. annis 1. Regum 14. v. 21. Abiam 3. annis 1. Regum 15. v. 2. Aſſa 41. annis. 1. Regum 15. v. 10. Joſaphat ſolus. 17. annis. 1. Reg. 22. v. 52. hi in unam ſummam redacti conficiunt 78 annos, adde 40. annos Salomonis, & emergent anni. 118. Nec ſolùm quinque illorum Regum Juda, ſed etiam octo Regum Iſrael ſpecialiter ſic dictorum Hiſtoriam deſcribit, videlicet Jerobeami, qui 22. annis imperavit 1. Regum 14. v. 20. Nadabi, qui 22. annis 1. Regum 15. v. 33. Baeſæ, qui 24. annis. 1. Regum 15. v. 33. Ellæ, qui duobus annis 1. Regum 16. v. 8. Simri qui diebus ſeptem 1. Regum 16. v. 15. Thibni qui cum Amri 4. annis, Amri, qui ſolus 8. annis & in univerſum 12. annis 1. Regum 16. v. 23. & Achabi, qui 22. annis imperavit 1. Regum 16. v. 29. Juxta Hiſtoriam horum Regum diſtributio libri inſtitui poteſt. Nec incommodè diſtribueretur in duas partes, quarum prior deſcribit regnum Iſraeliticum in flore conſtitutum ſub Salomone. poſterior ejuſdem declinationem ſub Regibus Iſraël ſpecialiter ſic dictis & Regibus Juda. Secundus liber Regum conſtat capitibus 25. & continet Hiſtoriam 320. annorum, deſcribit enim res geſtas 16. Regum Judæ (videlicet Jorami, qui imperavit ſolus 8. annis, cum parente autem Joſaphato 4. annis 2. Regum 8. v. 17. Ahaſiæ, qui anno 1. 2. Regum 8. v. 26. Athaliæ matris Ahaſiæ, quæ 6. annis 2. Regum 11. v. 3. Joas qui 40. annis 2. Regum 12. v. 1. Amaziæ, qui 29. annis, ex quibus 12. exilio ejus tribuendi 2. Regum 14. v. 2. Aſariæ ſive Uſiæ, qui 52. annis 2. Regum 15. v. 2. Jotham, qui 16. annis 2. Regum 15. v. 33. Ahas, qui itidem 16. annis 2. Regum 16. v. 2. Hiſkiæ, qui 29. annis 2. Regum 18. v. 2. Manaſſæ qui 55. annis 2. Regum 21. v. 2. Amonis, qui 2. annis 2. Regum 21. v. 9. Joſiæ, qui 31. annis 2. Regum 22. v. 1. Joahas, qui 3. menſibus 2. Regum 23. v. 31. Jojakim, qui 11. annis 2. Regum 23. v. 36. Jojachin qui 3. menſibus 2. Regum 24. v. 8. & Zidekiæ, qui 11. annis imperavit 2. Regum 24. v. 18.) ac 12 Regum Iſrael (videl. Ahaſiæ, qui 1. anno imperavit 1. Regum 22. v. 52. Jorami, qui 12. annis 2. Regum 3. v. 1. Jehu qui 28. annis 2. Regum 10. v. 36. Joahaſi qui 17. annis, quindecim ſcilicet ſolus & duobus cum filio 2. Regum 13. v. 1. Joaſi, qui 16. annis 2. Regum 13. v. 10. Jerobeami, qui 41 annis 2. Regum 14. v. 23. Sachariæ, qui 6. menſibus 2. Regum 15. v. 8. Sallum qui uno menſe 2. Regum 15. v. 13. Menahem, qui annis 10. 2. Regum 15. v. 17. Pekaiah, qui 2. annis 2. Reg. 15. v. 23. Pekah, qui 20. annis, 2. Reg. 15. v. 27. Hoſeæ, qui 9. annis liber imperavit 2. Reg. 17. v. 1. poſtea 9. annis fuit Regis Aſſyrii tributarius, atq; ab eo tandem in captivitatem abductus v 6.) Diſtribui poteſt juxta horum Regum ſeriem. Primus Regum continet verſus 809. Secundus 712.

11. duo Paralipomenon.

130. 11. *Libri duo Paralipomenon.* Apud Hebræos eſt tantùm unus liber qui vocatur דִּבְרֵי הַיָּמִים *verba dierum*, eò quod in illis deſcribantur ſigillatim geſta & facta Regum populi Iſraelitici, Münſterus reddidit *libros annalium*. Nec malè. Sunt enim annales teſte Gellio lib. 5. N. A. cap. 18. *cum res geſtæ plurium annorum obſervato cujusque anni ordine componuntur, ut tantummodo quid factum quoque anno ſit, demonſtretur.* Græci & Latini in duos eum diviſerunt, illis vocatur liber *παραλειπομένων*, q. d. *prætermiſſorum*, quia quædam in pentateucho, libris Joſuæ, Judicum, Samuelis & Regum vel omiſſa vel non plenè deſcripta ſummatim explicat; his verò liber *Chronicorum*, q. d. Chronologicum, quam appellationem Lutherus in Germanica Bibliorum verſione retinuit. De autore horum librorum nihil certi conſtat. R. Salomo & R. D. Kimchi, quorum Peruſchim in hos libros extant, in illorum principio aſſerunt, *ab Eſdra Legisperito eos fuiſſe conſcriptos*, quod confirmant argumento eo, quia eadem verba in principio libri Eſdræ extant, quæ in fine Paralipomenon habentur. Idem R. Salomo in comm. cap. 7. ſcribit. *Eſdram inveniſſe tres libros genealogiarum, ex quibus hunc congeſſerit.* Hieronym. in Epiſt. ad Paulin. eum vocat *inſtrumenti veteris epitomen*, eumque *talem ac tantum eſſe* ait, *ut ſi quis abſque illo ſcientiam Scripturarum ſibi voluerit arrogare, ſeipſum irrideat.* Et in Prolog. Galeato ſcribit, *illum eſſe totius divinæ Hiſtoriæ χρονικόν.* Hebræi illum collocant poſt Eſdræ libros, quia exiſtimant, illum ab Eſdra ſcriptum eo tempore, quo populus Iudaicus poſt captivitatem Babylonicam redierat in Ieruſalem, quod ex fine ſecundi libri colligunt. Quidam exiſtimant, hunc ipſum eſſe librum eum, cujus mentio fit 1. Regum 15. v. 23. quidam verò rectiùs ſtatuunt, non illum ipſum, ſed ejus duntaxat epitomen eſſe. Primus liber Chronicorum capitibus conſtat 29. ac potiſſimùm agit de rebus ante diviſionem regni Iſraëlitici geſtis, continet Hiſtoriam annorum 2985. videlicet à creatione mundi uſque ad regnum Salomonis. Diſtribui poteſt in duas principales partes, quarum prior agit de genealogiis, poſterior de Hiſtoria Saulis & Davidis. Secundus capitibus conſtat 36. ac deſcribit Hiſtoriam ab initio regni Salomonis uſque ad reditum ex captivitate, qui incidit in primum annum Cyri Perſarum Regis. Continet

Hiſto-

Hiſtoriam annorum 472. videlicet ab imperio Salomonis uſque ad liberationem ex captivitate Babylonica. Diſtribui poteſt in duas principales partes; quarum prior agit de incremento & flore regni Iſraelitici ſub Salomone, poſterior de ejuſdem incremento & ruina ſub Regibus Iſrael & Juda. Quòd ſi libros Samuelis, Regum & Paralipomenon conjunctim conſideremus, continent Hiſtoricam narrationem; quomodo regnum Iſraeliticum cœperit ſub Samuele, profecerit ſub Davide, floruerit ſub Salomone ac defecerit ſub Zedekia, ſicque durarit fermè 565. annos.

12. Duo Eſdræ. 131. 12. *Duo libri Eſdræ.* Apud Hebræos pro uno volumine computantur, teſte Hieronymo in Epiſtol. ad Paulinum & Lactantio lib. 4. Inſtit. cap. 11. ubi ex Eſdræ libro allegat, quæ in ſecundo Eſdræ ſive Nehemiæ libro cap. 9. extant. Idem Lactantius dict. loc. Eſdram vocat *Prophetam*, ſed Auguſtinus libr. 18. de civit. Dei cap. 36. dubitat, *an Propheta dici debeat*. Græci & Latini in duos libros dividunt, ac priorem Eſdræ, poſteriorem Nehemiæ aſſignant. Eſdra fuit Scriba Legis peritiſſimus Eſdr. 7. v. 1. 6. & 11. quem Hieronymus tradit fuiſſe Joſedech, cujus filius fuit Jeſus Sacerdos magnus. Confer Ludovicum Vivem in libr. 18. de civit. Dei. cap. 36. ** Primus liber Paralipomenon eum vocat Joſedech, Hebræi Malachiam ultimum Prophetarum eſſe putant. ** Nehemiam Munſterus vult eſſe eum, qui Eſdr. 2. v. 63. vocatur Hattirſchata, quod *pincernam* ſignificat. Rab. Aben Exra dicit, in Chaldaica lingua eſſe nomen dignitatis. Tremellius interpretatur *Commiſſarium ſeu Legatum Regis.* Fuit autem Nehemias filius Helciæ pincerna Regis Artaxerxis Mnemonis Nehem. 2. v. 1. regnantis Suſis Perſiæ metropoli, quam à Dario Hyſtaſpis ædificatam fuiſſe Plinius libr. 6. N. H. cap. 27. & Athenæus libr. 12. Dipnoſoph. ſcribunt, ubi celeberrimam Bibliothecam fuiſſe Metaſthenes & alii Hiſtorici tradunt. Primus liber Eſdræ capitibus conſtat decem & continet Hiſtoriam annorum 146. videlicet ab edicto Cyri uſque ad annum 19. Artaxerxis Mnemonis. ** Secundus hic liber tribuitur Eſdræ (cùm tamen à Nehemia ſcriptus ſit) ob duas cauſas. 1. quod ea contineat, quæ ſimul ab Eſdra & Nehemia geſta ſunt 2. quod utrique libri apud Hebræos in unum connectantur volumen, apud Latinos in duo diviſum. ** Deſcribit Hiſtoriam reditus Judæorum ex captivitate Duce Zorobabele & reædificationis templi cum inſtauratione divini cultus inter plurimas difficultates. Partes ejus ſunt duæ: 1. De Judæorum ex Babylonica captivitate in patriam reverſione. 2. De divini cultus & politiæ Iſraeliticæ inſtauratione. Templum reſtauravit Zorobabel, cultum Eſdras, urbem Nehemias. Secundus liber Eſdræ, dictus alias liber Nehemiæ, capitibus conſtat 13. & continet Hiſtoriam annorum 55. videlicet ab anno 20. Artaxerxis uſque ad regnum Darii ultimi. Deſcribitur in eo Hiſtoria ædificationis murorum & portarum urbis, itemque eorum, quæ ad emendationem Iſraeliticæ Reipublicæ à Nehemia ſaluбriter inſtituta, in quas duas partes commodè dividi poteſt.

13. Eſther. 132. 13. *Eſther.* Hebræis vocatur מְגִלַּת אֶסְתֵּר *volumen Eſthera.* Melito in Epiſt. ad Oneſimum apud Euſebium lib. 4. cap. 25. Athanaſius in Synopſi & Nazianzen. in carm. de ſcript. ex Canone hunc librum excludunt, ſed Hebræi & primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ Dd. reliqui unanimi ſuffragio agnoſcunt, eum eſſe Canonicum. De additamentis igitur ſive appendice priores illi loqui videntur. ** Sixt. Senenſ. libr. 1. Biblioth. pag. 5. putat, ideo Eſtheris mentionem non eſſe factam, quia nondum temporibus illis firma eſſet apud omnes Eccleſias hujus libri autoritas** De autore hujus libri variant ſententiæ. Iſidorus ab Eſdra eum conſcriptum ſtatuit; ſed Euſebius in Chronicis autumat, ejus autorem fuiſſe Eſdra poſteriorem. Philo Judæus in Chronolog. eum tribuit Joachimo Hebræorum Pontifici Jeſu Sacerdotis magni filio. Patres Latini à Mardochæo eum ſcriptum ſtatuunt, quibus favet cap. 9. v. 20. & 23. Capitibus conſtat 10. & continet Hiſtoriam 10. vel ut alii volunt 20. annorum. Deſcribit ea, quæ obtigerunt Judæis, qui in patriam non fuêre reverſi, ſed in regno Perſico ſubſiſterant, tempore Regis Ahaſveros, qui in profanis Hiſtoriis Xerxes Darii Hyſtaſpis filius appellatur. Cumprimis verò Eſtheræ Hiſtoriam pertractat, per quam regio connubio honoratam periculum Judæorum cervicibus imminens mirabili Dei providentiâ & diſpoſitione fuit averſum. Cumque Comœdiam quaſi quandam proponat, ideò in protaſin, epitaſin & cataſtrophen hæc Hiſtoria commodè dividi poteſt.

133. 14. *Iobus.* De eo plurimùm variant Interpretes, tùm Judæi, tùm Chriſtiani. Rab. Moſche Ben Maimon in More Nebuchim part. 3. ſect. 22. negat, Jobum unquam fuiſſe in rerum Natura, ideoque parabolam tantum ſeu exemplum eſſe cenſet. Hebræi in Thalmud. ordin. 4. tractat. 3. librum Iobi non habent in divinis voluminibus, nec ipſum putant inter homines vixiſſe. Sed refellitur hæc opinio teſtimonio Ezechielis cap. 14. verſ. 14. cui conforme eſt, quod Iacob. 5. verſ. 11. habetur. Bellarminus libr. 1. de verbo Dei cap. 5. in ſocietatem hujus erroris pertrahere conatur Lutherum, propterea quod in conviv. ſermon. tit. de Patriarchis & Prophetis aſſerat, *ſe non credere ita omnia eſſe geſta, ut in libro Iobi narrantur*; ac tit. de libr. Vet. & Nov. Teſtam. dicat, *librum Iobi eſſe velut fabula argumentum ad proponendum exemplum patientiæ.* Sed reſpond. 1. liber ille convivalium ſermonum à Luthero nec viſus, nec lectus, nec approbatus eſt, quin multoties privato quorundam arbitrio mutatus, mutilatus, auctus, id quod fidem authenticam illi meritò derogat. 2. Lutherus ipſe monet, ea quæ in familiaribus illis colloquiis convivalibus protulit, non eſſe habenda pro fidei articulis, ut refert Selnec. in præfat. illorum ſermonum. 3. In verſione Bibliorum Germanica librum Iobi inter Canonicos retulit & ab apocryphis diſtinxit. 4. truncatè verba Lutheri citantur; additur enim ibidem. *Exiſtimo librum Iobi eſſe veram Hiſtoriam.* Item, *interim in rei veritate & in ipſo facto ita contigit.* 5. dubitat duntaxat Lutherus, an omnia externo ſermone Iob protulerit, an verò quædam cogitarit. Nam in tentationibus & anguſtiis pauca ſolent exterius proferri, nec in hunc modum conſuevit diſſeri. Cenſet igitur 14. Iobus.

à viro aliquo docto tempore Salomonis, vel etiam ab ipſo Salomone omnia in hunc ordinem eſſe redacta. 6. De ordine proinde ac modo tractationis verba Lutheri accipienda, quale πρωθύστερον in Scripturis non eſt infrequens. 7. Vocem fabulæ non pro fictitia narratione uſurpat Lutherus, ibidem enim veram Hiſtoriam vocat, ſed pro argumento Comœdiæ eodem ſenſu, quo Hiſtoria Joſephi in Comœdiæ formam redacta fabula & argumenta fabulæ appellari conſuevit. 8. Recognoſcat Bellarminus ſua verba libr. 1. de verbo Dei cap. 9. §. At Hieronymus. *Veteres interdum nomine fabularum non res fictas, ſed veras narrationes appellant, quomodo Lucæ ultim. dicitur, Et factum eſt, dum fabularentur. Minutius Felix initio Dialogi, quem Octavium inſcripſit, fabulam vocat veram quandam narrationem neſcio cujus navigationis.*

134. Sed redeamus ad Jobi librum. R. Iſaac exiſtimat, Jobum hunc fuiſſe Jobabum Idumæorum Regem, cujus mentio fit Geneſ. 36. v. 34. Quamvis verò R. Aben Ezra in comment. dict. loc. hanc ſententiam irrideat, nec Hieronymo in qq. Hebraic. ſuper Geneſ. illa probetur, D. Zehnerus tamen eandem confirmat argumentis non contemnendis. 1. *Ex circumſtantiis locorum.* Jobab vixit *in terra Idumæorum* Geneſ. 36. v. 33. Jobus *in regione Uzitide* Iob. 1. v. 1. quæ fuit primarius regni Edomitici tractus Thren. 4. v. 21. unde Reges Edomitici vocantur Uzzi. Ierem. 25. v. 21. quod ipſum probatur ex Chaldæorum & Arabum finitimorum irruptione. 2. *Ex deſcriptione honorum publicorum.* Iobabum fuiſſe regiâ majeſtate illuſtrem teſtatur Moſes Geneſ. 36. v. 33. Iobum itidem fuiſſe principali dignitate conſpicuum teſtimonio ſunt tùm opes, quæ tantâ ipſi attribuuntur copiâ, quanta in hominem privatum vix cadere poteſt Iob. 1. v. 2. & ſeqq. tùm encomium illud, quod omnibus Orientalibus illuſtrior vocatur verſ. 3. tùm dignitas, quod Principes ipſi aſſurrexerint, cap. 29. v. 9. tùm habitus, quod diademate fuerit redimitus. verſ. 14. tùm officium, quod liberaverit pauperem vociferantem & pupillum, cui non erat adjutor. verſ. 12. Suidas eum vocat *μόνον εὐγενῆ τῶν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν τὸν πλουτὸν καὶ τιμιώτατον.* 3. *Ex ſimilitudine nominum.* Quemadmodum Moſes inter Eſavi liberos Eliphæ cujuſdam nomen recenſet, qui principem Themanem cognominis oppidi conditorem procreaverit Geneſ. 36. v. 10. & 15: ita in Hiſtoria Iobi ejuſdem Eliphæ Themanitæ nomen repetitur. Ipſum eſſe Iobi nomen videtur contractum ex nomine Iobabi. 4. *Ex ſupputatione temporum.* Iobum fuiſſe Moſaicis temporibus antiquiorem colligi poſſe videtur ex ipſius longævitate. Ætas enim ejus longè altiùs aſſurgit quàm ad terminum à Moſe præfixum Pſalm. 90. v. 10. Poſt plagas enim 140. annis vixit, & antea vixerat multos annos, cùm 7. filios & tres filias genuerit. Iſidorus libr. de vit. & mort. Patriarch. cap. 24. ſcribit, Iobum vixiſſe 248. annos, ad quam ætatem tempore Moſis nemo perveniebat. 5. *Ex ſuffragio variorum autorum.* Tob. 2. v. 15. Iobi amici & conſanguinei Regum appellatione honorantur. LXX. Interpp. ſub finem Iob. 42. diſertis verbis Regem Iobabum eum vocant. Verba ſic habent: οὗτος ἑρμηνεύεται ἐκ τῆς Συριακῆς βίβλου, ἐν μὲν γῇ κατοικῶν τῇ Αὐσίτιδι, ἐπὶ τοῖς ὁρίοις τῆς Ἰδουμαίας, καὶ Ἀραβίας, προϋπῆρχε δὲ αὐτῷ ὄνομα Ἰωβάβ. λαβὼν δὲ γυναῖκα Ἀράβισσαν γεννᾷ υἱὸν, ᾧ ὄνομα Ἐννών. ἦν δὲ αὐτὸς πατρὸς μὲν Ζαρὲ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν υἱὸς, μητρὸς δὲ Βοσόῤῥας, ὥστε εἶναι αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Ἀβραάμ. καὶ οὗτοι οἱ βασιλεῖς οἱ βασιλεύσαντες ἐν Ἐδὼμ, ἧς καὶ αὐτὸς ἦρξε χώρας. πρῶτος Βαλὰκ ὁ τοῦ Βεὼρ, καὶ ὄνομα τῇ πόλει αὐτοῦ Δενναβά. μετὰ δὲ Βαλὰκ Ἰωβὰβ ὁ καλούμενος Ἰώβ. Et poſtea: οἱ δὲ ἐλθόντες πρὸς αὐτὸν φίλοι, Ἐλιφὰζ τῶν Ἡσαῦ υἱῶν Θαιμανῶν βασιλεύς· Βαλδὰδ ὁ Σαυχαίων τύραννος· Σωφὰρ ὁ Μιναίων βασιλεύς (quæ tamen nec in Hebræo extant, nec ab Aquila & Symmacho fuêre adjecta, ſed tantum à LXX. Interpp. & Theodoſione) quibus verbis Iobum in confinibus Idumææ atque Arabiæ habitaſſe, Eſavi pronepotem, quintum Abrahæ ἀπόγονον, Idumææ Regem atque antea Iobabum appellatum fuiſſe, denique amicos ejus Elipham, Bildad & Sophar ſuæ quemque ditionis Regem fuiſſe aſſerunt. Ariſteas Ethnicus ſcriptor Ptolemæi Philadelphi Ægyptii Regis σύγχρονος totam penè Iobi Hiſtoriam conſignavit, eumque non modò ex poſteris Eſavi oriundum, verùm etiam ante acceptam calamitatem Iobabi nomine inſignitum fuiſſe memoriæ prodidit. Philo cõmemorat, quod *Dinam Iacobi filiam* à Sichemo priùs conſtupratam in uxorem duxerit, Euſebius libr. 1. demonſtr. Evang. cap. 5. demonſtrans, plurimos etiam ante legem Moſaicam juſtificatos fuiſſe, poſt Abrahæ mentionem Iobi àtnepotis exemplum ſubjicit: *Quin & Iobus* (inquit) *Scriptura teſtimoniis ante Moſis tempora vir juſtus, verax, inculpatus & ab omni malitia alieniſſimus perhibetur. Moſes enim in genealogia ſeptimus ex Abrahamo numeratur, hic verò quintus, ita ut duobus ſeculis Moſen antecedat.* Ambroſius in comment. cap. 9. Epiſtol. Rom. *Iobum ex filiis Eſau, quintum ab Abrahamo aſſerit*, & multos ex Eſavi progenie ad veram fidem converſos ac ſervatos fuiſſe illius exemplo confirmat. Auguſtinus libro 18. de civit. Dei cap. 47. *Si negant* (Iudæi) *quempiam ad Deum pertinuiſſe præterquam Iſraëlitas, faciliimè convincuntur de ſancto & mirabili viro Iob, qui nec indigena, nec proſelytus, id eſt, advena populi Iſrael fuit, ſed ex gente Idumæa genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus eſt, qui divino ſic laudatur eloquio, ut quod ad juſtitiam pietatemque attinet, nullus ei homo ſuorum temporum coæquetur. Quæ tempora ejus quamvis non inveniamus in Chronicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro ſui merito Iſraëlitæ in autoritatem Canonicam receperunt, tertiâ generatione poſteriorem fuiſſe quam Iſrael.* Lutherus in comment. Geneſ. 22. ab hac ſententia diverſum ſtatuere videtur, ſed in comment. Geneſ. 36. quando genealogiam Regum Idumæorum explicat, Ambroſii & Auguſtini opinionem non planè rejicit, *ſed multas ejus conjecturas eſſe, eamque in Hiſtoria pulcrè convenire teſtatur.* In Chronicis Iobum ſeu Iobabum Seræ filium, Raguelis nepotem inter Eſavi poſteros retulit, & in Bibliis Germanicis ad cap. 1. Iobi annotat, Iobum eſſe Iobab Regem Edom Geneſ. 36.

135. Opponitur huic ſententiæ: 1. *Scriptionis*

nis diverſitas, quia *alterum nomen à fronte per Aleph, alterum per Iod ſcriptum legitur*, quo argumento Lyranus ab hac ſententia ſe retractum aſſerit, ſed reſponderi poteſt, in uno eodemque Hebræorum idiomate frequentiſſimam eſſe illam literarum permutationem, ac longè procliviorem illam eſſe in iſtis appellationibus, quæ ex Hebraica in Aramicam, Idumæam aut ſimiles Dialectos commigrarunt. Præterea ſanctis Patribus uſitatiſſimum fuit mutatâ fortunâ; ſua & ſuorum nomina immutare, ut conſtat exemplo Abrahæ Geneſ.17. v.5. Naëmis Ruth.1. v.20. Fieri ergò potuit, ut qui rebus adhuc florentibus Jobabus duplicatâ mediâ nominatus fuerit, poſtea ad extremas redactus anguſtias ob fortunam adverſam voce conciſâ & decurtatâ Jobus tantum diceretur. Quòd ſi vel maximè ratio immutati nominis dari non poſſet, tamen ſententiæ huic nihil decederet, cùm in Scripturis multi binomines reperiantur. 2. *Hieronymi autoritas*, qui in trad. Hebraic. ſuper Geneſ. eandem repudiat. Sed reſp. poteſt, Hieronymum ſecutum fuiſſe Rabinos, qui ſæpiſſimè ſcientes ac volentes ipſi impoſuerunt; ut oſtendit Capnio. libr. 2. de rudim. Hebr. Adde quòd ex Epiſtol. ad Evagrium, in qua Sacerdotibus ante Leviticam tribum Jobum de ſtirpe Eſau quoque annumerat & ex præfatione libro Jobi præfixa, quæ ex LXX. Interpp. coronide ad verbum penè translata eſt, manifeſtè appareat, Hieronymum ab hac ſententia non fuiſſe penitus adverſum.

136. Interim non diffitemur, Hieronymum aliis in locis, cumprimis verò in qq. Hebr. tom. 4. fol. 96. & Lyranum in Job. ſtatuere, *quod Iobus fuerit agnatus Baleami & utriusque originem referre ad Nachorem Abrahami fratrem*; cùm Jobus dicatur habitaſſe in terra Uxea Job. 1. v. 1. Uzus autem dicatur fuiſſe Nachoris filius Geneſ. 22. v. 21. ſed tractus ille non à poſteriore quodam Abrahami coætaneo; verùm ab Uzo Arami filio, Semi nepote ſtatim poſt diluvium denominationem accepiſſe videtur Geneſ. 10. v. 23. R. Aben Ezra quamvis neget Jobum eſſe Jobabum illum Idumæorum Regem, cujus Moſis mentionem facit, tamen ſtatuit; Jobum fuiſſe ex familia Eſavi, argumento eorum, quæ habentur Thren. 4. v. 21. Ipſum nomen Iobi quidam, ut jam antè diximus, volunt eſſe contractum ex Jobab, quidam verò deducunt ab Hebræo אוב quod Magum & Sapientem ſonat, interjectâ tamen literâ prima ex nomine Jehova, ne profanè ſapiens putaretur. Quidam ab איב quod odiſſe ſignificat; cùm Jobus fuerit oſor ſeu hoſtis omnis impietatis & injuſtitiæ.

137. *De autore hujus libri* itidem plurimùm variant ſententiæ. Origenes lib. 1. in Jobum ſtatuit, *Moſen librum Iobi apud Iethro ſocerum ſuum in Midian inveniſſe ac filiis Iſraël propoſuiſſe, ut patientiam ex eo diſcerent*, quâ de re pluribus tractat Sixtus Senenſ. libr. 1. Biblioth. pag. 9. ſed monuimus ſuperiùs, veriſimilius eſſe; quod Moſes ſit antiquiſſimus ſcriptor inter omnes Canonicorum librorum autores, quodque Deus ipſe auguſtum ſcriptionis Canonicæ initium, in promulgatione legis ſuæ fecerit. R. Salomon & alii ex Hebræis Moſi hujus libri ſcriptionem tribuunt. Si enim Jobus eſſet hujus libri autor, primus ex ſcriptoribus ſacris non eſſet Moſes, ſed Jobus eſſet Moſe antiquior, nec fuiſſet in Canonem hic liber receptus; cùm Job non fuerit Iſraelita, ſed Idumæus, nec ſcriptus eſſet hic liber linguâ Hebræa, ſed Arabicâ. ** Quidam ab amicis Jobi vel ab aliquo Prophetarum *eum ſcriptum eſſe arbitrantur*. R. Levi Ben Gerſon in commentariis ſuper Jobum ſcribit, fuiſſe olim qui 11. poſteriora hujus libri capita, id eſt à 32. uſque ad ultimum rejicerent; propterea quòd in fine 31. in Hebr. eſt: *Finita ſunt verba Iob*. Sed idem R. Levi illorum ſententiam improbat, dicens verſiculum illum referendum non ad finem ſimpliciter omnium ſermonum Job, ſed ad finem duntaxat diſputationum, quas cum tribus amicis habuerat; poſt quas ſequuntur colloquia cum Elin amicorum 4.** Quidam contrà ipſi Jobo hunc librum tribuunt, cùm arduum locutionis genus ſectetur & heroicâ dicendi gravitate omnes antecellat Prophetas, ac phraſis ejus cum Syriaca & Arabica linguâ magnam cognationem obtineat. ** Poſt felicem ærumnarum ſuarum exitum per ſeipſum victorias ſuas ſcribendo implevit, quod maximè in calamitate ſua optaverat cap. 19. *Quis mihi tribuat, ut exarentur ſermones mei* &c. c. 31. *Quis mihi tribuat, ut deſiderium meum audiat omnipotens*. ** Sed utraque ſententia hoc modo conciliari poteſt, quod Jobus rerum ſuarum Hiſtoriam annotaverit linguâ Arabicâ; cujus indicia in quibusdam hujus libri capitibus, præſertim in amicorum colloquiis adhuc extant, Moſes autem in Hebræam linguam eandem tranſtulit ac principium & finem adjecit, quo ſenſu etiam dictum Origenis accipi poteſt. Ex eodem fundamento explicari poteſt argumentum; quod ex ſtyli diverſitate petitum huic ſententiæ opponitur. In Moſe (inquiunt) nativa ſermonis Hebraici proprietas elucet, quæ orationem ita perſpicuam & jucundam efficit, ut Numenius Philoſ. Pythagoricus Platonem eloquentiæ Atticæ Magiſtrum ob ſuavitatis Moſaicæ imitationem Μωϋσῆν ἀττικίζοντα cognominârit: Jobus verò magnam cum Syriaca & Arabica lingua cognationem habet, arduum locutionis genus ſectatur, ut heroicâ dicendi gravitate reliquos Prophetas omnes; atque ipſum quoque Eſaiam antecellat, unde Hieronymus ob unius Jobi lectionem præceptorem Lyddæum non exiguo precio ſe conduxiſſe fatetur, ac Lutherus in ejuſdem interpretatione Germanica tàm anxiè ſeſe laboraſſe ac deſudaſſe aſſerit, ut quamvis Philippi atque Aurogalli operâ uteretur, ſæpè tamen intra quatriduum vix tres lineolas abſolvere potuerit. Ex quo colligunt non Moſen; ſed ipſum Iobum poſt liberationem divinitùs impetratam res ſuas literis conſignaſſe atque ad poſteritatem tranſmiſiſſe. Verùm diſtinctio ſuperiùs tradita inter prima hujus libri rudimenta, & perfectam ejuſdem elaborationem huic dubio ſatisfacere poſſe videtur. ** Græci volumen Iobi dividunt in capita 32. Latini in 42. Sunt & qui apud Græcos idipſum in 20. colloquia diſtribuunt hoc ordine: Dei ad Diabolum, unum Iobi ad amicos novem: Eliphæ ad Iobum tria. Sophar ad Iobum duo. Baldad ad Iob tria. Eliu ad Iob unum. Dei ad Iob unum.

138. De nomine *uxoris Iobææ* in Scripturis ſacris nihil reperitur: Chaldæus paraphraſtes & Philo

Philo in antiq. Biblicis Dinam Jacobi filiam fuiſſe autumant, quæ ſententia congruit hypotheſi illi, quod Job fuerit Jobab Rex Edumæorum. Poſtquam Dinæ à Sichemo in ipſo ætatis flore, anno ſcilicet ætatis 16. ſtuprum illatum erat, aliquantiſper innupta domi paternæ deſedit, ac poſtmodum ævo grandior Jobo in matrimonium elocata eſt. LXX. Interpp. ac Hieronymus Jobi conjugem ex Arabum gente originem duxiſſe perhibent, quas ſententias quidam hoc modo conciliant, quòd quemadmodum Moſes defunctâ Zipporâ Midianitide, uxorem Æthiopicam; ita Jobus poſt obitum Dinæ Arabicam fœminam duxerit, atque ex ea filium Ennonem ſuſceperit. Auguſtinus in Pſal. 55. de ea ſic diſſerit, *Admiſſus eſt tentator, abſtulit omnia, remanſit ille ſolus à facultatibus, ſolus à familia, ſolus à filiis, plenus Deo. Vxor ſanè relicta erat. Miſericordem putatis Diabolum, qui ei reliquit uxorem? Noverat, per quem deceperat Adam, ſuam reliquerat adjutricem, non mariti conſolatricem.*

139. Jobum verò ipſum magnis encomiis ornant pii veteres. Quamvis enim in primo tentationis congreſſu humani aliquid fuerit paſſus & ex impatientia diem nativitatis execratus διὰ τὴν ὑπερβολὴν τῆς θλίψεως, ut loquitur Juſtinus in reſp. ad orthod. q. 15. p. 242. poſteà tamen hoc παράπτωμα ſuum in vera pœnitentia agnovit & manibus ori impoſitis palinodiam cecinit, ac intermedio calamitatis tempore, quod Hebræi *ad menſes duodecim*, Suidas verò *ad ſeptem annos* extendunt, omnes Diaboli, uxoris & conſanguineorum, ut & propriæ carnis inſultus fide heroicâ fortiter devicit. Euſeb. lib. 1 ἀποδειξ. εὐαγγ. ipſum vocat τρισμακάριον. Suidas fol. 412. de ipſo ſic diſſerit, *ſolus hic eſt nobilis εὐγενὴς ab ortu uſque ad occaſum, hic inclitus ille & exoptatus τρισπόθητος, qui ſuorum certaminum in hoc poſtremum & ultimum lucrum tulit, quod unà cum Chriſto reſurrexit & hunc mundum denuo vidit, non ſecundùm fabulam Herculis & Admeti uxoris Alceſtidis, quam inclitus ille victor atque trinoctialis τριέσπερος pro marito defunctam excitavit; ſed pro inexplicabili Servatoris noſtri potentia, qui orcum ſpoliavit & mortuos è locis ſubterraneis eripuit, qui ſedet à dextris Genitoris una cum ſuis clientibus μετὰ τοῦ προσλήμματος & omnibus rebus conditis tam aſpectabilibus, quam inaſpectabilibus dominatur.* Deſumſit hoc Suidas ex appendice, quam LXX. Interpp. libro Jobi addiderunt, in qua ſic loquuntur: γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι μεθ᾽ ὧν ὁ κύριος ἀνίστησιν. *Mortuus eſt Iob ſenex & provectæ ætatis, ſcriptum eſt autem, eum reſurrecturum cum quibus Dominus reſurrexit*, ex quo apparet, quod oraculum Jobi 19 eo ſenſu acceperint, quod Jobus cum Salvatore ante univerſalem reſurrectionem ſit reſurrecturus. Chryſoſtom. homil. 5. ad Antiochenos memorat, ſuis temporibus (quibus peregrinationes ad loca ſancta frequentari cœperant) *multos longas & tranſmarinas peregrinationes à terræ finibus in Arabiam inſtituiſſe, ut ſimum illum cernerent, & conſpicati terram illam deoſcularentur, quæ Iobi victoris certamina & crucem omni auro precioſiorem ſuſcepiſſet.* Quinimò fama glorioſi illius certaminis & eam ſecutæ lætiſſimæ cataſtrophes non ſolùm ad conſanguineos Jobi, ſed etiam ad plurimas gentes longè latèque dimanavit, unde Ariſteas, Alexander, Polyhiſtor & alii ex Ethnicis Scriptoribus eandem libris ſuis inſertam voluerunt, quâ de re Euſebius lib. 9. præparat. Evangel. fol. 251. ſic diſſerit: *Ariſteas in Hiſtoria Iudaicâ affirmat, Iobum ex Eſavi liberis in Idumæa atque Arabia finibus habitaſſe, & cùm juſtitiâ tùm opibus præcipuum fuiſſe. Ipſe enim ſepties mille oves, ter mille camelos, juga boum quingenta, totidem aſinas ac mille inſuper agrorum jugera poſſedit. Atque hunc quidem Iobantes Ioabum nominatum, magnisque calamitatibus divinitùs tentatum fuiſſe. Primùm enim armenta ejus latrocinio ſublata, deinde oves flammis cœlitùs dejectis periiſſe, poſtremò filios ejus domo illapsâ expiraſſe atque eo die corpus ejus univerſum ulceribus repletum fuiſſe. Cumque ita malè affectus eſſet, Eliphaum Themanitarum Regem Baldat Sauchæorum Tyrannum & Sophar Minæorum Regem, cum Elihu Barachielis filio Zobite ad conſolandum eum acceſſiſſe. Quibus Iobum reſpondiſſe, ſponte ſuâ ſe paratum eſſe ita omnia ſufferre, ut à pietate in Deum nunquam removeatur. Ita propter hanc magnanimitatem ejus liberatum à morbo & ditiorem quàm priùs factum fuiſſe. Atque hæc quidem πολυΐστωρ.*

140. Liber Jobi in Eccleſia Chriſtiana maximi ſemper habitus. Hieronymus ad Paulinum tom. 3. fol. 7. de eo ſic loquitur: *Omnes leges Dialecticæ propoſitione, aſſumtione, confirmatione, concluſione determinat. Singula in eo verba plena ſunt ſenſibus.* Suidas dict. loco ait, quod Homericâ & Platonicâ luſcinia longè cantillet argutius & φυσιολογίαν ὅλης τῆς κτίσεως καὶ ζώων καὶ ὀρνέων φύσεις καὶ λαμπρά τινα διηγήματα complectatur. Summa totius libri eſt, *an etiam pii à Deo affligantur* quod Jobus affirmat, conſanguinei verò ejus negant. Capitibus conſtat 42. & poteſt diſtingui inſtar dramatos *in protaſin, epitaſin & lætam cataſtrophen*, ut interim veritati Hiſtoricæ nihil derogetur. Quidam dividunt *in Dialogum & Epilogum.* In Dialogo perſonæ colloquentes ſunt, Deus, Satan, Jobus, uxor Jobi, & quatuor ipſius conſanguinei, Eliphas, Bildad, Zophar, Elihu. Poëticis libris Veteris Teſtamenti haud immeritò annumeratur, teſtatur enim Hieronymus in præfat. Jobi, *Librum hunc ab initio tertii uſque ad lineam ſextam poſtremi capitis verſibus hexametris è ſpondæo & dactylo conſtare*, quamvis ratio metri nobis hodie ſit incognita.

141. 15. *Pſalterium.* Hebr. ספר תהלים *liber laudum divinarum.* Græcis ψαλτήριον ab instrumento Muſico dictum. Hilarius in præfat. ſuper Pſalmum 1. Chryſoſtomus homil. 1. in Pſalm. 50. & Lyranus in Pſalm. 1. ſtatuunt, *hujus libri non unum, & quidem Davidem, ſed alios plures fuiſſe autores, quorum aliqui longè ante Davidem vixerint, & ſuos hymnos ex antiquiſſimorum Patriarcharum ſcholis acceperint, eoſque ἀγράφως & ἀνεπιγράφους reliquerint, aliqui verò poſt Davidem vixerint*, unde quidam ratione autorum Pſalmos omnes in tres claſſes dividunt: Primam aſſignant Pſalmis, qui ipſum Davidem autorem agnoſcunt numero 124. Alteram illis, quorum autores ſunt filii Corah numero 12. Tertiam illis, quorum autor eſt Aſaphus itidem numero 12. quibus annumerandus Pſalmus unus Moſis, videlicet 90. *15. Pſalterium.*

& unus

& unus Ethan Eſraitæ videlic. 89. qui omnes collecti faciunt 150. Quidam decem autores hujus libri ſtatuunt, Davidem, Salomonem, Moſen, Aſſaph, Ethan, Eman, Idithum, & tres filios Coreth. **Hieron. ad Cyprian. ſtatuit Moſen. 11. Pſalmos ſcripſiſſe, h. e. à Pſalmo nonageſimo, cui titulus eſt, Oratio Moſis ſervi Dei, uſque ad Pſal. 100. qui prænotatur, in Confeſſione. Novem & 30. Pſalmi ſunt ἀνεπίγραφοι, ex quibus ſeptem ſub nomine Davidis citantur in divinis Scripturis. Pſalmus 2. Actor. 13. Pſalmus 117. 2. Reg. 22. Pſalmus 100. 1. Paral. 16. Pſalmus 105. 106. 117. 135. in 1. Eſdræ. Hieronymus in Epiſt. ad Sophronium & Cyprianum ſequutus Athanaſii ſententiam decernit errare eos, qui omnes Pſalmos Davidis eſſe arbitrantur & non eorum, quorum nominibus inſcripti ſunt. Erunt ergo juxta hanc ſententiam decem hujus voluminis autores, quorum nomina in titulis Pſalmorum ponuntur. 1. David. 2. Salomon. 3. Moſes. 4. Aſaph. 5. Ethan Ezrachi. 6. Eman Ezraita. 7. Idithum. 8. Tres filii Core. Sed Auguſtin lib. 17. de civit. Dei cap. 14. Davidi omnes tribuendos cenſet. *In Pſalmis*, inquit, *nonnulli volunt, eos factos eſſe à David, qui ejus nomine inſcripti ſunt. Sunt etiam qui putant, non ab eo factos, niſi qui prænotantur ipſius David, qui verò in titulis habent ipſi David ab aliis factos perſonæ ipſius fuiſſe coaptatos. Quæ opinio voce Evangelica ipſius Salvatoris refutatur, ubi ait, quod ipſe David in Spiritu Chriſtum dixerit eſſe ſuum Dominum, quoniam Pſal. 109. ſic incipit: Dixit Dominus Domino meo. Et certè eundem Pſalmus non habet in titulo ipſius David, ſed ipſi David, ſicut plurimi. Mihi autem credibilius videntur exiſtimare, qui omnes illos 150. Pſalmos ejus operi tribuunt, eumque alios prænotaſſe etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus, cæteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluiſſe, ſicut ei varietatis hujus diſpoſitionem, quamvis latebroſam, non tamen inanem Deus inſpiravit.* Quidam exiſtimant, Eſdram poſt captivitatem Babylonicam hos Pſalmos hinc inde diſperſos in unum volumen collegiſſe. Athanaſius in Synopſi antè captivitatem Babylonicam ab amicis Regis Ezechiæ id factum eſſe aſſerit. Chryſoſt. exiſtimat Eſdram poſt captivitatem Babylonicam hos Pſalmos hinc inde diſperſos in hoc volumen collegiſſe. Athanaſius verò in Synopſi id ante captivitatem ab amicis Regis Ezechiæ factum ſcribit, aſſerens eos ex Pſalmis Davidis, quos ipſe tria millia fuiſſe affirmat, 150. tantùm collegiſſe.

142. Pſalmi ſunt in univerſum 150. Qui enim in Græcis Codicibus adjicitur Pſalmus 151. non eſt in Canone, ut ſuo loco demonſtrabitur, quo de Pſalmorum numero extant hi leonini:
Ter quinquagenos David canit ordine Pſalmos. Verſus bis mille ſexcentos ſex canit ille. Conveniunt Hebræi & Græci in ſumma Pſalmorum, quos 150. utriq; numerant, verùm Græci (quos Latini ſequuntur) duos diſtinctos Pſalmos 9. & 10. conjungunt, hinc conſequenter Pſalmus undecimus juxta Hebræos, eſt decimus juxta LXX. Interpp. & latinam verſionem Pſalmum 114. & 115. juxta Hebræos, Latini iterum conjungunt & viciſſim 116. in duos dividunt. Ut autem numerum 150. Pſalmorum Latini compleant, ideò circa finem unum Pſalmum, qui apud Hebræos eſt 147. in duos dividunt. Videtur hic Græcorum & Latinorum error inde ortus, quod Pſalmus decimus ſit ἀνεπίγραφος, quodque litera Jod, quæ eſt literarum Hebræarum minima, tantùm ſit à Pſalmo 9. diſtinctus. Quis ergò literam iſtam Græci non obſervarunt, ideò duos Pſalmos in unum contraxerunt, quos poſtea ſecuti ſunt Latini. Genebrardus pro aſtruenda vulgatæ Latinæ verſionis numeratione ſtrenuè laborat, ſed nititur falſis hypotheſibus, exiſtimat enim diſtinctionem in textu Hebræo primùm antè trecentos annos à R. D. Kimchi eſſe factam, cùm tamen eadem in Pſalterio Hebræo Hieronymi inveniatur, ac ipſis Pſalmis coæva haud ſine ratione ſtatuatur, cumque diverſitas argumenti in Pſalmo 9. & 10. oſtendat, Pſalmos illos eſſe disjungendos, ſiquidem nonus agit de hoſtibus alienigenis, decimus de popularibus & domeſticis.

143. Ratione materiæ ſeptem Pſalmorum genera numerari poſſunt, in quorum quinque prioribus Deus nobiſcum agit, quod fit 1. per informationem, unde oriuntur Pſalmi διδασκαλικοὶ *informatorii*. 2. vel per conſolationem, unde παρακλητικοὶ *conſolatorii*. 3. vel per exhortationem, unde νουθετικοὶ ſeu παραινετικοὶ *exhortatorii*. 4. vel per prædicationem; unde προφητικοὶ *vaticini*. 5. vel per præteritarum rerum narrationem, unde ἱστορικοὶ *Hiſtorici*. Quando nos cum Deo agimus, fit illud 1. vel per precationem; unde εὐκτικοὶ *petitorii*, 2. vel per gratiarum actionem, unde εὐχαριστικοί. Hebræi dividunt Pſalmos in quinque [illegible] libros ſive partes, de quibus vide Hieronymum Epiſt. 134. ad Sophronium. Primus liber habet Pſalmos 41. priores. Secundus Pſalmos 31. à 42. ad 73. Tertius Pſalmos 17. à 73. ad 90. Quartus itidem 17. à 90. uſque ad 107. Quintus Pſalmos 73. à 107. uſque ad Pſalmum 150.

144. Pſalmos Davidis olim repudiabant Nicolaitæ & Gnoſtici, qui vocabant eos *humana Cantica*, teſte Philaſtrio in catal. hæreſ. cap. 127. De Samoſateno ſcribit Euſebius libr. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 25. *quod Pſalmos illos, qui in Chriſtum canebantur, tanquam recens excogitatos de Eccleſia ſuſtulerit.* Sed primitivæ Eccleſiæ Doctores unanimi ſuffragio hunc librum pro Canonico receperunt & inſignibus encomiis eundem ornarunt. Athanaſius in Epiſt. ad Marcellin. vocat *totius Scripturæ epitomen*. Baſilius in Pſalm: *univerſæ Theologiæ compendium & communem Medicam animarum officinam, commune promptuarium bonarum doctrinarum unicuique utile ſecundùm ejus affectus.* Auguſtinus appellat *tutelam puerorum, ornamentum juventutis, & ſenectæ ſolatium, regiſtrum & ſummarium totius paginæ Theologicæ*, Lutherus *parva Biblia & ſummarium V. Teſt. appellat.* Nos de dignitate & utilitate Pſalterii alicubi hos ſcripſimus verſiculos:

Quod Sol in cœlo eſt, inter tot Biblica ſcripta
Davidis Pſalmos Regis id eſſe reor.
Sol Planetarum ductor caligine pulsâ
Omnia cœleſti luce, calore fovet.
Sic mentis tenebras pellunt Davidica plectra
Atque animas vivis alloquiis amant &c.

Eſt

Eſt omninò Pſalterium monile aureum ex tribus contextum & concinnatum videl. 1. ex auro doctrinæ & informationis. 2. ex margaritis conſolationis. 3. ex gemmis precationis. ** Pſalterium eſt. 1. totius Scripturæ ſacræ epitome & compendium quod patet 1. ex Scripturę ſcopo & fine qui eſt Chriſtus. 2. ex Scripturæ diſtributione in legem & Evangelium, utrumque in Pſalterio tractatur. 2. locorum Theologicorum reptoriū & ſummarium, quo reſpectu comparatur clinodio in quo eſt. 1. aurum confortationis in veritatem doctrinæ. 2. argentum probationis contra errores hæreticorum. 3. gemmas commonefactionis ad virtutes, dilectionem Dei, gratitudinem, dilectionem proximi. 4. margaritas conſolationis. Babylas ex Pſalm. 116. Revertere anima mea in requiem. 3. promptuarium exemplorum, quâ ratione confertur ſpeculo politiſſimo, proponitur in eo. 1. exemplum militantis Eccleſiæ, quod ſit ſubjecta cruci. 2. Exemplum veræ pœnitentiæ. Origenes ex Pſal. 50. Impio dixit Deus. Mauritius ex Pſal. 119. Iuſtus es Domine. Bernhardus ex Pſalm. 51. perditè vixi non habeo qui reponam Domino, niſi quod cor contritum non deſpiciet. 3. ſpeculum fidei & conſtantiæ. 4. eſt Mannale & Vade mecum. ** Pſalterium eſt. 1. theatrum operum Dei, illa enim ſpectanda in eo exhibentur. 2. Pratum ſuaviſſimum & ampliſſimum roſarium, ubi plurimos flores pulcerrimos intuemur 3. Paradiſus non ſolùm nudam habens fragrantiam florum. ſed ipſos etiam fructus. 4. Pelagus patentiſſimum, in quo margaritæ precioſæ latent, quæ non niſi ab illis, qui tempeſtatum procellas patiuntur, inveniri queunt. 5. Cæleſtis ſchola, in qua Deum Doctorem noſtrum alloquimur. 6. Univerſæ Scripturæ compendium. 7. Gratiæ divinæ ſpeculū, in quo facies amœniſſima benigniſſimi Patris noſtri relucet. 8. Anatomia animæ noſtræ artificioſiſſima indicans omnea animæ affectus, motus & motuum illorum remedium.

16 *Proverbia.* 145. 16. *Proverbia Salomonis* Hebr. שְׁלֹמֹה מִשְׁלֵי Parabolæ ſeu Proverbia Salomonis. ** Salomon, Iedidia & Kohcleth dictus juxta numerum nominum ſuorum tres libros ſcripſit. Partem tamen hujus libri poſteriorem à capit. ſc. 25. uſq; in finem, Sebna atque cæteri Scribæ Ezechiæ Regis Juda ex aliis voluminibus collegerunt. ** Græcis *παροιμίας*, continent enim adagia, parabolas, ſimilitudines & egregias ſententias ad virtutes in Decalogo præſcriptas quemlibet exhortantes. Capitibus conſtat 31. ac diſtingui poteſt. 1. ratione cauſæ efficientis in Proverbia Salomonis & aliorum Sapientum. 2. ratione objecti ac materiæ, 1. in ſententias generales & ſpeciales videl. Politicas, Oeconomicas, Ethicas & mixtas. 2. in regulas de fide & moribus. Autor hujus libri communiter ſtatuitur Salomon. Quidam tamen exiſtimant, eum ab alio quodam ex ſententiis Salomonis eſſe collectum. Poſſet haud injuriâ vocari *liber officiorum*. item *Ethica ſacra*, quia continet utiliſſimas vitæ regulas de officiis piorum erga Deum & homines. Cæterùm hic liber Proverbiorum, quia cap. 30. v. 4. mentionem facit Filii, à Franciſco Davidis in Diſp. Albana tt. ij. lit. a. Miniſtris Tranſylvanis lib. 2. c. 10. & Johanne Sommero in refut. Carol. p. 41. *inter apocryphos libros* rejicitur, quibus fidem tutò confirmare non poſſimus. Sed opponimus illis hæreticis unanimem Iſraeliticæ & Chriſtianæ Eccleſiæ conſenſum, quæ de hujus libri Canonica autoritate nunquam dubitavit. Continet verſus. 915.

146. 17. *Eccleſiaſtes.* Hebr. קֹהֶלֶת Benoni 17. *Eccleſiaſtes.* fœmininum à rad. קָהַל *congregavit*. R. D. Kimchi Salomonem ſic dici cenſet, quòd ejus anima artium & ſcientiarum copiam ſibi congregaſſet. Fœmininum reſpicit vel ad ſapientiam, per quam Salomon populum ad ſe convocavit, & de rebus neceſſariis & utilibus ad eum concionatus eſt, vel ad animam nobiliorem hominis partem. Eccleſ. 1. v. 2. conſtruitur cum maſculino. Græcis vocatur *ἐκκλησιαστὴς Concionator*, quia loquitur ad multitudinem generaliter, non ad unum tantum ſpecialiter, ut Proverbia, notante Hieronymo. Autor hujus libri omnium conſenſu eſt Salomon, qui procul dubio vel in menſa vel in familiari colloquio aulicis ſuis has doctrinas propoſuit, ut colligitur ex 1. Reg. 10. v. 8. Multi Hebræorum hunc librum à Salomone conſcriptū ferunt in pœnitentia vitæ flagitioſè acta. Alii dicunt ipſum cum Spiritu Prophetico prævideret diviſionem regni ſui ſub Rehobeam filio ſuo, adductum in contemtum inſtabilis vanitatis Ludovic. Vives in lib. 20. de civit. Dei cap. 2. Capitibus conſtat 12. ſummam & ſcopum totius libri in capite ultimo autor exponit, videlicet *omnia in mundo eſſe vana*, proinde nihil utilius ac magis neceſſarium, quàm *Deum timere & mandata ejus cuſtodire*. Partes igitur principales ſunt duæ: Prior de rerum humanarū ac ſtudiorum in mundo vanitate. Poſterior de pietatis ac timoris divini ſtabilitate atq; utilitate.

147. Eccleſiaſten & reliquos Salomonis libros à quibuſdam hæreticis ex canone fuiſſe rejectos, memorat Philaſtrius in catal. hæreſ. cap. 132. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei. cap. 5. Lutherum accuſat, quod autoritatem Canonicam hujus libri labefactarit, eò quod in conviv. ſerm. tit. de lib. V. & N. Teſt. dicat, *autorem libri, qui Eccleſiaſtes inſcribitur, ſibi videri ocreis & calcaribus deſtitutum, equitare tantùm in ſoccis, quemadmodum ipſe ſoleret, cùm adhuc eſſet in cœnobio.* Reſp. 1. quid de libro convivalium ſermonum ſtatuendum ſit, monuimus ſuperiùs. 2. Verba Lutheri citantur truncata. 3. Quæ de libro Eccleſiaſtici ſive Siracide Lutherus protulit, rhapſodus ad librum Eccleſiaſtæ *ἀπαιδεύτως* accommodavit. Diſertè enim aſſerit Lutherus, ſe loqui de eo libro, qui contra Tyrannos agit, qui tempore Maccabæorum à Siracide fuit confictus, qui doctrinas cōplectatur de officiis œconomicis, qui ex Bibliotheca Ptolemæi Evergetæ ſit collectus (quæ omnia Eccleſiaſtico potiùs quàm Eccleſiaſtæ conveniunt) 4. Eccleſiaſten utiliſſimo & eruditiſſimo commentario Lutherus illuſtravit, tantum abeſt, ut ejus autoritatem labefactatam voluerit. 5. In Bibliis Germanicis diſertè hunc librum inter Canonicos numerat; eumque ab Apocryphis diſtinguit. Nunquam igitur Bellarm. evincere poterit, Lutherum Eccleſiaſtæ Canonicam autoritatem labefactaſſe, videat verò quomodo illud excuſare poſſit, quod Doctor quidam Pontificius natione Anglus anno 1566. librum, *Comitia Parlamentaria*, inſcriptum in lucem emiſerit, in quo refert fabulam de

quo-

quodam , qui prælecto Eccleſiaſtis libro eum noxium eſſe pronunciavit, idque ſe auribus ſuis audiviſſe teſtatur. Heskinſius enim propterea minimè redàrguit, ſed dicit *fuiſſe virum reverendum, gravem, prudentem, pium, non indoctum*: & addit. *Hinc clare liquet, quàm periculoſa res ſit, ſi Laici Scripturas legunt*. Ipſe Heskinſius de Eccleſiaſte ſic judicat: *Quid vehementius hominem à ſapientia abſterret, quam liber Eccleſiaſtes? quàm turpiter præclaro illo Dei dono ſapientiâ hoc in libro abuti videtur autor?*

18. Canticum Canticorum. 148. 18. *Canticum Canticorum*. Hebr. שיר השירים quod Hebraico idiomate ſignificat egregium & eximium Canticum , Græcis ᾆσμα ᾀσμάτων , annectitur etiam mentio autoris , quod ſcil. ſit à Salomone conſcriptum, 1. Reg. 4. v. 32. refertur, à Salomone complura Cantica fuiſſe compoſita , ſed ex illis nullum hodie extat præter hoc ipſum, quod reliquis fuit præcellentius. De ſcopo hujus libri variant Interpp. illud tamen certum eſt, quod non agat de amore conjugali, multò minùs inordinato: *Abſit, abſit*, inquiunt Hebræi, *ut Canticum hoc ſit de rebus obſcœnis, ſed eſt metaphora*, alioquin *niſi magna eſſet dignitatis, non ſcriberetur in Catalogo ſanctarum Scripturarum*. 1. Plerique veterum referunt ad ſpirituale conjugium inter Chriſtum & Eccleſiam, ac quamvis fidelem animam. Auguſtinus lib. 17. de civit. Dei cap. 20. *Canticum Canticorum ſpiritualis quædam ſanctarum eſt voluptas mentium in conjugio illius Regis & Reginæ civitatis, quòd eſt Chriſtus & Eccleſia, ſed hæc voluptas allegoricis tegminibus involuta eſt, ut deſideretur ardentius videaturq́; jucundius*. 2. Quidam arbitrantur deſcribi in hoc libro ardentiſſimum affectum Regis erga Politiam Iſraeliticam & contra. 3. Lutherus refert ad affectum populi Iſraelitici erga Deum. Capitibus abſolvitur 8. & conſtat perpetuis Dialogiſmis.

149. Quidam ex antiquis hæreticis Canticum Canticorum *non Spiritu Dei, ſed cupiditatis afflatu ſcriptum* fuiſſe dicebant , teſte Philaſtrio de hæreſ. cap. 133. Eandem ſententiam Caſtalioni tribuit Beza. Sed communi tùm Iſraeliticæ tùm Chriſtianæ Eccleſiæ ſuffragio in Canonem hic liber eſt receptus. Quinimò apud Priſcos Hebræos tanta fuit erga hunc librum reverentia. ut vetuerint, eum uti etiam Exordium Geneſeos, itemq́ue initium & finem Ezechielis ante trigeſimum ætatis annum legere. Eorum veſtigiis videntur inſiſtere Chriſtiani illi interpretes, qui exiſtimarunt , explanationem hujus Cantici non eſſe in juventute attingendam , ſed in ſolatium Chriſtianæ ſenectutis ac piæ emigrationis viaticum reſervandam, exemplo Bernhardi, Thomæ Aquinatis & Johannis Gerſonis, qui in meditatione & expoſitione hujus libri extremam vitæ partem conſumſerunt.

150. Tres iſti libri proximè enumerati, *Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum* communi Doctorum ſuffragio Salomoni (ut jam antè diximus) tribuuntur. Quidam tamen ſtatuunt, ſententias horum trium librorum ab Eſaia Propheta eſſe collectas ex Proverbiis & Canticis à Salomone compoſitis & in Eccleſia Iſraelitica ad ipſius uſque tempora aſſervatis. Proverbia ſcripta ſunt potiſſimùm pro ætate *juvenili*, Eccleſiaſtes pro *virili*, Canticum pro *ſenili*. Origenes in Prolog. homiliarum in Cant. tom. 2, fol. 71. Hieronymus in cap. 1. Eccleſiaſt. Theodoretus in Procœm. comment. ſup. Cantic. & alii ex veteribus conferunt, ſummas horum librorum cum tribus Philoſophiæ partibus. Cùm enim ſecundùm Stoicos & Platonicos univerſa Philoſophia in tres partes dividatur, in *Phyſicam* ſcilicet, *Ethicam & Dialecticam*, per quam Platonici intelligunt Metaphyſicam, inde tradunt in proverbiis proponi Ethicam, h. e. utilem de moribus diſciplinam; in Eccleſiaſte Phyſicam; eorum quæ ſenſibus percipiuntur Naturam indicantem, vitæ præſentis, omniumq́ue quæ hîc cernuntur vanitatem docentem, ut ea fluxa & fragilia cognoſcentes tanquam fugacia ac prætereuntia ſpernamus & quæ futura ſunt, ut firma atque in æternum permanentia cognoſcamus. In Cantico Canticorum Metaphyſicam & Theologiam quæ myſticam Sponſi & Sponſæ conjunctionem denotet.

151. Libris Moſaicis ſive Legalibus, Hiſtoricis ac Doctrinalibus ſive Poeticis ſuccedunt in 19. Eſaias. Canone V. Teſt. libri Prophetici propterea ſic dicti, quòd à Prophetis juſſu Dei ſint exarati. Numerantur autem *quatuor majores & duodecim minores* Prophetæ. Inter majores primo loco ponitur *Eſaias*, qui in ordine Canonicorum librorum eſt 19. Ideò verò in prima acie collocatur , non quod reliquis omnibus ſit vetuſtior, oſtendit enim Chronologia, Jonam, Oſeam & Amos temporis ratione fuiſſe ipſo priores, ſed propter dignitatem oraculorum Propheticorum, quæ exponit, & quia reliquis omnibus ipſius prophetia eſt prolixior. Quidam addunt hanc rationem , quod Meſſiæ non ſolùm fide, ſed etiam ſanguinis propinquitate fuerit conjunctus vocatur. ישעיה q. d. *ſalus Domini*, quippe cujus nuncium concionib. ſuis inſeruit. Dicitur *filius Amos* Eſa 1. v. 1. de quo Rabini ſtatuunt, quod fuerit frater Amaſiæ Regis Judæ & ſocer Manaſſis. Cœpit vaticinari anno mundi 3160. ſeptingentis ante Chriſtum natum annis regnante adhuc Uſia Rege Juda & ad extrema tempora Ezechiæ pervenit. Eſa. 1. v. 1. cap. 39. v. 3. fuit igitur fermè σύγχρονος Oſeæ. Amos & Michea ac vitæ ſuæ curriculum ſub quatuor Regibus Juda, videlicet Uſia, Jothan. Achaz, & Ezechia abſolvit , ut ex d. l. conſtat. **Chriſtus hunc unum ex omnibus prophetis delegit, quem in Synagoga patriæ ſuæ publicè explicaret, quia tā clara profert de Meſſia vaticinia, ut Evangeliſtam potius quàm Prophetā agere videatur.** Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap. 29. de eo ſcribit: *Eſaias inter illa, quæ iniqua arguit & juſta præcepit & peccatori populo mala futura prædixit, etiam de Chriſto & Eccleſia, hoc eſt, de Rege & ea, quam condidit civitatem, multò plura quam cæteri prophetavit, ita ut à quibusdam Evangeliſta potius quàm Propheta dictus fuerit*. Intelligit autem Hieronymum, qui in Epiſt. ad Paulin. de eo ſic ſcribit: *Eſaias non prophetiam videtur mihi texere, ſed Evangelium*. In Procœm. comment. ſuper Eſaiam: *Sic exponam Eſaiam, ut illum non ſolùm Prophetam, ſed Evangeliſtam & Apoſtolum doceam*. Item: *Univerſa Domini Sacramenta præſens Scriptura continet*. Item: *Quicquid eſt ſanctarum Scripturarum, quicquid poteſt humana lingua proferre & mortalium ſenſus accipere, iſto volumine continetur*. Idem Hieronymus in Epiſtola ad Paulum & Euſtochium, *Eſaiam nobilem fuiſſe virum* ſcribit, *diſertum &*

Exegeſis F *urba-*

urbana eloquentia, nec habentem quidquam in eloquio ruſticitatis admiſſum. ** Idem de ipſo dicit, quod in hoc libro quicquid de Phyſicis, Ethicis, Logicis, & quicquid ſanctarum Scripturarum myſteriis poteſt humana lingua & mortalium ſenſus accipere, complexus eſt ſummâ præ cæteris Prophetis venuſtate ſermonis & urbanæ dictionis elegantia. ** Amphilochius pag. 94. operum ipſum vocat παῤῥησιαςὴν. Hebræi in Seder Olam tradunt ipſum ex Regia familia fuiſſe oriundum, & à Manaſſe Rege idololatra affini ſuo ſerrâ ligneâ diſſectum, poſtquam 60. annis in officio docuerat. Idem ex Chriſtianis Doctoribus affirmant Epiphanius lib. de vitis Patriarrh. cap. de Eſaia, Hieronymus ad Paulum & Euſtochium, idque confirmare nituntur ex Hebr. 11. v. 37. Prophetia ipſius abſolvitur capitibus 66. quæ diſtribui poſſunt, *in Exordium, narrationem & concluſionem.* Narratio continet *tum legalia, tum Evangelica.* Legalia juxta ſeriem quatuor Regum, ſub quibus docuit, recenſeri poſſunt Athanaſ. de ipſo dicit, τὸ πλεῖστον τῆς προφητείας αὐτοῦ ἐστιν, εὐαγγέλια περὶ τῆς ἐν σαρκὶ παρουσίας τοῦ Λόγου καὶ ἣν ὑπέδειξατο δι' ἡμᾶς παθῶν. Concludit Prophetiam ſuam concione de extremo judicio & pœnis impiorum æternis, unde Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei cap. 21. de ipſo ſcribit: *Ad hoc iſte Propheta terminavit librum, ad quod terminabitur ſeculum.*

20 Ieremias. 152. 20. *Jeremias.* Vocatur יִרְמְיָהוּ *celſitudo & excelſus Domini.* Prophetavit ſub Joſia, Ioachimo & Zedekia. ** Translatus eſt cum reliquis Iuda in Ægyptum à Iohanne filio Carebeæ: occubuitq; in Thaaphnes à plebe ſuo lapidibus obrutus atque ibidem ſepultus. ** Alexander Polyhiſtor de eo ſic ſcribit: *Temporibus Joachim Jeremias prophetavit, qui miſſus a Deo cùm Judæos auro ſimulachro, cui nomen erat Baal, ſacrificantes reperiſſet, futuram eis propter hoc calamitatem prædixit, unde Joachim ipſum vivum juſſit cremari. Illum autem dixiſſe, foveas ipſos a Rege Aſſyriorum captos juxta Tigridem atque Euphratem eiſdem lignis facturos. Hæc Nebuchodonoſorum Babylonia Regem audiviſſe ac Sibare Medorum Rege in auxilium adducto centum & octoginta peditum, equitum centum & viginti millia ducentem, ac decem millia curruum primo Samaritanas urbes omnes, Galilaam, Scythopolim & Galatidem evertiſſe; deinde Hieroſolymam & Judæorum Regem vivum cepiſſe, & aurum, argentum, æs, cæteraq; omnia, quæ in templo fuerant, arcâ exceptâ & tabulis, in Babylonem aſportaſſe.* Refert hæc ex Alexandro Ludovicus Vives in comm. lib. 18. Auguſt. de civit. Dei cap. 25. Ipſe Auguſtinus libri ejuſdem cap. 33. de tempore, quo Ieremias prophetavit, ſic ſcribit: *Jeremias prophetavit regnante Joſia in Jeruſalem & apud Romanos Anco Martio jam propinquante captivitate Judæorum, tetendit autem prophetiam ſuam uſque ad quintum menſem captivitatis, ſicut in ejus literis invenitur.* lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 28. de Ieremia ſcribit, *quod cùm in Ægypto docentem Plato audiverit,* ſed poſteà cognoſcens id eſſe falſum, retractavit lib. 2. retractat. cap. 4. & lib. 8. de civit. Dei cap. 11. ſcribit, *Platonem annis poſt Jeremiam centum eſſe natum.* Vera Chronologiæ ratio ducentos circiter annos inter Jeremiam & Platonis ortum interceſſiſſe docet. Idem lib. 18. de civit Dei cap. 37. non multò poſt Eſdram Platonem eſſe natum docet, & rectè. Nam Eſdram mortuum eſſe anno 32. Artaxerxis teſtatur Nauclerus volum 1. generat. 54. Incidit is in Olympiaden 86. natus eſt autem Plato Apollodoro in Chronicis teſte Olympiade 88. Quicquid ſit, hoc certum eſt, Platonem libros Moſis & Prophetarum legiſſe, exque illis multa in libros ſuos tranſtuliſſe, ut probat Euſebius lib. 11. præparat. Evangel. Abſolvitur ipſius Prophetia capitibus 52. quæ diſtribui poteſt in *Exordium,* quod explicat vocationem Jeremiæ ad munus Propheticum, *narrationem,* quæ continet Prophetiam ipſam, partim ad Judæos, partim ad Judæorum hoſtes, gentes ſcilic. exteras directam, *& concluſionem,* quæ complectitur epitomen Hiſtoriæ de capta urbe & everſo regno per Chaldæos.

153. 21. *Threni* Hebræis אֵיכָה à prima vo- 21. Threni.
ce initiali. Rabini in comment. ſuis vocant קִינוֹת *querelas.* Græcis dicitur θρῆνοι, lamentationes à ſubjecta materia. R. Salamo putat, hunc eſſe librum, quem Rex Juda ab initio legit, ſed mox in ignem conjecit. Ierem. 36. verſ. 23. verùm hoc ex capite 45. refelli poteſt. Continet triſtes ac lugubres querelas de miſerrimo Reipubl. Iſraeliticæ ſtatu, in quem poſt mortem Regis Ioſiæ incidit. LXX. Interpp. procemii loro ſummam hujus libri bis recenſent verbis: *Et factum eſt, poſtquam in captivitatem redactus eſt Iſrael & Jeruſalem deſerta eſt, ſedit Propheta Jeremias flens & planxit lamentatione hac ſuper Jeruſalem & amaro animo ſuſpirans & ejulans, dixit &c.* In textu Hebraico Lamentationes hoc ordine ſcriptæ ſunt, ut primus verſus incipiat ab א, ſecundus à ב & ſic conſequenter uſque ad finem ſervatâ literarum alphabeti Hebraici ſerie. In tertio autem capite tres primi verſus incipiunt ſinguli ab א tres ſequentes à ב ſervato ternario numero uſque ad finem alphabeti, quod myſterio non carere Hieronymus in procem. comment. cenſet. Capitibus conſtat 5. quæ diſtingui poſſunt in lamentationem & orationem.

154. 22. *Ezechiel.* יְחֶזְקֵאל *fortitudo Dei.* 22. Ezechiel.
Theodoretus in comment. Ezech. 1. v. 3. notat, quod duobus donis gloriari potuerit & *Sacerdotio & Prophetiâ.* Eodem tempore prophetavit, quo Ieremias, ipſe quidem in civitate Babel, Ieremias verò Hieroſolymis. Autor præfationis in Marſilii Patavini defenſ. de eo ſic ſcribit: *Quatuor Evangelia annis ante adventum Chriſti in carne circiter ſexcentis Spiritu Dei revelante prævidit, prophetiam quatuor Evangeliorum ſimilitudine quatuor animalium, quorum primum hominis, ſecundum leonis, tertium vituli, quartum aquila abſolutiſſimè exprimens, in quibus ſinguli ſingula de Chriſto Sacramenta figurantur. In hominis facie nativitas ejus in carne; in leonis, rugitus prædicationis Evangelica ſeu reſurrectionis Sacramentum; in vituli, Sacerdotium æternum; in aquila, divinitatis myſterium propaganda toto mundo Eccleſia prodendum.* Cum quo congruit illud Gregorii: *Redemtor noſter, homo naſcendo; vitulus moriendo; leo reſurgendo; aquila aſcendendo factus eſt.* Alii tamen aliter viſionem illam Propheticam explicant. Confer Juſtin. in quæſt. & reſp. ad orthod. q. 44. pag. 325.

Digitized by Google

** Mortuus eſt Ezechiel in Chaldæa à duce gẽtis ſuæ, quem ipſe de cultu idolorum reprehenderat, obtruncatus, ſepultusque eſt in terra Spyriorum in agro Maur in monumento Sem & Arphaxad ad progenitorum Abrahæ. ** Apud Judæos nemini vel principium Geneſeos vel Canticum Canticorum, vel principium & finem Ezechielis legere permittitur, niſi ætatem Sacerdotalis miniſterii, hoc eſt, trigeſimum annum impleverit, teſte Hieronymo in Epiſt. ad Paulin & proœm. lib. 1. comment. in Ezech. Capitibus conſtat 48. in quibus Prologum excipit ipſa prophetia partim increpatoria, partim verò conſolatoria.

23. Daniel. 155. 23. *Daniel* דָּנִיֵּאל *Dei judicium vel Iudicatus a Domino.* Si vera ſunt, quæ Rabini de prophetia Danielis paſſim recenſent, poſt Babylonicam captivitatem non ſine hæſitatione recepta eſt in Canonem; poſtquam verò excludi non potuit, rejecta eſt in poſtremam ſcriptorum Vet. Teſt. claſſem. Hebræi enim Danielem referunt inter כְּתוּבִים ſive hagiographa, ac prolixè diſputant, an vaticinium ejus inter immediata Spiritus ſancti opera referri debeat, an communi potiùs & ordinario prophetiæ dono adſcribi, quâ de re videri poteſt R. Samuel Valerii in proœm. comment. in Daniel. R. Joſeph Albonis lib. 3. fundam. cap. 10. Sed Galatinus lib. 4. de arcan. cap. 14. rectè monet, pro Propheta eum eſſe habendum. In cap. 9. v. 23. & cap. 10. v. 11. vocatur אִישׁ חֲמֻדוֹת *vir deſiderabilium* ſive expetibilium, ut ei hæc appellatio reſpectu rerum, quæ ipſi revelatæ ſunt, tribuatur; vel etiam *vir deſideratiſſimus*, ut Deo peculiariter carus ſignificetur. Hieronymus in Epiſt. ad Paulin. eum vocat totius mundi πολυΐστορα. Epiphanius hæreſ. 55. de eo memorat, quod pater ejus dictus fuerit Sabæa. ** Prima pars libri, id, eſt ab initio uſque ad illa verba capitis ſecundi. *Reſponderunt Chaldei Regi Syriacè &c.* Hebraico narratur ſermone. Secunda, quæ inde progreditur uſque ad viſionem anni tertii Balthaſar, id eſt, uſque ad finem ſeptimi capituli Hebraicis quidem literis, ſed linguâ ſcripta eſt Syriaca, id eſt Chaldaica. Tertia uſque ad finem 12. capitis iterum Hebraico eloquio ſcribitur. ** Capitibus conſtat 12. quorum ſex priora continent Hiſtorica, ſex poſteriora verò Prophetica.

24. Prophetæ minores. 156. 24. *Prophetæ minores* duodecim ex eo ſic dicti, quod ſcripta eorum ſint breviora prioribus quatuor majoribus, propterea dictis. Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap. 29. in princ. *Duodecim Prophetæ propterea dicuntur minores, quia ſermones eorum ſunt breves in eorum comparatione, qui majores ideò vocantur, quia prolixa volumina condiderunt.* Inter

1. Hoſeas. minores primus eſt Oſeas, cujus prophetia quamvis pluribus capitibus conſtet, quàm Danielis, prolixitatè tamen eidem cedit. הוֹשֵׁעַ *Salvatorem* notat, ideò autem ſic vocatur, quia ſalutem domui Iudæ annunciavit ac typus Chriſti Salvatoris eſſe debuit. Dorotheus in Synopſi notat eum fuiſſe ortum ex oppido Belomoth in tribu Iſſachar. Druſius in Hoſeam part. 3. legit Bethſemes, quæ recenſetur inter urbes illius tribus. Ioſ. 19. verſ. 22. cui ſuffragatur Hieronymus ſic ſcribens: *Oſee de tribu Iſſachar fuit ortus in Bethſemes*, quæ verba citantur in glоſſa ordinaria Ioſ. 1. verſ. 1. Parens ejus nominatur Beeri cap. 1. v. 1. cujus ſtatus & conditio ignoratur. RABINI habent regulam: *Quando in principio alicujus Prophetæ Patris nomen exprimitur, Propheta fuiſſe intelligitur.* Sed hæc regula nondum eſt ſatis firmiter demonſtrata. Prophetavit autem Hoſeas ante captivitatem Babylonicam tempore Regis Ieroboami ſub quatuor Regibus Iudæ Ozia, Iothan, Achaz & Ezechiæ ac συγχρόνους habuit Ionam 2. Reg. 14. v. 26. Eſaiam, Eſa. 1. v. 1. Amos cap. 1. v. 1. & Micheam cap. 1. v. 1. qui omnes regno Iſraelis exitium denunciarunt. De ſtylo hujus Prophetæ ſic loquitur Hieronymus in prolog. ſuper duod. Prophetas: *Oſee commaticus eſt & quaſi per ſententias loquitur.* Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap. 28. *Oſee Propheta quantò profundiùs loquitur, tantò operoſiùs penetratur.* Capitibus conſtat 14. ac dividi poteſt in titulum & ipſam Prophetiam, quæ tùm invectivo tùm conſolatorio ſermone abſolvitur.

157. 2. *Joël* יוֹאֵל quidam vertunt *incipiens*; quidam *Domini deſcenſus*. Natus & ſepultus eſt in agro terræ Cananææ Bethoron, Patre פְּתוּאֵל quod interpretantur *latitudo vel oſtium Domini* vel *aperiens Deus*, fuitque de tribu Ruben. Quia nullam omninò facit mentionem Iſraelis & decem tribuum, inde colligitur ad regnum Iudæ & Ieruſalem pertinere, quicquid Propheta loquitur. Hieronymus ſtatuit, iiſdem temporibus & Regibus ipſum prophetaſſe, quibus Hoſeas prophetavit. Quidam exiſtimant ipſum ſecutum fuiſſe Eſaiam & Hoſeam de regno Iudaico per Babylonios vaſtando vaticinantes ac poſt devaſtationem Iſraelitici regni ab Hoſea prædictam cœpiſſe vaticinari de regno Iudaico propediem per Babylonios vaſtando. Temporibus Regis Ezechiæ ipſum prophetaſſe omnes temporis circumſtantiæ oſtendunt. Capitibus conſtat tribus, quæ partim exhortationem ad pœnitentiam, partim conſolationem pœnitentibus propoſitam continent. 2. Ioel.

158. 3. *Amos* עָמוֹס *onus*, quia eſt vehemens 3. Amos.
Propheta, qui populo ob impietatem durum onus, h. e. graviſſimas pœnas denunciat. Lutherus in præfat. German. reddit, *Onuſtus reprehenſionibus*, unde ipſe ſtatim in inſcriptione dicit דִּבְרֵי עָמוֹס quaſi dicat *verba gravia*, quæ terra non ſuſtinet, ut per calumniam dicebat Amazia cap. 7. v. 10. Hieronymus vertit βαστάζων. Prologus Latinus in hunc Prophetam dicit, eum vocari onuſtum, quia *ſpiritualis gratia plenus eſt*. Atqui gratia incommodè vocatur onus. R. Phinees nominis rationem hanc reddit, quod *habuerit linguam oneratam* ſeu *impeditam*. At hoc deſcendit ex incerta traditione. Oriundus fuit ex oppido Thecue in tribu Iuda, quod ſex milliaribus à Bethlehem meridiem verſus diſtat & ex Paſtore factus eſt Propheta cap. 1. verſ. 1. cap. 7. v. 14. Vaticinatus eſt eo tempore, quo in regno Iuda imperabat Ozias, aliàs Aſarias dictus & in regno Iſrael rerum potiebatur Ieroboam filius Ioas. Fuit ergò σύγχρονος Eſaiæ & Hoſeæ, poſterior autem ratione temporis Ionâ. ** A Jeroboamo quem de duobus vitulis aureis reprehenderat, clavo circa tempora confixus occubuit. ** Præcipuum prophetiæ argumentum eſt, quod Iſraelitici regni everſionem

prædicit. Specialiter enim huic regno Iſraelis ſeu decem tribubus prophetavit, ut apparet ex cap. 1. verſ. 1. cap. 3. verſ. 1. cap. 4. verſ. 1. c. 5. verſ. 1. de regno Judæ pauciſſima & ὡς ἐν παρόδῳ profert cap. 2. verſ. 4. cap. 6. verſ. 1. Capitibus in univerſum conſtat novem, quæ diſtribui poſſunt in duas partes. Prior eſt generalis inſcriptio cap. 1. verſ. 1. poſterior prophetia ipſa, quæ continet tùm comminationes legales, directas partim ad hoſtes populi Dei cap. 1. & 2. ad verſ. 4. partim ad Judæos c. 2. verſ. 4. & 5. partim ad Iſraelitas à cap. 2. verſ. 6. uſque ad cap. 9. verſ. 11. tùm conſolationes Evangelicas à verſ. 11. cap. 9. uſque ad libri finem.

4. *Obadias.* 159. 4. *Obadias.* עֹבַדְיָה *ſervus Dei* vel *opus Dei* à rad. עבד & יה quod eſt contractum ex יהוה. Ex qua tribu hic Propheta oriundus fuerit, aut quo tempore prophetaverit, non ſatis liquidò conſtat. Quidam probabiliter ſtatuunt, quod vixerit circa initium captivitatis Babylonicæ & Judæis non ita pridem in Babylonem adductis concionatus fuerit. Alius fuit ab Obadia cujus mentio fit 1. Reg. 18. verſ. 3. quia temporis ratione eodem eſt poſterior, ac fermè σύγχρονος Jeremiæ. ** Antequam prophetare cæpiſſet, Sũi Centurionis ſeu Quinquagenarii dignitatẽ geſſit apud Ocboziã Regem Iſrael, à quo cùm poſt duos quinquagenarios cæleſti igne abſumtos miſſus eſſet ad comprehendendum Eliam Prophetam deſerto Rege ipſi adhæſit & diſcipulus ejus factus eſt. Quidam ex Rabinis ſtatuunt eũ fuiſſe proſelytũ ex Idumæa, eò quod libellus prophetiæ ipſius contra Idumæos, id eſt, Chaldæos ac gentes, quæ afflixerunt Iſrael. potiſſimùm ſit conſcriptus. **. Capite abſolvitur uno, cujus duæ ſunt partes, prior *legalis*, in qua Idumæis populi Judaici eladi inſultantibus finalem interitum prædicit, eorumque delicta exitii illius cauſas redarguit. Poſterior *Evangelica*, in qua de ſpirituali liberatione verorum Iſraelitarum per Chriſtum præſtanda vaticinatur. Integra quædam dicta contra Idumæos cum Jeremia cap. 49. & Ezechiele cap. 25. habet communia.

5. *Ionas.* 160. 5. *Jonas.* יוֹנָה *columba*, cujus appellationis ratio non ſatis perſpecta. Fuit natione Judæus, oriundus ex Gatſepher, quæ eſt civitas in tribu Sebulon Joſ. 19. v. 13. ** Epiph. tradit, eum natum in Gath ſeu in Chavathamaum in tribu Dan, haud longè ab Azoto urbe Palæſtinorum mari vicina, fuiſſeque filium viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta in Sarepta Sidoniæ mortuum ſuſcitavit, matre poſtea dicente ad eum, *Nunc cognovi quia vir Dei es tu & veritas in ore tuo &c.* & ob hanc cauſam puerum vocatum filium Amithai, id eſt, veritatis, eò quod verum dicente Elia Propheta iterum in hanc lucem editus ſit. ** Patre natus Amithai c. 1. v. 1. Prophetavit tempore Jeroboami filii Joas Regis Iſraelis imperante in Aſsyria & Babylonia Phul Belocho, ut colligitur ex 2. Reg. 14. v. 25. ubi prophetia ipſius adducitur. Ablegatus fuit à Deo in Niniven Aſsyriacæ Monarchiæ metropolin Geneſ. 10. verſ. 11. quam vocationem cùm initio recuſaret, præſentiſſimo implicitus eſt periculo, ex quo divinitùs liberatus partes ſibi commiſſæ legationis fideliter obiit, & per pœnitentiæ prædicationem Ninivitas ab imminente exitio ipſis prædicto incolumes præſtitit. Capitibus conſtat quatuor, cujus partes ſunt duæ: 1. Hiſtoria Ionæ tergiverſantis & divinam vocationem recuſantis, qui ob hanc recuſationem divinitùs eſt punitus cap. 1 ſed poſtea per miraculum liberatus cap. 2. 2. Hiſtoria Ionæ iteratam vocationem acceptantis, qui per exitii imminentis prædictionem Ninivitas ad pœnitentiam perduxit cap. 3. quod ipſum ægrè ferens divino oraculo eſt repreſſus cap. 4. Hieronymus valdè miratur, LXX. Interpp. Ion. 3. verſ. 4. &c. *quadraginta* vertiſſe *tribus diebus* cùm in Hebræo nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ulla ſit communitas, in quibus anguſtiis explicandus Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap 44. vehementer laborat, nec ſe ſatis extricare valet. Sed ſimpliciſſimè reſpondetur, Græcam verſionem hîc eſſe corruptam, cùm quædam exemplaria habeant τεσσαράκοντα.

161. 6. *Micheas.* מִיכָה *humiliatus.* 6. *Micheas.*
Fuit oriundus ex civitate Mareſa in tribu Iuda Ioſ. 15. verſ. 44. Prophetavit temporibus Ioatham, Achaz & Ezechias Regum Iudæ, ut conſtat ex inſcriptione cap. 1. verſ. 1. ac fuit ferè σύγχρονος Eſaiæ, cum quo in multis convenit. Alius ergò fuit à Micha, qui impio Regi Achab interitum prædixit 1. Reg. 22. verſ. 8. 2. Paralip. 18. verſ. 7. eo enim temporis ratione longè eſt poſterior. Capitibus conſtat ſeptem, quæ continent tùm *legales conciones*, in quibus utrique regno & Iuda & Iſrael prædicitur everſio propter idololatriam ac impietatem; tùm *Evangelicas conſolationes* de adventu Meſſiæ & ſpirituali liberatione per ipſum præſtanda, cujus typus fuit corporalis liberatio ex Babylonica captivitate. Præ omnibus Prophetis hoc ſingulare obtinet, quòd locum Dominicæ nativitatis determinat cap. 5. verſ. 2.

162. 7. *Nahum.* נחום *concionator* ſive 7. *Nahum.*
Doctor pœnitentiæ vel conſolator. Quo tempore vixerit & prophetaverit, non ſatis exactè conſtat. Ex circumſtantiis probabiliter colligitur, quod vixerit ante Babylonicam captivitatem circa finem regni Hiskiæ ac fuerit σύγχρονος Micheæ 90. annis Jonâ poſterior. Patria ejus fuit Elcos urbs ignota cap. 1. verſ. 1. Quidam ſtatuunt, Elcos fuiſſe pagum in tribu Simeon. Denunciat Aſſyriis populum Domini afflicturis, cumprimis verò urbi Ninive Aſſyriaci regni metropolis interitum. Quamvis enim Ninivitæ temporibus Ionæ egerant pœnitentiam, per quam effugerunt pœnam divinitùs ipſis denunciatam, poſteà tamen ad priſtinam impietatem redierunt, in omni ſcelerum genere ſeſe graviter exercuerunt, Deum ignominiâ affecerunt ac populum ejus graviter afflixerunt, unde in pœnas dudum promeritas tandem inciderunt. Capitibus conſtat tribus, quæ continent tùm interitus Aſſyriorum prædictionem cap. 1. tùm cauſarum illius explicationem c. 2. & 3.

163. 8. *Habacuc.* חֲבַקּוּק *amplexator* 8. *Habacuc.*
ſeu *conſolator aut Luctator.* Quo tempore & loco vixerit, non exprimitur. Ex circumſtantiis probabiliter colligitur, quod vixerit circa tempora Ieremiæ vel paulò antè, quia vaticinatur de Babyloniis, quod regnum Iudæ vaſtaturi erant. In additamentis Danielis apocryphis

pocryphis de ipſo commemoratur, quod cibum in fovea leonum Prophetæ Danieli attulerit. Capitibus conſtat tribus, quæ continent 1. querelam de graviſſimis Judaici populi peccatis. 2. prædictionem de ſecuturis pœnis per Chaldæos irrogandis. 3. conſolationem de futura liberatione. 4. exhortationem ad patientiam & preces, quarum formulam præſcribit.

9. *Sophonias.* 164. 9. *Sophonias.* צְפַנְיָה *Secretarius Domini* vel *Speculator Domini.* Fuit filius Chuſi, abnepos Ezechiæ. Prophetavit temporibus Joſiæ Regis Juda ac fuit σύγχρονος Jeremiæ, teſte Auguſtino lib. 18. de civit. Dei cap. 33. Ludovicus Vives in comm. illius loci de eo ſic ſcribit: *Hunc Hebræi Prophetam & Prophetarum filium, nepotem & abnepotem fuiſſe tradunt. Pater enim fuit Chuſi, avus Godolias, proavus Amarias, atavus Ezechias Prophetæ omnes, nam ajunt omnes majores, quos in titulo nominat aliquis, etiam Prophetas fuiſſe.* Sed hæc regula Rabinorum eſt incerta. Vaticinatur Sophonias præcipuè de regni Juda everſione. Capitibus conſtat tribus, quorum primum eſt comminatorum continens prædictionem de viſitatione per Chaldæos; ſecundum exhortatorium ad pœnitentiam; tertium mixtũ ex comminatione & conſolatione continens prædictionem de vocatione gentium & Eccleſiæ dilatatione temporibus Meſſiæ expectanda.

10. *Haggæus.* 165. 10. *Haggæus.* חַגַּי *feſtivus*, aut *feſtum celebrans vel diligens.* Prophetare cœpit poſt Babylonicam captivitatem anno ſecundo Darii Perſarum Regis, ut conſtat ex Eſdr. 5. verſ. 1. & Hagg. 1. v. 1. quem Darium fuiſſe Hyſtaſpis filium præſtantiſſimi Chronologi ſtatuunt. Per anteceſſorem hujus Darii Regem Cambyſen (quem Eſdras vocat Ahaſveros & Arthaſaſta) reparatio templi erat impedita, ſed hic Darius Judæis denuò poteſtatem dedit templum reædificandi, in quo opere cùm Judæi eſſent remiſſi ac deſides, & de privatis ædibus magis quàm de templo reſtaurando ſoliciti, excitavit DEUS hunc Prophetam Haggæum & poſt duos menſes ejus Collegam Zachariam, qui hanc populi oſcitantiam redarguerent ac de præſtantia ſecundi templi per adventum Meſſiæ ipſi concilianda vaticinarentur. Capitibus conſtat duobus, quorum prius eſt exhortatorium ad templi ſtructuram pertexendam, poſterius conſolatorium de templi hujus uſque ad Meſſiæ adventum conſervationem.

11. *Zacharias.* 166. 11. *Zacharias.* זְכַרְיָה *memoria Domini, memor Domini.* Viſiones ejus à Danielis viſionibus non multum ſunt abſimiles. Fuit filius Barachiæ, nepos Addo. Quidam putant, hunc eſſe eum, de quo Chriſtus dicit Matth. 23. verſ. 34. quod *Judæi eum interfecerint inter templum & altare*, cùm nomina congruant. Sed rectiùs ſtatuitur, Chriſtum loqui de Zacharia filio Jojadæ, quem Scriptura dicit à Judæis lapidatum in atrio templi, hoc eſt, inter templum & altare holocauſtorum 2. Paral. 24. v. 21. fuit enim hic Jojadas etiam dictus Barachias. Prophetavit hic noſter Zacharias itidem poſt captivitatem Babylonicam, ac datus eſt Haggæo Collega, poſtquam is per duos menſes jam docuiſſet. Capitibus conſtat 14. in quibus continetur. 1. exhortatio ad populum ex captivitate Babylonica, ut ſeriam agat pœnitentiam cap. 1. uſque ad verſ. 7. 2. Commemoratio quarundam viſionum, per quas tùm de acceptis tùm de expectandis adhuc beneficiis admonentur uſque ad cap. 7. 3. Informatio de vero jejunio & vero Dei cultu uſque ad cap. 8. 4. Vaticinatio de extirpatione hoſtium populi Iſraelitici, de adventu Chriſti & ipſius beneficiis erga Eccleſiam, uſque ad finem libri.

167. 12. *Malachias.* מַלְאָכִי *nuncius ſive Angelus.* Rabini putant hunc Malachiam eſſe Eſdram, cujus liber Canonicus extat, quod colligunt ex eo, quia eadem peccata arguit, quæ ab Eſdra fuêre reprehenſa. Auguſtinus lib. 20. de civit. Dei cap. 25. *Propheta Malachiel ſive MALACHIAS, qui & Angelus dictus eſt, qui etiam Eſdras Sacerdos, cujus alia in Canonem recepta ſunt, ab aliquibus creditur, nam de illo hanc eſſe Hebræorum opinionem dicit Hieronymus.* Sed hoc argumentum non eſt ſatis firmum. Quidam putant Malachiæ nomen non eſſe proprium ſed appellativum omnibus Prophetis commune, ac per illud hic intelligi Haggæum, qui & ipſe vocatur Angelus Domini Hagg. 1. verſ. 13. ſed hoc eſt æquè incertum ac prius, quod fuerit Eſdras. A quibusdam putatur fuiſſe Angelus, qui de cælo veniens aſſumſerit corpus, ut Iſraëli, quæ à DEO mandata fuerant, vaticinaretur, quam opinionem Hieronymus Origeni tribuit. Epiphanius verò ſcribit eum natum eſſe in oppido Sopha, in tribu Zabulon, ſortitumque fuiſſe nomen *Angeli*, quia eſſet forma præſtanti & moribus inculpatiſſimis præditus. Hic Malachias fuit ultimus Propheta Veteris Teſtamenti quem in Nov. Teſtament. ordine excepit Johannes Baptiſta Meſſiæ præcurſor, de quo hic noſter vaticinatur cap. 3. verſ. 1. cap. 4. verſ. 5. Auguſtinus lib. 17. de civit. Dei cap. 24. *Toto illo tempore, ex quo Judæi redierunt de Babylonia poſt Malachiam, Aggæum & Zachariam, qui tunc prophetarunt & Eſdram, non habuerunt Prophetas uſque ad Salvatoris adventum.* Capitibus conſtat 4. quæ diſtribui poſſunt in duas partes, quarum prior eſt objurgatoria, in qua & Sacerdotes & populus taxantur, tùm ob negligentiam & fraudes in cultu divino & avaritiam in ſacrificiis, tùm ob violationem legum conjugalium & blaſphemias cap. 1. & 2. poſterior conſolatoria, in quo tùm Meſſiæ, tùm ejus prodromi Johannis Baptiſtæ adventus prædicitur cap. 3. & 4. 12. *Malachias.*

168. Atque hi ſunt *duodecim minores*, quos ita vocant, *Prophetæ*; quorum vaticinia Hebræi uno libro complectuntur, quem vocant תְּרֵי עֲשַׂר vel תְּרֵיסַר quaſi dicat *liber duorum ac decem.* Chaldæis enim תרי idem valet, quod apud Hebræos שני duo & עסר reſpondet Hebræo עשר decem. Græci appellant *βίβλον δώδεκα προφητῶν.* Præter hanc diſtributionem, quâ Prophetæ in minores & majores diſtinguuntur, occurrit etiam illa, quâ in univerſum omnes diſtinguuntur in tres claſſes: Ad primam pertinent illi, qui prophetarunt *ante captivitatem Babylonicam*, qui ſunt: Eſaias, Jeremias, Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas,

Nahum, Habacuc & Sophonias. Ad ſecundam pertinent, qui prophetarunt *in ipſa captivitate*, qui ſunt: Ezechiel & Daniel. Ad tertiam referendi ſunt, qui prophetarunt *poſt captivitatem*, videlicet Haggæus, Zacharias & Malachias. Andreas Oſiander lib. 1. annotat. in Herem. cap. 11. tria Prophetarum genera olim fuiſſe aſſerit. Primum eorum, qui quandocunque res poſtulabat, oracula, viſiones aut fatidica ſomnia impetrabant, qualis fuit Moſes, Samuel & alii, quos priſca ætas *Videntes*, vulgus autem Iudæorum *Prophetas priores* vocare ſulent. Alterum genus fuit eorum, qui cùm oracula, viſiones aut ſomnia fatidica pro ſuo arbitrio nunquam dicere poſſent, tamen quoties Deo viſum eſſet, per eos populum docere, adhortari, monere, aut objurgare, divinitùs inſpirati prophetabant. Atque hos Judæi vulgò *poſteriores* vocant eò, quod maxima pars eorum ferè poſt Salomonem ſub idololatris Regibus fuerit, ut Eſaias, Ieremias, Ezechiel, & duodecim, quos vocant minores, cùm melius illud genus circa Davidis tempora ferè deſierit. Tertium genus eſt eorum, qui quamvis oracula, viſiones & ſomnia fatidica à Deo nunquam obtineant, tamen à ſuperioris generis Prophetis tanquam à præceptoribus eruditi & ſancti Spiritus internâ unctione edocti literas Propheticas rectè intelligunt, aliisque eas enarrare & ex eisdem petentibus recta conſilia dare & quæ rectâ ratiocinatione ex eorundem dictis neceſſariò conſequuntur, perſpicere valent. Hos priſca ætas *filios Prophetarum*, Paulus autem Corinthiis ſcribens ſimpliciter eos *Prophetas* appellat.

169. Prophetarum ſpecificè ſic vocatorum munus erat. 1. Futura longè antè quàm fierent, noſſe & prædicere, Deut. 18. verſ. 22. Hinc Juſtinus in Tryphon. p. 175. Prophetas dicit eſſe *homines beatos, juſtos, Dei amantes, Deoq; ipſi caros, divini Spiritus afflatu loquentes & futura vaticinantes, quæ impleri oporteat.* 2. Dei voluntatem hominibus patefacere. Mittebantur enim Prophetæ, docente Lactantio lib. 1. Inſtit. cap. 4. *ut eſſent majeſtatis ejus præcones & pravitatis humanæ correctores.* Inde Auguſt. quæſt. 17. in Exod. Prophetam vocat *Enunciatorem verborum Dei.* 3. Arcana interpretari, quæ aliàs nemo facilè intelligeret. Sic Prophetarum officio fungebantur Ioſeph apud Pharaonem Geneſ. 41. & Daniel apud Nebucadnezarem Dan. 2. 4. in rebus occultis, dubiis & perplexis populo conſulere 1. Sam. 9. verſ. 19. cap. 25. verſ. 6. 5. Ubique videre, ne Eccleſia & Reſpublica aliquid detrimenti capiat. Ideò enim vocabantur olim *Videntes*, non ſolùm quia videbant, quæ eſſent eventura; ac quia ea, quæ prophetabant, tàm certa erant, ac ſi coràm ea vidiſſent, quas cauſas hujus appellationis reddit Chryſoſtomus tom. 1. col. 718. ſed etiam quia velut in ſpecula conſtituti vigilare debebant ac videre, quid è re Eccleſiæ ac politiæ eſſet futurum Ezech. 3. verſ. 2. 6. Præcipuum ac potiſſimum eorum officium erat, *omnia de Chriſto prophetare, quæ & impleta credimus, & impleri cernimus & implenda confidimus*, ut loquitur Auguſtinus lib. 7. de civit. Dei cap. 32. Omnia enim, quæ in illorum libris continentur, vel de Chriſto, vel propter Chriſtum dicta ſunt, ait idem lib. 12. contra Fauſtum cap. 7. quod probatur ab eo per totum librum 18. de civit. Dei, uti etiam à Iuſtino in Dial. cum Tryphon. Tertulliano lib. 9. contra Iudæos, Cypriano lib. contra Iudæos, Chryſoſtomo homil. 4. adv. Iud. Niceta lib. 3. Theſauri cap. 1. Lyrano lib. contra Iudaic. perfidiam &c.

170. Quæcunque igitur in Prophetarum tàm majorum quàm minorum ſcriptis occurrunt, diſtingui poſſunt in duo generalia capita, videl. quod quædam ſint *Hiſtorica*, quædam *dogmatica*. Dogmatica ſunt vel *legalia* vel *Evangelica*. Legalia continent exhortationes cum annexis promiſſionibus vel dehortationes cum annexis comminationibus, quarum quædam concernunt populum Dei in regno Iſrael & Iuda, quædam verò hoſtes populi Dei, videlicet Babylonios, Aſſyrios, Idumæos, Moabitas &c. Ad Evangelica pertinent vaticinia de Chriſto, cujus nativitatem, doctrinam, miracula, paſſionem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionem &c. verbis claris & perſpicuis prænunciant.

171. Quamvis verò Propheticorum ſcriptorū Canonica autoritas à quibusdam hæreticis olim in dubium fuerit revocata. (Theodorus Mopſueſtæ Epiſcopus dicebat, *Prophetas nihil de Chriſto unquam fuiſſe vaticinatos*, ut colligitur ex fragmentis commentariorum ejus, quæ in V. Synodo collat. 4. recitantur. Apelles Prophetas, quia ſpecietenus contraria propoſuiſſe viderentur, contrario Spiritu inſpiratos multa prædixiſſe incerta dicebat, teſte Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 13. Ebionæi Prophetas non admittebant excepto Moſe, in quo pro libitu quædam recipiebant, quædam rejiciebant. Quibus perquam affines ſunt Photiniani Propheticorum ſcriptorum autoritatem obliquè convellentes) tamen conſentienti Eccleſiæ tùm Iſraeliticæ tùm Chriſtianæ ſuffragio hi libri Prophetici in Canonem ſunt recepti, ac Chriſtus & Apoſtoli in Nov. Teſtamt. perſpicuè illud ipſum confirmant. Prodeſt igitur diligenter obſervare, quæ dicta ab Evangeliſtis & Apoſtolis, atque ab ipſo Chriſto ex Propheticis ſcriptis in Nov. Teſt. citentur, quia allegationes iſtæ de divina & Canonica horum ſcriptorum autoritate evidens teſtimonium ferunt.

172. Ejusdem farinæ vel potius furfuris cum illis Propheticorum ſcriptorum hoſtibus ſunt, qui omnes Vet. Teſtam. libros tanquam à malo quodam Deo dictatos olim reſpuebant, quales fuére, Simoniani, Baſilidiani, Marcionitæ apud Irenæum lib. 1. cap. 20. 22. & 29. Manichæi apud Epiphan. hæreſ. 66. Auguſtinum lib. de utilit. credendi contra Manich. cap. 2. & Euſebium lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. ult. Bogomiles apud Euthymium Panopl. part. 2. tit 23. cap. 1. Albigenſib. eundem errorem tribuit Antoninus part. 4. tit. 11. cap. 7. ſed facit illis injuriam. Superiore ſeculo Anabaptiſtæ in Colloq. Franckenthalenſi Vet. Teſt. libros non aliter in diſputationem fidei admittendos cenſuerunt, quàm quatenus cum Nov. Teſtam. concordant. Eorum veſtigiis inſiſtunt Photiniani Vet. Teſt. libris itidem parùm tribuentes. Socinus de autorit. Script. p. 16. *Certum eſt, non poſſe quenquam ulla ratione aut pacto recipere Chriſtianam religionem, niſi ſimul conſiteatur, in ejus patefactione*

tefactione agnitum fuiſſe, vaticinationum de Chriſto & rebus ad ipſum atque ob id ad Chriſtianam religionem pertinentibus ſaltem aliquâ ex parte aliam eſſe ſententiam ab ea, quæ videatur, eamque ejusmodi, ut ſine patefactione iſta de ea ne ſuſpicari quidem quisquam poſſet. Sommerus in refut. Carol. pag. 54. talem proponit Canonem: *Quicquid ex Vet. Teſtament. ad Nov. transfertur, iisdem illud verbis quidem effertur, in rebus autem non niſi ſimilitudinem, eamq; ſæpe exiguam habet.* pag. 55. *Etiamſi David aliquid de Chriſto & rebus ſpiritualibus Novi Teſtamenti ſcripſit, non tantum idipſum intellexit.* Theophil. Nicol. adverſus Miedziboziumpag. 68. *Recipitur quidem hoc teſtimonium Prophetæ, ſed plus valuiſſet, ſi Apoſtolus dixiſſet.* Oſtorodus in inſtit. Germ. part. 3. cap. 28. pag. 187. Vet. Teſtam. vocat *imperfectum, novum autem perfectum; adeoque huic illud cedere concludit.* Quoad umbras, Ceremonias, ſacrificia ac leges forenſes illud eſt veriſſimum, ſed lex moralis & doctrina de Meſſia utrobique eſt eadem, gradus ſunt claritatis, non autem autoritatis in utroque Teſtamento. Schmaltzius in refut. Smiglec. pag. 79. *Parùm curandum eſt, quid dicat de cultu Dei Propheta veteris fœderis.* Idem contra Frantzium: *Quid mirum, ſi is, qui Chriſtianam religionem tractat, potiſſimùm urgeat locos novi fœderis, cùm certum ſit, ex his potiſſimùm & principaliter iſtam demonſtrandam eſſe, & quicquid ex Veteri Teſtamento ad eandem affertur, id non tàm ad confirmandam eam vel fidem ei faciendam quàm illuſtrandam & commendandam facias?*

173. Opponimus autem huic errori ejusmodi argumentum. Quæcunque Scriptura 1. eſt θεόπνευστος. 2. quam Chriſtus ſcrutari jubet. 3. ad quam Chriſtus & Apoſtoli provocant & ſuam doctrinam ex ea confirmant. 4. quæque fundamentum Eccleſiæ continet, ea eſt Canonica & parem cum libris Nov. Teſtam. autoritatem obtinet. Atqui Scriptura ſacra Veteris Teſtamenti eſt 1. θεόπνευστος. 2. Tim. 3. v. 16. ubi de libris etiam Veteris Teſtamenti ſermonem eſſe colligitur, tùm ex nota Univerſali πᾶσα γραφὴ ſcilicet ſacra ex v. 15. tum ex circumſtantia temporis, quia tempore infantiæ Timothæi de Novo Teſtamento parum vel nihil literis fuit commendatum. 2. Chriſtus eam nos ſcrutari jubet Johan. 5. verſ. 39. addito hoc inſigni elogio, quod teſtimonium de ſe perhibeat, & quod vitam æternam in ea poſſimus invenire Luc. 16. verſ. 29. Moſen & Prophetas audire jubet ac cruciatus gehennæ evitare poſſe aſſeritur, ſi ipſos diligenter audiamus & doctrinam ipſorum amplectamur. 3. ad eandem Chriſtus & Apoſtoli provocant, ſuaque omnia ex illis probant Luc. 24. verſ. 27. Rom. 3. verſ. 21. Actor. 10. verſ. 43. cap. 26. verſ. 20. &c. 4. eadem continet fundamentum Eccleſiæ Epheſ. 2. verſ. 20. *Extructi eſtis ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum.* Socinus quidem in tract. de loco Matth. 16. pag. 66. per Prophetas in hoc dicto Apoſtolico intelligendos eſſe dicit illos Nov. Teſtam. Prophetas, quorum mentio fit Epheſ. 4. verſ. 11. 1. Cor. 12. verſ. 28. *Qui occultiora quædam ad Chriſtianam religionem pertinentia aperiebant, unde fides audientium confirmari & augeri poterat, quibus nomen fundamenti non aliter accommodetur, quam quod fuerint ex primis, qui Chriſtianam religionem annunciarunt & confirmarunt.* At loquitur hîc Apoſtolus de univerſalis Eccleſiæ fundamento tàm in Vet. quàm in Nov. Teſtam. cui & Judæorum & gentilium fides innitatur, ut colligitur ex antecedentibus & conſequentibus. Fundamentum illud ſtatuit Prophetas & Apoſtolos reſpectu ſcilicet doctrinæ, ſicut etiam Apocal. 21. verſ. 14. murus civitatis ſanctæ dicitur habere *fundamenta duodecim, & in illis nomina duodecim Apoſtolorum agni.* Quare cùm doctrina Prophetica cum Apoſtolica exactè congruat Act. 26. verſ. 22. Rom. 3. verſ. 21. ideò in hoc Eccleſiæ fundamento deſcribendo Prophetæ Apoſtolis conjunguntur. Quid quod Socinus lib. de autor. Script. p. 5. Vetus Teſtamentum à Novo apertè confirmari ſcribit, quomodo ergò non erit ejusdem cum eo autoritatis.

CAP. VIII.

De apocryphis Vet. Teſt. libris in ſpecie.

174. Diximus ſuperiùs §. 67. *Apocryphorum* Vet. Teſtam. librorum duplicem poſſe ſtatui claſſem: *Prior* continet eos, qui ipſorum Pontificiorum ſaniorum confeſſione ſunt apocryphi, utut in Codice Biblico Græco vel Latino contineantur. *Poſterior* continet libros eos, qui à Pontificiis habentur pro Canonicis, cùm tamen reverâ ſint apocryphi. Ad priorem claſſem pertinet. 1. *Tertius & quartus Eſdra.* Non deſunt ſanè, qui & hos libros volunt eſſe Canonicos. Genebrardus lib. 2. Chronolog ann. mundi 3638. in poſteriorem Hebræorum Canonem eos collocat. *Tertius*, inquit, *& quartus Eſdra non ſunt de priore Canone Hebræorum, quia nondum erant editi, quando Canon iſte ſancitus eſt. At non deſunt eſſe Sacri & Canonici, quoniam hæc Synodus non obligat conſecutos autores ſacros, neque Spiritus afflatum extinguebat vel contrahebat, propter quos editus eſt alter Canon.* Piſtorius in prima motiva, quare Marchio Badenſis ad Papatum defecerit, magnâ audaciâ B. Lutherum accuſat, quod duos poſteriores Eſdræ libros è Bibliis evulſerit, ſic enim ſcribit pag. 34. *Duo poſteriores libri Eſdra nihil ei plus valent, quam fabula Æſopi vel etiam vilioris nota libri, ita ut autumet ſe illos meritò ex ſuis Bibliis exturbare & nec verſione dignari.* (At non ſolùm Hieronymus, ** cujus hæc ad Domin. & Rog. tom. 3. p. 21. *Nec apocryphorum tertij & quarti (Eſdræ) libri ſomniis delectetur* (quisquam) *quia & apud Hebræos Eſdræ, Nehemiæ ij, ſermones in unum volumen coarctantur & quæ non habentur apud illos, nec de 24. ſenibus ſunt procul abjicienda.*** ſed ipſe etiã Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 20. *Fabulas Iudaicas*, quæ non ſunt præſtantiores Æſopicis ſabellis, *in illis contineri* agnoſcunt. Miratur quidẽ Bellarminus quid Genebrardo, cui hac in parte Piſtorius ſuffragatur, in mentem venerit, ut hosce libros in Canonem reciperet, ſed noverit, Genebrardum æquè ſolidis argumentis confirmare hos libros eſſe Canonicos ac Bellarminus reliquos controverſos tales eſſe probat. Nam tertius liber Eſdræ citatur ab Origene, Cypriano, Athanaſio,

Apocryphi prioris claſſis:

1. Tertius & quartus Eſdra.

Clemente Alexandrinn, Auguſtino, autore imperfecti operis &c. Qnartus citatur ab Ambroſio, Irenæo, Clemente Alexandrino, Tertulliano, Baſilio, Chryſoſtomo &c.) Bibliander in tract. de fatis Monarch. Rom. ſol. 4. & ſeqq. quartum librum Eſdræ itidem pro Canonico habet. Scalig. excrcit. 308. *Arcana multo plura continentur in libris Eſdra atque potiora, quam quavis enarratione. Eorum admirabile ac divinum compendium apud me eſt, Syrâ conſcriptum linguâ.* Societas Roſicrucia ex quarto libro Eſdræ multa adducit. Sed apocryphos eos eſſe, facili negotio demonſtrari poteſt: 1. Nec Hebraicè nec Græcè ſcripti extant, Prophetici igitur eſſe nequeunt, cùm non habeantur ſcripti linguâ Propheticâ. Sanè quartus liber redolet phraſin Hebraicam, ſed ſi Cannnicus eſſet, divina providentia nunquam permiſiſſet originalem ejus textum interire. Quidam dicunt, exemplar ejus Chaldaicum Venetiis adhuc extare. Sed hoc incertum eſt & poteſt eſſe ejuſmodi exemplar, quale eſt Hebraicum Tobiæ à Münſtero confectum. Meritò igitur contra horum librorum autoritatem Hieronymus hoc urget præfat. in Eſdram, *quòd non ſolum apud Hebræos non habeantur, ſed ne quidē apud ſeptuaginta.* Sunt qui exiſtimant, librum hunc tempore Nov. Teſt. poſt Apocalypſin Johannæam eſſe ſcriptum, & ſub Eſdræ nomine editum à quodam converſo Judæo, qui de ſtatu Eccleſiæ Nov. Teſtam. loquitur juxta ſtatum veteris Eccleſiæ. Poſt tempora Malachiæ, qui fuit ultimus Vet. Teſtam. Propheta eum ſcriptum eſſe, apparet ex cap. 1. v. 40. 2. Continent ſabulas Judaicas ac vana ſomnia propinant. Hieronymus d. l. 3. Contradicunt aliis libris Biblicis. Videat quis, num poſſint conciliari ea, quæ lib. 3. cap. 4. dicuntur de ædificatione templi cum prophetia Haggæi, & quæ de ædificatione Hieroſolymorum dicuntur cum vera Hiſtoria Eſth. 10. Conferat etiam, quæ lib. 4. cap. 10. verſ. 22. leguntur, cum iis, quæ 2. Maccab. 2. verſ. 4. commemorantur. 4. Deſtituuntur Eccleſiæ tàm Iſraeliticæ quàm Chriſtianæ conſentiente ſuffragio. 5. Ab ipſis ſanioribus Pontificiis à Canone removentur.** Sixtus Senenſis lib. Biblioth ſub titulo Eſdræ duo. *Quem nos tertium Eſdra librum inſcribimus & inter apocrypha ſcripta rejicimus, illum Graci patres in ſacro Canone collocant, & primum in ordine librorum Eſdra ſtatuunt, quod ea qua in eo narrantur, geſta ſint ante ea, qua Eſdra & Nehemia libris continentur. Qui vero apud nos primus & ſecundus ſunt, illi utrumque ſub ſecundo volumine Eſdra, comprehendunt, quapropter apud eos primi Eſdra initium ſic habet,* καὶ ἤγαγεν Ἰωσίας τὸ πάσχα. *Secundus vero ſic incipit,* καὶ ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει. Gelaſius in Concilio Romano 70. Epiſcoporum, unum tantùm Eſdræ librum ponit in Canone, quo uno ſine dubio noſtros duos intelligit, qui ut Hieron. teſtatur, præfatione in Eſdram, *uno volumine continentur.* Itaque diſertis verbis Gelaſius priorem illum, qui eſt apud Græcos ſive tertium & quartum apud Latinos rejecit. Lyra manifeſtè eos excludit. Strabo & Hugo Cardinalis indignos cenſuerunt, quos gloſſis ſuis exponerent. Ludovic. Vives in lib. 18. de civit. Dei cap. 36. *Tertius & quartus Eſdra inter apocrypha rejiciuntur, qua Hieronymus vocat ſomnia.* Idem ſtatuunt Vatablus, Patres Concilii Tridentini ſeſſ. 40. Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 20. & lib. 2. cap. 1. Gregor. de Valent. de Eccleſ. pag. 335. &c. Sanè quidam veterum Eccleſiæ Chriſtianæ Doctorum, ut & Ioſephus ex his libris quædam adducunt, ſed hoc nondum eſt ſufficiens Canonicæ autoritatis ſtabilimentum, ut ſuo loco videbimus. Ex quarto libro Eſdræ cap. 1. verſ. 30. adducit Chriſtus comparationem Matth. 23. verſ. 37. *Volui vos congregare, ut gallina congregat pullos ſuos ſub alis,* ſed nec hæc allegati evidens eſt Canonicæ autoritatis argumentum, ut infra monebimus.

2. Tertius & quartus Maccabaorū.

175. 2. *Tertius & quartus Maccabaorum.* Franciſcus Turrianus lib. 1. de Canon. Apoſt. cap. 11. vehementer ſuadet recipiendum eſſe in Canonem tertium Maccabæorum cum Can. 84. Apoſtol. tres Maccabæorum inter Canonicos computentur. Sed Canones illos Apoſtolicos eſſe apocryphos probat. 1. *Styli ratio.* Miniſtri Eccleſiarum vocantur in illis *Clerici*, cùm Apoſtoli in genuinis ſuis ſcriptis hanc vocem nunquam tribuant ſolis Eccleſiæ Miniſtris, ſed totum populum Chriſtianorum vocent Clerum 1. Pet. 5. verſ. 3. 2. *Temporis collatio.* Multa arguunt hos Canones poſt Apoſtolorum tempora fuiſſe conſcriptos, tùm inprimis illud, quod de oblatiōe ſuper altari, can. 3. de diſtinctis gradibus & ordinationibus Epiſcoporū & Presbyterorum, de Paſchate celebrando ante æquinoctium vernum, de vaſis aureis & argenteis ſanctificatis, de Epiſcopis parœciam relinquentibus, cujus vocis nondum in Eccleſia Apoſtolica fuit uſus, de iis, qui ſeipſos caſtrant, cùm huic Canoni Origenes longè poſt Apoſtolorum tempora occaſionem dederit, de Cantoribus & Lectoribus, qui nondum erant inſtituti, de Epiſcopis per favorem Secularium poteſtatum Eccleſias obtinentibus, quo tempore poteſtates ſeculares omnes erant Chriſtianis infeſtæ & ſimilibus in eis continetur. 3. *Saniorum Pontificiorum confeſſio.* c. Sancta Romana diſt. 15. *Liber Canonum Apoſtolicorum apocryphus.* diſt. 16. iidem autoritate Iſidori rejiciuntur: *Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ſive quia eoſdem nec ſedes Apoſtolica recepit, nec ſancti Patres illis aſſenſum prabuerunt pro eo, quod ab hareticis ſub nomine Apoſtolorum compoſiti dignoſcuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab autoritate Canonica atque Apoſtolica eorum geſta conſtat eſſe remota atque inter apocrypha reputata.* Poſſevinus in apparatu ſacro tit. Clemens: *Neque verò hoc loco tanti facienda eſt Canonum Apoſtolicorum defenſio a noſtro Franciſco Turriano magni zeli & eruditionis viro ſuſcepta, ut memoratas tantorum Patrum autoritates non opponamus. Is enim non probat ſingulos Canones eſſe legitimos, ſed in genere aliquos eſſe Canones Apoſtolorum,* Baronius, quamvis Canonum illorum autoritatem ſtabilire nitatur, ipſe tamen tandem nutat, ut apparet ex tom. 2. annal. anni 102. ſect. 11. & tom. 8. ad annum 692. ſect. 47. quinimò diſertè anno Chriſti 58. ſect. 23. oblatâ occaſione ex Can. Apoſtol. 5. quo damnatur Presbyter aut Diaconus, qui ſuam uxorem ejicit prætextu religionis, Canones illos repudiat, dicens: *non eſſe, quod de Canone Apoſtolorum quis moveat quaſtionem, nam apocry-*

phorum

phorum non eſſe tantam autoritatem, ut quæ ſunt certè, rata & firma, convellant. Is tamen Canon 5. habetur inter 50. quos antiquitati fuiſſe notos antè dixerat, quem cùm rejicit, omnia expungit, quæ Turrianus pro illorum autoritate dixerat. ** Jodoc. Clichtovæus in comment. ſuper lib. 4. Damaſc. cap. 18. *Canones regulaſq; Apoſtolorum ad Eccleſiæ inſtitutiones traditas in ſui exordio habuit Eccleſia per Clementem collectas &c. nunc tamen temporum injuria & malignitate illis caremus.* ** Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 20. §. Quod ad priorem &c. *Probabile videtur, Canonem illum non eſſe Clementis. Nam Zepherinus Papa XV. a Petro in Epiſt. 1. eradit, ſolùm 70. fuiſſe Canones Apoſtolorum, vel ut alii Codd. habent 60. Humbertus autem in libro contra Nicetam non agnoſcit niſi 50. at iſte eſt octuageſimus quartus. Et certe meliùs noverat Zepherinus, quot eſſent Apoſtolorum Canones, quam illi poſteriorum, Quocirca non ſine cauſa Gelaſius* diſt. 15. c. Sancta Romana, *poſuit inter apocrypha Canones Apoſtolorum, quod propter aliquos vel corruptos, vel additos ab hæreticis feciſſe videtur &c. Deinde in iſto Canone 84. numerantur libri Canonici, & omittuntur quidam, qui certiſſimè ſunt Canonici, ut libri Eſdræ, Tobiæ, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, Apocalypſis, quæ res non minimi momenti eſſe videtur. Nam Eccleſia, quæ poſt Apoſtolos fuit, non aliunde didicit, qui libri ſint Canonici & qui non ſint, quàm ex traditione Apoſtolorum. Præterea in iſto eodem Canone 84. numerantur inter ſacros libros non ſolùm tertius Maccabæorum, ſed etiam Epiſtolæ duæ Clementis & Conſtitutiones Apoſtolicæ ejuſdem Clementis, quos tamen libros Eccleſia nunquam pro ſacris agnovit &c.* Vide plura de Canonibus Apoſtolorum Centur. Magdæb. 1. lib. 2. cap. 7. & apud Rivetum in Critico ſacro pag. 107. Ergò ex Canonibus Apoſtolorum neutiquam poterit Canonica autoritas tertii Maccabæorum libri demonſtrari, quem uti & quartum eſſe apocryphos probatur. 1. Quia non ſunt ſcripti a Propheta, nec linguâ propheticâ. 2. Deſtituuntur Eccleſiæ teſtimonio. Athanaſius in Synopſi mentionem facit quarti Maccabæorum, ſed conſtituit eum extra Canonem.

3. Oratio Manaſſis.

176. 3. *Oratio Manaſſis.* Eam eſſe extra Canonem in propatulo eſt. 1. Quia non habetur nec in Hebræo textu, nec in Græcis Bibliis. 2. Deſtituitur Eccleſiæ teſtimonio. 3. Repudiatur ab ipſis Pontificiis. Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 20. §. Enumerantur: *Orationem Regis Manaſſe ideo apocrypham, aut non certo Canonicam dicere poſſe videmur, quia non eſt pars alicujus libri ſacri, nec ponitur nominatim in Canone ab aliquo Concilio vel Pontifice vel Patre, nec habetur in Hebræa aut Græca, ſed ſolùm in Latina editione.* At ſubjungitur libris Paralipomenõ ut pars quædam, & Patres ex ea interdum aliquid allegant. Sola igitur tertia ratio à Bellarmino adducta eſt firma & efficax, quod non ſit Canonica, *quia non habetur in textu Hebræo.* At hac ratione cogetur Bellarminus plures libros è Canone expungere, quos tamen pro Canonicis habet. 4. Quidam addunt, quod pugnet cum fidei analogia. Negat enim *pœnitentiam eſſe poſitam juſtis.* Sed conſentit hoc cum dicto Chriſti Luc. 15. v. 7. ac eodem modo explicandum eſt, videlicet quod non *abſolutè*, ſed *comparatè* hoc ſit accipiendum. Niſi quis per juſtos in dicto Chriſti malit intelligere eos, qui ſemetipſos reputant juſtos. Vide locum de pœnitentia §. 138.

4. Pſalmus 151.

177. 4. *Pſalmus 151.* Meminit hujus Pſalmi Athanaſius in Synopſi ac invenitur in quibuſdam Bibliis Græcis. Sed apocryphus eſt. 1. quia non habetur in textu Hebræo, qui ſolus eſt authenticus. 2. Concilium Laodicenum can. 59. & omnes veteres nominatim 150. Pſalmos in Canone ponunt.

5. Appendix libri Iob.

178. 5. *Appendix libri Job*, quæ incipit γέγραπται δὲ αὐτὸν πάλιν ἀναστήσεσθαι &c. Eam eſſe apocrypham patet. 1. quia non habetur in Hebræo, ſed duntaxat in Græcis Codicibus. 2. Hieronymus in qq. in Geneſin demonſtrare nititur, falſum eſſe, quod in illa appendice habetur, Jobum fuiſſe de ſtirpe Eſau, cùm fuerit de ſtirpe Hus, qui fuit filius Nachor fratris Abrahæ. 3. Bellarm. d. l. addit tale argumentum: *Appendix illa nititur potiſſimùm autoritate capitis 36. libri Geneſeos, ubi numeratur Jobab inter poſteros Eſau, at longè aliud nomen eſt* [illegible] *quod eſt proprium ipſius Iobi, quam* [illegible] *quod habetur in Geneſi cap. 36.* Sed quid hac de re ſtatuendũ ſit, expoſuimus ſuperiùs.

179. Hiſce apocryphis addit Bellarm. d. l. præfatiunculã, quæ præfigitur Threnis Jeremiæ, quæ ſic habet: Καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶπεν. Hanc præfationẽ eſſe apocrypham probat ex eo, quod non ſit in Hebræis Codicibus, nec in omnibus Latinis & ab Expoſitoribus non attingatur. Solidũ atq; efficax eſt primum argumentum, ſed eâ ratione cogetur Bellarm. omnes illos libros ex Canone Vet. Teſt. removere, quos noſtræ Eccleſiæ pro apocryphis habent, nullus enim eorum in Hebræis invenitur.

Poſterior claſſis apocryphorũ.
1. Tobiæ liber non eſt Canonicus
1 quia non habetur in fontib. Hebrais.
2. Editio Græca non convenit cum Latina.

180. Ad *poſteriorem* apocryphorũ V. T. librorum claſſem pertinent. *1. Liber Tobiæ.* Eum eſſe extra canonem demõſtramus ſequentibus argumentis. 1. Non habetur in fontibus Hebræis. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 3. librum Tobiæ *in Chaldaica lingua* editum eſſe dicit. Sed incertum hoc eſt, hodie non niſi in Græco & Latino ſermone extat. Chaldaicum exemplar ſe vidiſſe Hieronymus aſſerit, ſed nihil illi tribuit. Hebraicum exemplar, quod extat, eſt à Múnſtero adornatum ex textu Græco. 2. Editio Græca non convenit cũ Latina. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 11. unicam duntaxat producit diſſentionem ex collatione capitis tertii & noni. Nam c. 3. v. 7. dicitur Sara quam Tobias junior uxorem accepturus erat, habitaſſe *in Rages civitate Mediæ,* ubi etiam Gabelus fuiſſe dicitur c. 4. Contrà verò cap. 9. v. 3. cùm Tobias apud Raguelem divertit ac nuptias cum Sara celebraturus eſt, *mittit Angelum ad Gabelum in Rages,* ut recipiat ab eo pecuniam & ad nuptias ſimul invitet. Si & Sara & Gabelus in Rages Medorum habitarunt, quorſum opus fuit ablegatione Angeli ad Gabelum? Bellarminus affert reſponſionem Medinæ lib. 3. de recta in Deum fide cap. 14. quod in Græco textu cap. 3. legatur ἐν Ἐκβατάνοις, ubi Latina vitio ſcriptorum corruptè legit in Rages; ac Lyræ, quod duæ fuerint Rages in Media. Sed neutram reſponſionem amplectitur. Si enim Medinæ reſponſionem acceptaret, concedendum foret, Græcam editionem eſſe puram, Latinam verò

coıru-

corruptam. Aliter igitur reſpondet, videlicet in cap. 3. *vocari Rages non ipſam civitatem, ſed locum aliquem vicinum, cùm Romæ habitare dicatur, qui Tuſculi vel alibi in agro Romano habitat.* Sed ICti notant, quod urbis appellatio muris Romæ autem continentibus ædificiis finiatur l. urbs. ff. de Verbor. ſignif. non ergo habitat Romæ, niſi qui intra muros Romæ ſaltem continentibus ædificiis habitat, unde Mich. Medina hanc reſponſionem improbat, diſertè enim dicitur, quod Sara habitârit in Rages civitate Medorum. Ac circumſtantiæ textus manifeſtè oſtendunt, Gabelum non in vicinia, ſed in civitate diſtantiore habitaſſe, ſiquidem Angelus aſſumit animalia & ſervitia, cùm ingreſſurus eſſet viam cap. 9. v. 3. Cauſa etiam ablegationis adducitur iſta, quod Tobias noluerit moras nectere, ſed interea abſente Angelo nuptias parare & expedire omnia, ut ad reditum in patriam eſſet inſtructior. Quod ſi in vicinia habitaſſet Gabelus, Tobias ipſemet ad eum fuiſſet profectus. Sed enim ſi vel maximè hæc una difficultas eſſet ſolidè eaplicata, quid fieret reliquis diſſenſionibus, quæ magno numero adduci poſſunt, ſi editio Græca in opere Complutenſi & Latina verſio vulgata invicem conferantur. In exordio c. 1. v. 1. habentur quædã in Græca, quæ non ſunt in Latina. v. 4. ſunt in Latina, quæ non ſunt in Græca v. 7. ſunt in Græca multa, quæ in Latina deſiderantur & rurſus ſunt in Latina, quæ non ſunt in Græca. Idem occurrit v. 10. 16. 23. 25. cap. 3. v. 6. Græca legit quædam, quæ Latina non habet. v. 11. 12. plurima ſunt in Latina, quæ non extant in Græca. Idem occurrit v. 17. 18. Itemque cap. 4. v. 6. & 13. De tempore, quo viſum amiſerit Tobias, diſſenſio eſt. Latina exprimit annum 56. c. 14. v. 3. Græca annum 58. cap. 14. v. 2. Rurſum, quamdiu cœcus fuerit Tobias, non conſentiunt. Latina numerat quatuor annos cap. 14. v. 3 Græca octo numerat cap. 14. v. 2, Sea filios Tobiæ tribuit, Græca cap. 14. v. 5. Septem Latina cap. 14. v. 5. Seniorem Tobiam vixiſſe annos centum ac duos refert Latina cap. 14. v. 2. Græca centum quinquaginta & octo annos illi tribuit cap. 14. v. 13. Iuniorem Tobiam Latina dicit vixiſſe annos 99. cap. 14. v. 11. Græca 127. cap. 14 v. 16. Sennaheribum interfectum eſſe à filiis poſt dies 45. aſſerit Latina cap. 1. v. 24. Græca habet 55. dies. Hieroſolymam deſolatum iri & incenſum domum Dei dicit Græca cap. 1. v. 6. Latina dicit, id jam eſſe factum. Diſpiciant ergo priùs Pontificii, an Græcam editionem, an verò Latinam verſionem velint acceptare ut Canonicam, antequam librum illum pro Canonico nobis obtrudant. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 12. *editionem Græcam libri Judith dicit eſſe corruptam.* Idem procul dubio dicturus de editione Græca Tobiæ.

3 Pugnat cum veritate Hiſtorica.

181. 3. Editio Græca non ſolùm pugnat cum verſione Latina ſed etiam cum veritate Hiſtorica. Juxta aſſertionem editionis Græcæ defectio Iſraëlis à domo Hieroſolymitana facta eſt, cùm Tobias ſenior adhuc eſſet juvenis c. 1. verſ. 4. *νεωτέρου μου ὄντος πᾶσα φυλὴ τοῦ Νεφθαλεὶμ τοῦ πατρός μου ἀπέστη ἀπὸ τοῦ οἴκου ἱεροσολύμων.* Incidit autem illa defectio in annum mundi 2971. juxta Crentzheimij & Reuſneri ſupputationem. Idem Tobias Senior cœcitatem contraxit c. 2. v. 11. noctu v. 10. in feſto pentecoſtes verſ. 1. poſt mortem Sennacheribi à duobus filiis interfecti c. 1. v. 24. poſt fugam ex Judæa verſ. 21. quæ incidit in annum mundi 3241. 2. Reg. 19. v. ult. Conjunge annos cæcitatis octo c. 14. v. 2. itemq; annos 92. poſt recuperatum viſum, complevit enim annos vitæ 158. c. 14. v. 13. cœcus factus anno 58. v. 2. & octo fuêre anni cœcitatis. Quod ſi in ſummam colligatur totum illud tempus à defectione Iſraëlis à domo Hieroſolymitana, hoc eſt, ab anno mundi 2971. quo tempore finge Tobiam habuiſſe annos 20. ad mortem Sennacheribi, quæ incidit in annum 3241. erunt anni 290. adde annos 8. cœcitatis & 92. à recuperato viſu ad mortem, exurgent anni 390. Tot annos vitæ oportuiſſet Tobiam habere, cùm tamen illi tribuantur anni duntaxat 158. in editione Græca. Hic tamen minor numerus congruet, ſi initium numerandi feceris non à defectione decem tribuum, ſed à captivitate Aſſyriaca, quæ incidit in annum mundi 3232. inde ad mortem Sennacheribi effluxerunt anni 9. quibus adde ætatem Tobiæ. 58. & annos 8. cœcitatis & 92. poſt viſum reſtitutum, ſumma erit 158. Latina verſio ponit annos vitæ Tobiæ ſenioris tantùm 102. c. 14. v. 2. quæ verſio in Concilio Tridentino facta eſt authentica. Quæramus igitur, quomodo hi vitæ anni cum Hiſtorica veritate congruant. Captivus abducitur Tobias ſenior c. 1. v. 2. anno mundi 3232. natus annos 56. lumen oculorum amittit c. 14. v. 3. idque poſt mortẽ Sennacheribi c. 1. v. 24. & 25. c. 11. v. 11. intercedunt autem inter captivitatem Iſraëlis & mortem Sennacheribi anni 9. unde Tobias fuerit annorum 47. cùm abduceretur captivus. Poſt recuperatum ætatis anno 60. viſum c. 14. v. 3. vixit Tobias annos 42. c. 14. v. 1. ſumma t. hæc ex 47. 9. 4. & 42. eſt 102. annorum v. 2. & tamen v. 6. & 7. dicit prope eſſe, ut domus Dei incenſa reædificetur. Incenſum autem eſt templum anno mundi 3365. hoc eſt, à captivitate Iſraelis 133. anno, quibus 133. annis adde 47. quos natus fuit Tobias, cùm duceretur captivus. Item annos 50. vel circiter poſt incenſum templum. Quia enim dicit, prope eſſe, ut reædificetur, videtur reſpicere ad annos ſeptuaginta, captivitati Babylonicæ præfinitos, quos ad finem decurrere his verbis innuere voluit & exibit tota ſumma 230. annorum. Aut ergo ducenteſimum ætatis annum exceſſit Tobias ſenior contra cap. 14. v. 2. aut apertè falſa ſunt, quæ v. 6. & 7. dicuntur de propinquâ reædificatione incenſæ domus Dei. Sic Tobias junior. cap. 1. v. 11. dicitur captus cum parente à Salmanaſſare anno mundi 3232. cap. 14. v. 7. templum Dei exuſtum eſt, juniore imò & ſeniore Tobia adhuc vivente anno mundi 3365. à captivitate igitur Tobiæ uſque ad templi exuſtionem anni abierunt 133. dicitur autem junior Tobias vixiſſe tantùm annos 99. cap. 14. v. 16. adjice annos licet pauciſſimos, quos habuit cùm duceretur captivus & illud tempus ex cap. 14. v. 15. quo mortuis parentibus vixit in Media, ubi vidit quintam generationem. Quin & iſtud perpende, quod Senior Tobias moriturus dicit, *in propinquo eſſe, ut Iſraëlitæ diſperſi revertantur in terram & domus Dei, quæ incenſa eſt, reædificetur* c. 14. v. 6. & 7. quo tempore Junior Tobias nondum habuit nepotes multoque minus pronepotes, ſed abnepotes, ſed tantùm filios. c. 14. v. 5. & profer conſtantem aliquam & firmam conciliationẽ. Sic Tob. 14. v. 7. Tobias cõpletis 102. vitæ ſuæ annis moribundus in lecto affirmat *domum Dei*, hoc eſt templum Hieroſolymi-

Digitized by Google

lymitanum *incenſum à Chaldæis reædificatum iri.* Atqui templum illud nondum fuit combuſtum, cùm Tobias moreretur. Si enim conferatur cap. 1. v. 2. Tobiæ cum 2. Reg. 17. & 18. apparebit, Tobiam deportatum fuiſſe in captivitatem Aſſyriacam dieb. Salmanaſſar Regis Aſſyriorum. Abduxit autem Salmanaſſar Iſraelitas captivos in Aſſyriam anno nono Hoſeæ Regis Iſrael. 2. Reg. 17. v. 6. Ezechias Rex Juda regnare cœpit anno tertio Hoſeæ 2. Reg. 18. v. 1. ergo circa ſextum annum Ezechiæ deportatur Tobias in captivitatem. Jam verò à ſexto anno Ezechiæ ad cõflagrationem templi ſunt anni 130. *ὡς ἐν πλάτει.* Ezechias enim regnavit annis 29. ex quibus ſi ſubducantur anni ſex, quibus regnavit ante captivitatem, reſtant 23. Ezechiæ ſucceſſor Manaſſes regnavit annis 55 Manaſſis ſucceſſor Ammon regnavit annis 2. Ammonis ſucceſſor Joſias annis 31. Joſiæ ſucceſſor Joachaz menſibus 3. Joachazi ſucceſſor Iehoiakim annis 11. Iehoiakimi ſucceſſor Jehoiahin menſibus tribus, Jehoiahini ſucceſſor Zedekias annis 11. cujus anno undecimo incenſum eſt templum, quæ omnia referuntur 2. Reg. 18. 21. 22. 23. 24. & 25. hi anni conjuncti efficiunt 130. Neceſſe igitur eſt Tobiam priùs fuiſſe mortuum quàm templum incenſum. Joh. Benedictus Pariſienſis in annotat. margin. ad librum Tobiæ fatetur templum Hieroſolymitanum ſtetiſſe adhuc eo tempore, quo moriebatur Tobias. Verba igitur ipſius accipit ſenſu Prophetico dicta. Prophetæ enim ob vaticinorum certitudinem de rebus futuris loquuntur verbis præteritis. Atque verba ſunt Hiſtorica, proponit enim incenſionem templi ut rem geſtam, reædificationem autem prædicit futuram.

4. Habet quædam non congrua Canonicæ veritati.

182. 4. Hic liber quædam Canonicæ veritati & fidei analogiæ minùs congrua alicubi continet. 1. cap. 5. v. 18. dicit Angelus Tobiæ junioris comes *ſe eſſe de genere Azariæ & Ananiæ magni.* c. 11. v. 3. Tobias & comes ipſius Angelus à Raguele interrogati unde ſint, reſpondent, *ex filiis Naphthalim captivis in Ninive.* Mentitur igitur Angelus, ſe eſſe ex filiis Iſraël, ſe eſſe filium Azariæ, ſe eſſe ex tribu Naphthalim. Atqui Angelis ſanctis in Scripturis Canonicis nuſpiam tribuitur mendacium quippe quod eſt peccatum longè graviſſimum, &c. Reſpondet autor gloſſæ ordinariæ, *myſticè verba Angeli eſſe intelligenda. Erat ex numero Angelorum, qui ſunt filii Iſrael, quoniam ſemper vident Deum à facie ad faciem & ſæpè mittuntur ad cuſtodiam Iſraelis, id eſt, videntium Deum.* Lyranus eodem ferè modo interpretatur. *Aſarias ſignificat adjutorem Dei. Angeli verò ſunt adjutores, in quantum per eorum miniſterium electi diriguntur ad ſalutem.* Et poſtea: *Filius Ananiæ. Ananias verò interpretatur Dei gratia, cujus filii ſunt Angeli, quomodo dicuntur filii gloriæ, quando eſt gloria conſummata.* Dionyſius in eandem abit ſententiam: *Angelus ſe vocat filium Ananiæ, i. e. Dei, qui propterea vocatur Ananias, quod reſpondeat, h. e. clementer annuat precibus noſtris, Aſariam verò ſeipſum vocat, propterea, quod à Deo emiſſus eſſet ad opem ferendam Tobiæ, dicuntur autem Angeli filii Dei ratione creationis.* Hæc illi, de quibus breviter monemus. 1. Aliud dicit Angelus, aliud intelligit Tobias 2. Non ſolùm vocat ſe Angelus *filium Ananiæ,* ſed etiam dicit ſe eſſe *ex tribu Naphthalim,* quod novam requireret explicationem. Hugo Cardinalis reſpondet: *Hoc verum fuiſſe de Tobia quoad literam, quoad Angelum fuiſſe verum quoad nominis interpretationem. Naphthalim enim inquit, interpretatur dilatatio & Angelus erat de illis, qui erant dilatati caritate.* At quomodo explicari vel potiùs torqueri poteſt illud, quod Angelus. 3. dicit ſe *fuiſſe ex captivitate Ninives?* num & Angeli in captivitatem Aſſyriacam ſunt abducti. 4. ut nihil dicamus de eo, quod nominis Iſraël & Nephthalim alia tradatur Etymologia Gen. 30. v. 8. cap. 32. v. 28. 5. in Græco dicitur *filia Ananiæ fratris Tobiæ.* Num ergo Deus cujusquam frater? Et quæcunque tandem afferatur verborum iſtorum myſtica explicatio, ſemper manet illud dubium, quod Angelus ad interrogationem propriam reſpunderit figuratè & myſticè, ac tale quid in ſenſu myſtico protulerit, quòd Tobias & Raguel tanquam propriè dictum acceperunt. Obſerva autem hoſce autores, Lyranum, Dionyſium, Hugonem Cardinalem &c. explicatinnes illas afferre, non ut Canonicam hujus libri autoritatem aſſerant, eam enim ipſimet nobiſcum repudiant, ſed ut obtineant, nihil falſi in hoc libro Codici Biblico inſerto contineri.

183. 2. Cap. 6. v. 8. dicit Angelus ad Tobiam juniorem, *fumum cordis ex piſce exemti & carbonibus impoſiti extricare omne genus Dæmonum, ſive à viro, ſive à muliere, ita ut ultra non accedat eos.* Atqui 1. in panoplia adverſus Satanam ab Apoſtolis præſcripta Eph. 6. v. 11. 1. Pet. 5. v. 8. nulla fit hujus fumi mentio. 2. Chriſtus contrarium dicit Matth. 17. v. 21. *hoc genus Dæmoniorum non ejicitur niſi precationibus & jejunio.* Falſum igitur eſt, quòd omne genus Dæmoniorum ejiciatur fumo cordis piſcini. 3. ne quidem à Chriſto, ita ejecta ſunt Dæmonia, *ut nunquam reverti poſſent,* Matt. 12. v. 43. Luc. 11. v. 24. quinimo à Chriſto ipſo non receſſit Diabolus eum oppugnans niſi *ad tempus,* Luc. 4. v. 13. quâ igitur veritatis ſpecie de fumo cordis piſcini Angelus pronunciat, quod ita fuget Dæmonas, ut nunquam revertantur? Petrus Comeſtor Hiſtoriæ Scholaſticæ autor in Hiſtoria Tobiæ ſcribit: *Hoc non eſſe mirum, cùm fumus cujuſdam arboris aduſtæ eandem vim habere dicatur.* Ioſephus lib. 8. antiquit. cap. 2. de Eleazaro refert, quod per *radicem à Salomone monſtratam Dæmonium per nares obſeſſi extraxerit.* lib. 7. de bello Iudaic. cap. 23. radicem illam vocat *Baaram.* Sed rectè reſpondet Lyranus: *Si Dæmones haberent corpora ſibi naturaliter unita, non eſſet impoſſibile, quod res corporales in iis facerent impreſſionem ratione corporum. Sed quia ſunt ſubſtantiæ ſimpliciter intellectuales, ideo nulla corporalis creatura poteſt in iis facere aliquam impreſſionem.* Si tale quid interdum fiat, dicit id fieri *non virtute talium, ſed Dæmonas hoc fingere voluntariè, ut homines teneant in errore.* Aliter igitur reſpondet Lyranus, videlicet *fumum illum non expuliſſe Dæmonem, ſed ſignificaſſe virtutem orationis.* At hæc explicatio non convenit verbis Angeli: *Fumus cordis extricat omne genus Dæmoniorum,* De felle loquitur ut de cauſa, ergo etiam de corde & jecore (illud enim in Græca editione rectè additur, ut ex complemento apparet) ac cap. 8. v. 2. priùs dicitur *Dæmonium fugatum jecoris fumo,* poſtea demùm *Tobiam ſurrexiſſe ad precandum.*

184. 3 Cap. 12. v. 9. *Eleemoſyna à morte liberat &*

& ipſa emnndat peccatum. Cui ſententiæ conformis eſt altera, quæ habetur cap. 4. v. 11. *Eleemoſyna a morte liberat & non ſinit intrare in tenebras.* Hæc ſententia difficulter cum analogia fidei conciliari poteſt, ea namque docet, efficaciam purgandi peccata ſolius Chriſti ſanguini eſſe tribuendam, eamque fide nobis applicari, non Eleemoſynis. Poſſent tamen per mortem intelligi pœnæ peccatorum temporales, quas Deus ſæpe tollit aut mitigat, quando erga egentes & fide & caritate benefici ſumus Pſal. 41. v. 4. quo ſenſu à quibuſdam accipitur dictum Propheticum Dan. 4. v. 24. *redime peccata tua eleemoſynis.* Confer. artic. de pœnitent. §. 90.

185. 4. Cap. 12. v. 15. Angelus dicitur *offerre orationem ac preces noſtras Deo.* Atqui hic honor Chriſti Mediatoris & Intereeſſoris noſtri proprius eſt Rom. 8. verſ. 34. 1. Tim. 2. v. 5. 1. Joh. 2. v. 1. Quando dicuntur precea noſtræ Deo offerri, id non intelligendum eſt fieri *modo humili & terreno,* ſicut Principibus per miniſtros libelli ſupplices ſolent offerri, *ſed modo cæleſti, quando ſcilicet* mediante interceſſione illius, qui eas offert, Deus eaſdem benignè exauditas recipit, eſt enim relatio inter offerre & recipere ſive exaudire. Act. 10. v. 4. *preces tuæ aſcenderunt in memoriam coram Deo.* Id. v. 31. ſic exponitur, *exauditæ ſunt preces tuæ.* Jam verò ſolius Chriſti merito & interceſſione mediante preces noſtræ à Deo exaudiũtur. E. ſoli Chriſto hic honor competit, quod preces noſtras Deo offerat. Ipſi dictum eſt, *tu es Sacerdos in æternum* Pſ. 110. v. 4. Heb. 7. v. 25. *Per ipſum Deo offerendæ ſunt preces* Heb. 13. v. 15. ſicut in V. Teſt. ſoli Sacerdoti licebat *adolere ſuccenſum.* Exod. 30. v. 7. quo preces noſtræ denotantur Pſ. 141. v. 2. quas *Angelus* magni conſilii *aſtans altari*, i. e. Chriſtus *μεσίτης καὶ ἱκέτης ἡμῶν* Deo offert Apoc. 8. v. 3. ibi enim per Angelum intelligi Chriſtum colligitur ex eo, quod Angelus ille proponitur ut Sacerdos & quod à reliquis Angelis manifeſtè diſcernitur, quando alius Angelus altari aſtitiſſe dicitur, quo modo etiam exponunt Auguſtinus, Primaſius, Beda & Haymo. Blaſius de Viegas in Apoc. p. 340. *Hunc Angelum eſſe Chriſtum Dominum plerique Interpretes confitentur. Neque enim alteri aptè accommodari poſſunt, quæ hoc loco ponuntur. Cujus enim alterius eſt univerſæ Eccleſiæ incenſa h. e. orationes in thuribulo aureo tantâ majeſtatis ſpecie offerre? cujus eſt præterquam Chriſti de igne, quo thuribulum aureum erat impletum partem in terras miſiſſe, easq; divini amoris igne & ignitis Spiritus ſancti donis inflammaſſe?* Nec conſtituendi ſunt alii Mediatores hujus Mediatoris, cùm ad Patrem non niſi per ipſum veniamus Joh. 14. v. 6. Plato quidem in Sympoſio Dæmonas conſtituit *interpretes ac portitores inter Deum & homines,* ſed hanc opinionem refellit Auguſtinus lib. 9. & 10. de civ. Dei & lib. 10. Confeſſionum cap. 42. Novimus ſanè magnum illum Theologum D. Chemnitium tom. 1. Loc. p. 335. inter officia Angelorum etiam hoc recenſere, quod *preces noſtras Deo offerant.* in quam ſententiam adducit dictum Propheticum Zach. 1. v. 12. ubi Angeli pro nobis orant ut & Jobi. 33. v. 23. Act. 10. v. 4. Apoc. 8. v. 3. Sed ſi tale quid Angelis tribuere velimus, neceſſariò diſtinguendum erit inter oblationem precum *ἱστορικὴν ſimplicem,* ac *ἱλαστικὴν propitiatoriam,* per quam preces noſtræ Deo gratæ & acceptæ redduntur, qui honor ſoli Chriſto relinquendus. *Nulla eſt grata Deo niſi Chriſtus Filius ara.*

186. 5. Cap. 12. v. 16. dicit Raphael, *ſe eſſe unum ex ſeptem Angelis, qui aſtant coram Deo.* Hoc affine eſt fabulis Thalmudicis, quas commemorant Cornelius Agrippa lib. 2. de occult. Philoſophia cap. 30. Reuchlinus lib. 3. Cabalæ. Franc. Junius in cap. 12. Tob. quod ſeptem duntaxat Angeli Deo aſtent, qui & ſeptem Planetis præſideant, unde etiam cuilibet dici ſeptimanæ certum Angelum præficiunt, diem Solis *Raphaelis*, diem Lunæ *Gabrielis*, diem Martis *Sam[illegible]elis*, diem Mercurii *Michaelis*, diem Jovis *Zadchieli*, diem Veneris *Hanaelis*, diem Sabbathi *Nephargelis*, eosque Dominos ſtatuunt totius adminiſtrationis in diem illum neceſſariæ. Sed Scriptura Canonica de illa Angelorum præfectura nihil novit ac longè majorem numerum ſtatuit Angelorum illorum, qui Deo dicuntur aſtare. Dan. 7. v. 10. *Millia millium miniſtrabant ei & decies millies centena millia ſtabant coram eo.*

187. 5. Patres hunc librũ ex Canone eliminant. Hieronym. præfat. in Tobiam: *Hunc librum Hebræi de catalogo divinarum Scripturarum ſecantes his, quæ hagiographa memorant, mancipaverunt* (ubi pro hagiographa legendum apocrypha, ut ſuperiùs oſtendimus) Idem præfat. in libr. Salom. *Eccleſia non recipit librum Tobiæ inter Canonicas Scripturas.* In Epiſt. ad Paulin. libris Canonicis eum non annumerat. Athanaſius in Synopſi inter libros non Canonicos eum refert. Eadem eſt reliquorum ſententia, quorum ſuffragia ſuperiùs in quæſtione de libris Canonicis in genere adduximus. *5. Patres ex canone eum removent.*

188. 6. Accedit conſenſus ſaniorum Pontificiorum. Gloſſa decreti diſt. 16. aſſerit, Biblia continere libros aliquos apocryphos, inter quos numerat Tobiam. Innocentius Papa, qui reliquos libros apocryphos Vet. Teſt. canoni ſuo includit, prætermittit Tobiam. In Epiſtol. ad Exuperium c. 7. Vide tom. 1. Concil. Colon. Ann. 30. edit. fol. 173. Confer ea, quæ allata ſunt ſuperiùs. *6. ut & quidam Pontificii.*

189. Antitheſis. Librum Tobiæ pleriq; Pontificii ſecuti Concil. Trident. referunt inter Canonicos V. T. libros. Bellarmin. lib. 1. de verbo Dei cap. 11. Greg. de Valent. p. 336. &c. ad quam opinionem confirmandam afferunt. 1. *dicta quædam Patrum,* utpote Cypriani in ſerm. de eleemoſyna, Ambroſii in lib. de Tobia cap. 1. Baſilij orat. de avaritia, & Auguſtini in libro de Speculo, qui hunc librum vocant *Sacrum* & ſententias ex eo citant. Reſp. 1. vocant hunc librum *Sacrum,* ut ſegregent eum à prophanis, quemadmodum & nos vulgata loquendi conſuetudine integrum corpus Canonicorum & aporryphorum librorum vocamus *ſacra Biblia.* Ambroſius quartum librum Eſdræ vocat *divinum*, quem tamen in Canonem non recipiunt Pontificii. Ergò non conferunt Canonica propriè ſic dicta cum aporryphis; ſed libros Biblicos in univerſum cum fabuloſis & prophanis. 2. Nuda allegatio non facit librum Canonicum, cùm ex illis libris quædam adducantur, qui ipſorum Pontificiorum conſenſu ſunt apocryphi. 3. Nec ex apocrypho libro Tobiæ, ſed ex Canonicis libris petita ſunt Patrum teſtimonia, quæ Pontificiis ex Tobia videntur à Patribus adducta. Cyprianus ſerm. de eleemoſyna dicit, *Spiritum ſanctum loqui in Scripturis*, *Antitheſis*

cùm

cùm ex Tobia locum citat. Atqui verba, quæ Cyprianus allegat habentur in libro Canonico Prov.16.v.6. Baſilius ſerm. de avarit. videtur Bellarmino ſententiam ex Tobia deſcriptam vocare *divinum præceptum.* Atqui non dictum Tobiæ ſed locum Eſaiæ cap.58.v.7. *Frange eſurienti panem tuum &c.* intelligit. 4. Liber de Speculo non eſt Auguſtini, quia cap. 3. citantur verſus Boëtij. 5. Sibi ipſi adverſantur Pontificij in hac de Canone diſputatione. Quando enim ex Hieronymo urgemus diſcrimen librorum Canonicorum & apocryphorum, reſpondent, *mirum non eſſe, quod Hieronymus libros illos controverſos nominet apocryphos, cùm Canon Scripturæ temporibus Hieronymi nondum fuerit generali aliquo Concilio definitus*, & tamen ipſimet Canonicam apocryphorum autoritatem probare cupiunt ex teſtimoniis Patrum, qui ante Hieronymum vixerunt.

190. 2. *Decreta Pontificum*, Calixti. I. Clementis. I. Anacleti, Alexandri. I. Marcelli. I. Gelaſij &c. Reſp. 1. Epiſtolæ illæ Pontificum ſunt ſuppoſititiæ, ut ex ſtyli ratione temporum conditione, ſaniorum Pontificiorum confeſſione & aliis fundamentis ſuo loco demonſtratur. 2. Quid verò mirum, quod libros apocryphos in canonem referant, cùm Decretales haſce Epiſtolas Canonicis Scripturis annumerent c. In Canonicis diſt. 19. 3. Quod pro defenſione Gratiani Bellarminus affert, videlicet, *appellatione Canonicarum Scripturarum ipſum uti in ſignificatione generaliore*, idem etiam ſuo reſponſum ſtatuat argumento.

1. Liber Judith non eſt Canonicus, quia 1. non habetur in fontibus Hebrais.

191. 2. *Liber Judith.* Eum eſſe extra Canonem, demonſtramus ſequentibus argumentis. 1. Non habetur in ſontibus Hebræis. Hoc argumento utitur Hieronymus præfat. in Judith. *Apud Hebraos*, inquit, *eſt apocryphus & ad illa, quæ in contentionem veniunt, roboranda parum idoneus.* Nec obſtat, quod in Chaldæo ſermone olim ſcriptum fuiſſe ibidem memoret, ſtatim enim ſubjicit, quod *exemplaria, illa valde fuerint corrupta ac vitioſa*, unde Hieronymus ſenſum è ſenſu, non verbum ex verbo tranſtulit, & quæ in Chaldæo integra invenit, ea Latinis verbis reddidit. Adde quod Chaldaicum exemplar hodiè non extet, ac Græcus textus ab Hieronymi verſione plurimùm diſcrepet.

2. non congruit veritati Hiſtorica.

192. 2. Non congruit veritati Hiſtoricæ. Nam 1. urbis Bethuliæ, quæ in hoc libro obſidione cincta & expugnata ſcribitur, nulla vel in Vet. vel in N. T. fit mentio, cùm tamen in libro Joſuæ in deſcribenda diviſione terræ Canaan ne pagorum quidem nomina prætermittantur. 2. Nullum poteſt dari tempus, ad quod narratio iſta Hiſtorica, quæ in hoc libro continetur, commodè referatur. Quidam ſtatuunt, eam contigiſſe *poſt captivitatem Babylonicam*, quidam *ante illam captivitatem.* Illorum aliqui referunt eam ad tempora Cambyſis, quem volunt eſſe Nabuchodonoſor, ut Euſebius in Chronic. Auguſtinus lib. 18. de civit. Dei cap. 26. Beda in lib. de ſex ætatibus, Lyranus in cap. 1. Judith, Johannes Driedo de ſcript. Eccleſiaſt. lib. 1. cap. 2. part. 2. lib. 3. cap. 5. part. 3. Aliqui eam referunt ad tempora Darij Hyſtaſpis, ut Gerardus Mercator in Chronolog. & alij. Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 11. Nabuchodonoſorem eum, cujus mentio fit in hoc libro, ſtatuit fuiſſe Aſſverum filium Darij Hyſtaſpis, eumque interfecto Cyro regnaſſe in Babylone. Severus Sulpitius lib. 2. ſacræ Hiſt. ad regnum Artaxerxis Ochi hanc Hiſtoriam pertinere exiſtimavit. At nullus Perſarum Rex dictus eſt Nabuchodonoſor. Præterea Reges Perſarum non in Ninive, ſed in Babylone ſedem imperij habebant. Jam verò is, qui Holofernem cum exercitu miſit ad debellandum orbem vocatur Nabuchodonoſor & regnaſſe dicitur in Ninive. Horum aliqui referunt Hiſtoriam Judith ad tempora Regis Sedeciæ, ut Gilbertus Genebrardus lib. 2. Chronolog. anno mundi 3560. ubi dicit, hunc eſſe eundem Nabuchodonoſorem, qui Sedecbiam debellavit, Hieroſolymam deſtruxit. At quomodo huic opinioni congruit, quod Judith tamdiu poſt illam cladem vixerit, ejuſq; omni ætate & diu deinceps pax fuiſſe dicitur? Si enim Genebrardo credimus, Nabuchodonoſor anno regni ſui decimo tertio miſit Holofernem in Judæam, anno decimo nono reliquias Judæorum in Babyloniam tranſtulit. Aliqui ad tempora Regis Joſiæ, ut Johannes Benedictus in annot. marginal. ad cap. 4. libri Judith.

193. Haſce ſententias omnes & ſingulas, Bellarminus lib. 1. de verb. Dei cap. 12. aliquot argumentis refellit ac graviſſimos illos autores Euſebium, Auguſtinum, Sulpitium, Bedam in hac Hiſtoria ſuo tempore collocanda deceptos fuiſſe aſſerit, quod eſt argumentum reverentiæ erga Patres toties deprædicatæ, ipſe verò ſtatuit, *Hiſtoriam Judith incidiſſe in tempora Regis, Manaſſa in annum ſcilicet regni ejus decimum ſextum, in quem incidit annus decimus tertius Merodach Baladad, qui fuit Rex Aſſyriorum & Babylonis, in quo anno bellum moverit contra Iudaos Duce Holoferne*; quâ in parte ſequitur Melchiorem Canum lib. 11. cap. 6. Atqui 1. liber Judith. cap. 5. v. 22. inquit, hanc Hiſtoriam contigiſſe non tempore Regis Manaſſæ, qui vixit ante captivitatem Babylonicam, ſed poſt reditum ex illa captivitate. Sic enim Achior ibi loquitur: *Nam & ante hos annos cùm receſſiſſent à via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati ſunt præliis à multis nationibus & plurimi eorum captivi abducti ſunt in terram non ſuam. Nuper autem reverſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione, quâ diſperſi fuerant, adunati ſunt & aſcenderunt montana hac omnia & iterum poſſident Hieruſalem.* Ex quo manifeſtè colligitur, Hiſtoriam illam Judith non eſſe Canonicam. Duo enim tantum fuerunt exilia populi Iſraelitici ante extremam Hieroſolymorum devaſtationem. Unum cùm Iſraëlitæ, qui in regno Iſrael habitabant, abducti ſunt in Aſſyriam à Salmanaſſare, & hi nunquam redierunt in terram Canaan; Alterum, cùm ſub ipſo Rege Nabuchodonoſore populus Iſrael, qui in regno Juda habitabat, regnante Zedexa in captivitatem Babylonicam fuit abductus, ex qua captivitate cùm rediret, ante multos annos Nabuchodonoſor erat mortuus; ac poſt ſolutam captivitatem nullus Monarcha dictus fuit Nabuchodonoſor. *Nuſquam legimus* (ſcribit dicto loco Bellarminus) *Reges Perſarum appellatos Nabuchodonoſor, nec in ſacra, nec in profana Hiſtoria, ſed ſolùm Reges Babylonicos.* Jam verò poſt ſolutam captivitatem Monarchia Aſſyriorum & Babyloniorum jampridem erat everſa, Regibus Perſarum tunc rerum potientibus. Hûc referendum, quod Nabuchodonoſor dicitur *regnaſſe in*

Ninive c.1.v.5. jam verò poſt reditum ex captivitate Ninive non ampliùs extabat, ſiquidem Propheta Nahum, qui tempore Regis Ezechiæ vaticinatus eſt, everſionem Ninive brevi futuram prædixit cap.2.v.10. quod & à Chaldæis factum, qui hac ratione omnem Aſſyriorum potentiam ad ſe traduxerant. Hiſce difficultatibus ut occurratur, quidam reſpondent, *verba Achioris accipienda eſſe de decem tribubus in Aſſyriam abductis.* At illi nunquam ex diſperſione redierunt, aut Hieroſolymam poſſederunt, quod tamen Achior diſperſis illis tribuit. Nec eſt, quod quis urgeat, Prophetarum vaticinia de reductione earum tribuum ex iſto exilio; Siquidem impleta ea ſunt ſpiritualiter per vocationem ad regnum Chriſti in Nov. Teſtam. Preſsè igitur inſiſtimus huic argumento, quod Achior loquatur de tali plurimorum abductione, per quam Judæi poſſeſſione Hieroſolymæ privati finito exilio eam iterum poſſederint. Bellarminus hoc animadvertens aliter reſpondet, *verba Achioris non eſſe intelligenda de captivitate Babylonica, ſed de variis afflictionibus præcedentibus, præcipuè de ultima, quæ acciderat, cùm caperetur Manaſſes, reverſionem ex diſperſione intelligendam eſſe dicit vel de reverſione Regis Manaſſæ cum ſuis ex Babylone, vel de reverſione ex iis locis, ad quæ fugiendo pervenerant, cùm Rex Aſſyriæ regionem illorum vaſtaret.* Atqui de tali captivitate & diſperſione loquitur Achior, in qua etiam *templum ſolo æquatum* fuit, ut patet ex textu Græco. ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος καὶ αἱ πόλεις αὐτῶν ἐκρατήθησαν. Jam verò illa devaſtatio templi non in præcedentibus afflictionibus, ſed in abductione in Babylonicam captivitatem demum contigit, in Manaſſis captivitate nulla facta fuit templi everſio, ſed regnante Zedecia templum tandem ſolo fuit æquatum. Bellarminus, ut effugium inveniat, ſuſpicatur, *verba illa eſſe ſuppoſititia,* cùm in verſione Hieronymi non habeantur. Sed hac ratione ſibi ipſi adverſatur, ſiquidem § duodecimo præcedente, ut & §. Jam hoc idem, *Græcos Codd. correctiores eſſe* dicit. Præterea 2.Paral.33. ſolius Manaſſis abducti ac reducti mentio fit, non autem plurimorum. Jam verò Achior dicit, *plurimos Judæorum, captivos fuiſſe abductos in terram non ſuam.* Certè tam magnam & memorabilem abductionem ac reverſionem non reticuiſſet Spiritus ſanctus in libris Regum ac Paralipomenon, ſi tempore Manaſſis ea contigiſſet. 2. Si tempore Manaſſæ contigit hæc Hiſtoria, quomodo cum veritate Hiſtorica conciliari poteſt, quod Judith 16.v.30. de Juditha dicitur: *In omni ſpacio vitæ ejus non fuit, qui perturbaret Iſrael & poſt mortem ejus annis multis?* Regnavit Manaſſes annos 55. 2.Paral.33.v.1. 2.Reg. 21.v.1. anno 41. regni ſui abductus eſt ac poſt decennium reverſus circa vitæ finem pœnituit. Lyranus in 2.Reg. 21. vix igitur quatuor annis poſt reditum in vivis ſuperſtes manſit. Manaſſi ſucceſſit filius Ammon, qui duobus duntaxat annis regnavit, Ammoni ſucceſſit Joſias, qui regnavit annis triginta & uno. Sub finem regni Joſiæ anno poſt reditum Manaſſis ex Babylone 37. pax omnis ſublata & bellum unum poſt alterum nunc à Rege Ægyptio, nunc à Monarcha Babylonio contra Judæos motum fuit. Quomodo igitur locum habet aſſertio autoris libri Judith de pace multorum annorum poſt obitum Judithæ? Tempore obſidionis Bethulienſis Judith vidua erat adhuc juvencula, ut colligitur ex commendatione pulcritudinis & ex eo quod cap.12. v.12. vocatur *παιδίσκη puella.* Statuamus igitur, eam tum fuiſſe annos 30. natam (Bellarminus ei tribuit annos 40.) vixit annos centum & quinque, Judith. 16.v.28. ergo 75. vel 65. annorum pax poſt liberatam Bethuliam vivente adhuc Juditha, itemq; totidem annorũ pax poſt mortem Judithæ concedenda, quæ cum Hiſtoria Regum Judaicorum conciliari nunquam poterit, præſertim ſi inter reditum Manaſſis ex Babylone & novum illud bellum, quod in libro Judith exarſiſſe dicitur, ſpacium aliquot annorum interponatur. Neque enim veriſimile eſt, eodem ſtatim anno, quo Manaſſen dimiſerat, Aſſyrium ad Judæam oppugnandam aſcendiſſe. Regerit Bellarminus, *captivitatem Manaſſis in principium regni ejus incidiſſe,* quod ex Joſepho lib.10. antiquit. cap.5. probare conatur. At Joſephus hoc nuſpiam dicit, ſed abſque ulla temporis notatione Hiſtoriam Manaſſis deſcribit. 2. Paralip.33. antequam ſubjiciatur abductio Regis in Babylonem, præmittitur, quod inito Magiſtratu *fecerit juxta abominationes gentium, inſtauraverit excelſa ſub Rege Hiskia diruta, conſtruxerit aras Baalim, lucos fecerit, ædificarit in templo altaria in honorem militiæ cœli, transire fecerit filios per ignem, obſervaverit ſomnia, ſectatus ſit auguria, aluerit Magos & incantatores, ſculptile & conflatile poſuerit in domo Domini, ſanguinem innoxium fuderit,* ac teſte Joſepho d. l. *ſingulis diebus Prophetam occiderit, donec impleretur Hieroſolyma uſque ad os,* quomodo etiam *Deus per manum ſervorum ſuorum ad pœnitentiam ipſum fuerit hortatus,* quæ omnia uno vel altero anno perfici haudquaquam potuerunt. Si ad regni primordium abductio Manaſſis in captivitatem refertur, quî factum, cùm Manaſſes annos 55. regnaret, Spiritum ſanctum in libris Regum vix unius aut alterius anni geſta referre? neque enim abductionis, nec pœnitentiæ actæ, ſed impietatum ejus meminit. Si abominationes à Manaſſe perpetratæ temporis fuerunt tam exigui, ac pietas captivitatem ſecuta annos 39. duravit, quî fit, ut Manaſſe jam defuncto & quidem poſt Rempublicam tot annis laudabiliter adminiſtratam, Deus nihilominus cauſam Babylonicæ captivitatis penè omnem referat ad peccata Manaſſis potiùs, quàm ad ſcelera filij Ammon, quæ captivitati erant propinquiora 2. Reg. 24.v. 3. Jerem.15.v.4. vel ad peccata Achazi, qui ſedecim annos continuos impiè regnavit? 2.Reg.16. v.2. 3. Si in tempora Manaſſis incidiſſet hoſtilis illa Aſſyriorum Bethuliam obſidentium impreſſio, quomodo S.S. in Canonicis libris Regum & Paralipomenon Hiſtoriam Manaſſis bis deſcribens, ne ſemel quidem graviſſimum illud bellum & miraculoſam victoriam vel verbo attingit? 4. Si in tempora Manaſſis oppugnatio & ſolutio Bethulienſis incidit, quis quæſo fuit ille Nabuchodonoſor, cujus auſpiciis bellum illud contra Judæos fuit geſtum? Certè illis temporibus nullus fuit Rex Aſſyriorum, qui vel in ſacra vel in profana Hiſtoria dictus fuerit Nabuchodonoſor. Bellarminus reſpondet, *fuiſſe Merodach Baladan, qui alio nomine dictus fuerit Nabuchodonoſor.* Atqui nullam profert hujus conjecturæ ſuæ rationem evidentem. Liber Iudith perpetuò Regem illum vocat Nabuchodonoſor, nuſpiam

verò

verò aliud nomen ipſi tribuit. Regerunt, *omnes Reges Babylonios dictos fuiſſe Nabuchodonoſores, ſicut Reges Ægypti dicti fuerunt Pharaones.* Atqui id fieri demum cœpit poſt magnum illum Nabuchodonoſorem, qui fuit filius Nabuchodonoſori, qui regnare cœpit temporibus Joſiæ, qui fuit Manaſſe poſterior annis. 33. Præterea ſi nomen Merodach Baladan fuit proprium, Nabuchodonoſor verò appellativum illius Regis, quî fit, quod Spiritus ſanctus appellativum duntaxat nomen Regi illi perpetuò tribuerit, proprio nomine penitus prætermiſſo. (Fatemur tamen hoc argumentum eſſe tantum ſecundarium & probabile, non primarium nec apodicticum, nam Ægypti Rex in Exodo vocatur Pharao nomine appellativo, prætermiſſo proprio nomine) 5. Si tempore Regis Manaſſæ contigit hæc Hiſtoria, unde eſt, quod in præparatione ad bellum defenſivum contra Aſſyrios nulla fit mentio Regis, ſed totum illud negotium tribuitur Sacerdoti Jojakim? Si Manaſſis temporibus hæc accidiſſent, certè per Regem Manaſſen, vel per Principes ejus politicos bellum fuiſſet adminiſtratum. Bellarminus reſpondet, *fortaſſè hoc bellum incidiſſe in ipſam captivitatem Manaſſæ, ideoque Rege abſente per Pontificem negotia regni fuiſſe procurata, fortaſſè etiam ideo non fieri mentionem Regis, quia non acceſſit bellum ad ipſam urbem Hieroſolymam.* Atqui ſi verba Achioris intelligenda ſunt de reverſione Manaſſis & populi Iſraelitici ex Babylone, non potuerunt hæc incidiſſe in ipſam Regis captivitatem. Ac ſi vel maximè non acceſſiſſet bellum ad ipſam urbem Hieruſalem, ad Regis tamen munus, pertinuiſſet, non ſolùm metropolin & ſedem imperij, ſed totam regionem à periculis belli incolumem præſtare. Pudendæ fuerit negligentiæ & ſomnolentiæ, ſi Rex permittere velit hoſti in finibus regni impunè graſſari, modò ſedem regni ſui ſervaret incolumem. Perinde hoc foret ac ſi quis parùm curaret abſciſſionem manuum vel pedum, modò pectus incolume ſervaret. Addit Bellarminus, *eundem Sacerdotem Eliakim, qui ad Iſraelitas ſcripſiſſe memoratur,* Judith. 4. v. 5. *tempore Ezechiæ nomine Regis multa feciſſe* 2. Reg. 18. *ac prædictum eſſe de eo, quod futurus ſit pater omnium habitantium in Ieruſalem.* Eſa. 22. v. 21. Atqui textus Græcus libri Judith Sacerdotem illum vocat *Iojakim*, non *Eliakim.* Circumſtantiæ textus in Eſaia oſtendunt, hunc Eliakim functum eſſe munere politico, qui proculdubio gubernavit regnum Juda, donec Manaſſes ex captivitate rediret & poſtea in ſumma dignitate propter fidelem regni adminiſtrationem apud Manaſſen & univerſum populum, permanſiſſe. Sed Jojakim, cujus liber Judith meminit, Eccleſiaſtico functus eſt officio, ut & nomen & actiones teſtantur. 6. Si in ipſam Manaſſæ captivitatem hæc Hiſtoria incidit, vel quod probabilius tandem Bellarmino videtur, ſi Rege Manaſſe ex captivitate jam reverſo contigit, quomodo ſibi conſtat, quod in principio capitis quinti Holofernes ſentiens populum Judæorum bellum meditari, convocatis Ducibus ac Dynaſtis, quærit ab illis, *quis ille populus eſſet, quemque Ducem haberet?* Certè ſi Manaſſes paulò ante fuiſſet captus à Rege Chaldæorum & Babylonem deportatus nec populum, nec Regem Judæorum Holofernes ac Chaldæi ignorare potuiſſent. 7. Denique ſi vel in captivitatem Manaſſis hæc inciderunt, vel ſtatim poſt reditum ejus ex captivitate geſta ſunt, quomodo ſibi conſtat, quod populus Judaicus Legatos Regis Babyloniorum tam contumelioſè tractaſſe & ignominioſè dimiſiſſe memoratur cap. 1. verſ. 11. cùm Babyloniorum & clementiam & potentiam fuerit expertus? Hæc omnia liquidò oſtendunt, non poſſe dari certum tempus, cui congruant, quæ in hoc libro memorantur. Si enim ante reverſionem populi ex Babylone contigerunt, quæ in hoc libro memorantur, falſum eſt, quod tum templum ſolo fuerit æquatum, quod tamen affirmatur cap. 5. v. 22. Si poſt reverſionem res illæ geſtæ ſunt, falſum eſt, quod de bello Nabuchodonoſoris contra Arphaxad memoratur cap. 1. verſ. 5. cùm Aſſyrij & Medi tunc paruerint Regi Perſarum.

194. 3. Cum fidei analogia non undiquaquè *3. Non congruit undiquaq; cum fidei analogia.*
congruit. Cap. 9. v. 2. approbatur factum *Simeonis & Levi*, qui Sichemitas contra pactum ac datam fidem gladio interemerunt. Sic enim ibi orat Judith. *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in vindictam alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua & denudaverunt femur virginis in confuſionem v. 3. & dediſti mulieres illorum in prædam & filias illorum in captivitatem & omnem prædam in diviſionem ſervis tuis, qui zelaverunt zelum tuum,* ubi zelus Simeonis & Levi vocatur divinus. Sed hoc factum filiorum ſuorum Jacobus Patriarcha diſertè improbat. Geneſ. 34. v. 25. *arreptis gladiis ſuis ingreſſi ſunt urbem* בֶּטַח *confidenter & interfecerunt omnes maſculos,* contra pacta ſcilicet & datam fidem. Ideo Jacobus hac crudelitate audita dicit v. 30. *turbaſtis me & odioſum me feciſtis Cananæis &c.* quin & maledictioni illam crudelitatem poſtea ſubjicit. Geneſ. 49. v. 5. *Simeon & Levi* כְּלֵי חָמָס *vaſa violentiæ gladij eorum verſ. 6. in conſilium eorum non veniat anima mea & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum & in voluntate ſua enervaverunt bovem v. 7. maledictus ſui or eorum, quia pertinax & indignatio eorum, quia dura. Dividam eos in Iacob & diſpergam eos in Iſrael.* Peccarunt ergo Simeon & Levi multis modis 1. exercendo vindictam privatam. 2. ſtringendo gladium ſine Dei mandato. 3. ob unius delictum in totam urbem graſſando. 4. deprædando non hoſtes, ſed hoſpites, à quibus benevolè fuerant accepti. 5. agendo contra datam fidem. 6. præſentiſſimo internecionis periculo parentem & familiam ſuam objiciendo. At inquis Geneſ. 35. v. 5. dicitur, *quod Deus terrore vicinis populis incuſſo eos cohibuerit, ne Iacobum propterea perſequerentur, ergo divino judicio deleti ſunt Sichemitæ.* Reſp. Deus præpoſtero illo Simeonis ac Levi zelo ad juſtitiæ ſuæ gloriam benè uſus eſt. Diſtinguendum igitur juſtum Dei judicium ab injuſta hominum actione. Illud mirandum ac prædicandum hæc verò culpabilis ac deteſtanda. Ad hoc Dei judicium reſpicit etiam Jacobus *Patriarcha*, quando Gen. 48. v. 22. Sichemam Joſepho legat, ſicq; malæ fidei poſſeſſoribus eam eripit, armaverant enim aliquos ex familia *Patris*, unde Jacobus de *manu Amorræi in gladio & arcu ſuo partem illam ſe tuliſſe* aſſerit. Diſtinguendum, inquam, inter paſſionem Sichemitarum juſtam & actionem Simeonis & Levi injuſtam. Cohibuit Deus vicinos non

quod factum Simeonis & Levi probaret, ſed quia Jacobo & familiæ ejus, quæ erat ſedes Eccleſiæ, proſpectum voluit. Neque verò per hanc diſtinctionem argumentum noſtrum contra Canonicam hujus libri autoritatem everti poteſt. Non enim Dei judicium duntaxat Judith reſpicit, ſed ipſum Simeonis & Levi factum laudat. Lyranus diſtinguit inter zelum & modum zeli, illum non verò hunc à Juditha laudari dicit. Atqui nec zelus nec zeli modus in Simeone & Levi laudem meretur. Jacobus enim *furorem & iniquitatem* eum appellat, proinde non fuit zelus bonus & laudabilis à Spiritu Dei originem trahens & ad Dei gloriam directus, ſed zelus peſſimus ac deteſtabilis ex vindictæ cupiditate ac proinde à carne ortus.

4. Ab Eccleſiâ Iſraëlitica & primitiva Chriſtiana à Canone excluditur.

195. 4. Ab Eccleſia Iſraëlitica & primitiva Chriſtiana è Canone excluditur. Totam Judithæ Hiſtoriam Joſephus ne quidem attingit io ſuis de antiquitate commentariis. Hieronymus præfat. in Judith diſertè eum è Canone excludit. Epiſtol. 10. ad Furiam inquit: *Si tamen hoc volumen recipitur.* Auguſtinus lib. 18. de civ. Dei cap. 26. *Librum Iudith in Canone Scripturarum Iudæi non recepiſſe dicuntur.* Rectè proinde B. Lutherus judicat, hunc librum eſſe ſacrum quoddam poëma, quo ſtatum & conditionem populi Judaici autor depingere voluerit, qood ipſa quoque nomina teſtatum faciunt. Judith ſignificat Iudæam, quæ eſt ſancta & caſta vidua, hoc eſt, populus Dei eſt deſerta vidua, interim tamen ſancta & caſta, hoc eſt, perſiſtit in verbo & fide, orat, jejunat. Holofernes ſignificat profanum Ducem vel gubernatorem ac typus eſt hoſtium hujus populi. Bethulia ſignificat virginem, notat igitur integritatem fidei ab idololatria, qoæ ſpiritualis eſt ſcortatio, immunem. Tandem concludit Lutherus, quod ſit liber bonus, ſanctus atque utilis, lectione omninò dignus, quamvis inter Canonicos propriè & ſpecificè ſic dictos locum tueri nequeat.

Antitheſis

196. Antitheſis. Librum Iudith Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 12. & Pontificij plerique omoes in Canonem referunt, argumentis uſi potiſſimùm duobus. 1. *ex decreto Synodi Nicenæ.* Hieronymus præfatione in Iudith teſtatur, *hunc librum à Synodo Nicena in Scripturis ſacris fuiſſe numeratum.* Reſp. 1. Hierooymus nondum natus fuit eo tempore, quo Concilium Nicenum fuit celebratum. Ergo non eſt teſtis oculatus. Si Euſebius, qui Coocilio interfuit, vel Athanaſius, vel alij, qui eo tempore vixerunt, de Niceoo Concilio id aſſererent, majoris eſſet fidei & autoritatis. 2. Multùm intereſt inter hæc duo *Synodus legitur computaſſe; & Synodus computavit librum Iudith in numerum ſanctarum Scripturarum.* Prius dicit Hieronymus, poſterius verò nequaquam. Teſtatur enim in adjectione ad Chronic. Euſebij & in Dialog. adverſus Luciferian. cap. 7. *Eccleſiam ſtudioſiſſimè amplexatam fuiſſe dogmata Niceni Concilij*, ſed librum Iudith ab Eccleſia noo eſſe receptum dicit. Ergò ipſe Hieronymus non credidit, quod in alio legit, videlicet Synodum Nicenam hunc librum inter Scripturas ſacras computaſſe, ac proinde recitativè duntaxat illud retulit. In prolog. Proverb. expreſsè dicit, *quod Eccleſia quidem librum Iudith legat, ſed inter Canonicas Scripturas non recipiat.* In prologo Galeato inquit: *Iudith non eſt in canone.* 3. Non oſtendit Hieronymus, ubi legatur, quod *Synodus Nicena* hunc librum receperit. 4. In actis Concilij, quæ hodie extant, nullum hujus rei invenitur veſtigium. Alanus Copus lib. 1. Dial. cap. 7. ſuſpicatur, *plures olim extitiſſe canones quàm 20. qui hodie extant.* Sed reſpondet Lindanus Pontificius, *piam de Laodicenis Patribus exiſtimationem id non admittere.* Præterea in 80. Canonibus Concilij Niceni à Dominico Nicolino editis nuſpiam id occurrit. 5. Athanaſius, qui Synodo interfuit, in Synopſi hunc librum apertè rejicit. Epiphanius, qui honorificentiſſimam fidei Nicenæ mentionem facit hæreſ. 76. in recenſendis libris Canonicis libr. de menſ. & ponder. librum Iudith omittit. Hilarius, qui exilium pro decretis Synodi Nicenæ paſſus, non accenſet hunc librum Canonicis ſcriptis in prolog. Pſalm. Ruffinus Hieronymi æqualis, in expoſ. Symb. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 4. eum rejiciunt. Et ut verbo dicam, nullus eorum, qui de actis Coocilij Niceni ſcripſerunt, hujus rei mentionem faciunt. 6. Si Nicena Synodus hunc ſolum librum in numerum Canonicarum Scripturarum recepit, reliquos illos quos prætermiſit, gravi præjudicio perſtrinxit. Cur enim Tobiam, Eccleſiaſticum & alios apocryphos prætermiſit, quos tamen Pootificij habent pro Canonicis libris? 7. Si Nicena Synodus hunc librum approbavit, ſic eum approbavit, ut eſt Græcè editus, quod agnoſcit Sixtus Senenſis lib. 1. Bibliothec. ſect. 2. Quod ſi eum approbavit, ut eſt Græcè editus, judicio Bellarmini approbavit mendacium. Nam Bellarminus d. l. §. Nec verò; editionem Latinam Hieronymi præfert Græco textui, ut effugiat vim argumenti noſtri, quod ante captivitatem Babylonicam templum non fuerit ſolo æquatum, id enim io Græco diſertè habetur. Atqui Latina editio Hieronymi nondum extitit tempore Concilij Niceni. Ergo non potuit à Concilio Niceno approbari. 8. Si Nicena Synodus hunc librum judicaſſet Canonicum, Synodus Laodicena, quæ paulò poſt Nicenam habita, non reliquiſſet hunc librum extra Canonem in apocryphis. 9. Noo eſt idem eſſe Scripturam Canonicam & computari in numerum ſacrarum Scripturarum. Computantur enim in numero ſacrarum Scripturarum, quæcunque in Bibliis habentur & cum aliis libris ad ædificationem plebis leguntur, ſed propterea non ſtatim ſunt Canonica ad dogmatum confirmationem efficacia. 10. Bellarminus ipſe agnoſcit, nomen *Scripturarum ſacrarum* quandoque accipi in ſignificatione latiori, ut competat non ſolùm Canonicis ſed etiam apocryphis & Eccleſiaſt. libris. lib. 2. de Conc. c. 12. §. Dico ſecundò 11. Nulli hominum vel in Concilio vel extra illud ſine certis teſtimoniis aut firmis demooſtrationibus licet in Canonem aſciſcere & Canonicis libris parem facere librum apocryphum Eccleſiæ judicio rejectum, niſi Propheticâ vel Apoſtolicâ autoritate polleat ac divino teſtimonio ornatus ſit, quod non erret. At talem autoritatem Synodo Nicenæ tribuere non poſſumus. 12. Hæc omnia probè expendens Guilielmus Lindanus ſcriptor Pontificius lib. 3. panopl. cap. 3. diſputat, ſententiam illam Hieronymi in Epiſt. 10. ad Furiam, *ſi tamen hoc volumen recipitur, &c.* efficere, ipſe ut vehementer dubitet, utrum certus Scripturarum canon præſcriptus fuerit Eccleſiæ à Coocilio Niceno.

ceno. *Si enim*, inquit, *Nicena Synodus librum Judith cum aliis in canonem redegerat, cur annis 80. poſt eum non accenſet Laodicena? cur Nazianzenus ejus non meminit? ſed legitur computaſſe ait Hieronymus, quod mihi dubitantis ſuſpicionem ſubindicare videtur. Niſi fortaſsè quis opinetur, hunc de libris Canonicis Nicenum Canonem unà cum plurimis aliis minimùm (uti equidem arbitror) 47. teſte D. Iulio primo Epiſcopo Romano hæreticorum fraude fuiſſe acciſum atque ſublectum Eccleſiæ. Cui ne ſuffragemur, cogit pia de ſanctiſſimis Patribus in Concilio Laodiceno congregatis exiſtimatio, non illos eâ ætate, quâ Canonum ſcientia inprimis ornabat Epiſcopos, tam fuiſſe ſui & nominis & officij oblitos, ut illos aut neſcierint, aut deſideratos non requiſierint. At hæc ſi verè legitur, quod ait Hieronymus lego, librum Iudith Concilium Nicenum inter Canonicos computaſſe, quid ſibi vult, quod idem præfat. in libros Salomonis ſcribit, Eccleſiam libros Iudith, Tobiæ, Maccabæorum legere quidem ſed inter Canonicas Scripturas non recipere.* Et poſtea. *Nihil hac de re in Concilio Niceno iuiſſe definitum ut exiſtimem, invitat, quod hunc Laodicenum de Scripturis Canonicis canonem unà cum reliquis Synodus Conſtantinopolitana VI. in Trullo approbarit, quod minimè videtur fuiſſe factura, ſi deſignati mà 318. illis Patribus Nicenis doctiſſimis juxtà ac ſanctiſſimis Laodiceni aut non recepiſſent, aut decurtaſſent Scripturarum ſacrarum Canonem.* Hæc omnia Lindanus veriſſimè. 13. Melchior Canus lib. 2. Locorum comm. cap. 11. fatetur, *non fuiſſe definitum Ruffini tempore certum Scripturæ Canonem*, & tamen Ruffinus vixit poſt Concilium Nicenum.

197. 2. *Ex autoritate quorundam Patrum.* Junilius Africanus lib. 1. de partibus divinæ legis & Iſidorus lib. 6. etymolog. cap. 1. teſtantur, *Eccleſiam Chriſti hunc librum inter divinos libros honorare & prædicare.* Reſp. 1. imò verò contrarium disertè ſtatuunt. Junilius cùm cap. 3. libri citati enumeraſſet libros Hiſtoricos Vet. Teſtam. Moſis quinq;, Ioſuæ, Iudicum, Ruth, Regum quatuor, quærenti diſcipulo, *an nulli alij libri ad divinam Hiſtoriam pertineren?* reſpondet, *nonnullos adjungere Chronicorum duos, Eſdræ duos, Iudith, Maccabæorum duos, Heſteram, &c.* quibus verbis perinotatus videtur Bellarminus, ut eodem loco putaret à Junilio habitos fuiſſe illos libros, quo etiam Canonicos. Sed in proximis verbis denuò quærente diſcipulo, *Cur non hi quoque currant inter Canonicos?* reſpondet, *quoniam apud Hebræos ſuper hac quoque differentia accipiebantur, ut Hieronymus, aliiq; teſtantur.* 2. Inſignis eſt Junilij error, quod negat duos Chronicorum, duos Eſdræ, Heſteram &c. inter Canonicos apud Hebræos currere. Ergò non poteſt eſſe idoneus teſtis de Scripturæ Canone. 3. De Iſidori ſententia diximus ſuperiùs §. 4. Unius & alterius teſtimonium nondum conciliat libro alicui Canonicam autoritatem, ſed ad illud requiritur conſentiens Eccleſiæ ſuffragium.

3. Septem poſtrema capita libri Eſther ſunt apocrypha.

198. 3. *Septem poſtrema capita libri Eſther.* Ut ſententia noſtrarum Eccleſiarum ſit dilucidior, diſtinguendum eſſe dicimus inter genuinum & *Canonicum librum Eſther*, qui continet novem capita Hebræo idiomate perſcripta, & inter *appendicem* quæ continet ſeptem capita poſteriora, quæ non habentur in Hebræo. De his 7. capitibus poſterioribus loquimur, quando particulam illam appendicis loco Eſtheris libro annexam negamus eſſe Canonicam. Campianus rat. 1. nobis tribuit, *quod librum Eſtheris è Canone rejiciamus.* Sed ſi de integro Eſtheris libro loquitur, injuriam nobis facit, unde Duræus in defenſione Campiani contra Witakerum ſententiam ejus ſic exponit, *quod appendicem duntaxat Heſteris intelligat.* Autor quidam Pontificius ἀνώνυμος in Manuſcript. per Auſtriam ſuperioribus annis ſparſo itidem nobis tribuit, *quod librum Eſther è Canone excludamus*, ſed gravi nos onerat injuriâ. Nequaquam enim librum Eſtheris integrum, ſed duntaxat 7. capita poſteriora è Canone, removemus.

1. non ſunt ſcripta ſermone Hebræo, ſed Græco.

199. Supplementum illud Eſtheris non eſſe in Canone ſequentibus demonſtratum damus argumentis. 1. non eſt ſcriptum ſermone Hebræo, ſed Græco, teſte Hieronymo præfat. in Eſther, ubi addit, *apud nullum penitus illud ferri interpretum* Bellarmin. libr. 1. de verbo Dei c. 7. excipit, *probabile eſſe, quod aliquando illa capita in Hebræo fuerint.* Atqui hoc oportebat non ſolùm eſſe *probabile*, ſed etiam *certum*, cùm Prophetæ non niſi linguâ Hebraicâ Vet. Teſtam libros ſcripſerint. Bellarminus probationis loco adducit Joſephum, qui lib. 11 antiquit. cap. 6. *duas Epiſtolas Ahaſveri & orationem Mardochæi commemoret, quæ in ultimis capitibus non in illis prioribus reperiantur. Ex Hebræo igitur in Græcam linguam ea fuiſſe translata, ex c. 11. v. 1. demonſtrare conatur.* Reſp. 1. Hieronym. diſertis verbis negat, ea in Hebræo textu haberi, cujus expreſſæ aſſertioni plus tribuendum, quàm incertis conjecturis. 2. Demus aliquando hæc ſeptem poſteriora capita in Hebræo extitiſſe, tamen quia hodiè non niſi Græco & Latino idiomate extant, autoritati eorum nihil hinc accedit. Si enim Canonica eſſent, divina providentia nunquam permiſiſſet, textum originalem fuiſſe deperditum. Par igitur eorum ratio eſſet cum libro Siracidis & primo Maccabæorum, quos Hebraicè quidem ſcriptos refert Hieron. præfat. in lib. Salom. nihilo tamen minùs extra Canonem ob dictam cauſam ponit, 3. Bellarmin. ſtatuit, *ſeptem illa capita libri Eſther, quæ ſunt poſtrema in vulgata Latinâ verſione, non eſſe reverâ poſtrema, ſed quædam eorum pertinere ad initium libri, quædam ad medium, quædam ad finem.* At quomodo probabile eſt, excidiſſe quædam ex initio, medio & fine, non intercedentibus ſimul cæteris partibus intermediis? 4. Si quis in volumine Hebræo appareret hiatus, probabilis alicui videri poſſet Bellarmini ſuſpicio. Jam verò omnia cohærent rectiſſimè & tum demum turbatur connexio, ſi fragmentum illud inſeras & aſſuas. Tunc enim otioſa prorſus emergit repetitio inſidiarum Regi ab Eunuchis ſtructarum. 5. Joſephi autoritas non convincit. Quid ſi enim aliquid ex his capitibus Joſephus ad Hiſtoriam augendam vel illuſtrandam ſumſit, num proinde ipſa capita ad Canonicam Scripturam pertinere cenſuit? Lyra in fine comment. dicit, hæc *potiùs à Ioſepho eſſe conficta & poſteà Latinæ editioni inſerta.* Lyranum ſequitur Sixtus Senenſis. Certum eſt, Joſephi non fuiſſe aliud de libris Canonicis Vet. Teſtam. judicium, quàm fuit Hieronymi & eſt noſtrarum Eccleſiarum, ut conſtat ex lib. 1. contra Appionem. 6. Lyſimachus non niſi Epiſtolam Phurim convertiſſe dicitur cap. 11. v. 1. 7. Bellarminus fingit duplicem

librum Eſther, quorum prior ad nos Hebraicè, poſterior (copioſiùs ſcriptus) translatus ad nos pervenerit. Sed in eo contradicit ſibi ipſi, quia ſuperiùs contra Sixtum Senenſem concludebat, *toto libro Eſther à Concilio Tridentino approbato ſingulas ejus partes ac proinde quoque ſeptem illa capita eſſe approbata.* Jam verò controverſa illa capita innuit eſſe librum alium ab eo volumine, quod extat in Hebræo diverſum, quin ab alio etiam autore ſcriptum. Contradicit etiam Patribus, dum contra unanimem eorum conſenſum & contra decretum Tridentinum non jam unum librum Eſther, ſed duos pariter Canonicos ſtatuit.

2. non ſunt ſcripta à Propheta.

200 2. Non eſt ſcriptum à Propheta. Lyranus in cap. 11. Eſther, Sixtus Senenſis lib. 1. Bibl. ſect. 2. cap. Eſther. f. 24. putant *à Ioſepho* vel alio id eſſe genuino Eſtheris libro additum. At Joſephus non fuit Propheticâ autoritate conſpicuus. Ergo non potuit librum Propheticum ſcribere. Ab uno aliquo eandem Hiſtoriam conſcriptam eſſe non eſt veriſimile & repugnat earundem rerum repetitio. Quod ſi ab alio ſcriptus eſt Canonicus liber Eſther, ab alio ſupplementum, quod Bellarmino videtur probabilius, quærimus, ſi autor ſupplementi fuit Propheta, cur non ſcripſerit ſermone Prophetico? Quod Bellarminus exiſtimat, *Supplementum eſſe primò ſcriptum Hebraicè & poſtea in linguam Græcam à Lyſimacho tranſlatum*, meris nititur conjecturis. Adde quod ſupplementum hoc poſt ætatem Artaxerxis ſcriptum ſit; c. 11. v. 1. mentio fit Ptolemæi & Cleopatræ, quos conſtat poſt Artaxerxem vixiſſe. Jam verò poſt ætatem Artaxerxis non ſunt ſcripti libri aliqui Prophetici. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei c. 17. citat & approbat ſententiam Joſephi lib. 1. contra Appionem, *non haberi apud Hebræos in Canone ſanctarum Scripturarum eos libros, qui poſt tempora Artaxerxis Longimani ſcripti ſunt*, ſiquidem (addit Bellarminus) *librorum ſacrorum Canonem Eſdras compoſuit, cujus vita non extenditur ultra tempora Longimani.*

3. Pugnant cum Canonico libro Eſther.

201. 3. Habet quædam pugnantia cum Canonico libro Eſther. Canonicum igitur eſſe nequit, cùm Spiritus ſanctus nuſpiam ſibi repugnet. 1. Canonicus Eſtheris liber habet cap. 2. v. 16. inſidias Eunuchorum per Mardochæum detectas *anno 7. Aſſueri*. Supplementum cap. 11. v. 2. refert *in annum ſecundum*. Bellarminus d. l. concedit, *inſidias eſſe factas anno ſeptimo, ut habetur in Canonico Eſther, non autem anno ſecundo, ut habetur in ſupplemento.* Quomodo ergo ſupplementi fidem aſtruit? reſpondet, *ſeptem illa capita libri Eſther, quæ ſunt poſtrema in editione Latina vulgata, non eſſe reverà poſtrema, ſed quædam eorum pertinere ad initium libri ut cap. 11. & 12. quædam ad medium ut cap. 13. 14. 15. 16. quædam ad finem, ut cap. 10. narrationem igitur inſidiarum, quæ habetur cap. 12. in Latinis Bibliis, ad initium libri pertinere, atque ibi narrari inſidias per anticipationem, quæ rurſum narrantur poſtea ſuo loco cap. 2. factas igitur eſſe inſidias anno ſeptimo, ut habetur cap. 2. non autem anno ſecundo, ut videtur colligi ex cap. 11. ſiquidem verba illa capitis 11. Anno ſecundo regnante Artaxerxe &c. non debent extendi uſque ad narrationem inſidiarum, ſed ſolùm ad ea, quæ dicuntur in ipſo cap. 11. hoc eſt, ad ſomnium, quod Mardochæus vidit, antequam Eſther Aſſuero conjungeretur.* At hac ratione Bellarminus cum capite caudam, ventrem cum pedibus confundit, quando caput primum ſupplementi ad finem genuini libri Eſther, caput undecimum & duodecimum ad initium libri pertinere aſſerit. In fine cap. 11. Mardochæus dicit, *ſe cùm ſurrexiſſet multa animo volviſſe & de illo ſomnio ἕως τῆς νυκτὸς cogitaſſe, ac tum illum quieſcentem in aula cum duobus illis Eunuchis conjurationem eorum adverſus Regē intellexiſſe*, non ergo fuit inter ſomnium Mardochæi & inſidias Eunuchorum intervallum quinque annorum, ſed unius duntaxat diei, ſi qua fides Supplemento illi habenda. Ipſe ordo rerum geſtarum urget, initio libri narrari ea, quæ nuptias Ahaſveri cum Eſther præceſſerunt, quod etiam facit authenticus liber Eſther. Jam verò inſidiæ Eunuchorum acciderunt poſt nuptias Regis cum Eſther celebratas, ut patet ex cap. 2. v. 22. Et quod de anticipatione hic commiſſa dicitur, non poteſt evidenti aliquâ ratione probari. 2. Canonicus liber Eſtheris cap. 6. v. 3. dicit, *Mardochæum pro detectione inſidiarum nulla accepiſſe præmia.* Supplementum cap. 12. v. 5. dicit *eſſe ei data.* Bellarminus reſpondet, *hoc non habere difficultatem. Etſi enim non habuerat Mardochæus mercedem pro delatione, quando Rex juſſit relegi ſibi annales, ut dicitur cap. 6. tamen poſtea habuit ampliſſimam mercedem, quæ deſcribitur in eod. cap. 6. & ea ſignificatur cap. 12. per illa verba, datis pro delatione muneribus.* Atqui in illo ipſo cap. 12. Supplementi verſ. 6. Aman poſt data pro delatione munera Mardochæo dicitur malum machinatus, quæ machinatio qualis fuerit exponitur cap. 6. v. 4. quod Regi voluerit, ſuggerere, ut Mardochæum juberet patibulo affigi, factum autem eſſe mutatis rerum vicibus, ut Mardochæum Regiis veſtibus indutum ac Regio diademate ornatum cogeretur honorare. Ergo munera illa non poſſunt intelligi de honoribus, quibus Rex poſt inſpectos annales ipſum affecit, cùm illo ipſo mane noctem, in qua annales, lecti erant, ſequente Amanus Mardochæo inſidias ſtruxiſſe dicatur. 3. Supplementum Eſther cap. 12. v. 6. dicit, *Amanum voluiſſe nocere Mardochæo propter interfectos Eunuchos*, Canonicus Eſther. cap. 3. verſ. 5. illius rei cauſam refert *ad denegatam Amani à Mardochæo orationem.* Gretſerus in defenſ. Bellarm. reſpondet, *hæc non pugnare, cùm utrumque cauſa eſſe poſſit illius odij, nec inſolens eſſe, quod homines ingratiſſimi ſint erga de ſe bene meritos.* Sanè abſolutè & ſimpliciter hæc invicem non pugnant ac potuiſſent eſſe concauſæ illius odij, interim, quia Canonicus liber Eſtheris unam duntaxat cauſam & quidem diverſam ab ea, quam Supplementum habet, exprimit, ideo hoc ipſum Supplementi fidem ſuſpectam reddit. 4. In Canonico libro Eſther cap. 5. v. 2. *Rex benignè dicitur intuitus Reginam.* In Supplemento cap. 14. v. 10. dicitur *tam ſævè aſpexiſſe.* Reſpondet Gretſerus per diſtinctionem temporis. *Initio quidem Regem irâ inflammatum fuiſſe ob Reginæ inſolitum acceſſum, ut eſt cap. 15. poſtea mente ad lenitatem flexâ ob Reginæ periculum gratiſſimis oculis eam reſpexiſſe*, ut eſt c. 5. Sed Canonicus liber Eſther memorat in primo ſtatim ingreſſu Regem benignè intuitum fuiſſe Reginam, antequam etiam Regina cauſam inſoliti ingreſſus exponeret. 5. In Canonico Eſther dies Judæorum exitio deſtinatus ſcribitur fuiſſe *13. Adar*. cap. 3. v. 13. cap. 8. v. 12. cap. 9. v. 1. In Supplemento verò notatur

dies 14.

dies 14. Adar. cap. 13. v. 6. 6. Hamanus in Canonico Eſther vocatur *Agagita*, hoc eſt, Amalecita cap. 8. verſ. 3. ſed in Supplemento vocatur *Macedo* cap. 16. v. 14. 7. In Supplemento c. 13. v. 14. Mardochæus dicit, ſe *propterea noluiſſe genua flectere coram Amano, quod timuerit, ne honorem Dei ſui transferret ad hominem & quenquam adoraret excepto Deo ſuo.* At in Canonica Eſther nequaquam dicitur, quod reliqui adoraverint Amanum, ut Deum, vel quod Amanus pro Deo adorari voluerit, ſed erat hic civilis honor, quem ex ſingulari & heroico Spiritus S. inſtinctu Mardochæus impio Hamani denegavit.

4. Pugnat cum veritate Hiſtorica.

202. 4. Pugnat cum veritate Hiſtorica. Capite enim 16. v. 14. Amanus dicitur *cogitaſſe de transferendo Perſarum regno in Macedonas*, quod cum Hiſtoriis conciliari nequit. Conſequens enim fuerit, Hiſtoriam Eſther incidiſſe in ultima tempora Regum Perſarum, neque enim timere potuiſſet Aſſuerus; ne regnum Perſarum ad Macedonas transferretur, niſi regnum Macedonum fuiſſet alicujus nominis. Jam verò regnum Macedonum fuit obſcuriſſimum uſque ad tempora Philippi Patris Alexandri Magni, ut ex Hiſtoriis conſtat, cùm tamen Hiſtoria Eſther longè anteceſſerit regnum Philippi Macedonis. Præterea ſi ad finem Regni Perſarum pertineret Hiſtoria Eſther, ſuperſtes fuiſſet Mardochæus ferè trecentos annos. Dicitur enim translatus cum Jechonia ex Jeruſalem in Babylonem à Nabuchodonoſor Rege Chaldæorum. Eſth. 11. v. 4. in captivitate manſit an 70. poſtea ſupervixiſſet ab initio regni Cyri uſque ad finem Artaxerxis Ochi, qui ſunt an. ducenti & 20. qui conjuncti efficiunt ferè 300. an. Bellarm. enumeratis variis ſententiis, quiſnam fuerit *Aſſuerus* maritus Eſther (Quidnam enim Aſſuerum Darii Medi patrem, quidam Cambyſem, quidam Darium Hiſtaſpis, quidam Artaxerxem Mnemonem, quidam Artaxerxem Longimanum maritum Eſther conſtituunt) illam opinionem tandem amplectitur, quod Artaxerxes Longimanus Aſſueri nomine intelligeodus ſit. Quo fundamento præſuppoſito reſpondet, *non eſſe incredibile, Mardochæum cum Rege Jojakim tranſlatum fuiſſe in Babylonem & uſque ad tempus Artaxerxis Longimani ſupervixiſſe, ſunt enim ab initio captivitatis Babylonicæ uſque ad Longimanum anni circiter 165. jam verò non eſt incredibile, Mardochæum ſupereſſe annum 165. cùm poſterioribus temporibus quidam ad eam ætatem pervenerint.* Atqui annis illis 165. tranſlationi in captivitatem & temporibus Artaxerxis Longimani interjecti aliquot anni adhuc erunt addendi. Nam. 2. Reg. 24. v. 16. Nabuchodonoſor dicitur *deportaſſe viros robuſtos, fortes & bellatores*, nullâ factâ puerorum mentione. Ergo Mardochæus tum fuiſſet annorum 30. illis adde annos 165. inter tranſlationem in captivitatem & tempora Artaxerxis interjectos, ac prodibunt anni 195. Quòd ſi ergo temporibus Artaxerxis Mardochæus tot annos fuiſſet natus, non potuiſſet obire aulicum miniſterium, nec res tantas geſſiſſet, ſed fuiſſet decrepitus & capularis ſenex. Vidit hoc Bellarminus, ideò aliter reſpondet, videlicet quod *Scriptura dicit, Mardochæum tranſlatum fuiſſe in Babylonem cum Rege Jojakim, id intelligi poſſe hoc ſenſu, quod non in ſe, ſed in parentibus aut majoribus ſuis tranſlatus fuerit, quemadmodum Zorobabel & Jeſue dicuntur rediiſſe in Jeruſalem* ex captivitate 2. Eſdr. 7. *cùm tamen Zorobabel natus ſit in ipſa captivitate.* Matth. 1. quæ explicatio quamvis ſit coactior, fortè locum habere poſſet, ſi reliqua in ſupplemento rectè ſe haberent. Si quis dicat, etiam in Canonico libro Eſther cap. 2. v. 6. de Mardochæo commemorari; quod deportatus fuerit Hieroſolymis cum Rege Jechonia Babylonem, proinde etiam hoc argumento Canonici Eſtheris autoritatem labefactari. Reſp. relativum *Qui* non referri ad ipſum Mardochæum, ſed ad proximè præcedens, videlicet ad proavum Mardochæi. Verba ſic habent: *Erat vir Judæus in Suſan civitate nomine Mardochæus, filius Iair, filii Semei, filii Cis de ſtirpe Iemini, qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem.* Cùm enim tres hoc loco tantùm commemorentur ex majoribus Mardochæi, nec perducatur ulteriùs genealogia, quam ad Cis Benjamitam hominem ignobilem, quæ ratio afferri poteſt commodior, cur tres tantum enumerentur, quàm ea, quæ commemorata eſt ex Cardinali Cajetano, ut doceatur, Cis eum fuiſſe, qui in captivitatem deportatus eſt, non autem Mardochæum, ac oſtendatur, Mardochæum fuiſſe ex poſteritate piorum majorum, qui cum Jechonia deportati ſunt, cui Deus propter majores benefecerit? Scalig. de emend. temp. lib. 6. Druſius in capite 2. Eſther.

5. Ab Eccleſia Iſraëlitica & Chriſtiana primitiva eſt Canone excluditur.

203. 5. Ab Eccleſia Iſraëlitica & Chriſtiana primitiva è Canone excluditur. De Iſraëlitica dubitari nequit. Inter Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores priſcos excellit Hieronymus, qui præfat. in Eſther hæc poſteriora ſeptem capita à Canone removet, Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 7. *Melitoni, Athanaſio & Gregorio Nazianzeno* tribuit, quod integrum librum Eſther extra Canonem poſuerint. Sed quia Melito & Athanaſius ſecuti ſunt Canonem Hebræorum, ut agnoſcit Melchior Canus lib. 2. loc. comm. cap. 10. quod ipſum etiam de Nazianzeno ſtatuendum; & verò in Canone Hebræorum Eſther ponatur, ideò non eſt veriſimile Melitonem, Athanaſium & Nazianzenum integrum librum Eſther extra Canonem poſuiſſe, ſed tantum de poſtremis ſeptem capitibus boc intelligendum. Quamvis enim in recenſendis Canonicis Vet. Teſt. libris non faciant expreſſam libri Eſther mentionem, tamen ad alium librum Canonicum fortè ad *Eſdram* eum referre potuerunt, à quo ſcriptus judicatur liber Eſther; referente Iſidoro & aliis. Coofirmat hanc conjecturam, quod Athanaſius, cùm in Synopſi libros Canooicos omiſſo libro Eſther numeraſſet, expreſsè ſcribat, librum Eſther ad aliud quoddam Canonicum volumen pertinere: τινὲς μὲν (inquit) τῶν παλαιῶν εἰρήκασι κανονίζεσθαι παρ' Ἑβραίοις καὶ τὴν Ἐσθήρ. Καὶ τὴν μὲν Ῥοὺθ μετὰ τῶν Κριτῶν ἑνουμένην εἰς ἓν βιβλίον ἀριθμεῖσθαι, τὴν δὲ Ἐσθὴρ εἰς ἕτερον ἕν. *Origenis* ſuffragium in hac cõtroverſia nobis largitur Sixtus Senenſis, quem pro ſua ſententia Bellarm. citare auſus eſt. Lyranus itidem ſupplementum illud ex canone removet. In fine enim comment. in Eſther ſic ſcribit: *Cætera, quæ ſequuntur, non intendo exponere, quia non in Hebræo ſunt, nec de Scriptura Canonica, ſed magis videntur à Ioſepho & aliis Scriptoribus conficta & poſtea vulgatæ editioni inſerta.*

6. à quibuſdam Pontificiis inter apocrypha numerantur.

204. 6. A quibuſdam Pontificiis inter apocrypha numerantur. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 7. §. 1. quatuor ſcriptorum Pontificiorum *Dionyſii Carthuſiani*, *Hugonis Cardinalis*, *Thomæ de Vio Cajetani & Sixti Senenſis* (cui Stapletonus lib. 9. princip. doctrinalium cap. ult. hoc elogium tribuit, *quod omnium accuratiſſimè de Canonicis & apocryphis libris ſcripſerit*, ac Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 10. §. 4. *ſe illius diligentiam imitari velle* aſſerit) ſuffragium nobis largitur. Verba Bellarmini ſic habent: *Non defuerunt, qui librum quidem Eſther inter ſacros libros numerandum cenſuerint, ſeptem verò poſtrema capita, quod in Hebraicis textibus non habeantur, ejus libri vera membra eſſe negaverint & tanquam adulterina atque aliena à reliquo corpore reſecanda putaverint. In qua ſententia fuiſſe Hieronymum, ex ejus præfatione colligitur. Secuti ſunt Hieronymum non modo ante Concilium Tridentinum Nicolaus Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Hugo & Thomas de Vio Cardinales in commentariis hujus libri, verum etiam poſt Concilium Sixtus Senenſis lib. 1. & 8. Biblioth. ſancta.* Verba ipſa Sixti Senenſis cùm valde ſint emphatica ex lib. 1. Biblioth. Sect. 3. hîc tranſcribemus. *Venit* (inquit) *hoc loco in mentem ſimul admonere & hortari pium ac benevolum lectorem, ne me temeritatis arguat, quod hæc poſtrema capita à Canone avulſa in hunc ultimum apocryphorum ordinem redegerim, ac ſi oblitus ſim ſanctæ Synodi Tridentinæ, quæ ſub anathematis interminatione jubet recipi omnes libros integros, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt & in veteri vulgata editione habentur. Eſt enim Canon ille intelligendus de veris & germanis partibus, quæ ad librorum integritatem ſpectant, non autem de laceris quibuſdam appendicibus & pannoſis additamentis à quovis incognito autore temerè appoſitis & utrinque inſutis, qualia ſunt hujuſmodi ultima capita, quæ non ſolùm Hugo Cardinalis, Nicolaus Lyranenſis, Dionyſius Carthuſianus, cæterique recentiores Interpp.* (nota, ergo præter hos etiam plures Pontificii ſcriptores noſtræ ſententiæ ſuffragantur) *negant eſſe Canonica, ſed & Hieronymus à toto Eſtheris volumine reſecat ceu vitiatam partem & declamatoriis ut ipſius dictis utar, verborum ſinibus conficta ex his, quæ ex tempore dici & exaudiri poterant, ſicut ſolitum eſt Scholaribus diſcipulis ſumto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit.* Hactenus Senenſis. Debuiſſet verò Bellarminus quatuor illis ſcriptoribus Pontificiis, quorum ſuffragium nobis largitur, addere *Benedictum Ariam Montanum & Iohannem Driedonem*, qui idem cum enumeratis Scriptoribus ſtatuunt.

Antitheſis

205. Antitheſis Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 7. & alii Pontificii Supplementum illud Eſtheris ſeptem poſteriora capita continens æquè ac priora novem capita Canonicum eſſe ſtatuunt. Argumentis inſiſtunt potiſſimùm ſequentibus. 1. ex connexione hujus Supplementi cum genuino Eſtheris libro. *Concilia & Patres, quando Eſther in Canonem referunt, de eo volumine ſunt locuti, quo tum ipſi, tum Eccleſia univerſa eo tempore utebatur. Iam vero univerſa Eccleſia eo tempore utebatur libris ſacris juxta eam editionem, quam Hieronymus vocat vulgatam, quæ Græcorum lingua & literis continetur, in qua ſeptem illa capita non defuiſſe, teſtes ſunt Græci textus, qui nomine 72. Interpp. circumferuntur.* Reſp. 1. Sanè in Codice Biblico appendix illa peregrina & apocrypha conjungitur genuino & Canonico libro Eſther, ſed ex ſuperioribus manifeſtum, quale diſcrimen ſit inter utrumque, quod pleriſque Patrum præſertim illis, qui poſt receptam Hieronymi ex Hebræo verſionem vixerunt, non fuit ignotum. 2. Procedit igitur argumentum à non diſtributo ad diſtributum. Non ſequitur, ſi Patres librum Eſther poſuerunt in oumero Canonicorum librorum, quod etiam illa diverſæ linguæ capita, quæ heterogenea planè ſunt & cum genuino libro Eſther minimè cohærent, ſenſerint eſſe Canonica, aliàs idem de Hieronymo & Lyrano foret ſtatuendum, qui librum Eſther in Canonem ponunt, nec tamen appendicem Canonicam eſſe aſſerunt, ſed ipſo Bellarmino fatente ut adulterinam rejiciunt. 3. Urgemus igitur Bellar. ex propriis hypotheſib. lib. 1. de verbo Dei cap. 20. §. At de tertio: pro aſtruenda Canonica tertii libri Eſdræ autoritate format hanc objectiooem. *In Græcis Codicibus tertius eſt, qui dicitur primus Eſdræ. & qui apud nos dicuntur 1. & 2. in Græco dicuntur ſecundus Eſdræ. Quocirca veriſimile eſt, antiqua Concilia & Patres, cum ponunt in Canone duos libros Eſdræ, intelligere nomine duorum librorum omnes tres. Sequebantur enim verſionem LXX. Interpp. apud quos tres noſtri duo libri Eſdræ nominantur.* Reſpondet autem §. ſequente ad alteram: *Etſi in Græcis Codd. duo libri* Eſdræ ſunt noſtri tres, tamen non propterea Concilia antiqua & veteres Patres, qui in Canone ponunt duos libros Eſdræ, iotelligere oomine duorum noſtros tres. Nam multi veterum ut Melito, Epiphanius, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus in Canone T. Vet. exponendo apertè ſecuti ſunt Hebræos non Græcos. Hebræi autem tertium Eſdræ oon habent. Idem & nos Bellarmini argumento reſpondemus.

206. 2. Ex Patrum allegatione. *Patres librum ipſum inter ſacros numerant & ex poſtremis illis capitibus teſtimonia quædam proferunt.* Chryſoſt. hom. 3. ad popul. Antioch. Auguſtin. Epiſt. 199 ad Ediciam. Reſp. nec Patrum allegatio, nec generalis Scripturæ ſacræ appellatio Canonicam autoritatem vel ſupplemẽto illi vel reliquis controverſis libris conciliat. Quod enim attinet Patrum allegationem, ea quàm infirmum ſuppeditet Canonicæ autoritatis fulcrum, patere poteſt ex ſequentib. 1. D. Apoſtolus ex *Menandro, Arato Epimenide* verſiculos citat, nec tamen ex eo Canooica autoritas gentilibus illis ſcriptoribus tribuenda. Judas citat teſtimonium *Enochi* in Epiſt. v. 14. quod tamen *ex apocrypho libro ſumtum* fatetur Bellar. lib. 1. de verbo Dei cap. 18. in quo conſentientem habet Hieronymum in catal. verbo Judas. 2. Librum *Hermæ ſive Paſtoris* citant & teſtimonia ex eo proferunt Irenæus lib. 4. cap. 37. Tertullianus lib. de orat: Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromat. Athanaſius de decretis Synodi Nicenæ, Euſeb. lib. 5. c. 8. Caſſianus l. 13. collat. c. 12. & alii, nihilominus tamen nullâ Synodo relatus eſt in Canonem & diſertis verbis à Canone eum rejicit Gelaſius in decreto de libris Eccleſiaſticis c. ſancta Romana diſtinct. 15. & Athanaſius in Synopſi. Idem etiam Athanaſius in lib. de decretis Synodi Nicenæ & Theodo-

retus

retus lib. 1. Hiſtor. cap. 18. Arianos, qui ex hoc libro teſtimonia petebant, dicunt ex libro non Canonico teſtimonia petiiſſe, quæ totidem verbis profert Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 20. §. *Nec minùs.* 3. Eo ipſo in loco §. *At de tertio &c.* fatetur & agnoſcit, *tertium librum Eſdræ* citari ab Athanaſio orat. 3. contra Arianos. Auguſtino lib. 18. de civ. Dei cap. 36. Clemente Alexandrino lib. 1. ſtromat. Autore imperfecti operis homil. 1. in Matth. & à Cypriano in Epiſt. ad Pompeium, quem tamen Canonicum eſſe rectè negat. 4. *Quartus liber Eſdræ* citatur ab Ambroſio lib. de bono mortis (cap. 10.) & lib. 2. in Lucam ac in Epiſt. 21. ad Horatianum (uti etiam ab Irenæo lib. 3. cap. 25. Clemente Alexandrino lib. 1. ſtromat. Tertulliano lib. de habitu muliebri. Baſilio in Epiſt. ad Chilonem, Chryſoſtomo homil. 8. ad Hebræos) tamen ſine dubio non eſt Canonicus, quæ iterum ſunt verba Bellarmini d. l. §. *Poſtremò apocryphi.* Multò minus ex generali *Scripturæ ſacræ* appellatione apocryphis illis libris Canonica autoritas vendicari poteſt. Nam 1. Librum Hermæ ſive Paſtoris *divinitùs inſpiratum* θεόπνευστον vocat Origenes lib. 10. in Epiſt. ad Rom. Eundem *librum utilem* judicavit Euſebius lib. 3. Hiſt. cap. 3. Ruffinus in Symb. Hieronymus in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Nihilominus tamen nec ab ulla Synodo relatus eſt in Canonem & diſertis verbis à Canone eum rejicit Gelaſius, quæ denuò ſunt verba Bellarmini. d. l. §. *Nec minùs.* 2. Quartum librum Eſdræ Ambroſius lib. de bono mortis cap. 10. *divinum* vocat, nec tamen propterea Bellarminus eum Canonicis libris annumerat. 3. Diſputat Bellar. lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Dico ſecundò: *Decreta Pontificum dici Scripturas ſacras, ut diſtinguantur à prophanis & Canonicas, ut diſtinguantur à ſcriptis Patrum, quæ non ſunt regula nec habent autoritatem obligandi,* ac ſtatim ſubjicit, *Canones Pontificum & Conciliorum ſuo modo eſſe & dici poſſe ſcripta ſacra & Canonica,* quod probat ex act. 3. VII. Synodi & c. Cùm Martha Chriſt. de celebr. Miſſ. Quòd ſi ergo Supplementum Eſther vel reliqui libri controverſi per hanc appellationem in canonem recepti dici poſſunt, idem judicium erit de Pontificum & Conciliorũ decretis.

207. 3. Ex Origenis demonſtratione. *Origenes in Epiſt. ad Julium Africanum, hanc ipſam partem libri Eſther, quæ in Hebræorum voluminibus non habetur, ſacram & Canonicam eſſe demonſtrat.* Reſp. 1. apud Septuaginta Interpp. Supplementum illud haberi & in Eccleſiis legi dicit, ſed Canonicum eſſe nuſpiam aſſerit. 2. Certum eſt, Origenem ſecutum fuiſſe Hebræorum Canonem, teſte Euſebio lib. 6. Hiſt. c. 24. at in Hebræorum Canone Appendix illa non habetur. 3. Inde Sixtus Senenſis lib. 1. Biblioth. p. 27. planè contrarium ex illa Epiſtola Origenis colligit. *Origenes,* inquit, *in Epiſtola ad Julium Africanum hæc eadem additamenta explodit.* 4. Quantum aliàs Bellarminus Origeni tribuat, ex eo apparet, quod lib. 4. de notis Eccleſ. cap. 9. §. 21. eum in *catalogo hæreticorum* recenſeat. lib. 2. de purgatorio cap. 8. art. 16. ex libro qui inſcribitur *Pratum Spirituale* cap. 25. adducit viſionem, *quod viſus fuerit Origenes cum Ario aliisque hæreticis in igne torqueri,* & addit, *Citari Pratum Spirituale in 7. Synodo generali, neque enim librum ſpernendum cenſeat.*

208. 4. Ex lectione in Eccleſia. *Quædam ex Supplemento leguntur in Eccleſia.* Reſp. Controverſos illos libros in Eccleſia Occidentali *ad ædificationem plebis* legi fuiſſe ſolitos non negamus, ſed ex eo non acceſſit eis Canonica autoritas, lecti enim fuerunt *ad morum informationem, non ad dogmatum confirmationem.* Hieronymus præfat. in libr. Salom. apocryphos libros ſic definit, *quod non ſint in Canone, interim tamen in Eccleſia legantur ad ædificationem plebis.* Quæ de Florentino & Tridentino Conciliis coronidis loco adduntur, ea nos non feriunt. Nam 1. Concilium Florentinum vix ante annos ducentos fuit habitum; Tridentinum Patrum noſtrorum memoriâ fuit celebratum. At num tot ſeculis in Eccleſia Canon fuit imperfectus? 2. In libro qui continet cauſas recuſati Concilii Tridentini multis demonſtratum, Concilium illud *nec generale, nec liberum, nec Chriſtianum fuiſſe.* 3. Non eſt hic unus ac ſolus Concilii Tridentini error, quod ad confirmanda dogmata Papalia libris apocryphis autoritatem conciliare voluit, quâ de re Examen Chemnicianum videri debet. 4. In ſeſſione quartâ illius Concilii, in qua decretum de Canone fuit editum, Legati, Cardinales, Archiepiſcopi, Epiſcopi, qui tum præſentes adfuerunt & decretum de numero Canonicorum librorum ediderunt, omnes circiter 50 fuerunt, iique ferè Itali & Hiſpani, quomodo ergo hæc ſanctio fuit generalis & Oecumenici Concilii?

209. 4. Liber Sapientiæ. Fatemur hunc librum multis præclaris ſententiis ac præceptis eſſe refertum, eundemque unà cum Eccleſiaſtico reliquis apocryphis præſtare dicimus, interim tamen Canonicis libris propriè ac ſpecificè ſic dictis eum accenſere neutiquam poſſumus. 1. quia non eſt ſcriptus linguâ Propheticâ ſed Græca. 2. quia non eſt ſcriptus à Propheta, ſed à Philone. Hieron. in præfat. Sapient. dicit, *hunc librum redolere Græcam eloquentiam,* cujus Philonem peritiſſimum fuiſſe, idem in catalogo teſtatur. Idem in præfat. in libr. Salomonis. *Fertur & alius, qui à Siracide ſcriptus eſt, Salomonis; & adhuc alius ψευδεπίγραφος qui Sapientia Salomonis inſcribitur.* Nonnulli Scriptorum veterum hunc eſſe Judæi Philonis aſſirmant. Lyranus in cap. 15. Sapient. inimicos, quorum ibi fit mentio, interpretatur de Romanis, quia *tempore Philonis* (inquit) *Cajus Imper. miſit ſtatuam ſuam per orbem adorandam, ut Deum.* Bonav. in comm. h. l. *Prima cauſa efficiens per modum compilationis fuit Philo Sapientiſſimus Judæorum, qui temporibus Apoſtolorum fuit.* Hanc Hieronymi, Lyrani & Bonaventuræ de autore hujus libri ſententiam confirmat occaſio, argumentum & ſcopus hujus ſcripti. Cajus Imp. Rom. Ethnicus, quia Romæ ſimulachro aureo ciconico colebatur, referente Suetonio in Caligula cap. 22. voluit etiam Hieroſolymis coli, miſit igitur ad Judæos, juſſitque ſtatuam ſuam in templo locari. Judæi hoc nuncio exterriti Philonem diſertiſſimum & eruditiſſimum virum ad ipſum miſerunt, obſecrantes Imperatorem, ne templum erectione ſtatuæ pollueret, ſed Imperator neglectis ipſorum precibus Petronio imperavit, ut fruſtrà renitentibus Judæis ſtatuam ſuam adorandam in templo collocaret. Joſeph. lib. 18. antiquitat. cap. 15.

[*4. Liber Sapientiæ eſt apocryphus.*]

[*1. quia non eſt ſcriptus lingua Propheticâ ſed Græcâ. 2. non eſt ſcriptus à Propheta.*]

Hac

Hac occaſione Philo compoſuit *librum Sapientiæ*, in quo de officio Principum, de pœna idololatriæ, de felici piorum exitu, de ſupplicio impiorum &c. ad ſolatium Judæorum & terrorem Tyrannorum copioſè tractat. Nec materia ſolùm & res Philonis temporibus, ſed etiam ſcriptionis forma & tractandi modus Philoni optimè conveniunt. De Philone dictum, quod Platonicâ eloquentiâ polleat. (Ludov. Vives in comment. lib. 17. de civ. Dei cap. 20. *Liber Sapientiæ creditur Philonis Judæi Alexandrini, qui vixit temporibus Apoſtolorum, quibus & amicus fuit, tantâ in Græco ſermone facundiâ, ut de illo Græci dixerint, ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ Πλάτων φιλωνίζει*) Talis Platonica eloquentia in Græco libri hujus textu occurrit, ita ut Latinus interpres florem & colorem orationis Græcæ non potuerit aſſequi. Plato conſtituit quatuor cardinales virtutes *σωφροσύνην, φρόνησιν, δικαιοσύνην, ἀνδρείαν*. Eodem numero eas complectitur autor hujus libri cap. 8. v. 7. Philo lib. 1. de allegor. legis de virtutibus agens in illa verba Moſaica, *Fluvius exibat ex Eden, &c.* ſic commentatur: *Fluvius eſt virtus generalis; quatuor capita, virtutes ex Edene, id eſt, Sapientia Dei effluentes.* Pari ratione autor libri ſapientiæ virtutes dividit in quatuor ſpecies, eaſque omnes fluere pronunciat ab uno fonte & generali virtute, quæ oritur à ſapientia Dei. Ex quibus omnibus ſic concludimus. Qui liber non eſt ſcriptus à Propheta, non eſt in Canone Vet. Teſt. cujus propoſitionis veritatem agnoſcit Bellar. lib. 1. de verbo Dei cap. 4. Atqui liber Sapientiæ non eſt ſcriptus à Propheta, ſed à Philone, ut patet ex dictis. E. liber Sapientiæ non eſt in Canone Vet. Teſt. Item: Qui liber non eſt ſcriptus ante natum Chriſtum, non eſt in Canone V. T. Matth. 11. v. 13. *Lex & Prophetæ uſq; ad Johannem.* Liber Sapientiæ non eſt ſcriptus ante Chriſtum natum, quia Philo poſt Chriſtum natum vixit. Ergò liber Sapientiæ non eſt in Canone V. T.

210. Vim argumenti hujus ſentiens Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 13. §. *Sed audiamus &c.* audaciſſimè ſcribit, *quod omnes veteres hunc librum Salomonis eſſe aſſerant, ex quo manifeſte ſequatur, eum eſſe Canonicum.* Verba ipſius ſic habent: *Euſebius lib. 4. Hiſtor. cap. 22. dicit, Egeſippum & Irenæum & omnem antiquorum chorum hunc librum Salomonis eſſe exiſtimaſſe. Pari ratione Tertullianus de præſcrips. Cyprianus ſerm. de mortalit. Hilar. in Pſ. 127. Ambroſ. ſerm. 8. in Pſ. 118. Baſilius lib. 5. contr. Eunom. Epiphan. in hæreſ. Anom. Salomonis nomine hunc librum citant. Quod verò D. Hieronym. præfat. in lib. Salom. hunc librum dicit à multis putari Philonis Iudæi & D. Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 8. dicit, eſſe Ieſu filii Sirach, non eſt contrarium communi ſententiæ Doctorum. Nam ſententiæ quidem ſunt Salomonis, non Philonis, ut veteres dicunt & clariſſimum eſt ex cap. 9. ubi autor dicit. Tu elegiſti me Regem populo tuo & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo; tamen collecta ſunt hæ ſententiæ ab aliquo alio, qui à multis putatur Philo, non ille, qui fuit poſt Chriſtum, ſed alius antiquior, qui quidem verbis Græcis Salomonis ſententias complexus eſt Spiritu ſancto dictante, ſicut Prov. 25. dicuntur parabolæ illæ Salomonis tranſlatæ in librum à viris Ezechiæ Regis Juda, cùm antea forte in ſchedulis haberentur.* Hæc Bellarminus. Reſp. 1. notanda eſt contradictio ſcriptorum Pontificiorum in hac quæſtione. Bellarminus, Jodocus Clitovæus, Sixtus Senenſis &c. librum Sapientiæ aſſerunt eſſe Salomonis; ſed Ludovicus Vives d. l. Johannes Driedo lib. 1. de ſcript. Eccleſ. cap. 4. ad difficult. 4. & Johannes Capiſtranus in præfat. Speculi Clericorum negant. Item Philonem compilatorem antiquiorem faciunt Philone illo, qui vixit Apoſtolorum temporibus Bellarminus & Genebrardus lib. 2. Chron. Sed Philonem, qui poſt Chriſtum natum vixit & Apoſtolorum amicus fuit, autorem hujus libri faciunt Lyranus in c. 9. Sapient. Petrus Galatinus de arcan. Cathol. verit. lib. 1. cap. 4. ubi aſſerit, quod *Salomon in Proverbiis ænigmaticè & univerſaliter de Chriſto futurum prædixerat, hoc Philonem in libro Sapientiæ docere impletū*, quò cumprimis accommodat, quod c. 2. & 3. de juſto dicitur. Sixtus Senenſis lib 1. Biblioth. ſect. 2. *Sunt qui putent opus eſſe Philonis Judæi junioris, viri Græcâ eloquentiâ celeberrimi, qui pro gente ſua ad Imp. Cajum legatione functus eſt. Alij arbitrantur idipſum alterius eſſe Iudæi Philonis ſenioris, qui annis fere 170. ante Servatoris noſtri adventum floruit, Oniæ Sacerdotis Magni temporibus, quorum ſententiis non ſolùm prædicta hujus voluminis verba repugnare videntur, ſed & ipſe Joſephus aperiſſimè reclamat, dum ſeniorem Philonem non inter Judæos, ſed inter Ethnicos Hiſtoricos recenſet & eos præſertim, qui nunquam ſacros libros legerant* l. 1. contra Appionem. 2. Omnes veteres hunc librum Salomoni aſſcribere invitâ veritate aſſeritur. De Hieronymi & Lyrani ſententiâ paulò ſuperiùs diximus. Auguſtin. lib. 17. de civ. Dei cap. 20. *Salomon Prophetaſſe reperitur in ſuis libris qui tres recepti ſunt in autoritatem Canonicam. Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum Canticorum. Alii verò duo, quorum unus Sapientia, alter Eccleſiaſticus dicitur, propter eloquii nonnullam ſimilitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit conſuetudo. Non autem eſſe ipſius, non dubitant doctiores, eos tamen in autoritatem* (puta ut legantur in Eccleſia) *maximè Occidentalis antiquitus recepit Eccleſia* lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. *Illi duo libri, unus qui Sapientia, & alius, qui Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur. Nam Jeſus filius Sirach eos ſcripſiſſe conſtantiſſimè perhibetur.* Neque hanc ſententiam ſimpliciter Auguſtinus retractavit vel Salomonem illius libri autorem agnovit, ut vult Bellarm. d. l. ſed illud ſolùm retractavit, quod tam conſtanter Siracidem ejus libri autorem dixerat. Sic enim habent verba lib. 2. retract. cap. 4. *In ſecundo ſanè libro de autore libri, quem plures vocant Sapientiam Salomonis, quod etiam ipſum ſicut Eccleſiaſticum Jeſus filius Sirach ſcripſerit, non ita conſtare, ſicut à me dictum eſt, poſtea didici & omninò probabilius comperi, non eſſe ejus libri autorem.* Inde Alph. de Caſtro l. 1. contra hæreſ. cap. 2. largitur nobis, *Auguſtinum cenſuiſſe hunc librum non eſſe Salomonis.* 3. At, inquit Bellar. *manifeſtè ſcribit Euſebius* lib. 4. Hiſt. cap. 22. *quod Egeſippus, & Irenæus & omnis antiquorum chorus librum, qui adtitulatur Sapientia, Salomonis eſſe dixerint, ſicut Proverbia.* Reſp. ut prætermittamus, quod Bellarmino alibi autoritas Euſebii utpote Arianizantis ſit exigua (lib. 1. de Chriſto cap. 9. §. ad Irenæum. *Tertulliani & Euſebii in dogmatibus parva eſt autoritas.* lib. 2. de

Chriſto

Chriſto c. 3. §. alteram. *Euſebius favet Arianis.* lib. deſcript. Eccleſ. ſect. 4. p. 105. *Mirum eſt, cur aliqui moderni Euſebium hunc tanto ardere defendere velint)* h. l. illud duntaxat monemus Bellarminum Ruffini interpretis errore deceptum errare. Sic enim ille debuiſſet vertere. *Non ſolum iſte* (Egeſippus) *ſed & Irenæus & omnis chorus antiquorum Proverbia Salomonis ſapientiam πανάρετον omnis generis virtute plenam vocarunt.* Ex quo manifeſtè conſtat, Euſebium non eſſe locutum de libro Sapientiæ, ſed de Proverbiis Salomonis, quod eſt eo manifeſtius, quia ut videre eſt apud Euſebium lib. 11. de præpar. Evang. cap. de morali Hebræorum Philoſophia & alios, antiqui vocabant Proverbia Salomonis πανάρετον, quaſi quæ omnia omnium virtutum præcepta contineat. Confer Baſilium in princ. Proverb. Manifeſtiſſimè id conſpicitur in Græco textu Euſebii, qui ſic habet Πανάρετον Σοφίαν τὰς Σαλομῶντος παροιμίας ἐκάλουν, ubi ratio Syntaxeos poſtulat, ut conjungantur hæc duo per appoſitionem, σοφίαν παροιμίας. Muſculus ſic vertit: *Non hic autem tantùm, ſed & Irenæus & univerſus veterum chorus Salomonis Parabolas ſapientiam omnis generis virtute plenam vocarunt.* Quod ſi Muſculi verſio ſuſpecta ſit, audiatur Chriſtophorſonus: *Porrò autem non hic ſolus, ſed Irenæus & tota veterum turba Proverbia Salomonis librum eſſe præclarũ eximiaque Sapientiâ refertum exiſtimabant.* Quòd verò Euſebius non agnoſcat Sapientiæ librum eſſe Salomonis, patet ex lib. 6. Hiſtor. cap. 12. ubi ſic loquitur: *Clemens in libris Stromatum utitur earum Scripturarum teſtimoniis, quibus contradicitur, & ejus, quæ Salomonis Sapientia vocatur, & ejus quæ eſt Ieſu Sirach &c.* uti etiam ex lib. 11. de præparat. Evang. cap. de morali Hebræorum Philoſophia. 4. At inquit Bellarm. *liber Sapientiæ nomine Salomonis citatur à Tertulliano, Cypriano, Hilario, Ambroſio, Baſilio & Epiphanio.* Reſp. In Græcis Codd. vocatur Σοφία τῦ Σαλομῶντος, quos ſecuti ſunt illi Patres, ex quo non poteſt inferri, quod exiſtimarint hunc librum à Salomone ſcriptum. Inter illos enim, qui librum Sapientiæ ſub nomine Salomonis citarunt, eſt Euſebius qui lib. 5. contra Eunom. apertè inficiatur eum eſſe à Salomone ſcriptum. Citarunt autem ſub nomine Salomonis ex conſuetudine propter aliquam cum libris moralibus Salomonis ſimilitudinem. Auguſt. lib. 17. de civ. Dei cap. 20. *Libri Sapientiæ & Eccleſiaſtici ut dicerentur Salomonis, obtinuit conſuetudo propter eloquii ſimilitudinem.* Idem in Speculo. *Exiſtimari hos libros eſſe Salomonis propter eloquii ſimilitudinem, num ejus non eſſe non dubitant quiq; doctiores.* Quòd ſi vis quædam ineſt argumento Bellarminiano, potuiſſet Genebrardus pro Canonica libri 3. Eſdræ autoritate eodem modo contra Bellarminum argumentari. Origenes, Cyprianus, Athanaſius, Autor operis imperfecti in Matthæum & Auguſtinus citant hunc librum ſub nomine Eſdræ. Ergò habet autorem Eſdram & eſt liber Canonicus. Item quartum Eſdræ ſub nomine Eſdræ citant Irenæus, Ambroſius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Baſilius & Chryſoſtomus. E. habet autorem Eſdram & eſt liber Canonicus. Quicquid hiſce argumentis Bellarminus reſpondere voluerit, illud etiam ſuo reſponſum ſtatuat argumento. Quid quod Bellar. ipſe lib. 1. de verbo Dei cap. 20. ſomnia illa, quæ vulgo Eſdræ tribuuntur, ſub nomine tertii & quarti Eſdræ citat, non quòd ab eo ſcripta illa putarit, ſed ut breviter & commodiùs loqueretur ad ſenſum eorum, qui Eſdræ ea eſſe exiſtimant. Joſephus vocatur *Pater Chriſti* Luc. 3. verſ. 23. non quia Naturâ talis erat, ſed quia talis exiſtimabatur. Epiphanius vocat Sapientiam Salomonis, ſed eo ipſo in loco hæreſ. 76. Anomæorum, ex Canone eum excludit. 5. Quòd ſi vel maximè Salomonis eſſet, nondum tamen efficeretur eſſe Canonicum, quia ut notat Auguſtinus l. 18. de Civ. Dei cap. 38. de ſacris ſcriptoribus tractans, *fieri potuit, ut alia Hiſtoricâ diligentiâ, alia inſtructione divina ſcripſerint.* 6. Non eſſe librum Sapientiæ à Salomone ſcriptum evidenti argumento oſtendi poteſt. Autor enim illius libri oblitus, quam perſonam induiſſet, ſeipſum prodit cap. 15. v. 14. πάντες δ' ἀφρονέστατοι καὶ τάλανες ὑπὲρ ψυχὴν νηπίου (al. ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων) οἱ ἐχθροὶ τῦ λαῦ σου καταδυναστεύσαντες αὐτὸν *abutentes potentiâ in populum*, Lat. verſ. *imperantes populo ſuo.* Atqui tempore Salomonis inimici populi Iſraelitici non dominabantur illi, ut conſtat ex Hiſtoria Regum. Ergò liber ille nec à Salomone, nec Salomonis temporibus ſcriptus. Lyranus in hæc verba, *improperantes illi, Tempore namq; Philonis Cajus Imp. miſit ſtatuam ſuam per orbem adorandam ut Deum.* 7. At, inquit Bellarminus, *clariſſimum argumentum, quo probetur Salomonem eſſe hujus libri autorem, peti poteſt ex cap. 9. ubi autor in perſona Salomonis loquitur.* Reſp. Salomon per *proſopopœiam quandam* introducitur, ut autor majorem exhortationi ſuæ conciliet autoritatem. *Intererit multùm, ait* Horatius, *ſervúsne loquatur an herus.* Ludov. Viv. lib. de diſcipl. *Plurimi refert, quid cujus perſonâ dicatur, noſtrâ an alienâ &c.* Philo Principes monere voluit, Salomonem igitur loquentem introducit, qui & Princeps erat & Sapientiæ nomine celebris. Salvianus ſcripſit librum ad Eccleſiam Catholicam ſub nomine *Timothei.* Rationem inſtituti ſui exponit in Epiſtola ad Salvinum, *ne utilitatem ſalubribus ſcriptis perſonæ ſuæ parvitas derogaret, cùm omnia dicta tanti æſtimentur, quanti quis dixit.* Nevè Bellarm. exclamet, eſſe hanc reſponſionem violentam, afferamus ſimile exemplum, quod Bellarminus negare non poſſit. In Canone 84. Apoſtolorum recenſentur Canonici libri utriuſque Teſtamenti eo loquendi modo, ac ſi ipſi Apoſtoli loquerentur. *Noſtri autem libri & Acta noſtra*, inquiunt: uti etiam can. 28. *Deponitur, ut Simon Magus à me Petro,* ubi Clemens autor illarum Conſtitutionum loquitur μιμητικῶς, ut reſpondet Turrianus pro Canonibus. Et tamen ipſe Bellar. l. 1. de verbo Dei c. 20. §. *Quod ad priorem*; ſtatuit, Canonem illum 84. non eſſe Apoſtolicum. *Nam Zepherinus* (inquit) *Papa 15. à Petro in Epiſt. 1. tradit, ſolum ſeptuaginta fuiſſe Canones Apoſtolorum, vel ut alii Codices habent ſexaginta. Humbertus autem in libro contra Nicetam non agnoſcit niſi quinquaginta, at iſte eſt octuageſimus quartus. Et certè melius noverat Zepherinus, quot eſſent Apoſtolorum Canones, quàm ulli poſteriorum. Quocirca non ſine cauſa Gelaſius diſt. 15. c. Sancta Romana, poſuit inter apocrypha Canones Apoſtolorum, quod propter aliquos vel corruptos vel additos ab hæreticis factos eſſe videtur.* Hæc Bellarminus, quibus ſimilia occur-

occurrunt, apud Lindanum lib. 3. Panopl. cap. 3. ubi dicit: *Canonem illum Scripturarum ab Apoſtolis non fuiſſe perſcriptum liquet, quod eo multa comprehenſa ſint, quæ nondum ab Apoſtolis erant ſcripta.* Ex illis ſic concludimus. Aut ſtatuitur Canones illos eſſe Apoſtolorum, aut illud ipſum negatur. Si ſunt Apoſtolorum iſti Canones, neque tamen inter Canonicos libros numerantur, ergo utut fuerit liber Sapientiæ à Salome ſcriptus, non tamen continuò ſequetur, eum eſſe Canonicum. Si non ſunt Apoſtolorum Canones, cùm tamen verba in illis multa ſint, quæ non competant niſi Apoſtolis, infirmum erit argumentum, quod ex cap. 9. Bellarminus adducit. *Clariſſimum eſt*, inquit, *ex verbis cap. 9. Sap. Salomonem eſſe hujus libri autorem, cùm verba illa nemini convenire poſſint, præterquam Salomoni.* Atqui pari ratione contra Bellarminum inferre poſſem. Clariſſimum eſt ex verbis 84. Canonis, Apoſtolos eſſe illius autores, cùm verba illa nemini convenire poſſint, præterquam Apoſtolis. 8. Quod Bellarminus negat, Philonem illum Judæum, qui Apoſtolorum temporibus vixit, eſſe bujus libri compilatorem, contrà verò ſtatuit, alium quendam Philonem illo multò antiquiorem ſententias illas Salomonis collegiſſe, id quo conſilio fiat, facilè intelligitur, nimirum ut effugiat vim argumenti noſtri. Omnis liber Canonicus V. T. ante Chriſti & Apoſtolorum tempora ſcriptus eſt, &c. ſed quam quæſo affert Bellarminus hujus aſſertionis, ſuæ rationem, imò quam conjecturam? nullam omnino. Hieron. Lyranus, Pet. Galatinus, Bonaventura, Sixtus Senenſis, &c. Philoni Judæo tribuunt, nec alterius cujuſdam Philonis mentio fit in veteribus; qui potuerit eſſe hujus libri autor. Nam ſenior ille Philo fuit Ethnicus, non Judæus, ut docet Sixtus Senenſ. lib. 1. Biblioth. ſect. 2. ex Joſeph. lib. 1. contra Appion.

3. Continet quædam fidei analogiæ minùs congrua.

211. 3. Continet liber Sapientiæ quædam fidei analogiæ minùs congrua. Oſiander in cap. 8. Sap. *Loquitur autor de Sapientia DEI ad eum modum, ut quædam ad Filium Dei, qui eſt æternum Dei verbum, per quod omnia creata ſunt; quædam verò ad verbum miniſteriale referri queant, quæ diverſarum rerum commixtio oſtendit, hunc librum non eſſe in Canonicis ſcriptis. In eod. cap. v. 20. dicit ſe veniſſe ad corpus incoinquinatum.* cap. 10. v. 15. *Iſraelitas vocat populum juſtum & ſemen ſine querela.* cap. 16. v. 21. dicitur, *quod guſtus mannæ deſervierit uniuscujusq; voluntati*, cùm Ex. 16. v. 31. Num. 11. verſ. 8. dicatur, *quod guſtus ejus fuerit quaſi ſimilacum melle.* c. 18. v. 12. *quod ad ſepeliendum occiſos primogenitos vivi non ſuffecerint, quale quid non legitur in Canonica Moſis Scriptura.* cap. 19. verſ. 16. *de tenebris Ægyptiacis dicitur: Unusquisque tranſitum oſtii ſui quærebat, cùm Scriptura Canonica* Ex. 10. v. 23. *hac de re aliter loquatur: Tribus diebus nemo movit ſe de loco, in quo erat.* Sed hæc poſſent commodam interpretationem admittere, ſi conſtaret, librum hunc eſſe Propheticum & Canonicum ſcriptum.

4. Deſtituitur conſentiente Eccleſiæ primitivæ ſuffragio.

212. 4. Deſtituitur conſentiente Eccleſiæ primitivæ ſuffragio. Athanaſius in Synopſi, Origenes apud Euſebium lib. 6. cap. 24. Epiphanius de menſ. & ponderibus, Cyrillus in catech. illum. 4. Damaſcenus lib. 4. orth. ſid. cap. 18. ex Canone hunc librum rejiciunt. Hieronymus præf. in Proverb. *Hæc duo volumina Sapientiam & Eccleſiaſticum legat ad ædificationem plebis; non autem ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam* (Sixtus Senenſis lib. 8. Biblioth. hæreſ. 9. reſpondet. *Hieronymum de ſui temporis Eccleſia locutum, poſteriorem Eccleſiam plenius à Spiritu ſancto edoctam hunc librum recepiſſe.* At ſufficit nobis, ex parte noſtra ſtare Patrum antiquiorum teſtimonia, qui quò temporibus Apoſtolorum fuerunt viciniores, eò in dignoſcendis libris Canonicis fuerunt exactiores & diligentiores) Auguſt. lib. 1. de prædeſt. ſanct. cap. 14. cùm ex libro Sapientiæ teſtimonium attuliſſet, *reclamatum eſt ei à multis piis & Catholicis fratribus negantibus librum hunc eſſe Canonicum*: ex quo apparet, ne quidem Auguſtini tempore receptam fuiſſe Canonicam hujus libri autoritatem. Nec ipſe Auguſtinus ſolicitè ac vehementer laborat pro iſtius libri autoritate, ſed hoc duntaxat urget, *non eſſe contemnendum, cùm fuerit in Eccleſia tamdiu cum magna opinione lectus & eſſe cum omnibus tractatoribus præponendum.* Si ſtatuiſſet Auguſtinus librum hunc eſſe propriè Canonicum, non tam remiſſè ac frigidè autoritatem illius aſſeruiſſet. Exclamat Bellarminus, *Chemnicium incredibili impudentiâ Auguſtini locum truncatè citaſſe*, ſed nihil in eo continetur, quod nobis magnopere adverſetur. Quamvis enim Auguſt. ſtatuat, *non eſſe repudiandam ſententiam libri Sapientiæ, cùm meruerit in Eccleſia Chriſti de gradu Lectorum Eccleſiæ Chriſti tàm longâ annoſitate recitari & ab omnibus Chriſtianis cum veneratione divinæ autoritatis audiri*; non tamen parem omninò cum reliquis propriè dictis Canonicis libris autoritatem ei tribuit, ſic enim ſcribit l. 17. de civ. Dei cap. 20. de hoc ipſo libro tractans: *Adverſus contradictores non tantâ autoritate* (al. firmitate) *proferuntur, quæ ſcripta non ſunt in Canone Judæorum.*

213. Antitheſis. Librum Sapientiæ eſſe Canonicum Pontificii plerique omnes ſtatuunt. Photiniani ambiguè loquuntur, ut intelligi non poſſit, quid de Canonica bujus libri autoritate ſtatuant. Socinus contra Puccium p. 11. *Animus erat de teſtimoniis libri Sapientiæ, quod liber ille ad confirmanda noſtra religionis principia & decreta nullas vires habere credatur, omninò ſilere.* p. 198. *Propter libri illius ſuſpectam autoritatem reſpondere non cogerer.* Schmaltz. in refut. Frantzii p. 401. *Nihil dicimus de eo, quod liber Sapientiæ, ut Frantzius contendit, non ſit authenticus, ſed ex apocryphorum numero.* Sed res nobis erit cum Pontificiis. Canonicum libri Sapientiæ Bellar. lib. 1. de verb. Dei cap. 13. probat ex eo, *quia habet teſtimonium à Conciliis & Patribus.* At hæc ratio nondum eſt ſufficiens, ut ex generali diſſertatione de libris apocryphis §. ſuperius inſtituta intelligi poteſt. Videamus tamen, quæ ſint illa conciliorum ac Patrum teſtimonia. 1. *Concilium Sardicenſe* in Epiſtola ad omnes Epiſcopos, cujus meminit Theodoretus l. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 8. ex cap. 7. hujus libri probat, *Filium Dei eſſe rerum omnium effectorem & verum Deum.* Reſp. ex eo nondum ſequitur, quòd Canonicâ autoritate polleat, vel quòd à Concilio fuerit pro Canonico habitus, ſiquidem etiam Paulus ex Arati Phænomenis probat, *Deum dediſſe nobis Spiritum & motum.* Patres omnia armorum genera adverſus hæreticos ſtringere & expedire ſolebant,

bant, unde Irenæus lib. 4. adverſ. hæreſ. cap. 14. ſcribit, *veritatem ab omnibus accipere teſtimonium & à domeſticis, quia amici ſunt & ab extraneis, quia inimici.* Sic Judas Apoſtolus ex apocrypho libro Enochi teſtimonium citat Epiſt. v. 14. Præterea Sardicenſi Concilio interfuit Athanaſius, is verò diſertè ſcribit in Synopſi & Epiſt. 39. librũ Sapientiæ non eſſe Canonicum. Ecquis ergo credat Sardicenſis Concilii Patres Canonicam autoritatem illi attribuere voluiſſe? Nazianzenus, Cyrillus, Amphilochius, Ruffinus, Epiphanius, Hieronymus & Concilii Laodiceni Patres hunc librum ex Canone rejecerunt. At illi omnes vixerunt tempore Sardicenſis Concilii, aut non ita multò pôſt, qui fit ergo, quod autoritatem Sardicenſis Concilii hac in re non ſint ſecuti, ſi illud allegatione ſuâ Canonicam autoritatem ei libro conciliare voluit? Denique Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 9. concedit: *Eccleſiam ætate Hieronymi nondum approbaſſe librum Sapientiæ.* At Sardicenſe Concilium Hieronymi ætate fuit habitum. 2. *Concilium Toletanum.* 2. can. 1. librum Sapientiæ nominat *Scripturam ſacram.* Reſp. utitur nomine Scripturæ ſacræ in ſignificatione latiore, quâ uſurpatur pro omnibus libris in Codice Biblico contentis. Confer dicta §. 206. 3. *Dionyſius lib. de div. nomin. c. 4.* ut librum ſacræ Scripturæ citat. Reſp. Citat quidem Dionyſius hunc librum, ſed manifeſtè indicat, ſe judicare, eum non eſſe Canonicum. Conjungit enim autorem hujus libri cum Ignatio & aliis Scripturæ tractatoribus, h. e. Eccleſiaſticis Scriptoribus, ita enim hoc nomen à veteribus uſurpatur. Numerat etiam hunc librum inter rudimentá, quibus ad λόγια, id eſt, divina eloquia introducimur, quod intelligitur ex Athanaſio in Synopſi & Epiſt. 39. ubi ſcribit, *libros Sapientiæ & Eccleſiaſtici non quidem eſſe Canonicos, ſed tamen à Catechumenis legi, ab illis ſcil. qui volunt pietatis rudimentis informari.* Nihil hoc loco dicemus de ipſis Dionyſii ſcriptis, quantum autoritatis illis ſit tribuendum. 4. *Melito in Epiſt. ad Oneſimum* in catalogo ſanctarum Scripturarum Sapientiam ponit. Reſp. extat hæc Melitonis Epiſtola apud Euſebium lib. 6. c. 25. in qua hæc verba. παροιμίαι ἡ σοφία. Jam quæritur, utrum Melito in his verbis duos ponat Salomonis libros Canonicos, Proverbia & Sapientiam, an verò per appoſitionis figuram Proverbia appellat Sapientiam? Bellarminus priorem amplectitur ſenteotiam, nos poſteriorem, quam demonſtramus ſequentibus argumentis. Primò Euſebius lib. 4. Hiſt. cap. 22. dicit, *omnes veteres appellaſſe Proverbia* Σοφίαν πανάρετον. Fuit autem Melito in veteribus. Secundò articulus, qui cæteris vocibus non adhibetur, hîc fruſtra adjiceretur, niſi referretur ad vocem præcedentem, ut ſit παροιμίαι ἡ σοφία libri titulus. Tertiò omnes Scriptores libros illos hoc ordine enumerant, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica: tùm adjiciunt Sapientiam & Eccleſiaſticum. Hic ordo occurrit non ſolùm apud eos, qui rejiciunt librum Sapientiæ ut apocryphum, inter quos eminent Athanaſius in Synopſi, Epiphanius de menſ. & ponder. Hieronymus in Prol. Galeat. Ruffinus in expoſ. Symb. Cyrillus in Catecheſi illum. 4. Damaſcenus l. 4. orth. fid. cap. 18. ſed etiam apud illos, qui eum certo modo admittunt, inter quos ſunt Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. Iſidorus de offic. Eccleſ. l. 1. cap. 12. Caſſiod. lib. 1. div. Inſtit. c. 5. Rabanus lib. 2. c. 52. quinimò ipſum Concilium Tridentinum hunc ordinem obſervat. At ſi per Sapientiam intelligeretur peculiaris liber, turbatus fuiſſet à Melitone iſte ordo Quartò Euſebius dicit: *Melitonem earum Scripturarum catalogum poſuiſſe, quæ non erant dubiæ autoritatis* lib. 4. Hiſt. cap. 26. at ipſe Euſebius Sapientiam & Eccleſiaſticum ponit ἐν ταῖς ἀντιλεγομέναις γραφαῖς lib. 6. cap. 12. Quintò Bellarminus l. 1. de verbo Dei cap. 20. §. ad alteram ſcribit: *Melitonem in Canone V. T. exponendo apertè ſecutum fuiſſe Hebræos, non Græcos.* At ſi Sapientiæ librum in Canonem retuliſſet, non ſuiſſet Hebræos ſecutus. Hebræi enim hunc librum non habent inter Canonicos. Probat ibid. Bellarm. *non eſſe veriſimile, Melitonem & alios habuiſſe tertium librum pro Canonico, cùm in Canone exponendo ſecutus ſit Hebræos.* Si huic rationi ineſt aliquod pondus, confirmabit etiam librum Sapientiæ non eſſe hoc loco à Melitone inter Canonicos oumeratum. Sextò, Ruffinus locum Euſebii ſic vertit, *Proverbia quæ & Sapientia.* Septimò Amphilochius Epiſcopus Iconienſis loco vicinus Melitoni, ætate paulò poſterior, inter Canones & opuſcula Concilii Conſtantinopolitani in Trullo apud Gratianum c. Quoniam diſt. 16. in jambis ad Seleucum recenſens catalogum librorum Canonicorum enumeratis reliquis ſubjicit. *Quinque verſibus ſcripti ſunt, Iob, Pſalmi, tres Salomonis, Proverbia, Sapientia, Eccleſiaſtes, Cantica.* Pro eodem ergo ponit Proverbia & Sapientiam, aliàs numerus quinarius non conſtaret. Octavò ipſe Melchior Canus lib. 2. loc. comm. c. 10. arg. 2. confirm. 1. fatetur: *Cyprianum, Melitonem, Origenem, Euſebium, Epiphanium, Damaſcenum, ſex illos libros, qui ſunt in controverſia, inter quos etiam eſt Sapientiæ liber, rejeciſſe,* reſpondet autem *ad factum eo tempore, quo res nondum erat definita.* Nonò nulla apparet ratio, cur in omnibus Melito ſecutus fuerit Canonem Hebræum, atque interim hunc ſolum ex omnibus controverſis librum in Canone numerarit? 5. *Cypr. lib. de habitu* virg. vocat *Scripturam divinam.* Reſp. eodem modo, quo ad Concilii Toletani teſtimonium. 6. *Cyrillus* lib 2. in Julianũ vocat *Scripturam divinam.* Reſp. Proverbia ita vocat, ſic enim habent verba. *Gaudere Deum in operibus etiam Græcorum ſermones confirmant & nos quoque dicimus, confitente hoc divinâ Scripturâ. Dicit enim Sapientia, ego eram cum quâ lætabatur, quotidiè autem lætabar in conſpectu ejus in omni tempore, &c.* quæ verba nuſpiam extant in libro Sapientiæ, ſed in Proverbiis c. 8. v. 30. 7. *Auguſtinus* annumerat hunc librum Canonicis ſcriptis. Reſp. videantur dicta §. 212.

214. Sixtus Senenſ. lib. 8. hæreſ. 9. pro aſtruenda Canonica hujus libri autoritate profert illud, quod Apoſtolus cap. 11. Hebr. allegaverit loca ex cap. 6. & 4. Sap. At nihil tale in citatis locis invenitur, fortè eſt ſphalma Typographicum & legi debet cap. 1. Hebr. ac cap. 7. Sap. Quod enim Hebr. 1. v. 3. de Chriſto dicitur, *qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus,* id ex cap. 7. v. 26. Sap. deſumtum videtur. *Candor eſt lucis æternæ & ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis & imago bonitatis illius.* Alii ea Pontificiis hoc urgent, quod Paulus Rom. 11. v. 34. teſtimo-

nio ex libro illo petito uſus ſit. Τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο & 1. Cor. 2. v. 16. *Quis cognovit ſenſum Domini*, ubi in vulgata verſione additur, *ſicut ſcriptum eſt*. Illud exiſtimant deſumtum ex cap. 9. lib. Sap. v. 13. *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?* Reſp. 1. in genere. Nuda allegatio non conciliat Canonicam autoritatem. Apoſtolus etiam ex Menandro, Epimenide & Arato teſtimonia citat, Judas ex apocrypho Enochi libro, nec tamen propterea ſcriptoribus illis Canonicam autoritatem vendicare voluerunt. 2. in ſpecie. Hebr. 1. v. 3. nullum citatur Scripturæ Propheticæ teſtimonium. Verba quidem ſunt aliquo modo ſimilia cum illis quæ habentur cap. 7. verſ. 26. libri Sap. non tamen ſunt eadem. Rom. 11. v. 34. 1. Cor. 2. v. 16. Apoſtolus non dicit, ſe teſtimonium aliquod citare. Nec ſequitur, ſimilia illis verba in hoc loco reperiuntur, Ergo Apoſtolus hunc locum citavit. Si vel maximè Apoſtolus Scripturæ Propheticæ verba recitaret, aut ad Scripturam aliquam Propheticam alluderet, non tamen id de hoc loco Sapientiæ neceſſariò accipiendum foret. Eadem enim ſententia invenitur Eſa. 40. v. 13. *Quis audivit Spiritum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit aut inſtruxit eum?* Quid quod quidam ex ipſis Pontificiis Interpp. agnoſcunt, Eſaiæ teſtimonium, non Sapientiæ librum ab Apoſtolo citari. Thomas in comm. cap. 11. Rom. lect. 5. Cajetanus, Anglo Remenſes in eum locum, Eraſmus in annot. 1. Cor. 2. p. 309. ſuper verba, *ſicut ſcriptum eſt, Quis enim cognovit ſenſum Domini. Sicut ſcriptum eſt, in Græcis Codd. non invenio. Cæterum teſtimonium quod ſine nomenclatura retulit, eſt apud Eſaiam cap. 40. Quanquam Paulus ſenſum expreſſit potius, quàm Verba appendit.* Et poſtea. *Videri poterat referre eam ſententiam, quæ eſt cap. 9. Sapient. Quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei &c. niſi apud Hebræos liber Sapientiæ extra Canonem eſſet, unde ſatius eſt, ut ad Eſaiæ referamus teſtimonium.*

215. Eſt qui pro Canonica libri Sapientiæ autoritate ſic concludit. *In libro Sapientiæ continentur fragmenta ex Proverbiis Salomonis, quod manifeſtum erit conferenti cap. 7. 8. & 9. Sap. cum cap. 9. Proverb. Ergo vel Salomon eſt hujus libri autor, vel Philo ex Salomonis ſententiis congeſſit.* Reſp. 1. Si hoc ſufficit, ut liber aliquis ſit Canonicus, quod pars ejus ex Canonico eſt deſumta, conſequens fuerit, etiam tertium Eſdræ eſſe Canonicum, is enim fere totus coagmentatus eſt ex duobus poſtremis capitibus ſecundi Chronicorum & primi Eſdræ 2. *Scriptura ſacra non ſolum aliquas ſententias, ſed etiam verba omnia a Spiritu ſancto eſſe oportere* agnoſcit Bellarm. lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Quartum eſt. 3. Ergo ſi vel maximè in quibuſdam ſententiis Sapientiæ & Proverbiorum ſit eadem veritas, tamen longè impar eſt librorum autoritas.

5. Siracides non eſt Canonicus. 1. quia non eſt ſcriptus linguâ Propheticâ. 2. non eſt ſcriptus à Propheta.

216. 5. *Eccleſiaſticus ſive Siracides.* Eum eſſe ἔξω τοῦ Κανόνος, demonſtramus ſequentibus fundamentis. 1. Non eſt ſcriptus linguâ Propheticâ ſed Græcâ. *Avus Ieſu*, ut habetur in præfatione, *nonnulla Hebraicè ſcripſerat, ea hic Ieſus tranſtulit in linguam Græcam.* Sed nec illa Hebraica cùm adhuc extarent, autoritatem Canonicam habuerunt & jam penitùs interciderunt. 2. non eſt ſcriptus à Propheta, quia Siracides hujus libri autor non ſcripſit ea inſpiratione Prophetica. Petit veniam ſibi dari, ſi Hebræas ſententias in linguam Græcam non ita commodè verterit. At Spiritus ſanctus nec veniam petit, nec in verbis hæret, nec fruſtratur ſuo fine. 3. Inſunt quædam huic libro fidei analogiæ minùs congrua. Cap. 1. verſ. 3. Sapientia *prior omnibus* dicitur *creata*, ἔκτισται προτέρα c. 24. v. 14. dicit Sapientia, *ab initio & ante ſecula creata ſum.* πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με. cap. 3. verſ. 33. *Ut aqua ignem extinguit, ſic eleemoſyna peccatum.* Commodè id interpretandum, ne fidei analogiæ ſolius Chriſti merito hanc efficaciam tribuenti repugnet; quod ſcil. Deus corporales peccatorum pœnas mitiget, cùm quis ex vera pœnitentia & fide caritatem erga egenos exercet. cap. 46. v. 23. *Samueli* tribuitur, quod Diabolicæ illuſioni tribuendum erat. cap. 48. v. 10. Judaicum illum errorem proponit, quod *Elias Theſbites*, qui olim curru & equis igneis in cœlum raptus eſt, *in has terras rediturus ſit.* Janſenius in comm. reſpondet: *Etiamſi opinio veterum eſt Eliam venturum, tamen non convinci ex hoc loco, dici enim poſſe, Eccleſiaſticum id ſcripſiſſe ſecundùm receptam ſuo tempore opinionem, quâ creditum fuit ex verbis Malachiæ, Heliam verè in ſua perſona venturum ante Meſſiam.* Quidam ex textu Græco demonſtrare nituntur, de præteritis Eliæ Theſbitæ factis, non de futuro ejuſdem reditu autorem loqui. cap. 49. v. 5. præter Davidem, Ezechiam & Joſiam omnes reliquos Reges erraſſe dicit, qua ratione ex optimo & pientiſſimo Rege *Joſaphato* idololatram facit. 4. deſtituitur unanimi primitivæ Eccleſiæ ſuffragio, ut patet ex generali de libris apocryphis diſſertione. Thomas p. 1. q. 89. artic. 8. ſub finem agnoſcit: *hunc librum non haberi inter Scripturas Canonicas apud Hebræos.* 5. quoſdam ex ipſis Pontificiis de autoritate Canonica hujus libri dubitare agnoſcit Pererius lib. 1. de Magia cap. 11. p. 59.

3. continet quadam fidei analogia minùs congrua.

4. deſtituitur unanimi Eccleſiæ ſuffragio.

Antitheſis

217. *Antitheſis.* Eccleſiaſticum Canonicis libris Pontificii plerique omnes accenſent Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 14. pro aſtruenda Canonica hujus libri autoritate urget. 1. *teſtimonia veterum*, qui ex hoc loco quædam citarunt. Gregor. de Valent. de Eccleſ. p. 336. addit teſtimonia Euariſti Fabin. I. Sixti, I. &c. qui itidem hunc librum allegant. Reſp. 1. etiam ex apocryphis adducunt teſtimonia, ut oſtendimus §. 206. 2. Bellarminus dicit, *Baſilium citare Eccleſiaſticum & vocare eum Scripturam ſacram* lib. 4. contra Eunom. At Proverbia non Eccleſiaſticum allegat Baſilius. Adducit locum Proverb. 8. v. 22. *Dominus creavit me initio viarum ſuarum.* Falsò igitur Bellarminus ſtatuit ex c. 24. Eccleſiaſtici ea eſſe petita. Baſilius dicit, *hæc verba, Κύριος ἔκτισέ με, ſemel tantum in Scripturis haberi, idque in Proverbiis.* Si Bellarmino fides ſit habenda, habentur in Eccleſiaſtico. E. Eccleſiaſticus non eſt pars Scripturæ ſacræ. Manifeſtiùs adhuc conſtat ex Proverbiis & non ex Eccleſiaſtico hæc citari, cùm Baſilius & Epiphanius hæreſ. 69. remittant nos *ad Codicem Hebræum.* Jam verò Eccleſiaſticus non extat niſi Græcè.

218. 2. *Autorem hujus libri eſſe Salomonem.* Clemens Alexandrinus lib. 7. ſtromat. Cyprian. lib. 3. Epiſt. 9. Baſilius lib. 4. contra Eunom. Ambroſius in 1. Cor. 7. Hieronymus in cap. 10. Eccleſiaſtæ, Gregor. lib. 10. moral. c. 14. hunc

librum

librum Salomoni attribuunt. Nunquam autem dubium fuit, quin Salomonis libri Canonici ac divini habendi eſſent. Idem argumentum urget Gretſerus in defenſ. Bellarm. lib. 1. cap. 14. pag. 264. Reſp. 1. Si Salomon hujus libri autor, tum titulus & prologus ejuſdem erit falſus. In prologo avus autoris nominatur Jeſus & titulus habet nomen Jeſu filii Sirach. Notatur etiam tempus ſcripti libri, Rege Ptolemæo Evergete, adjicitur locus in Ægypto, quæ tantùm ſpectant ad Salomonem, quantum fluenta Nili ad Siloam. 2. Quomodo ex libris Regum Salomon referre potuit res geſtas Eliæ, Eliſæi, Hiskiæ Regis, Eſaiæ Prophetæ in cap. 48. Eccleſ. cùm illi Salomonis tempore nondum vixerint? non prænunciantur hæc ut futura, ſed narrantur ut præterita cap. 50. mentio fit *Simonis Sacerdotis magni* filii Oniæ, qui ſive ille ſit, qui vixit anno mundi 3660. ſive alter, qui Sacerdotio efunctus an. 3722. certum tamen eſt ſub Græcorum imperio vixiſſe ac proinde autorem libri aut fuiſſe illi coætaneum, aut vixiſſe poſt Simonem Sacerdotem, quem celebrat. 3. In cap. 47. v. 24. de Salomone multa dicuntur, quæ non proferuntur in ipſius perſona, quomodo ergo Salomon poteſt eſſe illius libri autor? c. 51. v. 19. in græco dicit autor libri, quod *ἔναντι ναοῦ è regione templi*, cùm adhuc junior eſſet, pro ſapientia impetranda oraverit. Atqui cùm Salomon adhuc eſſet junior, templum nondum extabat. Vulgata reddidit, *ante tempus*, ſed ex Græco apparet eſſe ſphalma graphicum. 4. De Elia per apoſtrophen ad ipſum converſâ oratione dicit autor cap. 48. v. 10. qui *conſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium*, ubi marginales notæ etiam in Pontificiis Bibliis remittunt nos ad cap. ult. Malachiæ, ubi de Elia id prædictum extet. Atqui Malachias 500 annis poſt Salomonem vixit, quomodo igitur Salomon poteſt eſſe hujus libri autor? 5. Epiphanius in hæreſi Anomæorum, Hieronymus præfat. in libros Salomonis, Athanaſius in Synopſi, Auguſtinus & alii autorem hujus libri faciunt *Ieſum Sirach*, quod cum præfatione libri conſentit. Dicit enim autor, *avum ſuum Ieſum, poſtquam ſe lectioni legis & Prophetarum & aliorum librorum addixiſſet, voluiſſe & ipſum ſcribere aliquid horum, quæ ad eruditionem & Sapientiam pertinent.* 6. ex quo etiam refellitur illud, quod Bellarminus ſuſpicatur, *Ieſum Sirach ideò dici autorem hujus libri, quod ſententias Salomonis à ſe collectas in unum volumen redegerit.* Si enim autor comportaſſet duntaxat Salomonis ſententias, non potuiſſet de avo ſuo id aſſerere. 7. Ac ſi vel maximè quaſdam Salomonis ſententias autor libri collegiſſet, non tamen propterea eſſet Canonicus, niſi idem de tertio libro Eſdræ concedere velimus 8. Si Bellar. propterea autorem Eccleſiaſtici agnoſcit Salomonem, quod veteres ſub nomine Salomonis eum citant, agnoſcat etiam 3. & 4. Eſdræ eſſe ipſius Eſdræ & Canonicos libros, quia veteres paſſim nomine Eſdræ illos citant.

219. 3. *Multa fidei dogmata luculenter ex hoc libro probari poſſunt.* Reſp. videtur Bellarm. potiſſimum id innuere, quod c. 43. nomen Jeſu de Salvatore noſtro uſurpetur, quale quid in tota Scriptura Vet. Teſt. nuſpiam alibi occurrit. Verba vulgatæ verſionis ſic habent. *In ſermone ejus*

Exegeſis.

ſiluit ventus & cogitatione ſuâ placavit abyſſum & plantavit illum Dominus Ieſus. At cui perſuaderi poterit, Siraciden tot annos ante Chriſti nativitatem ſciviſſe nomen Jeſu, cùm nemo Prophetarum hoc nomine Chriſtum ante adventum ſuum appellarit ac cœlitùs per Angelum illud nomen ſit delatum? In Græco exemplari Bened. Ariæ Montani ita legitur. *καὶ ἐφύτευσεν εἰς αὐτὴν νήσους, & plantavit ſeu diſſeminavit in ea abyſſo inſulas.* Ita quoque legunt Biblia Græca edit. Francof. Et quamvis in varietate lectionum addatur, *in quibuſdam exemplaribus legi ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς*, tamen contextus oſtendit, errore librarii pro *νήσους* ſcriptum eſſe *Ἰησοῦς*.

220. 4. Sixtus Senenſis lib. 8. hæreſ. 9. ex eo probare conatur, Eccleſiaſticum eſſe in Canone, *quia Petrus & Iacobus cap. 1. ſuarum Epiſtolarum ex c. 14. Eccleſiaſtici teſtimonia proferunt.* Reſp. 1. locus Jacobi cap. 1. v. 10. ſic habet. *Ut flos herbæ præteribit.* Petrinus ſic habet 1. Epiſt. 1. v. 24. *Omnis caro eſt ut gramen, & omnis gloria hominis ut flos graminis.* Eccleſ. 14. v. 18. ſic legitur. *Omnis caro ſicut veſtimentum inveteraſcit.* Græc. *ὡς ἱμάτιον.* Sed longè major eſt convenientia dictorum Petri & Jacobi cum loco Eſ. 40. v. 7. *Omnis caro fœnum & omnis gloria ejus quaſi flos agri*, quàm cum loco Eccleſiaſtici. 2. Unde Bellarminus hanc Sixti Senenſis rationem omiſit. 3. in Indice Biblico vulgatæ editionis nullum eſt teſtimonium ex Sapientia vel Eccleſiaſtico deſumtum, cùm in eo reliqua V. Teſt. loca, quæ in N. T. citantur, ſint congeſta, ſed hæc verba Petri & Jacobi in Indice illo citantur ex Eſa. 40. v. 7. 4. Si hæc ratio Sixti Senenſis alicujus eſſet ponderis, Menander multò magis eſſet Canonicus, quippe cujus ipſiſſima verba allegat Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 33.

221. 5. Genebrardus in Chronol. anno mundi 3983. ex eo probare conatur, Eccleſiaſticum eſſe Canonicum, quia *Ioſephus lib. 2. contra Appion. ubi commemorat leges Moſis, habet hanc ſententiam. Eſt autem fœmina viro ad omnia deterior, eſtq́, viri pravitas mulieris virtute præſtantior, obœdiat igitur.* Græca ſic habent *γυνὴ χείρων ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα καὶ πονηρία αὐτοῦ ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικὸς* ubi verba media ſimilia ſunt illis Eccleſ. 42. v. 15. *Melior eſt improbitas viri, quàm mulier benefica, mulier afficiens ad probrum*, ex quo Genebrardus infert, Eccleſiaſticum eſſe in Canone. Reſp. 1. Joſephus lib. 1. contra Appion. diſertis verbis 22. duntaxat Canonicos agnoſcit, prætermiſſo Eccleſiaſtici libro 2. Idem d. l. ex Platone citat hanc ſententiam. *Quod quis non depoſuit, ne attollito.* Num propterea is liber Platonis erit Canonicus? 3. ex collatione locorum manifeſtè apparet, verba eſſe miſerè contorta, ut veriſimile quodammodo fieri poſſit, Joſephum citaſſe Eccleſiaſticum tanquam Canonicum. Scopus Joſephi eſt, legibus Moſaicis ſummam & præſtantiſſimam antiquitatem conciliare. At quomodo hoc per teſtimonium ex libro Eccleſiaſtici deſumtum obtinere potuiſſet? Joſephus de muliere loquitur in genere, Eccleſiaſticus de muliere improba in ſpecie, quomodo ergo Eccleſiaſticus à Joſepho citari dicendus? *χείρων* apud Eccleſiaſticum ſignificat deteriorem, apud Joſephum inferiorem. Nec verba cohærent, nec ſententia ſibi conſtat, ſi interponantur verba, quæ ex Eccleſiaſtico citata

vult Genebrardus. Hæc enim eſt Joſephi ratio. Mulier eſt viro per omnia inferior, obœdiat igitur. Si adjiciantur reliqua, *Viri pravitas eſt ſupra mulierem beneficam, obœdiat ergo viro mulier.* Hæc ratio eſt planè abſurda, ut haud immeritò quibuſdam videatur, verba illa ex gloſſemate marginali in textum irrepſiſſe.

6. Baruch eſt apocryphus.

222. 6. *Baruch.* Fatemur hunc librum reliquis apocryphis præferendum, cùm in eo pleraque ſint auguſtiora & ſacro characteri propinquiora, interim Canonicis propriè ſic dictis illum accenſere minimè poſſumus 1. quia non eſt ſcriptus lingua Propheticâ, ſed Græcâ. Cap. 6. v.2. ſic loquitur. *Eritis ibi generationes ſeptem.* Atqui id à phraſi Hebræorum alienum, nunquam enim in Hebraicis literis vocabulum generationis ita accipitur, ut ſpacium 10. añorum complectatur Epiſtola, quæ c. 6. Jeremiæ tribuitur, ſtylum ejus minimè redolet. Hier. præf. in Jer. dicit *hunc librum apud Hebræos nec haberi, nec legi.*

1. quia non eſt ſcriptus linguâ Propheticâ.

2. nec Jeremias nec Baruch eſt illius autor, aliàs ſcriptus eſſet linguâ Hebræa 3. repugnat libris Canonicis. Hic Baruch dicit cap. 1. v.1. *ſe in Babylonia hoc ſcriptum compoſuiſſe, cùm Hieroſolyma eſſet everſa.* Sed Canonica Hiſtoria teſtatur, Baruch filium Neriæ, ſervum Jeremiæ unà cum Domino ſuo à Judæis pertinacibus poſt devaſtationem urbis *abductum fuiſſe in Ægyptum.* Jer. 43. v.6. Hic Barnch dicit c.1. v. 7. *poſt deſolatam urbem miſſam eſſe pecuniam ad Sacerdotes Hieroſolymitanos, ut pro ea emerent holocauſta, thus & mirrha, ac Hieroſolymis pro captivis Iudæis ſacrificia Domino offerrent.* At Hiſtoria ſacra nuſpiam dicit, quod poſt exuſtum templum ullus fuerit ibidem externus cultus, ſed potius huic commento contradicit, dum feſtivitates abrogatas & templum prorſus vaſtatum fuiſſe memorat, Thren.2 v.6. *diſſipavit quaſi hortum tentoriũ ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum, oblivioni tradidit Dominus in Sion feſtivitatem & Sabbatum &c. v.7. repulit Dominus altare ſuum, longè à ſe removit ſanctuarium ſuum.* Eſdr.3.v.3. refertur, *quod Judæi poſt 70. annos captivitatis domum reverſi demũ extruxerint altare Deo Iſraël, ut offerrent in eo holocauſta.*

2. nec à Propheta. 3. repugnat libris Canonicis.

4. Pugnat cum veritate Hiſtorica Baruch. 1. v. 11. jubentur captivi Judæi *orare pro vita Nebucadnezar Regis Babylonici & pro vita Balthaſar filii ejus.* Sed hoc non congruit cum Hiſtoria ſacra. Filius enim Nebucadnezar, qui in regno ei ſucceſſit, vocatur *Evilmerodach* 2. Reg. 25.v.27. Balthaſar verò fuit poſtremus Babyloniorum Rex, qui à Cyri militib. interfectus eſt, cùm jam 70. anni captivitatis eſſent elapſi Dan.5 v.30. 5. deſtituitur Eccleſiæ Iſraëliticæ & primitivæ Chriſtianæ ſuffragio, ut conſtat ex illis, quæ de apocryphis libris in genere ſuperiùs §. ſunt diſputata. Quotquot veterum Hebræum Canonem ſequuti ſunt, librum Baruch è Canone repudiarunt. Ne quidem in Canonibus Apoſtolorum ulla hujus libri fit mentio. 6. ab ipſis ſanioribus Pontificiis repudiatur. Johan. Driedo lib.1. de catal. ſcript. cap.4. ad difficult. 11. *Sic Cyprianus, Ambroſius cæteriq́ Patres ſententias citant ex libro Baruch, ex tertio & quarto Eſdra, non tanquam ex Canonicis libris, ſed tanquam ex libris continentibus dogmata quædam pia juvantia & non contraria, ſed potiùs conſona fidei noſtræ.* Melch. Canus lib. 12. Locorum cap. 6. *Nam ut in ſecundo libro docuimus, libellum Baruch non adeo explorate & firmiter in ſacrorum numero Eccleſia repoſuit, ut aut illum eſſe ſacrum fides Catholica veritas expedita ſit, aut non eſſe ſacrum hæreſis expedita ſit. Libellus ergo iſte vel quilibet alius, qui in quæſtionem citra hæreſeos crimen vocari poſſit, non efficit certas atque conſtantes Catholicæ fidei veritates.*

4. pugnat cum veritate Hiſtorica.

5. deſtituitur Eccleſiæ Iſraëliticæ & Chriſtianæ ſuffragio.

6. repudiatur à ſanioribus Pontificiis.

223. *Antitheſis.* Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 8. pro aſtruenda Canonica hujus libri autoritate pugnat, quod mirum alicui videri poſſit, cùm idololatriam, quæ in cultu imaginum in Papatu exercetur & cum Ethnicorum idololatria magnam cognationem habet, tam graphicè depingat, cap.6.v.3. Adducit Bellarm. *Patrum teſtimonia,* qui hunc librum *ſub nomine Ieremiæ* allegant, *decretum Concilii Tridentini, lectionem in Eccleſia ex illo receptam &c.* quibus ratiunculis quid reſpondendum ſit, patet ex antecedentib⁹. Proclus Archiepiſcopus Conſtantinop. in ſerm. de fide ad Armenios p. 27. ſub nomine Prophetici oraculi adducit locum ex Baruch. 3. verſ. 38. *Deus noſter nuper in terris viſus eſt & cũ hominibus converſatus,* quem ad incarnationem τοῦ λόγου accommodat. Sed nuda allegatio non conciliat alicui libro Canonicam autoritatem, aliàs etiã tertius & quartus liber Eſdræ eſſent Canonici, quod tamen negat Bellarm. Verba Græca in libro Baruch poſſunt referri ad proximè præcedens, vid. ad ſapientiam, quod *ea ſit in terris viſa & cum hominibus converſata.* Quidam hoc urgent, quod 2. Macc.2. v. 4. citetur aliquid ex ultimo capite Baruch, ſed cùm liber ſecundus Maccabæorum ipſe ſit apocryphus, quomodo Canonica alicujus libri autoritas ex illo probari poterit?

Antitheſis

224. 7. Additamenta Danielis, videl. Hiſtoria Suſannæ, Hiſtoria Belis & Draconis, Hymnus trium puerorum. Hæc non pertinere ad Canonem, demonſtramus ſequentibus argumentis. 1. Nihil horum Hebraicâ literaturâ ſcriptum habetur. Hieron. procem. in Danielem. *Daniel apud Hebræos nec Suſanna habet Hiſtoriam, nec hymnum trium puerorum, nec Belis, Draconiſve fabulas, quas nos quia in toto orbe diſperſa ſunt, veru antepoſito, eaſque jugulante ſubjecimus, ne videremur apud imperitos magnam partem voluminis detruncaſſe.* Paranomaſia illa ἀπὸ τοῦ σχίνου σχίσει, ἀπὸ τοῦ πρίνου πρίσει manifeſtè arguit, Hiſtoriam Suſannæ eſſe ſcriptam ſermone Græco, quo argumento contra Canonicam illius Hiſtoriæ autoritatem utitur Hieronymus præfat. in Danielem. Excipit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 9. *Hieronymum non ſuam, ſed Iudæorum ſententiam expoſuiſſe,* teſte ipſomet Apol. 2. contra Ruffinum. Reſp. verba Hieronymi planè contrarium teſtantur, *nos,* inquit, *veru antepoſito eaq́ jugulante ſubjecimus.* Bellarminus ipſe lib. 1. de verbo Dei cap. 10. reſp. ad poſtremam object. agnoſcit: *Hieronymum non tantum loqui de Canone Iudæorum, ſed etiam ex ſua ſententia, quando Sapientiam, Eccleſiaſticum, Tobiam, Iudith & Maccabæorum libros è Canone removet,* jam verò horum additamentorum eſt eadem cum enumeratis apocryphis libris ratio. *2. vocari fabulas h.e. Hiſtorias, ita enim quandoq́ nomen fabulæ uſurpari. Luc. ult. Factum eſt, dum fabularentur.* Reſp. hæc eſt valdè inſolens catachreſis, nec locum habet in argumento Hieronymi. *Veru antepoſui his apocryphis, quia continent fabulas.* Repugnat etiam huic explicationi ipſa oppoſitio. Narrationem de Suſanna vocat Hiſto-

7. Additamenta Danielis ſunt apocrypha. 1. non habentur in Hebræo.

Hiſtoriam, ideoque non omnem fidem ei derogat, quod attinet ad rei geſtæ veritatem, ſed recitationes de Bele & Dracone vocat fabulas, i. e. commenta fabuloſa. Quòd ſi fabulæ vocula poteſt accipi pro Hiſtoria, cur adeo exagitat Lutherum præced. cap. 5. quod Jobi librum dixerat *fabulæ argumentum.* 3. *Origenem in Epiſt. ad Jul. Afric. argumento à Paranomaſia ducto ſatisfeciſſe, quod ſc. Daniel non dixerit ilicem; nec lentiſcum, nec aliquid aliud nobis ignotum cui tamen ſecundùm proprietatem linguæ Hebrææ vel Chaldaicæ, quâ ipſe utebatur, aliquod verbum ſecandi reſponderet, plurimas enim Hebræi habent voces, quæ ſignificant ſcindere vel ſecare. Porrò Interpretem Græcum non vertiſſe ad verbum, ſed ad ſenſum, ut ſervaret alluſionem, & accepiſſe alias ſimiles arbores, quibus in Græco reſponderet alluſio ad verbum ſcindendi.* Reſp. Quamvis non negamus, Origenem ad Julium Africanum hac de re ſcripſiſſe, tamen quid ſcripſerit, ignotum eſt, ſiquidem libellus, qui nuper demùm Ann. 1551. hac de re prodiit, oondum nactus eſt fidem ſatis luculentam. Illud verò certum eſt, nullum uſpiam extare horum additamentorum exemplar ſive Hebraicum ſive Chaldaicum. At ſi inter Canonica ſcripta cenſeri ea debuiſſent, divina providentia non permiſiſſet textum originalem intercidere. Sed nec certò affirmari poteſt, exemplar hujus Supplementi Hebraicum unquam in rerum Natura extitiſſe. Nec poteſt Bellarminus ex lingua Hebræa proferre nomen aliquod arboris, quod cum verbo ſcindendi paranomaſian habeat. Fixum igitur ac firmum manet, quod Græca illa paranomaſia autoritatem hujus ſcripti ſuſpectam reddat. Spiritus S. in libris verè Canonicis Hiſtoricam veritatem tuetur, nec propter ſuaves paranomaſias eandem mutat.

2. nec à propheta. 225. 2. Hæc additamenta non habent autorem Propheticum. Vocantur quidem additamenta *Danielis*, ſed collatio oſtendit, non poſſe Danielis nomine celebrem illum Prophetam intelligi, cujus Prophetia Canonica extat. Verus ille Daniel conjectus eſt in lacum leonum, propterea quod apertis cœnaculi ſui feneſtris verum Deum Iſraëlis invocaverat. Dan. 6. v. 11. Sed hic fictitius Daniel propter Belem ſublatum & & occiſum Draconem in lacum leonum detruditur. cap. 14. v. 30. Verus Daniel per unam duntaxat noctem in lacu leoonum fuit conſtitutus Dan. 6. v. 19. Sed hic fictitius Daniel per ſex dies in lacu leonum commoratus dicitur. cap. 14. v. 30. Verus Daniel ſub Rege Dario in lacum leonum fuit miſſus Dan. 6. v. 1. fictitius ſub Cyro cap. 13. v. 65. Bellarm. judicat, *non eſſe improbabile, non eſſe eundem illum Danielem, qui Suſannam liberavit, I[dol]em deſtruxit, Draconem interfecit & in lacu [le]onum ſex diebus fuit cum eo, de quo Canonicus liber Danielis tractat, cùm hic fuerit de tribu Juda, ille verò in LXX. Interpp. verſione dicatur fuiſſe de tribu Levi.* Reſp. unde ergo probari poterit, hunc poſteriorem Danielem fuiſſe Prophetam & librum ejus eſſe Propheticum, ſi non fuit idem cum priore, cui Chriſtus in N. T. teſtimonium perhibet Matth. 24. verſ. 15. Ubinam in Hiſtoriis poſterioris illius Davidis fit mentio? Cur verò Danieli Hiſtoriæ illæ de conficto Daniele in Codice Biblico ſubjunguntur, adeò ut Bellarminus diſputet reſp. ad 2. object. *Hiſtoria Suſannæ meritò apud Græcos poni in principio libri, cùm contigerit longè ante tempora Darii Daniele adhuc puero exiſtente.* At ſi non eſt idem Daniel, cur Hiſtoria ejus vero Danieli inſeritur? Regerit Gretſerus, *partes illas rectè poni in Daniele, etiamſi ab alio quodam Daniele compoſita eſſent, quia tum propter argumentum, tum propter nominis ſimilitudinem nuſpiam rectiùs collocantur, quam in libro Danielis, ſicut multi Pſalmi rectiſſimè in Pſalterio locum tenent, licet non à Davide, ſed ab aliis conſcripti, Deoq́; decantati fuerint.* Reſp. eſt ratio maximè diſpar. De Pſalmis nulla eſt dubitatio, quod pertineant ad Canonem, ſed de additamentis illis dubitatur vel maximè. Pſalmi omnes conjunguntur, cùm in Hebræo non à Davide Pſalterium Davidis nuncupetur, ſed generali appellatione כפר תהלים vel liber laudum. Ergo nihil quicquam obſtat, quò minùs Pſalmi etiam aliorum autorum illi inſerti fuerint (ut nihil dicamus de eo, quod quidam omnes Pſalmos Davidi adſcribant, ut ſuperiùs §. 141. monuimus.) Danielis autem liber cui iſtæ particulæ inſertæ ſunt vel adjunctæ, nomen certum Danielis Prophetæ illius præ ſe fert, injuſtè igitur alterius ac diverſi cujuſdam Danielis Hiſtoria ei conjungitur. Nec apparet, quæ ſit illa argumenti ſimilitudo, niſi fortè conjectionem in lacum leonum quis afferre velit, ſed quæ ſit inter utramque Hiſtoriam diverſitas, imò contrarietas, jam antè oſtendimus. Denique propter nominis ſimilitudinem debuiſſet potiùs hoc additamentum à Danielis prophetia ſeparari ad vitandam confuſionem.

226. 3. Pugnant cum veritate Hiſtorica. Hiſtoria *de Habacuc* adferente Danieli prandium in lacu leonum non congruit Chronologiæ, quia Propheta Habacuc vixit ante Babylonicam captivitatem. Si excipere velint, *alium hunc eſſe Danielem*, urgeotur argumentis proximo §. expoſitis. *3. pugnant cum veritate Hiſtorica.*

227. 4. Deſtituuntur Eccleſiæ Iſraëliticæ & primitivæ Chriſtianæ ſuffragio. Hieron. in præfat. in Daniel. *Miror quoſdam μεμψιμόρους mihi indignari, quaſi ego detruncaverim librum, cùm & Origenes & Euſebius & Apollinarius, aliiq́; Eccleſiaſtici viri & Doctores Græciæ has, ut dixi, viſiones non haberi apud Hebræos fateantur, nec ſe debere reſpondere Porphyrio pro his, quæ nullam Scripturæ autoritatem habent.* Julius Africanus Hiſtoriam Suſannæ tanquam adulterinã & neotericam repudiavit teſte Euſebio lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 23. Autor libri de mirabilibus Scripturæ inter Auguſtini opera lib. 2. cap. 32. De lacu verò & Abacuc tranſlato in Belis & Draconis fabula, idcirco nihil in hoc ordine ponitur, quia in autoritate divinæ Scripturæ non habetur.

228. 5. Repudiantur ab ipſis ſanioribus Pontificiis. Eraſmus, [quem Bellarminus hoc loco vocat *ſemiChriſtianum*, ſed Leo X. *dilectum ſuum filium*] in ſcholiis ſuper præfationem Hieronymi in Danielem, idem nobiſcum ſtatuit. Ludovic. Vives in comm. lib. 18. de Civ. Dei cap. 31. *Propheta Habacuc mentio fit* Dan. 14. *quod prandium ſuum ex Judæa Babylonem tulerit ad Danielem, quo teſtimonio ad probationem temporum Auguſtinus non eſt uſus, quod eam Beli Hiſtoriam & totum caput 14. cum Hiſtoria Suſannæ apocrypha ſint, nec in Hebræo habeantur, nec ſint verſa LXX. ſenibus.* Johannes Driedo lib. 1. catal. de ſcript. & dogmat. Eccleſ. cap. ult. dicit, *5. Repudiantur à ſaniorib. Pontificiis.*

hanc non eſſe Hiſtoriam Canonicam, interim tamen non contemnendam & qui credit eſſe veram, non perniciosè falli, ut legimus, inquit, *geſta Martyrum, ex quibus non ſumimus argumenta ad ea, quæ ſunt fidei.* Driedonis & Eraſmi ſuffragium Bellarminus nobis largitur.

Antitheſis 229. *Antitheſis*. Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 9. *Certum eſt has omnes partes Danielis verè eſſe Canonicas*, quod probatur 1. *ex Concilio Tridentino ſeſſ. 4. & uſu Eccleſiæ.* 2. *ex teſtimoniis veterum.* 3. *ex editione Græca Bibliorum*, in qua iſtæ partes cum prophetia Danielis conjunguntur. Sed quid hiſce ratiunculis reſpondendum ſit, ex ſuperioribus eſt manifeſtum.

8. Libri duo Maccabæorum ſunt apocryphi. 230. 8. Liber primus & ſecundus Maccabæorum. Fatemur librum priorem præferendum eſſe poſteriori, prior enim graviter ſcriptus, poſterior ex quinque libris Jaſonis Cyrenæi ab autore incerto decurtatus eſt ſtylo prorſus affectato, unde B. Lutherus dicit, *quàm meritò liber primus in numerum ſanctarum Scripturarum computari debuiſſe, tam meritò ſecundum eſſe ex earum numero rejectum.* Eos verò non eſſe Canonicos, demonſtramus ſequentibus argumentis: *1. Non ſunt ſcripti linguâ Propheticâ.* 1. Non ſunt ſcripti idiomate Hebræo ſed Græco, ac proinde non habent autorem Prophetam. Scripti ſunt poſt tempora Malachiæ, qui fuit ultimus Propheta V. T. Ergò oon ſunt ſcripti à Propheta. Hieron. in catal. vir. illuſtr. & lib. 2. contra Pelag. atque alii ſtatuunt, *Ioſephum eſſe horum librorum autorem.* At Joſephus vixit poſt Chriſtum nec fuit Propheticâ autoritate conſpicuus, quomodo igitur Propheticum V. T. librum ſcribere potuit?

2. Non habent teſtimonium Chriſti vel Apoſtolorum in N. T. 231. 2. Non habent teſtimonium Chriſti vel Apoſtolorum in N. T. Salmeron tom. 14. diſp. 25. p. 218. duo producit N. T. dicta, in quibus libri Maccabæorum adducantur. 1. Joh. 10. v. 22. *facta eſt encænia in Hieroſolymis, & erat hyems, quæ feſtivitas neceſſariò intelligenda eſt de dedicatione templi facta ſub Iuda Maccabæo.* 1. Macc. 4. v. 59. 2. Macc. 10. v. 5. 2. Hebr. 11. v. 35. quidam ἐτυμπανίσθησαν, quod *Oecumenius ad Maccabæos refert. E. Paulus hunc librum in Canonem recepit.* Reſp. utrobique Hiſtorica duntaxat relatio proponitur, quæ nullam conciliat Maccabæorum libris autoritatem, aliàs liber ille apocryphus, ex quo Paulus Jannis & Jambris Magorum nomina, & Judas Henochi teſtimonium adduxit, eſſent Canonici.

3. Diſcordans à modo loquendi Canonicis ſcriptoribus uſitate. 232. 3. Liber ſecundus ſeipſum manifeſtè prodit, quod non ſit ſcriptus Spiritu Prophetico, ſed humano. Nam 1. veniam petit à lectore 2. Macc. 15. v. 39. *Et ſiquidem benè & ut Hiſtoriæ competit* (hæc ſcripſiſſem) *hoc & ipſe velim; ſi autem minùs dignè, concedendum eſt mihi.* v. 40. *Sicut enim vinum ſemper bibere aut ſemper aquam, contrarium eſt; alternis verò uti delectabile: ita legentibus ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* At tales προθεραπείας & proteſtationes à Spiritu S. ſunt alienæ. Excipit Bellarminus lib. 1. de verbo Dei c. 15. *autorem non petere veniam errato rum quippe quæ nulla eſſe ſciebat, ſed orationis minùs politæ, quemadmodum etiam Paulus ſe imperitum ſermone confitetur* 2. Cor. 11. v. 6. Reſp. nec Paulus, nec ullus alius ſcriptor Canonicus veniam petit, ſi quid minùs dignè vel dextrè ſcriptum ſit, ſciunt enim omnia ſua ſcripta à Spiritu S. profecta, cujus in hoc opere fuerunt amanuenſes, ideò nec in rebus, nec in verbis veniam ſibi petere neceſſe habent. Paulus dicto loco nequaquam ſe excuſat, quod tenuiter & exiliter ſcripſerit, aut minùs præſtiterit, quam ſibi habuerit propoſitum, ſed vocat ſe ἰδιώτην λόγῳ, quia ſcil. talis videbatur pſeudo Apoſtolis, cùm ſubtilitates ſermonis non ſectaretur, ſeque juxta humanam ſapientiam aut eloquentiam pſeudo-Apoſtolis non eſſe comparandum concedit. 2. Conqueritur de difficultate bujus operis 2. Macc. 2. v. 27. *Et nobis quidem ipſis*, inquit, *qui hoc opus breviandi causâ ſuſcepimus, non facilem laborem, imò verò negotium plenum vigiliarum & ſudoris aſſumſimus &c.* At Spiritui ſancto librorum Canonicorum autori principali nihil eſt difficile vel laborioſum aut moleſtum. Excipit Bellarm. *aliter Deum adfuiſſe ſolitum Prophetis, aliter Hiſtoricis. Illis revelaſſe futura & ſimul aſtitiſſe, ne aliquid falſi admiſcerent in ſcribendo; his non ſemper revelaſſe ea, quæ ſcripturi erant, ſed excitaſſe duntaxat, ut ſcriberent ea, quæ vel viderant, vel audierant, quorum recordabantur, & ſimul aſtitiſſe, ne quid falſi ſcriberent, quæ aſſiſtentia non excludebat laborem.* Luc. 1. v. 3. Reſp. Hiſtoriæ ſacræ & Canonicæ ſcriptores adhibuerunt quidem in ſcribendo induſtriam ac diligeotiam, ſed ea non fuit ipſis moleſta ac difficilis, unde nuſpiam de moleſtia laboris conqueſti leguntur. Quamvis igitur reſpectu revelationis aliqua conſtitui poſſit differentia inter Prophetas & Hiſtoricos, tamen reſpectu ſcriptionis eſt omnimoda convenientia, utriq; enim fuerunt Spir. ſancti amanuenſes, quo dictante libros ſuos ſcripſerunt. Ut Spir. S. Prophetis ſcribenda revelavit, ita Hiſtoricis ſcribenda ſuggeſſit & in memoriam revocavit Joh. 14. v. 26. ut ἀποκαλύψεις in Prophetis, ita ὑπομνήσεις in Hiſtoricis omnem omninò moleſtiam excludit. 3. Profitetur, quod in compeodium redigere velit. 5. libros Jaſonis Cyrenæi 2. Macc. 2. v. 24. Atqui Spiritus S. nunquam ſolitus eſt in epitomen redigere profani alicujus ſcriptoris Hiſtoriam.

233. 4. Continentur in bis libris ἀσύμφωνα καὶ ἀσύγκλητα. *4. Continent ἀσύμφωνα.* Nam. 1. lib. 1. c. 6. v. 8. & 16. Antiochus dicitur extinctus *præ animi ægritudine*, quã ex infauſto nuncio cooceperat, *idq; Babylone in lecto*, quando filium tradidit Philippo, quem regno præfecit. Sed libr. 2. capit. 1. verſ. 16. *in fano Nannea obtruncatur & membratim concidiur.* lib. 2. c. 9. v. 28. *in peregrina terra in montibus miſero obitu commutavit vitam.* lib. & cap. ejuſdem v. 9. *mortuus eſt dolore viſcerum, ita ut de corpore ipſius vermes ſcaturirent & viventis in doloribus & tormentis carnes ejus caderent ac fœtor intolerabilis in totum pene exercitum redundaret*, quæ narratio convenit cum eo, quod Dan. 8. v. 25. de Antiocho prædictũ, *contereiur ſine manu*, h. c. fœdo morbo cootabeſcet. Falſum igitur eſt, quod de obtruncatione ejuſdem babetur l. 2. c. 1. v. 16. Reſpondet Melchior Canus lib. 2. Loc. c. 11. ad 4. *non eſſe eundem Antiochum.* Sed ipſa Hiſtoria illud luculentè refellit, unde Bellarm. huic reſponſioni nihil tribuit: *Omnes ferè conveniunt* (inquit) *eundem eſſe Antiochum, Epiphanem ſcil.* Aliter igitur reſpondet Bellarminus, talem ſcilicet conciliationem inſtitui poſſe: *Antiochus amiſit exercitum in templo Nanea, in itinere cecidit de curru, poſt delatus Babylonem expiravit. Dicitur ergò cecidiſſe, quia exercitus ejus caſus eſt & ipſe turpi fuga dilapſus, fortè*

etiam

etiam vulneratus eſt. Atqui lib.2.cap.1.v.16.non ſolùm dicitur Antiochus cæſus, ſed etiam obtruncatus & membratim diviſus, quod de vulneratione Antiochi vel exercitus fuga exponi non poteſt. In Græco eſt *κατέκοψαν obtruncarunt Antiochum* 2.lib.1.cap.9.v.3. Judas dicitur occiſus *anno 152.regni Seleucidarum.* At lib.2.cap.1.v.10.*anno 188.illius regni literas ſcribit ad Ariſtobulum magiſtrum Ptolemæi,* nimirum annis 36.poſtquam erat mortuus. Bellarmin.refutatis aliorum reſponſionibus quæſtionem ſic diſſolvendam ſtatuit, ut dicatur, *illa verba* anno 188.*non eſſe principium Epiſtolæ ſequentis, quam Iudas ſcripſit, ſed finem præcedentis, quæ ſcripta eſt à toto populo Iudæorum, Duce Iohanne Hircano.* Probat coojecturam ſuam *ex Codd.Græcis, & quia numerus annorum in fine potiùs, quàm in principio Epiſtolæ annotari ſolet.* At non Græcum textum, ſed vulgatam verſionem Latioam Concilium Tridentinum ſub fulmine anathematis pronunciavit authenticam, ut nullo omninò prætextu ab ea diſcedere integrum ſit. Et cur Bellarminus à Græco textu auxilium hîc implorat, quem aliquoties in hac de libris Apocryphis diſputatione repudiavit? Præterea io exemplari Græco Beoed. Ariæ Montani nulla hîc occurrit diſtinctio poſt verba, *ἔτους ὀγδόου ἑκατοστοῦ καὶ ὀγδοηκοστοῦ,* ſed abſque ulla diſtioctione vel punctatione ſubjiciuntur illis oomina eorum, qui literas illas ſcripſerunt & adduntur ſormulæ initiales io Epiſtolis uſurpari ſolitæ, *χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν,* quæ omnia Bellarminianæ conjecturæ ſortiſſimè adverſantur. 3.lib.1.cap.4.v.36.Judas templum purgaſſe dicitur *ante mortem Antiochi poſt fugatum Lyſiam.* At lib.2.cap.10.verſ.1.*poſt mortem Antiochi dicitur facta templi purgatio.* Reſpondet Sixtus Senenſis lib.8.Biblioth.*bis factam fuiſſe templi purgationem.* Sed cùm utrobique ijſdem ferè verbis templi purgatio deſcribatur, ideò Bellarm.reſponſionem Sixti repudist ac dicit lib.2.cap.10.*narrari quidem templi purgationem poſt mortem Antiochi, nequaquam verò aſſeri, quod poſt mortem Antiochi ſit facta.* Atqui totus cootextus oſtendit, recenſeri repurgatiooem templi tanquam poſt Antiochi mortem ſactam, oam & in fioe præcedentis capitis mors Antiochi deſcribitur, & in hoc ipſo capite Hiſtoriæ de repurgatione templi ſubjiciuotur hæc verba v.9.*Et Antiochi quidem, qui appellatus eſt nobilis, exceſſus vitæ ita ſe habuit.* 4.lib.2.cap.10.v.11. Antiochus Eupator Epiphanis filius ſuſcepto regno Lyſiam negotiis regni præfeciſſe dicitur. At lib.1.cap.6.v.17.Lyſias diu antè rebus præfuit & Antiochum Regem inſtituit, eumque Eupatorem vocavit. 5.Cùm ſecundus liber eaſdem Hiſtorias, quæ io primo deſcriptæ ſunt, retexat, multa admiſcet, ut de admirandis apparitiooibus in conflictibus, quarum nec primus Maccabæorum, nec Joſephus meminerant. De numeris interfectorum cùm primus liber modeſtè loquatur, ſecundus in immenſum omnia exaggerat. In oumeris etiam anoorum & in aliis non obſcura contradictio libri ſecundi contra primum deprehenditur.

5. Continet pugnātia cum libris Canonicis & Hiſtorica veritate.

234. 5. Continentur in his libris, quæ cum Canonicis Scripturis & Hiſtorica veritate minimè congruunt. Narratio *de igne ſacro & arca & tabernaculo & altari in monte quodam à Ieremia poſitis & abſconditis* lib.2.cap.2.v.4.non congruit cum Hiſtoria Regum ex prophetia Jeremiæ. Aut enim hæc contigerunt, antequam urbs à Chaldæis caperetur, quod fieri non potuit, quia Jeremias io carcere fuit uſque ad urbis excidium Jer.37.v.18.cap.38.v.28.aut contigerunt, poſtquam urbs eſt capta, quod itidem dici oequit, quia Chaldæi omoia vaſa templi diripuerunt 2.Reg.25.v.13. Excipit Bellarminus, *potuiſſe illud optimè fieri & ante ſpoliationem urbis ac templi, & poſt eam. Antè quidem, non tempore Sedechiæ, ſed Ioachim, quo tempore Ieremias erat liber, potuit igitur Rege conſentiente tabernaculum & arcam aſportare. Potuit etiam hoc fieri, poſtquam urbs eſt capta, quia à militibus urbem diripientibus non eſſe ablatam arcam vel tabernaculum, manifeſtum eſt ex Ierem.52.v.18.ubi enumerantur omnia, quæ Chaldæi ex templo Domini abſtulerunt, uſque ad phialas & mortariola, ſed arcæ ac tabernaculi nulla fit mentio.* Reſp.1.lib.2.Macc.ca.2.v.1.dicitur *inveniri in deſcriptionib. Ieremiæ Prophetæ, quod juſſerit eos ignem accipere, qui tranſmigrabant.* verſ.4.*erat in ipſa Scriptura, quomodo tabernaculum & arcam juſſit Propheta divino reſponſo ad ſe facto comitari ſecum.* At in Canonica Jeremiæ Scriptura nihil quicquam hac de re occurrit. 2. Sed oec Eſdras nec Nehemias quidquam de hac miraculoſa arcæ & tabernaculi abſconſione referunt. 3. Tempore Joachim arcam & tabernaculum & altare incenſi fuiſſe abſconditum, oon eſt veriſimile, quia cultus divinus viguit in templo Hieroſolymitano uſque ad tempora Sedechiæ. Nec permiſiſſent Sacerdotes ante captivitatem auferri arcam, altare, tabernaculum. 3.Nec poſt ſpoliationem urbis & templi abſconſio illa fieri potuit. Quis enim credat, Chaldæos peperciſſe arcæ auro obductæ, cùm Phialas & alia minoris precij vaſa ſecum deportarint? 2.Paral.36.v.18. disertè dicitur, *quod universa vaſa domus Domini tàm majora quàm minora & theſauros templi tranſtulerint in Babylonem.* ac v.19. *quod incenderent domum Dei, ita ut omnis deſiderabilis ſupellex ejus corrumperetur.* Jerem.52.v.17.& ſeqq.non ſolùm aurea & argentea vaſa, ſed etiam ærea incenſo priùs templo ſecum in Babylonem abſtuliſſe dicuotur, quomodo igitur poſt expugnationem & incenſionem templi arca ſuperſtes eſſe potuit. ** Judæi dicuntur in Perſiam abducti 2.Macc.1. cùm tamen Babylonem in Chaldæam abducti fuerint. Excipit Rayning.in Ench.pag.891.nomen Perſiæ in ſignificatione generaliori accipi pro vicina Chaldæa. 1.Macc.6.v.5.ac Chryſoſtomus hom.6.in Matth. dicit Judæos ex captivitate Perſica liberatos. Reſp. Cùm 1.Macc.6.Antiocho nuncium afferretur de exercitu ſuo in Judæa cæſo, non erat in Babylone ſed in Perſia, in itinere verſus Babylonem v.4. Chryſoſtomus vocat Perſicam captivitatem non propter viciniam Babylonis & Perſiæ, ſed quia Rex Perſarum qui occupaverat Monarchiam Chaldaicam, ipſos detinuit captivos.** 4. Additur ab autore libri ſecundi Maccabæorum cap.2.v.8.quod Jeremias prædixerit, *in congregatione populi cæterum eſſe manifeſtanda.* At poſt captivitatem Babylonicam Judæi illam arcam, illud tabernaculum, illud altare non invenerunt, nec habuerunt, quod ipſimet Rabini fatentur. Kimchi ad cap.1.Hagg.Maſſecheth Joma citante Druſio lib.15.obſerv.cap.16.Galatin.lib.4.de arcan.cap.10.Bellarminus regerit, *Ieremiam non loqui de illa congregatione, quæ fuit tempore Cyri, ſed vel de tempore noviſſimo, quod proximè diem judicij præcedet,*

vel in ſtricè intelligendum id eſſe, quod arca ſit appa- ritura. h.e. Chriſtus in carne venturus in nova po- puli congregatione. Reſp. prior explicatio non po- teſt habere locum. Sublatis enim V. T. ſacrificiis & Ceremoniis nullus erit amplius uſus arcæ vel altaris in N. T. Poſterior explicatio allegoriæ re- ſpectu vera eſt, ſed non congruit verbis perſo- nati illius Jeremiæ. *Ignotus erit locus, donec congre- get Deus congregationem populi & propitius fiat. Et tunc Dominus oſtendet hæc* (nota δεικτικὸν hæc) *& apparebit majeſtas Domini, & nubes erit, ſicut & Moſi manifeſtabatur.*

6. Continent quædam fidei analogiæ minùs congrua.

235. 6. Continent quædam fidei analogiæ minùs congrua. 1. lib. 2. cap. 12. v. 43. laudatur fa- ctum Judæ Maccabæi, *quod ſacrificium pro mor- tuis obtulerit.* Ac tale ſacrificium Deus nuſpiam in lege præſcripſit, fuit ergò ἐθελοθρησκεία. Præte- rea oblatum fuit hoc ſacrificium pro iis, qui ido- lolatriâ ac ſacrilegij crimine ſeſe polluerant, jam verò pro illis, qui in peccato mortali decedunt, orandum ac ſacrificandum eſſe ipſi Pontificij ne- gant. Bellarminus opponit nobis Auguſtinum, qui Epiſt. 61. ad Dulcit. lib. 1. de moribus Eccleſ. cap. 23. & lib. de cura pro mort. cap. 1. ex hoc ipſo loco probet, *pium eſſe orare pro mortuis.* Sed quid de hac Auguſtini ſententia ſtatuendum ſit, latè expoſitum fuit in tract. de Morte §. 280. Quod Bellarmin. diſputat, *Iudam piè exiſtimaſſe, illos in articulo mortis dolorem de peccato ſuo coram Deo concepiſſe & miſericordiam inveniſſe*, illud totum in ſuſpicione poſitum, nec Pontificij offerrent pro talibus Miſſæ ſacrificium, quos in flagrante crimine mortuos viderent. Confer d. tract. de Morte §. 224. Quicquid ſit, urgemus argumen- tum noſtrum, quod Deus in lege ſua de ſacrificio pro mortuis nihil quicquam præſcripſerit, quod- que non poſſit ullum aliud probatum exemplum talis ſacrificij ex Scripturis afferri. Ac vel ex eo conſtat totum hoc, quod de ſacrificio pro pecca- tis hoc loco habetur, adjectitium eſſe, quia neque in Joſepho Ben Gorion Hebraicè ſcripto, ubi eadem Hiſtoria narratur lib. 3. cap. 19. neque et- iam apud Joſephum Græcè legitur. 2. lib. 2. cap. 14. v. 42. 43. & 46. prædicatur Raziæ fortitudo, *quod ſibi ipſi violentas manus intulerit.* Atqui αὐτο- χειρία pugnat cum divino præcepto: *Non occides.* Bellarm. ex Auguſtini Epiſt. 61. ad Dulcitium re- ſpondet, *mortes horum hominum in Scriptura nar- rari, non laudari; vel certè non ita laudari, quaſi ſanctè & piè fecerint, quod fecerunt, quamvis auda- cter & viriliter & hominum judicio, fortiter eos fe- ciſſe negare non poſſit.* Reſp. imò verò autor illa ex- empla non ſolùm recenſet, ſed etiam laudat, nec aliorum, ſed ſuo etiam judicio fortitudinis lau- dem illi tribuit. lib. 1. cap. 6. v. 44. *Eleazar dedit ſe, ut liberaret populum ſuum & acquireret ſibi no- men æternum.* lib. 2, cap. 14. v. 42. *Razias gladio ſe petiit eligens nobiliter mori potiùs, quàm ſubditus fieri peccatoribus & contra natales ſuos injuriis a- gi.* v. 43. *præcipitavit ſeipſum viriliter in turbas.* v. 46. *invocans dominatorem vitæ ac Spiritus, ut hæc illi iterum redderet, vitâ defunctus eſt.* 3. lib. 1. Mac- cab. 2. v. 52. *Abraham nonne in tentatione inven- tus eſt fidelis & reputatum eſt ei ad juſtitiam.* At Scriptura Canonica ſic habet, Geneſ. 15. v. 6. *Cre- didit Abraham Domino, & reputatum eſt ei ad ju- ſtitiam*, idq; factum, antequam in tentatione fi- delis inveniretur.

7. Non ſunt recepti in Canonem ab Eccleſia Iſraelitica

236. 7. Non ſunt recepti in Canonem ab Ec- cleſia Iſraelitica, cui τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ fuêre con- credita, Rom. 3. v. 2. Auguſt. lib. 18. de civit. Dei cap. 36. & lib. 2. contra Epiſt. Gaudent. cap. 23. *Iu- dæi non habent Maccabæorum libros pro Canonicis.* Sed nec primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ Docto- res hos libros pro Canonicis habent, verùm ex eorum numero illos exterminant. Videatur Cle- mens Romanus lib. 1. Conſtitution. cap. 7. Ori- genes apud Euſebium lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. in Gr. ubi texens catalogum librorum Canoni- corum dicit, libros Maccabæorum eſſe ἔξω τούτων. Athanaſius in Synopſi, Concilium Laodicenum can. 59. Concilium Carthaginenſe apud Balſa- monem cap. 47. Hilarius in prolog. ſup. Pſalmos, Nazianzenus in carminibus, Amphilochius in Jambis ad Seleucum, Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 4. Ruffinus in Symbol. Hieronymus præ- fat. in lib. Regum, in Proverb. & in Sapient. Li- ber, qui dicitur Συνοδικὸς, Richard. Victor. lib. 2. except. c. 9. Excipit Bellarminus, *loqui illos de Ca- none Iudæorum, extra quem libros Maccabæorum collocant, interim tamen apud Chriſtianos eos eſſe Canonicos*, quod probat ex Auguſtino lib. 18. de civit. Dei cap. 36. ubi ſcribit, *non Iudæos, ſed Eccle- ſiam pro Canonicis habere libros Maccabæorum.* Reſp. quid de diſtinctione inter Canonem Ju- dæorum & Chriſtianorum ſtatuendum ſit, ex- poſuimus ſuperiùs §. Hoc loco breviter dicimus: 1. *Eccleſia nullo modo poteſt facere librum Canoni- cum de non Canonico*, ut rectè ſcribit Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 10. §. *Itaq.* 2. Ut una eſt Eccle- ſia V. & N. T. ita quoq; unum eundemq; opor- tet eſſe Canonem librorum V. T. & veteris & no- væ Eccleſiæ judicio, nam populus Chriſtianus à populo Iſraelitico Canonem V. Teſt. accipit. 3. Doctores Eccleſiæ Chriſtianæ primitivæ non ſo- lùm ex Canone Judæorum, ſed etiam Chriſtia- norum hos libros excludunt, ut d. l. manifeſtum fecimus. Agnoſcit hoc, quoad Hieronymum ipſe Bellarminus d. l. 4. Quando Auguſtinus & pauci quidam alij hos libros vocant Canoni- cos, tùm nomen Canonici ſumunt in ſignifica- tione latiore pro libro non planè rejecto; ſed qui in Eccleſia legi poſſit *ad morum ædificationem*, ita tamen ût cum reliquis libris propriè dictis Ca- nonicis non habeat parem autoritatem. 5. Pa- tet hoc ex ipſo Auguſtino, qui lib. 18. de civit. Dei cap. 36. ſic ſcribit: *Quorum ſupputatio tempo- rum non in Scripturis ſanctis, quæ Canonicæ appel- lantur, ſed in aliis inveniuntur, in quibus ſunt & Maccabæorum libri, quos non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet propter quorundam Marty- rum paſſiones vehementes atque mirabiles.* Ratio- nem igitur, quare Eccleſia hos libros pro Cano- nicis habuerit, h. e. quare ad morum informatio- nem eos in Eccleſia legi voluerit, ipſe exponit, vi- del. *propter quorundam Martyrum paſſiones.* lib. 2. contra Epiſt. Gaudent. c. 23. *Et hanc quidem Scri- pturam, quæ appellatur Maccabæorum, non ha- bent Iudæi, ſicut legem & Prophetas & Pſalmos, qui- bus Dominus teſtimonium perhibuit tanquam te- ſtibus ſuis, ſed recepta eſt ab Eccleſia non inutiliter, ſi ſobriè legatur vel audiatur, maximè propter illos Maccabæos, qui pro lege Dei, ſicut verè Martyres à perſecutoribus tam indigna atque horrenda per- peſſi ſunt.* At cautionem illam, *ſi ſobriè legatur*, li- bris propriè & ſpecificè dictis Canonicis nun- quam adhibet. 6. Huc referimus ſimilia Auguſti- ni dicta lib. 1. de civ. Dei c. 20. *Neque enim fruſtrà*

in Ca-

in Canonicis libris nuſquam nobis divinitùs præceptum permiſſumvè reperitur, ut nobismetipſis necem inferamus. At in his libris αὐτοχειρία laudatur. lib.17. de civit. Dei cap.20. dicit, *minùs firma eſſe, quæ non ſunt ſcripta in Canone Judæorum.* lib. 2. de mirab. Script. *libros Maccabæorum à divino Canone diſtinguit.*

8. à quibuſdam Pontificiis è Canone removentur. 237. 8. A quibuſdam Pontificibus & Pontificiis è Canone removentur. Gregorius Magnus lib.19. moral. cap.13. *De qua re non inordinatè agimus, ſi ex libris non Canonicis, ſed tamen ad ædificationem Eccleſiæ editis teſtimonium proferamus,* cujus dicti perſpicuitate motus Melchior Canus lib.2. Locor. cap.10. fatetur: *Gregorium hos libros à Canone removiſſe.* (At hic Gregorius fuit Epiſcopus, ſive ut hodie loquuntur, Pontifex Romanus, cujus judicium eſſe infallibile, docent Pontificij.) Gelaſius cum 70. Epiſcopis unum tantum Maccabæorum librum recepit. Wilhelmus Occam part.3. Dial. tractat.1. lib.3. cap.16. à Canone hos libros excludit. Lyranus in Eſdram cap.1. *Non ſunt in Canone* (libri Maccabæorum) *nec apud Judæos, nec apud Chriſtianos.* Idem fatetur *non poſſe conciliari cum Canonica Scriptura, quæ habentur.* 2. Macc.2. Carolus Sigonius in comm. in Severum Sulpitium, libros Maccabæorum propter diſſonantiam è Canonicis libris rejicit, & Juſtinum Hiſtoricum illis præferre videtur. Bellarmin. lib.1. de verbo Dei cap.17. citat & approbat ſententiam Joſephi lib.1. contra Appion. *Non haberi apud Hebræos in Canone ſanctarū Scripturarum eos libros, qui poſt tempora Artaxerxis Longimani ſcripti ſunt, & addit, ſiquidem librorum ſacrorum Canonem Eſdras compoſuit, cujus vita non extenditur ultra tempora Longimani.* Jam verò res in libris Maccabæorum deſcriptæ longiſſimè poſt Artaxerxis tempora evenerunt circa 140. annum Monarchiæ Græcorum, ita ut Eſdras hos libros videre non potuerit, niſi fingatur ad annos prope trecentos vixiſſe.

Antitheſis 238. *Antitheſis.* Librum primum & ſecundum Maccabæorum inter Canonicos referunt Pontificij plerique omnes, Concilij Tridentini autoritatem hac in re ſecuti. Bellarminus lib.1. de verbo Dei cap.15. pro aſtruenda Canonica horum librorum autoritate affert *dicta veterum,* quod Cyprianus de exhort. ad Martyr. cap.11. & lib.1. Epiſt.3. Nazianz. in orat. de Maccabæis, Ambroſ. lib.2. de Jacob. cap.10.11.12. Auguſt. libr.2. contra Epiſt. Gaudent. cap.23. hos libros citant, & *Scripturam ſacram, ac divinam* eoſdem appellent. Salmeron tom.14. diſp.25. p.218. addit, Tertullianum adv. Jud. Hieronymum in Prologo Galeato, Auguſtinum lib.2. de doct. Chriſt. c.8. &c. ſed quid de hoc argum. genere ſtatuendum ſit, ex ſuperioribus patere poteſt. Nec nuda allegatio nec generalis Scripturæ S. appellatio Canonicam autoritatem controverſis hiſce libris conciliare poſſunt. Vide §.206. Nazianz. non ex libris Maccabæorum, ſed ex Joſephi libro de Maccabæis locum adducit. Vide Billium in notis ad iſtum locum. Hieronym. in Prologo Galeato noſtram potiùs amplectitur ſententiam, quod ipſe Bellarmin. agnoſcit &c.

239. Hiſce Patrum teſtimoniis Bellarmin. in prima editione ſubjecerat argumentum *ex Canone Apoſtolorum* ultimo petitum, ſicut & Salmeron d. l. Canonicam horum librorum autoritatem probat ex can. 84. & ultimo Apoſt. Sed in poſterioribus editionibus Bellarminus hoc argumentum omiſit, idq; haud immeritò. 1. quia ipſe Bellarm. lib.1. de verbo Dei cap.20. §. *Quod ad priorem &c.* agnoſcit Canonem illum eſſe adulterinum. *Probabile* (inquit) *videtur, Canonem illum 84. non eſſe Clementis. Nam Zepherinus Papa XV. à Petro in Epiſt.1. tradit ſolùm LXX. fuiſſe Canones Apoſtolorum, vel ut alij Codd. habent: LX. Humbertus autem in libro contra Nicetam non agnoſcit niſi L. at iſte eſt octuageſimus quartus. Et certè meliùs noverat Zepherinus, quot eſſent Apoſtolorum Canones, quàm ulli poſteriorum. Quocirca non ſine cauſa Gelaſius diſt.15. c. Sancta Romana, poſuit inter apocrypha Canones Apoſtolorum, quod propter aliquos vel corruptos vel additos ab hæreticis fuiſſe videtur.* 2. in iſto Canone 84. omittuntur quidam libri verè Canonici, *ut libri Eſdræ & Apocalypſis.* 3. Canon iſte mentionem facit *trium librorum,* quos Maccabæorum nomine appellat. Si ergo vi hujus Canonis duo libri Maccabæorum ſunt Canonici, utique & tertius Maccabæorum erit Canonicus, quod tamen Bellarmin. & Salmeron negant. 4. in eodem Canone numerantur inter ſacros libros *Epiſtolæ duæ Clementis & Conſtitutiones Apoſtolicæ ejuſdem Clementis,* quos tamen libros Eccleſia nunquam pro Canonicis agnovit. Confer Euſebium lib.3. Hiſtor. cap.38. 5. Præter Maccabæorum libros nulli alij ex controverſis inter Canonicos in iſto Canone referuntur. Quod ſi ergo volunt hunc Canonem ſequi in recipiendis libris Maccabæorum, ſequantur etiam eum in reliquis excludendis.

240. Genebrardus in Chronol. anno mundi 3983. ſcribit. *Joſephum alicubi Eleazari & ſeptem fratrum & matris eorum Annæ Hiſtoriam apud Hebræos inter ſacras literas habere.* At cur non docet, ubi Joſephus hoc faciat? cur non ipſum Joſephi locum adducit? Sixtus Senenſis lib.1. Biblioth. ſect.2. tit. de libris Maccab. citat librum Joſephi de Maccabæis, in quo affirmetur, *Hiſtoriam Eleazari & puerorum ſeptem cum matre apud Hebræos in Scripturis ſacris haberi.* Reſp. hoc Interpres affirmat, non Joſephus ipſe, nam in Græco volumine nullum verborum iſtorum extat veſtigium. Joſephus lib.1. contra Appion. diſertis verbis aſſerit 22. *tantùm Hebræis eſſe libros, quibus meritò fides adhibeatur, continentes omnia ab initio mundi uſque ad tempora Artaxerxis, nam poſtea ſcripta ſunt ſingula, ſed non eadem quæ ſuperioribus fides adhibetur, proptèrea quod non fuit vatum certa illa ſucceſſio,* quæ verba verè eſſe Joſephi agnoſcit Euſeb. in Hiſt. Eccleſ. lib.3. cap.10. Eraſmus contradictione horum locorum permotus in præfat. lib. de Maccab. putat, *Maccabæorum libros ab Hebræis, etſi non in Canonem recipi, tamen inter ſacros haberi,* queritur autem ſibi Græcum Codicem non eſſe ad manum. Salmeron d. l. pro Canonica Maccabæorum autoritate adducit *Concilium Carthaginenſe 3. cap.47. Florentinum & Tridentinum, Innocentium I. ad Eugubinum & Gelaſium in Concilio Romano,* Itemque *uſum Eccleſiæ,* quæ Hiſtoriam de Juda Maccabæo legit in Sacrificio pro defunctis. Sed quid his ratiunculis tribuendum ſit, patet ex illis, quæ de libris V.T. apocryphis in genere ſuperiùs ſunt dicta.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IX.

De libris Nov. Teſt. Canonicis primi ordinis.

An inter N.T libros quidam ſint Apocryphi.

241. Egimus hactenus de libris Canonicis & Apocryphis Vet. T. tùm in genere, tùm in ſpecie, reſtat ut de libris Nov. Teſtam. in poſterum agamus, ubi primò omnium occurrit quæſtio, *an inter libros qui in Codice Biblico Nov. Teſtam. continentur, itidem conſtituenda ſit talis differentia, ut quidam dicantur Canonici, quidam Apocryphi?* Videtur primo intuitu in hac quæſtione eſſe quædam diſcrepantia inter eos, qui ab Eccleſia Romana ſeceſſionem ſecerunt, quam odioſè nobis objiciunt Pontificij. Sed diſtinctionis beneficio ea conciliari poteſt, ut paulò pòſt videbimus. Autores Hiſtor. Eccleſ. Magdæb. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 54. hac de re ſic loquuntur: *Sunt quædam hoc ſeculo ſcripta per Eccleſias nomine Apoſtolorum, aut eorum diſcipulorum ſparſa, quorum quædam in medio propter quorundam dubitationem ſunt aliquandiu relicta, poſtea verò in numerum Catholicorum ſcriptorum recepta, quædam verò prorſus pro apocryphis rejecta. Prioris generis ſunt Epiſtola Iacobi, Iudæ, poſterior Petri, ſecunda & tertia Johannis, Epiſtola ad Hebræos.* D. Chemnicius in Exam. Conc. Trid. part. 1. de Scriptura p. 92. poſtquam recitaverat ſententias veterum de his, quæ in Nov. Teſtam. ſtatuuntur apocrypha, ſubjungit: *Hæc veterum teſtimonia ideo annotavi, ut non tantùm notus ſit catalogus ſcriptorum Nov. Teſtam. quæ non habent ſatis certa, firma & conſentientia autoritatis ſuæ teſtimonia, ſed ut præcipuè notari poſſint rationes, quare de illis dubitatum fuit. 1. quia apud veteres non fuerunt inventa ſatis certa, firma & conſentientia teſtimonia de teſtificatione primæ Eccleſiæ Apoſtolicæ, quod libri illi eſſent ab Apoſtolis comprobati & Eccleſiæ commendati. 2. quia non certò ex teſtificatione primæ & veteris Eccleſiæ conſtitit, an ab illis, ſub quorum nomine editi ſunt, libri illi conſcripti eſſent, ſed judicati fuerunt ab aliis ſub nomine Apoſtolorum editi. 3. cùm quidam ex vetuſtiſſimis aliquot ex illis libris tribuerent Apoſtolis, quidam verò contradicerent, res illa ſicut non erat indubitatò certa, relicta fuit in dubio. Pendet enim tota hæc diſputatio à certis, firmis & conſentientibus primæ & veteris Eccleſiæ teſtificationibus, quæ ubi deſunt, ſequens Eccleſia ſicut non poteſt ex falſis facere vera, ita nec ex dubiis poteſt facere certa ſine manifeſtis & firmis documentis. Nicephorus quidem lib. 3. ubi ex Euſebio recitans primitivæ & veteris Eccleſiæ ſententiam de libris apocryphis, addit, Eccleſiam jamdudum illos pro legitimis & teſtamentariis recepiſſe. Sed nullas affert rationes, nulla documenta, quare diſcedendum ſit à teſtificatione primitivæ Eccleſiæ.* D. Hunnius in diſput. de Script. th. 119. *Epiſtola ad Hebræos, ſecunda & tertia Iohannis, poſterior Petri, Epiſtola Iacobi, Iudæ & Apocalypſis ſunt extra Canonem & Apocryphis accenſentur.* theſ. 120. *Fatemur tamen Nov. Teſtam. ſcripta apocrypha majorem Eccleſiæ primitivæ meruiſſe conſenſum & approbationem quam apocrypha Vet. Teſtam.* theſ. 121. *Quapropter plerique Patres, qui quoſdam libros Vet. Teſtam. ponunt extra Canonem, nullum tamen Nov. Teſtam. librum ab eo arcent, ſed omnes ſtatuunt eſſe Canonicos. Idem facit Concilium Laodicenum.* theſ. 122. *Nos etiam de autoritate Epiſtolæ ad Hebræos, ſecundæ & tertiæ Iohannis, Poſterioris Petri & Apocalypſeos non magnoperè cum quoquam pugnabimus.* theſ. 126. *Diſſimulari tamen non debet, fuiſſe de his quoque libris, ipſo Bellarmino fatente, in primitiva Eccleſia dubitatum, eò quod non ſuppetebant idonea documenta probationis, quod ab his autoribus, quorum haberent nomina, certò profecta eſſent.* D. Oſiander contra anal. Gregor. de Valent. pag. 478. probat ſententiam Euſebij, qui lib. 3. Hiſt. cap. 22. *tres facit ſacrorum librorum ordines: Primi generis ſunt, quæ legitima, authentica, germana & in confeſſo exiſtentia, h. e. omnium Eccleſiarum confeſſione indubitatæ autoritatis eſſe dicit, ut ſunt Evangeliſtarum ſcripta, Pauli Epiſtolæ. Deinde ait, quædam eſſe quibus contradicitur, propterea quod non ſatis ex primitivæ Eccleſiæ teſtimonio de eorum autoribus conſtet, ut eſt Epiſtola Iacobi, Iudæ &c. hæc vocata ſunt hagiographa, item Eccleſiaſtica, nec tamen ad dogmatum confirmationem iſta per ſe quidquam valent. In tertium ordinem refert, quæ ſunt adulterina & falſa.* D. Mentzerus diſp. Anti-Piſtor. I. theſ. 26. *Nov. Teſtam. Eccleſiaſtici libri in noſtris Eccleſiis ferè eandem obtinent cum Scripturis Canonicis autoritatem.* In apolog. contra Piſtor. pag. 162. *Nov. Teſt. libros Eccleſiaſticos vel apocryphos dictos ita acceptamus, ut patiamur in cenſu Canonicorum haberi, & quantum ad probandi virtutem attinet, parem habere cum reliquis autoritatem. Nec ullam aliam ob cauſam addimus particulam* ferè, *niſi quia in primitiva Eccleſia nonnulli illis libris aliquandiu contradixerunt, quaſi certò affirmari non poſſit, à quibusnam eſſent ſcripti & editi. Quare hac in parte facilè nobis poteſt cum modeſtis Papiſtis convenire* pag. 243. *Etſi libros iſtos univerſos & ſingulos recipimus & catalogo librorum Nov. Teſtam. inſerimus, tamen diſtinguimus inter eos, qui ſunt ſemper & ab omnibus ſine ulla vel exceptione vel dubitatione recepti & inter alteros, de quibus fuit dubitatum aliquandiu, an eſſent verè Apoſtolici, & quibus à nonnullis Eccleſiis fuit contradictum. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 18. conſentit, & Euſebium, Hieronymum, Eraſmum, Cajetanum allegat.* p. 251. *Piſtorius dicit, à nobis prorſus æquari libros omnes Nov. Teſtam. veritate, certitudine, autoritate; quod ut concedam, illud tamen etiam veriſſimum eſt, de quibuſdam aliquandiu fuiſſe dubitatum in primitiva Eccleſia.* D. Haſenrefferus in locis Theol. cap. de Script. p. 204. *Diſcrimen inter Canonicos & Apocryphos Nov. Teſtam. libros retinet & ad claſſem apocryphorum refert poſteriorem Petri, ſecundam & tertiam Iohannis, Epiſtolam ad Hebræos, Iacobi, Iudæ & Apocalypſin,* ſed addit. *Hi Apocryphi libri quanquam in dijudicatione dogmatum Canonicam autoritatem non habeant, quia tamen quæ ad inſtitutionem & ædificationem faciunt, plurima continent, cum utilitate & fructu tùm privatim legi, tùm publicè in Eccleſia recitari poſſunt. Et ſi apocryphos libros inter ſe conferimus, tàm illi qui in Nov. quàm qui in Vet. Teſtam. comprehenduntur, majorem habent autoritatem, cumprimis autem Epiſtola ad Hebræos propter elegantem Vet. Teſtam. commentarium & Apocalypſis propter illuſtriſſima de regno Chriſti & alia vaticinia plena certiſſimis eventibus completa, cæteris ejuſdem ordinis eminenter antecellunt.* D. Schrōderus de princip. fidei. cap. 1. pag. 146.

Sunt

Sunt quidam libri N. Teſt. nomine apocryphorum à nonnullis notati, ſed ratione ferè nullâ aliâ, quàm quod de ipſis dubitatum fuit, non utrum ex afflatu Spir. S. conſcripti, ſed utrum ab Apoſtolis, quibus inſcribuntur, in lucem proditi ſint. p.152. *Quia non tam dubitatum fuit de autore illorum optimo maximo, nempe S. S. quàm de ſcriptoribus ſeu autoribus adminiſtris, & verò contra hanc quoque dubitationem autoritatem eorum in ſublime ſuſtulerunt præcipui quique antiquiores Eccleſiæ Patres, parem autoritatem cum Canonicis apud pleroſque obtinent. Quippe ut liber aliquis pro Canonico habeatur, non requiritur neceſſariò, ut conſtat de autore ſecundo ſeu ſcriptore, ſatis eſt, ſi conſtet de primo autore ſeu dictatore, qui eſt Spiritus ſanctus, nam libri Judicum, Ruth, Eſther, ſunt Canonici, quorum tamen ſcriptores latent.* Ex Calvinianis Witakerus de Script. controv. 1. cap. 16. hac de re ſic ſcribit: *Quos Papiſtæ Nov. Teſt. Canonicos ſtatuunt, eoſdem nos quoque ſine aliqua exceptione agnoſcimus. Quos Tridentina Synodus Nov. Teſtam. libros recenſuit, hos noſtra Eccleſia omnes & ſolos recipit.* Et poſteà: *De autoritate nullius libri, qui pertinet ad Nov. Teſtam. dubitamus, nec verò de autore, præterquam Epiſtolæ ad Hebræos.* Id. contra Raiuold. *Apocryphos Vet. Teſtam. tota Eccleſia rejicit, apocryphos Nov. Teſtam. quædam ſaltem Eccleſiæ, poſteriores autem eos receperunt.* Sohnius lib. 1. de verbo Dei pag. 15. *Librorum Nov. Teſtam. duplex eſt conditio. Nam alii ſunt, de quorum autoribus unquam eſt dubitatum in veteri Eccleſia, alii verò de quorum autoribus eſt aliquando dubitatum, quamvis in Eccleſiis publicè legerentur & doctrinæ Apoſtolicæ autoritatem ferè apud omnes obtinerent. Poſterioris generis ſunt Epiſtola ad Hebræos, Jacobi, Judæ &c.* Ex Photinianis Piſecius contra Campianum pag. 1. ſcribit: *Noſtræ ætatis Theologos dum quædam genuina Apoſtolorum ſcripta repellunt, iniquè facere judico.*

242. Noſtram hac de re ſententiam complectemur tribus aphoriſmis. 1. Eſt omninò diſcrimen aliquod ſtatuendum inter libros, qui in Codice Biblico Nov. Teſtam. continentur. Negari enim nequit, quibuſdam illorum fuiſſe ab aliquibus in primitiva Eccleſia aliquando contradictum, ut apparebit ex ſpeciali ſingulorum conſideratione. 2. Libri illi ὑπὸ τινῶν ἀντιλεγόμενοι minùs commodè vocantur apocryphi; quod triplici argumentorum genere probamus. Primò quia non tàm *de autoritate Canonica*, quàm *de autore librorum iſtorum ſecundario* in primitiva Eccleſia fuit dubitatum. Jam verò libri illi, quorum autor ignoratur, non ſatis commodè vocantur apocryphi, aliàs ſequeretur libros quoſdam verè Canonicos, videlicet librum Judicum, Ruth, Jobum, &c. eſſe apocryphos, cùm eorum autores ignorentur. Pulcrè Gregorius in cap. 10. Jobi: *Quis hæc ſcripſerit, valde ſupervacaneè quæritur, cum tamen autor libri Spiritus ſanctus fideliter credatur. Ipſe igitur hæc ſcripſit, qui hæc ſcribenda dictavit. Si magni cujuſdam viri ſuſceptis Epiſtolis legeremus verba, eaq; quo calamo eſſent ſcripta, quæremus, ridiculum profectò eſſet, ſi non Epiſtolarum autorem ſcire, ſenſumq; cognoſcere, ſed quali calamo earum verba impreſſa fuerant, indagare ſtuderemus.* Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 20. §. *Quòd autem. Gloſſa in can. Sancta Romana diſt. 15. dicit, apocryphos vocari eos libros, quorum autor ignoratur. At hoc non eſt probabile, nam tunc multi libri ſacri eſſent apocryphi, ut liber Judicum, Ruth, Job, &c. & permulti alii, quorum autores ignorantur, quod tamen abhorret ab uſu loquendi Eccleſiæ. Quis enim unquam audivit librum Canonicum eſſe apocryphum?* Secundò, quia non ab omnibus Eccleſiis vel Dočtoribus, ſed à quibuſdam tantùm de autore iſtorum librorum fuit dubitatum. Duo proinde evidentis differentiæ capita inter apocryphos Vet. Teſtam. & hoſce libros, quos quidam Nov. Teſtam. apocryphos vocant, animadverti poſſunt. De illorum autoritate, ſed de horum autoribus in Eccleſia dubitatum fuit. Illorum autoritas à tota Eccleſia fuit repudiata, ſed de horum autoribus nonnulli in Eccleſia dubitarunt. Tertiò Patres qui apocryphos V. T. agnoſcunt, nullum N. T. librum à Canone excludunt. Concil. Laodicen. can. 59. Origenes apud Euſeb. lib. 6. c. 25. Athanaſius in Synopſi, Hieronymus in Epiſt. ad Paulinam &c. 3. Docendi igitur causâ diſtingui poteſt *inter Canonicos N. T libros primi & ſecundi ordinis.* Canonici libri *primi ordinis* ſunt, de quorum vel autoribus vel autoritate nunquam fuit in Eccleſia dubitatum, ſed conſentiente omnium ſuffragio pro Canonicis & divinis ſemper fuerunt habiti. Tales ſunt, Evangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, Acta Apoſtolorum, Epiſtola Pauli ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas una, ad Epheſios una, ad Philippenſes una, ad Coloſſenſes una, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum una, ad Philemonem una, prior Petri, prima Johannis. Canonici libri *ſecundi ordinis* ſunt, de quorum autoribus à quibuſdam in Eccleſia aliquando fuit dubitatum. Tales ſunt, Epiſtola ad Hebræos, Jacobi, Judæ, poſterior Petri, ſecunda & tertia Johannis, Apocalypſis. Collationis gratia huc referri poteſt, quod Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 3. tres conſtituit librorum N. T. claſſes: 1. quidam ſunt γνήσιοι καὶ ἀναμφίλεκτοι ἐνδιάθηκοι. Illos nos vocamus *Canonicos primi ordinis.* 2. quidam ſunt ἀντιλεγόμενοι ὑπὸ τινῶν, illos vocamus *Canonicos ſecundi ordinis.* 3. quidam ſunt ἀντιλεγόμενοι ὑπὸ πάντων, illos vocamus *Apocryphos.* Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. *Tenebit Catechumenus hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus recipiuntur Eccleſiis, præponat eis, quas quidam non accipiunt.*

243. Ad Canonicos N. T. libros *primi ordinis* pertinent: 1. *Evangelium Matthæi*, De eo non fuit unquam in Eccleſia dubitatum. Tertull. libr. de carne Chriſti p. 37. Matthæum vocat *fideliſſimum Evangelii Commentatorem.* Chryſoſt. in præfat. oper. imperf. de eo aſſerit, *quod non ſermone, ſed etiam vita ſua correctione peccatoribus Evangelium prædicaverit.* Quâ occaſione Evangelicam Hiſtoriam ſcripſerit, exponunt Euſeb. libr. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 24. & ex eo Nicephorus lib. 2. cap. 45. *Matthæus cum primùm Hebræis prædicaſſet, & jam ad alios tranſiturus eſſet, Evangelium ſuum literis tradidit, & quod ſubtractâ ſuâ præſentiâ deſiderare poſſent illi, à quibus diſcedebat, per literas adimplev*it. Scripſit autē Evangelium ſuum anno poſt Chriſti aſcenſionem ** octavo ut vult Euſebius, vel ** decimo quinto, juxta ſupputationem Nicephori lib. 2. c. 45. vel anno 21. juxta Irenæum libr. 3. c. 1. Hebraico ſermone ipſum ſcripſiſſe, teſtatur Irenæus d. l. Athanaſ. in Synopſi p. 141. Euſeb. lib. 3. c. 24. Nazianz. in carmin. Hieron. præfat. in quatuor Evang. ad Damaſ. & in c. 11. Oſeæ, Auguſt.

Canonici libri N. T. primi ordinis: 1. Evangelium Matthæi.

lib. 1.

lib. 1. de conſenſ. Evang. cap. 2. Nicephor. lib. 4. cap. 32. quos ſequitur Baronius in annal. ann. 34. n. 165. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 7. Verſionem ejus quidam tribuunt Johanni Evangeliſtæ, quidam Jacobo Apoſtolo, quidam Lucæ & Paulo, quidam Marco, Atqui. 1. Antiqui Scriptores illud ajunt ſolum non probant, Chryſoſt. in Matth. non audet aſſeveranter pronunciare, *Dicitur*, inquit, & addit, *malim extare quam conſtare*. Nemo etiam teſtatur, ſe vidiſſe ullum Hebraicì illius voluminis veſtigium, ſiquidem illud quod Nazaræorum vocant non Hebraicè, ſed Chaldaicè formulis duntaxat Hebraicis ſcriptum erat, Hieronymo teſte, & inter Apocrypha recenſetur, ſoli enim Nazareni & Ebionæi illud ſibi vendicabant, teſte Epiphanio & Hieronymo, Catholici Græcum amplectebantur. Quod Münſterus edidit. non eſt ipſius Matthæi, ejus enim autor quiſquis fuerit, ne quidem Hebraicè doctus fuit. 2. Iidem autores, qui Matthæum Hebraicè ſcripſiſſe referunt, Evangelium illud ipſis Apoſtolorum temporibus Græcè editum & tanquam authenticum Eccleſiæ commendatum fatentur. Iren. libr. 3. cap. 39. Hieronym. in catal. illuſtr. Euſebius libr. 3. cap. 34. & 39. libr. 5. cap. 10. verſionem illius tribuunt *Marco*. Athanaſius in Synopſi, *Iacobum Apoſtolum* ex Hebræo, in Græcum illud vertiſſe aſſerit. Theophylactus tribuit id *Iohanni*. Anaſtaſius in Geneſ. ſerm. 8. *Lucam & Paulum* illius verſionis autores conſtituit. 3. Reliqui Apoſtoli primùm ſcripſerunt linguâ Græcâ, non ſolùm promiſcuè omnibus Judæis & gentibus, ſed etiam peculiariter Judæis. Cur igitur de Matthæo diverſum ſtatuere velimus? vocatio ipſius ad Apoſtolatum requirebatut linguâ notiſſimâ ſcriberet. 4. Hieronym. in catal. in Matth. exiſtimat, Matthæum ſcripſiſſe *linguâ Hebraicâ purâ*, ſed Widmanſtadius, Guido, Fabricius & Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 4. *Syriacè* eum ſcripſiſſe arbitrantur. 5 Matthæi ſtylus cum ſtylo Marci planè conſentit non admodùm diſſentiens à dictione Johannis. 6. Matthæus nomen Hebraicum *Immanuel* interpretatur Græcè cap. 1. v. 23. Ergò non ſcripſit Evangelium Hebraicè. Cur enim Hebraicè ſcribens intelligentibus Hebræa interpretaretur? 7. Quicquid ſit, Græca Matthæi editio eſt authentica, quippe quæ Apoſtolis adhuc viventibus prodiit, & ab ipſis Apoſtolis eſt approbata, quod & veteres confirmant, Probari ergo non poteſt, quod Baronius loco proximè citato ſcribit: *Dico, quod Græcus textus, cujus fidei ſit niſi collato cum Hebræo originali affirmare minimè poſſumus*, de quo pronunciato quid ſtatuendum ſit, accuratè docet Caſaubonus exerc. 15. cap. 12. p. 388. Conſtat autem Evangelica Matthæi Hiſtoria capitibus 28. in quibus *Chriſti perſona & officium Propheticum, Sacerdotale & Regium* deſcribuntur. ** Dividitur aliàs à vetuſtioribus Latinis ſecundùm Hilarij partitionem in canones 33. & ſecundùm Chriſtiani Druthmari ſectionem in canones 67. apud recentiores verò Latinos in octo capita. Apud Græcos juxta Euthymium vel Oecumenium in cap. 68. juxta Suidam verò in titulos 68. capita autem 355. Ammonius ſimiliter & Euſebius in capita 355. **

2. Evangelium Marci. 244. 2. *Evangelium Marci*. Iren. lib. 3. c. 1. p. 183. Marcum vocat *Interpretem & ſectatorem Petri*. Niceph. lib. 2. c. 45. de eo ſcribit, *quod Petrus ipſi Evangelium dictaverit, atque ut in Eccleſiis deinceps legeretur, ſanciverit*. Epiphan. hæreſ. 51. p. 192. quod *Marcus à Petro juſſus fuerit Evangelium Romæ edere*, quæ etiam ex Clemente Alexandrino referuntur ab Euſebio libr. 6. Hiſt. cap. 11. Hieron. in catal. illuſtr. *Marcus diſcipulus & interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audiverat, rogatus Romæ à fratribus breve ſcripſit Evangelium, quod cùm Petrus audiviſſet, probavit & Eccleſiæ legendum ſuâ autoritate edidit*. Confer Euſeb. lib. 1. Hiſt. c. 15. & Niceph. lib. 2. c. 15. Alii de ipſo referunt, quòd fuerit Petri ex ſorore nepos, unus ex LXX. diſcipulis Chriſti, ac docuerit Evangelium in urbe Ægypti Alexandria. Baronius tom. 1. annal. ann. 45. ſtatuit: *Marcum non Græcè, ſed Latinè Evangelium ſuum ſcripſiſſe, ac primogenium exemplar aſſervari Venetiis inter κειμήλια S. Marci*. Baronio ſuffragatur ex parte Kirſtenius in præfat. Gramm. Arab. p. 36. Atqui 1. non probat hoc idoneo aliquo teſte vetuſtiore. Damaſus, quem citat, multa habet fabuloſa. 2. eædem rationes quæ probant, Matthæum non ſcripſiſſe Evangelium ſuum Hebraicè, demonſtrant Marcum non ſcripſiſſe Latinè. 3. Exemplar, quod Venetiis aſſervatur, eſt fidei non ſatis probatæ. 4. Bellarminus ingenuè fatetur libr. ſecund. de verbo Dei cap. ſeptim. & 15. *Græcam Nov. Teſtam. editionem univerſam Apoſtolos & Evangeliſtas autores habere*. Teneamus ergò certùm relinquamus incertum, h. e. Græcum Matthæi & Marci textum ut authenticum recipiamus. Ultimum caput Marci tempore Hieronymi non fuiſſe ab omnibus receptum ut Canonicum, colligitur ex Epiſt. ad Hedibiam 150. q. 3. ubi dicit, *penè omnes Græciæ libros hoc capitulum in fine non habere*. Cauſa dubitationis videtur fuiſſe duplex: 1. quod videretur deſcriptioni reſurrectionis Dominicæ apud Evangeliſtas reliquos repugnare: Sed in Harmonia Evangelica de reſurrect. oſtendimus contrarium. 2. quod referente Hieronymo Dial. 2. adv. Pelag. Periodi quædam apocryphæ illi ſint inſertæ ab hæreticis, quæ Manichæiſmum redolebant: *Et illi ſatisfaciebant dicentes, ſeculum iſtud iniquitatis & incredulitatis ſubſtantia eſt, quæ non ſinit per immundos Spiritus veram Dei apprehendi virtutem, idcirco jam nunc revela juſtitiam tuam*. Attollantur apocrypha & aſcititia ſervatis reliquis Canonicis partibus. Irenæus lib. 3. cap. 11. Athanaſius in Synopſi, Auguſtinus lib. 3. de conſ. Evang. cap. 24. Beda in commentar. & alij ex veteribus hoc caput genuinum eſſe agnoſcunt. Conſtat Evangelica Marci Hiſtoria capitibus 16. in quibus itidem triplex, *Chriſti officium, Propheticum, Sacerdotale & Regium explicatur*. 3. Evangelium Lucæ.

245. 3. *Evangelium Lucæ*. Irenæus lib. 3. cap. 14. p. 198. *Lucas inſeparabilis fuit à Paulo, cooperarius ejus in Evangelio*, cap. 11. p. 181. *Lucas ſectator & diſcipulus Apoſtolorum*. Tertull. lib. 4. adv. Marcion. p. 224. itidem eum vocat *Pauli ſectatorem*, ex quo haud immeritò creditur, quod juſſu Apoſtoli Pauli Evangelicam ſuam Hiſtoriam conſcripſerit, unde quidam exiſtimant, Paulum eam vocare *ſuum Evangelium* Roman. 2. v. 16. 2. Tim. 2. v. 8. Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 21. teſtatur, *Evangelium Lucæ non minùs quàm Matthæi & Marci à Iohanne fuiſſe approbatum*. Mentio fit hujus Lucæ Coloſſ. 4. v. 14. 2. Tim. 4. v. 11. Philemon verſ. 24. cumprimis juxta quorundam ſenten-

ſententiam 2. Cor. 8. v. 18. *Miſimus cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*, ex quo colligitur, Evangelium Lucæ jamtum in Eccleſiam notum probatumve fuiſſe, cùm ſub Claudio Paulus ex Macedonia tenderet Hieroſolymam. Irenæus lib. 3. cap. 14. p. 198. commemorat omnia, quæ præ reliquis Evangeliſtis Lucas annotavit. Fuit patriâ Antiochenus, profeſſione Medicus, teſte Euſebio libr. 3. Hiſt. cap. 4. & Hieronymo in catalog. ſcript. quod congruit cum Coloſſ. 4. v. 14. Si Nicephoro lib. 6. Hiſt. cap. 6. fidem habemus, cum Medicinæ peritia pingendi artificium conjunxit. Hieronymus in cap. 6. Eſa. tribuit ei hoc elogium, *quod Græca lingua fuerit peritiſſimus*, id quod ipſe ſermonis character, quo Evangelicam Hiſtoriam conſcripſit, luculentè teſtatur, purum *Helleniſmum eum diligentiùs obſervaſſe quam cæteros Evangeliſtas, notum eſt eruditis*, ait Caſaub. exerc. 2. cap. 1. p. 161. Epiphanius 72. diſcipulis eum annumerat, de quo meritò dubitari poteſt, cùm in Evangelica Hiſtoria cap. 1. v. 2. ea à ſe ſcribi dicat, quæ tradita ſibi ſint ab aliis, non quibus ipſe interfuerit. Annum ætatis attigit 84. teſte Hieronymo in catalog. quo tandem mortem obiit in Bithynia, referente eodem in Act. Quidam tradunt eum in Græcia de olea ſuſpenſum vitam Martyrio finiiſſe. Quæ cauſa ipſum ad ſcribendam Hiſtoriam Evangelicam impulerit, ipſemet in præfatione manifeſtum facit. Euſebius lib. 3. Hiſtor cap. 21. indicat: *Lucam ea quæ Chriſtus cœpit facere & docere eoque ad captivitatem Iohannis Baptiſtæ & ea fermè duntaxat deſcribere, quæ tertio anno miniſterii Chriſti acciderunt, unde Iohannes poſtea in ſuo Evangelio illa ſupplere coactus fuit*, Ambroſius in cap. 2. Lucæ de eo ſcribit: *Lucas ſe ſatis divitem fore credidit, ſi præſepe & cunas Domini ſibi ex omnibus vendicaret*. Ex cap. 22. Luc. olim in dubium revocata fuit Hiſtoria *de ſudore Chriſti ſanguineo & conſolatione Angelica*, teſte Hilario lib. 10. de Trinit. & Hieronymo libr. 2. contra Pelag. procul dubio, quia cum divinitate Filii ea videbantur pugnare, ſicut etiam quidam Catholici præpoſtero zelo è ſuis Codd. verbum *flevit* ex cap. 19. Luc. abraſerunt, referente Epiphanio in Ancorato. Sed hæc non fuit ſufficiens cauſa dubitationis. Diſtinguendum enim inter Naturam Chriſti divinam & humanam; diſtinguendum inter ſtatum exinanitionis & exaltationis; diſtinguendum inter infirmitates, quas Chriſtus ſponte propter nos ſuſcepit, & inter peccatum ac vitioſos affectus, quibus omninò caruit. Auguſtinus lib. 3. de conſ. Evang. cap. 4. probat hunc locum eſſe Evangelicum. Athanaſius libr. 6. ad Theophilum anathema dicit illis, qui negant Chriſtum ſanguinem ſudaſſe. Conſtat Evangelium Lucæ capitibus 24. in quib. tùm prodromi Ioh. Baptiſtæ tùm Chriſti nativitatem, circumciſionem, educationem & officium accuratè deſcribit.

4. Evangelium Iohannis.

246. 4. *Evangelium Iohannis*. Huic tota antiquitas præclarum dedit teſtimonium. Baſilius in homil. ſup. princ. Johann. *Omnis Evangeliorum vox reliquis omnibus ſancti Spiritus præceptis eminentior eſſe dignoſcitur, quod in aliis per Prophetas ſervos, in Evangeliis autem per ſe Dominus nos eſt allocutus. In ipſius autem Evangelii laudibus & ſermonis magnitudine & ſententiarum gravitate Iohannes filius tonitrui primas obtinet*. Chryſoſt. in prolog. comment. ſuper Johann. *Omni cytharœdo Iohannes, omniq; Muſicâ ſuavius utiliusq; præcinit. Eſt ei proſcenium univerſum cœlum, theatrum orbis terræ, ſpectatores Angeli & quicunq; homines Angeli ſunt aut fieri deſiderant*. Ambroſius lib. [illegible] de Sacram. cap. 2. *Iohannes verò præ cæteris vidit magna myſteria &c. Omnes quidem ſancti Evangeliſtæ, omnes Apoſtoli præter proditorem, omnes ſancti, tamen ſanctus Iohannes, qui ultimus ſcripſit Evangelium quaſi neceſſarius requiſitus & electus à Chriſto majore quadam tuba fudit myſteria, quicquid locutus eſt, myſterium eſt*. Cyrill. in prolog. Joban. *Eſt quidem dogmatum expoſitio æqualiter omnibus propoſita & ad eundem calcem curriculo quaſi diligenter omnes feruntur, verùm enimverò diverſa eis oratio ut quamvis in unam urbem pervenerint, in magnificentiores tamen ædes alius alio ingreſſus mihi videtur*. Hieronym. in proœm. comment. in Matth. *Ioannes Apoſtolus & Evangeliſta, quem Ieſus amavit plurimum, ſuper pectus Domini recumbens puriſſima doctrinarum fluenta potavit, ſolusq; de cruce meruit audire, Ecce mater tua*. lib. 1. adverſ. Jovin. *Apoſtolum, Evangeliſtam & Prophetam eum vocat*, Auguſtin. Epiſt 168. *præcipuum divinorum ſecretorum interpretem eum appellat*. lib. 10. de civ. Dei cap. 29. *Initium ſancti Evangelii, cui nomen eſt ſecundùm Iohannem, quidam Platonicus, ſicut à ſancto ſene Simpliciano, qui poſtea Mediolanenſi Eccleſiæ præſedit Epiſcopus, ſolebamus audire, aureis literis conſcribendum & per omnes Eccleſ. in locis eminentiſſimis proponendum eſſe dicebat*. tract. 36. in Joh. *Cæteri Evangeliſtæ tanquam cum Domino homine in terra ambulant, de divinitate ejus pauca dixerunt, Iohannem autem quaſi piguerit in terra ambulare, erexit ſe non ſolùm ſuper terram & omnem ambitum aëris & cœli, ſed ſuper omnem etiam exercitum Angelorum & pervenit ad eum, per quem facta ſunt omnia, dicens: In principio erat Verbum*. tract. 2. in Epiſt. Johan. *Lac noſtrum Chriſtus humilis eſt, cibus noſter idem Chriſtus æqualis Patri. Reliqui Evangeliſtæ lac nobis præbuerunt, Iohannes præbet cibum ſolidum*. Petrus Damianus ſerm. 1. de excell. Joh. Evang. *Beatus Iohannes alternato ſuæ narrationis ordine modò divinitatem Chriſti ſublimiter intonat, modò quæ humanitatis ſunt, planè quodammodo & humiliter aſſeverat. In principio, inquit, erat Verbum. Ecce aquila Domini ad cœli verticem ſublimiter evolat, ſed ad eſcam carnis neceſſe eſt, ut preſſis alis aliquando in imum ſubmiſſa deſcendat, unde & paulò poſt quid ſubdat, audite Verbum, inquit, caro factum eſt*. Ibidem. *Tunc ſupereminentem divinæ ſcientiæ celſitudinem divinitùs illuſtratâ mente concepit, cùm in ſacroſanct. myſtica Cœna convivio ſupra pectus recubuit Redemtoris*.

247. Cauſas Evangelicæ Hiſtoriæ contexendæ duas potiſſimùm Johanni extitiſſe Eccleſiaſtici tradunt ſcriptores. 1. ut Ebionis & Cerinthi divinitatem Chriſti oppugnantium blaſphemias refelleret, quocirca tanquam aquila ſe attollens à divinitatis Chriſti aſſeveratione & deſcriptione orditur. Iren. lib. 3. cap. 11. p. 184. *Iohannes Domini diſcipulus volens per Evangelii annunciationem auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat hominibus errorem & multò priùs ab his qui dicuntur Nicolaitæ &c. ut confunderet eos & ſuaderet eos, quoniam unus Deus, qui fecit omnia per verbum ſuum &c. & regulam veritatis conſtitueret in Ec-*

cleſia, ſic inchoavit Evangelium. Hieronymus in procem. comment. in Matth. *Johannes cùm eſſet in Aſia & jam tunc hæreticorum ſemina pullularent, Cerinthi, Ebionis & cæterorum, qui negant Chriſtum in carne veniſſe, quos & ipſe in Epiſtola ſua Antichriſtos vocat, & Apoſtolus Paulus frequenter percutit, coactus eſt ab omnibus penè tunc Aſiæ Epiſcopis & multarum Eccleſiarum legationibus de divinitate Salvatoris altiùs ſcribere, & ad ipſum, ut ita dicam, Dei Verbum non tàm audaci quàm felici temeritate prorumpere, unde & Eccleſiaſtica narrat Hiſtoria, cùm à fratribus cogeretur, ut ſcriberet ita, facturum ſe reſpondiſſe, ſi indicto jejunio in commune omnes Deum deprecarentur, quo expleto revelatione ſaturatus illud proœmiũ è cœlo veniens eructavit, In principio erat Verbum.* Congruit hoc cum clauſula Evangelicæ Hiſtoriæ ſubjecta. cap. 20. v. 31. 2. quod reliquorum trium Evangeliſtarum volumina legens probaverit quidem ab ipſis relata, ſed unius tantum anni, quo & paſſus eſt Chriſtus, poſt Johannis carcerem geſta ipſos commemoraſſe affirmarit. Euſebius libr. 6. Hiſtor. cap. 13. ex Clement. Alexandr. *Johannem poſtremum, cùm in reliquis Evangeliſtis corporalia Chriſti geſta declarata eſſe ſciret, rogatum ab amicis & Spiritu ductum ſpirituale adoraſſe Evangelium.* Nazianzenus de ipſo ſic canit.

> Παῦρα δ' Ἰωάννου δήεις ἱερῇ ἐνὶ βίβλῳ
> Θαύματα, δὴ πολλοὺς δὲ λόγους Χριστοῖο ἄνακτος.
> *Pauca Johannis invenies ſacro in libro*
> *Miracula, multos verò ſermones Chriſti Regis.*

Conſtat Evangelium Johannis Capitibus 21. in quibus deſcribitur Chriſti perſona conſtans divinâ & humanâ Naturâ; & res geſtæ, ſecundùm quatuor profectiones Hieroſolymam à Chriſto ſuſceptas.

248. *Valentiniani* nullum Evangelium admittebant niſi Johannis, referente Irenæo libr. 3. cap. 11. in hujus poſterioris erroris ſocietatem Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 6. hæreſ. 14. Feuardentius in notis ad lib. 3. cap. 2. Irenæi. Sandæus in themate ſeculari de deſerenda Synagog. proteſt. theſ. 22. B. noſtrum Lutherum rapere conantur, propterea quod præfat. in Nov. Teſtam. *abolendam eſſe dicat falſam illam opinionem, quod ſint tantum quatuor Evangelia*, Item, *Johannis Evangelium eſſe unicum pulchrum, verum ac principale Evangelium, aliisque tribus longè ac latè præferendum.* Reſp. 1. Lutherus in illa præfat. diſertis verbis non unam tantùm conſtituit narrationem Hiſtoricam de doctrina & rebus geſtis Chriſti, ſed hoc tantùm innuere voluit, omnes illas quatuor narrationes Hiſtoricas Evangeliſtarum eſſe unum idemque Evangelium ratione argumenti & finis. Nam ut Chryſoſtomus ſcribit in cap. 1. Galat. *Si vel mille homines ſcribant Evangelia, ſi tamen eadem ſcribant; unum multa ſunt.* Jam diverſiſſima ſunt hæc duo: Unus eſt Evangeliſta & unum tantum eſt Evangelium. 2. Non eo ſenſu præfert Johannis Evangelium, quaſi cæterorum Evangeliſtarum Hiſtoriæ non ſint divinitùs inſpiratæ, ſed factâ collatione articulorum in iis tractatorum Johannis Evangelio propter illuſtratum argumentum æternæ Deitatis Chriſti & myſterium incarnationis palmam tribuit, Ergo ratione Canonicæ autoritatis æqualia ſunt omnium quatuor Evangeliſtarum ſcripta, ſed ratione capitum doctrinæ Chriſtianæ, quæ in illis tractantur, unum alteri præſtat. Sic Epiſtola ad Romanos antecellit Epiſtolam ad Philemonem; Pſalterium, librum Ruth. 3. Patres §. 246. citati ἐξοχὴν quandam Johanni & Evangelio ipſius tribuunt, quibus tamen hoc nomine nemo dicam hactenus ſcripſit.

249. Quamvis verò de tota Hiſtoria Evangelica à Johanne ſcripta non fuerit ab orthodoxis dubitatum; tamen pericope illa *de adultera* Johan. 8. apud quoſdam fuit dubiæ fidei. Euſebius libr. 3. Hiſtor. cap. 39. *Hiſtoriam quandam ſubjungit* (Papius) *de muliere adulterata, quæ accuſata eſt à Judæis apud Dominum. Habetur autem in Evangelio, quod dicitur ſecundùm Hebræos ſcripta iſta parabola.* Chryſoſtomus homil. 51. in Johan. eam prætermittit. Idem facit Theophylact. Eadem non extat in paraphraſi Syriaca. Nonnus itidem eam οὐ παραφράζει. Hieronymus Dial. 2. adv. Pelag. eam allegans, fatetur *hanc Hiſtoriam non haberi in omnibus Codicibus.* Sed vetuſtiſſimi ac graviſſimi ſcriptores ex veteribus, Græci pariter ac Latini eam pro genuina Canonicæ Scripturæ parte agnoſcunt, utpotè Ammonius in Monoteſſaro, Athanaſius in Synopſi, Ambroſius lib. 7. Epiſt. 58. Auguſtin. tract. 33. in Johan. Idem lib. 2. de adulter. conjug. ad Pollent. arbitratur, *Hiſtoriam fuiſſe Johannis, ſed curatum à crudelibus maritis, ut expungeretur, quò uxores adulteræ occiderentur.* Robertus Stephanus in duob. Græcis exemplaribus iiſque antiquioribus hanc Hiſtoriam reperit. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 16. §. *initium &c.* ſcribit, *Chryſoſtomum* homil. 60. *in Johan. hanc Hiſtoriam agnoſcere.* Sed nihil tale apud Chryſoſtomum ibidem occurrit. Confer diſput. 1. ex dicto 1. Johan. 5. Caput 21. Johannis quidam exiſtimant non ab ipſo Johanne ſcriptum, ſed ab alio quodam Evangelicæ Hiſtoriæ adjectum, cùm ſub finem capitis præcedentis Johannes ſubjecerit clauſulam generalem ſuæ Hiſtoriæ. Sed oſtendimus in Harmon. de reſurrectione præter rationem caput illud ultimum à reliquo Hiſtoriæ corpore avelli, cùm verſ. 24. illius capitis diſertè addatur: *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his & ſcripſit hæc.* Ibidem etiam oſtendimus, clauſulam illam capitis 20. non eſſe generalem, quæ ſpectet totam Evangelicam Hiſtoriam, ſed ſpecialem, quæ primò & propriè ad Hiſtoriam manifeſtationis coram diſcipulis poſt reſurrectionem factæ pertineat.

250. Atque hæc ſunt quatuor Evangelia in Canonem communi primitivæ Eccleſiæ ſuffragio recepta, reliquis omnibus, quæ magno numero cõficta recenſet Gelaſius c. *Sancta Romana*, diſt. 15. ex eo rejectis. Pii veteres hunc quaternarium Evangeliſtarum numerum variis V. Teſt. typis ac figuris demonſtrare conantur. Irenæus libr. 3. adv. hæreſ. cap. 11. p 186. *Neque plura numero quàm hæc ſunt, neque rurſus pauciora capit eſſe Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi ſunt, in quo ſumus & quatuor principales Spiritus, & diſſeminata eſt Eccleſia ſuper omnem terram, columna autem & firmamentum Eccleſia eſt Evangelium & Spiritus vitæ, conſequens eſt quatuor habere eam columnas undique flantes incorruptibilitatem & vivificantes homines &c.* Ibidem ad quatuor

tuor Evangeliſtas accommodat *imagines quatuor animalium in viſione Ezechielis Prophetæ* oblatas, hominis, vituli, leonis & aquilæ, Ezech. 1. v. 5. Apoc. 4. v. 6. quod etiam faciunt Hieronymus in Epiſt. ad Paulin. Auguſtin. lib. 1. de conſ. Evangel. cap. 7. ubi dicit: *Evangeliſtæ ſunt ſancta quadriga, quibus vectus Dominus ſubegit populos.* Vide Schramum in libello, An Evangelium Matthæi ſit Matthæi cap. 4. p. 33. Origenes confert quatuor Evangeliſtas *quatuor fluminibus* terram *Paradiſiacam* irrigantibus, unde Eccleſia de Christo & quatuor Evangeliſtis ſic canit: *Paradiſus his rigatus, viret, floret, fœcundatur, his abundat, his lætatur quatuor fluminibus. Fons eſt Chriſtus, hi ſunt rivi, Fons eſt altus, hi proclivi. Ut ſaporem fontis vivi, Miniſtrent fidelibus, Horum rivo ebriatis, Sitis creſcit caritatis, Ut de fonte Deitatis, Satiemur plenius. Horum trahat nos doctrina, vitiorum de ſentina, Sicque ducat ad divina, Ab imo ſuperius.* Lyranus in fine procem. in Marcum ex veteribus tredecim affert comparationes. Dicit enim adumbrata fuiſſe quatuor Evangelia, 1. per *quatuor flumina* de Paradiſo exeuntia Gen. 2. v. 10. 2. per *quatuor Patriarchas* principales, à quibus denominata fuit Ciriatharbe, qui ibi cum uxorib. fuêre ſepulti Gen. 49. v. 31. 3. per *quatuor circulos ſive annulos arcæ fœderis*, quibus ipſa arca tabularum divinæ legis cuſtos fuit circumportata Exod. 25. v. 26. 4. per *quatuor pedes menſæ propoſitionis* v. 30. 5. per *quatuor cornua altaris holocauſtorum* Exod. 27. v. 2. 6. per *quatuor ordines lapidum in rationali* Exod. 28. v. 17. 7. per *quatuor deambulatoria domus Salomonis* 1. Reg. 7. v. 2. 8. per *quatuor ventos mortuos viviſicantes* Ezech. 37. v. 9. 9. per *quatuor minima terræ præ cæteris tamen ſapientia* Prov. 30. v. 24. 10. per *quatuor viros Deum in fornace laudantes.* Dan. 3. v. 92. 11. per *quatuor fabros* cornua hæreſium dejicientes Zach. 1. v. 20. 12. per *quatuor quadrigas* per orbem diſcurrentes Zach. 6. v. 1. 13. per *quatuor animalia* oculata antè & retrò Apoc. 4. v. 6. quorum omnium accommodationem latè exponit. Alii conferunt hunc numerum cum *quatuor columnis* de lignis Sittim deauratis, à quibus pendebat velum Exod. 26. v. 32. cum *quatuor extremitatibus* in ſcala Jacobi Gen. 28. v. 12. cum *quatuor circulis aureis*, qui in quatuor angulis menſæ propoſitionis ponebantur Exod. 25. v. 26. cum *quatuor ſcyphis*, qui erant in haſtili candelabri. v. 34. *cum quatuor initiis* lintei è cœlo dimiſſi & à Petro conſpecti Actor. 10. v. 11. Confer Tertullian. lib. 14. adv. Marcion. Ambroſ. præfat. comment. in Lucam libr. 10. cap. 101. Eucherium lib. 1. in Gen. cap. 14. Hieronym. in præfat. comment. in Matth. Gregorium homil. 4. in Ezechiel 16.

251. Neque quicquam derogat Canonicæ quatuor Evangeliſtarum autoritati apparens Hiſtoricæ relationis contrarietas, eam enim Auguſtin. in libris 4. de conſenſu Evangeliſtarum & reliqui Evangelicæ Harmoniæ interpretes perſpicuè expoſuerunt. Pulcrè hac de re Chryſoſtom. in comment. ſup. Matth. ſtatim in principio ſic diſſerit: *Si ex toto inquit omnibus conſonarent & cum nimia diligentia atque cura & ad tempora ac loca omnia uſque ad ſingula æqualiter verbis concurrerent, nemo inimicus credidiſſet unquam, quin illi communi ad decipiendum conſilio congregati, quaſi ex humana quadam conſpiratione Evangelium condidiſſent, nunc verò quæ videtur in rebus exiguis diſſonantia, ab omni illos ſuſpicione tuetur, ſatisq; claré ſcribentium exiſtimationem defendit.* Memorabile cumprimis eſt, quod Euſeb. libr. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 21. circa med. refert: *Johannem trium Evangeliſtarum ſcripta, cum ad ipſum perveniſſent, probaſſe quidem & veritatis illis teſtimonium dediſſe, ſolam tamen in horum ſcriptis deſideraſſe narrationem eorum, quæ initio prædicationis geſta ſunt à Chriſto. Et verum eſt* inquit Euſebius, *quod dicitur. Cernere licet hos tres Evangeliſtas ea duntaxat Servatoris noſtri facta conſcripſiſſe, quæ poſt incluſionem & captivitatem Johannis uno anno ſunt geſta, id quod etiam exordiis Hiſtoriæ ſuæ oſtendunt &c. Dicunt itaque Johannem Apoſtolum horum gratiâ rogatum tempus illud à prioribus Evangeliſtis ſilentio præteritum, & quæ in illo geſta ſunt à Servatore, incluſionem videlic. Baptiſtæ præcedentia Evangelio ſuo tradidiſſe.* Hæc ſcienti (concludit Euſebius) *non videbantur ampliùs diſcrepare inter ſe Evangelia, propterea quod Johannis Evangelium priora Chriſti acta, reliqua verò Hiſtoriam poſterioris temporis ad finem uſque continent.* Sed nec hoc quidquam Canonicæ eorum autoritati derogat, quod Marcus & Lucas non ſint in numero Apoſtolorum. Quamvis enim non fuerint Apoſtoli, tamen fuerunt *viri Apoſtolici*, & quamvis Evangelia eorum non habuerint Apoſtolos autores, tamen habuerunt *Apoſtolos approbatores.*

252. Sejungimus igitur nos fide cordis & confeſſione oris ab omnibus, qui quoquo modo directè vel obliquè quatuor Evangeliſtarum autoritatem in dubium vocarunt. 1. Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum lib 32. contra Fauſtum cap. 2. & lib. 33. contra eundem cap. 3. arbitrabatur, *neque ab Apoſtolis, neque ab aliis Domini diſcipulis ſcripta eſſe Evangelia, ſed à quibusdam impoſtoribus, qui multa falſa commiſcuerint, & tamen hæc ſua commenta pro ſcriptis Apoſtolicis venditaverint.* 2. Merinthi ſive Cerinthi ſectatores ſolo Evangelio Matthæi utebantur, quod vocabant *Evangelium ſecundùm Hebræos.* Epiphan. hæreſ. 30. quam hæreſin Ebioni etiam tribuit Iren. lib. 1. cap. 26. p. 81. Cerinthum ſolius Marci Evangelium recepiſſe, reliqua verò improbaſſe refert Irenæus lib. 3. cap. 11. p. 186. Marcion ſolum Lucam amplectebatur, eumque non niſi mutilum & corruptum. Tertull. de præſcript. & libr. 4. adv. Marcion. Quidam tres Evangeliſtas, Matthæum, Marcum & Lucam recipiebant, Johannem autem tanquam illis contrarium repudiabant. Philaſtr. cap. 60. Epiphanius hæreſ. 51. & Auguſtinus hæreſ. 30. illos vocant Alogus ſeu Alogianos, propterea quod Λόγον, quem Johannes in principio Evangelii prædicat, pro Deo agnoſcere noluerunt, quorum veſtigiis inſiſtunt quidam ex Photinianis. Refert enim Petrus Carolinus Pannonius Eccleſiæ Varadienſis Paſtor in explicat. doctr. de uno vero Deo, Patre, Filio & Spiritu Sancto p. 16. *Primum Johannis Evangeliſtæ caput* in univerſum à quibusdam Photinianis repudiari. Contrà Valentinus nullum Evangeliſtam agnoſcebat præter Johannem, ut ex Irenæo ſuperiùs §. 248. monuimus. At ſancta illa Evangeliſtarum quadriga non eſt invicem ſeparanda. 3. Quidam concedunt, Evangelia à ſanctis Dei hominibus ſcripta, interim tamen ea plurimis in locis vel ipſa ſecum vel cum veritate pugnare contendunt, propterea quod Apoſtoli partim ut homines interdum er-

raverint, partim ſtudioaè Magiſtri ſui gloriam confictis narrationibus ornai e oon dubitaverint, ita olim blaſphemarunt Æthnici referente Auguſtino lib.2.retract. cap.16. Julianus Apoſtata teſte Cyrillo libr.10.in Julian. Mahumeteaeteſte Damaſceno lib.de centum hæreſibus ſub fin. ubi ex Alcorano allegat hunc locum: *Chriſtum cùm in cœlum perveniſſet, a Deo interrogatum fuiſſe; an Dei Filium ſe eſſe dixiſſet, eumq; fecit hoc modo reſpondentem : in me Domine ſis placato animo. Sce[illegible]rationem meam hanc non fuiſſe, neq; tuam non fa[illegible]dere ſervitutem. Homines ſunt iſti, qui contra le[illegible] hoc dixiſſe arguerunt, falſoq; me circumvener[illegible]unç & vehementer errarunt.* Superiore ſecu[illegible] docuiſſe Othonem Brunfelſium referunt Cochlæus lib.de Script.& Eccleſiæ autoritate cap.3.& ex eo Bellarminus lib.1.de verbo Dei cap.61. ſed rectiùs errorem illum ſuæ fidei hominibuatribuiſſent. Albertua Piggius libro 1. Hierarch. Eccleſ.cap.2.pag.8.edit. Colon. Anno 72. *Matthæus & Iohannes Evangeliſtæ potuerunt & labi memoriâ & mentiri.* p.72. *Quis vos certos reddidit, quod Apoſtoli ſcribentes nunquam erraverint, nuſquam dormitaverint ut homines, quod ipſi tantum ſe præbuerint organa dictantis ea Spiritus?* Eraſmus in annot.cap.2. & 27. Matth. *Evangeliſtas interdum memoriâ labi potuiſſe aſſerit.* Neophotiniani cumprimis hunc errorem ſibi fecerunt proprium. Socinus libr.de autorit. Script. p.14. *Fieri potuiſſe,* ſcribit, *ut inter Evangeliſtas alius alio veritatem talium rerum melius tenuerit, ac fortaſſe aliquantum aut etiam multùm diverſè alius ab alio ſcripſerit.* p.104. *Fieri poſſe, ut veriſſima ea omnia eſſent, quæ de Evangeliſtis & Apoſtolis Hiſtoria affirmat, & tamen ipſi nonnunquam hac in parte leviter erraſſent.* Cui periculoſo errori opponimua hoc argumentum. Quicunque ſcripſerunt φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου & quorum Scriptura eſt θεόπνευστος, illi in ipſo ſcribendi actu non fuerunt errori alicui obnoxii, aliàs ipſi Spiritui Sancto error iſte tribueretur. Sed Evangeliſtæ non minùs quàm Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου 2.Pet.1.v.21.&eorum Scriptura non minùs quàm Prophetarum & Apoſtolorum eſt θεόπνευστος 2.Tim.3.v.16. Ergo non fuerunt illi in ipſo ſcribendi actu errori obnoxii. Rectè Auguſtinus lib.2.de conſenſ. Evang. cap.12. *Omnem falſitatem ab Evangeliſtis abeſſe decet, non ſolùm eam, quæ mentiendo promitur, ſed etiam eam, quæ obliviſcendo.* Epiſt. 8. ad Hieron. *Admiſſo in tantum autoritatis faſtigium aliquo mendacio, nulla particula horum librorum manebit, quæ non poſſit in dubium vocari.*

5. Acta Apoſtolorũ. 253. 5. *Acta Apoſtolorum.* Chryſoſtomus in comm. annotat, ſuo etiamnum tempore dubitatum fuiſſe, *cujusnam Hiſtoria illa ſit autoris.* Sed rectè monet Eraſmua: *non niſi inindoctos & imperitos* de eo dubitaſſe vel etiam dubitare potuiſſe. Prudentiſſimo namque conſilio ſtatim in prœmio Actorum Lucas Evangelii à ſe conſcripti meminit, ut ſe utriusque ſcripti autorem profiteretur & Evangelii jam à multia cum laude veneratione que recepti memoria Actorum Apoſtolicorum libro eandem fidem & gratiam conciliaret. Unde Hieronymus in præfat. hujus libri ſcribit : *Nullum dubium eſt, hunc librum à Luca Antiocheno arte Medico conſcriptum eſſe.* Idem de vir. illuſtr. *Lucas ſectator Apoſtoli* (Pauli) *& omnis peregrinationis ejus Comes ſcripſit Evangelium &c. aliud quoque edidit volumen egregium quod titulo Actorum Apoſtolicarum prænotatur &c.* Sophronius de Luca: τὸ εὐαγγέλιον καθὼς ἀκήκοεν, ἔγραψε· τὰς δὲ πράξεις τῶν Ἀποστόλων καθ᾽ ἃ ἑωράκει αὐτὸς συνέταξεν. Beda in Acta: *Lucas, quæ per Apoſtolos geſta ſunt, quæ ſufficere credidit ad ædificandam fidem legentium & audientium ita ſcripſit, ut ſolus liber fide dignus habeatur in Eccleſia de Apoſtolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus, qui non eâ fide, quâ oportuit, dicta factaq; Apoſtolorum ſcribere auſi ſunt.* Oecumenii ſcholiia præfixum hoc monoſtichon: τῶν Πράξεων ἡ βίβλος ἐς Λούκαν χέει. Dorotheua Cyri Epiſcopus refert, Lucam *juſſu Pauli* hunc librum ſcripſiſſe, quod confirmat etiam Niceph. lib.2. Hiſt. cap.43. ſed primaria cauſa προηγουμένη eſt ipſe Spiritus ſanctus, qui propter Eccleſiæ utilitatem, ea quæ hoc libro continentur, ad finem uſque mundi ſcripto extare voluit, ideoque ad ſanctum hunc laborem organon ſuũ impulit. Hieronym. de vir illuſtr. Lucam hunc librum *Romæ* ſcripſiſſe commemorat. Tempus ſcriptionia referunt ad annum Chriſti 60. Imperii Neronia 4. converſi Pauli 27. ac quot in eo continentur capita, tot annorum geſta in eodem explicari annotant. Quamvis verò Lucas natione Syrus eſſet, Græco tamen idiomate hanc Hiſtoriam, uti etiam Evangelicam ſcripſit. Epiphanius hæreſi 30. contra Ebionæos refert: *librum hunc olim Hebraicè in Iudæorum gazophylaciis in Tiberiade aſſervatum fuiſſe,* cujua rei fides ſit penea lectorem. Si vel maximè illud detur, certum tamen eſſe debet, fuiſſe eam potiùs tranſlationem quàm originalem ſcriptionem. Hieronym. in cap.6. Eſa. monet : *ſermonem Græcum, quo uſus eſt Lucas, comtiorem eſſe, cui Hebraiſmi quandoq; ſint inſperſi.* Illud legendo quilibet deprehendet, Lucam idiomate eſſe uſum non abſimili illi, quod in verſione Græca V. Teſt. uſurpatur, quam ſtudioſè ipſum evolviſſe, ex eo colligitur. Capitibus conſtat 28. ac diſtribui poteſt in duas partes principalea. In *priori* generalis continetur Hiſtoria eorum, quæ toti Apoſtolorum Collegio fuêre communia. In *poſteriori* quorundam Apoſtolorum in ſpecie, utpote *Petri, Pauli, Philippi* Hiſtoria exponitur; cumprimis verò *Pauli*, cujus individuus comes fuit hujus libri autor. Ejua miraculoſam vocationem, Baptiſmum, conciones, peregrinationes, miracula & perſecutiones luculenter exponit.

254. De Severianis Euſebiua libr. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap.27. de Tatiano & Cerintho idem libr. ejuſd. cap.29. de Cerdone Tertullianua libr. de præſcript. De Manichæia Auguſtinua libr. contra Adimantium & lib. de utilit. cred. cap.3. referunt: quod *in nullo numero librum Actorum Apoſtolicorum habuerint.* Sed tantum abeſt, ut hæretica illa pravitas autoritatem hujua libri elevet, ut potiùs plus ponderia eidem conciliet. Teſte namq; Euſebio libr.3. Hiſtor. c.25. & omnibua veteribua, qui Canonicos N. Teſt. libros recenſent, unanimia Eccleſiæ ſuffragio Canonicia fuit annumeratus. Prœmium libri oſtendit, contineri in eo alteram Hiſtoriæ Evangelicæ partem. *In Evangelica Hiſtoria deſcribitur granum frumenti ſolo conditum, hic verò deſcribitur enatum ac paulatim ſuas proferens opes* : Ut Eraſmua in annot. h.l. loquitur. Fieri ergo nequit, quin excluſo è Canone Actorum Apoſtolicorum libro, ipſum quoque

Lucæ Evangelium ex eodem excludatur. Hiſtoriæ, quæ in hoc libro deſcribitur, veritas in tàm aperta luce poſita fuit, ut ne ipſi quidem Judæi hoſtes ejuſdem acerrimi eam negare auſi fuerint. Deſcribitur etiam in hoc libro complementum vaticiniorum Propheticorum de effuſione Spiritus ſancti in Apoſtolos, de vocatione gentium ad regnum Chriſti, de perſecutionibus Eccleſiæ &c. Stylus per omnia congruit reliquis Canonicis ſcriptis, rerum & verborum majeſtas paſſim emicat, unde præclaris encomiis librum hunc pii veteres exornant. Hieronymus præfat. in Acta & ex eo Beda : *Acta Apoſtolorum nudam quidem videntur ſonare Hiſtoriam & naſcentis Eccleſiæ infantiam texere, ſed ſi noverimus ſcriptorem eorum eſſe Lucam Medicum, cujus laus in Evangelio eſt, animadvertemus, pariter omnia verba illius, animæ languentis eſſe medicinam.* Chryſoſtomus homil. 1. in Act. & ex eo Theophylactus : *Omni curâ ac diligentiâ hunc librum ſcrutemur. Etenim prædictiones, quas Chriſtus in Evangelio ſignificaverat, has reipsâ eveniſſe ac præſtitas eſſe , & in ipſis negotiis veritatem reſplendentem hic poſſumus videre. Adhæc magna diſcipulorum in melius commutatio, quæ à Spiritu eis ingenerabatur, videri ; Præterea certæ ſtabilesq́; ſententiæ hic inveniri poſſunt, quæ niſi hic liber extaret, nemini ita planè notæ eſſent, ſed caput & ſumma noſtræ ſalutis abſcondita jaceret, & nonnulla quæ ad vitam & ad certas ac ſtabiles de fide ſententias pertinent incognita & incerta eſſent.* Memorabile cumprimis eſt, quod Hieronymus libr. de ſcript. Eccleſ. refert, Presbyterum quendam Aſiaticum hoc ſcriptum corrumpere fuiſſe auſum, qui geſtis à Luca proditis periodos Pauli ac Teclę & totam leonis baptizati Hiſtoriam inſeruit, ſed coram Apoſtolo Johanne fraudis convictus, eandemque ingenuè conqueſtus fuit, Epiphanius etiam hæreſ. 30. tradit, *Ebionæos* Apoſtolicis Actibus à Luca ſcriptis plurima non ſolùm falſa, ſed etiam impia ac contumelioſa inſeruiſſe. Sed has maculas purior antiquitas eidem protinus abſterſit.

6. Tredecim Epiſtolæ Paulinæ.

255. 6. Tredecim Epiſtolæ Paulinæ, utpote *ad Romanos*, una, *ad Corinthios* duæ, *ad Galatas* una, *ad Epheſios* una, *ad Philippenſes* una, *ad Coloſſenſes* una, *ad Theſſalonicenſes* duæ, *ad Timotheum* duæ, *ad Titum* una, *ad Philemonem* una. Illas omnes & ſingulas ad Canonicos Nov. Teſt. libros pertinere, conſtat tùm ex κριτηρίοις internis, tum ex unanimi primitivæ Eccleſiæ ſuffragio, quæ in Canonem eas receptas & Apoſtolicas eſſe nunquam dubitavit. Pii veteres Paulum harum Epiſtolarum autorem ſecundarium magnis ornant præconiis. Chryſoſtomus octo homiliis ejus laudes prolixè perſecutus eſt. Cyrillus Alexandrinus libr. 1. in Johan. cap. 9. *Myſteriorum Salvatoris receptaculum.* Hieronymus ad Pammach. *Vas electionis, tubam Evangelii, rugitum Leonis noſtri, tonitru gentium, flumen eloquentiæ Chriſtianæ* ; ac tom. 4. p. 2. *Sacrarum Scripturarum armarium eum appellat.* Euſebius libr. 3. Hiſtor. cap. 24. eum vocat *omnibus Apoſtolis eruditiorem, qui etiam in verbis & ſenſibus ſit præpotens, & in parvo Epiſtolarum corpore immenſa contineat atque innumera Sacramenta, utpote qui etiam ad tertium cœlum raptus, quæ generentur, inſpexit, & doctrinam ſuam cœleſtis ſcholæ diſcipulus in Paradiſo excepit.* Auguſt. lib. 14. de civ. Dei cap. 9. ipſum vocat verum *athletam Chriſti, doctum ab illo, unctum de illo, crucifixum cum illo, glorioſum in illo, quem in theatro hujus mundi, cui ſpectaculum factus eſt & Angelis & hominibus legitimè magno agone certantem & palmam ſupernæ vocationis in anteriora ſectantem oculis fidei lubentiſſimè ſpectamus.* Scripſit autem Apoſtolus quaſdam ex his Epiſtolis *ante captivitatem*, quaſdam *in captivitate*. Ante captivitatem ſcripſit numero ſeptem hoc ordine: 1. *priorem ad Theſſalonicenſes*, 2. *poſteriorem ad Theſſalonicenſes.* 3. *priorem ad Timotheum* 4. *priorem ad Corinthios.* 5. *ad Titum.* 6. *poſteriorem ad Corinthios.* 7. *ad Romanos.* In captivitate Romæ agens reliquas exaravit, quo verò ordine, non uſqueadeò conſtat. Nonnulli tamen hunc ponunt, 1. *ad Philippenſes.* 2. *ad Coloſſenſes.* 3. *ad Philemonem.* 4. *ad Epheſios.* 5. *ad Galatas.* 6. *poſteriorem ad Timotheum.* Quo conſilio quave occaſione Epiſtolas illas ſcripſerit Apoſtolus, latè exponit Nicephor. libr. 2. Hiſtor. Eccleſ. cap. 34. hoc loco notamus aureolum illud Auguſtini libr. 1. contra Creſcon. capit. 9. *Memento Apoſtolicas Epiſtolas non eis tantum ſcriptas, qui tempore illo, quo ſcribebantur audiebant, ſed etiam nobis. Non enim ob aliud in Eccleſia recitantur.*

256. Ebionitæ omnia Pauli ſcripta rejiciebant & ipſum Paulum *Græcum atque apoſtatam* vocabant, teſte Irenæo lib. 1. cap. 26. & Epiphanio hæreſ. 30. Eundem errorem Helceſitis placuiſſe memorat Euſeb. libr. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 27. Viciſſim quidam hæretici magnifaciebant Paulum, alios autem Apoſtolos contemnebant. Irenæus libr. 3. cap. 13. Atqui ut fides Chriſtiana, ita quoque Canonica Evangeliſtarum & Apoſtolorum Scriptura eſt una copulativa. De Anomæis refert Epiphan. hæreſ. 76. quod in Pauli Epiſtolis non omnia ſcripta eſſe dixerint *inſpirante Spiritu ſancto*, ſed aliqua interdum *ſolâ prudentiâ & ratione humanâ duce*, quod aliis etiam placuiſſe teſtatur Hieronym. in cap. 5. Michæ, & Auguſt. lib. 2. contra adv. legis & Prophetar. cap. 2. ſed ut tota V. T. Scriptura eſt θεόπνευστος, ita quoque idem de omnibus & ſingulis Scripturæ N. T. Canonicæ partibus eſt aſſerendum.

257. Inter tredecim Paulinas prima eſt *ad Romanos* non ſcriptionis tempore , ſed dignitate, quia ob rerum, quas pertractat, majeſtatem *clavis Theologiæ* rectè vocatur. Occaſio ſcriptionis hæc fuit. Erant Romæ ad Chriſtum converſi Judæi ac gentiles. Judæi prærogativam quandam ſibi arrogabant ob fœdus divinum ac circumciſionem, urgebant Ceremonias legis, ac partim fide in Chriſtum, partim operibus juſtificari quærebant. Gentiles contrà Judæos tanquam à Deo rejectos alto ſupercilio contemnebant, ac multi ex illis libertate Evangelica ad licentiam carnis utebantur. Utriſque igitur hac Epiſtola Apoſtolus conſulere voluit. Corintho hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe Origenes in præfat. comment. colligit ex his rationibus: 1. quia commendat Romanis *Phœben*, quam vocat *miniſtram Eccleſiæ, quæ eſt Cenchris* Rom. 16. v. 1. Cenchris autem eſt portus Corinthi. 2. Salutat ipſos nomine cujuſdam *Caii hoſpitis ſui*, de quo ſcribit ad Corinthios, quod eum ibi baptizaverit 1. Cor. 1. v. 14. 3. Salutat ipſos nomine *Eraſti arcarii civitatis* , quem Corinthi remanſiſſe ſcribit 2. Tim. 4. v. 20. 4. Idem teſtatur annexa huic Epiſtolæ ſubſcriptio. *3. Ad Romanos.*

Capitibus conſtat 16. in quibus prœmio ſubjungitur ipſa tractatio conſtans tum legali gentiû & Judæorum accuſatione, quod utrique peccato ſint obnoxii, tùm Evangelicâ informatione de gratuita juſtificatione & conſequente juſtificationis vitæ novitate. Tractatiooem excipit Epilogus.

2. Prior ad Corinthios

258. 2. *Prior ad Corinthios.* Quantam Epiſtola ad Romanos autoritatem in tractandis fidei controverſiis, tantam hæc prior ad Corinthios in conſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica obtinet, unde Antiquitas ſecundo inter Paulinas Epiſtolas loco eam numeravit. Occaſio ſcriptionis hæc extitit. Docuerat Apoſtolus Corinthi per annum integrum & ſemeſtre Actor. 18. v. 9. 10. poſt diſceſſum Apoſtoli varia doctrinæ & morum exorta erant ſcandala, ut fieri conſuevit in civitatibus populoſioribus, opulentioribus ac potentioribus, qualis erat Corinthus, quam Cicero pro leg. Manil. vocat *lumen & decus totius Græciæ.* In doctrina erant ſeductores, qui Pauli autoritatem convellere ſtudebant, & varias quæſtiones movebant, de quibus Corinthii peculiari ſcripto Paulum conſulebant. In moribus regnabat ambitio, diſcordiæ, luxuria, avaritia & hujus generis ſcelera complura. Utrique malo Apoſtolus in hac Epiſtola occurrere & diſciplinam Eccleſiaſticam Corinthi redintegrare voluit. De loco ſcriptionis videtur diverſitas quædam occurrere in in clauſula finali Græci Codicis & in Hiſtoria Actorum Apoſtolicorum. Habet enim Græcus textus eam ſcriptam eſſe *Philippis*, in qua etiam poſterior ſcripta. Sed veriſimilius eſt, quod *Ephesi* ſcripta fuerit. Dicit enim Apoſtolus 1. Cor. 16. v. 8. *permanebo Ephesi uſque ad Pentecoſten*, ac ſalutat Corinthios oomine Eccleſiarum Aſiaticarum, Philippi autem eſt urbs Macedoniæ. Præterea ſcripta eſt hæc Epiſtola ante tranſitum per Macedoniam 1. Cor. 16. v. 5. tunc autem ſubſtitit Apoſtolus Ephesi Actor. 19. v. 20. Denique ſalutat Corinthios nomine Aquilæ & Priſcillæ, eos autem reliquit Epheſi, cùm deſcenderet in Macedoniam Actor. 18. v. 19. Quidam hoc ἐναντιοφανὲς conciliant hoc modo, quod Ephesi quidem ſcripta, Philippis verò ablegata. Simplicius reſpondetur, ſubſcriptiones illas noo eſſe profectas à Paulo Apoſtolo, ſed à poſterioribus additas. Capitibus conſtat itidem 16. in quibus præter exordium & epilogum medio loco interjecta tractatio eſt partim *reprehenſoria* ſchiſmatum ac vitiorum in moribus regnantium, partim *informatoria* de rebus adiaphoris, caſibus matrimonialibus, articulo reſurrectionis &c.

3. Poſterior ad Corinthios.

259. 3. *Poſterior ad Corinthios.* Scripta eſt hæc anno converſionis 18. vel 19. ac ferè tota eſt Apologetica. Occurrit enim tùm Pſeudo Apoſtolis & falſis Doctoribus, tùm calumniatorib., qui Pauli dicta & facta in ſiniſtram interpretabantur partem. Contra utroſque oſteodit ſe nihil ſcripſiſſe ex levitate, ambitione, dominandi cupiditate, ut Pſeudodoctores & calumoiatores ipſum traducebant, ſed ex ſincero ſalutis promovendæ ſtudio. Immiſcentur tamen apologeticæ tractationi exhortationes, tùm reprehenſiones varii generis. Capitibus conſtat 13. io quibus præmiſſo exordio adventus ſui dilationem & reprehenſionum ſuarum vehementiam excuſat, cap. 1. & 2. rationem miniſterii ſui reddit cap. 2. & 3. exhortatur ad patientiam io adverſis cap. 3. & 4. ad pietatem cap. 5. ad munditiem & caſtitatem cap. 6. & 7. ad erogandas eleemoſynas cap 8. & 9. denique autoritatem ſuam aſſerit enumeratione laborum, viſionum & periculorum, quæ propter Evangelium Chriſti ſuſtinuerat cap. 11. 12. & 13. Tandem ſubjungitur Epilogus.

4. Ad Galatas.

260. 4. *Ad Galatas.* Scripta eſt anno converſionis 26. anoo Chriſti 59. Occaſio ſcriptionis hæc extitit. Intellexerat Apoſtolus, Galatas ſe per Pſeudo Apoſtolos ſeduci paſſos, qui puram Evangelii doctrinam, quam ipſi à Paulo acceperant, de juſtitia fidei ſeu gratuitâ per ſolam fidem in Chriſtum juſtificatione corrumpebant admixtione juſtitiæ operum, docentes: hominem non juſtificari per ſolam fidem in Chriſtum, ſed ad juſtitiam coràm Deo ac proinde ad vitam æternam conſequendam opus præterea eſſe obſervatione legis, & quidem non ſolùm moralis, ſed etiam Ceremonialis. Illorum corruptelis magno robore Spiritus Apoſtolicus in hac Epiſtola ſeſe opponit. Capitibus conſtat ſex & abſolvitur partibus tribus. In *prima parte* Apoſtolus autoritatem ſui Apoſtolatus aſſerit contra calumnias Pſeudo-Apoſtolorum, qui ut doctrinam Apoſtoli de gratuita per fidem juſtificatione ſuſpectam redderent, Pauli perſonam, officium & vocatiooem deprimebant. In *parte altera* principalem quæſtionem tractat, juſtitiam fidei confirmando, juſtitiam verò operum refellendo. In *tertia* hortatur eos ad ſtudium ſanctitatis, cùm vera fides exerat ſe per bona opera.

5. Ad Epheſios.

261. 5. *Ad Epheſios.* Paulus per biennium Epheſi, quæ eſt primaria civitas Joniæ in minore Aſia Evangelium prædicaverat Actor. 19. v. 1. & Eccleſiam Chriſto collegerat ſatis populoſam 1. Cor. 16. v. 9. quam poſt diſceſſum commendaverat Timotheo diſcipulo ſuo 1. Tim. 1. v. 3. cui poſtea Johannes Evangeliſta præfuiſſe dicitur. Ad illius civitatis incolas hanc Epiſtolam direxit. Cauſa impulſiva ſcriptionis nō fuêre ſchiſmata ibidem excitata, ut apud Corinthios, nec falſa doctrina ibidem ſparſa, ut apud Galatas, ſed provida Apoſtoli cura, ne ob vincula, quæ Romæ ſuſtinebat, redderentur puſillanimes, vel Evangelii tædium eis obreperet. Capinbus conſtat 6. & partibus abſolvitur duabus. *Prior* eſt διδασκαλικὴ, exponit enim fundamentum ſalutis noſtræ conſiſtens in gratuita Dei electione, in redemtione per Chriſtum pręſtita, in vocatione per Evangelium, in juſtificatione & æternæ hæreditatis donatione. *Poſterior* eſt προτρεπτικὴ eaque. 1. γενικὴ de officio piorum in genere, quod pietati, concordiæ, dilectioni & aliis virtutibus Chriſtianis ſtudere debeant. 2. εἰδικὴ de officio maritorum erga uxores, parentum erga liberos, dominorum erga ſervos &c.

6. Ad Philippenſes.

262. 6. *Ad Philippenſes.* Apoſtolus Philippis, quæ Macedoniæ fuit metropolis, Eccleſiam plantaverat Act. 16. v. 12. hæc miſerat Epaphroditum, per quem Paulo ſubſidium obtulerat. Apoſtolus igitur in hac Epiſtola ipſis reſpondet & piū ipſorum ſtudium prædicat. Capitibus conſtat quatuor ac duabus abſolvitur partibus. *Prior* eſt παραινετικὴ, exhoratoria ad conſtantiam fidei & ſanctitatem vitę; *poſterior* εὐχαριστικὴ, in qua gratias agit pro Philippenſium beneficiis.

7. ad Coloſſenſes.

263. 7. *Ad Coloſſenſes.* Coloſſus fuit primaria civitas Phrygiæ in minore Aſia, vicina Laodiceæ, in qua Epaphras Apoſtolorum σύνεργος prædicatio-

catione Evangelii Eccleſiam collegerat. Ad illius civitatis incolas Apoſtolus hanc Epiſtolam direxit. Quamvis enim Rhodii quoque ob celebrem ſuum Coloſſum, Coloſſenſes dicti reperiantur, non tamen iſtos, ſed Phrygiæ incolas Apoſtolus hac Epiſtola compellat. Occaſio ſcriptionis hæc fuit: Impugnati erant Coloſſenſes à falſis Doctoribus, quorum quidam, qui ex Judaiſmo venerant, Moſen cum Chriſto confundebant ac Ceremonias legis ad ſalutem neceſſarias eſſe pugnabant; quidam, qui ex gentiliſmo ad fidem Chriſtianam converſi erant, humanas conſtitutiones ex Philoſophorum doctrina urgebant. Paulus igitur rogatu Epaphræ ad eos hanc Epiſtolam ex captivitate Romana ſcripſit, ut eos in veritate fidei confirmaret, & contra falſos doctores præmuniret. Capitibus conſtat 4. in quibus juxta conſuetam methodum 1. fidei veritatem munit. 2. vitæ ac morum regulas tradit, tùm *generales* omnibus Chriſtianis communes, tùm *ſpeciales*, certis ordinibus proprias, videl. uxorib. & maritis, liberis & parentibus, ſervis & dominis.

8. *Prior ad Theſſalonicenſes.*

264. 8. *Prior ad Theſſalonicenſes.* Theſſalonica fuit oppidum in ora ſinus Macedonici, medio littoris flexu ſitum, in quo Apoſtolus per Evangelii prædicationem quoſdam ex Judæis & gentibus ad Chriſtum converterat Actor. 17. v. 2. ſed propter perſecutionem à Judæis adhuc incredulis adverſus ſe concitatam non poterat ibi diù ſubſiſtere. Quare cùm intelligeret, Eccleſiam recens ibidem plantatam in ſummo verſari periculo ob metum perſecutionum, miſit ad eam Timotheum, qui Theſſalonicenſes in fide confirmaret. Timotheus animadvertens eos perſecutionibus haudquaquam exterritos in fide nihilominus eſſe conſtantes, & in adverſis patientes, rem omnem fideliter ad Apoſtolum retulit, qui in hac Epiſtola propterea eos laudat & ſuam pro illis fidelitatem, curam & ſolicitudinem teſtatur. Poſteà hortatur eos ad ſanctam vitę converſationem, dilectionem & luctus propter mortuos moderationem, quâ occaſione de reſurrectione mortuorum & extremo judicio diſſerit. Capitibus conſtat 5. & partibus abſolvitur duabus, quarum prior eſt ἐπαινετικὴ laudatoria, poſterior παραινετικὴ exhortatoria.

9. *Poſterior ad Theſſalonicenſes.*

265. 9. *Poſterior ad Theſſalonicenſes.* Occaſio ſcriptionis hæc fuit. Quod in prioris Epiſtolæ cap. 4. & 5. de repentino Chriſti adventu Apoſtolus ſcripſerat, id quidam ex Theſſalonicenſibus eo ſenſu accipiebant, ac ſi jam inſtaret dies Dominicus, huic falſæ opinioni Apoſtolus in hac Epiſtola occurrere voluit. Capitibus conſtat tribus ac totidem partibus, quarum prima eſt ἐπαινετικὴ, in qua commendat Apoſtolus Theſſalonicenſium fidem, dilectionem, conſtantiam, patientiam & conſolationem perſecutionibus opponendam ipſis proponit. Altera eſt ἐπανορθωτικὴ, in qua præmonet contra errorem de adventu Chriſti proximè inſtante ac docet Antichriſtum priùs eſſe revelandum. Tertia eſt παιδευτικὴ, in qua hortatur ad virtutes Chriſtianas.

10. *Prior ad Timotheum.*

266. 10. *Prior ad Timotheum.* Petilianus Donatiſta olim Timotheum Pauli diſcipulum *pro Laico* habuit, referente Auguſtino lib. 3. contra liter. Petiliani c. 106. ſed conſtat ex Epiſtolis ad eum ſcriptis, quod fuerit inſigne lumen Eccleſ. Orientalis, Epiſcopus Epheſinus per 40. annos, ut nonnulli volunt. Præfecerat Apoſtolus hunc ſuum diſcipulum Epheſinæ Eccl. à ſe plantatæ, illum igitur in hac Epiſtola inſtruit, quomodo *in domo Dei verſari* & munus ſuum ritè obire debeat. Capitibus conſtat 6. ac tota eſt διδασκαλικὴ, inſtituit enim Timotheum de Eccleſiaſticis tùm *muneribus*, tùm *perſonis*, tùm *virtutibus*.

267. 11. *Poſterior ad Timotheum.* Hæc eſt ratione temporis ultima D. Pauli Epiſtola, quam paucis ante beatam ἀνάλυσιν diebus ex captivitate Romana ad Timotheum ſcripſit. Capitib. conſtat 4. & partibus abſolvitur trib. in prima hortatur Timotheum, ut ſinceritatem doctrinæ ſummo ſtudio tueatur, nec ullis periculis ab ejus confeſſione ſeſe dimoveri patiatur. In altera præmonet à ſpiritib. ſeductoribus, qui jamtum in Eccleſia oriebantur. In tertia ſtatum ſuum ipſi exponit, atque ut ad ſe veniat, Marcum ſecum adducat, & res quaſdam ſuas ſibi adferat, expetit. 11. *Poſterior ad Timotheum.*

268. 12. *Ad Titum.* Titus, ad quem hæc Epiſtola ſcripta, fuit Cretenſis Eccleſiæ Epiſcopus, fidelis miniſter & dilectus amicus Apoſtoli 2. Cor. 2. v. 13. cap. 7. v. 6. ad eum miſit Apoſtolus hanc Epiſtolam ex Macedonia, quæ ejuſdem ferè argumenti eſt cum priore ad Timotheum. Capitibus conſtat tribus & totidem partib. In *prima* docet, quales perſonæ ad Epiſcopatum & Diaconatum eligendæ. In *ſecunda* ſingulis præſcribit ſua munia. In *tertia* Titum ſui admonet officii. Cæterùm hasce ad Timotheum & Titum Epiſtolas Marcion olim integras reſpuit, teſte Epiphanio hæreſ. 42. ac Hieronymo in comm. ad Tit. ſed communi totius Eccleſiæ ſuffragio fuêre pro Canonicis ſemper habitæ. Auguſtin. lib. 4. de doctr. Chriſt. cap. 16. *tres iſtas Apoſtolicas Epiſtolas ſemper ante oculos habere voluit eum, cui eſt in Eccleſia Doctoris perſona impoſita.* 12. *Ad Titum.*

269. 13. *Ad Philemonem.* Philemonem illũ Apoſtolus v. 1. vocat συνεργὸν, in prædicando ſc. Evangelio, ex quo apparet, ipſum fuiſſe miniſtrũ Eccleſiæ Coloſſenſis v. 17. Anshelmus eum vocat *Epiſcopum*, Hieronym. *Evangeliſtam*. Occaſio ſcribendæ Epiſtolæ hæc fuit. Oneſimus Philemonis ſervus à domino ſuo clanculum profugerat, eidẽque furtim quædam ſuſtulerat. Romam veniens ad fidem Chriſtianam fuit converſus & Pauli in captivitate ſervus fidelis factus Col. 4. v. 9. hanc fidelitatẽ remuneraturus Apoſt. apud Philem. diligenter pro ipſo intercedit. Tractatio ipſa abſolvitur, propoſitione ſive petitionis expoſitione, petitionis confirmatione & confutatione, quà crimen Oneſimi diluit & ſe pro eo ſatisfacturum ſpondet. Anomæi hanc Epiſtolam *ut more humano ſcriptã* contemſerunt, referente Epiphanio hæreſ. 76. ſed pii veteres, qui Canonicos N. T. libros recenſent, hanc Epiſtolam non prætermittunt. 13. *Ad Philemonem.*

270. 7. *Prior Petri.* Vocatur hæc Epiſtola in ἐπιγραφῇ *Catholica*, quia ſcripta non eſt ad unam aliquam perſonam; ſicùt Paulinæ ad Timotheum, Titum & Philemonem, nec ad unam aliquam Eccleſiam particularem, ut Paulinæ ad Romanos, ad Corinthios &c. ſed ad converſos ex Judæis hinc inde diſperſos, ut patet ex inſcriptione. Quædam tamen in hac Epiſtola occurrunt, quæ ad gentiles principaliter pertinent 1. Epiſt. 2. v. 5. 10. cap. 4. v. 3. quia ſcilicet cap. 1. v. 14. & 18. converſi Judæi unà cum converſis ex gentibus unam conſtituebant Eccleſiam, ac ſeſe invicem ut fratres cõ- 7. *Prior Petri.*

plectebantur. Scopum ſcriptionis exponit ipſe Apoſtolus ſub finem Epiſtolæ. *Per Sylvanum* (inquit) *vobis fidelem fratrem ut exiſtimo, paucis ſcripſi adhortans & teſtificans hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis* 1. Epiſt. 5 v.12. Duo igitur potiſſimùm in hac Epiſtola ſibi habuit propoſita. 1. ut teſtificaretur converſis Judæis, doctrinam de gratia Dei per Chriſtum, quam fide amplexi erant, & in cujus profeſſione perſiſtebant, eſſe unicam & indubitatam ſalutis viam, cœleſtem veritatem & immotam doctrinam. 2. ut exhortaretur eos, ut in hac fide conſtantèr perſeverent & vitam profeſſione illa dignam, Deoque gratam agerent. In eod cap. v.13. ſalutat eos, ad quos ſcribit, nomine *Eccleſiæ in Babylone collectæ*, ex quo colligitur, Epiſtolam hanc in urbe Babylone ſcriptam. Sed quæſtio oritur, an Babylonis nomen propriè accipiendum pro urbe Ægypti, an verò metaphoricè pro urbe Roma. Qui prius ſtatuunt, hiſce utuntur argumentis. 1. quia illud quadrat cum Apoſtolatu Petri, ut qui peculiariter deſtinatus fuit Judæis Galat.2.v.7. quorum magna copia in Orientalibus illis regionibus præſertim in Babylone degebat. 2. Non eſt diſcedendum à ſenſu literali, niſi ipſa nos cogat neceſſitas, quæ hîc apparet nulla. Excipit Baronius tom.1. annal. ann.45. num.17. *Petrum ideo non fuiſſe proprio nomine urbis Romæ uſum, quod Hieroſolymis fugâ lapſus è carcere, non ab omnibus ubi ageret, ſciri voluerit.* At probandum prius erat, Petrum Hieroſolymis Romam ſe contuliſſe, ibidemque latere voluiſſe. 3. Nulla poteſt dari ratio, cur Apoſtolus nomen urbis Romæ diſſimulare ac contumelioſâ appellatione eam inſignire voluerit, ſi Romæ hanc Epiſtolam ſcripſiſſet. 4. Idipſum ex Pontificiis agnoſcunt Eraſmus in annotat. Coſterus in Enchir. cap.3. *Ex Babylone Ægypti non incommodè dicitur Petri prior Epiſtola ſcripta.*

271. Poſterius ſtatuit Baronius tom.1. annal. ann.45. num.16. col.380. *ubi eos delirare cenſet, qui de alia Babylone quam de Roma hæc dicta eſſe cenſent.* Eſtius in comment. 1 Epiſtol. Petri col. 773. Id verò eo fine tuentur, ut numerum annorum, quibus Petrum ſedi Romanæ præfuiſſe ſomniant, invenire poſſint. 1. Papias apud Euſeb. lib.2. Hiſtor. cap.14. contendit: *Romam verbi tranſlatione Babylonem à Petro fuiſſe appellatam.* Reſp. de Papia idem Euſebius teſtatur libr. 3. cap.36. *quod peregrinas quaſdam de Servatore noſtro fabulas & doctrinas cum aliis nonnullis fabuloſis commentus fuerit, in quibus millenarios poſt reſurrectionem futuros eſſe finxit.* Ergo ejus non eſt magna autoritas in Eccleſia. 2. Hieronymus in catal. ſcriptorum in Marco: *Meminit hujus Marci & Petrus in Epiſtola prima ſua nomine Babylonis figuraliter Romam ſignificans.* Reſp. Baronius ſæpius ab Hieronymo diſcedit tom. 1. ann. 69. de tempore Martyrii Petrini & Paulini eum *in manifeſtum errorem eſſe lapſum aſſerit.* ann.51. nu. 8. de tempore Concilii Hieroſolymitani *ipſum erraſſe* ſcribit. ann.62. nu.52. de receptione Epiſtolæ ad Hebræos à Latinis recuſata ab Hieronymo diſcedit. 3. *In divinis Scripturis per Babylonem ſæpe Romanum adumbratum eſſe imperium eruditus lector inveniet*, in quam ſententiam citat Auguſtinum libr.18. de civit. Dei cap.22. *Condita eſt Roma velut altera Babylon, & velut prioris Babylonis filia.* Huic conforme eſt, quòd Gretſerus libr.2. de Roman. Pontif. cap.2. num. 66. urget Apocal.17. per Babylonem notari *Romam*, in quam ſententiam adducit Tertullianum adverſus Judæos cap 9. & libr.3. contra Marcion. cap. 13. Reſp. Antichriſtianum potius imperium in urbe Roma ſedem habens in Apocalypſi hoc nomine exprimitur. Nec eſt ſatis firma probatio. Alibi nomen Babylonis accipitur figuratè pro urbe Roma. Ergò & hoc loco. Aliàs poſſem eodem modo concludere. Nomen Sodomæ & Hieroſolymorum in apocalypſi accipitur figuratè. Ergò etiam in aliis Nov. Teſtam. ſcriptis figuratè accipitur. 4. *Aut intelligitur Babylon Aſſyriæ, aut Babylon Ægypti, quæ ſola in Scripturis Babylon dicuntur, aut figuratè Roma. Non Babylon Ægypti, quia Babylonis Epiſcopi nulla fit mentio niſi poſt annos 500. ſub Iuſtino juniore. Nec Babylon Aſſyriæ, ut conſtat. Ergo Roma intelligitur.* Reſp. Si vel maximè in individuo de Babylone Ægypti nulla extaret mentio, tamen hoc ſufficeret, in Ægypto Eccleſiam fuiſſe collectam.

272. De hac priore Petri Epiſtola teſtatur Euſebius lib 3. Hiſtor. Eccleſ. cap.3. *quod de ea nunquam fuerit in Eccleſia controverſia, quin & Petri eſſet, qui ſeipſum nominat, & proinde libris Canonicis accenſeri debeat*, unde etiam ad primi ordinis Canonicos libros etiam retulimus. Apud veteres vocatur *Epiſtola ad Ponticos*, ut conſtat ex Tertulliano in fine Scorpiaci adv. Gnoſticos & Cypriano lib 3. teſtimoniorum cap.36. quia primo loco nominatur Pontus inter regiones, ad quas miſſa eſt 1. Epiſt.1. v.1. advenis diſperſionis, Ponti, Galatiæ &c. Eraſmus in argumento quod præmiſit paraphraſi hujus Epiſtolæ ſuſpicatur, *Petrum ante hanc priorem Epiſtolam aliam adhuc ad eoſdem ſcripſiſſe*, propterea quod in fine hujus Epiſtolæ dicat: *Per Sylvanum vobis breviter ſcripſi.* 1. Epiſt.5. v.12. ſed hanc opinionem manifeſtè refellunt verba poſterioris Epiſtolæ cap. 3. v. 1. *Hanc ecce vobis chariſſimi ſecundam ſcribo Epiſtolam.* Non enim ſecundam, ſed tertiám dicere debuiſſet, ſi duas jam antè ſcripſiſſet. Quando igitur per Sylvanum ſe ſcripſiſſe aſſerit, non de alia ſed de hac ipſa priore Epiſtola loquitur. Confer Hebr.13. v.22. 2. Johan. v.12. ex verbis in cap.4. 16. *Si autem ut Chriſtianus* colligitur hanc Epiſtolam eſſe ſcriptam, poſtquam jam diſcipuli cognominari cœperant Chriſtiani, quod quo tempore factum ſit, memorat Lucas Actor.11. v.26. Capitibus conſtat 5. ac continet præter præfationem & concluſionem 1. commemorationem ſpiritualium Dei beneficiorum. 2. exhortationem ad verum illorum beneficiorum uſum & ſtudium pietatis Chriſtianis dignum.

273. 8. *Prima Iohannis.* Vocatur & hæc καθολικὴ, quia ad omnes Chriſtianos ſcripta eſt. Oecu- *8. Prima Iohannis.*
menius eam vocat ἐγκυκλικὴν. Veteres tradunt *ad Parthos* hanc Epiſtolam ſcriptam, hunc enim titulum illi tribuunt Poſſidius in Indiculo operum Auguſtini & ipſe Auguſt. lib.2. qq. Evang. cap.39. eò quod in illa regione inter flumina Tigrim & Indim ſita locisque circumjacentibus plurimi eſſent Judæi ex antiqua captivitate & diſperſione decem tribuum, unde etiam Act.2. v.9. primo loco ponuntur; nō minus tamen quàm Petrus hanc ſuam Epiſtolam Johannes etiam converſis ex gentib. communem eſſe voluit. Euſebius lib.3. Hiſt. Eccleſ. cap.25 & Hieronym. in catalogo teſtantur,

de hu-

de hujus Epiſtolæ autore vel autoritate unquam fuiſſe in Eccleſia dubitatum; Et ſanè ſtylus & character, ac frequens charitatis inculcatio ſatis indicant, Johannem eſſe hujus Epiſtolæ autorem, unde inter primi ordinis Canonicos eam retulimus. Socinus in comm. h. Epiſt. ſtatuit: *Scopum & argumentum hujus Epiſtolæ tantum adhortationem ad dilectionem vitæ innocentiam & obſervationem præceptorum Chriſti abſolvi.* Sed res ipſa oſtendit, latiùs patere Epiſtolæ argumentum. Capitibus conſtat 5. & partibus abſolvitur tribus: Prima eſt διδασκαλικὴ de perſona & officio Chriſti, de redemtione per Chriſtum præſtita, de beneficiis Chriſti υἱοθεσίᾳ, regeneratione & Spiritus S. inhabitatione; de adventu Antichriſti, de peccato in Spiritum S. de myſterio Trinitatis. Altera eſt προτρεπτικὴ ad ſanctitatem, puritatem, obœdientiam, cumprimis ad Chriſtianam charitatem. Tertia eſt νουθετικὴ de cavendis ſeductoribus hæreticis & Antichriſtis. Georgius Ederus in Oeconomia Biblica ſecutus Petrum Aureolum ſtatuit, Apoſtolo propoſitum fuiſſe exactè tractare tres virtutes Theologicas, *fidem, ſpem & charitatem.*

CAPUT X.

De libris Nov. Teſt. Canonicis ſecundi ordinis.

Canonici libri N. T. ſecundi ordinis. 1. Epiſtola ad Hebræos

274. Ad Canonicos N. Teſt. libros *ſecundi ordinis* pertinent 1. *Epiſtola ad Hebræos.* Et olim in Eccleſia dubitatum fuit & adhuc dubitatur à quibuſdam, an Epiſtola illa ſit Paulinis annumeranda. Tertullianus, Cyprianus, Lactantius, Arnobius, nuſpiam illam citant. Tertullianus ſemel duntaxat ejus meminit libr. de pudicit. cap. 20. ſed aſſerit: *eam non eſſe Pauli, ſed Barnabæ,* Euſebius libr. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 3. *Quatuordecim Epiſtulæ Pauli manifeſtæ ſunt & perſpicuæ. Quod autem quidam eam, quæ ad Hebræos eſt, reprobarunt, à Romana illi Eccleſia, quaſi Pauli non ſit, contradici aſſerentes, juſtum fuerit non ignorare, & quid de hac dixerint, qui nos præceſſerunt, ſuo loco adjiciam.* libri ejuſd. cap. 34. *Clemens in Epiſtola, quam in perſona Romanæ Eccleſiæ ad Corinthios exaravit, multis ſenſibus ex Epiſtola ad Hebræos ſcripta adductis, imo & ipſius quibuſdam dictionibus ad verbum uſus* πολλὰ νοήματα παραθεὶς, ἤδη δὲ καὶ αὐτολεξεὶ ῥητοῖς *clariſſimè probat, non eſſe ſyngramma hoc recens ac novum. Quapropter viſum eſt illud non immeritò reliquis accenſendum eſſe Apoſtoli ſcriptis. Cùm enim Hebræis Paulus ſcripto hoc patriâ linguâ locutus ſit, alii Lucam Evangeliſtam, alii Clementem hanc Epiſtolam interpretatum eſſe dicunt, id quod & magis veritati conſonum ob hoc eſſe videtur, quod & conſimilem dictionis characterem utraque & Clementis & ea, quæ ad Hebræos eſt Epiſtola continet, & ipſi utriusque ſenſus non adeo procul inter ſe diſtant.* lib. 6. Hiſt. cap. 20. *Venit ad nos Caii diſertiſſimi viri diſputatio Romæ ſub Zephyrino contra Proclum Cataphrygarum hæreſis propugnatorem mota, in qua ut adverſæ partis temeritatem & audaciam, quâ novas quaſdam Scripturas adducebant, obturaret, tredecim tantum ſancti Apoſtoli Epiſtolarum meminit, eam quæ ad Hebræos eſt, reliquis non annumerans. Nam huc uſque etiam à Romanis quibuſdam non putatur eſſe Apoſtoli.* Origenes in homil. ſuper illam Epiſt. apud Euſeb. lib. 6. Hiſtor. cap. 25. *Character dictionis Epiſtolæ ad Hebræos inſcriptæ non habet in verbis phraſin Apoſtoli* τὸ ἰδιωτικὸν ἐν λόγῳ *qui confeſſus eſt, ſe idiotam eſſe ſermone, h. e. dictione. Sed eſt ea Epiſtola compoſitione dictionis admodùm Græca* ἐν συνθέσει τῆς λέξεως ἑλληνικωτέρα. *Fatebitur hoc quisquis peritiam habet diſcernendi inter phraſes. Rurſus quod Epiſtolæ hujus ſenſus præclari ſint & illis literis, quæ ſine contradictione Apoſtolicæ ſunt, haudquaquam inferiores, & hoc verum eſſe conſitebitur, quisquis Apoſtolica lectione diligenter attendit,* Et poſteà: *Ego verò, ut meam ſententiam proferam, dixerim, ſenſus hujus Epiſtolæ Apoſtoli eſſe, phraſin verò & ſtructuram alterius cujuſdam eſſe, qui dicta Apoſtolica annotarit & veluti in Scholia quædam, quæ à præceptore audivit, redegerit, eſt* ἀπομνημονεύσαντός τινος. *Apoſtolica & quaſi* σχολιογραφήσαντος, *quæ à præceptore dicta. Itaque ſi qua Eccleſia Epiſtolam hanc tanquam Pauli habuerit, complectatur eam & approbet etiam hoc nomine* εὐδοκιμείτω καὶ ἐπὶ τούτῳ, *non enim eam præter rationem priſci viri Pauli eſſe tradiderunt. Quis illam ſcripſerit, Deus novit, ad nos verò Hiſtoria pervenit, quod quidam eam à Clemente Romanorum Epiſcopo, quidam verò à Luca, qui & Evangelium & Acta edidit, ſcriptam eſſe dicant.* Nazianzen. in Epiſt. ad Seleucum ſcribit: *Epiſtolam ad Hebræos ſpuriam à quibuſdam haberi.* Hieronymus in catal. viror. illuſtr. in Cajo: *Cajus quidam antiquus & doctus autor Pauli non plures quàm tredecim Epiſtolas recenſuit, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit non eſſe ejus, ſed & apud Romanos uſque hodie quaſi Pauli Apoſtoli non habetur.* Ibid. in Paulo: *Epiſtola, quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur propter ſtyli ſermonisque diſſonantiam.* In cap. 6. Eſa. *Latina conſuetudo hanc Epiſtolam non recipit.* In cap. 8. Eſa. *Latina Eccleſia Epiſtolam ad Hebræos inter Canonicas Scripturas non recipit.* In cap. 50. Eſa. *Dicitur & in Epiſtola, quæ fertur ad Hebræos.* In cap. 31. Jerem. *Hoc teſtimonio Paulus Apoſtolus, ſive quis alius ſcripſit Epiſtolam, uſus eſt ad Hebræos.* in cap. 8. Zachar. *Si tamen in ſuſcipienda Epiſtola Græcorum autoritate Latina lingua non reſpuit.* In cap. 26. Matth. ſcribit: *quod de ea multi Latinorum dubitaverint.* Auguſtinus de hac Epiſtola frequenter ac ſi dubiæ eſſet autoritatis loquitur, ut videre licet in Enchir. cap. 8. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 27. &c. lib. 10. de civit. Dei cap. 5. ſic loquitur: *In Epiſtula, quæ inſcribitur ad Hebræos,* in quem locum ſic commentatur Vives: *Significat, incertum eſſe autorem.* lib. 16. de civit. Dei cap. 22. *Epiſtolam ad Hebræos plures Apoſtoli Pauli eſſe dicunt, quidam verò negant,* in quem locum Vives ſic commentatur: *Hieronymus, Origenes, Auguſtinus & alii veterum de hoc ambigunt. Ante ætatem Hieronymi ea Epiſtola à Latinis non erat recepta inter ſacras.* Platina in vita Petri p. 10. *Quæ ad Hebræos Pauli nomine circumfertur, incerta habebatur propter ſtyli ſermonisque differentiam, erant etiam olim, qui hanc & Lucæ & Barnabæ & Clementi adſcriberent.* Cajetanus negat eſſe Canonicam Epiſtolam, cùm ex ſenſu typico 2. Sam. 7. æternitatem Chriſti probet cap. 1. v. 5. Sixtus Senenſ. lib. 7. Bibl. dicit: *eam à quibuſdam tribui Tertulliano*, quæ ſententia perquam abſurda eſt, cùm ipſe Tertullian. eam Barnabæ tribuat, Eraſm. in annot. Act. 1. p. 199. *Serò recepta eſt Epiſt. ad Hebræos.* in cap. 2. Hebr. p. 493. *Stapulenſis in*

jus

juſtrahit Interpretem Epiſtolæ, qui quidem quiſnam fuerit, incertum eſt, ut parum probabile ſit, ipſam Epiſtolam à Paulo fuiſſe conſcriptam. Sanè ſunt, qui Lucam putent Interpretem fuiſſe. p.498. *Incertum, an Paulus ſit hujus Epiſtolæ autor. Omnium latiſſime hac de re diſputat ſub finem Epiſtolæ.* p.517. ubi dicit, *quod à ſtylo Pauli, quantum ad phraſin, longè lateq; diſcrepet, ſed ad Spiritum ac pectus Paulinum vehementer accedat.* Item: *quod compluribus indiciis, ſi non certis, tamen probabilibus colligi poſſit, ab alio quopiam quam à Paulo fuiſſe ſcriptam.* Ex noſtris B. Luther. in cap.48. Geneſ. fol. 645. *Apollo* hujus Epiſtolæ autorem eſſe arbitratur. In præfat. hujus Epiſt. ſtatuit, *eam nec Pauli, nec alterius Apoſtoli eſſe, cùm autor illius* cap.2.v.3. *profiteatur, ſe Apoſtolorum diſcipulum, quod de ſe Paulus neget.* Galat.1.v.12. cumque cap.6.v.4. & cap.10.v.26. *videatur peccantibus poſt Baptiſmum pœnitentiam denegare*, concludit tamen, *eſſe pulcerrimam & maximè inſignem Epiſtolam à diſcipulo quodam Apoſtolorum ſcriptam.* D. Hunnius in cap.2. Hebr. p.48. & in exam. Bellarm. lib.1. de verbo Dei cap.17. p.153 itidem negat, *eſſe eam à Paulo ſcriptam.* D. Lucas Oſiander in præfat. ſuper h. Epiſt. *Quod non ſit Pauli probatur, quia phraſis non eſt Paulina & quia autor ſe Apoſtolorum diſcipulum profitetur, quod de ſe negat Paulus. Tribuenda fortaſsè Barnabæ aut Apollo, magis tamen huic, quia fervention fuit Spiritu.* D. Andreas Oſiander in anal. de Eccleſ. contra Greg. de Valent. p.484. *Spiritu Apoſtolico eſt exarata, Paulina vero non eſt.* D. Menz. in Apol. cont. Piſt. p.247. *Cujus autoris ſit illa Epiſtola, fateor me ignorare. Nam Pauli non eſſe tùm argumenta alia, tùm imprimis locus* cap.2. v.3. *mihi planè perſuadet.* Ex Calvinianis Beza, Hemming. Aretius, Witak. in medio relinquunt, cujus ſit; Calvinus, Marloratus, Arminius Pauli eam eſſe negant. Ex Photinianis Enjedinus negat hanc Epiſtolam *eſſe Canonicam*, quia cap.11.v.21. cap.9.v.19. & 4. ex Scriptura Vet. Teſt. citentur quæ ibi non extent, & quia nonnulla haud ſatis dextrè referantur cap. 1. v.6. cap.10. v.5.13.16. Socin. tamen de autorit. Script. p.70. Epiſtolam ad Hebræos Pauli eſſe agnoſcit. in ſolut. Scrupul. p.34. *divinum Scriptorem* vocat illius Epiſtolæ autorem. In theſibus de officio Chriſti §.4. *Cur Epiſtola ad Hebræos autoritatem non debeat habere in controverſiis qq. decidendis, nullam ſatis firmam rationem afferri poſſe exiſtimamus.*

275. Contrà verò quidam ex veteribus & recentioribus hanc Epiſtolam & Canonicam & Paulinam eſſe aſtruunt. Clemens Alexandr. libr. hypotypoſ. referente Euſebio lib.6. Hiſt. Eccleſ. cap.13. *Manifeſtè Pauli eſt hæc Epiſtola, ſcripta quidem ſermone Hebræo Hebræis, ſed à Luca in Græcum translata.* Sub nomine Pauli ponitur in Catalogo Sanctarum Scripturarũ à Concilio Laodiceno can.59. Carthaginenſi 3. can.47. Rom. ſub Gelaſio &c. Paulinis Epiſtolis annumeratur ab Athanaſio in Synopſi, Cyrillo lib.12. theſauri c.9. Nazianzeno in carminibus, Amphilochio in carm. ad Seleucum, Chryſoſtomo in comment. Epiſt. Epiphanio hæreſ.76. Damaſceno lib.4. cap. 18. &c. Dionyſ. in Epiſt. ad Tit. ſub Pauli nomine eam citat. Theophylactus miratur eorum impudentiam, qui id negant. Athanaſ. Dial.1. de Trin. ἀφ᾽ οὗ κατηγγέλη τὸ εὐαγγέλιον χριστοῦ, Παύλου εἶναι πεπίστευται ἡ ἐπιστολὴ, *ex quo annunciatum eſt Evangelium Chriſti, hanc Epiſtolam Pauli eſſe creditum fuit.* Philaſt. in catal. hæreſ. inter hæreticos numerat, qui eam Epiſtolam vel rejiciunt, vel Pauli eſſe negant. Ex Latinis etiam Patribus quidam agnoſcunt, eam Epiſtolam eſſe Paulinam. Hieronym. Epiſt.29. ad Dardanum: *Illud noſtris dicendum eſt, hanc Epiſtolam, quæ ad Hebræos inſcribitur, non ſolùm ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retrò Eccleſiis & Græci ſermonis ſcriptoribus quaſi Pauli ſuſcipi, licet pleriqne eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur, & nihil intereſſe cujus ſit, cùm Eccleſiaſtici viri ſit & quotidie Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eum Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſin Iohannis eadem libertate ſuſcipiunt, & tamen nos utrumque ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum autoritatem ſequentes, qui plerunque utriusque abutuntur teſtimoniis, non ut interdum de apocryphis facere ſolent, quippe & gentilium literarum non rarò utuntur exemplis, ſed quaſi Canonicis Eccleſiaſticis.* Hilarius libr.12. de Trinitat. Ambroſius libr.2. de Cain. c.2. Auguſt lib.2. de doctrin. Chriſt. cap. 8. Ruffin. in Symb. Avitus Viennenſis in carm. Iſidor. lib.6. originum. Caſſiodor. lib.1. div. lect. cap. 4 eam ut Paulinam allegant. Ambroſ. in Pſalm. 119. vocat Paulinam, inque eam ut Paulinam commentarios ſcripſit. Gregor. libr.5t moral. cap.3. eam citat. Ex recentioribus idem ſtatuunt Flacius in annot. Nov. Teſt. in prooem. hujus Epiſt. Chytræus in Onomaſt. p.186. Palladius in Iſag. Bibl. Geſnerus in comp. doctr. cœleſt. loc.1. p.13. atque alii complures. Ex Calvinianis plerique omnes id docent Calvin. lib.3. cap.3. §.21. *Quidam boni viri offenſi aſperitate locorum* Hebr.6. & 10. *hanc ſuppoſititiam Epiſtolam crediderunt, quæ omnis tamen ex parte Spiritum Apoſtolicum verè redolet.* Witak. controv. de Script.1. quæſt.1. cap.16. *Epiſtolam hanc eſſe omni modo Canonicam concedimus univerſi, ſed num à Paulo Apoſtolo conſcripta fuerit, non perinde liquet.* Paræus diſput. de Script. theſ.106. *Epiſtolam ad Hebræos eſſe Pauli, eoque divinam & Canonicam evidenter deducitur ex Scripturæ* 2. Theſſ.3. v.17. Confer Piſcat. in anal. Keckerm. Syſt. Theol. p.184. Ex Pontificiis Lindanus lib.4. panop. cap 100 affirmat: *non minus credendum eſſe eam à Paulo ſcriptam, quam eſſe Scripturam Canonicam.* Bellar. lib.1. de verb. Dei c.17. *Et Canonicã & Pauli eſſe faciliimè probari poſſe aſſerit.* Idem ſtatuit Eſtius in præf. h. Epiſt.

276 Nec deſunt argumenta, quibus probari poſſit, eſſe hanc Epiſtolam à Paulo ſcriptam 1. Autor hujus Epiſtolæ commendat celebrem quendam diſcipulum Timotheum cap.13 v.23. At nemo talem habuit præter Apoſtolum Paulum. Hoc argumentum urget Oecumenius in præfat. hujus Epiſtol. 2. Autor Epiſtolæ meminit vinculorum cap.10. v.33. Idem ſolenne eſt Apoſtolo Paulõ Philip.1. v.7. & ſeqq. Coloſſ 4. v.18. 2. Tim.2. v.9. Philem v.9. & 10. 3. Majeſtas verè Apoſtolica & Spiritus verè divinus ex multis indiciis colligitur. 4. Multa cum Paulo axiomata habet eadem. Conferantur Hebr.1. v.2. & 3. cum Coloſſ.1. v.14.15. 16.17. Item Hebr.5. v.12. & 13. cum 1. Cor.3. v.1. & 2. Item Hebr.9. v.15. cum Rom.3 v.25. Item Hebr.10. v.34. cum 1. Theſſ.2. v.14. Item Hebr.11. v.11. & 12. cum Rom.4. v.18. & 19. Item Hebr.12. v.1. cum 1. Cor.9. v.24. Item Hebr.13. v.9. cum

Eph.4.

Eph. 4. v. 14. Item Hebr. 13. v. 15. & 16. cum Rom. 12. v. 1. & 2. Item Hebr. 13. v. 18. cum 2. Cor. 1. v. 11. & 12. &c. 5. Petrus 2. Epiſt. 3. v. 14. teſtatur, Paulum ad Hebræos ſcripſiſſe, quando dicit: *Sicut & carus frater noſter Paulus ſcripſit vobis ſcilicet Hebræis*, ad illos enim ſcriptam eſſe Petri Epiſtolam priorem colligitur ex cap. 1. v. 1. ad eoſdem etiam poſteriorem ſcriptam colligitur ex cap. 3. v. 1. Aut ergo Epiſtola illa interiit, aut hæc ipſa eſt. Interiiſſe non eſt veriſimile, cùm divino beneficio conſervata ſit Epiſtola ad Philemonem, quæ brevis eſt & de negotio duntaxat privato videtur agere. Cumque tot Epiſtolas ad Eccleſias ex gentibus collectas Apoſtolus ſcripſerit, veriſimile eſt, quod ad Hebræos legi divinæ innutritos prolixè & accuratè de myſterio ſalutis per Chriſtum ſcripſerit. Illud verò in hac Epiſtola fieri res ipſa loquitur. 6. Petrus d. l. teſtatur, Paulum ad Hebræos ſcripſiſſe de illis ipſis rebus, de quibus ipſe in ſua Epiſtola ad eos ſcribit. Jam verò collatio oſtendit, eadem tractari in Epiſtola Petri & in hac ad Hebræos Epiſtola. Docet Petrus, per Chriſtum eſſe donata nobis omnia, quæ ad vitam pertinent, Chriſtum eſſe Dei Filium & Mediatorem noſtrum, de quo Prophetæ vaticinati ſint. Idem prolixè oſtendit autor Epiſtolæ ad Hebræos. Petrus hortatur Hebræos ad ſtudium pietatis & ſanctitatis, ac graviter præmonet de exitio, quod manet apoſtatas. Idem prolixè inculcat autor Epiſtolæ ad Hebræos. 7. Petrus dicit, *Paulum ſcripſiſſe pro data ſibi ſapientia*. At divina illa ſapientia in ſententiis ac verbis hujus Epiſtolæ elucet. 8. Petrus ibidem teſtatur inter ea, de quibus Paulus in Epiſtola ad Hebræos & in reliquis Epiſtolis ſcribit, eſſe quædam *δυσνόητα, quæ indocti parumq́; ſtabiles detorquent*. Atqui talia occurrunt cap. 6. & 10. Epiſtolæ ad Hebræos. 9. Paulus 2. Theſſ. 3. v. 17. affirmat, ſe omnes Epiſtolas ſuas claudere hominum verborum ſubſcriptione: *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis, Amen*. Et hoc ipſo ſigno Epiſtolas ſuas vult agnoſci & à reliquis diſcerni. Jam verò illa clauſula in fine hujus Epiſtolæ reperitur cap. 13. v. 28. 10. Eadem methodus obſervatur in hac Epiſtola, quæ in reliquis Paulinis animadvertitur. Primùm namque exponitur myſterium ſalutis per Chriſtũ nobis datæ, & ex illo poſteà deducuntur adhortationes ad ſtudium pietatis.

277. Argumenta, quæ in contrarium afferuntur, potiora hæc ſunt: 1. *Paulus in ſuis Epiſtolis ſolet nomen ſuum præponere, id verò in hac Epiſtola non eſt factum*. Reſp. Hieron. præfat. in Epiſt. Pauli κατὰ βίβλον reſpondet, ſi ideò Pauli non eſt, quod Pauli nomen non præferat, igitur nullius erit, cùm nullius præferat titulum. Prima Johannis itidem non habet in titulo nomen adjectum, nemo tamen dubitat, quin ſit Johannis. Alii reſpondent, Paulum propterea noluiſſe expreſſam nominis ſui mentionem facere, quia noverat illud Hebræis fuiſſe invìſum, quippe qui famâ acceperant, quòd doceat homines à lege deficere. Paulũ igitur omiſſione nominis præcavere voluiſſe, ne Hebræi viſo titulo ſtatim abjicerent Epiſtolam. Ita Athanaſ. Dial. 1. de S. Trinit. Quidam reſpondent, ſalutationem ac nomen propterea omiſſum, quod hæc Epiſtola ſcripta ſit per modum libri, nõ per modum Epiſtolæ, in fine enim dicit, *etenim perpaucis ſcripſi vobis*, quod de Epiſtola non erat dicturus, cum ſit Epiſtola prolixa. Hieronymus in cap. 1. ad Galat. aliam omiſſi nominis rationem affert: *Quia Apoſtolus in hac Epiſtola* cap. 3. v. 1. *nominaturus erat Chriſtum Apoſtolum confeſſionis noſtræ, noluit initio ſe more ſolito Paulum Apoſtolum nominare, ne videretur ſe cum Chriſto aliquâ ex parte conferre*. Vide ſententiam Clementis Alexandrini apud Euſebium libr. 6. Hiſtor. cap. 13. Theodoretus præfat. in hanc Epiſt. & ex eo Thomas in comment. reſpondent, nomen ideò omiſſum, *quod Paulus non fuerit Apoſtolus Judæorum ſed gentium* Galat. 2. v. 9. 1. Timoth. 1. v. 7. Sed hoc nequaquam accipiendum *excluſivè*, verùm duntaxat *comparatè*, ſæpiùs enim etiam Judæis Apoſtolus prædicavit Actor. 13. v. 46. cap. 28. v. 23. &c. Beza in annot. teſtatur, *ſe in omnibus ſuis Codicibus uno tantùm excepto inveniſſe hanc inſcriptionem*: Παύλου τοῦ ἀποστόλου ἡ πρὸς ἑβραίους ἐπιστολή. Veriſimile igitur, nomen Pauli priùs fuiſſe adſcriptum, poſteà verò ſublatum. 2. In cap. 6. v. 1. & 2. *mentio fit Catechiſmi. Atqui mos ille poſt Pauli demum ætatem cœpiſſe videtur*. Reſpond. imò verò tempore Pauli jamdum catechizandi morem fuiſſe uſitatum, patet ex Galat. 6. v. 6. *Communicet ὁ κατηχούμενος in ſermone ei, qui ſe inſtituit ex omnibus bonis*. Actor. 18. v. 25. & 26. de Apollo dicitur, *hic erat κατηχημένος in via Domini*. 3. *Autor hujus Epiſtolæ cap. 2. v. 3. annumerat ſeipſum diſcipulis Apoſtolorum. Jam verò Apoſtolus Paulus fortiter negat, ſe quicquam ab hominibus in Evangelio didiciſſe*. Galat. 1. v. 22. cap. 2. v. 6. Bellarminus reſpondet, *Paulum hîc non agere de confirmatione per doctrinam, de qua in Epiſtol. ad Galatas agit, ſed de confirmatione per miracula, dicit enim ſalutem, h. e. ſalutis prædicationem confirmatam eſſe per Apoſtolos, conteſtante Deo ſignis & prodigiis*. Simplicius reſpondetur, hæc eſſe intelligenda per ἀνακοίνωσιν ſive κοινοποιΐαν, quâ is qui loquitur vel ſcribit, auditorib. ac lectorib. ſe aſſociat & quæ ad ipſos propriè pertinent, ad ſe transfert, qualia exempla occurrunt Eſa. 53. v. 3. 1. Cor. 4. v. 6. cap. 11. v. 31. 32. cap. 15. v. 51. 1. Theſſ. 4. v. 17 cumprimis 1. Pet. 4. v. 3. & in hac ipſa Epiſt. cap. 3. v. 6. & 14. quin & hoc ipſo cap. 2. v. 3. 4. *In capp. 6. & 10. videtur negare peccantib. poſt Baptiſmum pœnitentiam & remiſſionem*. In cap. 12. v. 17. *Eſau dicitur non inveniſſe locum pœnitentiæ; hæc videntur adverſari fidei analogiæ*. Reſp. hoc argumento nõ ſolùm autor hujus Epiſtolæ, ſed etiam ipſa Canonica autoritas in dubium vocaretur, quod tamen nemo facilè dixerit. Quo loca illa ſint accipienda, in art. de pœnit. & de pecc. actual. fuit expoſitũ. 5. *Uſq; ad Hieronymi ætatẽ non fuit recepta à Latinis*. Reſp. hac de re judiciũ fieri poteſt ex illis, quæ in utramque partem ex veterib. ſunt adducta. Bellarm. aſſerit, *Latinos omnes poſt Lactantiũ hanc Epiſt. agnoſcere ut Paulinam*, cùm tamen Hieron. Lactantio ducentis ferè annis recentior in c. 8. Eſa dicat: *Latinam Eccleſiam hanc Epiſt. non recipere*. 6. *Citantur in ea nonnulla velut de veteri Inſtrumento, quæ apud Hebræos non habentur, utpote Hebr. 12. v. 21. Et Moſes* [*adeo terribile erat viſum, quod apparebat*] *dixit: Expavefactus ſum ac tremebundus, jam verò non eſt mos Apoſtolorum, uti teſtimoniis Apocryphorum*. Reſp. Paulus etiam ex gentilibus quædam citavit, videlicet ex Arato, Menandro, Epimenide. Probabile eſt, Paulum hæc habuiſſe ex traditione, ſicut etiam nomina Magorum Jannes & Jambres. 2. Tim. 3. v. 8. Thomas Aquinas

reſpon-

reſpondet, *Moſen hoc ipſo facto dixiſſe*. Quidam reſpondent Exod.19.v.19. narrari de Moſe, quod cum hoc loco conſentit, *videl. cùm ſonus tubæ invaleſceret, locutum fuiſſe Moſen & Deum illi reſpondiſſe voce*; ex quo loco colliguntur, Moſen ſono illo tubæ territum de ſuo terrore conqueſtum & blandâ voce à Deo erectum. 7. *Stylus & orationis character nihil affinitatis habet cum phraſi Paulina.* Hieronym. in catal. illuſtr. in voce Paulus. Reſp. contrarium colligitur ex ſimilitudine phraſium & ex Methodo. Adde quod in aliis etiam Epiſtolis Paulinis, ſtyli quædam diverſitas occurrat. 8. *Autor Epiſtolæ dicit, ſe non jacere fundamentum doctrinæ*, cap.6.v.1. *Atqui illud faciunt Apoſtoli*. Reſp. per τὰ ϛοιχεῖα intelligit rudimenta & initia doctrinæ pro incipientibus, quæ hac quidem vice & in hac Epiſtola ponere non judicabat neceſſarium, alias verò maximè jecit fundamenta doctrinæ cœleſtis de perſona & officio Chriſti, de fide, de remiſſione peccatorum &c. 9. *Locus cap.9.v.4. videtur repugnare libro Canonico* 1. Regum 8. v.9. *ubi dicitur: In arca non fuerunt niſi duæ tabulæ lapideæ.* Argumentum hoc eſt Cajetani. Reſpondet Theophylactus: *Tempore Salomonis in arca non fuiſſe aliud quàm tabulas legis*, ut dicitur 1. Regum 8. *poſtea tamen à Iudæis etiam poſitas intra arcam, urnam & virgam.* Lyra & Vatablus ex Hebræis reſpondent, *Mannam & virgam Aaronis primùm quidem in arca fuiſſe, de quo tempore loquatur Epiſtola ad Hebræos, poſteà verò ex illa ſublata, de quo tempore ſermo ſit* 1. Regum 8. Quidam relativum ᾗ in loco Apoſtolico referunt non ad nomen proximum κιβωτὸν, ſed ad remotius, videlicet σκηνὴν. Quidam reſpondent, præpoſitionem ἐν valere hoc loco idem quod juxta. Utroque modo verum manet, in arca ſolas tabulas fuiſſe, urna enim & virga fuerunt coram arca Exod.16.v.34. Num.17. v.28. 1. Regum 8.v.9. Nos dicimus arcæ nomen dupliciter accipi, primò pro toto corpore arcæ, quod complectitur etiam cellulas laterales, in quibus repoſita fuit virga Aaronis & urna cum manna. Secundò pro interiori & quaſi ventre arcæ, in quo ſolæ tabulæ legales fuere repoſitæ. 10. *Autor Epiſtolæ cap.1. probat, Chriſtum eſſe filium Dei ex verbis 2.Sam.7.v.14. Ego ero ei in Patrem. At hæc verba intelliguntur ad literam de Salomone. Iam verò ex ſolo ſenſu literali ducuntur firma argumenta.* Cajetan. ibid. Reſp. imò verò Apoſtoli etiam ex allegoriis V. Teſt. firma petere poſſunt argumenta, cùm immediato Spiritus ſancti impulſu ſcripſerint. Præterea 2.Reg.7. quædam habentur, quæ in ſenſu literali Salomoni, quædam verò Chriſto conveniunt, ut ſuo loco plenius docetur. 11. *Autor Epiſtolæ cap.9. v.20. loquens de teſtamento propriè dicto, quod morte Teſtatoris confirmatur, allegat verba Exod. 24. v.8. Hic eſt ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus. Atqui in Exodo juxta Hebraicam veritatem nulla fit mentio Teſtamenti, ſed pacti.* Argumentum hoc eſt Eraſmi. Reſp. non ſolùm autor Epiſtolæ ad Hebræos, ſed etiam LXX. Interpr. vocem בְּרִית perpetuò vertunt διαθήκην teſtamentum, quin ipſe Apoſtolus ita uſurpat Rom.9.v.4. Galat.3.v.17. cap.4. v.24. Idem comprobat res ipſa, quia promiſſio illa vitæ æternæ in lege veteri promulgata diverſo reſpectu fuit fœdus & Teſtamentum, ut alibi explicatur.

278. Huic ergo poſteriori ſententiæ aſſenſum præbemus ac ſtatuimus, Epiſtolam ad Hebræos eſſe 1. ipſius Pauli. 2. eſſe Canonicam ſecundi tamen ordinis, cùm à quibuſdam in Eccleſia de ea olim fuerit dubitatum. 3. ſcriptam *ſermone Græco*. Clemens Alexandr. libr.4. ſtromat. Euſeb. lib.3. Hiſt. Eccleſ. cap.32. Hieron. in catal. ſcript. illuſtr. & alii quidam ex veterib. exiſtimant eſſe *Hebraicè* ſcriptam & in Græcum ſermonem converſam vel à Luca vel à Barnaba, ſed ab ipſo Paulo Græcâ linguâ eam exaratam eſſe veriſimilius cenſemus, 1. quia plerisque Judæis Græca lingua tunc erat familiaris, maximè iis, qui in minori Aſia degebant. 2. Cùm Petrus & Jacobus Epiſtolas ſuas ad Judæos diſperſos ſcriptas Græcâ linguâ exaraverint. Idem à Paulo factitatum veriſimile eſt. 3. Cùm reliquas Epiſtolas omnes Græcâ linguâ Paulus ſcripſerit, veriſimile eſt, eodem ſermonis charactere Canonicis N. Teſt. libris conſecuto ipſum in hac quoque uſum. 4. Apoſtolus non ſolùm Hebræis, ſed etiam cæteris gentibus, apud quas lingua Græca uſitata erat, per hanc Epiſtolam conſultum voluit. 5. Stylus ac dictio hujus Epiſtolæ non Hebræam, ſed Græcam redolent eloquentiam. 6. Si Hebraicè ſcripta eſſet hæc Epiſtola, debebant Hebraiſmi in Græca verſione paſſim apparere. At rariores ſunt in hac Epiſtola Hebraiſmi, quàm in cæteris. 7. Nullus veterum eſt, qui teſtetur, ſe vidiſſe Hebraicum hujus Epiſtolæ exemplar. 8. Scripturæ V. Teſtam. in ea citantur non juxta fontes Hebraicos, ſed juxta verſionem LXX. Interpp. 9. Nomen Hebraicum Melchiſedec interpretatur *Regem juſtitiæ*, ac Salem interpretatur *pacem*. At hoc nullo modo convenit, ſi Hebraicè ſcripſit. Confer Franciſc. Junium libr.3. paral. in cap.9. hujus Epiſt. p.479. Ex Italia per Timotheum eam fuiſſe miſſam, ſubſcriptio docet. Chryſoſtomus addit, Romæ ex carcere eam ſcriptam. Argumentum Epiſtolæ his verbis enarrat Athanaſius in Synopſi: *Quoniam Iudæi legi & illius umbris incumbebant, eam ob cauſam Paulus Apoſtolus Doctor gentium factus & ad gentes amandatus, ut Evangelium illis prædicaret, cùm omnibus gentibus ſcripſiſſet, jam deinceps omnibus etiam Hebræis, qui ex circumciſione crediderant, Epiſtolam hanc, declarationibus & probationibus inſtructam, de Chriſti adventu & legis umbra, quod illa defierit, ſcribit.* Thomas annotat, *hanc Epiſtolam ſcriptam contra errores quorundam, qui ex Iudaiſmo ad fidem Chriſti converſi volebant legalia V. Teſt. unà cum Evangelio obſervare, quaſi gratia Chriſti ad ſalutem non ſufficeret.* Scopus & ſumma totius Epiſtolæ conſiſtit in eo, quòd Jeſus Chriſtus verus Deus & verus homo, ſit promiſſus in Vet. & exhibitus in Nov. Teſt. Meſſias, unicus Eccleſiæ Propheta, Rex & Sacerdos, Leviticis Ceremoniis præfiguratus, à quo totam Dei Eccleſiam illuminari & ſanctificari oporteat, cujus Evangelium fide amplecti & fructus Evangelio dignos ferre debeamus. Capitibus conſtat 13. in quibus agitur 1. de Chriſto, ejusque perſona & officio. 2. de Chriſtianorum officiis, quibus Redemtori ſuo ſeſe gratos exhibere debeant, ad quæ etiam pertinet patientia in perſecutionibus propter Chriſtum ſufferendis demonſtranda.

279. 2. *Epiſtola Iacobi*. De ea itidem aliquandiu in Eccleſia fuit dubitatum. Euſeb. lib.2. Hiſtor. Eccleſ. cap.22. *Iacobi eſſe dicitur Epiſtola,* — *2. Epiſtola Iacobi.*

quæ

quæ inter Catholicas prima eſt, ἐςὶν δ᾽ ὡς νοθεύεται. Sciendum a. eſt, quod non pro genuina judicetur, non enim multi ex veteribus illius mentionem faciunt, ſicut nec ejus, quæ Judæ inſcribitur, cùm & ipſa ſit una ex ſeptem, quæ Catholicæ appellantur. Attamen ſcimus & iſtas cum reliquis publicè in plurimis Eccleſiis legi. (Bellarm. lib. 1. de verbo Dei cap. 18. arg. 3. mendacii accuſat Centuriatores Magdæburgenſes, quòd ex Euſebio Epiſtolam Iacobi vocarint *adulterinam*. Sed inſpiciantur ipſa Euſebii verba, & res tota erit in aprico poſita.) Idem Euſeb. lib. 3. Hiſt. cap. 22. poſt enumeratos primi ordinis Canonicos Nov. Teſt. libros ſubjungit: *Quibus v. contradicitur, tametſi multis ſint cognita, ſunt hæc: Epiſtola, quæ Jacobo tribuitur* &c. lib. 6. cap. 12. *Clemens Alexandrinus totius Canonicæ Scripturæ contractas explicationes fecit, ita ut ne eas quidem præterierit, quibus contradicitur.* cap. 13. *Loquitur a. de Epiſtolis Catholicis.* Hieronymus in catal. illuſtr. in Jacobo: *Jacobus frater Domini brevem ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Canonicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub ejus nomine edita aſſeritur, licet paulatim procedente tempore obtinuerit autoritatem.* Caſſidorus lib. 1. div. lect. cap. 8. *Clemens Alexandrinus Epiſtolam D. Jacobi Attico ſermone declaravit, quæ nos converti fecimus in Latinum.* Ex recentioribus Cajetan. in comm. h. Epiſt. ſic diſſerit: *Non eſt uſque adeo certum, an Epiſtola hæc ſit Jacobi fratris Domini. Salutatio hic poſita tam pura eſt, ut nulli ſalutationi cujuscunque alterius Apoſtolicæ Epiſtolæ conformis ſit. Nam nihil Dei, nihil Jeſu Chriſti, nihil gratiæ, nihil pacis ſonat, ſed profano more ſalutem, nec ipſe ſeipſum nominat Apoſtolum, ſed tantùm ſervum Ieſu Chriſti.* Eraſmus in cap. 1. Act. p. 199. *De Epiſtola Iacobi nonnihil eſt dubitatum.* In cap. 5. Iacobi p. 523. *De hac Epiſtola tametſi ſalubribus præceptis referta, dubitatum eſt olim, cujus eſſet. Nec enim referre videtur uſquequaquè majeſtatem illam & gravitatem Apoſtolicam, nec Hebraiſmi tantum, quantum à Iacobo, qui fuerit Epiſcopus Hieroſolymitanus, expectaretur.* D. Hieronymus in catalogo Script. Eccleſ. ex autoritate Hegeſippi indicat, *multos hujus nominis fuiſſe diſcipulos. Et ipſe in titulo Epiſtolæ non appellat ſeſe Apoſtolum, quanquam in noſtris adjectum eſt Apoſtoli cognomen, ſed reclamantibus magno conſenſu Græcorum exemplaribus.* Et poſteà: *Quanquam ego ſuper hac re cum nemine digladiabor, Epiſtolam probo & amplector. Illud miror, ſuper hiſce rebus nullos odioſius & conſtantiùs aſſeverare, quam quincid quidem explicare poſſunt, quâ linguâ ſcripta fuerit, Hebraicâ an Græcâ, quo Interprete Latino facta ſit. Hieronymus vir tantus addubitavit, & prudenter, quid ſenſerit, indicat. Nos quò minus ſapimus, hoc audacius affirmamus.* Lutherus lib. de capt. Babylon. ſcribit: *multos probabiliter aſſerere, hanc Epiſtolam non eſſe Iacobi, nec Apoſtolico Spiritu dignam.* Argumentis moventur duobus: 1. *ex ſtylo.* Iacob dicit, nos juſtificari non tantùm fide, ſed etiam operibus, quod repugnare videtur Paulo, 2. *ex objecto.* Iacobus nullam facit mentionem Chriſti, nullam Evangelii. (Campianus rat. 1. nobis objicit, quòd Lutherus hanc Epiſtolam vocarit *contentioſam, tumidam, aridam, ſtramineam & Spiritu Apoſtolico indignam.* Reſp. Sanè in prima Bibliorum Germanicorum editione in præfat. Epiſt. Iacobi ſcribit, *Eam non poſſe dignitate certare cum Epiſtolis Petri & Pauli, ſed Epiſtolam ſtramineam eſſe, ſi cum illis comparetur*; Sed 1. nuſpiam vocat *contentioſam, tumidam, aridam.* 2. aliud eſt loqui ἁπλῶς, aliud συγκριτικῶς. 3. in poſterioribus Bibliorum editionibus verba illa ſunt omiſſa. Poſt annum 1526. in nulla Bibliorum editione ſtraminea à LUTHERO vocatur. 4. contrarium potiùs in poſterioribus illis editionibus habetur, videl. quòd eam quamvis à veteribus rejectam, tamen laudet ac pro utili & commoda habebat.) D. Luc. Oſiander in præfat. *Non injuria in primitiva Eccleſia de ea dubitatum fuit, bis enim tantùm nominis Chriſti mentionem facit, neque de ipſius beneficiis, paſſione & merito docet. Præterea contendit, Abrahamum non ſolâ fide juſtificatum. Denique Eccleſiam vocat Synagogam, quod ab Apoſtolorum conſuetudine alienum.*

280. Sed non deſunt argumenta, quæ probent, eſſe hanc Epiſtolam Apoſtolicam. 1. Non ſolùm nihil Apoſtolo indignum continet, ſed etiam gravitatem ac zelum Apoſtolicum per omnia præ ſe fert. 2. Citatur nomine Iacobi à Concilio Laodiceno & Carthaginenſi tertio. 3. Eidem teſtimonium præbent Origenes homil. 7. in Ioſuam, Epiphanius hæreſ. 76. Athanaſius in Synopſi, Dionyſius de divin. nom. cap. 4. Cyprianus ad Novatianum, Hieronymus ad Paulinum, Auguſtinus, Epiſt. 29. ad Hieron. & lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 8. Ruffinus in expoſit. Symb. Iſidorus lib. 6. etymolog. cap. 1. Damaſcenus lib. 4. orth. fid. cap. 18. & quotquot catalogum librorum N. T. Canonicorum ediderunt.

281. Argumenta, quæ in contrarium proferuntur, potiora hæc ſunt. 1. *Syriaca verſio tribuit hanc Epiſtolam Iacobo Zebedæi filio fratri Iohannis, ſic enim habet inſcriptio trium Epiſtolarum. hujus ſcil. & prioris Petri & primæ Iohannis. Tres Epiſtolæ trium Apoſtolorum, ante quorum oculos Dominus noſter ſeſe transformavit, h. e. Iacobi, Petri & Iohannis. Atqui Iacobus ille ſtatim ſub initium prædicati Evangelii per Herodem è medio fuit ſublatus.* Act. 12. v. 2. *Hæc autem Epiſtola aliquantò poſt videtur ſcripta, cùm Evangelium jam inter gentes eſſet prædicatum, inter quas Iudæi converſi erant diſperſi.* Quidam reſpondent, quia inter mortem Chriſti & Martyrium Iacobi decem anni plus minùs interceſſerint, ideò veriſimile eſſe, quòd intra illud tempus Iacobus hanc Epiſtolam ſcripſerit ad fratres Iudæos. poſt Stephani necem diſperſos, hanc n. *diſperſionem* intelligunt per eam, cujus in exordio Epiſtolæ fit mentio. Sed quia teſte Irenæo lib. 3. adv. hæreſ. c. 1. Apoſtoli ſerò cœperunt doctrinam ſuam literis conſignare, in prædicationem verbi principiò intenti, cumprimis quia hæc Epiſtola directa eſt contra opinionem eorum, qui doctrinam Apoſtoli Pauli de fide ſola ſine operibus juſtificante non rectè accipiebant, ideò non eſt veriſimile eo tempore hanc Epiſtolam eſſe ſcriptam, quo Paulus nondum cœperat gentibus prædicare, nedum Epiſtolas ſcribere. Rectiùs igitur tribuitur hæc Epiſtola alteri Iacobo *Alphæi filio, fratri Iudæ, Minoris* aliàs appellato, cui cognomen *Oblia*, quique poſtea fuit Epiſcopus Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ac inter *columnas Eccleſiæ* à Paulo numeratur Gal. 2. v. 9. Illum verò Iacobum fuiſſe ex numero duodecim Apoſtolorum ac proinde Catholicam Epiſtolam ſcribere potuiſſe, demonſtrat Hieronymus lib. adv. Helvid. Diſcedendum proinde hac in parte à Syriaca verſione. 2. *Autor hujus Epiſtolæ nec Apoſtolum, nec fratrem Domini ſeſe vocat.* Reſp. etiam Paulus in Epiſt. ad Philippenſes, in u-

traque ad Theſſalonicenſes & ad Philemonem non vocat ſe Chriſti Apoſtolum, ſed aut ſervum, quod facit etiam Jacobus, aut nihil addit. Johannes quoque nec in Epiſtolis nec in Apocalypſi addit nomen Apoſtoli. Sed nec Judas, qui citra omnẽ dubitationem fuit in numero duodecim Apoſtolorum, Apoſtolum ſe nominat, ſed tantùm Ieſu Chriſti ſervum & Jacobi fratrem. Cur nec Judas, nec Jacobus ſe fratres Domini nominent, ratio dari poteſt ea, quia non Chriſtum, ſed ſeipſos potius honoraſſe videri poterant, ſi ſeſe appellarent fratres ejus, cujus erant Apoſtoli & ſervi, præſertim ſi id facerent in literis publicis ad Eccleſias ſcriptis. In Epiſtola Epiphanij ad Johannem Hieroſolymitanum, quam Hieronymus ea Græca Latinam fecit cap. 4. Jacobus hujus Epiſtolæ ſcriptor, modò *Apoſtolus*, modò *frater Domini* diſertis verbis appellatur. 3. *Videtur hæc Epiſtola oppugnare juſtificationem per fidem.* Reſp. in articulo de Juſtificat. §. 190. genuinum cap. 2. ſenſum latè expoſuimus. Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. 14. *Quoniam hæc opinio fuerat exorta,* (quòd bona opera non ſint neceſſaria) *aliæ Apoſtolicæ Epiſtolæ Petri, Johannis, Jacobi, Judæ, contra eam maximè dirigunt intentionem, ut vehementer aſtruant, fidem ſine operibus nihil prodeſſe, ſicut & ipſe Paulus non quamlibet fidem, quà in Deum creditur, ſed eam ſalubrem, planeque Evangelicam definivit, cujus opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur.* 4. *Salutatio non eſt ſimilis Apoſtolicæ ſalutationi.* Reſp. imò verò ſimilis extat ſalutatio Act. 15. v. 23. *Apoſtoli & Seniores fratres his qui ſunt Antiochiæ, Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem.* Apoſtoli non ſemper eâdem aut ſimuli formulâ ſalutandi in ſuis Epiſtolis utebantur, ſed eâ in re morem vulgò receptum ſequebantur. Nec judicandus eſt gratiam & pacem prætermiſiſſe, qui ſalutem nominavit, quia ſine gratia & pace vera ſalus locum habere nequit. 5. *Nec Chriſtum nec fidem prædicat, quia nihil tradit de ratione conſequendi ſalutem per fidem in Chriſtum.* Reſp. imò verò & Chriſti & fidei aliquoties mentionem facit. Chriſti quidem, quando ſe ejus vocat *ſervum* c. 1. v. 1. quando vocat eum *Dominum gloriæ* cap. 2. v. 1. quando adventum ejus ad judicium commemorat. cap. 5. v. 7. & ſeqq. quando in ipſius nomine orari mandat. v. 14. Fidei verò, quando *probationem fidei patientiam operari* aſſerit cap. 1. verſ. 3. quando *in fide orandum eſſe* docet v. 6. quando *verbo veritatis* fide ſcilic. apprehenſo *nos à Deo genitos* docet v. 18. quando *inſitum verbum ſuſcipere* jubet, verâ ſc: fide v. 21. quando prohibet, ne in *perſonarũ acceptione fidem habeamus* c. 2. v. 1. hoc eſt, requirit ut talem habeamus fidem, quæ conjunctam habeat veram caritatẽ, omnib. abſq; diſcrimine perſonarũ benefacientẽ, quãdo *divites in fide à Deo electos* eſſe aſſerit v. 5. quando veram fidem *per opera & ex operibus* demonſtrandam eſſe docet verſ. 14. & ſeqq. quando per *orationem fidei infirmos ſalvari* docet c. 5. v. 15. At hæc omnia loquuntur de vera & ſalvifica fide, quæ promiſſionem gratiæ de Chriſto in Evangelio propoſitam ad juſtitiam & ſalutem amplectitur. Adde quòd ſcopus principalis hujus Epiſtolæ in eo conſiſtat, ut falſam eorum opinionem refellat, qui doctrinâ de gratuita juſtificatione per fidem abutebantur ad licentiam carnis. Ad hunc ergo ſcopum doctrinam ſuam præcipuè accommodavit. 6. *vocat legem V. T. legem libertatis* cap. 1. v. 25. cap. 2. v. 12. *quam Paulus vocat legem ſervitutis* Gal. 4. v. 31. Reſp. lex divina moralis *in ſe ac per ſe* eſt lex libertatis, ſed per *accidens* reſpectu noſtri eſt lex ſervitutis. Sic legem in ſe ac per ſe Stephanus vocat λόγια ζῶντα Act. 7. v. 38. quæ per accidens à Paulo vocatur *miniſterium mortis* 2. Corinth. 3 v. 7. Bellarminus reſpondet, *Iacobum loqui de nova lege, quæ gratiam ſimul præbet & vires præſtandi ea, quæ in Decalogo requiruntur,* quâ de re quid ſtatuendum ſit, ſuo exponitur loco. 7. *Eccleſiam vocat Synagogam* cap. 2. v. 2. *quod ab Apoſtolorum conſuetudine alienum.* Reſp. Hebr. 10. v. 25. extat appellatio ἐπισυναγωγῆς deducta ex Matth. 23. v. 37. *quoties volui* ἐπισυνάξαι *filios tuos?* Quidam huc referunt locum 2. Theſſ. 2. v. 1. ubi vox ἐπισυναγωγῆς de univerſali piorum congregatione in die judicii accipitur. Iren. lib. 3. adv. hæreſ. cap. 6. p. 175. *Hi qui adoptionem acceperant, ſunt Eccleſia, hæc enim eſt Synagoga Dei, quam Deus h. e. Filius ipſe per ſemetipſum collegit.* Adde quod conjugata συναγωγῆς congregationis populo Chriſtiano tribuantur. Matth. 13. v. 2. cap. 18. verſ. 20. Joh. 11. v. 52. cap. 20. v. 1. Act. 4. v. 31. cap. 11. v. 26. cap. 14. v. 27. cap. 15. v. 6. c. 20. v. 7. 8. *Autor Epiſtolæ teſtimonia profert ex Epiſtolis Petri & Pauli non ergo fuit unus ex Apoſtolis, ſed ex Apoſtolorum diſcipulis.* Reſp. Similes quædam ſententiæ in hac Epiſtola inveniuntur illis, quæ in Pauli & Petri Epiſtolis occurrunt, illud verò tantum abeſt, ut Canonicam illius autoritatem elevet, ut eandem potiùs probet. Eſai. 2. v. 3. Mich. 4. v. 1. ſimiles omninò ſententiæ occurrunt, nec tamen quiſquam de Canonica horum Prophetarum autoritate dubitat. 9. *Euſebius lib. 2. Hiſt. cap. 22. dicit hanc Epiſtolam* νοθεύεσθαι. Reſp. non ratione Canonicæ autoritatis, ſed duntaxat autoris, quia teſte Hieronymo in catal. in Jacobo, *paulatim tempore procedente obtinuit autoritatem.* Et ex ipſo Euſebio colligitur, dubitationem illam vel paucorum hominum vel paucarum Eccleſiarum fuiſſe.

282. Statuimus igitur & Canonicã & Apoſtolicã eſſe hanc Epiſtolam, ſcriptam Hieroſolymis, ut veriſimile eſt, quia Jacobus erat Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Epiſcopus; non multò ante beatum obitum, ut haberent fideles Judæi ſui Apoſtoli & Epiſcopi doctrinam ſcripto conſignatam, quâ etiam poſt mortem ipſius inſtruerentur. Capitibus conſtat 5. in quibus fideles in doctrina Chriſti jam dum inſtitutos. 1. dehortatur à variis vitiis profeſſionem ipſorum dedecentibus. 2. exhortatur autẽ contrà ad virtutes, profeſſione ipſorũ dignas.

283. 3. *Poſterior Petri.* De ea itidem in primitiva Eccleſia ab aliquibus fuit dubitatum, unde inter ſecundi ordinis Canonicos & hanc referimus. Euſebius lib. 3. Hiſtor. cap. 3. *Petri Epiſtola una, quæ prior dicitur, citra controverſiam recepta eſt, hac & veteres olim Presbyteri ſine ulla haſitatione in Scripturis ſuis uſi ſunt. Eam vero quæ poſterior dicitur, non eſſe legitimam* ἐνδιάθηκον *accepimus. Et tamen, quia multis videtur eſſe utilis, cum aliis eſt uſurpata Scripturis.* Et poſtea. *De his, quæ Petro tribuuntur, ex quibus unam duntaxat germanam illius Epiſtolam apud priſcos Presbyteros in confeſſo habitam cognovi, hactenus dictum eſto.* lib. ejuſd. cap. 22. poſt enumeratos primi ordinis Canonicos ſubjungit. *Quibus vero contradicitur, tametſi multis ſint cognita, ſunt hæc Epiſtola, quæ Jacobo tribuitur & Epiſtola Judæ & poſterior Petri & altera cum tertia* Iohannis lib. 6. c. 24. ea Origine in explic. Pſ. 1. *Petrus unam Epiſtolam, de qua certò conſtat,*

3 *Poſterior Petri.*

conſtat, poſt ſe reliquit. Eſto autem, reliquerit & alteram, de illa namque controvertitur. Didymus Hieronymi præceptor commentariolum ſuum in hanc Epiſtolam ſic concludit. *Non eſt igitur ignorandum, præſentem Epiſtolam eſſe falſatam, quæ licet publicetur, id eſt, publicè per Eccleſias legatur, non tamen in Canone eſt.* Hieronymus in catal. viror. illuſtr. in Petro. *Secunda Petri Epiſtola à plerisq́; ejus eſſe negatur.* In Syriaca paraphraſi prætermittitur. Ex recentioribus Cajetanus in comm. hujus Epiſt. de ea dubitat. Eraſmus in 2. Pet. 3. *De hac ſecunda Petri Epiſtola, cujus eſſet, controverſia erat. Styli diſcrimen tum in verbis, tum in ſenſibus clarius eſt, quam ut poſſit diſſimulari. Proinde cùm hic teſtetur, ſe fuiſſe ſpectatorem viſionis in monte, deinde mentionem facit ſuperioris Epiſtolæ, poſtremò Paulum appellat fratrem, mihi non diſplicet, quod affert Hieronymus de interprete.* Hieronymi autem verba in Epiſt. 150 ad Hedibiam q. 11. ita ſonant. *B. Paulus habebat Titum Interpretem, ſicut & B. Petrus Marcum, cujus Evangelium Petro narrante & illo ſcribente compoſitum eſt. Denique & duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo & charactere inter ſe diſcrepant, ſtructuraque verborum, ex quo intelligimus pro neceſſitate rerum eum diverſis Interpretibus uſum.* Piſtorius contra D. Mentz. p. 161. fatetur, *de hac Epiſtola aliquamdiu fuiſſe dubitatum.*

284. Sed præſtò ſunt argumenta, quæ perſuadeant eſſe Apoſtolicam Epiſtolam, à Petro ſcriptam. 1. quia autor ejus diſertis verbis ſe appellat *Simonem Petrum ſervum & Apoſtolum Jeſu Chriſti.* 2. Inſcripta eſt iiſdem, quibus prior, Judæis ſcilicet per Imperium Romanum diſperſis & ad Chriſtum converſis, quorum Apoſtolus erat Petrus. 3. Spiritus in ea eſt Apoſtolicus. 4. Stylus & compoſitio priori Epiſtolæ conformis. Autores Hiſt. Magdæb. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. col. 54. *Præter hoc unum, quod teſtimonio antiquitatis carere dicitur, aliud nihil ei deeſſe videtur, quo minus pro genuina Petri habeatur, nam ſtylus & compoſitio à priori non admodum diſcrepat.* 5. Autor hujus Epiſtolæ dicit, *à Chriſto depoſitionem tabernaculi ſibi declaratam* cap. 1. v. 14. quibus verbis procul dubio reſpicit ad prædictionem Chriſti Joh. 21. v. 27. 6. teſtatur, ſe fuiſſe *ſpectatorem transfigurationis* in monte c. 1. v. 16. jam verò Petrus unà cum Iacobo & Iohanne illi interfuit. 7. mentionem facit prioris Epiſtolæ cap. 3. v. 1. 8. Paulum vocat *carum ſuum fratrem.* cap. 3. v. 15. 9. Nomine Petri in Canone ponitur à Concilio Laodiceno can. 59. Carthaginenſi 3. Athanaſio in Synopſi Damaſceno lib. 4. cap. 18. Epiphanio hæreſi. 76. Hieronymo ad Paulin. Auguſtino lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. Gregorio homil. 18. in Evangel. &c. Beda in comment. miratur, *quâ ratione dubitari potuerit de autore hujus Epiſtolæ, cùm nomen ſuum exprimat, ſeque in monte cum Domino fuiſſe diſertis verbis teſtetur.* Origenes & Hieronymus multis in locis ex hac Epiſtola tanquam ex Scriptura ſacra teſtimonia proferunt. Lutherus in præfat. Epiſt. ad Hebr. inter Canonicos libros eam refert. Quod in contrarium à quibuſdam *ſtyli à priore Epiſtola diverſitas* urgetur, ad illud per inficiationem reſpondemus. Quòd ſi vel maxime hîc eſſet quædam ſtyli diverſitas, eadem etiam in Paulinis Epiſtolis occurrit. Hieronymus ad Hedibiam q. 11. ex Interpretis diverſitate eam originem duxiſſe ſtatuit. Quod in primitiva Eccleſia de ea aliquando dubitatum fuit, illud ad ſecundi ordinis Canonicos eam

Exegeſis

referendam eſſe arguit. Scripta eſt ad eoſdem, ad quos prior videlicet ad converſos Judæos cap. 3. verſ. 1. quod colligitur etiam ex cap. 1. verſ. 19. Capitibus conſtat tribus, in quibus Apoſtolico exordio ſubjungitur 1. exhortatio ad ſtudium proficiendi & perſeverandi in fide. 2. commonefactio de cavendis tum ſeductoribus tum empæctis atq; irriſoribus ultimum Chriſti adventum negantibus, ac tota Epiſtola concluditur δοξολογίᾳ Apoſtolo digna.

285. 4. *Secunda & 5. Tertia Johannis.* De illis non minùs fuit olim dubitatum, ut de Epiſtola ad Hebræos, Jacobi & poſteriore Petri. Euſebius lib. 3. c. 21. *Prior Johannis Epiſtola abſque ulla heſitatione cùm à veteribus tùm à recentioribus recipitur, reliquis verò duabus contradicitur.* lib. ejuſdem c. 22. *Quibus contradicitur, tametſi multis ſunt cognita, ſunt hæc. Epiſtola quæ Jacobo tribuitur &c. & altera cum tertia Johannis, ſive illæ Evangeliſtæ ſint, ſive alterius cujuspiam, ejuſdem cum illo nominis.* lib. 6. c. 24. ex Origene *Johannes reliquit poſt ſe & Epiſtolam admodùm paucis verbis comprehenſam. Eſto adjiciantur & altera & tertia, etenim non omnino illas germanas eſſe dicunt, attamen utraque non centum verſus habent.* Hieron. in catal. viror. illuſtr. in Johanne. *Johannis reliquæ duæ ſunt Epiſtolæ, quæ Johannis Presbyteri aſſeruntur, cujus & hodie ſepulchrum eſt apud Epheſum, & nonnulli putant duas memorias Iohannis Evangeliſtæ eſſe* (Euſebius lib. 3. Hiſt. c. 36. ex ſententia Papiæ itidem duos Johannes conſtituit, Apoſtolum ſcilicet & ſeniorem) Eraſmus in comment. *Conſtat inter autores, primam Iohannis Epiſtolam ejus eſſe Iohannis, quem Ieſus dilexit plurimùm, cæterum duas poſteriores Iohannes Presbyter ſcripſit, non Iohannes Apoſtolus.* Cajetanus in comment. negat eſſe Canonicas.

4. Secunda & 5. Tertia Iohannis.

286. Sed & has Epiſtolas eſſe Canonicas & Apoſtolicas, probari poteſt. 1. Autor earum ſe vocat πρεσβύτερον, quo nomine ſæpiùs ſignificatur officium Eccleſiaſticum, ſed hîc videtur ætas magis notari. Jam verò conſtat, Johannem præ reliquis Apoſtolis ad grandiorem ætatem perveniſſe. 2. Salutatio eſt planè Apoſtolica. *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax à Deo Patre & Domino noſtro Ieſu Chriſto Filio Patris cum veritate & concordia.* 3. In ſententiis & verbis cum prima Epiſtola conveniunt, ut oſtēdit collatio. Beda in comm. 2. Joh. *Quidam putant, hanc & ſequentem Epiſtolam non eſſe Iohannis Apoſtoli, ſed cujuſdam Presbyteri Iohannis, cujus ſepulchrum usq; hodie monſtratur in Epheſo, ſed nunc generalis Eccleſiæ conſenſus habet, quòd has Epiſtolas Iohannes Apoſtolus ſcripſerit, quia reverâ multam verborum & fidei ſimilitudinem cum prima ejus Epiſtola oſtendit & ſimili zelo dehortatur hæreticos.* Confer. 1. Joh. 2. v. 7. cum 2. Epiſt. v. 5. Item 1. Epiſt. 2. v. 23. cùm 2. Epiſt. v. 9. Item 1. Epiſt. 3. v. 6. cum 3. Epiſt. v. 11. Item 1. Epiſt. 4. v. 1. 2. 3. cum 2. Epiſt. v. 7. Item 1. Epiſt. 5. v. 3. cum 2. Epiſt. v. 6. Item loca illa, in quibus utrobique inculcat caritatem, quæ ſit in veritate. 4. Veteres ſub Iohannis nomine eas allegant & Canonicis libris accenſent. Conc. Carthagin. 3. Can. 47. Concil. Laodic. can. ult. Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. in Synodo Carthaginenſi, quæ ſub Cypriano fuit habita, ita legitur ſententia 81. inter Epiſcoporum ſuffragia. *Iohannes Apoſtolus in Epiſtola ſua poſuit, dicens: Si quis venit ad vos.* Quod Papias ad Euſebium & Hieronymus non Iohanni Apoſtolo, ſed Iohanni Presbytero eas tribuunt,

 id

id probat ad ſecundi ordinis Canonicos libros has Epiſtolas pertinere. Canonicæ enim earum autoritati non præjudicat, quod pauci quidam de autore dubitarint, reliquis omnibus Johanni Apoſtolo eas tribuentibus. Quid quod Hieronymus ex aliorum potius quàm ex ſua ſententia loquitur. *Aſſeruntur*, inquit, *eſſe Iohannis Presbyteri.* Ipſe verò allegaturus eas Epiſt. 85. ad Evagrium, ſic præfatur. *Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Ieſus amavit plurimum, qui è pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit.* Idem Epiſt. 103. ad Paulinum. *Iacobus, Petrus, Iohannes, Iudas Apoſtoli ſeptem Epiſtolas ediderunt &c.* ex quo apparet, Hieronymum ſine hæſitatione eas Johanni aſſignaſſe. *Secunda Epiſtola* principaliter ſcripta videtur adverſus impietatem Baſilidis & ſectatorum ejus docentium, *Chriſtum non verum hominem, ſed phantaſma tantum fuiſſe, ideoque nihil eorum vel feciſſe vel paſſum eſſe, quæ viſus eſt facere vel pati* Epiphan. hæreſ. 24. Gratulatur igitur Ioh. *mulieri electæ*, id eſt, nobili ac præſtanti ad Chriſtum converſæ & ejus filiis, quòd veram de Chriſto Jeſu fidem teneant, ac hortatur, ut in ea perſeverent, ac per caritatem & bona opera eam exornent, contrà verò ab hæreſib. & hæreſium architectis ſummo ſtudio caveant. *Tertia Epiſtola* commendat Cajum, quod rectam de Chriſto fidem teneat, eamque operibus caritatis exornet, eumque hortatur, ut in fidei ſinceritate & vitæ ſanctitate conſtanter perſeveret, nec Deotrephis, ſed Demetrii exemplum hac in re ſequitur.

6. Epiſtola Iudæ

287. 6. *Epiſtola Iudæ.* Nec hæc fuit extra dubitationis aleam apud omnes olim polita. Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. *Non multi ex veteribus mentionem faciunt Epiſtolæ Iacobi, ſicut nec ejus quæ Iudæ inſcribitur, cum & ipſa una ſit ex ſeptem, quæ Catholicæ appellantur. Attamen ſcimus & iſtas cum reliquis publicè in plurimis Eccleſiis legi* lib. 3. cap. 22. inter τὰς ἀντιλεγομένας numerat Judæ Epiſtolam. Hieronymus in catal. vir. illuſtr. *Judas Jacobi frater parvam quidem, quæ de Catholicis eſt, reliquit Epiſtolam, & quia de libro Enochi, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a pleriſque rejicitur, tamen autoritatem jam vetuſtate & uſu meruit.* Cajetanus in comm. hujus Epiſt. *Minoris eſt autoritatis hæc Epiſtola iis, quæ ſunt certæ autoritatis.* Eraſmus in comm. p. 541. *Locus quem hic citat Judas, ſumtus eſt ex apocryphis Hebræorum, & ut D. Hieronymus indicat in commentariis in Epiſt. ad Titum ex libro, qui illis inſcribitur Enoch, unde & ipſa Epiſtola non caruit ſuſpicione.* Hiſtor. Eccleſ. Magdæb. Cent. 1. lib. 2. cap. 4. aliquot rationes aſſignat, quæ Judæ Epiſtolam non eſſe genuinam arguant.

288. Sed enim hanc Epiſtolam eſſe Apoſtolicam probat. 1. ἐπιγραφὴ. Autor diſertè ſe appellat *Judam Ieſu Chriſti ſervum ac fratrem Jacobi*. 2. Materia. Convenit hæc Epiſtola & ſententiis & verbis cum poſteriore Petri, cujus quaſi brevem ſummam & ἀνακεφαλαίωσιν continet. 3. Teſtimonia veterum. Canonicis Nov. Teſtam. libris à Concilio Laodiceno, & Carthaginenſi, ab Athanaſio, Auguſtino & reliquis quotquot librorum ſacrorum catalogum recenſuerunt. Sub nomine Judæ citatur à Dionyſio de div. nom. cap. 4. Tertulliano de habit. muliebr. cap. 5. Origene homil. 7. in Joſuam & lib. 5. in cap. 5. Roman. Cypriano ad Novatian. Epiphanio hæreſ. 76. Hieronymo in cap. 29. Jerem. in cap. 32. Ezech. in cap. 1. Titum &c. ** Cyrillus Hieroſol. catech. 4. Ambroſius in cap. 8. Luc. Aug. de fide & operibus c. 65. Cyrill. Alexandr. de fide ad Regin. Iſid. Peluſ. lib. 4. Epiſt. 58. Caſſianus coll. 4. c. 13. Clem. Alex. l. 7. Strom. ** 4. Ipſe Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccleſ. c. 11. refert, Clementem Alexandrinũ in libris hypotypoſeon ut in alias Script. ita & in Epiſtolam Judæ breves ſcripſiſſe explicationes, quæ eo tempore adhuc extiterint.

289. Argumenta, quæ in contrarium afferuntur, potiora hæc ſunt. 1. *In Scripturis ſacris nulla apparẽt veſtigia Hiſtoriarum, quæ in hac Epiſtola allegantur. Ubi enim extat Hiſtoria altercationis inter Michaelem Arch-Angelum & Diabolum de corpore Moſis?* Reſp. Quemadmodum Paulus nomina Magorum Jannis & Jambris ex traditione citat. 2. Tim. 3. v. 8. ita quoq; Judas altercationem illã Michaëlis Arch-Angeli & Diaboli. Adde quòd veſtigia illius Hiſtoriæ in libro Canonico extant. Deut. 34. v. 9. commemoratur, *quòd corpus Moſis à Dñ. in valle montis Nebuntis ſit ſepultum, quodq; Iſraelitæ ſepulchrum illud ignoraverint.* Videtur igitur Diab. illud Iſraëlitis patefacere voluiſſe, ut idololatricum cultum circa illud inſtituerent, ſicut ſerpente æneo ad idololatriã poſtea ſunt abuſi. Sed Michaël Archangelus Diabolum prohibuit. Fuit olim ſcriptum titulo משה פטירת *dimiſſio Moſis ex hac vita.* Græcè ἀνάληψις Μωυσέως in eo continentur, quæ de corpore Moſis hoc loco citantur. Quidam altercationem illam ſic accipiunt, quod Angelus præbuerit miniſteriũ in ſepeliendo Moſe, id verò noluiſſe ferre Diabolũ, qui accuſationem obverterit, quaſi Moſes propter cædem Ægyptii ipſius eſſet, ac propterea non permiſerit, ut Moſes honorificam conſequeretur ſepulturam. Sed prior explicatio eſt ſimplicior. 2. *Autor Epiſtolæ aſſumit teſtimonium ex libro Enoch, qui apocryphus eſt.* Reſp. Tertullianus lib. de habit. muliebr. & Beda in commenr. h. Epiſtol. contendunt, librum Enoch vetum & Canonicum tempore Judæ in manibus hominum adhuc extitiſſe. Hieron. in c. 1. Titum. Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei c. 23. & lib. 18. c. 38. reſpondent *etiam in apocryphis aliquid veri eſſe, & Iudam ex libro apocrypho hoc protuliſſe*, nec tamen propterea totum librum approbaſſe, cùm Apoſtolus etiã ex Ethnicis Poëtis teſtimonia proferat, nec tamen illis autoritatem Canonicam tribuere voluerit. Quidam reſpondent, Iudam non tam ad *verbale* quoddam vaticinium, quàm ad *reale*, h. e. ad ordinem inter Patriarchas reſpicere. Sicut mors corporalis in ſex priores Patres Eccleſiæ, ſcilicet in Adam, Seth, Enos, Kenan, Mechaleël & Iared propter peccatum efficaciſſimè dominata eſt, in ſeptimum verò Enoch ſuam vim atque potentiam exercere non potuit: ita quoq; per ſex millia annorum, quibus mundus hic ſtabit, in omnes homines dominabitur, ſed in ſeptimo millenario, qui initium æternæ ac cœleſtis vitæ futurus eſt, amiſſo aculeo ſuo prorſus abolebitur. Confer Chunmannum Flinſpachium de conject. extr. tempor. Sed quia notanter dicit Iudas: προεφήτευσε καὶ τούτοις ἕβδομος ἀπὸ Ἀδὰμ Ἐνὼχ λέγων, ἰδοὺ ἦλθε κύριος, inde alii probabilius cenſent, de verbali vaticinio Iudam loqui, quod quamvis non fuerit ab Enocho in literas redactum, tamẽ vel ex traditione, vel ex Spiritus ſancti revelatione Judæ notum eſſe potuerit. 3. *Autor ſe non nominat Apoſtolum.* Reſp. nec Jacobus nec Iohannes in ἐπιγραφῇ ſeſe Apoſtolus vocant. Paulus in Epiſtol. ad Philip. *ſervum Chriſti* ſeſe voest, quod facit etiam Iudas hoc loco, & ſddit, *frater Iacobi*, ex quo Apo-

ſtolica

ſtolica ejus autoritas manifeſtè colligitur. In utraq; ad Theſſalonicenſes Epiſtola Paulus Apoſtoli nomen omittit, neq; tamen quisquam de autoritate illarum Epiſtolarum propterea dubitat. 4. *Autor ſignificat ſe poſt Apoſtolos vixiſſe v. 17. Memores eſtote verborum, quæ prædicta fuerunt ab Apoſtolis D. N. J. C.* Reſp. hoc probat Epiſtolam Judæ ſcriptam eſſe poſt Paulinas & Petrinas, in quibus illæ prædictiones extant 1. Tim. 4. v. 1. 2. Tim. 3. v. 1. 2. Petr. 2. v. 1. nequaquã verò ſeipſum ex numero Apoſtolorum verbis illis excludit. Fuit Judas quibuſdam Apoſtolis poſterior, Petro ſc. Paulo, Jacobo, non tamen omnibus, quia Iohãnes adhuc ſupererat. 5. *Judas docuit in Perſia, ergo non Græce ſed Perſicè ſcripſiſſet, ſi hujus Epiſtolæ autor eſſet.* Reſp. Epiſtola Iudæ eſt Catholica, i. e. non ad certam aliquam Eccleſiam ſed ad omnes fideles ſcripta, ideò etiam vulgatiſſimâ tunc temporis linguâ, Græca ſc. in ſcribendo autor uti voluit. Paulus ad Romanos ſcribens non Romana ſed Græcâ linguâ uſus eſt. Nimirum Spiritus S. Græcam linguam in N. T. voluit eſſe authenticam, ut Hebræam in T. V.

290. Recipimus ergo & Iudæ Epiſtolam inter Canonicos libros, ſed ordinis ſecundi. Autor ejus Iudas fuit τριώνυμος, cùm etiam *Thaddæus* & *Lebbæus* fuerit appellatus Matth. 10. v. 3. Marc. 3. v. 20. Ad eoſdem videtur hæc Epiſt. ſcripta, ad quos poſterior Petri, videl. ad eos præcipuè, qui ex circumciſione crediderant, quod ipſum innuit v. 17. *Memores eſtete verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Dn. N. I. C. qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tẽpore venient illuſores*, quæ verba extant 2. Petr. 2. v. 1. Idipſum indicat. v. 5. *Cõmonere autem vos volo ſcientes ſemel omnia.* Hoc enĩ aptiſſimè Iudæis convenit, à prima inde ætate ſac. Hiſt. cognitione imbutis. Ejuſdem etiam argumenti eſt cum poſteriore Petrina, cum qua ijſdem ſententiis & verbis utitur. Quidam exiſtimant, has Epiſtolas Petri & Iudæ directas potiſſimùm adverſus Gnoſticos. Sed illorum hæreſis Apoſtolorum temporibus fuit poſterior, ut ex Irenæo & Epiphanio conſtat. Rectiùs igitur ſtatuitur, quòd ſcriptæ ſint contra aſſeclas Simonis Magi & Nicolaitas, quorum turpiſſima hæreſis poſt exceſſum Apoſtolorum longè latèque ſerpere incipiebat, unde Epiphanius in hæreſ. Gnoſticorum, qui à Simone Mago originem ducebant, poſt commemoratas nefarias illius ſectæ libidines ſubjungit. *Quare de his commotus Spiritus ſanctus in Apoſtolo Juda ait: Quæcunque naturaliter tanquam muta animantia norunt, in his corrumpuntur.* Exhortatur igitur in hac Epiſtola Iudas converſos ex Iudæis ad conſtantiam in fide, ac præmonet à ſeductoribus, qui doctrinam de perſona Chriſti depravabant, gratiam Dei & ſpiritualem libertatem Evangelii traducebant in licentiam carnis, Magiſtratui ſubjectionem denegabant & diſſenſiones in Eccleſia excitabant. Illos graviter Iudas terret & judicium Dei ipſis minatur exemplo Iſraelitarum in deſerto, malorum Angelorum & Sodomitarum; ac tandem docet, quomodo per fidem & preces ipſorum fraudes ſint cavendæ.

291. Cæterum ſeptem Epiſtolæ in claſſe Apoſtolicarum poſtremum locum obtinentes videl. Jacobi una, Petri duæ, Iohannis tres & Iudæ una, vulgò appellantur *Canonicæ*, non quòd vel ſolæ vel præcipuè ſint Canonicæ, ſed quia Canones ſive regulas ac præcepta vitæ Chriſtianæ contineant. Veteri autem inſcriptione tum in Latinis Codicibus, tum maximè in Græcis appellantur *Catholicæ*, quo nomine etiam citantur ab Origene apud Euſebium lib. 6. Hiſt. cap. 19. Dionyſio Alexandrino apud eundem lib. 7. cap. 20. atque ipſomet Euſebio lib. 2. cap. 22. Cyrillo Hieroſolymitano Catech. 17. Hieronymo in catal. ſcript. &c. quia ſcilicet non ad unam aliquam civitatem ac particularem Eccleſiam ſcriptæ ſunt, ut Pauli ad Romanos, ad Corinthios &c. nec ad unum hominem, ut ejuſdem ad Timotheum, Titum, Philemonem; ſed generatim ad fideles in varias regiones diſperſos. Secundæ & tertiæ Iohannis hæc appellationis ratio propriè non congruit, uſus tamẽ obtinuit, ut & illæ ſic vocarentur, eò quod primæ Iohannis Catholicæ conjungantur. Hieronymus in Epiſtola ad Paulinum Catholicas illas Epiſtolas hoc ornat encomio. *Jacobus, Petrus, Johannes, Judas ſeptem Epiſtolas ediderunt tàm myſticas, quam ſuccinctas, & breves pariter ac longas, breves in verbis, longas in ſententiis, ut rarus ſit, qui non in earum cœcutiat lectione.* Auguſtinus in lib. de fid. & operibus c. 10. ſtatuit: *Petrum, Iohannem, Iacobum & Iudam in Epiſtolis ſuis ad id collimaſſe, ut oppugnarent opinionẽ, quod fides* h. e. vana fidei perſuaſio & nuda profeſſio *ſine operibus ad ſalutẽ ſufficeret.*

292. 7. *Apocalypſis.* De hoc libro itidem variarunt Antiquitatis teſtimonia. Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 21. *De Apocalypſi etiamnum apud multos diſpar eſt opinio, probantibus illam aliis, aliis verò reprobantibus.* cap. 22. *Conveniens fuerit, ut hoc loco conſtituti Scripturas novi Inſtrumenti ſummatim colligamus. Primo loco ponenda eſt ſancta illa quadrijuga Evangeliſtarum Scriptura, quam Apoſtolorum Acta ſequuntur. Poſthac ſubjungendæ ſunt Epiſt. Pauli, illis ſubjiciatur, quæ prior Iohannis eſſe fertur, ſimiliter & quæ Petri eſt, authentica. Poſt has ordinetur, ſi viſum fuerit Apocalypſis Iohannis, de qua quid ſentiatur, ſuo loco exponemus. Et hæc quidem ſcripta pro indubitatis habentur. Quibus verò contradicitur, hæc ſunt, Epiſtola quæ Iacobo tribuitur & Epiſtola Iudæ & poſterior Petri & altera cum tertia Iohannis &c. Inter adulterina cenſeantur & Acta Pauli & liber dictus Paſtor & Apocalypſis Petri. Præterea & circumfertur Epiſtola Barnabæ & Apoſtolorum doctrina dicta, adhæc & Apocalypſis Iohannis, ſi videtur, quam nonnulli reprobant, alii verò certis & indubitatis Scripturis adjudicant.* libr. ejuſd. c. 36. ex ſententia Papiæ duos Iohannes ſtatuit: *unum Apoſtolum, alterum Presbyterũ ſive Seniorem* extra Apoſtolorum catalogum, & addit; *Veroſimile eſt, alterum, niſi quis primum malit, Apocalypſin illam vidiſſe, quæ ſub nomine Iohannis circumfertur.* lib 7. c. 24. ex Dionyſio. *Nonnulli eorum, qui nos præceſſerunt, librũ hunc Apocalypſeos prorſus reprobarunt ac rejecerunt, diſcuſſisq; ſingulis illius capitibus obſcurum & nullis rationibus fultum eſſe decernentes, deniq; & inſcriptionem mentiri. Iohannis enim eam non eſſe, imo ne revelationem quidem eſſe dixerunt, quæ admodum craſſo ignorantiæ velo ſit adoperta. Quin non modo ex Apoſtolis neminem, ſed nec ex ſanctis ante iis, qui ad Eccleſiã pertinent, aliquem ſcripti hujus eſſe autorem, ſed Cerinthũ hæreſis illius, quam Cerinthianam vocant, conditorem nomine Iohannis tanquam fide digno figmentum inſcribere voluiſſe. Eſſe enim hoc doctrinæ illius dogma, regnum Chriſti fore terrenum & quæ ipſe tanquã corporis ſui ſtudioſus & vehementer carnalis concupiverit, in illis ſe futurum ſomniaſſe, ventris, ſc. & eorum quæ ventri ſubſerviunt, ſaturationibus, cibis nempe ac*

potibus & naptiis &c. (Hæc ſententia eſt manifeſtè falſa, quia blaſphemia Cerinthi contra divinitatem Chriſti pluribus in locis hujus libri refellitur. Dogma ipſius voluptuarium de terreno Chriſti regno nihil in illo præſidii invenit, ſi locus ad fidei analogiam & Scripturæ conſenſum explicetur, unde ſubjicit Dionyſius) *Ego vero librum hunc reprobare quidem non auſim, quod hunc multi ex fratribus ſtudioſè legant, ſed majore de illo exiſtimatione cōceptâ, quam ut a me intelligi poſſit, arcanam quandam & admirabilem in ſingulis illius capitibus futurarum rerum expectationem contineri ſuſpicor.* Et poſtea. *Vocari hunc Iohannem, & eſſe Scriptorum hanc Iohānis non abnego, conſentio enim eum eſſe ſancti cujusdam & divino Spiritu imbuti, verùm eſſe hunc Apoſtolum filium Zebedæi, fratrem Iacobi, cujus Evangelium eſt ſecundum Iohannem inſcriptum & Epiſtola Catholica, haud facilè conceſſerim.* Hujus judicii, quod de Apocalypſi tulit Dionyſius, meminit etiam idem Euſebius lib. 3. c. 25. Hieronymus in Epiſt. ad Dardanum tom. 4. f. 29. *Græci de Apocalypſi contra communem Latinorum conſenſum dubitarunt, ut id temporis plerique Latinorum de Epiſtola ad Hebræos contra communem Græcorum ſententiam.* Amphilochius in jambis ad Seleucum de libris Scripturæ ſacræ. *Apocalypſin longè plurimi adulterinam dicunt.* Iunilius Epiſcopus in quæſtionibus c. 4. *De Iohannis Apocalypſi apud Orientales admodum dubitatur.* Idem eſt recentiorum quorundam de hoc libro judicium. Eraſmus in annotat. Act. 1. p. 199. *Apocalypſin ſerò recepit Italia. Græcia ne nunc quidem ſatis approbat.* in annot. Apoc. 22. p. 547. *Teſtatur D. Hieronymus, Apocalypſin ne ſua quidem ætate fuiſſe receptam à Græcis, adhuc quoſdam eruditiſſimos viros totum hoc argumentum ceu fictum multis convitiis inſectatos fuiſſe, quaſi nihil haberet Apoſtolicæ gravitatis, ſed vulgatam tantùm rerum Hiſtoriam figurarum involucris adumbratum. Deinde nec in ſententiis eſſe, quod Apoſtolicu majeſtate dignum videatur. Ut de his interim nihil dicam, me nonnihil moverunt cùm alia conjectura, tam illa, quod revelationes ſcribens tam ſolicitè inculcat ſuum nomen, &c. Hæc, inquam, me nonnihil moverent, quo minùs crederem eſſe Johannis Evangeliſtæ, niſi me cōſenſus orbis alio vocaret, præcipuè vero autoritas Eccleſiæ, ſi tamen hoc opus hoc animo comprobat Eccleſia, ut Iohannis Evangeliſtæ velit haberi & pari eſſe pondere cum cæteris Canonicis libris. Item Dionyſius Tyri Epiſcopus ac Martyr in Compendio vitarū prodidit, Iohannem Evangelium ſuum ſcripſiſſe in inſula pathmo, cæterum de Apocalypſi nullam omnino mētionem facit. Ne Anaſtaſius quidem Græcus in ſuo catalogo audet affirmare, opus hoc illius eſſe, tantum ut receptam à quibuſdam tanquam illius opus. Equidem video veteres Theologos magis ornandæ rei gratiâ hinc adducere teſtimonia, quam ut rem ſeriam evincant.* Luth. in præfat. Apocal. rē in medio relinquit, an ſit Iohannis Apoſt. liber, nec tamen prohibet, quin ſtatuatur eſſe Ioh. interim agnoſcit *eſſe Prophetiam divinitùs inſpiratam.* Camerarius in præfat. Apoc. *Oratio diſſimilis eſt ejus, quâ conſcripta extat Evangelii expoſitio & Epiſtolæ compoſitio.*

293. Sed demonſtrari poteſt argumentis non contemnendis, librum Apocalypſeos eſſe Canonicum & à Johanne Apoſtolo ſcriptum 1. ex ἐπιγραφῆ. Inſcriptio eſt ſatis luculenta. *Apocalypſis Iohannis Theologi.* Quòd autem Theologus ille ſit Iohannes Apoſtolus κατ' ἐξοχὴν ſic dictus, apparet ex conformitate exordii in hoc libro & in Evangelica Hiſtoria, uti etiam in prima Epiſtola uſurpati. Autor hujus libri cap. 1. v. 1. & 2. ſcribit: *Ieſum Chriſtum hanc ἀποκάλυψιν dediſſe Iohanni ſervo ſuo, qui teſtificatus ſit ſermonem Dei & teſtimoniū Ieſu Chriſti, & quæcunque vidit.* Eodem ferè modo de ſe loquitur Iohannes in Hiſtoria Evangelica cap. 21. v. 24. *Hic eſt diſcipulus ille, qui Sermonem perhibet de his & ſcripſit hæc, & ſcimus, quod verum eſt teſtimonium ejus.* Pari ratione etiam primam Epiſtolam exorditur: *Quod erat ab initio, quod vidimus, quod audivimus, quod oculis noſtris perſpeximus, id annunciamus vobis.* 1. Ioh. 1. v. 1. 2. & 3. 2. ex ſtylo. Peculiare eſt Iohanni præ reliquis librorum N. T. ſcriptoribus Filium Dei vocare Λόγον Ioh. 1. v. 1. 1. Iohan. 1. v. 1. jam verò eandem appellationem tribuit Filio Dei in hoc libro. Apoc. 19. v. 13. 3. ex circumſtantia loci & temporis. Irenæus lib. 5. cap. 5. & ex eo Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 16. teſtantur, *Iohannem tum cùm à Domitiano in pathmum relegatus eſſet, vidiſſe Apocalypſin & vidiſſe eam ferè ſub finem Imperii Domitiani,* cui conſentit etiam Hieronymus de vir. illuſtrib. Anno Chriſti 97. juxta Funccii computationē. Iam verò hic ipſe liber teſtatur, quod Iohannes hanc viſionem à ſe deſcriptam in Pathmo ſub finem imperii Domitiani viderit. Apoc. 1. verſ. 9. *Ego Iohannes, qui & frater veſter ſum & ſocius in afflictione & regno & tolerantia I. C. eram in Inſula, quæ vocatur Pathmos, propter ſermonem Dei & teſtimonium Ieſu Chriſti* 4. ex collatione. Si inſtituatur collatio harum viſionum cum Propheticis viſionibus, apparebit, Apocalypſin non procul à Natura propheticarum viſionum, præſertim Ezechielis recedere, imò etiam eaſdem illuſtrare, quales ſunt de quatuor animalibus, de Gog & Magog, de dimenſione templi &c. 5. ex eventu. Eventus vaticiniorum Interpres optimus quo pleræque viſiones jam tum comprobatæ ſunt, Canonicæ & Apoſtolicæ hujus libri autoritati luculentum præbet teſtimonium. Ierem. 28. verſ. 9. *Cùm venerit verbum ejus, ſcietur Propheta, quem mittit Deus in veritate.* Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 43. *Omnis Prophetia priusquam habeat efficaciam, ænigmata & ambiguitas ſunt hominibus, cùm autem venerit tempus & evenit, quod prophetatum eſt, tunc Prophetia habent liquidam & certam expoſitionem.* 6. ex prædictione. Danieli Prophetæ facta eſt promiſſio de explicatione vaticinii, quamdiu duratura ſit regni Antichriſtiani idololatria ac Tyrannis. Dan. 12. v. 4. & 9. hæc promiſſio impleta fuit in Apocalypticis hiſce viſionibus cap. 11. 12. 13. 17. &c. 7. ex qualitate. Tanta eſt hujus ſcripti ſublimitas ac majeſtas, ut nulli ex vetuſtiſſimis etiam Patribus tribui poſſit ob futurorum prædictionem, quæ divinæ omniſcientiæ eſt propria Eſai. 41. verſ. 22. nec niſi Apoſtolo per Spiritus ſancti inſpirationem & per Propheticas viſiones revelata. Hieronymus in Epiſtol. ad Paulin. *Apocalypſis tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi, pro merito voluminis laus omnis inferior eſt, in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ.* Ioachimus Abbas hanc Prophetiam omnibus aliorum Prophetarum vaticiniis prætulit. 8. ex utilitate. Eccleſiæ utilitas cum quadam neceſſitate conjuncta hujus libri autoritatem probat, alioqui enim deterior fuiſſet Eccleſiæ Nov. Teſtamenti conditio quam veteris, ſi nullo Canonicorum ſcriptorum libro ſub horrendis Antichriſti tenebris conſtituta, divinitus fuiſſet inſtructa. 9. ex teſtimoniis veterum.

In Con-

In Concilio Ancyrano cap. 4. citatur nomine Johannis, *quod Johannes Sacramentum Apocalypſeos in Spiritu, non in corpore viderit.* Concilium Carthaginenſe. 3. can. 47. numerat hunc librum inter Canonica Nov. Teſt. oracula. In Concilio Toletano 4. can. 16. *Apocalypſin librum multorum Conciliorum autoritas & Synodica ſanctorum præſulum Romanorum decreta Johannis Evangeliſtæ eſſe præſcribunt, & inter divinos libros recipiendum conſtituerunt. Et quia plurimi ſunt, qui ejus autoritatem non recipiunt, eumque in Eccleſia Dei prædicare contemnunt, ſi quis eum deinceps non receperit, aut à paſcha uſque ad pentecoſten Miſſarum tempore in Eccleſia non prædicaverit, excommunicationis ſententiam habebit.* Dionyſ. Eccleſ. hierarch cap. 3. vocat Apocalypſin *arcanam & myſticam viſionem dilecti diſcipuli.* Juſtinus in Dial. cum Triphone dicit, eſſe Johanis Evangeliſtæ. *ἐπειδὴ καὶ παρ' ἡμῖν ἀνήρ τις ᾧ ὄνομα Ἰωάννης εἷς τῶν ἀποστόλων τοῦ χριστοῦ ἐν ἀποκαλύψει γενομένῃ αὐτῷ χίλια ἔτη ποιήσειν ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς τῷ ἡμετέρῳ χριστῷ πιστεύσαντας προεφήτευσεν.* (ad hunc Juſtini locum reſpicit Euſebius lib. 4. Hiſtor. cap. 18. ſcribens: *Juſtinus recordatur Apocalypſis Johannis manifeſtè illam Apoſtoli eſſe dicens*) Irenæus bis allegat ſub nomine Johannis Apoſtoli, præcipuè verò lib. 5. cap. 25. pag. 335. ſcribit: *ſibi fuiſſe notos quoſdam, qui ab ipſo Johanne explicationem myſteriorum in Apocalypſi propoſitorum audiverant.* Hieronymus de vir. illuſtr. refert: *Irenæum commentarios in Apocalypſin ſcripſiſſe.* Theophilus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus in libro contra hæreſin Hermogenis, Apocalypſeos Johanneæ teſtimoniis utitur, referente Euſebio lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. c. 23. Melito Sardenſis Epiſcopus librum ſcripſit *de Apocalypſi Johannis*, referente eodem Euſebio lib. 4. cap. 25. Dionyſius Alexandrinus etſi negat eſſe Johannis, tamen agnoſcit *eſſe autoris alicujus divino Spiritu imbuti* apud Euſeb. lib. 7. Hiſt. cap. 24. Clemens Alexandrinus lib. 2. pædag. cap. 12. Apocalypſin citat. Origenes homil. 7. in Ioſuam & in Pſal. 1. eam Iohanni Apoſtolo tribuit, quod facit etiam Euſebius in Chron. ann. 96. Athanaſius in Synopſi ſcribit, *Apocalypſin a priſcis Patribus approbatam.* Epiphanius hæreſ. 51. & 76. Chryſoſtomus homil. 3. in Pſ. 91. Damaſcenus lib. 4. c. 18. Apocalypſin *& ſacram & Iohannis* eſſe agnoſcunt, ubi obſerva, Irenæum & alios veteres teſtes habuiſſe ſuæ narrationis Eccleſias Aſiaticas, quarum autoritate Irenæus numerum beſtiæ cap. 14. corrigit, ut non ſit legendum χις ſed χξς non 616. ſed 666. eo ſcilicet modo, quo nunc legimus. Eadem omninò eſt Latinorum Patrum ſententia. Tertullian. lib. 4. adv. Marcion. pag 226. *Etſi Apocalypſin Iohannis Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad Origenem recenſus in Iohannem ſtabit autorem.* Cyprianus de exhortat. Martyr. cap. 3. & ſeqq. *Apocalypſin ut reliquas Scripturas paſſim citat.* Idem faciunt Hilarius præfat. in Pſalm. Ambroſius in Pſal. 40. ubi Iohanni Evangeliſtæ diſertis verbis eam tribuit, Auguſt. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 8. & tract. 36. in Ioh. Ruffinus in expoſ. Symb. Iſidorus lib. 6. etymol. cap. 1 ubi Iohannis Apoſtoli eam eſſe agnoſcunt. Hieronymus in Epiſt. ad Dardan. dicit, *hanc eſſe omnium Latinorum Patrum ſententiam.* Græci quidem non receperunt Apocalypſin, teſte eodem d. l. ſed ex teſtimoniis paulò ſuperiùs adductis apparet, illos & paucos & obſcuros fuiſſe. Meritò igitur ſcribit Chytræus in Apoc. *vetuſtiſſimos Doctores, qui temporibus Apoſtolorum vicini fuerunt, communi conſenſu hunc librum Iohãni Apoſtolo adſcripſiſſe.* quod teſtimoniis Iuſtini, Irenæi, Tertulliani, Apollonii, Cypriani, Origenis, Epiphanii Auguſtini, Hippoliti, Andreæ Cæſarienſis, Aretæ, &c. confirmari poſſit. Quid quod *in Marcionitis* à Tertull. lib. 4. adv. Marcionem in *Theodoſianis* ab Epiphanio hæreſ. 51. & 54. in *Alogianis* à Philaſtrio & Auguſt. tanquam hæreſis fuit improbatum, quod Canonicam hujus libri autoritatem in dubium vocarunt.

294. Argumenta, quæ in contrarium proferuntur, ferè ſic habent. 1. ex ἐπιγραφῆς. *Evangeliſta nunquam nomen ſuum adſcripſit, neque prædicat ſeipſum per Evangelium, neque per Epiſtolam. Is verò qui Apocalypſin ſcripſit, mox in ipſo libri initio nomen ſuum præfigit dicens: Apocalypſis I. C. quam dedit ipſi, ut ſervis ipſius oſtendat velociter, & ſignificavit miſſo per Evangelium ſuum ſervo ipſius Iohanni, qui teſtificatus eſt verbum Dei & teſtimonium ipſius quæcunque vidit.* Apoc. 1. v. 1. & 2. *Deinde & Epiſtolam ſcribit Iohannes ſeptem Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis & pax.* v. 4. *Evangeliſta verò ne Catholicæ quidem Epiſtolæ nomen ſuum præfixit, ſed a ipſo myſterio divinæ revelationis orſus eſt ad hunc modũ: Quod audivimus, quod oculis noſtris conſpeximus,* 1. Ioh 1. v. 1. *Sed ne in altera quidem nec tertia, quæ ſub Iohannis nomine circũferuntur, quantumvis brevibus Epiſtolis, nomen ſuum Iohannes præponit, ſed ſine nomine Presbyter ſcripſit. Hic verò contentus non fuit, poſtquam ſeipſum ſemel nominavit, conſequenter, quæ dicenda erant, proſequi, ſed rurſus repetendo dicit: Ego Iohannes frater veſter* Apoc. 1. v. 9. *Quin circa calcem etiam iſta dicit: Beatus qui ſervat verba Prophetiæ hujus. & ego Iohannes audivi & vidi iſta.* Apoc. 22. verſ. 7. & 8. *Itaque quod Iohannes quidam ſit, qui iſta ſcripſit, credendum eſt ad hunc modum loquenti. Quis verò ille ſit, incertũ eſt, non enim ſeipſum eſſe dixit, ſicut in Evangelio plerisque locis, dilectum a Domino diſcipulum, neque eum qui ſupra pectus ejus recubuerit, neque fratrem Iacobi, neque eum qui Dominum viderit & audierit. Etenim horum aliquid dixiſſet, ſi ſeipſum manifeſtare voluiſſet. Verùm nihil horum, ſed fratrem ſe & conſortem noſtrum ac teſtem Ieſu, beatumq; propter viſionem & auditum revelationem eſſe dixit. Arbitror autem multos fuiſſe ejuſdem cum Iohanne Apoſtolo nominis, qui propter dilectionẽ erga illum, & quod ipſum admirarentur æmulare, uterque conſimiliter a Domino diligi voluerint, ideoq; ſibi hoc nominis uſurpaverint.* Hæc Dionyſius apud Euſebium lib. 7. Hiſt. c. 24. Simili ratione colligit Eraſmus in annot. ad c. ult. Apoc. *Scribens revelationes tam ſolicitè inculcat ſuum nomen, Ego Iohannes, Ego Iohannes, perinde quaſi ſyngrapham ſcriberet, non librum, idq; non ſolum præter morem aliorum Apoſtolorum, verum multo magis præter ſuum morem, qui in Evangelio modeſtiora narrans, non exprimit tamen uſquam ſuum vocabulum, ſed notulis indicat, diſcipulus ille quem diligebat Ieſus & Paulus coactus referre de viſionibus ſuis rem ſub alterius exponit perſona. At hic tam arcana cũ Angelis colloquia deſcribens, quot locis inculcat, Ego Iohannes? Ad hæc in Græcis, quos ego viderim, Codicibus non erat titulus Iohannis Evangeliſtæ ſed Iohãnis Theologi.* Reſpõ. 1. per inverſionem. Quia Iohannes toties inculcat ſuum nomen, ideò dubitari non debet, hanc Apocalypſin eſſe Iohannis. Si nomen ſuum prætermiſiſſet, ex eo contra Canonicam hujus libri autoritatem argumentum ducerent, ut exemplo Epiſtolæ ad

Hebræos conſtat, nũc toties expreſſo Iohannis nomine, dubitationem tamen movent. 2. *Non ignorãs Iohannes* (ait Rupertus in comm.) *fore aliquando non ſolùm hæreticos, ſed nonnullos etiam Catholicos, qui librum hunc propter obſcuritatem myſteriorum, aliasve cauſas rejicerent, vel eſſe Iohannis Apoſtoli & Evangeliſtæ negarent, quò adverſus iſtorum calumnias & argumentationes librum præmuniret, voluit crebrâ nominis ſui commemoratione autoritatem & fidem libro aſtruere.* 3. Fecit hoc Iohãnes more & exemplo Prophetarum præſertim Danielis cum cujus prophetia, ut obſervat Graſerus in plag. reg. hic liber in multis convenit, cumprimis verò in quatuor capitibus, utpote primò in *autoribus*, quòd utrique ſanguinis neceſſitudine Chriſto fuerint cõjuncti ac præ aliis ipſi cari, unde Daniel *vir deſideriorum*, i. e. deſideratiſſimus, vel *vir expetibilium* ac deſiderabilium vocatur, ut hæc appellatio, reſpectu rerũ, quæ ei revelantur, ipſi tribuatur. Dan. 9. v. 23. c. 10. v. 11. Iohannes verò *diſcipulus quem Dominus dilexit*. Ioh. 13. v. 23. c. 19. v. 26. c. 21. v. 20. Deinde *in materia*. Utriuſq; vaticinii principalis ſcopus eſt Hiſtoria præcipuurum ſymptomatum Eccleſiæ, quæ eidem per ſuas periodos ſub utroq; fœdere accidere debuerunt, ut ejus fides & patientia probarentur, cujus Hiſtoriæ præcipuum caput utrobiq; eſt myſterium Antichr. quod Daniel ad typũ Antiochi Epiph. Ioh. ad exẽplar Romani Imperii deſcribit. Tertiò *in forma ſtyli*. Forma ſtyli ac character ſermõis utrobiq; idem ferè, ſublimis ſc. ſuccinctus, ſymbolicus & per conſeq. obſcurus, utpote ubi res variarũ & perplexarum viſionum labyrinthis involvuntur, ſecus ac in aliorum Prophetarum concionibus Aug. l. 20. de civ. Dei c. 17. *In hoc quidem libro, cujus nomen eſt Apocalypſis, obſcurè multa dicuntur, ut mentem legentis exerceant, & pauca in eo ſunt, ex quorum manifeſtatione indagentur cætera cũ labore, maximè, quia ſic eadem multis modis repetit, ut alia atq; alia dicere videatur, cùm aliter atq; aliter hæc ipſa dicere inveſtigetur*. Deniq; *in fortuna*, quã in Canonicæ autoritatis exiſtimatione utrumq; ſcriptum eſt expertũ. Liber Danielis poſt reditum ex captivitate Babylõ nion ſine hæſitatione in Canonem receptus eſt, ut monuimus ſuperius §. 155. eandem ſortem experta eſt Apocalypſis, ut ex antea dictis conſtat. Cùm ergo inter Danielis prophetiam & Apocal. Iohannis tanta ſit convenientia ideò mirum non eſt, Iohannem exemplo Danielis nomen ſuum toties inculcare voluiſſe, imò & debuiſſe, quod nequaquam arrogantiæ ſed conſuetudini Propheticæ & ipſi neceſſitati tribuendum. 4. Diſſimilitudo omninò quædam eſt inter Hiſtoriam Evangelicam & inter hunc librũ Propheticum. Veritas & certitudo Evangelicæ Hiſtoriæ non erat toties inculcanda, cùm res in oculis omnium geſtæ fuerint, hujus verò libri autoritas omninò erat diligenter aſſerenda, unde nomen ſuũ βεβαιώσεως causâ toties adjecit. 5. *Theologi* nomen ideò Iohanni fuit attributũ, quia præ cæteris Evang. & Apoſt. Deitatẽ Chriſti aſſeruit. Dionyſ. in Epiſt. ad Iohannem in pathmo exulantem ſcripta, Epiphanius hæreſ. 51. Athanaſius in Synopſi, Cyrill. Alexandr. lib. 3. de Trinit. Cyrill. Hieroſolymit. cat. 12. Chryſoſtomus in Pſ. 37. Auguſtinus tract. 36. in Ioh. Iohanni Apoſtolo *Theologi* cognomen tribuunt; nec alius ex antiquitate produci poteſt Iohannes præter hunc Apoſtolum, qui Theologi cognomen fuerit ſortitus. 6. exemplar Complutenſe, quod antiquiſſimo archetypo reſpondere judicatur, expreſsè habet. *Apocalypſis S. Apoſtoli & Evangeliſta Iohannis Theologi.*

295. 2. Ex ſtyli diverſitate *Si ſenſus hujus libri & verba ſtructuramque Evangelii & Epiſtolæ conſideres, haud immeritò alius ab Evangeliſta colligitur. Etenim concordant inter ſe Evangelium & Epiſtola. Similia ſunt utriuſq; exordia. Evangelium. in principio, inquit, erat Verbum Ioh. 1. v. 1. Epiſtola, quod erat, inquit, ab initio.* 1. Ioh. 1. v. 1. *Evangelium. Et Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis & vidimus gloriam ejus, gloriam tanquã unigeniti à Patre. Ioh. 1. v. 14. Epiſtola eadem habet parumper immutata. Quod audivimus, inquit, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ & vita manifeſtata eſt 1. Ioh. 1. v. 1. & 2. Qui attentè legit, inveniet in utriuſq; frequenter vitã, frequenter lucem, dehortationem à tenebris creberrimè veritatem, gratiam, gaudiũ, carnem ac ſanguinem Domini, judiciũ, peccatorum remiſſionem dilectionem Dei erga nos præceptum nos invicem diligendi, ſervanda eſſe cuncta præcepta, redargutionem mundi, Diab. & Antichriſti promiſſionem Spiritus ſancti, adoptionem Dei fidẽ à nobis ubiq; expetitam, ubiq; Patrem & Filium, & ſi per omnia character utriuſque notetur, prorſus unus & idem Evangelii & Epiſtolæ color reperietur. Apocalypſis verò ab utriuſq; eſt omnium alieniſſima & ad illa propè ne verbo quidem, ut ſic dicam, accedit & conjungitur, nec ſyllabam aliquam cum illis communẽ habet.* Hæc Dionyſius apud Euſeb. d. l. Eodẽ modo concludit Eraſmus (quem ſolum Bellar. hìc perſtringit ſuppreſſo Dionyſii Alexandrini nomine) *Ut ne commemorem, inquit, ſtylum non parùm diſſonantem ab eo, qui eſt in Evangelio & Epiſtola*. Reſp. 1. Diverſitas rerum & argumenti etiam ſtyli diverſitatem parit. In Evangelio deſcribitur Hiſtoria, in Epiſtolis traduntur dogmata, præcepta & παραινέσεις. In hoc libro continetur Prophetia de futuris rebus per figuras & imagines, unde adhibentur verba ſymbolica, quæ myſticum habent ſenſum reconditum. At talis character in Hiſtorico & dogmatico libro non fuiſſet conveniens. Nec nos ipſi in ſcriptis accuratioribus & in Epiſtolis eodem ſtylo utimur. Ac quid de Patrum ſcriptis dicemus, quæ in exegeticis, dogmaticis & polemicis plurimum inter ſe diſcrepant. 2. Iohannes potiùs ea verba, quæ in viſione audivit, conſignare voluit, quàm ſuo ſermonis genere Prophetiam contexere. 3. Adde quod aliqua ſtyli & phraſeos convenientia deprehendatur, ut monuimus ſuperiùs.

296. 3. Ex defectu teſtificationis. *Nec meminit, nec cogitat, ne Epiſtola quidem de hac Apocalypſi, ut interim de Evangelio taceam, nec viciſſim Apocalypſis de Epiſtola, cùm Paulus aliquid de revelationibus ſuis ſignificet in Epiſtolis ſuis, quas tamen non ſic inſcripſit, ut eas Apocalypſes appellaret*. Dionyſius apud Euſebium d. l. Reſp. 1. nec Paulus in ſuis Epiſtolis reliquarum meminit, ecquis tamen dixerit, eas non eſſe à Paulo ſcriptas? 2. Quidam ex Epiphanio hæreſ. 51. Euſebio lib. 3. Hiſt. cap. 24. Athanaſio in ſynopſi. Beda in lib. de ſex mundi ætatibus colligunt, Apocalypſin ante Evangelium fuiſſe ſcriptam, quo ſenſu accipiunt verba Apoc. 10. v. 11. *Oportet te iterum propheta re gentibus, populis, linguis & Regibus multis*. Atqui in Hiſtoria Evangelica non potuit commodè mentionem facere Apocalypſeos. 3. Si propterea Apocalypſis non eſt Johannis, quia ejus nec in Evangelio nec in Epiſtola ſit mentio, conſequens fuerit, Epiſt. primã Catholicã

itidem

itidem non eſſe Johannis, cùm in Evangelio non fiat ejuſdem mentio. At de autoritate vel autore primæ illius Epiſtolæ nunquam fuit in Eccleſia dubitatum. 4. Paulus Epiſtolas ſuas noluit appellare Apocalypſes, quia uno duntaxat loco unam ἀποκάλυψιν deſcribit, ſed hic liber totus fermè in deſcriptione ἀποκαλύψεων occupatus eſt, unde à potiori meritò ſortitus fuit inſcriptionem.

297. 4. Ex qualitate phraſeos. *Adhuc ex ipſa phraſi conjecturari poteſt, quæ ſit Evangelii & Epiſtolæ, deinde & Apocalypſeos hujus diverſitas. Illa namque non modo inoffenſa ſecundùm Græcam dictionem, ſed & diſertiſſimis dictionibus, Syllogiſmis & ſtructuris expoſitionis ſcripta ſunt, ac procul abeſt, ut vox aliqua barbara aut ſolæciſmus, vel omnino idiotiſmus in illis reperiatur. Evangeliſta enim habuit τὸν λόγον καὶ τὴν γνῶσιν ſermonis ac ſcientiæ facultatem. De altero verò non nego, quod & revelationem viderit & ſcientiā ac Prophetiam acceperit, interea tamen dialectum ac linguam illius haud exactè Græcè loquentem ſed idiomate ſubinde barbarico utentem ac alicubi etiam ſolæcizantem video.* Dionyſius d.l. Reſp. 1. cauſa hujus rei ex eo oritur, quæ ex Prophetis, præſertim verò ex Daniele multa adducat ac proinde Hebraico idiomati inhæreat. 2. Si in ſpecie ac ſigillatim idioma illud barbaricum & ſolœciſmi adducerentur, facilè ad ea reſponderi poſſet. 3. collatio ipſa potiùs contrarium oſtendet, videlicet magnam eſſe phraſeos in Apocalypſi cum Evangelio & Epiſtola Johannis convenientiam.

298. 5. Ex veterum ſilentio. *Dionyſius Tyri Epiſcopus ac Martyr in compendio vitarum prodidit, Johannē Evangelium ſuum ſcripſiſſe in inſula Pathmo, cæterùm de Apocalypſi nullam facit mentionem. Ne Anaſtaſius quidem Græcus in ſuo catalogo audet affirmare, opus hoc illius eſſe.* Eraſm. d.l. Hûc referri poteſt, quod Concilium Laodicenum cā. 59. & Nazianzenus in carmin. nullam faciant Apocalypſeos mentionem. In can. Apoſtol. 84. itidem omittitur Apocalypſis. Reſpon. 1. hoc duntaxat probat, à quibuſdam olim de hoc libro fuiſſe dubitatum ac proinde ad ſecundi ordinis Canonicos eundem pertinere. 2. loco illorum pauculorum, qui hujus libri non meminerunt, produci poſſunt quàm plurimi Patres Græci pariter ac Latini, qui honorificū teſtimonium ei dederunt. 3. Euſebius, qui in Hiſtoria Eccleſiaſtica de hujus libri autore dubitare videtur, in Chronico declarat, ſe nihil omninò de ejus autore vel autoritate dubitare. 4. Si Canoni Apoſtolico 84. inſiſtere velimus, in Canonem recipiendus erit *tertius Maccabæorum, Clementis Epiſtolæ duæ & ejuſdem Conſtitutiones Apoſtolicæ*, contrà ab eodem excludendi *libri Eſdræ*, quorum utrumq; pugnat cum unanimi totius Eccl. primitivæ ſuffragio. Multis evinci poteſt argūentis, Canones illos Apoſtolicos eſſe ſuppoſititios & apocryphos.

299. 5. Ex obſcuritate. *Magna & ferè inſuperabilis eſt hujus libri obſcuritas, propter quam quibuſdam videtur rejiciendus.* Reſp. 1. obſcuritatem illam cum viſionibus Ezechielis ac Danielis habet communem. Quod ſi propter obſcuritatem illam rejiciendus, utique Danielis Prophetiæ ante complementum idem objici potuiſſet. 2. Obſcuritas illa oritur tum ex materia ſive rebus, quas tractat, tum ex forma ſive modo tractandi. Proponit enim prophetias de rebus futuris, eaſq; in figuris, viſionibus ac imaginibus ſine explicatione addita tractat, ex quo non poteſt non obſcuritas oriri, per quam tædio legentium Scripturam Deus occurrere voluit, ſicut reliquis locis perſpicuis, in quibus fidei dogmata traduntur, fami noſtræ proſpexit. 3. Obſcuritas illa lucem ſortitur tum ex collatione cum aliis Scripturæ locis, præſertim cum prophetia Danielis tum vel maximè ex eventu in oculos omnium incurrente. 4. Quamvis multa ſint in hoc libro vaticinia obſcuriſſima, multa tamen etiam inſunt præcepta clariſſima, ut de conſtantia in perſecutionibus, de execrandis hæreticis, de patientia, de fide retinenda, de metuendis divinis judieüs & amandis promiſſis cœleſtibus.

300. 6. Ex materia ſive contentis. 1. In cap. 2. verſ. 18. *extat Epiſtola ad Eccleſiam Thyatirenſem ſcripta. Atqui Eccleſia Thyatirenſis nondum extitit tempore Iohannis, ſed longè poſt Johannem aliqua Eccleſia illic fuit conſtituta.* Epiphanius ut hūc nodum ſolvat, hær. eſi 51. reſpondet, *Ioh. Spiritu Prophetico prævidiſſe futuram Thyatiris olim Eccleſiā, ideoq; vera ipſum ſcripſiſſe, licet tunc temporis Eccleſia Thyatirenſis nondum fuerit collecta.* Sed cùm Iohannes in Epiſtola ad Thyatirēſes tam perſpicuè pios ab impiis diſtīguat, ideo veriſimilius eſt, quod de Eccleſiæ Thyatirenſis conſtitutione poſt obitum Iohannis demum facta apud Scriptores quoſdam extat, id non de prima ejuſdem plantatione & generatione, ſed inſtauratione & reparatione ejuſdem eſſe accipiendum. 2. *ſemina Chiliaſtici erroris in eo continentur*, Apoc. 20. Reſp. negari nequit, magni nominis viros Chiliaſtarum errori olim hæſiſſe implicitos, utpote Papiam, Irenæum, Iuſtinum, Tertullianum & alios, qui ſtatuerunt exacto mundi millenario ſexto Chriſtum è cœlo deſcenſurum & ligato Satana cum Sanctis ſuis mille annos his in terris regnaturum, quibus elapſis, Satanam iterum ſolutum iri & adverſus Eccleſiam gentes exteras Gog & Magog excitaturum. Hanc opinionem ex cap. 20. bujus libri probare voluerunt, ſed nuſpiam teſtatur Scriptura, Chriſtum ante diem extremum viſibili & externo modo in terris regnaturum, ſed diem adventus ipſius ad judicium vocat extremum, & noviſſimum, quo & univerſalis reſurrectio & judicium finale ſit futurum. Explicandus igitur hic locus Apocalypticus, ne cum fidei analogia pugnet, quod quâ ratione fieri poſſit, monſtratum in Diſputat. 3. contra novos fanaticos inſtituta. Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 19. Blaſius de Viegas in Apocal. p. 16. tribuunt Luthero, quod in prologo dicat, *ſe in Apocalypſi hoc deſiderare, quod beatos fore aſſerat, qui ſervāt verba Prophetiæ hujus, cùm tamen nemo intelligat, quæ ſint illa.* Item quod in præfatione Nov. Teſtam. dicat, *ſe Apocalypſin neq; pro Prophetico, neq; Apoſtolico libro agnoſcere, ſed ſimilem judicare libro quarto Eſdræ.* Reſp. in præfationibus Lutheri, quas hodie legimus, nihil tale occurrit, ſed potiùs contrarium, præfatione eruditâ ad intelligentiam hujus Prophetiæ non mediocre lectori attulit adjumentum, quomodo igitur non haberet pro libro Apoſtolico? Verba illa, *Beatus qui legit verba Prophetiæ hujus* Apoc. 1, verſ. 3. explicationem ſtatim habent conjunctam, additur namque, *Tempus enim prope eſt*, q.d. Etſi in hoc libro res futuræ narrantur, tamen illarum cognitio ad quemlibet pertinet, quia res illæ brevi fieri incipient, ac proinde fieri poteſt, ut eos qui tempore ſcriptionis vixerunt, attingant. Relinquitur igitur Apocalypſin eſſe Apoſtolicum & Canonicū ſcriptum. Capitibus conſtat 22. in

quibus

quibus poſt procemium ſeptem viſiones ordine deſcribuntur. Septenarius numerus utpote myſticus in hoc libro frequens eſt. Recenſentur enim ſeptem Epiſtolæ, ſeptem ſigilla, ſeptem tubæ, ſeptem phialæ, &c.

CAP. XI.

De Apocryphis ac rejectitiis N. T. libris.

301. Irenæus lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 17. *Apocryphi libri N. T.* de *diſcipulis Simonis Magi* ſcribit, quod *inenarrabilem multitudinem Apocryphorum & Scripturarum, quas ipſi finxerant, protulerint ad ſtuporem inſenſatorum & quæ ſint veritatis non ſcientium literas*. In his verbis aperit nobis Irenæus fontem, ex quo tot apocryphi, ſuppoſititii & rejectitii N. T. libri Evangeliſtis & Apoſt. falsò attributi profluxerint, videlicet ex ſchola Simonis Magi hæreticorum omnium in N. T. Patriarchæ. Idem Irenæus lib. 1. c. 35. p. 91. *Cainis* hæreticis *Evangelium proditoris Iudæ* in uſu fuiſſe commemorat. lib. 3. c. 11. p. 188. *de Valentinianis* ſcribit, quod *extra timorem exiſtentes ſuas conſcriptiones protulerint, ac plura ſe habere gloriati fuerint, quam ſint ipſa Evangelia, ſiquidem in tantum proceſſerint audacia, ut quod ab his non olim conſcriptum eſt, veritatis Evangelium titulent in nihilo conveniens Apoſtolorum Evangeliis*. Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 3. *Acta quæ Petro nuncupantur & Evangelium, quod illius eſſe dicitur, & Prædicationem illi inſcriptam, & Apocalypſin ipſius dictam nuſquam inter Catholica ſcripta tradita ſcimus, eo quod nec veterum, nec noſtri temporis quiſquam commentator ipſorum uſus eſt teſtimoniis.* Et poſtea. *Acta, quæ Pauli eſſe dicuntur, inter indubitata recenſere, non accepi. Quoniam verò idem ipſe Apoſtolus circa finem Epiſtolæ ad Romanos, ubi quoſdam ſalutat, etiam Hermæ cum aliis mentionem facit & ob id librum Paſtoris hujus eſſe dicunt, ſciendum eſt, etiam illi a nonnullis eſſe contradictum, quapropter non eſt illis annumeratus, qui pro certis habentur. Ab aliis verò ſummè neceſſarius illis eſt potiſſimùm judicatus, qui Elementaria introductione opus habent, unde cum & in Eccleſiis vulgatum eſſe ſcimus & nonnullos antiquiſſimorum ſcriptorum illo uſos eſſe accepi.* (Intelligit Euſebius Papiam, & Origenem lib. 10. in c. 16. Rõ. ubi dicit, quod *ſit Scriptura utilis & divinitùs inſpirata*. Item Irenæum, qui lib. 4. cap. 37. hunc librum Paſtoris non ſolùm novit, ſed etiam probat, dicens: *Rectè autem Scriptura illa pronunciavit, quæ dicit. Ante omnia crede unum eſſe Deum, qui cuncta creavit, & perfecit*, quem Irenæi locum adducit Euſebius lib. 5. Hiſt. c. 8. Hieronymus etiam in catal. Scriptorum dicit *eſſe librum reverà utilem*. Teſtimonia ex eo proferunt Tertull. lib. de orat. Clemens Alexand. lib. 6. ſtromat. Athanaſius de decret. Syn. Nicen. Caſſian. coll. 13. c. 12. Sed cùm hic liber plenus ſit fictis viſionibus ac ſomniis, faveat erroribus Novatianorum de unica pœnitentia, & quædam contineat noxia, idcò inter apocrypha & adulterina meritò fuit relatus à Tertulliano in lib. de pudicit. Hieronymo in prolog. Galeat. Gelaſio c. S. Romana diſt. 15.) Idem Euſebius lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. *Inter adulterina cenſeantur & Acta Pauli & liber dictus Paſtor & Apocalypſis Petri. Præterea & quæ circumfertur Epiſtola Barnabæ & Apoſtolorum quoque doctrina dicta, &c. Jam verò & Evangelium quidam, quod ad Hebræos eſt, inter iſta connumerant, quo potiſſimùm delectantur hi, qui ex Hebræis Chriſtum receperunt. Hæc autem omnia ex illis ſunt, quibus contradicitur. Neceſſariò verò & horum catalogum fecimus, ut diſcernamus inter ea ſcripta, quæ ſecundùm Eccleſiaſticam traditionem nec ficta nec dubia ſed vera ſunt & ea, quæ præter iſta legitima quidem N. T. ſcripta non ſunt, ſed contradictionem patiuntur & tamen à multis Eccleſiaſticis leguntur, ut ſcire queamus & illa & quæ ſub nomine Apoſtolorũ, ſive velut Petri ſive Thomæ vel Matthiæ vel aliorum præterea Evangelia, aut veluti Andreæ & Iohannis & aliorum Apoſt. Acta continentia ab hæreticis proferuntur, quorum nulla uſpiam vel aliquis Eccleſiaſticæ ſucceſſionis ſcriptor mentionẽ in commentariis ſuis facere dignatus eſt. Porrò & phraſeos character à conſuetudine Apoſtolica variat, & ipſa ſententia & propoſitum eorũ, quæ in illis adferuntur, plurimùm à veritate rectæ doctrinæ diſcrepant, & quod hæreticorum ſint virorum figmenta, perſpicuè conveniunt. Quapropter ne inter adulterina quidẽ ponenda, ſed tanquam omnino abſurda & impia averſanda ſunt.* Ubi obſerva, Euſebium quatuor conſtituere notas, quibus ſuppoſititia ſcripta à genuinis & Canonicis diſtingui ac dignoſci poſſint. 1. Eccleſiæ teſtimonium. 2. φράσιν. 3. γνώμην. 4. προαίρεσιν.

302. Gelaſius 1. circa annum 493. in Concilio Romano multa hujuſmodi apocrypha Apoſtolis falsò attributa repudiavit. Summa decreti extat c. ſancta Romana diſt. 15. *Itinerarium nomine Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis lib. 8. apocryphum. Actus nomine Andreæ Apoſtoli apocryphus. Actus nomine Philippi apocryphus. Actus nomine Petri Apoſtoli apocryphus. Actus nomine Thomæ Apoſtoli apocryphus. Evangelia Thaddæi nomine apocrypha. Evangelia nomine Thomæ Apoſtoli, quibus Manichæi utuntur, apocrypha. Evangelia nomine Barnabæ Apoſtoli apocrypha. Evangelia nomine Bartholomæi Apoſt. apocrypha. Evangelia nomine Andreæ Apoſt. apocrypha. Evãgelia quæ falſavit Lucianus, apocrypha Evangelia quæ falſavit Hyritius, apocrypha. Liber de infantia Salvatoris apocryphus. Liber de nativ. Salvatoris & de S. Maria & de obſtetrice Salvatoris apocryphus. Liber qui appellatur Paſtoris apocryphus, &c. Liber qui appellatur, Actus Teclæ & Pauli apocryphus. Revelatio, quæ appellatur Pau. apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Thomæ, apocrypha. Revelatio, quæ appellatur Stephani, apocrypha. Liber qui appellatur Tranſitus ſanctæ Mariæ, apocryphus. Liber qui appellatur, Sors Apoſtolorum, apocryphus, Liber Canonum Apoſtolorum apocryphus.* Hæc omnia Gelaſius, qui autoribus illorum librorum hæreticis anathema poſtea denunciat.

303. Sub nomine *Lini de Paſſione Petri & Pauli* ſcripti ſunt quidam libri ab aliquo nugatore. Narrat multa de actis S. Petri, quæ vel falſa ſunt, vel certè dubia. Agrippam dicit fuiſſe Præfectum urbis tempore Paſſionis Petri, atque ab iſto Petrum fuiſſe occiſum ſine conſenſu Imperat. à quo etiam id factum fuerit improbatum. Uxòrem Albini ita à Petro edoctam repudiaſſe thorum viri ob amorem caſtitatis, etiam reclamante marito, aſſerit, imò tot ſcatet fabulis, ut ab ipſis Pontificiis repudietur. Baron. tom. 1. annal. ann. 66. n. 14. ann. 69. n. 6. ann. 80. n. 4. Bellarm. lib. 2. de Rõ. Põtif. c. 9. de ſcript. Eccleſ. p. 55. Biſciola tõ. 1. p. 58. §. Paul. &c. *Lib. paſſiõis Andreæ* ſuppoſititius eſt, cùm nulla ejus apud probatos autores fiat mẽtio, ne quidem

dem apud illos, qui catalogum veterum ſcriptorum ex profeſſo contexuerunt, puta Euſebium, Hieronymum, Gennadium, &c. Bell. l. de Script. Eccl. p. 69. pro Hiſtoriæ illius veritate, antiquitate pugnat, ſed argumentis perquam infirmis *Abdiæ liber de vitis Apoſtolorum* eſt fictitius ac ſuppoſititius. Recenſet fabulas illas de D. Thoma, de D. Matthæo, D. Andrea, D. Maximilla Egetis conjuge, quas Auguſtinus lib. de fid. contra Manich. cap. 38. & contra Adimantium cap. 17. à Manichæis confictas fuiſſe teſtatur. Nec ulla hujus Abdiæ vel librorum ejus fit mentio apud antiquos ſcriptores, unde apud ipſos Pontificios ſcriptores exigua eſt ejus autoritas. Baron. ann. 44. n. 44. ann. 51. n. 51. Bellarm. de ſcript. Eccleſ. ſect. 1. Gualterius in ſecul. prim. pag. 18. Molanus de fid. hæret. ſerv. lib. 1. c. 6. &c. In Orthodoxographis Patrū tom. 1. p. 71. extat *Proſevangelium Jacobi de* natalibus J C. & ipſius matris virginis. quod ſub nomine *libri de nativitate & obſtetrice Salvatoris* à Gelaſio rectè refertur inter apocrypha, continet enim fabulas Canonicis Evangeliſtarum libris contrarias. *Prochori Hiſtoria de rebus geſtis Johannis*, quæ itidem in Orthodoxographis tom. 1. extat, eſt conficta. *Diſputatio Petri cum Appione* repudiatur ab Athanaſio in Synopſi & Hieronymo in catal. ſcriptor. *Epiſtola Pauli ad Laodicenſes*, conſtans verſ 18 ex Paulinis Epiſtolis magna ex parte conſarcinatis edita eſt à Prætorio Hamburgi ann. 1595. unà cum *Fragmentis Apoſtolorum*. Sed Hieronymus in catal. eam rectè inter apocrypha rejicit. Coloſ. 4. verſ. 16. non fit mentio alicujus Epiſtolæ ad Laodicēſes, ſed ἐκ τῆς Λαοδικείας ſcriptæ. *Acta Barnabæ* nomine Iohannis ſcripta multis & apertiſſimis ſunt coagmentata mendaciis. Baron. ann. 51. n. 51.** De Apocal. Pauli agit Aug. tract. 98. in Ioh. de lib. Thomæ Apoſt. Idē Epiſt. 38. de Epiſtolis adſcriptis Apoſtolis. Idem in Ψ. 42. de libro Enoch. Idem lib. 18. de civ. D cap. 38. de Epiſtola ab ipſo Chriſto ſcripta. Idem lib. 28. contra Fauſt. c. 4.** *Epiſtola Pauli ad Senecam* multorum mendaciorum cōvincuntur. Baron. ann. 66. n. 11. licet ab Hieronymo in catal. & Auguſtino Epiſt. 14. cum laude citentur. Sixt. Senenſ. lib. 2. Biblioth. ſanctæ p. 40. ex Franciſco Alvarezio in itinerario Æthiopico refert, *Apoſtolorum librum*, quem ipſi in Ieruſalem ſimul congregati ſcripſerunt, Chriſtianos Æthiopes in Æthiopica lingua pari cum divinis voluminibus honore venerari. Kirſtenius etiam in præfat. Gramm. Arabicæ p. 5. memorat, eſſe ſcripta Apoſtolorum, quæ in alia lingua nulla, quàm Arabica habentur. *Multas* (inquit) *Pauli Epiſtolas, aliorumq; Apoſtolorum ſcripta Arabes habere dicuntur, quæ nondum in aliis extant linguis.* Sed ſi vel maximè ab Apoſtolis illa ſcripta eſſent profecta, non tamen eſſent partes Scripturæ Canonicæ, ut patere poteſt ex illis, quæ dicta ſunt ſuperiùs in quæſtione, an libri quidā Canonici perierint. Jure igitur Caſaubonus exerc. 1. ad Baron. c. 3. p. 29. multitudinē apocryphorū ſcriptorū expendens conqueritur: *prima illa Eccleſia Chriſtiana anla produxiſſe ſcripta plena fabularum, plena aptiſſimorum mendaciorum, cujus generis* (inquit) *erant Chriſti Evangelium ſecundum Ægyptios, aliud ſecundùm Hebræos, quorum teſtimoniis non ſemel etiam Clemens Alexandrinus utitur, Pauli ἀναβατικὸν, de quo Epiphanius contra Cajanos, Iohannis Apoſtoli ad Parthos Epiſtola* (eruditi tamen cenſent, illam eſſe Catholicam Johannis Epiſtolam in ordine primam, quæ genuina eſt) *Chami prophetia, Moſis Apocalypſis, Eliæ apocrypha, Ieremiæ apocrypha, Matthiæ Apoſtoli παραδόσεις.* Pergit Caſaubonus. *Concilii Romani & Gelaſii Papæ inſigniter ſalutare decretum extat in jure Canonico* diſt. 15. *quo libri hujus farinæ plurimi & recenſentur & damnantur, quædam tamen hodieq; manent judicio omnium, qui in literis aliquid videt ψευδεπίγραφα & in eundem cenſum referenda, ut Petri περίοδοι, Clementis Recognitiones, B. Virginis Epiſtolæ aliquot, Pauli item ad Senecam & hujus ad illum Epiſtola & multa alia.*

304. Cæterùm multitudo illa Apocryphorum ſub Evangeliſtarum & Apoſtolorum auguſto nomine ab hæreticis ſparſorum admonet nos 1. de immani odio Diaboli adverſus ſacras literas, qui variis modis hoc egit, ut apocryphis fabulis Canonicam autoritatem conciliaret; contrà verò libros ſacros θεοπνεύστους & verè Canonicos in contemtum adducerent. 2. de ſingulari Dei providentia, quâ factū eſt, ut N. T. canon integer & inviolatus conſervaretur, unde etiam D. Johanni ætas tam longa divinitùs fuit conceſſa, ut de genuinis ac Canonicis Evangeliſtarum & Apoſtolorum libris Eccleſiam erudire, eoſq; à ſpuriis & ſuppoſititiis diſtinguere poſſet. 3. de pio primævæ antiquitatis ſtudio & fideli ejuſdem cura in Apocryphis & ſuppoſititiis libris à Canone diſtinguendis, quâ de re ex illis, quæ ſuperiùs dicta, judicium fieri poteſt.

CAP. XII.

De forma Scripturæ ſacræ.

305. *Forma Scripturæ ſacræ* docendi cauſa ſtatui poteſt duplex. *Interna & Externa* ſive Eſſentialis & accidentalis. *Internam Scripturæ formam* quidam conſtituunt θεοπνοίαν ſive θεοπνευστίαν divinam inſpirationem, cujus reſpectu vocatur θεόπνευστος 2. Tim. 3. v. 16. Sed quia θεοπνευστία potiùs ad efficiētem cauſam pertinet, ſiquidem ſancti *Dei homines & locuti ſunt* & ſcripſerunt ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι *divino inſpirato ducti & impulſi* 2. Petri. 1. v. 21. ideò formam Scripturæ internam eſſe dicimus ipſam divinam Scripturæ autoritatem ac majeſtatē, quæ ex immediato Spiritus S. afflatu (cauſâ efficiente propriâ & adæquatâ) ac rerum, quas exponit ſublimitate (materiâ itidem propriâ & adæquatâ) originem trahit. Per hanc formam internam Scriptura eſt id quod eſt, videlicet ſacra, divina, Canonica, αὐτόπιστος καὶ ἀξιόπιστος; per eandem etiam ab aliis Scripturis omnibus tàm profanis quàm ſacris, tàm Eccleſiaſticis quàm apocryphis diſtinguitur, Auguſt. lib. 11. contra Fauſt. c. 5. *Diſtincta eſt a poſteriorū libris excellentia Canonicæ autoritatis V. & N. T. quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones Epiſcoporum & propagationes Eccleſiarum tanquā in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus, &c. In opuſculis autem poſteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, ſed nullo modo iſti Canonicæ Scripturarū ſacrarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuſcunq; invenitur eadem veritas, longè tamen impar eſt autoritas.* Ab hac ſententia non abeunt in diverſum, qui ipſum ſenſum, ſive ſententiā verbi divini in Scriptura literis expreſſam formā ejuſdem internā conſtituunt, quia inde atq; ideo Scriptura divinam majeſtatē atq; autoritatē obtinet, quod divinā voluntatē & ſalutis noſtræ myſteria ex divina Prophetarū & Apoſtolorū inſpiratione nobis manifeſtet.

Forma Scripturæ Interna.

306. *Forma externa* eſt tū idioma linguæ Hebrææ, *Externa.*

quo

quo Vetus; & Græcæ, quo novum perſcriptum eſt Inſtrumentum; tum ſermonis ac ſtyli, quo in Scriptura Spiritus S. utitur proprietas, imò ſingularitas *ſimplicitatem & majeſtatem* miraculo verè divino conjunctam habens. Sermonis genus, quo Scriptura eſt exarata, eſt ſimplex, nullam redolens humanam & fucatam eloquentiam, interim tamen eſt auguſtum & ad percellendos hominum animos maximè efficax 1. Cor. 2. v. 1. *Cùm veniſſem ad vos, non καθ' ὑπεροχὴν λόγου ἢ σοφίας cum ſublimitate ſermonis vel ſapientiæ* puta humanæ, *annuncians vobis teſtimonium Dei h. e.* Evangelium v. 4. *Et ſermo meus & prædicatio mea non fuit ἐν πειθοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis*, in floſculis & ſchematibus Rhetoricis, *ſed in demonſtratione Spiritus & potentiæ*, id eſt, in verbis Spiritualibus potenter & efficaciter corda moventibus. Derogat ſibi Apoſtolus eloquentiam humanam, non autem divinam ac perſtringit eos qui πρὸς χάριν λέγοντες ἀνθρωπαρέσκειαν in ſuis concionibus affectabant cum verborum lenociniis & phaleratis dictis plebem demulcebant, quique pro oratione ſanctimoniæ & divinæ virtutis plenâ comtam, calamiſtratam, papavere & ſeſamo ſparſam & ex mellitis verborum globulis contextam afferebant, ut Seneca loquitur, doctrinæ nucleum interim negligentes.

307. Verè mirandum ac ſingulare eſt, in ſtylo Scripturæ conjungi tum *ſimplicitatem* tum *majeſtatem*, ex quibus ſimul junctis ſtyli illius proprietas ac ſingularitas oritur. *Simplex* dicitur Scripturæ ſtylus, non quod ſit rudis & ruſticus, vel quod deſtituatur omni ornatu ac elegantia, vel quod deſtituatur omnibus figuris ac tropis, ſed quod ſit apertus, minimè fucatus vel fraudulentus, quodq; res magnas & præclaras verbis ad captum legentium accommodatis deſcribat. Simplex ergo eſt ſermonis character, quo Spiritus ſanctus in Scripturis utitur, cùm non conſtet affectato dicendi genere nec pigmentis oratoriis, nec verbis exquiſitè ornatis, ſed ad intelligentiam obviis, perſpicuis & in vulgus notis; idem tamen character *majeſtate* plenus eſt; cùm de ſummis fidei myſteriis & divinis revelationibus ſupra mentis humanæ captum poſitis tam perſpicuè nos erudiat; atque ut verbo dicam, talis eſt Scripturæ character, qualem in aliis libris humanâ induſtriâ elaboratis nemo deprehendet. Majeſtas ſtyli complectitur. 1. *ejusdem evidentiam*, quâ per vivam quandam ὑποτύπωσιν res in illis deſcriptæ quaſi ante oculos ſpectandæ proponuntur. 2. *plenitudinem* ſive μείωσιν, quod res quas proponit, plenè quantum quis deſiderare poſſet, explicat, videlicet partium & ſpecierum enumeratione, cauſarum explicatione, circumſtantiarũ notatione, antitheſeos ſubjectione, &c. 3. *brevitatẽ* ſive βραχύτητα, quâ *paucis verbis multas ſententias cõplectitur* ut ait Chryſ. homil. 24. in c. 6. Geneſ. ac verborum numerum numero rerum non tantũ adæquat, ſed etiam ſuperat. 4. *cohærentiam* ſive συνδεσμίαν, quâ omnia membra aptiſſimè & veluti perpetuâ quadam catenâ connectit, ut nihil hiulcum, nihil ἀνακόλουθον occurrat. 5. *verecundiam & caſtitatem* ſive ἀγνότητα καὶ εὐχερισμὸν, quâ ab omni ἀκαθαρσίᾳ & turpitudine abſtinet & res alioqui obſcœnas verecundis ſive nuptis verbis, ut loquuntur, exprimit. 6. *efficaciam* ſive ἐνέργειαν ac δεινότητα, quia Scripturæ ſermo ita comparatus eſt, ut peculiari quadam vi legentis animum percellat. Chryſoſtomus homil. 46. in cap. 23. Matth. *Omnia verba divina, quamvis ruſtica ſint & incompoſita, viva ſunt, quoniam intus in ſenſibus ſuis habent poſitam veritatem Dei, quaſi ſanguinem in venis incluſum, & ideo vivificant audientem. Omnia autem verba ſecularia, quoniam non habent in ſe virtutem Dei, quamvis ſint compoſita & ingenioſa, mortua ſunt, quoniam in venis ſuorum non habent virtutẽ Dei, propterea nec audientem ſalvant.* De hac ſermonis divini majeſtate ac ſingularitate teſtantur non ſolùm formulæ illæ loquendi ſæpiùs repetitæ. *Ego Dominus, Ego dico vobis, Sic dicit Dominus. Os Domini locutum eſt. Verbum Domini factum eſt, &c.* ſed etiam divini effectus in auditorum animis. Ierem. 23. v. 29. *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram.* Matth. 7. v. 28. *Obſtupeſcebant turbæ ſuper doctrina Chriſti. v. 29. erat enim docens eos tanquam poteſtatem habens.* Luc. 24. v. 32. *Nonne cor noſtrũ erat ardens in nobis, dum loqueretur nobis in via, &c.* Joh. 6. v. 63. *Verba quæ loquor vobis, ſunt Spiritus & vita*, (nimirum quia à Spiritu ſancto profecta ſunt & ex fonte vitæ profluxerunt, quia ſpiritualem & divinam virtutem in ſe continent, quia ſpirituales effectus edunt & hominem vivificant, hæc n. tria ſunt conjungenda, in quibus poſterius ſemper ſequitur ex priore. Quidam ſic exponunt, *ſunt Spiritus*, i. e. debent ſpiritualiter intelligi de manducatione non capernaitica, ſed ſpirituali. *Sũt vita*, i. e. debent intelligi non de tranſitoria, ſed de æterna vita; quæ explicatio vera quidem eſt, ſed non plena) Act. 2. verſ. 37. *His auditis compuncti ſunt corde.* Iam verò idem omnino verbum, quod Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli vivâ voce prædicarunt, poſtea per Dei voluntatem Prophetæ, Evangeliſtæ & Apoſtoli in Scripturam redegerunt. Ergo eoſdem effectus producit.

308. Cauſæ, propter quas Deus Scripturam ſacram ſimplice, perſpicuo & ab humanæ eloquentiæ lenociniis remoto orationis genere extare voluerit, facilè apparent. 1. ἁπλοῦς ὁ λόγος τῆς ἀληθείας, infucata veritas amat infucatum ſermonis genus. Iam verò cœleſtis veritas in Scripturis nobis proponitur. 2. Myſteria, quæ in Scripturis nobis proponuntur, ſunt ſupra captum humanæ rationis poſita, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν κτιστῆς φύσεως, ut loquitur Iuſtinus in ἐκθ. πισ. p. 304. τὸ τῆς ἡμετέρας παιδείας ἐστὶν ἀνωτέρω τῆς κοσμικῆς καταλήψεως, ait Tatianus in orat. contra gent. Quod ſi obſcurum & perplexum orationis genus ad illa proponenda fuiſſet adhibitum, penitùs ab intelligentia humana fuiſſent remota. 3. Scripturæ non ſolùm in uſum eruditorum, ſed etiam rudiorum ſunt exaratæ. Cùm ergo omnibus ſint ſcriptæ, ideò etiam genere dicendi omnibus obvio exarari debuerũt, unde Eſaias ſcribere jubetur בְּחֶרֶט אנשׁ *ſtylo hominis* Eſ. 8. v. 1. 4. Si grandiloquis humanæ ſapientiæ verbis conſcriptæ eſſent, earum vis & efficacia in converſione hominum tribueretur non divinæ virtuti, ſed verborum lenociniis ac phaleris 1. Cor. 1. v. 17. cap. 4. v. 20. 5. Qui Scripturæ ſimplicitatem contemnunt, juſto Dei judicio à cognitione divinorum myſteriorum excluduntur. Auguſtinus lib. 3. Confeſſ. cap. 5. fatetur, ſibi cùm adhuc Manichæus eſſet, Scripturam indignam viſam, quam Tullianæ eloquentiæ compararet: *Tumor n. meus*, inquit, *refugiebat modum ejus & acies mea non penetrabat interiora ejus.* Sed poſtmodum Chriſtianus è Manichæo factus longè aliter ſentire cœpit. lib. 6. Confeſſ. cap. 5. *Eo mihi venerabilior*

nerabilior & ſacroſanctâ fide dignior apparebat Scriptura autoritas, quò & omnibus ad legendum eſſet in promtu & ſecreti ſui dignitatem in intellectu profundiore ſervaret, verbis apertiſſimis & humilimo genere loquendi ſe cunctis præbens & exercens intentiones eorum, qui non ſunt leves corde ut exciperet omnes populari ſinu & per anguſta foramina paucos ad te (ô Deus) *trajiceret, multò tamen plures quam ſi nec tanto apice autoritatis emineret, nec turbas gremio ſanctæ humilitatis hauriret.* Confer Tractat. Flacij de ſtylo ſacrar. literar. in ſecunda parte Clavis.

309. Ex hac Scripturæ forma tum interna tum externa manifeſtè apparet, falſum eſſe Pontificiorum theorema, *quod non aliunde haberi poſſit Scripturam eſſe divinam, quàm ex traditione non ſcripta*, ut diſputat. Bellarminus lib. 4. de V. D. cap. 4. quodque *propter ſolam Eccleſiæ autoritatem Scriptura credatur*, ut loquitur Stapletonus in relect. princ. doctrin. controv. 4. p. 495. quia traditio & autoritas Eccleſiæ non conferunt Scripturæ ſuam formam, ſed eam antea citra Eccleſiæ teſtificationem habet in ſeipſa, ac per eam ſuam majeſtatem & dignitatem omnibus demonſtrat. Ut enim aliàs forma interna per certas quaſdam & ſpecificas proprietates atque effectus ſeſe exerit: ita quoque divina Scripturæ majeſtas & autoritas per certa quædam κριτήρια animis hominum ſeſe oſtendit, quâ de re ſuperiùs in cap. 3. de Scripturæ autoritate, quantum ſatis eſt, diximus.

CAP. XIII.

De authentico Scripturæ textu.

Solus textus Hebræus in V. & Græcus in N. T. eſt authenticus.

310. Ex eo, quod V. T. linguâ Hebraicâ, Novum verò Græcâ à ſanctis Dei hominibus Prophetis, Evangeliſtis & Apoſtolis perſcriptum, colligimus hoc πόρισμα, quod ſolus textus Hebræus in V. & Græcus in N. Teſt. ſit authenticus. Hanc theſin probamus talibus ἀποδείξεων. 1. Omne inſtrumentum publicum in ea duntaxat linguâ eſt authenticum, in qua originaliter ſcriptum ab eo, qui ejus ſcribendi poteſtatem ac mandatum habet. Scriptura ſacra eſt inſtrumentũ publicum Dei autoritate, juſſu, ac mandato perſcriptũ. Ergo in ea duntaxat lingua eſt authentica, in qua originaliter ſcripta eſt, videlic. in lingua Hebræa reſpectu V. & Græca reſpectu Nov. Teſt. Major eſt manifeſtæ veritatis. 1. Quòd ſi namq; Rex Galliæ publicum aliquod decretum in lingua Gallica proponeret, idque in linguam Latinam, Græcam, Germanicam à privatis hominibus transferretur, ibi certè ſi de verſionibus illis dubitatio vel controverſia oriretur ad originalem textum Gallicum unicè eſſet recurrendum, quippe in quo decretum illud Regis juſſu eſſet exaratum. 2. In omni controverſia cujuſcunque tandem nominis aut generis, quando ſuper Epiſtola vel Teſtamento vel quocunq; tandem ſcripto contenditur, legitime provocatur ad originale exemplum tanquam authenticum, etiamſi id in alias linguas eſſet transfuſum. 3. Pontifex non permitteret, ut ipſius *Brevia*, quæ ita vocant, in lingua Italica ſcripta, judicarentur ex lingua Germanica, in quam fortè eſſent à privato translata, ſed ex originali textu judicium de iis fieri vellet. De Minore in Eccleſia Chriſtiana nulla eſt vel eſſe poteſt dubitatio.

311. 2. In qua lingua libri V. T. à Prophetis & libri N. T. ab Evangeliſtis & Apoſtolis ſunt exarati, illa ſola in Scripturis ſacris eſt authentica. Atqui libri Vet. T. ſcripti ſunt à Prophetis linguâ Hebræâ, libri N. T. ſcripti ſunt ab Evangeliſtis & Apoſtolis linguâ Græcâ. Ergo Hebræa & Græca linguæ ſolæ in Scripturis ſunt authenticæ, illa ſcil. in V. hæc in N. T. Major eſt certiſſimæ veritatis. 1. Soli Prophetæ & Apoſtoli, utpote immediato Spiritus S. afflatu inſtructi 2. Petri 1. v. 21. Scripturam θεόπνευστον & authenticam edere potuerunt 2. Timot. 3. v. 16. quia ſcribendi mandatum à Deo acceperunt, & ad ſcribendum à Spiritu ſancto impulſi atque ab eodem in ipſo ſcriptionis opere directi fuerunt, quod de nullo interprete, qui textum Hebræum in V. & Græcum in N. T. in alias linguas, transfudit, dici poteſt. 2. inde etiam ſuper *fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, id eſt, ſuper doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum in ſcriptis ipſorum comprehenſam *extructi dicimur*. Eph. 2. v. 10. Ea verò non habetur niſi in V. T. Hebraica ac N. Græca literatura. Circa Minorem notandum 1. quod c. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Dan. cap. 4. 5. & 6. Eſdræ & v. 10. in c. 11. Jer. *Chaldaico idiomate*, quod inflexione tantum ab Hebræo diſtat ac poſt Babylonicam captivitatem Judæis fuit familiare, ſint perſcripta, ut monuimus ſuperius §. 70. 2. quod teſte Hieronymo in Jobo quædam ſint *Arabica*. 3. quod quidam ex veteribus Matthæi Evangelium *Hebraicè* ab ipſo ſcriptum eſſe velint, quâ de re quid ſtatuendum ſit, expoſuimus ſuperiùs §. 243. 4. quod Baron. tom. 1. annal. ann. 45. & Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 7. & 15. ſtatuant, Marcum non Græce ſed *Latinè* ſcripſiſſe, quâ de re quid ſtatuendum ſit, expoſuimus §. 244.

312. 3. Quod exemplar eſt reliquorum omnium norma ac regula, illud ſolum eſt authenticum, aliàs enim non poſſet eſſe norma ac regula. Jam verò exemplar Hebraicum in V. & Græcum in N. T. eſt omnium reliquarum verſionum norma ac regula: illæ enim quæcunque tandem ſint, habent ſe ad Hebræum & Græcum textum tanquam normatum ac regulatum. Ergo Hebraicum exemplar in V. Græcum in N. T. ſolum eſt authenticum. Hieronymo ſolenne eſt Hebræum textum in V. T. vocare *fontem*, jam verò quando rivuli fluunt turbidi, recurrendum eſt ad fontem. Ergo etiam à verſionibus recurrendum eſt ad textum Hebræum in V. T. Cyprianus ad Pompejum: *Si canalis aqua, quæ copioſè prius & largiter profluebat, ſubitò deficiat, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noſcatur, utrumne areſcentibus venis in capite ſiccaverit, an verò integra & plena procurrens in medio itinere deſtiterit?* Quidam piè eruditi hùc accommodant locum Pſ. 68. v. 27. *Benedicite Deo Domino in Eccleſia* ממקור *ex fontibus Iſrael.* Fontes enim Iſraelis nihil aliud ſunt, quàm ſalutaris ac ſalutifera doctrina Iſraeliticæ Eccleſiæ à Deo per Prophetas concredita Eſai. 12. v. 3. Rom. 3. v. 2. qui Prophetæ cùm linguâ Hebræâ ſcripſerint, ideò etiam Hebræa V. T. literatura *fons veritatis* ab Hieronymo rectè appellatur.

313. 4. Quæ Scripturæ editio in Eccleſia Iſraëlitica V. T. & primitiva Apoſtolica N. T. ha-

bita fuit authentica, ea quoq; à noſtris Eccleſiis meritò talis cenſetur. Sed Hebræa editio V. T. in Eccleſia Iſraelitica, Græca N. T. editio in Eccleſia primitiva Apoſtolica habita fuit authentica. Ergo eadem à noſtris quoque Eccleſiis meritò talis cenſetur. Major eſt manifeſtæ veritatis. Ut enim noſtra Eccleſia *per traducem & conſanguinitatem doctrinæ*, Eccleſiæ Iſraeliticæ in V. & primitivæ Apoſtolicæ in N. T. debet eſſe conjuncta, ita quoq; fundamentum hujus doctrinæ videlicet Scripturarum editio authentica utrobiq; debet eſſe eadem. Minor itidem ſuâ luce fulget. Nemo enim inficias ire poteſt, tempore V. T. ante Chriſtum ſolam Hebraicam editionem fuiſſe authenticam, nec dubitari poteſt, eo tempore quo Evangeliſtarum & Apoſtolorum ſcripta in ſola lingua Græca extabant, Græcam N. T. editionem fuiſſe authenticam, aliàs ſtatuendum foret, eo tempore non extitiſſe in Eccleſia authenticam aliquam Scripturæ editionem, quod perquam abſurdum. Græca LXX Interpp. editio, in quam libri V. T. ſunt translati, ab Eccleſia Iſraëlitica non fuit habita authentica. Sed nec poteſt talis haberi, cùm de Prophetico illorum Spiritu nihil certi conſtet ac teſte Sigeberto in Chron. *poſt Latinam Hieronymi verſionem in ſecundis haberi fuerit cœpta.* Veteres Græcæ illi LXX. Interpp. verſioni plurimùm tribuunt, ex quo opinio de conſentiente verſione in diſtinctis cellulis divino miraculo ab ipſis adornata originem traxit, quin & Auguſtinus lib. 15. de civ. Dei cap. 23. non dubitat *Propheticum Spiritum* illis tribuere. Sed ne ipſi quidem Pontificij authenticam autoritatem ei tribuere audent. De verſione Latina utriuſq; Teſtamenti conſtat ex Platina in vita Damaſi, quod *aliquot poſt Chriſtum annis demum aliquam in Eccleſia obtinere cœperit autoritatem*, utiq; ergo in primitiva Apoſtolica Eccleſia non fuit authentica.

314. Hoc ipſum pij veteres non ſolùm verbis docuerunt, ſed etiam ipſo facto comprobarunt, quando ex verſionibus ad fontes recurrerunt. Hilarius in Pſ. 118. *Frequenter admonuimus, non poſſe ſatisfactionem intelligentiæ ex Latinitatis trãslatione præſtari.* Ambroſius lib. 2. de Spiritu ſancto cap. 6. circa med. *Si quis de Latinorum Codicum varietate contendit, quorum aliquos perfidi falſaverunt, Græcos inſpiciat Codices & advertat, quia ſcriptum eſt, ὁι πνέυματι Θεῷ λατρέυοντες* libr. de incar. Domin. Sacramento cap. 8. ante med. *Ita in Græcis Codicibus invenimus, quorum major eſt autoritas.* Hieronymus præfat. in pentateuch. eorum opinionem *ut abſurdam rejicit qui emendatiora eſſe exemplaria Latina quam Græca, & Græca quàm Hebraica dixerunt.* in comment. cap. 8. Zach. *Cogimur ad Hebræos recurrere & ſcientiæ veritatem de fonte magis quàm de rivulis quærere:* Præfat. in quatuor Evang. ad Damaſum, qui ipſum excitaverat ad N. Teſt. ex Græco emendandum, ſic ſcribit: *Si Latinis exemplaribus fides eſt adhibenda, reſpondeant, quibus tot ſunt exemplaria pene quot Codices. Sin autem veritas eſt quærenda de pluribus, cur non ad Græcam originem revertentes ea, quæ vel à vitioſis Interpretibus malè edita, vel à præſumtoribus imperitis emendata perverſiùs vel à librariis dormitantibus aut addita ſunt aut mutata corrigimus.* In Epiſt. ad Vitalem, *ſe tanquam ad arcem quandam & præſidium, ſic ad Hebraicam veritatem confugere eſſe ſolitum* ſcribit. In Epiſt. ad Lucinium 28. *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita novam Græci ſermonis normam deſiderat.* Epiſt. ad Suniam & Retillam. 135. *Sicut in N. T. recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt Inſtrumentum: ita in V. T. ad Hebraam recurrimus veritatem.* In Epiſt. ad Marcell. in fin. *Latinorum Codicum vitioſitas ad Græcam originem revocanda eſt.* Adv. Helvid. tom. 3. f. 3. e. *Multò purior manare credenda eſt fontis unda, quam rivulis.* (Ex quibus Hieronymi dictis manifeſtè apparet, falſum eſſe, quod Sacroboſcus Jeſuit. in defenſ. decret. Conc. Trident. part. 1. cap. 4. ſcribit, *quod nec S. Hieronymus ſuo tempore tutum exiſtimarit, ad Hebraica exemplaria recurrere*) Auguſtin. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 11. *Latina quidem lingua homines, quos nunc inſtruendos ſuſcipimus, duabus aliis ad Scripturarum divinarum cognitionem habent opus, Hebræa ſcil. & Græcâ, ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum Interpretum infinita varietas.* cap. 15. *Latinis quibuslibet emendandis Græci Codices adhibeantur.* ib. *Nomina Hebræa non dubitandum eſt habere non parvam vim atque adjutorium ad ſolvenda ænigmata Scripturarum, ſi quis poſſit ea interpretari.* lib. 15. de Civ. Dei cap. 13. circa fin. *Rectè fieri nullo modo dubitaverim, ut cùm diverſum aliquid in utriſque Codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potiùs credatur, unde eſt in aliam linguam per Interpretes facta translatio.* c. 14. *Rerum geſtarum fides ab ea lingua repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt, quod habemus.* Confer Epiſt. 108. & tract. 3. in Johann. Caſſiodorus lib. 1. Inſtit. cap. 15. *Decet, ut unde ad nos venit ſalutaris translatio, inde iterũ redeat decora correctio.* Lyranus & Burgenſis vulgatam translationem Latinam ex Hebræo in V. & Græco in N. Teſt. ſæpiùs corrigunt Reuchlinus Hieronymi veſtigia premens dicit: *Hebræi fontes, Græci rivos, Latini paludes bibunt.*

315. Idipſũ agnoſcunt quidam ex adverſariis. c. ut veterum diſt. 9. citatur dictum Hieronymi: *Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita novorum Græci ſermonis formam deſiderat.* (Gloſſa evidentiam hujus dicti confictis diſtinctionibus labefactare nititur, ad quas latè reſpondet Eraſmus in ſcholiis ſuper 2. libr. Hieronymi adv. Jovinianum. Tandem tamen ex hoc capite deducit, notabile, quod *quantumcunque authenticum ſit aliquod inſtrumentum, ſi tamen de ipſo in dubium aliquid revocetur, ſemper exhibendum ſit illud, à quo originem ducit.* Stãte hoc notabili nõ poteſt aliter ſtatui, quàm quod in V. T. ad Hebræum, in N. ad Græcum textum ſit recurrendum) c. Jejunium diſt. 76. citatur dictum ejuſdem Hieronymi, *Cogimur ad Hebræos recurrere, &c.* c. Inter ſolicitudines de Magiſt. in Clementinis conſtitutum dicitur à Clemente V. in Concilio Viennenſi, ut *in Academiis celebrioribus alantur Profeſſores linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Arabicæ & Chaldææ*, nimirum ut fontes Scripturarum rectè explicentur. Th. Morus in Epiſt. ad Dorpium: *Eccleſia credit translationi Latinæ, ſed magis archetypo credit. Evangelium in Latinis eſſe verum, quatenùs cum Græcis conſentit.* Ludov. Vives in lib. 14. Aug. de civ. Dei c. 8. *Otioſum nimis eſſet, ut puto, multis verbis perſuadere velle, cùm de ſenſu aut integritate verborum Evangelij Latini dubitatur, ad fontem ipſum recurrendum,*

ad Græ-

ad Græca exemplaria, quâ linguâ Apoſtoli ſcripſerunt. Hoc Hieronymus clamat, hoc Auguſtinus hic admonet & præcipit exemplo ſuo. Iſti reclamant & certius eſſe contendunt transfuſum in Latinum ſermonem Evangelium quàm in ipſa origine ſua. Sed iſtos non magnopere referre putem confutari, nam pauci ſunt & indocti, qui vel ſuapte ſponte tacebunt, cùm ſe intelligent nihil proficere, vel eruditorum omnium conſenſu cum abſonis ſuis clamoribus rejicientur. Comment. in lib. 15. Auguſt. de Civ. Dei cap. 11. *Quàm meritò Auguſtinus deridet eos, qui plus omninò volunt haberi fidei interpretationibus quàm linguis illis; unde ad cæteras ſacra Scriptura manarunt.* In comm. lib. ejuſdem. cap. 13. *Hoc ipſum* (quod ad fontes recurrendum ſit) *Hieronymus clamat, hoc ipſa docet ratio. Et nullus eſt ſaniore judicio, qui repugnet, ſed fruſtra conſenſus bonorum ingeniorum hoc cenſet. Nam rigidus ſtupor velut moles opponitur, non quia iſti inſcij ſunt earum linguarum, nam nec Hebraicè ſciebat Auguſtinus & Græcè minùs quàm mediocriter, ſed non eſt in his ea modeſtia animi, quæ in Auguſtino, hic undecunq; paratus erat doceri, iſti nuſquam volunt doceri, ubiq; docere quod ignorant.* Benedictus Arias Montanus unus ex Patribus Concil. Trident. in præfat. ſuper opus Biblicum & Patrum teſtimoniis & argumentis evincit, omnia, de quibus in Bibliorum interpretatione dubitatio ſuboritur, ad Hebraicam veritatem in V. & Græci ſermonis formam in N. T. eſſe examinanda. Inter cætera ſic ſcribit: *Quod ea quæ in prima lingua unum certumq; ſignificant, ab Interpretibus ambiguè redduntur, rurſusq; illa è ſecunda in tertiam linguam converſa adhuc magis incertam ſignificationem relinquant, ex quamplurimis exemplis in veteri Bibliorum editione patet.* Et paulò pòſt: *Quotidiano uſu compertum eſt, tum librariorum tum etiam Typographorũ culpâ multos errores tàm in Græca quã in Latina lingua paſſim committi, qui nullo modo niſi ex primæva illius linguæ veritate emendari poſſunt.* Et poſteà: *Si Latina ſacrorum Bibliorum interpretatio corrumpatur, vel novarum interpretationum prætextu contaminetur, aut etiam falsâ ſententia interpretatione pervertatur, tamen huic nullũ magis ſalutare remedium adhiberi poteſt, quàm ſi veritas ipſa primæva & archetypa illius linguæ ſubſidio confirmata à ſceleſtorum hominum impietate vendicetur.* Quodq; argumentis confirmavit, id in ipſa praxi obſervavit. Geneſ. 3. tollit *ipſa* & ex Hebræo reddit *ipſum*. Gen. 48. vulgata habet, *invocetur ſuper eos nomen meum*. Arias reddit, *vocetur in eis nomen meum*. Eraſmus præfat. annor. in N. T. *Teſtamentum, quod vocant, novum omni quâ licuit diligentiâ, quaq; decuit fide recognovimus, idq; primùm ad Græcam veritatem, ad quam ceu fontẽ ſiquid inciderit, confugere, non ſolùm illuſtrium Theologorum exempla ſuadent, ſed etiam toties monent Hieronymus & Auguſtinus, & ipſa Romanorum Pontificum decreta jubent.* Id. in Meth. Script. ſacræ. *Quod ſi ſemel ſufficiebat Hieronymiana trãslatio, quorſum tandem attinebat caveri Pontificum decretis, ut Veteris Inſtrumenti veritas ab Hebræorum voluminibus, Novi fides à Græcorum fontibus peteretur? Certè jamtùm verebatur Hieronymus, denique ſi hac ſatis erat, qui poſtea factũ eſt, ut tot manifeſtariis ac pudendis erratis lapſi ſint primi nominis Theologi, idquod apertius eſt quam ut negari poſſit vel diſſimulari, in quibus eſt & ipſe neotericorum omnium diligentiſſimus Aquinas, quem mihi parùm propitium eſſe velim, ſi aut mentior, aut contumeliæ cauſâ hæc dico.* Melchior Canus lib. 2. Locorum c. 15. multas recenſet commoditates, quas fontium cognitio afferat. 1. *quando cum infidelibus diſputamus.* 2. *quando dictionum emphaſin explicare volumus.* 3. *ut plures ſenſus inveniamus.* 4. *ut idiomata, phraſes & proverbia alienæ linguæ cognoſcamus.* 5. *ut menda corrigamus.* 6. *ut quædam loca intelligamus, quæ ſine linguarum ſcientia explicari nequeunt.* 7. *ut Latini ſermonis ambiguitatem & amphiboliam vitemus.* 8. *ut quædam vocabula rectè interpretemur, quæ in uſu ſunt, ut anathema, maranatha &c.* (An ſi tot ac tantas utilitates fontium cognitio præſtat, utiq; illi meritò cenſendi ſunt authentici, & in dubiis ad illos recurritur.) Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 11. concedit, quatuor temporibus licere ad fontes Hebræos & Græcos recurrere, 1. *quando in Latinis Codicibus videtur eſſe error librariorum.* 2. *quando Latini Codices variant, ut non poſſit certò ſtatui, quæ ſit vera vulgata lectio.* 3. *quando verba aut ſententia in Latino eſt anceps.* 4. *ad energiam & proprietatem vocabulorum intelligendam.* Acoſta lib. 2. de Chriſto revelato cap. 15. in princ. *Quid ergo amplius Latino aut Græco concedendum eſt, quam ut tunc habeatur interpretatio bona, cùm concordat originali linguæ? autoritas autem divina tota penes illam linguam ſit, in qua ſacer Scriptor edidit primùm.* Hùc pertinent 1. quotquot à vulgata translatione Latina ad textum Hebræum in V. & Græcum in N. T. provocant, eo ipſo enim manifeſtum faciunt, ſe ſolùm Hebræum textum in V. & Græcum in N. Teſt. ſtatuere authenticum. 2. quotquot agnoſcunt ac fatentur, vulgatã tranſlationem Latinam eſſe alicubi corruptam, illæ enim corruptelæ non niſi ex authenticis fontibus Hebræi textus in Vet. & Græci in N. Teſt. emendari poſſunt. Brugenſis in notis ad verſionem Latinam aliquoties repetit: *Sic eſſe legendum, Græca clamant.* Matth. 6. v. 5. Latina verſio habet, *Qui amant*, Græca ὅτι φιλοῦσι, *quia amant*. Maldonatus in comm. Græcum textum Latinæ verſioni præfert: *Hoc loco*, inquit, *noſtram potiùs quàm Græcam verſionem judico eſſe corrigendam.* Luc. 22. v. 20. Latina verſio habet, *Sanguis qui pro vobis fundetur*; Græcus textus in præſenti *qui funditur* ἐκχυνόμενον; legit. Staplet. in promt. Cath. fer. 3. hebd. ſanct. §. 4. Græcum textum præfert. *Illa verba*, inquit, *ſunt legenda in præſenti tempore juxta omnes Evangeliſtas in textu Græco.* Johan. 1. v. 30. Latina verſio legit. *Qui ante me factus eſt* Fontes Græci habent ἐγένετο *fuit*. Jacob. Faber Stapulenſis in comment. Hebr. 1. Græcos fontes præfert: *Non aliam*, inquit, *expoſitionem voluit infelix Arius, ut ſuam contra nos evomeret inſaniam & nos ex interprete concluderet, qui non potuit ex veritate.* Epheſ. 2. verſ. 10. Latinus Interpres legit: *Creati ſumus in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* Græcus textus habet ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς *ad bona opera*. Vega in opuſc. de merit. & juſtif. p. 803. q. 6. Græcum textum præfert: *Non ſatis commodè* (inquit) *vertit vulgatus interpres, commodius eſſet non ſic vertere, ne inde quis anſam ſumeret operibus imputandi ſuam creationem in Chriſto, nihil enim magis Paulo alienum fuit, qui ubique eam gratiam operibus noſtris abrogat, & uni Chriſto ex aſſe adſcribit.* Hebr. 4. v. 2. Latina verſio legit, *in iis quæ audiverunt*. Græcus textus habet τοῖς ἀκούσασιν, *qui audiverunt*. Ribera in

comm. illius loci num. 5. præfert Græcum textum. *Sine dubio*, inquit, *legendum eſt in vulgata, qui audiverunt, non enim aliter in Græca intelligi poſſit*. Hebr. 11. v. 34. Latina verſio habet, *effugaverunt*. Græci fontes habent ἔφυγον *effugerunt*. Græcum textum præfert Ribera in comm. ill. loci. *Latinè*, inquit, *fugaverunt aciem gladij, debet eſſe effugerunt ſecundum proprietatem Græcæ vocis*. Apoc. 14. v. 3. Latina verſio legit; *Nemo poteſt dicere canticum novum*, Græcus textus habet μαθεῖν, *diſcere*. Ribera in comm. præfert fontem Græcum: *Ideoque*, inquit, *non in Græcis hoc loco error eſt, ſed in Latinis*.

Antitheſis 316. *Antitheſis*. Concilium Trident. ſeſſ. 4. decernit: *ut vetus vulgata editio in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam quovis prætextu*, (nota, *quovis prætextu*, ergo concidunt illa tempora, in quibus Bellarminus & Canus ad fontes provocari poſſe cenſent) *rejicere audeat*, Reipsâ igitur negant textum Hebræum in V. & Græcum in N. T. eſſe autheoticum, aliàs ad illum provocari permitterent. Melchior Canus lib. 2. Locor. cap. 13. ex hoc decreto Concilij deducit quatuor concluſiooes: 1. *Editionem veterem & vulgatam fidelibus eſſe retinendam in his omnibus, quæ ad fidem & mores pertinent*. 2. *Omnes de fide & moribus quæſtiones per hanc Latinam editionem eſſe definiendas*. 3. *In diſputationibus non eſſe ad Hebraica & Græca exemplaria provocandum*. 4. *In his quæ ſunt fidei & morum non eſſe Latina exemplaria ex Hebraicis & Græcis corrigenda*. Andradios Payva lib. 4. defenſ. fid. *ferendum eſſe negat, ut cuivis liceat illius editionis quâ Eccleſia utitur, autoritatem aſpernari atq; ad Hebræa, Græcaq; liberè provocare*. Gregor. de Valent. in anal. fid. p. 8. *Ex dictis intelligitur, nullo modo audiendos illos eſſe, qui adhuc poſt Concilium Tridentinum contendunt, poſſe etiam nunc editionem vulgatam per Hebraicos & Græcos Codices tanquam per fontes, ut ajunt, in locis aliquibus, quod ipſam ſententiam attinet, emendari. Non licet hoc facere, quin potiùs Græci & Hebraici Codices ſicubi à noſtra editione diſſentiant, per noſtram corrigendi & emendandi ſunt. Nam hanc Eccleſia peculiari definitione per omnia approbavit, non illos, quanquam nec illos rejecit, niſi ubi huic noſtræ editioni fortè contradicerent?* Franciſc. Turrianus Jeſuita in defenſ. Locor. Script. adverſ. Sadeelem p. 57. *Eos, qui Hebraicam veritatem præferunt, dicit Iudæis aſſentari*. Gordonus Huntlæus controv. 1. c. 8. *Non rectè faciunt illi, qui rejecto vulgato & ſincero textu* (Latioæ verſionis) *confugiunt ad textum Iudaicum* (Hebræum) *jam depravatum*. Probant hanc ſuam opinionem duplici argumentorum genere: 1. ex Hebraici & Græci textus corruptione. 2. ex Latinæ verſionis commendatione. Utriq; quid roboris inſit, ſuo inferiùs apparebit loco. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 10. in hac controverſia duplici nos onerat calumniâ. 1. *quod ſolam Lutheri verſionem judicemus authenticam*. 2. *quod non parùm diſſentiamus in authentica editione Latina eligenda*. At nec Lutheri nec ullius alterius verſionem Latinam vel Germanicam, ſed ſolum textum Hebræum io V. & Græcum in N. T. authenticum eſſe ſtatuimus.

317. Uoicum ibi profert Bellarm. argumentum, quod propriè eſt hujus loci, reliqua enim pertinent ad quæſtionem de autoritate vulgatæ translationis Latinæ. Eſt autem in ordine quartum & ſic habet: *In Conciliis generalibus Eccleſiæ aut pauciſſimi aut interdum nulli inveniuntur linguæ Hebraicæ periti, malè igitur proviſum eſſet Eccleſiæ, ſi in rebus gravibus non poſſet fidere Latinæ editioni, ſed deberet recurrere ad Hebraicos Codices & mendicare à Rabinis hoſtibus veritatem. Idem dicere poſſumus de Græca lingua, nam etſi nunc utcunque multi inveniuntur, qui Græcè noverint, tamen non ſemper ita fuit*. Reſp. 1. non eſt authentica editio quam Epiſcopi intelligunt, nec deſinit eſſe autheotica editio, quam Epiſcopi ooo intelligũt, ſed quæ eſt θεόπνευςος & à Prophetis, Evangeliſtis atq; Apoſtolis profecta, illa onica & ſola eſt authentica, ſive Epiſcopi eam intelligant ſive minùs. 2. Idem metuendum in lingua Latina, ne ſcilicet illius etiam ignari ſint aliarum provinciarum Epiſcopi. 3. Nullum fuit generale Concilium, in quo noo fuerint inventi aliqui, qui Scripturas in ſuis ſootibus intellexerunt. Johannes Dalburgius quatuor judices minimè ſuſpectos Concilio præficiendos eſſe dicebat, *Biblia Hebræa, Græca, Latina & Germanica*, ut eſt in Paralipom. Urſpergenſis. Sed judices illi vel omnes vel certè aliqui eſſent fruſtranei, ſi Epiſcopi illorum linguam non intelligereot. 4. Studium linguarum potiùs commeodari debet futuris Epiſcopis, quàm patrocinium ignaviæ & ruditatis quæri. 5. Inde Clemens V. in Concilio Viennenſi decrevit, *conſtituendos eſſe in Academiis Profeſſores Hebrææ ac Græcæ linguæ*, ne ſcil. in Coociliis aliquando congregentur Epiſcopi linguarum iſtarum ignari. Affine eſt huic argumento illud, quod in prioribus editionibus adjicitur, eſtq; in ordioe ſextum, ſed in editionibus poſterioribus fuit omiſſum. Sic verò illud habet: *Si Hebræus textus in V. & Græcus in N. T. eſſet authenticus, ſequeretur, omnes homines, qui non ſunt periti Hebrææ & Græcæ linguæ, ſemper in Scripturis legendis debere eſſe dubios, an veram Scripturam legant*. Reſp. eodem argumento evinci poſſet, etiam Latinam verſionem non eſſe *authenticam*, quod tamen magno conatu evincere laborat Bellarminus. Homines linguarum imperiti, etſi oon poſſint de ſingulis Scripturæ locis accuratum ferre judicium, quod ad Theologos propriè ſpectat, doctrinam tamen agnoſcunt & approbant à Spiritu ſancto per Miniſterium verbi edocti atq; informati.

CAP. XIV.

De textus Hebraici in V. Teſt. integritate.

318. Inter argumenta, quibus Pontificij evincere laborant, textum Hebræum V. T. non eſſe authenticum, familiam docit illud, quòd Hebræus teſtus hominum vel *malitiâ vel incuriâ*, plurimis in locis ſit corruptus. Sic Bellarmious lib. 2. de verbo Dei cap. 11. ſcribit: *Tunc demum fontes anteponendos eſſe rivulis, quando conſtat, fontes non eſſe turbatos, jam vero fontes in multis locis fluere turbidos*. Demonſtranda igitur contra hoſce μισογράφους fontium puritas & integritas, quam hujuſmodi disjuncto Syllogiſmo probamus: Si fontes Hebræi in Vet. Teſtam. eſſent corrupti, tribuendum hoc foret vel *Iudæorum malitiæ*, vel *librariorum incuriæ*. Sed nec malitiâ Ju- *Hebræum textum non eſſe corruptum.*

dæorum

dæorũ, nec incuriâ librariorum fontes ſunt corrupti. Ergò nullo modo corrupti ſuot. In majore eſt ſufficiens enumeratio cauſarum, ex quibus corruptio originem trahere potuiſſet. Minor eſt bimembris, videlicet quod nec Judæorum malitiâ & librariorum inruriâ ſontes ſint corrupti. Utrumq; ordine probaodum.

1. Nec Judæorum malitiâ.

319. *Judæorum malitiâ* ſontes non eſſe corruptos probat Origenes libr. 8. in Eſaiam, referente Hieronymo in cap. 6. Eſa. tom. 5. ſol. 14. argumẽto à temporis conſideratione ducto, quod ſic habet. Si Judæi corruperunt Scripturas, vel id ſecerunt ante Chriſti adventum, vel poſt eum. Si ante, quare Chriſtus & Apoſtoli nunquam eos de tàm inſigni crimine reprehenderunt, cùm leviora non taruerint? Si poſt Chriſti advenrum, quomodo teſtimonia, quæ à Chriſto & Apoſtolis ex V. T. allegantur, eo modo, quo citata ſunt, in Moſe & Prophetis inveniuotur? Verba Hieronymi ſic habent: *Quòd ſi aliquis dixerit, Hebræos libros à Judæis eſſe falſatos, audiant Origenem, quid in octavo volumine explanationum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ, quod nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt, in Scribis & Phariſæis de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent. Sin autem dixerint, poſt adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apoſtolorum libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, quod Salvator & Evangeliſtæ & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.*

320. Poteſt iſtud Origenis argumentum latius deduci hoc modo. Ante Chriſti adventum & Apoſtolorum miniſterium Judæos corrupiſſe Scriptnras ſacras dici nequit: 1. quia Chriſtus & Apoſtoli hoc grande ſacrilegium Judæorum graviſſimè taxaſſent, cùm vitioſam Scripturæ interpretationem in iis reprehendant. 2. Chriſtus auditores ſuos ad Moſaicam & Propheticam Scripturam diligenter ſcrutandam remittit Joh. 5. v. 39. ac Moſeo & Prophetas in Scriptis ipſorum audiri voluit Luc. 16. verſ. 29. Ecquis verò credet, Chriſtum ad depravetas & corruptas Scripturas auditores ſuos ablegaſſe? 3. *Scribas & Phariſæos in cathedra Moſis ſedentes ac Moſen ſingulis Sabbatis in Synagogis legentes audiri voluit* Matth. 23. v. 2. Actor. 15. verſ. 21. at ſi Moſaica ſcripta ſuiſſent corrupta, Chriſtus nequaquam ad eorum lectiooem & auditionem ſuos remiſiſſet. 4. Æthiopis Eunuchi ſtudium in legendis Propheticis ſcriptis commendatur & miſſione Philippi explicationem neceſſariam ei ſubminiſtrantis honoratur Act. 8. v. 30. At ſi corrupta ſuiſſent Prophetica Scripta, certè illorum lectio potius ſuiſſet prohibita, quàm commendata. 5. Theſſaloicenſes laudabili ſtudio doctrinam Pauli rum Scriptura Moſaica & Prophetica conferunt Act. 17. v. 11. at quomodo potuiſſent ex Scriptura Moſaica & Prophetica tanquam certa & immota norma de doctrina Pauli judicare, ſi norma illa non fuiſſet integra & pura, ſed in multis partibus corrupta & depravata? 6. Paulus commendat hoc oomine Timotheum, *quod à puero ſacras literas noverit* 2. Tim. 3. v. 15. ipſumq; hortatur, *ut attendat lectioni* 1. Tim. 4. v. 13. at ſi Judæorum malitiâ ſacræ literæ ſuiſſent corruptæ, non potuiſſet nec debuiſſet Timotheus ad illas legendas excitari. 7. Chriſtus & Apoſtoli ex Moſaicis & Propheticis libris doctrinam ſuam paſſim probant, ac Paulus expreſſè dicit, *ſe credere omnibus, quæ ſcripta ſunt in Moſe & Prophetis* Act. 26. v. 22. Atqui ſi à Judæis corrupti fuiſſent Moſis & Prophetarum libri, nunquam ad illos ſine neceſſariâ præmonitione Chriſtus & Apoſtoli provocarent. 8. Paulus dicit: *Judæis fuiſſe concredita* τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ Rom. 3. v. 2. commendatur igitur eorum ſtudium in cuſtodiendis ab interitu & corruptione V. T. libris. At ſi corrupiſſent illos datâ operâ, non potuiſſet ipſorum ſtudium in cuſtodiendo ſacrorum librorum depoſito commendari, nec Apoſtolus hoc immane crimen in ipſis diſſimulaſſet. Poſt Chriſti adventum & Apoſtolorum miniſterium corruptas fuiſſe à Judæis Vet. T. Scripturas, longè minùs eſt probabile, cùm teſtimonia, quæ à Chriſto & Apoſtolis ex V. T. adducuntur, eo modo adhuc hodie legãtur, quo sũt ab ipſis adducta.

321. Origenis argumento addendum eſt alterum, quod urget Auguſt. lib. 15. de civit. Dei c. 13. *Si quæram* (inquit) *quid ſit credibilius Judæorum gentem tàm longè lateq; diffuſam in hoc mendacium conſcribendum uno conſilio conſpirare potuiſſe & dum aliis invideant autoritatem, ſibi abſtuliſſe veritatem, an ſeptuaginta homines, qui etiam ipſi Judæi erant, in uno loco poſitos ipſam veritatem gentib. alienis invidiſſe & communicaſſe iſtud tunc feciſſe conſilio? quis non videat, quid proclivius faciliusq; credatur? ſed abſit, ut prudens aliquis vel Judæos cujuslibet perverſitatis ac malitiæ tãtùm potuiſſe credat in Codicib. tàm multis & tàm longè lateq; diſperſis, vel LXX. illos memorabiles viros hoc de invidenda gentib. veritate unum communicaſſe conſilium.* Poteſt boc Auguſtini argumentum latiùs deduci boc modo: Judæi nec voluerunt, nec potuerunt fontes Hebræos corrumpere. Ergo falſum eſt ipſorum malitiâ ſontes eſſe corruptos. Quod hoc facere *noluerint*, probat. 1. ipſorum erga libros ſacros religio. Philo in lib. de egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto. Joſephus lib. 1. contra Appionẽ, Euſeb. lib. 3. Eccleſ. Hiſt. c. 10. & lib. 8. de præpar. Evang. c. 2. de ipſis teſtantur, *uſq; ad ſua tempora per ſpacium ampliùs quàm duorum millium annorum, ne verbum quidem fuiſſe unquam in lege Hebræorũ mutatum & quemlibet Judæum centies potiùs moriturum quàm ut pateretur, legem in aliquo mutari.* Thalmudiſtæ in Lev. 27. v. ult. diverſis locis notant, *nec Prophetæ ulli licitum fuiſſe vel minimum in lege mutare vel innovare.* Johan. Iſaacus contra Lindan. teſtatur; ipſos adhuc hodiè tàm religioſè obſervare Hebræum Codicem, ut jejunium indicant, ſi ille in terram eeciderit. In Thalmud ſcribunt, *eum peccatum committere inexpiabile, qui aliquid in Bibliis mutet; ac periculum eſſe, ne totus mundus intereat, ſi quis in textu Hebræo unum mutet vocabulum, cum propter ſolam Scripturam Deus hunc mundum crearit.* 2. integritas præcipuorũ de Chriſto vaticiniorum. Si voluiſſent Judæi divinas Scripturas in odium Chriſtianorum corrũpere, præcipua vaticinia de Chriſto vel ſuſtuliſſeot, vel immutaſſent, quod tantùm abeſt ipſoa feciſſe, ut ex textu Hebræo ſortiora contra ipſos argumenta proferri poſſint, quàm ex verſione Latina, ut quidam ex ipſis Pontificiis agnoſeunt. Quod *non potuerint* Judæi ſontes Hebræos corrumpere, probat 1. ipſorum per torum terrarum orbem diſperſio. Poſt Hieroſolymæ everſionem diſperſi fuère Judæi per totum terrarum orbem, quomodo igitur potuiſſent communi conſilio Scripturas ſacras ad errorũ ſuorum patrocinium

corrumpere? 2. Chriſtianorum diligens cautio. Libri Hebraici poſt prædicationem Evangelij in N.T. nō tantùm in Judæorum ſed etiam Chriſtianorum manibus fuerunt, ac ſemper aliqui fuêre in Eccleſ. Chriſtiana, qui libros V.T. in textu originali & legere & intelligere potuerunt, cùm ſubinde ex Judaiſmo aliqui ad Chriſtum convertantur. Illi certè hanc fraudem minimè reticuiſſent, ſi Judæos Chriſti perduelles Scripturam falſare animadvertiſſent. 3. exemplarium Biblicorum multitudo. Apud Judæos legibus ſtatutum, *ne quis paterfamilias Codice Biblico destituatur.* Quod ſi ergo vel maximè pauci quidam in Bibliorum corruptionem conſpiraſſent, non tamen omnibus exemplaribus corruptelam iſtā inducere ſtatim potuiſſent. *Abſit*, ait Auguſtinus d.l. *ut prudens quiſpiam Iudæos cujuslibet perverſitatis ac malitia tantùm potuiſſe credat in Codicibus tam multis & tam longè lateq; diſperſis.* 4. verſionum varietas. Biblia Hebræa in Chaldaicam & Græcam linguam ante Chriſti nativitatem fuêre translata. Quòd ſi ergo Judæi voluiſſent textum Hebræum corrumpere, ex Thargumicis Paraphraſibus & ex LXX. Interpretum verſione ipſorum fraus ac malitia ſtatim fuiſſet in lucem producta.

2. Nec librariorum incuriâ. 322. Sic ergo probatum dedimus, Judæorum malitiâ nec corruptos eſſe nec corrumpi potuiſſe Hebræos fontes. *Librariorum incuriâ* non fuiſſe eos corruptos probat 1. divina providentia. *Extructi ſumus ſuper fundamentum non ſolùm Apoſtolorum, ſed etiam Prophetarum* Epheſ. 2. v. 20. h.e. ſuper doctrinam in libris Prophetarum comprehenſam. Ergo divina providentia non permiſit libros illos corrumpi ac depravari, aliàs fundamentum Eccleſiæ fuiſſet labefactatū & convulſum. *Nō eſt veriſimile*, ait Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 2. *Deum paſſurum fuiſſe, ut verba tot illuſtrium Prophetarum generaliter falſarentur, præſertim cùm ad hunc finem Iudæos diſperſerit per totum terrarum orbem & circumferre eos voluerit libros legis & Prophetarum, ut inimici noſtri Chriſtianæ veritatis teſtimonium præberent*, unde Auguſtinus gentem Judaicam vocat *Chriſtianorum ſcrinariam & capſariam* lib. 12. contra Fauſtum c. 29. in Pſal. 40. & 56. lib. 18. de civ. Dei c. 46. 2. Scripturæ ſacræ authoritas authentica. Si quid in Scriptura ſacra mutatū concederetur, authenticæ ejus authoritati plurimùm decederet. Contrà v. Chriſtus pronunciat Matth. 5. verſ. 18. *donec prætereat cœlum & terra, jota unum vel apicem unum non præteriturum ex lege, donec omnia fiant.* Et Luc. 16. v. 17. *faciliùs eſſe cœlum & terrā tranſire, quàm legis unicum apicem cadere.* 3. Maſoræ fidelis cuſtodia. In Maſorah Gedolah ſive magna calci Bibliorum majorum edit. Bomberg. adjecta, (cujus autores fuêre viri Synagogæ ſeu Conſiſtorij magni, Eſdra, Haggæus, Zacharias, Malachias, Nehemias, Zorobabel, Jeſchua Sacerdos, aliiq; primarij Sacerdotes & Levitæ numero cētum & viginti) verſus, voces & literæ Bibliorum Hebraicorum in univerſum omnes numerantur, omniſq; eorum varietas notatur & ſuo loco cum ſingulorum verſuum recitatione indicatur, ut ſic conſtans & genuina textus Hebraici lectio conſervetur & ab omni mutatione ac corruptione præmuniatur. Hujus diligentiæ planè admirandę & inimitabilis utilitatem his verbis exprimit Elias Levita præfat. 3. lib. Maſoreth Hammaſoreth: *Poſt laborem illum, quem præſtiterunt Maſoretæ, impoſſibile eſt, quod inciderit aut incidere poſſit in poſterū varietas aut mutatio quædam ullo modo in ullis Scripturæ libris. Non enim fruſtra dixerunt Rabini noſtri: Maſora eſt* סייג לתורה *ſepimentum legis.* Nicolaus Fullerus in miſcell. ſacris libr. 3. c. 13. de ea ſic diſſerit: *Quo conſilio* (veritatem Hebraicam à corruptelis cuſtodiendi) *excogitata eſt à peritiſſimis Iudæorum Magiſtris ſubtilis quædam ars & curioſa, quam Maſoreth dixerunt, hoc eſt, traditionem vel rationem accuratiſſimam tradendi per manus poſterorum Scripturæ ſanctæ Canonem purum ſemper integrumq;, cujus beneficio non vocabula duntaxat, ſed ipſas etiam literas in numerato habent, adeò ut nulla, ne minima quidē mutatio invehi queat ab hominibus aut indoctis, aut oſcitantibus aut temerariis, quin è veſtigio facilè deprehendatur, undè non ineptè ab ipſis dicitur quaſi ſeptum veteris Inſtrumenti ad omnem inde labem, metumq; depravationis ſubmovendum & propulſandum.* 4. Singularis eorum, qui textum Hebraicum vel calamis vel typis deſcripſerunt, vigilantia. Collatio Exemplarium tum Manuſcriptorum tum in publicum editorum, eorumq; tum antiquiſſimorum tum recentiorum manifeſtè oſtendit, illos qui textum Hebraicum vel calamis vel typis deſcripſerunt, opus Maſoreticum ſemper ante oculos habuiſſe ac diligentiſſimè caviſſe, ne ulla vel in dictionibus vel literis vel punctis mutatio ipſis non animadvertentibus irreperet, ac ſi quæ fortè irrepſit, eam adjecta correctio ſtatim ſuſtulit.

323. Utamur etiam ἀπαγωγῇ πρὸς τὸ ἄτοπον. Si corrupti ſunt V.T. Codices, conſequens fuerit. 1. Deum aut noluiſſe aut non potuiſſe textū Scripturę originalem integrum conſervare. Prius repugnat ipſius bonitati & ſapientiæ, quâ ex Scriptura & per Scripturam omnes omnium ætatum homines erudiri voluit ad ſalutē; poſterius ipſius potentiæ. 2. non ampliùs purum & incorruptum nos habere unicum ac ſummū fidei noſtræ principium. Cùm n. rivuli nunquam fluant purius ipſis fontibus, magis corruptæ & depravatæ erunt verſiones. 3. in jus vocandum eſſe Chriſtum & Apoſtolos; quod ob grande illud ſacrilegium Judæos nunquam taxaverint, ſed ἁμαρτήματα longè minora duntaxat in ipſis redarguerint. 4. Fruſtraneum eſſe ſtudium, quod fontium cognitioni & accuratiori Codicis Hebræi ſcrutinio ἀφιλε-ζαίως impenditur. 5. Falſa & conficta eſſe omnia, quæ de fidâ Scripturæ cuſtodia & religioſo erga eam Judæorum affectu Philo, Joſephus, Euſebius, Origenes, Hieronymus, Auguſtinus & alij Patres commemorant. 6. Apoſtolum ementito præconio gentem Judaicam ornare, quod *eloquia* Dei ipſi fuerint *concredita* Roman. 3. v. 2. Quæ omnia cùm ſint ἄτοπα καὶ ἀσύστατα, ideò abſurdū erit etiam illud, ex quo talia conſequuntur & deducuntur.

324. Huic ſententiæ noſtræ de integritate & puritate textus Hebraici ſuffragium præbent quidam ex ipſis Pontificiis. Johannes Iſaacus Hebrææ linguæ in Acad. Colonienſi quondam Profeſſor errorem diſcipuli ſui Lindani de Codice Bibliorum à Judæis depravato ut falſum ac impium refutavit ac Hebræam veritatem adverſus ejus calumnias defendit. Titulus libri ſic habet: *Defenſio veritatis Hebraicæ ſacrarum Scripturarum adverſus Lindanum.* In illo ſcripto lib. 2. p. 77. admonet: *Ducenta, ampliùs argumenta, quæ*

Iudæ-

Judaicas impietates refellunt, in Hebraico textu planius quàm in Latinâ translatione contineri, quod ipſum agnoſcit Andradius lib. 4. defenſ. fid. Trid. ubi ſcribit: *Eos qui Hebræa piè & religioſè tractant, multò in illis ampliora de Chriſto teſtimonia, quàm in Latinis Græcisq; offendere.* Idem Iſaacus lib. 4. p. 69. aſſerit, *Tantum eſſe Bibliorum Hebraicorum conſenſum, ut ne unius quidem Scripturæ liber proferri poſſit manu Judæi conſcriptus, cui vel deſit quicquam, quod in aliis habeatur, vel addatur, quod aliis deeſt.* Ludovic. Vives lib. 15. Auguſt. de civit. Dei cap. 13. ad verba Auguſtini: *Abſit ut prudens quiſpiam Judæos tantùm potuiſſe credat, in Codd. tam multis, tam longè lateq; diſperſis, ut dinumerationem annorum* Geneſ. 5. *corruperint*, ſic annotat: *Hoc idem reſponderi poteſt his, qui falſatos, corruptosq; & ab Hebræis Codices V. T. & à Græcis N. T. objiciunt, ne veritas ſacrorum librorum ex illis fontibus petatur.* Benedict. Arias Montanus in præfat. tom. 1. Biblior. ſcribit: *Libros Hebraicos, quibus utimur, non fuiſſe Judæorum fraude corruptos, etſi fuerit aliqua mutatio facta, tamen nullum verbum, vel elementum, vel punctum olim fuiſſe, quod in Theſauro, quem Maſoreth appellant, non fuerit aſſervatum & proinde* Maſoreth *fidam cuſtodiam* vocat. Franc. Ribera in cap. 9. Oſeæ ſic concludit: *Si tunc depravati erant Codices, cùm Hieronymus translationem Latinam edidit, non habet Eccleſia veram Scripturam, etenim Græcam translationem multis locis vitiatam eſſe omnes conſentiunt. Si autem prototypa Hebraica tunc depravata erant, cùm noſtra editio ſit ex illis depromta, omninò depravata erit & verâ incorruptaque Scripturâ caret Eccleſia.* Sixtus Senenſ. lib. 8. Biblior. ſanct. hær. 2. *Dici non poteſt divinas Veteris Teſtamenti Scripturas aut Judæorum aut Chriſtianorum malitiâ falſatas.* Franc. Lucas Burgenſis in Epiſtola ad Sirletum præfixa annotat. in Bibl. *Multa in Latinam verſionem irrepſiſſe vitia, mirum non eſt, cùm idem in ipſo Scripturæ fonte acciderit, quod perſpicuum eſt in Nov. Teſt. Græco, nam de Hebræo nihil dicere volumus.* Non fuit igitur affirmare auſus ejuſmodi vitia textum Hebræum occupaſſe. Plura hujuſmodi pro aſſerenda textus Hebraici integritate ſuffragia afferri poſſunt ex Cajetano in comment. Geneſ. Johanne Reuchlino in ſpeculo Oculari, Eugubino Steucho, Marco Marino Brixiano in Arca Noæ, Guidone Fabricio, Sancte Pagnino, Vatablo &c.

Antitheſis 325. Qui corruptelas Hebraici fontis propugnant, in duas ſeſe dividunt claſſes. Quidam enim ſtatuunt: *Judæos in odium Chriſtianæ fidei ſtudioſè multa Scripturarum loca depravaſſe & corrupiſſe.* Ita docent Jacobus de Valentia Epiſcopus Chriſtopolitanus præfat. in Pſalmos, Melchior Canus lib. 2. Locor. Theol. cap. 13. Lindanus lib. 1. de optimo genere interpret. cap. 1. Wilhelmus Rainoldus Anglus, Gordonus Huntlæus controverſ. 1. cap. 8. &c. Quidam verò ſtatuunt, *Scripturas Hebraicas non eſſe quidem in univerſum depravatas malitiâ Judæorum, nec tamen eſſe omnino integras & puras, ſed habere ſuos quoſdam errores, qui partim irrepſerint negligentiâ vel incuriâ librariorum propter literarum ſimilitudinem, partim ignorantiâ Rabinorum, qui puncta addiderunt.* Ita docent Johan. Driedo lib. 2. de Eccleſ. Dogmat. & Script. cap. 1. Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. ubi prioribus *zelum bonum* tribuit, qui tamen non ſit *ſecundùm ſcientiam*, unde ab eorum opinione ad Driedonis moderationem deflectit. Utrique confirmant ſuam ſententiam: 1. quibuſdam rationibus vel potiùs conjecturis. 2. teſtimoniis Rabinorum & Patrum quorundam. 3. inductione aliquot exemplorum ſivo locorum Scripturæ, in quibus corruptela videatur evidens. Ad omnia illa ſufficienter reſpondit Dn. Salomon Glaſſius Hebræarum literarum Profeſſor, amicus noſter plurimùm dilectus in Philologia ſacra, quam noſtro hortatu conſcripſit & publicæ luci expoſuit, quæ ſacrarum & Hebræarum literarum Studioſis plurimùm adjumenti conferre poterit. Nos hoc loco breves duntaxat obſervationes adducemus, ex quibus Pontificiorum argumentis ſatisfieri poterit & exempla corruptionis à Bellarmino adducta conſiderabimus.

326. Contra *rationes generales* ſive conjecturas, quibus probabile reddere conantur, Judæorum malitiâ vel librariorum incuriâ fontes Hebræos corruptos eſſe obſerva. 1. Puncta vocalia eſſe recens inventum Judæorum, falſa eſt hypotheſis, ut in ſequente capite videbimus, ex ea igitur corruptela textus Hebraici probari nequit. 2. Si vel maximè Judæi odio Chriſtianæ religionis Hebræum textum corrumpere voluiſſent, quod ipſos fuiſſe auſos nondum demonſtratum, idipſum tamen nihil quicquam præjudicaret divinæ providentiæ, quæ integritatem Scripturæ tàm contra Judæorum molitiones, quàm Tyrannorum perſecutiones conſervare potuit. 3. תקון ספרים *correctiones Scribarum*, de quibus multa tradit Galatinus lib. 1. de arcan. cap. 8. non probant corruptelam aliquam textui fuiſſe illatam. Ut enim rectè monet Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. *aut fortè non eſt verum, ullam emendationem Bibliorum factam à Scribis (cùm in neutro Talmud iſtius Tikkun fiat mentio, ac Joſephus lib. 1. contra Appionem teſtatur, nullam unquam literam mutatam fuiſſe in lege ab Hebræis popularibus ſuis, cumque nec Epiphanius nec Hieronymus hujus correctionis mentionem fecerint)* aut ſi *Tikkun Sophrim non eſt fabula, non erit corruptio, ſed vera emendatio, facta non à quibuſcunque Scribis, ſed ab Eſdra & reliquis viris Synagogæ magnæ, ſanctis ſcil. Prophetis, qui poſt reditum ex captivitate Babylonica libros ſacros reviderunt & in certum ordinem redegerunt.* Buxdorffius ſtatuit, Sophrim illos fuiſſe ipſos autores ſacros, Moſen & Prophetas, qui nunquam aliter ſcripſerunt, quàm hodie ſcriptum legitur. At ſapientes Hebræorum naſutiores animadvertentes inconvenientiam quandam in iſtis locis ſcripſiſſe, quod aliter iſti autores loqui debuerint & ſecundùm cohærentiam textus ſic vel ſic ſcribere, ſed pro eo maluiſſe ſic ſcribere & id ſic efferre, ut hodie eſt in textu, inde R. AbenEzra ad aliquot loca irridet naſutos, inquiens *nullo Tikkun opus fuiſſe*, hoc eſt, nihil eſſe, quod naſuti iſti ſapientes putarint, autorem debuiſſe aliter ibi loqui vel ſcribere. Marcus Marinus in præfat. arcæ Noæ: *Judæi de his Tikkun Sophrim aliam ſententiam* (quàm quæ Galatini eſt) *habentes, id totum rident: nam illis ratum & firmum eſt, Scripturam ſacram*

à Prophetis, ut nunc habetur, deſcriptam nunquam immutatam fuiſſe. 4. Ex unius vel alterius Codicis depravatione, quæ in puncto, vel accentu, vel litera, vel etiam integra dictione occurrit, ſive ex incuria ſive datâ operâ fuerit facta, non poteſt ſtatim inferri, textum V. Teſt. Hebræum in ſe ac univerſaliter eſſe corruptum, cùm ex aliorum probatorum & integrorum exemplarium inſpectione mendum illud corrigi poſſit. 5. Ex irregulari vel ſcriptione vel punctatione vocum Hebraicarum, quarum nota & correctio Maſoretica in margine utplurimùm adjicitur, non poteſt textus Hebraici corruptio probari. Aut enim anomaliam duntaxat Grammaticam, aut myſterium aliquod, aut lectionis diverſitatem notæ illæ Maſoreticæ obſervant, aut ſi quæ in literarum elementis ex incuria Scribarum irrepſerunt mendæ, eas corrigunt, ſicque integritatem textus magis ſtabiliunt quàm evertunt. 6. Ex LXX. Interpretum verſione, quæ hodiè non ampliùs incorrupta extat, non poteſt probari, mutationem aliquam in Hebræo textu fuiſſe factam, hoc enim eſſet ex rivulis de fonte, ex normato de norma & regula velle judicium ferre, cùm contrario potiùs ordine ſit progrediendum.

327. Rabinorum & Patrum quorundam teſtimoniis hoc obvertendum. 1. R. Benchaiim Tunctanus diſertè improbat illorum opinionem, qui ſtatuunt, in captivit. Babylonica exemplaria Bibliorum fuiſſe corrupta, *Sententia*, inquit, *illorum longè eſt à me, nec enim adduci poſſum ut credam & labiis confitear, Ezram Scribam, legis librum & Prophetarum libros dubios, corruptos & confuſos inveniſſe, quin magis ſententia mea hæc eſt, quod Eſdras & Collegæ ejus invenerint Biblia ſacra integra & illæſa, quodq́; Eſdras judicio ſuo cognoverit, qui libri ſcripti eſſent per ſapientiam illam excellentem & quare quædam literis ſcriberentur, quædam verò non, quare etiam dictiones quadam extraneè ſcripta eſſent, demiſitq́; eas in ipſo textu ut ſcripta erant, adjiciens in margine velut gloſſam, quæ Naturam vocabuli extranei explicaret.* 2. Maſora evidenti teſtimonio refellit Rabinorum iſtorum opinionem, qui in textu Hebræo corruptelam aliquam factam eſſe aſſerunt. 3. Juſtinus, Origenes & Euſebius non de textu Hebræo, ſed de Græca LXX. interpretum verſione loquuntur, quando Judæos textum Biblicum corrupiſſe ſcribunt Juſtin. in Dialog. cum Tryphon. p. 231. *Scire vos volo, quod Magiſtri veſtri multos & integros prorſus locos Scripturarum* ex translatione illorum, qui cum Ptolemæo fuêre, Seniorum ſuſtulerint, in quibus clarè hunc ipſum crucifixum Deum & hominem eſſe, eumq́ue in cruce pendere & mori, pronunciatū eſſe oſtenditur. 4. Chryſoſt. hom. 5. in Matth. Hieron. in Epiſt. ad Auguſtinum quæ eſt 11. inter Epiſtolas Auguſtini de Interpretibus Judæis, Aquila, Symmacho & Theodotione loquuntur, quod in ſuis interpretationibus de Hebræo in Græcum multa perperam poſuerint in odium Chriſtianæ fidei & in reprehenſionem LXX. Interpretum. Id verò textus Hebraici integritati nihil quicquam præjudicat. 5. Si in ſpecie examinentur loca, quæ Juſtinus dicit à Judæis vitiata, apparebit ipſum ex ſuſpicione magis, quàm ex ſcientia locutum, cùm Hebraicæ linguæ non adeò peritus eſſet.

Exempla corruptionis à Bellarmino addacta:
1. Eſa 9. v. 6. vocabit eum.

328. Ad *exempla corruptionis*, quæ magno numero à Lindano, Gordono & aliis adducuntur, in prælectionibus de Scriptura & annotationibus ad loca V. Teſt. difficiliora reſpondimus, hoc loco expendemus duntaxat quinque illa loca, quæ Bellarminus reliquis Pontificiis in hac quæſtione modeſtior, corrupta eſſe ſuſpicatur: 1. *Eſa. 9. v. 6. habetur* יִקְרָא *vocabit, cùm ſit legendum* יִקָּרֵא *vocabitur. E. fons Hebræus non ubique fluit purus.* Reſp. 1. remotis punctis legi poteſt Iikra & Iikkare, jam verò Bellarminus, Stapletonus, Piſtorius & plerique Pontificii ſtatuunt, *puncta eſſe à Rabinis addita.* 2. Chaldæus vertit paſſivè וְאִתְקְרִי LXX. itidem *καλεῖται*, ut & Hieronymus lib. 3. in Eſa. 3. Neque tamen corruptelam aliquam hîc ſubeſſe rati ſunt, ſed idiotiſmum Hebrææ linguæ ſui ſermonis idiomate expreſſerunt, nec tàm verbum ipſum quàm verbi ſenſum reſpexerunt, quia norunt *verba activa apud Hebræos ſæpius ſumi impersonaliter.* Geneſ. 15. verſ. 6. *imputavit ei ad juſtitiam*, hoc eſt, imputatum eſt ei ad juſtitiam (ut exponit Apoſtolus Rom. 4. verſ. 3.) Geneſ. 16. verſ. 14. *vocavit puteum iſtum*, hoc eſt, vocabitur puteus Job. 4. verſ. 19. *conterent eos ad facies tineæ*, hoc eſt, contererentur. cap. 7. v. 3. *ærumnoſas noctes conſtituerunt mihi*, hoc eſt, conſtitutæ ſunt mihi, Mercer. in comment. 4. Atque hic loquendi modus etiam in N. Teſt. occurrit. Luc. 12. v. 20. *Repetent animam tuam*, hoc eſt, repetetur anima tua. cap. 13. verſ. 29. Apocal. 16. v. 15. 5. Poteſt inſuper ex alio Hebræorum idiotiſmo reſponderi, quod ſcil. *Hebræi ſæpiùs verba activa tertia perſona ſingularis numeri ſine certo nominativo ponant ſubaudito Benoni ejuſdem verbi*, quem loquendi modum, vocant לשון קצר *locutionem truncatum* Geneſ. 48. verſ. 2. *annunciavit Jacobo*, ſcilicet annuncians aliquis, ὁ εἴπων. Exod. 10. verſ. 11. *ejecit eos*; ſubintellige ejector ſive ejiciens. Job. 27. v. 23. *complodet manus ſuas* ſcilic. complodens, ubi vide ſis Mercerum in comm. Mich. 2. verſ. 4. *In die illa ſumet ſuper vos parabolam* ſcilic. lamentator, quod addidit Pagninus. Confer Vatablum in comm. illius loci. 6. Denique in textu Prophetico ſubintelligi poteſt, *Deus Pater vocabit*, idem ſcil. qui hunc filium ſuum nobis dedit, unde Tremell. & Junius activum retinent.

2. Ier. 23. v. 6. vocabit eum.

329. 2. *Jerem. 23. v. 6. in Hebræo legitur, vocabit eum in ſingulari, cùm tamen legendum ſit, vocabunt eum, in plurali.* Reſp. 1. Hieronymus teſtatur, etiam ſuo tempore fuiſſe lectum יִקְרָאוֹ in ſing. ac LXX. Interpretes verterunt *καλέσει*. Ergo jam tum Hieronymi, imò LXX. Interpretum tempore textus Hebræus fuiſſet corruptus, quod tamen non concedunt, qui fontes Hebræos corruptionis accuſant, ſed LXX. ex textu Hebræo adhuc integro verſionem ſuam adornaſſe ſtatuunt. 2. Vatablus, Pagninus, Arias Montanus, qui Hebrææ linguæ peritiſſimi fuerunt, teſtantur verti poſſe in plurali *vocabunt*, ſicut & vetus Interpres Latinus *πληθυντικῶς* reddidit, *vocabunt*. 3. Neque tamen corruptionem aliquam hîc ſubeſſe rati ſunt, quia etiam hoc loco verbum activum tertiæ perſonæ ſumitur impersonaliter, *vocabit eum*, ſcil. unusquiſque in Eccleſia, ſive omnes pii in Eccleſia vocabunt eum Jehovah. 4. Quin imò nomen

men præcedens יִשְׂרָאֵל λαὸς κοινῶς repetendum eſt in ſenſu collectivo: *In diebus ejus ſalvabitur Iuda & Iſrael habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen ejus* (germinis Davidici) *quod vocabit eum* (Juda & Iſrael) *Iehova juſtitia noſtra.* Neque huic expoſitioni quicquam decedit per verſionem in plurali, quia verbum plurale ſæpiùs cum nomine collectivo conjungitur. 5. Plerique Rabini tùm antiquiores tùm recentiores retentâ lectione in ſing. ad Meſſiam nomen אֲדֹנָי יְהוָה accommodant, ut oſtendit Helvicus tom. 4. diſp. Giſſenſ. diſp. 5. §. 9. ergo non eſt veriſimile, Judæos textum depravaſſe, ne cogerentur agnoſcere, Meſſiæ nomen Jehovah attribui.

330. 3. Pſal. 22. v. 17. *Nemo Chriſtianorum eſt, qui non legat, foderunt manus meas & pedes meos. Textus verò Hebraici legunt, ſicut leo* כָּאֲרִי *non foderunt, quod dicitur* כָּרוּ. Reſp. 1. Genebrardus Pootificius in comm. h. l. p. 79. non audet dicere, hunc locum malitiâ Judæorum eſſe corruptum, ſed duntaxat *variæ lectionis eſſe* ob literarum ו & י ſimilitudinem. Ibid. etiam doctiſſimorum Judæorum teſtimoniis probat, optima exemplaria habuiſſe כארו quod ipſum teſtantur Andrad. lib. 4. defenſ. fid. Joh. Iſaacus lib. 2. contra Lindan. Galat. lib. 1. de arcan. Cath. verit. cap. 8. & lib. 8. cap. 17. Gerhard. Veltvyckus in appendice libri Seſſile Tohu. Pagninus, Vatablus & Mullerus in h. l. Quin in Bibliotheca Academiæ noſtræ habetur Codex Hebræus Manuſcriptus, qui legit כראו. 2. Quòd ſi ergo vel maximè in quibuſdam exemplaribus mendosè pro כארו vel Judæorum malitiâ vel librariorum incuriâ poſitum eſſet כארי, illud tamen nondum probaret, fontes eſſe corruptos, quia ex probatis exemplaribus vera & genuina lectio reſtitui poſſet, ac particularis illa in quibuſdam duntaxat Codicibus corruptio noſtræ ſententiæ non præjudicaret. 3. Neque huic hypotheſi de mutatione literæ ו in literam י obſtaret litera א radicali כ ſubjecta, quia ex priſca Judæorum ſcriptione illud originem trahit. Cùm enim certum ſit, non in omnibus exemplaribus puncta olim fuiſſe adjecta, ideo ne nimium difficilis lectio evaderet, poſt quamlibet vocalem magnam Judæi unam ex literis אוי addere coosueverunt. Sed nulla nos cogit neceſſitas, ut corruptionem aliquam in hoc loco agnoſcamus, cùm ſine ullo veritatis detrimento legi poſſit כארי in quo tamen explicando variant eruditi. 1. Auguſtinus Nebriſſenſis in Pſalterio quinquelingui & Polanus in Syntagm. vertunt, *ſicut leo* & verbi כרו *foderunt*, ſive alicujus alterius ſenſui conformis ellipſin ſtatuunt, cùm in Chaldaica verſione utrumque conjungatur. *Perfoderunt ſic velut leo manus meas & pedes meos, cumque ejuſmodi ellipſes etiam alibi in Scripturis occurrant.* 2. Avenarius putat eſſe compoſitam vocem ex כאר *fodit* & אֲרִי *leo* ſenſu eo, *ſicut leo foderunt*, quod itidem ex Chaldaica tranſlatione probat. 3. Geſnerus putat legendum eſſe unico punctulo addito כָּאֲרֵי ut ſit pluralis numerus in regimine pro כָּאֲרִים & exponit *perforantes* vel *perforantium manus meas & pedes meos.* 4. Cum non ſolùm Maſora parva in annot. ad Pſal. 22. verſ. 17. ſed etiam Maſora magnam finalis in princ. lit. א notent כארי hìc aliam habere ſignificationem, quàm Eſa. 38. verſ. 13. ubi redditur, *ſicut leo*, ex eo colligitur, כארי hoc in loco ſine ulla corruptione poſitum eſſe pro כָּרוּ ac vertendum *perfoderunt*, ſicut LXX. reddiderunt ὤρυξαν. Hieronymus *fixerunt* Æthiopica & Vulg. *foderunt*. Occurrit igitur in hac voce anomalia quædam Grammatica. א vel per epentheſin vel ex priſca ſcribendi conſuetudine fuit inſertum, pro ו in fine poſitum eſt י quæ ſunt literæ εὐμετάβολοι ſive invicem permutabiles, ut multis exemplis oſtendit Avenar. lib. 3. Gramm. pag. 585. Confirmat hanc ſententiam Schindlerus etiam ex eo, quod כ ſub ſe habeat ְ ex quo manifeſtum ſit, literam hanc non eſſe *ſervilem*, ſed *radicalem*, quia aliàs haberet Scheva.

331. 4. Pſal. 19. v. 5. *Hebraici Codices legunt: In omnem terram exivit* קַוָּם *id eſt, linea eorum, ſive perpendiculum eorum, cùm tamen LXX. verterint,* φθόγγος αὐτῶν *& eorum verſionem approbaverit* Paulus Rom. 10. v. 18. *Quid quod Hieronymus ad literam reddidit ex Hebræo, exivit ſonus eorum, ut omninò neceſſe ſit, aut Paulum & Hieronymum reprehendere, aut certè fateri, fontem hoc loco non eſſe purum. Veriſimile autem eſt legi debere* קוֹלָם *unâ enim litera tantum additâ ex* קום *fit* קולם. Reſp. 1. Genebrard. in ſcholiis Pſal. 19. ſcribit, *vocem Hebraicam ſignificare quidem lineam ſed LXX. Interpp. reſpexiſſe ad ſenſum*, eoſque ſecutum eſſe Hieronymum in verſione & Apoſtolum in allegatione Rom. 18 v. 18. quia doctrina Apoſtolorum eſt linea, perpendiculum ac regula omnium in Eccleſia dogmatum. 2. Johannes Iſaacus monet, dictionem קו etiam ſignificare *ſonum.* Sed non extant hujus ſignificationis exempla, ideò veriſimilius eſt, LXX. Interpp. ex verſu præcedente illud vocabulum repetiviſſe. 3. Chriſtus & Apoſtoli non ſolùm in hoc loco, ſed etiam alibi paſſim in N. Teſt. dicta ex V. Teſt. allegant non juxta verba textus Hebraici, ſed juxta verſionem LXX. Interpretum, uti monet Hieronymus in quæſt. ſuper Geneſ. cap. 46. Ex eo verò inferri non poteſt nec debet, textum Hebræum non eſſe authenticum, nec nobis à rivulis ad fontes recurrendum. Primò enim qui ſumus nos collati ad Chriſtum Scripturæ Magiſtrum & Apoſtolos immediato Spiritus afflatu impulſos? Deinde licet non ſemper ipſa verba ſectentur, tamen ſenſum ac mentem puriſſimam retineot, Hieronymus Epiſt. 151. ad Algaſiam: *Ubicunque de V. inſtrumento Evangeliſtæ & Apoſtoli teſtimonia protulerunt, diligentius obſervandum eſt, non eos verba ſecutos eſſe, ſed ſenſum & ubicunque LXX. ab Hebræo diſcrepant, Hebræum ſenſum ſuis expreſſiſſe ſermonibus.* Præterea aliud eſt Scripturam transferre, aliud Scripturæ locum allegare. Etiam noſtræ Eccleſiæ doctores ex vulgata verſione Latina in Diſputationibus adducunt Scripturæ dicta, nec tamen propterea eam authenticam eſſe ſtatuunt, ſed neceſſitate ita ferente ad fontes Hebræos provocant. Inſuper alia hodie eſt ratio verſionis Græcæ, quàm quæ olim fuit, cùm Græca illa Vet. Teſt. verſio, quæ hodie extat, vel non ſit LXX. Interpp. verſio, vel multis modis ſit corrupta & vitiata. Denique non hoc fine ex verſione Græca

4. Pſal. 19 v. 5. ſonus eorum.

Græca Scripturæ dicta citarunt, quaſi Hebræos fontes ſtatuerent eſſe contaminatos ac turbidos, ſed quia Græca verſio tunc fuit uſitatiſſima & receptiſſima. Hieron. in quæſt. ſuper Geneſin: *Illud generaliter obſervandum, quod ubicunque S. Apoſtoli aut Apoſtolici viri loquantur ad populos, iis plerunque teſtimoniis utantur, quæ jam fuerunt in gentibus divulgata, videlicet per translationem LXX. Interpretum.* 4. Paulus fontem Hebræum & dictionem קו ad verbum expreſſit Galat. 6. v. 16. ὅσοι τῷ κανόνι τούτῳ στοιχήσουσι &c. 5. Tempore Maſoretarum lectum fuiſſe קום ex notis ipſorum apparet. Ergo nulla hîc latet corruptionis ſuſpicio. Maſoreticæ enim illæ notæ non ſolùm ante Hieronymianam, ſed etiam ante LXX. Interpp. verſionem fuère ſcriptæ & quidem ab Eſdra & aliis viris Synagogæ magnæ, ut Buxdorffius & alii Hebraicæ literaturæ peritiſſimi ſtatuunt.

5 Deſunt integræ ſententiæ.

332. 5. *Interdum deſunt integræ ſententiæ in Hebræo, cùm non deſint, nec in LXX. Interpp. verſione, nec in Hieronymi translatione. Exemplum habemus Exod. 2. ubi deeſt totum illud: Alium quoque genuit & vocavit nomen ejus Eliazer, dicens: Deus Patris mei auxiliatus eſt mihi, & liberavit me de manu Pharaonis.* Reſp. 1. Hebræus textus verſiculum illum habet ſuo loco videlic. cap. 18. v. 4. 2. Latina & Græca verſio non ſunt regula authenticæ veritatis in textu Hebræo, ex rivulis enim non eſt faciendum judicium de fonte, ſed contrà potiùs ex fonte judicandum de rivulis. 3. Quis certos nos reddet, Hebræis Codicibus hîc aliquid deeſſe, quod neceſſariò ſit ſupplendum, cùm pari facilitate ſtatuatur, Græcis & Latinis Codicibus eſſe aliquid detrahendum. 4. Cajetanus fatetur: *verſiculum illum eſſe ſupervacaneum.* Lovanienſes eum *aſteriſco* notant, Robertus Stephanus eum rejicit. 5. Si ad Moſis argumentum & continuationem Hiſtoriæ attenderis, ineptè hoc loco verſiculus iſte inſeritur. Gerſon enim Moſis filius multis annis præceſſerat Eliezerem fratrem, quibus annis Iſraelitæ reſpexerunt ad Deum, & Deus ad illos. Eliezer verò ſub finem annorum illorum natus eſt & adhuc fuit incircumciſus, cùm ſeſe Moſes ad reverſionem in Ægyptum accingeret, ut notat Junius in animadverſ.

333. Atque hæc ſunt quinque illa V. T. loca, quæ Bellarminus in textu Hebræo ſuſpicatur eſſe corrupta. Quòd ſi vel maximè in illis quædam lectionis diverſitas vel literulæ alicujus mutatio concederetur, nondum tamen conſequens foret, textum Hebræum ita corruptum eſſe, ut pro authentico haberi & ad eum tanquam ad fontes provocari non poſſit. Nam 1. plus eſſet in concluſione, quàm ex præmiſſis inferri poſſet. Quæ enim hæc συνάφεια? Quinque loca ſunt corrupta, vel potiùs variant lectione in diverſis exemplaribus. Ergo tota Scriptura Codicis Hebræi eſt corrupta. Hoc duntaxat ſequitur. Ergo in illis quinque locis Scriptura Hebraica non eſt ſincera atque integra. 2. Sphalma quoddam graphicum, quod in aliquibus duntaxat, non in omnibus exemplaribus extaret, cujus correctio eſſet omnibus obvia & de quo inter nos & Pontificios utrinque conſtaret, non poſſet ab illis tanti æſtimari, ut Canonicam fontis Hebræi autoritatem impugnaret. 3. Quod ſi enim variatio illa orthographica fortuitò propter affinitatem literarum invecta & quidem aliquibus duntaxat exemplaribus illata efficeret, fontem Hebræum non ampliùs eſſe purum & authenticum, conſequens foret, nec Græcum textum in N. T. amplius eſſe authenticum, cùm in eo quoque lectionis varietas occurrat. Hoc verò idem foret, ac ſi quis propter ſphalma unius literæ totam Epiſtolam corruptionis arguere velit. 4. Quinimò vulgata verſio Latina in locis longè pluribus corrupta eſt & mendis ſcatet longè gravioribus, quam tamen pro authentica Pontificii nobis obtrudere ſatagunt. 5. Agnoſcit ipſe Bellarminus, fontium puritati & authenticæ autoritati ex eo nihil decedere. Sic enim contra Lindanum, Canum, Gordonum & alios fontium puritatem impugnantes ſcribit lib. 2. de verbo Dei cap. 2. §. ult. *Non multi momenti ſunt ejuſmodi errores, qui vel negligentiâ vel ignorantiâ librariorum irrepſerunt, ut in iis, quæ ad fidem & bonos mores pertinent, Scripturæ ſacræ integritas deſideretur. Plerunque enim tota diſcrepantia variarum lectionum in dictionibus quibuſdam eſt poſita, quæ ſenſum aut parùm aut nihil mutant.*

CAP. XV.

De punctis vocalibus, an ſint Codici Biblico coæva.

334. Inter argumenta reliqua, quibus textus Hebraici corruptelas Pontificii demonſtrare conantur, (** quamvis etiam hanc hypotheſin Pontificii tueantur eo fine, ut obtineant, Laicos à Scripturæ lectione arcendos. Sic enim ſcribit Thomas Hardingus contra Ivellum 15. ſect. 7. apud Ivellum tom. 1. p. 123. *A majoribus antiquis & fide digniſſimis autoribus proditum eſt, in gente Iſraelitica LXX. duntaxat Seniores legere ac intelligere potuiſſe myſteria ſacrorum librorum, quos Biblia vocamus. Cùm enim literæ Hebraicæ vocalibus careant, illi ſoli Scripturam per conſonantes legere potuerunt, eoque modo vulgus ab ejuſdem lectione excluſum fuit.* **) nō poſtremo loco numerandum eſt illud, quod Rabini Codici Biblico addiderint puncta, facilè igitur fieri potuiſſe, ut in odium Chriſtianorum Biblia Hebraica corruperint. Sic enim hac de re diſſerit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 2. §. penult. *Scriptura Hebraica non ſunt omninò integræ & puræ, ſed habent ſuos quoſdam errores, qui partim irrepſerunt negligentiâ vel ignorantiâ librariorum &c. partim ignorantiâ Rabinorum, qui addiderunt puncta. Cùm enim poſſint dictiones Hebraicæ variis modis legi, ſi punctis careant, non eſt mirum, ſi aliquando ipſi quoque in notatione punctorum à vero aberraverint. Poteſt etiam fieri, ut ex pravo affectu & odio in Chriſtum ea lectio interdum ipſis magis probata ſit, quæ minùs Chriſtianis favebat.* §. ult. *Errores qui ex additione punctorum acciderunt, nihil omnino veritati officiunt, puncta n. extrinſecus addita ſunt, nec textum mutant, itaque poſſumus ſi volumus puncta & detrahere & aliter legere.* Gordonus Huntlæus controv. 1. cap. 9. demon-

Puncta vocalia textui Hebraici ſunt coæva.

demonſtraturus, *tempore quidem Synagogæ Iudaicæ ante & uſque ad Chriſtum, itemq́ ab aſcenſione Domini uſque ad tempora Hieronymi & Auguſtini Biblia Hebraica à Iudæorum corruptione fuiſſe libera, ſed poſt mortem S. Hieronymi intra paucos annos exertam fuiſſe maximam depravationem*, inter cætera adducit etiam illud, *quod circa illud tempus puncta, diſtinctiones & accentus à duobus Iudæis R. Aaron filio Aſer & R. Iacob filio Naphtali non ſine inſigni diſſidio fuerint inventa & introducta.* Ex eo naſcitur quæſtio: An puncta vocalia literis in Bibliorum editione fuerint coæva, an verè poſterioribus temporibus addita.

334. Prius affirmant, 1. *quidam ex Rabinis*, ut oſtendit Buxdorffius in præf. theſaur. Grammat. edit. prioris. *In libro Zoar* inquit p. 55. *qui omnium Hebræorum conſenſu ante Maſoritas & editum Thalmud conſcriptus eſt, invenis loca, in quibus non tantùm punctorum & accentuum fit mentio, ſed & nomina quorundam, ut chirek, cholem, ſchurek, ſagol, zere, ſcheva, ſagolta, Makkaph &c. exprimuntur.* R. D. Kimchi teſtatur, *puncta ſimul cum lege in monte Sinai à Deo prodita fuiſſe*, cui nequaquam adverſatur, quod idem in Nipbal ſcribit, *ordinatores punctorum poſuiſſe diſcrimen inter primam vocem præteriti Niphal & primam vocem participii ſingularem ejuſdem conjugationis adſcribẽtes præterito ˉ participio ˉ.* Nam per ordinatores punctorum non intelligit primos eorum autores ſed reparatores, qui puncta in diuturnis ac variis exiliis Judæorum negligenter adſcripta & obſervata emendarunt, & ad æternam Dei in monte Sinai ordinationem revocarunt.** Obſervationum notarum, cenſurarum Rabinorum ἀποδείξεων non autores, ſed correctores punctorum arguit Maſoretas. **Kimchio aſſentitur R. Levi filius Joſeph in libro Samadar affirmans *puncta unà cum lege eſſe data.*** In libro Horaiath Hakkorach ita ſcriptum legitur. *Quidam punctatorum, qui veram rationem punctationis non tenuerunt, objiciunt ac dicunt. Quare non ſunt facti duo accentus Zarka in dictione una, ſicut duo poſtea facti ſunt? Hi noſſe debent, quod non niſi unum Zarka in mundo fuerit & quod Moſi non fuiſe oſtenſum niſi unum Zarka.* In libro Samadar in principio ita legitur. *Si dixerit aliquis, unde ſcimus, quod ex ore DEI dictata eſt punctatio & accentuum ratio? Reſponderi poteſt Scripturam perfectam ſive perfectè datam fuiſſe: juxta illud, Scribes itaque in lapidibus omnia verba legis iſtius explanando bonum* Deut. 27. v. 8. *Niſi itaq́ fuiſſent puncta & accentus, quibus explicantur voces, nemo potuiſſet intelligere ſenſum earum.*** 2. ex *noſtris Theologis* plerique omnes Chemnitius in Harmonia cap. 51, p. 339. Flacius part. 2. Clav. Script. pag. 629. Haſenreff. in templ. Ezech. pag. 170. &c. 3. ex recentioribus *Grammaticis Hebræis* Buxdorffius in Theſaur. pag. 59. edit. prior. Cevalerius in Gramm. p. 23. Fabricius in partit. Cod. Hebr. cap. 2. Engelbertus Engels in præfat. Lexic. Schindl. Joh. Balthaſar Baumbach de lingg. Orient. autoritate &c. Crineſius in diſput. de confuſ. lingg. &c. 4. ex *Calvinianis* Junius in animadv. ad lib. 2. Bellarm. de verbo Dei cap. 2. Alſtedius in præcogn. Theolog. p. 276. Polanus lib. 1. Syntagm. cap. 37. pag. 75. ** Petrus Morentinus Navarrus Gramat. Hebr. Kupellis editæ Ann. 1590. Druſius in tract. de recta ratione legendi linguam ſanctam pag. 6.** Diſtinguunt illi inter Biblia *particularia ſive privata*, quæ in privatis ædibus à privatis fuerunt lecta; & *publica ſive authentica*, quæ publicè in Synagogis prælegebantur Act. 15. v. 21. Illa concedunt caruiſſe punctis ob deſcriptionis moleſtiam & difficultatem; hæc verò puncta habuiſſe aſtruunt ob religionis neceſſitatem.

335. Probamus hanc ſententiam ſequentibus argumentis: 1. ex *Chriſti aſſertione* Matth. 5. v. 18. ubi de immota verbi divini firmitate & perpetuitate ſic loquitur: *Amen amen, dico vobis, donec tranſeat cœlum & terra, jota unum aut unus apex non præteribit à lege.* Cui parallelus eſt locus Luc. 16. v. 17. *Facilius eſt cœlum & terram præterire, quàm de lege unum apicem cadere.* Per jota intelligitur jod י, quæ eſt minima apud Hebræos litera, per κεραίας intelligit eminentias & apices, hoc eſt puncta, quæ vocalium vicem in lingua Hebræa obtinent, ex quo ſic inferimus. Quodcunque Chriſtus ſtatuit eſſentialem ſcriptæ legis partem, id ipſi ſcriptæ legi eſt coævum. Sed puncta vocalia Chriſtus ſtatuit eſſentialem ſcriptæ legis partem. Ergo puncta vocalia ſunt ſcriptæ legi coæva. Ulterius: Firmitas legis divinæ ac Scripturæ dependet à Deo autore. Jam vero firmitas illa tribuitur à Chriſto etiã κεραίαις punctis & apicibus. Ergo illa quoque Deum autorem agnoſcunt ac proinde cùm Deus legem ſuam tabulis lapideis inſcriberet Exod. 24. v. 12. cap. 31. v. 18. ipſæ quoque κεραίαι puncta vocalia Dei digito ſunt ſcripta. Contra eos, qui puncta vocalia ſtatuunt eſſe inventum Rabinorum in Tiberiade congregatorum, ex verbis Chriſti tale formari poteſt argumentum. Quodcunque Chriſtus ſcriptæ legi tribuit, illud jamdum tempore Chriſti in lege ſcripta extitit, nec ſequentibus demum ſeculis ei eſt adjectum. Sed κεραίας ac puncta vocalia Chriſtus ſcriptæ legi tribuit. Ergo. Excipiunt 1. *Evangeliſtas non verba formalia, ſed verborum duntaxat ſenſum ex ore Chriſti retuliſſe, proinde ex vocabulo κεραίων non poſſe argumentum aliquod elici.* Reſp. unde verò probant, quod tanquam certum aſſumunt? Certè Matthæus & Lucas eodem tenore ſententiam Chriſti recitant, utique ergo verba ipſa retinuerunt. Ac ſi vel maximè demus, Evangeliſtas ſenſum duntaxat recitare, nihilo tamen minùs firmum maneret, tempore Evangeliſtarum puncta legi ſcriptæ fuiſſe adjecta, aliàs ſententiam Chriſti non potuiſſent bujuſmodi verbis exprimere. 2. *Per κεραίαν non intelligi puncta vocalia, ſed literæ particulam atque adeo flexum inſtar corniculi, qualis cernitur in ſummitate literarũ ד & ר. Plutarchus enim in Numa κεραίαν γραμμῆς vocat faſtigium ſeu extremitatem lineæ in modum corniculi protenſam.*** Atq; in hac ſententia etiam eſt Barradius tom. 2. lib. 7. in Conc. Evang. qui vult quod nomine κεραίας veniat *faſtigium ipſius jod.* Reſp. ipſe tamen non audet noſtrã rationẽ ſimpliciter rejicere ſic enim reſcribit d. l. c. 14. fol. 436. b. *Niſi fortè tempore Chriſti aliqui erant literarum apices, qui poſtea exciderint.*** Alii putant *per apices intelligi diſtinctivos illos commota & cola denotantes ut & Raphe lineam transverſam poſt quamlibet vocalem mobilem literis Begadcephat impoſitam.* Druſius lib. 2. animadv. cap. 60. intelligit *de apicibus, quibus olim diſtincta fuerunt literæ* Reſch & Daleth, *de quibus* Hieronymus in comment. Sophon. 2. Reſp. Chriſtus inter jota &

Probatur 1. ex Chriſti aſſertione Matth. 5. v. 18.

κεραίαν

κεραίαν manifeſtè diſtinguit, ergò κεραία non poteſt notare cjuſmodi corniculum, quale eſt jod. Quare ut per jota intelligitur jod ex literis minima, ita per κεραίαν intelligitur minutiſſimum punctum ex vocalibus, quale eſt cholem, chirec, ſchurec & accentibus, quale eſt Rebia &c. Severiſſimæ etiam prohibitiones in Decalogo per minutiſſimum punctulum ad caput literæ longiſſimæ ל ita ſignantur לא. Eodem ſenſu vertit Lutherus Matth. 5. v. 18. Es wird nicht zergehen der kleineſte Buchſtabe/ noch ein Tittel vom Geſetz. Quod ſi enim illis, qui contrarium ſentiunt per κεραίαν metaphoricè intelligere licet lineolas transverſas, quæ non habent figuram corniculi, utique etiam per κεραίαν metaphoricè intelligi poſſunt puncta vocalia, quorum pleraque cum punctulis duntaxat notentur, ideo in ſenſu Synecdochico κεραίαι appellantur. Quid quod accentus quidā, ut athnach, jareach, ben-jomo, ſarka &c. corniculi figuram ferè obtineant, quodq́ue Karne-parah à corniculi figura denominationem acceperit.

336. 2. *A punctorum Natura & conditione.* Quod eſt lectionis ac ſcriptionis quaſi anima & Spiritus, illud in prima Bibliorum ſcriptione omiſſum eſſe, nullo modo veriſimile eſt. Puncta vocalia ſunt lectionis & ſcriptionis quaſi anima & Spiritus. Ergo puncta vocalia in prima Bibliorum ſcriptione omiſſa fuiſſe nullo modo eſt veriſimile. Major eſt manifeſtæ veritatis. Quod enim eſt lectionis & ſcriptionis quaſi anima & Spiritus, illud etiā eſt eſſentialis Scripturæ pars, illud ſi in prima Bibliorum ſcriptione omiſſum eſſet, partem duntaxat Scripturæ & quidem indigniorem & inferiorem à Scripturæ autoribus videl. Deo & ſanctis Dei hominibus Prophetis haberemus, quod nemo facilè dixerit. Aſſumtum probatur 1. ex teſtimoniis Rabinorum. In libro Zoar ſic legitur: *Non eſt ullis literis poteſtas ad proferendum in hanc vel illam partem, præterquam cum punctis literarum. Omnes enim illæ ſunt tanquam corpus ſine anima. Cùm adveniunt puncta, ecce corpus conſtituitur in ſtatura ſua.* Petrus Cevallerius citat dictum R. Nechoniæ ex libro Sepher habbair: *Similia ſunt puncta literarum legis Moſaicæ animæ vitali in corpore hominis.* AbenEzra dixit: *Sine ſupra & infra*, hoc eſt, ſine accentibus & punctis vocalibus *non poteſt intelligi Scriptura.* Hoc R. AbenEzræ dictum allegat Lutherus in cap. 47. Geneſ. & addit: *Sine intra.* Elias Levites in lib. Canticorum Cantic. 3. *Comparantur literæ corporibus. Iſta decem* (vocalia) *ſunt eis quaſi anima. Quemadmodum igitur corpus ſine anima eſt cadaver motu deſtitutum: Sic Scriptura Hebraica ſine punctis vocalibus eſt emortua & ad motionem ſive lectionem parùm apta.* Idem in præfat. Cant. dicit, *literas eſſe ſcalam, vocales verò clavos, qui ſcalam ædificant.* 2. ex teſtimoniis Chriſtianorum Hebraicè doctorum. Johannes Iſaacus converſus Judæus ſcribit, *eum qui ſine punctis & accentibus Scripturam legit, ſimilem eſſe homini equitanti equum ἀχαλίνωτον effrenem.* Fabricius in partit. Hebraic. cap. 2. *Si officium ſignandi, ſeu quod idem eſt, conſonandi, non potuit notari ſine conſonorum ſignis, multò minùs ſonorum naturalium diſcretio eſſe potuit ſine vocalium notis.*** Genebrardus initio Iſagoges ſuæ ad legenda ſcripta Rabinorum aſſerit, lectionem ſine punctis eſſe mancam, imminutam.** Joh. Balthaſar Baumbach in tract. de linguarum Orient. Antiq. neceſſitate & utilitate: *Sine vocalibus conſonantes proferri non poſſunt & omnis lingua, quæ illis deſtituta eſt, manca, imperfecta & mutila efficitur.* 3. ex nomine punctorum. Puncta ſive vocales Hebræis dicuntur תנועות *motiones*, quia ſcilicet per pronunciationem movent literas. Ergo animæ inſtar conſonantibus ſenſum & motum conferunt. 4. ex reipſa. Omnis oratio animi ſenſa exprimens, eique correſpondens ſcriptio conſtat dictionibus; dictiones ſyllabis; ſyllabæ literis & vocalibus. Abſque vocali nulla poteſt conſtare ſyllaba, ergo nec dictio, nec oratio; unde etiam vocales hoc nomen ſortitæ ſunt, quod per ſe edant vocem ſive ſonum; conſonantes inde ſic dictæ, quod non niſi cum vocalibus ſonent, ab illis ſcilicet motæ & quaſi animatæ. Si vocales ex dictionibus tolluntur, genuina earum ſignificatio ignoratur. Ignoratis verò dictionum genuinis ſignificationibus, ſententiarū ſignificata ignorari conſequens eſt. Si accentus diſtinctivi removeantur, ſententiarum ſenſus confunduntur. Si excipere velint; *puncta eſſe quidem neceſſaria ad lectionem, non autem ad ſcriptionem*, reſp. finem ſcriptionis eſſe lectionem & intellectionem alterius. Atqui ſine punctis ſcribit, hunc finem aſſequi nequit, niſi alteri omnis omnium vocum punctatio ſit percognita. Quinimò ſi vel maximè punctatura ſit ei cognita, in multis tamen hærere & dubitare cogetur, quando ſcil. una eademq́ue dictio diverſas punctationes admittit. Addimus ergo tertium argumentum.

337. 3. Ex *ambiguitatis & incertitudinis periculo.* Quicquid Scripturam ſacram reddit ambiguam & incertam, illud nequaquam aſtrui debet. Atqui hypotheſis illa, quod puncta vocalia conſonantibus non ſint coæva, verùm à Rabinis poſt aliquot ſeculorum decurſus demum addita, Scripturam reddit dubiam & incertam. Ergo hypotheſis illa non eſt aſtruenda. Major ſuâ luce radiat. Si enim Scriptura nos debet σοφίσαι ad ſalutem 2. Tim. 3. verſ. 15. utique oportet eam eſſe certam, perſpicuam & perfectam, quas ejuſdem dotes contra Pontificios ſummo ſtudio defendimus. Aſſumtum probatur 1. ex conſideratione illarum vocum, quæ varia puncta admittunt & pro diverſitate punctorum etiam ſignificationem mutant. Sic אחים ſi punctetur hoc modo אַחִים ſignificat *fratres*; ſin alio modo אחים *animalia noxia* denotat. דבר ſi punctetur דֹּבֵר eſt *loquens*; ſi דֻּבַּר ſignificat *dictum eſt*; ſi דִּבֵּר ſignificat *dixit*; ſi דָּבָר ſignificat *verbum*; ſi דֶּבֶר ſignificat *peſtem*; ſi דֹּבֶר *ductum* ſignificat & metalepticè *ovile ſive caulum.* Ecquis verò nos certos reddet, quæ punctatura & conſequenter quæ vocis ſignificatio ſit acceptanda, ſi ejuſmodi vox diverſorum punctorum capax in Scripturis occurrat? 2. ex inductione locorum, in quibus LXX. Interpp. ob punctorum abſentiam ab Hebraica veritate deflexerunt. Geneſ. 15. v. 11. וַיַּשֵּׁב אֹתָם *& abigebat eas*, ſcilicet aves. LXX. reddiderunt, συνεκάθισεν αὐτοῖς, legerunt ſubſtitutis aliis punctis, אִתָּם וַיֵּשֶׁב Geneſ. 47. verſ. 31. *Et incurvavit ſe Iſrael ſuper caput* הַמִּטָּה *lecti.* LXX. reddiderunt, προσεκύνησεν ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου, quo modo etiam citatur Hebr. 11. v. 21. legerunt ergo הַמַּטֶּה *baculi*,

3. Ex ambiguitatis & incertitudinis periculo.

baculi, & de ſuo addiderunt αὐτοῦ, ut ad Joſephum referatur 1. Reg. 10. verſ. 19. וְרֹאשׁ עָגֹל *& caput rotundum ſolio à parte poſteriori*. LXX. verterunt μόσχων *vitulorum*, legerunt ergo ſubſtitutis aliis punctis עֵגֶל Pſal. 88. verſ. 11. *ſi* רְפָאִים *mortui reſurgunt*. LXX. reddiderunt, ἂν ἰατροὶ ἀναστήσουσι, legerunt רֹפְאִים יָקִימוּ. Pſal. 91. verſ. 6. מִדֶּבֶר *à peſte*. LXX. ἀπὸ πράγματος, legerunt מִדָּבָר Pſal. 120. v. 5. גַּרְתִּי מֶשֶׁךְ *habitavi cum Meſech*. LXX. reddiderunt ἡ παροικία μου ἐμακρύνθη, legerunt גַּרְתִּי מָשַׁךְ Eſa. 5. verſ. 17. כְּבָשִׂים *arietes*, LXX. reddiderunt ἀπορούμενοι *oppreſſi*. Legerunt ergo כְּבֻשִׁים Eſa. 17. v. 11. וּכְאֵב אָנוּשׁ *& doloris deſperati*. LXX. verterunt, καὶ ὡς πατὴρ ἀνθρώπου legerunt igitur וּכְאָב אֱנוֹשׁ Oſeæ 3. verſ. 1. אֲהֻבַת רֵעַ *amatam à ſocio*. LXX. verterunt, ἀγαπῶσαν πονηρὰ legerunt רָע *malum*. Hujuſmodi exempla plura adduci poſſent. 3. ex detorſione Scripturæ in ſenſum falſum & hæreticum ſubſtitutis aliis punctis poſſibili, imò facillima. Geneſ. 3. verſ. 15. הוּא *ipſum*, ſcil. ſemen mulieris conteret caput ſerpentis. Sed remotis punctis legi poteſt הִיא *ipſa*, hoc eſt, Maria, ut volunt Pontificii. Exod. 17. v. 14. Deut. 25. v. 19. *jubet Deus delere* זֵכֶר *memoriam* ſive mentionem *Amalec*. Si removeantur puncta nativa & ſubſtituantur alia, poterit legi. זָכָר quod *maſculum* ſignificat, quâ ratione non peccaſſet Saul *parcens opimis gregium & jumentorum Amalec* 1. Sam. 15. verſ. 9. R. Jonathan Ezech. 48. v. 35. legit יְהוָה שְׁמֹה *Dominus nomen ejus*, ut divinitatem Meſſiæ negare poſſit, cùm exemplaria punctata conſtanter legant יְהוָה שָׁמָּה *Iehovah ibi*. Aut igitur concedendum, Scripturam eſſe ἀμφίλογον καὶ λέξιον cerei inſtar in omnem partem flexilem, aut puncta erunt cum literis ſimul juncta in prima Scripturæ editione. Excipiunt: 1. *Totam Hebræorum Sapientiam in ſcriptis Thalmudicis & Rabinicis quæ plurima ſunt, ſine punctis eſſe traditam, ſine punctis legi & publicè in Scholis proponi, nec quenquam eſſe, qui illic omnia incerta eſſe conqueratur.* Reſp. 1. oon eſt eadem ratio Thalmudicorum librorum & Scripturæ ſacræ. Illis enim ſine diſpendio ſalutis carere poſſumus, ac parùm refert, ſi vel maximè à vero ſenſu propter ambiguitatem vocum & punctorum carentiam quandoque aliquis aberret: ſed Scripturæ Codicem ab omni ambiguitate & enarrandi periculo Deus quàm longiſſimè abeſſe voluit. 2. Thalmudici libri oon ſunt ex immediato Spiritus ſancti afflatu ſcripti, ſed homines erroribus obnoxios autores habent. Ex illis igitur de Scriptura ſacra θεοπνεύστῳ judicari non poteſt, nec debet. 3. Quod Thalmudici & Rabioici libri punctis deſtituuntur, fit propter compendium ſcriptionis, ut celeriùs ea abſolvi poſſit. Sed hæc ratio in Codice Biblico ceſſat. 4. Exercitatos in Hebræa lingua abſque punctis legere poſſe in propatulo eſt, interim tamen ſine punctorum adminiculo proprium & genuinum ſenſum in quibuſdam aſſequi nequeunt, ut ex dictis conſtat. 5. Deus non ſolùm eruditis & exercitatis ſed omnibus in univerſum hominibus, etiam rudioribus per verbi ſui revelationem & Scripturæ promulgationem conſulere voluit. Illis verò puncta ad lectionem eſſe ne-

Exegeſis.

ceſſaria, negari omninò nequit. 6. Ecquis nos certos reddet, quod Thalmudici & Rabinici illi libri in prima ſcriptione caruerint punctis? Excipiunt: 2. *Ambiguitatem illam oriri non ex punctorum abſentia, ſed ex multiplici vocum ſignificatione, paratam autem eſſe eidem medelam, ſi antecedentia cum conſequentibus conferantur, partium diligens collatio inſtituatur & ſcopus ſemper reſpiciatur*, Reſp. 1. Quamvis ex vocum quarundam multiplici ſignificatu interdum ambiguitas oriatur, ea tamen longè major & difficilior oritur, ſi puncta penitùs removeantur. 2. Textus συνάφειαν eſſe medium utiliſſimum removendæ ambiguitati iſti inſerviens facilè concedimus, interim tamen res ipſa teſtatur, medium illud non eſſe ſufficiens, ut patet ex proximè adductis exemplis. 3. De propoſitione non poſſum judicium ferre, niſi partes ejuſdem videlic. ſubjectum & prædicatum priùs probè intelligam. Jam verò de genuino ſubjecti & prædicati in propoſitione ſenſu non ſemper poſſum ex contextu judicare. 4. Vel ſolùm LXX. Interpretum exemplum, quos Biblia ſine punctis ad manum habuiſſe apparet, quando verſionem ſuam adornarunt, manifeſtum facit, ex ſolo contextu non poſſe genuinam cujuſque vocis ſignificationem perdiſci, ſi puncta removeantur.

338. 14. *Ex Scripturæ perſpicuitate.* Deus voluit verbum ſuum clarè & perſpicuè ſcribi. At ſcriptio ſine punctis apud Hebræos eſt obſcura, imò obſcurior quàm apud Græcos per abbreviaturas. Ergò veriſimile non eſt, quod Deus abſque punctis verbum ſuum ſcribi voluerit, quando per ſua organa in literas illud redegit. Qui ſtatuunt, puncta à Rabinis inventa & Scripturis addita, illi coguntur ſtatuere, Scripturam ſacram ab hominum inventionibus majorem lucem obtinuiſſe. Conſequens illud eſt falſum, quia Deus voluit Scripturam ſuam in ſe & per ſe eſſe claram, perſpicuam & firmam, non autem ab hominum inventis lucem mutuari. ** Deut. 27. v. 8. jubetur Moſes ſcribere *omnia legis verba* בַּאֵר הֵיטֵב *declarando bene*. At ſine punctis ſi ſcripſiſſet, non benè declaraſſet. ** Propheta Regius Pſal. 19. verſ. 9. Pſal. 119. v. 105. & ex eo Petrus 2. Epiſt. 1. verſ. 19. Scripturam Propheticam vocant *lucem ac lucernam in loco caliginoſo lucentem*, quia ſcilicet nativâ & inſitâ luce divinitùs eſt inſtructa, per quam homines ad ſalutarem Dei agnitionem & vitam æternam illuminare poteſt, nequaquam verò indiget, ut hominum adinventionibus lux aliqua ei inſeratur. Ergò etiam antecedens ac proinde veriſimile oullo modo ceoſendum, quod puncta vocalia à Rabinis Scripturæ ſint addita. Majoris veritas, quod ſcilicet illi qui ſtatuunt, puncta à Rabinis inventa & Scripturis addita, cogantur ſtatuere, Scripturam ſacram ab hominum inventionibus majorem lucem obtinuiſſe, itidem in aprico eſt, quia nemioi dubium vel obſcurum, quod textus punctatus planior ſit & magis perſpicuus, quàm qui punctis deſtituitur. Si enim peregrina puncta ſubſtituantur, in alium planè ſenſum, quàm qui ex punctato textu oritur, facilè abduci poſſumus. Ac quilibet expendat, an non [illegible] fidei noſtræ

4. *Ex Scriptura perſpicuitate.*

fundamentum lubricum & incertum, vel certè ab hominum inventis dependere ſtatuatur, ſi Biblia Hebraica abſque punctis à Moſe & Prophetis edita poſtmodùm verò exactis aliquot ſeculis adjecta dicantur? hoc certè idem foret, ac ſi quis dicat, corpus literaturæ ſacræ à ſanctis Dei hominibus nos accepiſſe, animam verò & Spiritum ejuſdem nos Rabinis debere. Quantum momenti ac ponderis ſit in punctis, præſertim etiam in puncto Dageſch ad ſignificationem vocis intendendam, imò etiam mutandam, Hebraicæ linguæ peritis ignotum minimè eſt. Quod ſi ergo ab autoribus punctorum illæ fortificationes, imò mutationes ſignificationum unicè depeodent & non à Prophetis Spiritu Dei impulſis, plurimùm profectò certitudini & autoritati Scripturæ ſacræ decedet. Si à Rabinis demum vera lectio & pronunciatio Prophetarum eſſet oſtenſa, *ædificati eſſemus ſuper fundamentum Rabinorum*, non autem ſuper fundamentum *Prophetarum* Epheſ. 2. verſ. 20. Excipiunt, *veram lectionem fuiſſe traditam & conſervatam in Synagoga*. Reſp. 1. hac ratione verus & genuinus Scripturæ ſenſus unicè pendebit ab Eccleſia. Scriptura erit litera mortua & inanime cadaver, cui motum & ſenſum Eccleſia inſpirare cogatur. 2. Nulla eſt memoria tàm felix, quæ in tot myriadibus ſyllabarum omnes vocales obſervare poſſit. 3. Quædam vocales ſunt ſibi valde ſimiles & hominum pronuociatio variat, facilè igitur ex eo potuiſſet error oboriri & propagari. 4. Temporibus Manaſſis & Ammou ante Joſiam liber legis annis circiter 67. fuit neglectus. 5. Nullum commodius medium, quo Scripturæ puritas & integritas in Synagogis conſervari potuerit, quàm ſi Biblia publica in Synagogis prælecta punctata fuiſſe ſtatuantur.

5. Ex Scripturæ perfectione.

339. 5. Ex *Scripturæ perfectione*. Quæcunque hypotheſis ſtatuit, integras dictiones Scripturæ textui eſſe inſertas, illa aſſerenda non eſt, quia labefactat Scripturæ perfectionem, quæ in eo conſiſtit, quod *nec argumentum nec diminutionem* admittat. Deut. 4. v. 2. cap. 12. verſ. ult. Proverb. 30. v. 5. Apoc. 22. v. 18. 19. Jam verò hypotheſis illa, quod puncta à Rabinis ſint addita, infert ſecum illud, quod integræ dictiones à Rabinis textui Scripturæ ſint inſertæ. Avenarius in Gramm. pag. 605. ex Maſora adducit aliquot loca, in quibus literis omiſſis per ſola puncta vocalia dictiones exprimuntur. Jud. 20. v. 13. habetur ſcheva cum zere ּ pro quo legendum בְּנֵי *filii*. Ruth. 3. verſ. 5. & 17. reperiuntur hæ vocales ֵ ִ pro quibus legendum אֵלַי *ad me*. 2. Sam. 16. verſ. 23. habetur punctulum chirek · pro quo legendum אִישׁ *vir*. 2. Sam. 18. verſ. 20. repetitur zere ·· pro quo legendum כֵּן *eò quod*. 2. Reg. 19. v. 31. reperitur ſcheva cum cameta ֳ pro quo legendum צְבָאוֹת *Zebaoth*. cap. ejuſdem v. 37. habentur duo cameta ָ ָ pro quibus legendum בָּנָיו *filii ejus*. cap. ſeq. verſ. 13. habetur ֹ pro quo legendum כֹּל *omne*. Pſal. 96. verſ. 3. habetur ſægol ֶ pro quo legendum אֶרֶץ. Jerem. 31. v. 38. habetur cametz cum chirek ָ ִ pro quo legendum בָּאִים *venientes*. Jer. 50. v. 29. habetur cametz ָ pro quo legendum לָהּ *illi*. Hujus loci eſt etiam illud, quod ה hajediah ſive demonſtrativum multoties per ſolam punctationem repræſentetur, cujus tamen præſentia vel abſentia aliquid ponderis interdum obtinet. Hujuſmodi loca tredecim ex Maſora adducit Avenarius in Gramm. p. 535.

6. Ex Iudæorum erga Scripturam religione.

340. 6. *Ex Iudæorum erga Scripturam religione*. Non eſt veriſimile Rabinos puncta fuiſſe auſos addere. Quamvis enim in Scripturis ad præconceptas ſuas opiniones detorquendis audaces ſint, tamen in Scriptione retinenda ad ſuperſtitionem uſque diligentes ſunt; adeò ut ſi quæ litera fortuito aut loco ſuo mota aut aliter picta fuerit, aut etiam deſideretur, non audeant eam reſtituere, ſed ſi diverſas lectiones invenerunt, alteram in margine ſcripſerunt, alteram in textu invariatum reliquerunt addentes כתיב קרי ולא *legitur* (hæc vel illa dictio) *& non ſcribitur* (in textu.) Quinimò ſi litera in textu quandoque reliquas quantitate excedat, ut ע in voce שְׁמַע & ד in voce אֶחָד Deut. 6. v. 4. vel à reliquis excedatur ut ה in voce בְּהִבָּרְאָם Geneſ. 2. v. 4. vel iovertatur ut נ in voce בנסע Num. 10. v. 35. vel ſuſpendatur, ut נ in voce מְנַשֶּׁה Jud. 18. verſ. 30. tamen noluerunt hoc corrigere, ſed in margine duntaxat anomalian annotarunt, ut ex notis Maſoreticis conſtat. Ecquis igitur ſibi perſuaderi patietur, quod tantùm licentiæ Rabini ſibi arrogarint, ut omnibus & ſingulis Scripturæ dictionibus puncta addiderint, quæ non fuerint ipſis coæva.

7. Ex abſurdorum conſecutione.

341. 7. *Ex abſurdorum conſecutione*. Si puncta non ſunt Codici Hebræo coæva, ſed à Rabinis demùm poſt aliquot ſecula eidem addita, conſequens fuerit, 1. per aliquot centurias annorum Scripturæ ſacræ eſſentiam non fuiſſe integram, utpote parte aliquâ eſſentiali deſtitutam. 2. Scripturam majorem certitudinem & perſpicuitatem ex hominibus mutuari, quàm ex ſe & ſuâ ipſius Naturâ obtineat. 3. Scripturam non eſſe à Deo per Prophetas traditam quoad ſingula verba, cùm ſine punctis vocalibus verba conſtare nullo modo poſſint, proinde non totam Scripturam eſſe θεόπνευστον. 4. Veram & genuinam lectionem Scripturæ à Rabinorum invento, hoc eſt, à lubrico hominum judicio pendere, ac fidem noſtram humanæ traditiooi inniti. 5. Scripturam cujuſvis detorſioni eſſe expoſitam. Si enim puncta ſunt inventum humanum, licebit illis remotis alium ſenſum excogitare. 6. Nihil certi ex Scripturis colligi poſſe, cum ſubſtitutis aliis atque aliis punctis ſenſus ſubinde mutetur. 7. Judæorum majores aut ignorantiæ aut invidiæ accuſandos eſſe. Hoc, ſi ſciverunt puncta & non communicaverunt; illud, ſi neſciverunt, cùm tamen ſcriptam legem integram Deus ipſis communicaverit. 8. Neminem obligari, ut Scripturæ credat. Aut enim notæ vocalium poſterioribus ſeculis inventæ cum naturali vocum ſono ubique conveniunt, aut diſcrepant. Si conveniunt, vocales ſtatim cum literis extiterunt. Si diſcrepant, nos notatis illis ſonis non tenemur, ſed aliam vocum φώνησιν & textuum alium ſenſum fuiſſe facilè ſuſpicabimur. Quæ omnia cùm ſint abſurda & ἀσύστατα, ideo antecedens, ex quo talia conſequuntur, non eſt ponendum.

Antitheſis

342. Qui contrarium ſtatuunt, in duas diſtinguuntur claſſes. Quidam enim diſputant, puncta

puncta eſſe addita *ante Chriſti nativitatem* ab אַנְשֵׁי כְנֶסֶת הַגְּדוֹלָה *à viris Synagogæ magnæ*, videlic. ab Eſdra, Daniele, Zacharia, Malachia, Hanania, Nehemia, Zerubabel, Joſua filio Joſedec. &c. & aliis ſanctis Prophetis, qui poſt reditum ex Babylonica captivitate Concilium celebrarint, quod vocant *Synagogam magnam*, inque eo libros ſacros ordinarint, & puncta illis addiderint. (Eorum ſententia eſt tolerabilior quàm reliquorum, qui ad tempora poſt Chriſtum natum punctorum inventionem referunt, cùm viri illi Synagogæ magnæ, quos etiam *Maſoræ autores* eſſe eruditi ſtatuunt, Prophetico Spiritu excelluerint.) Quidam verò exiſtimant, puncta eſſe inventa & Codici Biblico addita *poſt Chriſti nativitatem*. Sed & ipſi in aſſignando tempore & annorum numero plurimùm variant. Quidam enim poſt destructionem templi uſque ad punctorum nativitatem 236. annos numerant; quidam anno 470. poſt Chriſti nativitatem puncta fuiſſe addita ſuſpicantur; quidam in annum ab everſo templo 436. qui eſt à Chriſto nato annus 510. punctorum inventionem referunt. Eo enim anno dicunt Rabinos in Tiberiade urbe Galilææ eam ob rem conveniſſe, & operis illius Principes fuiſſe quendam Aaronem & Jacobum, illum de tribu Aſer, hunc de tribu Naphtalim; in eo autem omnes conveniunt, puncta vocalia non eſſe Codici Hebræo coæva. Ita ſtatuunt 1. *ex Rabinis* Elias Levita Judæus Germanus in præfat. 3. libri *Maſoreth hammaſoreth*, ubi R. Jonam Grammaticum pro ſua ſententia adducit. 2. *ex Pontificiis* Genebrardus in chron. pag. 181. Sixtus Senenſis lib. 2. Biblioth. ſanct. ** Stapletonus relect. controv. 5. q. 3. art. 1. ** Franciſc. Picus Mirandulan. lib. 7. de prænotion. capit. 8. Galat. libr. 1. de arcan. Cath. verit. cap. 8. Torniellus, Pineda, Bellarminus, Huntlæus. ** cujus verba controverſ. 1. cap. 9. *Poſt mortem Hieronymi puncta, diſtinctiones & accentus à duobus Iudæis R. Aaron filio Aſer & R. Jacob filio Nephtali non ſine inſigni diſſidio fuerunt inventa & introducta.* Sixtus Senenſis lib. 3. Biblioth. pag. 153. *Puncta longè poſt tempora Conſtantini reperta à Iudæis Babyloniæ Ægyptiæ, quæ nunc Cayrum appellatur, operâ ac ſolertia R. Hammay & R. Aſſe autorum Thalmudicæ doctrinæ* &c. ** 3. *ex Grammaticis Hebrais recentioribus* Druſius de rect. rat. legendi & in animadv. Buxdorffius in edit. poſter. Theſauri, Petrus Martinius in Technolog. Reuchlinus lib. 3. de art. Cabaliſt. pag. 741. ** Arcanū punctionis revelatum, quod prodiit Lugduni Batavorum Ann. 1624. obſtetricatu Thomæ Erpenii ex profeſſo negat &c.** 4. *ex noſtris*. B. Lutherus in comm. cap. 36. & c. 47. Geneſ. ubi dicit, *puncta in Hebræa lingua recens eſſe inventum, quibus non poſſimus ubique tutò niti.* Item, *rationem punctorum eſſe leviſſimam, plenam ambiguitatis, admodùm incertam.* ** Huterus lib. 1. de Miſſa contra Bellarmin. cap. 6. p. 98. Conſtat punctionem Bibliorum non ejuſdem eſſe antiquitatis cum ipſo textu Hebræo, ſed multis ſeculis poſteriorem.**

343. Antequam hujus ſententiæ argumenta proferamus, monemus, eandem cum chronologia minimè convenire. Maſoræ enim autores judicium de punctis, diſtinctionibus & accentibus tanquam jam ante in textu ſacro extantibus ferunt, ut ex inſpectione operis Maſoretici manifeſtum. Utique ergò ipſi punctorum, diſtinctionum & accentuum in Codice ſacro non fuerunt autores. Quòd ſi Maſoræ autores ſtatuantur viri Synagogæ magnæ, Eſdras, Daniel, Zacharias, &c. ut plerique eruditi confirmant, manifeſtum eſt, longè ante natum Chriſtum, puncta vocalia fuiſſe Codici Biblico addita, adeoque textui coæva, cùm autor eorum Maſoretis antiquior non poſſit monſtrari alius quàm ipſi *ſancti DEI homines*, per quos Scriptura primùm fuit edita. Si verò Maſoræ autores ſtatuantur Magiſtri Tiberienſes, id eſt, qui in Tiberiade circa annum Chriſti 508. vel ut alii volunt 510. conventum egerunt, non poteſt inventio punctorum Tiberienſibus tribui, cùm Maſoretæ uti dictum de punctis, diſtinctionibus & accentibus tanquam antè extantibus loquantur. Notandum etiam illud, quod Maſoræ autores ſint antiquiores ſcriptoribus Thalmudicis, cùm in Thalmud Hieroſolymitano, quod Babylonico antiquius, rerum præcipuarum in Maſoretico opere contentarum mentio injiciatur, ut Buxdorff. in Tiberiade lib. 1. cap. 8. oſtendit. Jam verò ſcriptores Thalmudici antiquiores ſunt Magiſtris Tiberienſibus, ut docet Elias Levita præfat. 3. libri Maſoreth Hammaſoreth. Ergò Tiberienſes Magiſtri non poſſunt eſſe autores punctorum, quippe quorum, ut jam antè extantium Maſoretæ Tiberienſibus antiquiores mentionem faciunt.

Argumenta contraria.

1. à lingua Hebraica perfectione.

344. Argumenta potiora eorum, qui negant puncta eſſe literis in Codice Biblico coæva, hæc ſunt. 1. *A lingua Hebrææ perfectione. Punctorum non eſt abſoluta quædam neceſſitas, cùm tota Hebraicorum verborum inflexio principaliter in literis conſiſtat, in nominibus verò numeri, caſus & genera diſtinguantur per literas ſerviles. In aliis linguis* (inquiunt) *conjugandi & declinandi variatio principaliter in vocalibus hæret, ſed in Hebræa lingua pendet à literis ſervilibus.* Reſp. 1. Si vel maximè daretur, non eſſe abſolutam punctorum neceſſitatem, illud tamen duntaxat ſequeretur, potuiſſe olim Bibliorum quædam exemplaria carere punctis, non autem reverâ omnia caruiſſe. 2. Quamvis ad nominum & verborum inflexionem literæ potiſſimùm adhibeantur, ipſæ tamen radices, remotis punctis genuinis & ſubſtitutis aliis ſenſum gignunt alium ac longè diverſum. 3. Ad ipſam verborum ac nominum inflexionem puncta aliquid facere, notum, eſt Hebrææ linguæ peritis. דברי legi poteſt דְּבָרִי *verbum meum*, דְּבָרַי *verba mea*, דִּבְרֵי in regimine, *verba*. 4. Multæ dantur voces ſignificatrices abſque ſervilibus, quæ vel radices ipſæ, vel à radice per ſolam diverſam punctationem deſcendentes.

2. à Græca verſionis in N. T. allegatione.

345. 2. *A Græca verſionis in N. T. allegatione. Chriſtus & Apoſtoli in N. T. Hebraicas dictiones exprimunt, ſicut in verſione LXX. Interpp. habentur, & ratione vocalium ab Hebræis punctis plurimùm variant, ut ex genealogia Chriſti Matth. 1. & Luc. 3 cumprimis apparet.* Reſp. 1. Quæ ex V. Teſt. Chriſtus & Apoſtoli allegant, ea licet non ſecundùm literas & verba, tamen ſecundùm ſenſum cum textu Hebræo conſentiunt. 2. Quòd LXX. Interpp. verſionem potiùs quàm textum Hebraicum in allegatione ſequantur, factum ideò,

quia Græca verſio tunc erat uſitatiſſima & communiſſima, ut ſuperiùs ex Hieron. oſtendimus. 3. Quòd LXX. quædam in V. T. aliter legunt, quàm puncta genuina poſtulant, id arguit eos fuiſſe uſos exemplari non punctato, nequaquam verò probat omnia Bibliorum exemplaria, etiam ea, quæ in Synagogis aſſervabantur, punctis caruiſſe. 4. An verſio illa Græca, quæ hodiè extat, ſit LXX. Interpretum, eruditi non ſine ratione dubitant. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c.6. *Licet non ignorem, nonnullos in ea ſententia eſſe, ut exiſtiment Interpretationem LXX. Seniorum penitùs interiiſſe, multò probabilius cenſeo, illam adhuc ſupereſſe, ſed adeò corruptam & vitiatam, ut omninò alia eſſe videatur.*

3. à nominũ propriorum diverſa lectione.

346. 3. *A nominum propriorum diverſa lectione. Septuaginta Interpp. & autor Latinæ verſionis vulgatæ, uti etiam Hieronymus pleraque nomina propria Patriarcharum, Regum, Pontificum, Sacerdotum, Prophetarum, urbium, &c. longè aliis vocalibus & punctis enunciant, quam in Maſoretico ſeu punctato exemplari legantur, ut apparet ex interpretatione nominum Hebræorum tradita ab Hieronymo & Aria Montano.* Reſp. 1. Interpretes non obſervarunt accuratè & ſuperſtitiosè in nominibus propriis ſingulas literas & literarum apices, ſed propter *εὐφωνίαν* leviter quandoque aliquid inflectunt. 2. Quælibet enim lingua nomina propria aliena ad ſuarum aurium judicium conformat, ut interdum vix agnoſcas, an eadem ſint, an diverſa. Nomen Prophetæ יְחֶזְקֵאל Latini pronunciant *Ezechiel*. 3. Si ex inflexione illa propriorum nominum ab interpretibus facta inferri poſſet, puncta eſſe recens inventum Rabinorum, poſſet ex eodem principio inferri, in ipſis literis etiam factam eſſe mutationem, quod tamen hujus opinionis patroni non admittunt.

4. à Dageſch & puncti τῦ ש conditione.

347. 4. *A Dageſch & puncti τῦ ש conditione. Puncta diſtinguentia conſonantium varietatem, qualia ſunt Dages, quod literam duplicat, & apex ſuperior, qui ש dextrum & ſiniſtrum, hoc eſt, Schin & Sin diſtinguit, æquè vetuſta eſſe oportet, ac puncta vocalia. Jam verò ex Iudic. 12. v. 6. colligitur, tempore Iudicum non fuiſſe illud punctum in ſiniſtro vel dextro cornu literæ ש obſervatum.* Reſp. 1. Illud duntaxat ex eo loco colligitur, quòd Ephraimitæ non potuerint s cum aſpiratione ch, ſed tantùm s tenuè pronunciare, quia pro *Schibboleth* dicebant *Sibboleth*, unde ex hoc idiomate linguæ agnoſcebantur, perindè ut hodiè Saxones Sch pronunciant ut s tenue, nequaquam verò ex eo evinci poteſt, nullam fuiſſe differentiam inter ש *Schin jamin* & ש *Sin ſmol*, ſed potiùs contrarium. 2. Niſi enim diſtinctio fuiſſet inter *Schin jamin* & *Sin Smol*, non potuiſſent Ephraimitæ per id ab aliis diſcerni. 3. Quòd ש in ס poſteà mutatur in voce סבלת, non probat, tunc non fuiſſe uſitatum Sin ſmol, ſed Spiritui S. placuit, hac ratione magis perſpicuè blæſum Ephraimitarum ſermonem exprimere. 4. Quanta autem vis ſit & efficacia punctuli Dageſch ad conſtituendum, fortificandum & intendendum, quandoque etiam mutandum ſignificationes vocum, notum eſt Hebrææ linguæ gnaris.

5. à carminum Hebraicorum ignoratione.

348. 5. *A carminum Hebraicorum ignoratione. Ratio carminis, quo ſcripti ſunt Pſalmi, Threni & Iobus, fuit in vocalium numero, quantitate & qualitate.* Joſeph. lib. 7. antiquit. cap. 10. *At ſi iiſdem vocalibus uterentur Biblia punctata, quibus uſus eſt David & reliqui Pſalmographi, qui fieri poſſet, ut ratio carminum nobis non innoteſceret?* Reſp. 1. Si olim ex vocalibus dijudicata ſunt carmina. Ergò vocales illæ in libris Biblicis, ſaltem quibuſdam, extiterunt. 2. Ex hoc argumento inferri poſſet, Biblia noſtra habere puncta planè diverſa ab illis, quibus libri Pſalmographorum olim fuêre lecti, adeoque remotis genuinis in rythmicis illis libris haberemus puncta peregrina. 3. Duplex eſt vocalium officium: Prius inſervire lectioni, & eam quaſi animare; poſterius rationem carminũ oſtendere. Quamvis igitur reſpectu poſterioris officii uſus vocalium hodiè non ſit exactè nobis notus, ex eo tamen elici nequit, etiam prioris officii ratione non eſſe eundem hodiè vocalium uſum, qui olim fuit. 4. Ex hoc ipſo agnoſcant infidelem traditionis cuſtodiam, per quam etiam iſte vocalium uſus in ratione carminum monſtranda ad nos propagari debuiſſet. Quòd ſi ergò punctorum conſervatio ſoli traditioni accepta fertur, quilibet facilè intelligit, quàm infideli cuſtodi accepta feratur, & quàm lubricum religionis noſtræ ſtatuatur fundamentum. 5. Non ex ſolis vocalibus & earum quantitate, ſed etiam ex accentibus & vocum inflexione per literas ratio carminis apud Hebræos conſtitit.

6. à punctorum in hodiernis Hebræorum ſcriptis omiſſione.

349. 6. *A punctorum in hodiernis Hebræorum ſcriptis omiſſione. Hebræi, Chaldæi, Arabes, Syri ſcripta ſua abſque punctis conficere ſolent. Ergò puncta non ſunt eſſentialis pars Scripturæ Hebraicæ.* Reſp. 1. Omittunt puncta ob feſtinatam ſcriptionem, quæ tamen ad lectionem omninò requiruntur, ſive addita ſint in ſcriptione, ſive omiſſa. 2. Proindè ſunt eſſentialis pars orationis, ut ſuperiùs demonſtravimus. 3. Quilibet agnoſcit, ea quæ abſque punctis ſcripta ſunt, aliis atque aliis punctis ſubſtitutis ſenſum gignere diverſum. Ergò ſi vel maximè non pertinerent ad eſſentiam ſcriptionis, tamen ad certitudinem lectionis & conformitatem ſententiæ ex ſcripto petendæ requiruntur vel maximè. 4. Tam in Syra, quàm in Arabica lingua feliciùs poſſumus progredi ſine punctorum adminiculo, quàm in Hebræa. 5. Baumbachius in d. tract. de ling. Orient. per inverſionem reſpondet: *Cùm duæ linguæ, Syriaca videl. & Arabica, quæ ab Hebræa ortæ ſunt, vocales habeant, ut ex libris Manuſcript. & impreſſis apparet, matrem videlicet Hebraicam illis carere veriſimile non eſt.*

7. à punctorum ſuppreſſione.

305. 7. *A punctorum ſuppreſſione. Si puncta veteribus fuerunt nota, unde eſt, quòd nulla eorum fiat mentio apud Hebræos, cur non fuerunt adhibita in numeris in fronte librorum ac verſuum?* Reſp. 1. plus eſt in conſequente, quàm antecedens permittit. Non enim ſequitur, puncta vocalia non adhibentur ab Hebræis veteribus in numeris, nec in fronte librorum vel verſuum. Ergò planè fuerunt eis ignota. A negato enim rei uſu ad negationem ipſius rei non valet conſequentia. 2. Multò minùs à negato particulari rei uſu ad ipſius rei negationem procedi poteſt. Quamvis in numeris & in frontiſpiciis librorum non ſint uſi vocalibus, tamen ad lectionem ipſis fuêre neceſſaria. 3. Bellarminus quidem in Inſtitut. Gramm. p. 8. ſcribit, *veteres Hebræos, cum nullas haberent vocales, uſos eſſe interdum earum loco quatuor conſonantibus* א ה ו & י *& quidem per* א *&* ה *expreſſiſſe a, quandoque etiam vocales*

alias,

Digitized by Google

alias per ו *o & u, per* י *e & i.* Petrus Martinius in technolog. pag. 16. tres duntaxat ejuſmodi characteres recenſet, א י & ו, atque addit, *tres illas literas ab autore Ieſhſirah vocari* אמות *matres, quòd nemo poſſit ſine illarum aliqua proferre vel dictionem vel literam.* Sed ſi vel maximè conſonantibus his loco vocalium uſi fuiſſent, ipſa tamen puncta vocalia non fuerunt ipſis ignota vel inuſitata. 4. Thalmudicos ſcriptores nullam facere punctorum mentionem, acriter contendit Elias Levita, ſed refelli poteſt ex tractat. Thalmudico נדרים cap. 4. ubi adducitur dictum R. Mai, quod per *pauſas verſuum & accentus orationi quaſi guſtus detur.* 5. In libro Zoar, qui ante Thalmudicum opus ſecretiori linguâ Hieroſolymitana ſcriptus expoſitionem non ſolùm pentateuchi, ſed etiam reliquorum V. Teſt. librorum continet, & magnæ apud Judæos eſt autoritatis, diſerta fit vocalium mentio. 6. Quod in numeratione & ordine verſuum puncta non fuerunt adhibita, id tribuendum vel ipſorum exilitati, vel conſonantium ſufficientiæ, vel cauſæ alicui nobis ignotæ, non autem ex eo inferendum, quod veteribus puncta vocalia fuerint prorſus incognita.

8. à Chaldaica quorundam vocalium appellatione.

351. 8. *A Chaldaica quorundam vocalium appellatione. Non omnia puncta habent nomina Hebraica, ſed quædam ſunt Chaldaica. Ergò à Rabinis ſunt inventa.* Reſp. 1. Rabini illi, quos volunt eſſe punctorum autores, non ſcripſerunt Chaldaicè, ſed eorum idioma magis Hebræo quàm Chaldæo ſermoni fuit cognatum. 2. Quædam vocalium nomina eſſe origine Hebræa & ad juſtam ipſorum pronunciationem ſpectare, neg[illegible]ri nequit, argumentum igitur procedit à pa[illegible]ulari. 3. Nomina illa Grammatica ſæpè ir[illegible]antur, unde aliquot vocales & accentus ac[illegible] vocabula Grammatica habent plura nomin[illegible] 4. Argumentum hoc probat, antiquas appellationes Hebraicas punctorum vocalium periiſſe, non autem ipſa puncta eſſe recens inventum, nam à novitate vocabuli ad novitatem ipſius rei non eſt firma conſequentia. 5. Si Grammatica illo tempore, cùm hæc lingua incorrupta & integra erat, eamque in vulgari colloquio Judæi uſurpabant, conſcripta fuiſſet, utiq; etiam puncta vocalia Hebraicas appellationes accepiſſent. Nunc verò quâ tempeſtate Grammaticæ Inſtitutiones compoſitæ ſunt, neglecta jacebant, magnaque barbaries invaluerat. Non igitur admodum mirandum eſt, etiam exoticis & peregrinis vocabulis vocales appellatas eſſe, præſertim cùm literæ ſimiliter magna ex parte Syriaca nomina habeant, quæ ſunt verba Baumbachii d. tract. de lingg. Oriental.

9. ab Hieronymi prætermiſſione.

352. 9. *Ab Hieronymi prætermiſſione. Hieronymus nullam facit punctorum mentionem. Ergò veriſimile non eſt, ipſius tempore eadem extitiſſe.* Reſp. 1. In Hiſtoricis argumentum ab autoritate negativa parvi eſt ponderis. 2. Hieronymus nec Maſoretici operis, nec Chaldaicarum paraphraſium mentionem facit, utriuſque tamen autoribus recentior eſt Hieronymus. 3. Si vel maximè à præceptore ſuo Barrabano Judæo Hieronymus accepiſſet Codicem non punctatum (*characteribus perquam minutis exſcriptum,* ut loquitur procem. in 7. comment. Ezechiel.) ex eo tamen inferri non poſſet, exemplaria Bibliorum publica & authentica punctis fuiſſe deſtituta. 4. Quidam demonſtrare conantur, Hieronymum punctorum non fuiſſe prorſus ignarum. In cap. 3. Jonæ tom. 5. pag. 140. ſcribit: *Satis miror, cur ita translatum ſit; cùm in Hebræo nec literarum, nec ſyllabarum, nec accentuum, nec verbi ſit ulla communitas,* ubi voce accentuum puncta vocalia ipſum intelligere in notis ad indicem Operum Hieronymi tit. *Hebræus,* aſſeritur. In quæſt. ſuper Geneſ. agnoſcit, *punctum irregulare* vocabulo בקומה Geneſ. 19. v. 33. ſupraſcriptum: *Appungunt,* inquit, *deſuper quaſi incredibile, & quod rerum Natura non capiat, coire quempiam neſcientem.* At ſi punctuationem irregularem agnovit, utique etiam regularis punctuationis ignarus haud fuit lib. 7. comment. in Ezech. cap. 27. tom. 4. p. 414. ſic ſcribit: *Frequenter Hebræa nomina pro diverſitate accentuum & mutatione literarum vocaliumque vel maximè, quæ apud illos habent proprietates ſuas, variè interpretantur.* quæſt. in cap. 47. Geneſ. v. ult. de voce מטה ita loquitur: *Hoc loco quidam fruſtrà ſimulant adoraſſe Iacob ſummitatem ſceptri Ioſeph, quòd videl. honorans filium poteſtatem ejus adoraverit, cùm in Hebræo multò aliter legatur. Et adoravit Iſraël ad caput lectuli.* Jam verò diverſa ſignificatio inter מַטֶּה *ſceptrum,* & מִטָּה *lectum* notans non niſi ex punctis diſcerni poteſt.

CAPUT XVI.

De integritate textus Græci in Novo Teſtamento.

Textum Græcum in N. T. non eſſe corruptum.

353. Iiſdem ferè argumentis, quibus ſuperiùs integritatem *textus Hebræi* in V. T. demonſtravimus, etiam *Græci textus* in N. T. integritas demonſtrari poteſt. Corruptelas ejuſmodi, quæ authenticam ejus autoritatem labefactent, illatas ei fuiſſe, quò minùs ſtatuamus, prohibet 1. *divinæ providentiæ ſuavitas.* Deus hoc fine non ſolùm in V. ſed etiam in N. T. verbum ſuum revelavit, inque literas illud redigi voluit, ut eſſet regula & norma, juxta quam omnia dogmata in Eccleſia examinari debeant. Jam verò quod regulæ ac normæ rationem obtinere debet, illud à corruptelis oportet eſſe liberum. 2. *rationis paritas.* Par omninò eſt ratio librorum V. & N. T. tùm *ratione cauſæ efficientis,* cùm utrique per ſanctos Dei homines impulſu Spiritus ſancti ſint ſcripti; tùm *ratione cauſæ materialis,* quia utrique divinam revelationem & divina myſteria deſcribunt; tùm *ratione cauſæ formalis,* quia utrique Canonicam & divinam autoritatem in Eccleſia obtinent; tùm *ratione cauſæ finalis,* quia utrique eo fine editi ſunt, ut homines ad ſalutem inſtruant per incorruptam de fide & moribus doctrinam. Quòd ſi ergò libris V. T. ſua conſtat integritas, ut ſuperiùs demonſtratum, utique eadem libris N. T. denegari minimè debet. 3. *Eccleſiæ in aſſerenda Scripturæ puritate fidelitas.* Sicut Paulus teſtatur, Judæis *concredita eſſe τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ* in V. ſcil. Teſt. libris deſcripta Rom. 3. verſ. 2. ita quoque de primitiva Eccleſia Chriſtiana dicere poſſumus, quòd τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ in N. T. libris deſcripta eidem ſint concredita. Accepit enim autographa ab ipſis Evangeliſtis & Apoſtolis, eademque in *Eccleſiis*

Patriarchalibus fideliter conſervavit, ut juxta illorum tenorem apographa ac reliqua exemplaria corrigi poſſent. 4. *Piorum Doctorum in removendis Hæreticorum corruptelis ſedulitas.* Etſi *multa depravare conati ſint hæretici*, ſcribit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 7. *tamen nunquam defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas detexerint, & non permiſerint libros ſacros corrumpi.* Plurima ex toto N. T. abſtulit, mutavitque Marcion, ut teſtatur Tertullianus lib. 5. contra Marcion. ſed illa omnia ferè notavit Epiphanius hæreſ. 42. & in noſtris Codicibus Græcis rectè habentur. Ariani abſtulerant ex Evangelio Joh. 4. *Spiritus eſt Deus*, ſed indicavit & notavit Ambroſius lib. 3. de Spiritu S. c. 11. & noſtri Codices Græci omnes hoc teſtimonium habent. Dictum 1. Joh. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, &c.* Ariani ex quibuſdam Codicibus abſtulerunt, ſed piorum Eccleſiæ Doctorum vigilans induſtria illud reſtituit, ut in Diſp. priore de hoc dicto habita oſtendimus. 5. *Conſequens abſurditas.* Si Textus Græcus in N. T. corruptus eſſet, non ampliùs purum & incorruptum haberemus primum & ſummum fidei Chriſtianæ principium, cùm à rivulis non poſſit major puritas ſperari, quàm à fontibus; fruſtraneum eſſet ſtudium, quod ſontium cognitioni impenditur; divina providentia in quodam neceſſariò Eccleſiæ ſuæ defuiſſet &c. quæ cùm ſint abſurda, ideò etiam abſurdum illud, ex quo talia conſequuntur. 6. *Saniorum Pontificiorum ſuffragium.* Th. Morus in Epiſt. ad Dorpium pro defenſ. Eraſmi p. 411. *Profectò ut verè dicam, videtur mihi neutiquam credibile, ullam gentem ad depravandos libros Græcos unquam conſpirare voluiſſe, ut ne dicam, nec potuiſſe quidem. De Judæis Hieronymus viderit. Græcos certè ab hac falſitatis ſuſpicione liberat vel illud, quod in his, de quibus iis nobiſcum fuit controverſia, eorum libri nobiſcum conſentiunt, nec de litera unquam, ſed de ſenſu literæ quæſtio fuit nunc igitur quid comminiſci quiſquam poſſit, cur alia falſarint, cùm ea nobis reliquerint, quæ vel ſola falſare voluiſſent.* Sixt. Senenſ. lib. 7. Bibl. ſanct. hæreſ. 1. pag. 580. *Dicimus eum Græcum Codicem, qui nunc in Eccleſia legitur, eundem illum eſſe, quo Eccleſia Græca temporibus Hieronymi & longè antea uſque ad tempora Apoſtolorum uſa eſt, verum, ſincerum, fidelem & nullo falſitatis vitio contaminatum, ſicut continuata omnium Græcorum Patrum lectio lucidiſſimè oſtendit.*

Antitheſis 354. Qui Græcos N. T. fontes corruptos eſſe ſtatuunt, in duas claſſes abeunt. 1. Quidam Scripturam N. T. ab hæreticis corruptam & à falſariis depravatam eſſe dictitant, quem errorem Sixtus Senenſis lib. 7. Bibl. ſanct. hæreſ. 1. pag. 576. *Manichæo, Helvidio, Anabaptiſtis & Servetianis* tribuit. Sed in eodem luto hærent *quidam ex Pontificiis.* Gordonus Huntlæus in Epit. controv. 1. cap. 12. *Quod attinet ad N. Teſt. Græcum textum, qui jam circumfertur ab adverſariis, in quo etiam illi ſingulare ſuum perfugium collocant, dubium non eſt, quin ille in variis locis ſit corruptus, partim incuria librariorum, partim fraude antiquorum hæreticorum & conſequenter non adeò idoneus eſt ille textus ad gignendam fidem, ut exiſtimant adverſarij, niſi accedat Eccleſiæ autoritas.* 2. Quidam verò mitiorem ſententiam amplexi ſtatuunt, non quidem *hæreticorum malitiâ*, interim tamen *librariorum incuriâ & negligentiâ* corruptam eſſe N. T. Scripturam Græcam. Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 7. *Non eſſe Græcos Codices in univerſum atq; omninò corruptos, facilè demonſtrari poteſt &c. Quod autem non ſint ubiq; corrupti, ſed aliqui interdum errores irrepſerint, ſaltem negligentiâ librariorum, & non ſit tutum ſemper Latina ad Græca corrigere, aliquot exemplis planum fiet.* Melchior Canus lib. 2. Loc. Theol. cap. 13. Staplet. in controv. q. 3. art. 2. accuſant Græcum N. Teſt. Codicem *defectionis, additionis & corruptionis.* Utraque pars profert 1. *rationes* & conjecturas. 2. *Patrum teſtimonia.* 3. quædam corruptionis *exempla.*

355. *Rationibus & Patrum teſtimoniis* ſatisfieri poterit, ſi obſervetur 1. ex particulari quorundam Codicum Græcorum depravatione inferri nequit, textum Græcum N. T. abſolutè & ſimpliciter eſſe corruptum, quia ex aliis Codicibus puris adhuc atque integris mendæ iſtæ aboleri poſſunt. 2. Diverſitas lectionis non ſtatim infert generalem textus Græci corruptionem, cùm in quibuſdam duntaxat locis diverſitas illa occurrat, & in verſionibus longè major obſervetur. Ad quod major varietatum pars in verbis potiùs conſiſtat, quàm in rebus, *magiſq; ad exactam, quàm ad neceſſariam faciat corrigendi rationem,* ut monet Franc. Luc. Brugenſis in præfat. ad var. lect. Si verò utraque lectio retineri nequit, recurrendum ad antiquorum & probatorum exemplarium inſpectionem, ad veterum Eccleſiæ Doctorum allegationem, ad textus *συνάφειαν* & conexionem, ad aliorum locorum collationem, ad fidei analogiam, ut oſtendimus in Diſp. de dicto 1. Joh. 5. 3. De tali integritate textus Græci quæritur, ex qua verſionum errores & diſcre[illegible]tiæ corrigi, & ad quam tanquam ad fontem [illegible]thenticum provocari poſſit. Talem verò i[illegible]gritatem ei convenire, res ipſa liquidò oſtendit. 4. Conati quidem fuerunt Hæretici, præſertim Marcionitæ, textum Scripturæ corrumpere, ſed obſtitit vigilantia piorum Eccleſiæ Doctorum, quò minùs in omnibus Codicibus illud effectum darent, & corruptum textum veræ Eccleſiæ loco genuinæ Scripturæ obtruderent.

356. *Exempla*, quæ pro aſtruenda textus Græci corruptione proferuntur, expendimus in annotat. ad difficiliora Nov. Teſt. loca; hîc conſiderabimus duntaxat ea, quæ Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 7. in medium producit. 1. 1. Corinth. 15. verſ. 47. *legendum, Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis; quomodo etiam legit vulgata translatio Latina. Sed Græci Codd. conſtanter legunt, ὁ δεύτερος ἄνθρωπος κύριος ἐξ οὐρανοῦ. Secundus homo Dominus de cælo, quam depravationem manſiſſe vitio ſcriptorum ex corruptionibus Marcionis, patet ex Tertulliano lib. 5. in Marcionem.* Reſp. 1. opponimus Bellarm. Salmeronem, qui in h. l. ſic commentatur: *Græcè legimus ſecundus homo de cælo, ipſe Dominus. Putarunt nonnulli ob antitheſin perfectam legendũ eſſe, ſecundus homo de cælo cæleſtis, (ut in Latina verſione legitur) & inde corpus ſuum attuliſſe, ut Valentinus, Marcion & Manichæi delirantes dixerunt.* Item Alphonſ. de Caſtro l. 4. tit. *Chriſtus, ubi inter cætera ſic ſcribit: Valentinus ait, Chriſtum de cælo carnem traxiſſe, quia Paulus ait, primus homo de terra terrenus, ſecundus de cælo cæleſtis.*

Exempla corruptionis à Bellarmino adducta.
1. 1. Corinth. 15. v. 47. Secundus homo de cælo.

leſtis. Verſio igitur Latina magis favere videtur hæreticorum opinioni, quàm textus Græcus. 2. Quia Græci Codices conſtanter legunt κύριος ἐξ οὐρανοῦ, quo modo etiam Syriaca & Arabica paraphraſis legunt, ex eo colligimus; huic lectioni utpote genuinæ eſſe inſiſtendum. 3. Neq; ulla hic corruptelæ ſuſpicio. Dicitur enim Chriſtus *Dominus de cœlo* propter perſonalem unionem humanæ Naturæ cum divina, Luc. 1. v. 78. quia homo ille ex Maria natus eſt unum ὑφιστάμενον cum Domino de cœlo. Similis locus extat Johan. 3. v. 13. Damaſc. lib. 3. orth. fid. cap. 12. οὐ τὸ σῶμα φησὶν ἐξ οὐρανοῦ, ἀλλ' ἀδῆλον ὡς οὐ ψιλὸς ἄνθρωπός ἐστιν. Pij veteres quatuor rationes hujus appellationis proferunt. Primò ex divinitate humanitati unita, Chriſtus eſt perſona divina. Secundò ab operibus, Chriſtus habuit opera divina & cœleſtia. Tertiò ratione meriti. Chriſtus cœlum & immortalitatem nobis promeruit. Quartò ratione conceptionis, non quòd corpus ſuum cœlo delatum in uterum Mariæ deduxerit, ſed quia cœleſti virtute in utero virginis conceptus eſt. 4. Nec requirit oppoſitio, ut primo Adamo de terra terreno opponatur ſecundus Adamus de cœlo cœleſtis. *Multo enim vehementior eſt antitheſis terreni & Domini, quàm terreni & cœleſtis, cum multa ſint res cœleſtes creatæ, Dominus autem dicatur, qui ſummum in omnes imperium obtinet. Deindè ſi ſtatim oppoſuiſſet terrenum cœleſti, non imminueret illa tanta qualitatum diverſitas, ſed varius tantùm ſitus videretur ſignificari. Hoc verò ſemel explicato tùm demùm licuit cœleſtem terreno planè ac perſpicuè opponere, ut factum eſt duobus ſequentibus verſiculis*, quæ ſunt verba Bezæ in annot. majoribus ad h. l. 5. ex Tertulliani loco probari nequit, eſſe hic corruptelam quandam Marcioniticam in textu Græco. Iiſdem enim verbis, quibus Græci Codices legunt, & ex propria quidem mente locum Apoſtoli allegat. Agit quidem de Marcionitica quadã depravatione, ſed ea non v. 47. ſed 45. concernit, ubi pro vocibus ἔσχατος Ἀδάμ, quę in noſtris Codd. incorruptè leguntur, Marcion poſuerat, ἔσχατος κύριος, *noviſſimus Dominus*, quem propterea Tertullianus reprehendit, 6. Epiphanius hæreſ. 42. omnes Marcionis corruptelas notavit, ut Bellarminus ipſe teſtatur, ſed hanc corruptelam, quæ huic loco adhuc inhæreat, ne verbo quidem attingit.

2. 1. Cor. 7. v. 33. Et diviſus eſt.

357. 2. 1. Corint. 7. v. 33. *vulgata verſio Latina habet. Qui cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Mulier innupta & virgo cogitat quæ ſunt Domini. Græci Codices longè aliter habent, nam illud diviſus eſt, conjungunt cum ſequentibus ſic*, μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, *diviſa eſt uxor & virgo, quam lectionem B. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum affirmat, non eſſe Apoſtolicæ veritatis.* Reſp. Triplex hujus loci deprehenditur lectio. Prima eſt in noſtris vulgatis Codicibus Græcis, quam ſequuntur Baſilius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Oecumenius, Auguſtinus, & verſio Syriaca, μεμέρισται ἡ γυνὴ καὶ ἡ παρθένος, quod Oecumenius ſic exponit, μεμέρισται, τουτέστιν, οὐ τὴν αὐτὴν ἔχουσι φροντίδα, ἀλλὰ μεμερισμέναι εἰσὶ ταῖς σπουδαῖς. Altera lectio habetur apud Robertum Stephanum ad marg. ὁ δὲ γαμήσας μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου, πῶς ἀρέσει τῇ γυναικὶ καὶ μεμέρισται. Καὶ ἡ γυνὴ ἡ ἄγαμος καὶ ἡ παρθένος μεριμνᾷ. *Qui uxorem duxit, curat ſolicitè, quæ ſunt mũdi, quomodo placeat uxori; & diviſus eſt. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ ſunt Domini.* Hanc lectionem Robertus deprehendit in duobus exemplaribus, cui reſpondet lectio vulgatæ verſionis Latinæ. Et hìc μεμέρισται exponitur per *diſtractus eſt cogitationibus, anxius & ſolicitus circa mundana*, ut habet Ambroſius ſuper h. l. *diviſus eſt*. i. e. non poteſt divinis inſiſtere rebus, & uxoris facere voluntatem. Tertia lectio eſt Ambroſio peculiaris, qui ſic legit. *Qui autem cum uxore eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt hujus mundi, quomodo placeat uxori, & diviſus eſt. Diviſa eſt mulier & virgo.* Et ſubjungit, *diviſa non utiq; Natura, ſed actu.* Ex his apparet 1. falſum eſſe, quod lectio vulgatæ verſionis non extet in Codicibus Græcis, quia in duobus exemplaribus fuit inventa. Si dicas, *cur ergò non retinetur repudiatâ lectione paſſim in Græcis Codicibus receptâ?* reſpondemus, quatuordecim exemplaria Roberti Stephani, quę noſtram tenuerunt lectionem, non eſſe regulanda ad duo, ſed duo ad quatuordecim. 2. Hieronymus adverſ. Helvid. c. 12. & ad Euſtoch. de ſervanda virginit. legit juxta noſtra exemplaria. Libr. 1. adverſ. Jovin. cap. 7. aliter legit, ſed ibi ſuſpectus eſt, quia matrimonio eſt iniquior. Beza teſtatur, ſe in omnibus vetuſtis Græcis Codicibus, duobus tantùm exceptis, noſtram lectionem inveniſſe. 3. Utraque ſententia rectè expoſita commoda eſt, ſed noſtra lectio plures habet autores, ideò etiam præferenda lectioni in vulgata verſione. 4. Quin & textus connexio eandem manifeſtè confirmat. In v. 32. & 33. diverſa cœlibum & maritorum ſtudia enarrantur, commodè igitur diverſæ uxorum & virginum curæ iiſdem ſubjunguntur, ac de illis dicitur μεμέρισται, i. e. diſcretæ ſunt curis ſcilicet ſtudiis atq; actionibus.

358. 3. Rom. 12. v. 11. *ubi Latina verſio legit, Domino ſervientes; Græci Codices non habent κυρίῳ, ſed καιρῷ δουλεύοντες, i. e. tempori ſervientes. Et tamen lectionem Latinã eſſe veriſſimam, patet tùm ex Hieronymo in Epiſt. ad Marcell. quæ incipit Poſt priorem Epiſtolam, ubi dicit in emendatis Græcis Codicibus haberi non καιρῷ, ſed κυρίῳ, tùm ex Origene, Chryſoſtomo, Theophylacto & aliis Græcis Patribus, qui ſic legerunt & explicaverunt in ſuis commentariis.* Reſp. 1. Lectionis diverſitatem hæc probant, non autem textus corruptionem. 2. Nõ negamus in quibuſdam exemplaribus, quorum ſex obſervavit Robertus Stephanus, haberi κυρίῳ, quo modo etiam legunt ſcholia Græca, Baſilius in Ethic. Chryſoſt. & Theophylactus in comm. paraphraſtes Syrus &c. ſed in aliis habetur καιρῷ *tempori ſervientes*. 3. Gloſſa ordinaria ſine ulla corruptionis accuſatione lectionis diverſitatem notavit. 4. Utraq; lectio fidei analogiæ eſt congrua, interim receptam illam alteri præferendã eſſe cõtextus & antiquiſſimorũ exemplarium inſpectio oſtendit. 5. Hieronymus ſuæ lectionis nullã reddit cauſam, noſtræ verò prægnantem reddit Ambroſius tom. 5. p. 230. ſic ſcribens: *In Græco dicitur ſic haberi, Deo ſervientes, quod nec loco cõpetit. Quid enim opus erat ſummam hanc ponere totius devotionis, quando ſingula membra, quæ ad obſequia & ſervitia Dei pertinent, memorat. In omnibus enim his, quæ enumerat, plenũ Deo ſervitium exhibetur. Nam ſervire tempori quid ſit, alibi ſolvit, cùm dicit, redimentes tempus, quoniã dies mali ſunt.* 6. In v. 15. hujus capitis Apoſtolus ipſe exponere videtur; quid per τῷ καιρῷ δουλεύοντες velit intellectũ; *Gaudere*, inquit, *cum gaudentib. flere cũ flentib.*, adeoq;

3. Rom. 12. v. 11. Domino ſervient.

omnia ſuo loco & tempore agite. 7. Toletus ipſe in comment. h. l. noſtram lectionem, quæ habet, καιρῷ δουλεύοντες, præferret, niſi vulgatæ verſionis autoritate reprimeretur: *Fateor*, inquit, *lectionem illam antecedentibus & conſequentibus accommodatam, ac documentum valde utile continere, ſed communis veterum Interpp. ſenſus cum vetere Interprete legendum cenſet, Domino ſervientes.*

4. Deſunt quædam partes Scripturæ.

359. 4. *In plurimis Græcis Codicibus deſunt multæ veræ Scripturæ partes, ut Hiſtoria adulteræ Joh. 8. ultimum caput Marci, teſtimonium pulcerrimum Trinitatis & alia.* Reſp. de capite ultimo Marci latè egimus in Harmonia reſurrectionis, de dicto 1. Joh. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo*, itidem prolixè egimus in Diſput. priore de hoc dicto habita, reſtat igitur, ut de Hiſtoria adulteræ Johan. 8. quædam moneamus. 1. Fatemur hanc Hiſtoriam non haberi in quibuſdam Græcis exemplaribus, in nonnullis adjecta olim fuit in calce. 2. In paraphraſi Syriaca itidem non extat. **(quondam oon eatitit, ſed jam edits eſt operâ Jacobi UtJerij ArchiEpiſcopi Armachani)** 3. Nonnus eam ἐ παρεφράσατο. 4. Chryſoſtomus & Theophylactus in ſede ordioaria nullam ejus faciunt mentionem. Sed hæc nondum efficere poſſunt, ut hanc Hiſtoriam ex Canonica Scriptura exterminemus. 1. Habetur enim in antiquiſſimis ac probatiſſimis exemplaribus. Robertus Stephanus in duobus antiquioribus exemplaribus Græcis eam requirit. 2. Meminit ejuſdem Chryſoſtomus, eandem exponunt Ambroſius, Hieronymus & Auguſtinus. 3. Nec quidquam continet fidei analogiæ adverſum. 4. Auguſtinus libr. 2. de adulter. conjug. ad Pollent. cap. 7. arbitratur, *Hiſtoriam hanc reverâ à Johanne ſcriptam, ſed curatum à crudelibus maritis, ut expungeretur, quò uxores adulteræ acciderentur.* 5. Quod non reperiatur in omnibus Codicibus, veriſimilius judicatur ex coortum, quod referente Euſebio libr. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 35. Papias tradidit, *Hiſtoriam hanc ex Evangelio ad Hebræos tranſlatam eſſe*, quod Evangelium fuit apocryphum. Sed Papiæ, utpotè Chiliaſtæ, traditiones non ſunt magni momenti.

5. Quædam inſunt ſuperflua.

360. 5. *Conſtat quædam in omnibus Græcis Codicibus inveniri, quæ non ſunt partes divinæ Scripturæ, ut Matth. 6. orationi Dominicæ additur: Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula; quæ verba non eſſe de textu, ſed addita à Græcis, ex duobus intelligi poteſt. Primò ex eo, quod Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus orationem Dominicam exponunt, & tamen nullam horum verborum mentionem faciunt. Secundò ex eo, quod Græci in ſuâ Liturgia recitant quidem hæc verba, ſed non continuant cum oratione Dominica.* Bened. Arias Montan. itidem ſtatuit, hanc clauſulam non eſſe de textu, ſed à nonnullis textui inſertã, quod probare conatur ea eo, quod *Græci etiam hodierno die dicunt, Sacerdoti duntaxat licere illa verba proferre. Ita enim reſpondere ſolet in Miſſa, quando chorus dixit, Sed libera nos à malo. Item quod nullus Latinorum Interpp. ejus mentionem faciat. Maldonatus in comm. exiſtimat, ex more Græcorum hoc accidiſſe, quibus uſitatũ preces terminare aliquâ δοξολογίᾳ & laudatione.* Hũtlæus cootrov. 1. q. 12. §. 3. *Adverſarij aliquando addunt verbo Dei ſcripto, quod ſcriptum non eſt. Verbi gratia Matth. 6. v. 13. addunt illa verba: Quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula; quæ vix ullus Patrum legit ante Chryſoſtomum, qui fuit quadringentis annis poſt Chriſtum.* Reſp. 1. Robertus Stephanus in vetuſtiſſimo Codice hæc verba reperit, qui extra unum fuit antiquiſſimus. ** In Bibliis Anteurpianis habetur** 2. Paraphraſtes Syrus eadem habet. ** Item Hebraicus textus Matthæi quem edidit Münſterus Aoo. 1537. ** 3. Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius hanc corōnidem orationis Dominicæ interpretantur. 4. Apoſtolus 2. Tim. 4. v. 17. repetens ultimam petitionem *de liberatione ab omni malo*, clauſulam illam addit, *cui gloria in ſecula.* ** Thomas Aquin. in Catena aurea egregiã eorum verborũ expoſitionem profert ex Chryſ. Verba Chryſ. à Thoma adducta ſic habeot. *Ita verò ſolicitos nos fecerat inimici memoria in hoc quod dixerat, libera nos à malo, rurſus audaciam præbet per hoc, quod in quibuſdam libris ſubditur Quoniam tuum eſt regnum & virtus & gloria. Quia ſi ejus eſt regnum, nullum formidare oportet, cùm is, qui præliatur contra nos, ſit ei ſubjectus. Cùm autem virtus ejus & gloria ſint infinita, non ſolùm à malis eruere poteſt, ſed etiam facere glorioſum.* ** 5. Verba iſta ſunt conformia Scripturis ſacris, cumprimis gratiarum actioni Davidis. 1. Paralip. 29. v. 11. 6. Bellarminus dicit *conſtare, quod in omnibus Græcis exemplaribus hæc clauſula inveniatur*, unde ergò probari poterit, Codices Græcos hîc eſſe falſatos? Eraſmus & Johannes Ditenberger in gloſſis itidem fateotur, *quòd appendix illa in omnibus Græcis exemplaribus reperiatur*; Brugenſis *uno Pariſienſium Codice excepto, cæteros omnes libros eam habere additam* teſtatur; eccur igitur eam pro genuina Scripturæ parte acceptare recuſemus? 7. Quia tamen apud Latinos diu fuit omiſſa, non erat utile Eccleſiam ſuper ea re commoveri, quæ novitatibus plurimùm offenditur, inde eſt quod Patres Lstini eam non eaponunt. 8. Græcorum verò Patrum potior hîc habenda ratio, quippè quibus Græcorum eaemplarium fidem optimè fuiſſe cognitam ac perſpectam, dubitari nequit. 9. Ea Græcorum Liturgia contra Canonicam hujus clauſulæ autoritatem nihil poteſt elici, inſolens enim non eſſe, quod reſponſum populi cum Sacerdotis voce præeuntis oratione, quoad ſenſum continuetur, praxis noſtrarum Eccleſiarum oſtendit. Rectè igitur concludit Laurentius Valla in expoſ. orationis Dominicæ, *nihil hîc eſſe à Græcis additũ, ſed à Latinis detractũ.*

CAP. XVII.

De fine & effectu Scripturæ S.

Finis Scripturæ. 1. reſpectu Dei.

361. Egimus hactenùs *de cauſa efficiente, materiali ac formali Scripturæ ſacræ*; reſtat ut de ejuſdem *fine* breviter diſſeramus. Finis Scripturæ cooſideratur vel *reſpectu Dei*, vel *reſpectu noſtri*. Reſpectu Dei finis Scripturæ eſt *ſalutaris Dei agnitio & glorificatio*, ideò enim Deus io verbo ſuo primùm vivâ voce prædicato, poſteà in literas redacto ſeſe patefecit, ut ab hominibus juxta eſſentiam & voluntatem ſuam rectè agnitus, in hac & æterna vita celebretur. Quando ex verbo Dei bonitatem, potentiam & ſapientiam agnoſcimus, ac myſterium ſalutis noſtræ ab æterno diſpoſitum & in tempore revelatum piè meditamur, nõ poſſumus non ex illa agnitione & meditatione in amorem Dei excitari, ex quo porrò ſummi illius

boni

boni celebratio & glorificatio in cordibus noſtris oritur.

2. *Reſpectu noſtri.*

362. *Reſpectu noſtri* finis eſt vel *intermedius*, vel *ultimus*. Intermedij fines exponuntur ab Apoſtolo Rom.15.v.4. 2. Timot. 3.v.16. quòd ſint διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδεία ac παράκλησις. Ideo enim Scriptura ſacra humano generi tradita eſt, ut medelam exhibeat contra morbum per lapſum protoplaſton introductum, & ut hominem reddat perfectum ad omne opus bonum inſtructum. Jam verò triplici potiſſimùm morbo ac malo per & propter originale peccatum ſubjectum eſt genus humanum. Sumus enim in veri cognitione cœci ac rudes; in boni actione remiſſi ac deſides; in mali tolerantia infirmi & impatientes; Illi malo medetur Scriptura per διδασκαλίαν, iſti per παιδείαν, huic per παράκλησιν. Nec ſolùm in veri cognitione ſumus cœci ac rudes, ſed etiam ad errores excogitandos vel amplexandos proni ac præcipites, cui malo medetur Scriptura per ἔλεγχον. Nec ſolùm in boni actione ſumus remiſſi ac ſegnes, ſed etiam ad malè agendum promti & proclives, cui malo Scriptura medetur per ἐπανόρθωσιν. Ex adverſo tria ſunt verè pij & Chriſtiani hominis officia, videlicet verum cognoſcere, bonum agere, mala tolerare, unde etiam tres præcipuæ ac cardinales Chriſtiani hominis numerantur virtutes, *fides, charitas ac ſpes*. Ad fidem pertinet cognitio veri, ad charitatem actio boni, ad ſpem tolerantia mali. Sed quia veri cognitio non ſubſiſtit abſq; remotione falſi; nec boni actio locum habet niſi recedatur à malo ſive peccato, inde in univerſum quinq; officia requiruntur in Chriſtianæ pietatis perfectione, videlicet διδασκαλία καὶ ἔλεγχος ad veri cognitionem; παιδεία καὶ ἐπανόρθωσις ad boni actionem; παράκλησις ad patientẽ mali tolerationem reſpectum habens, ad quæ omnia nõ utilis ſolùm, ſed etiam ſufficiens eſt Scriptura, ut hominem perfectum reddere meritò dicatur. Confer Method. ſtudij Theol. part. 2. ſect. 4. c. 2.

363. Nimirùm Scriptura ſacra eſt 1. Dei cathedra, ex qua ad nos loquitur Hebr.1.v.1. *Multifariam ac multis modis olim locutus eſt Deus Patribus per Prophetas, in noviſſimis diebus his locutus eſt nobis in Filio* ac per Filium, cujus conciones in ſcriptis Evangeliſtarum annotatæ extant. 2. Dei ſchola, in qua nos erudit & informat. Pſ.94.v.12. *Beatus vir, quem erudieris Domine, & è lege tua docueris eum.* 3. Dei ἰατρεῖον & ſpritualis rerum Medicarum officina. Sap.16.v.12. *Non herba, nec malagma ſanavit eos, ſed tuus Domine ſermo omnia ſanans.* 4. Dei πανοπλία & armamentarium, in quo munit & armat nos contra omnis generis hoſtes. Eph.6.v.17. *aſſumite gladiũ Spiritus, quod eſt verbum Dei.* 5. Dei manus, quâ nos per ſemitas fidei & juſtitiæ ducit ad vitam æternam. Pſ. 48.v.15. *Ducet nos ſicut juventutem.* In Hebræo eſt uſq; ad mortem. Ultimus enim ac ſummus reſpectũ noſtri Scripturæ finis eſt noſtra ſalus ac vita æterna. Johan.5.v.39. *Scrutamini Scripturas, quia putatis vos vitam æternam in illis habere.* c.20. v. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, & per fidem habeatis vitam in nomine Chriſti.* 2. Tim.3.v.15. *Sacra litera poſſunt te σοφίσαι ad ſalutem.* Ideò enim Deus in verbo ſuo ſeſe revelavit, ideò per hoc verbum ſuum homines in veritate inſtruit, ad benè operandũ impellit, ad tolerãda adverſa hortatur, ut ſalutis æternæ tandem fiant participes.

364. Referenda ad hunc locum omnia Scripturæ dicta, quæ de divina verbi efficacia in hominibus convertendis, illuminandis, regenerandis & ſalvandis teſtantur Pſal.19.v.9. Joh.5.v.39. Rom.1.v.16. 1. Timot.4.v.16. 1. Petr.1.v.23. &c. Cùm enim inter verbum Dei ſcriptum & non-ſcriptum nullum reale diſcrimen intercedat, ideò honorifica illa de verbi efficacia ac fructu præconia, meritò etiam ad Scripturam ſacram pertinere cenſentur. Sicut per ſcriptionem verbum non deſiit eſſe divinum, ita quoq; non deſiit eſſe efficax converſionis & ſalutis organum, proinde quòd Rom.10.v.17. *fides ex auditu* eſſe dicitur, id non accipiendum eſt *excluſivè*, ut auditus verbi prædicati opponatur lectioni verbi ſcripti, ſed *incluſivè*, ut per verbum non ſolùm auditum, ſed etiam lectum Deus ad fidem & ſalutem efficax ſtatuatur, cùm idem ſit & maneat verbum ſivè prædicetur & audiatur, ſive ſcribatur & legatur, unde notanter dicit Johannes de Hiſtoria Evangelica in literas redacta, adeoq; de tota V. & N. Teſt. Scriptura: *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis.* Joh. 20.v.ult. *Hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum* 1. Johan.1.v.4. Ergò etiam ex ſcripto Dei verbo per lectionem & meditationem ad uſum tranſlato fides & ſpirituale gaudium, & cõſequenter ſalus æterna hauriri poteſt. Confer ea, quæ contra Suenckfeldianos eiſq; ὁμοψήφους Weigelianos in art. de Miniſterio Eccleſiaſt. §. 249. & ſeqq. latè ſunt diſputata.

Effectus Scripturæ.

365. *Effectus ergò Scripturæ* ſunt iidem qui verbi divini, à quo realiter ac materialiter eam minimè differre ſuperiùs evicimus. Sunt a. eximia, cœleſtia & verè divina beneficia, quæ Deus per verbum ſuum, ac proindè etiam per Scripturam hominib. communicat, videl. 1. veram & ſalutarem ſui agnitionem. Matth.11.v.26. *Nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Joh.1.v.18. *Deum nemo vidit unquam. Filius qui eſt in ſinu Patris, nobis revelavit &c.* Jun. lib. 4. c. 10. *Quoniam impoſſibile erat ſine Deo diſcere Deum per verbum ſuum docet homines ſcire Deum. In hoc lumine videmus lumen.* Pſ.36.v.10. in lumine verbi lumen divinæ agnitionis. 2. errantium inſtructionem. Per verbum in veritate nos inſtruit, & adverſus noxios errores nos munit. Pſ.119.v.105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum.* Eſa.2.verſ.3. *Aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos vias ſuas.* 3. peccantium converſionem. Act.20. v. 20. *Nihil ſubtraxi vobis utilium, quò minùs docerem vos.* v.21. *teſtificans Iudæis & gentibus pœnitentiam in Deum &c.* c.26.v.18. *Mittote aperire oculos gentilium, ut convertantur à tenebris ad lucem.* v.20. *annunciabam gentibus, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum.* 4. fidei accenſionem & confirmationem. Ex luce verbi oritur in cordibus hominum lux fidei. Rom. 10.v. 14. *Fides eſt ex auditu, auditus a. per verbum Dei.* 2.Cor.4.v.6. *Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplẽdeſcere, illuxit in cordib. noſtris &c.* 5. ſpiritualem regenerationem. 1.Cor.4.v.15. *in Chriſto Ieſu per Evangeliũ vos genui.* Jac.1.v.18. *voluntariè genuit nos verbo veritatis.* 1.Pet.1. v. 23. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbũ Dei vivi.* 6. ſalutarem Dei invocationẽ. Rom.10.v.14 *Quomodo invocabunt, in quẽ non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audiverunt?* Ergò à contrario ſenſu ex auditu verbi eſt fides, ex fide ſalutaris & Deo grata invocatio. 7. animæ noſtræ alimen-

alimentationem. Deut. 8. v. 3. Matth. 4. v. 4. *Non ſolo pane vivet homo, ſed omni verbo quod egreditur per os Dei.* Amos 8. v. 11. *mittam famem audiendi verbum.* Ergò à contrario ſenſu verbum tollit animæ noſtræ famem. 8. afflictorum conſolationem. Pſ. 23. v. 4. *Virga tua & baculus tuus conſolabuntur me* Pſ. 49. v. 19. *conſolationes tuæ lætificaverunt animum meam.* Pſal. 119. v. 50. *Hæc conſolatio mea in afflictione mea, quia eloquium tuum vivificavit me.* 9. peregrinantium gubernationem. Pſ. 32. v. 8. *Intelligere te faciam, & docebo te in via, qua ambules.* Pſ. 119. v. 105. *lumen ſemitis meis verbum tuum.* 10. pugnantium confortationem. 2. Cor. 10. v. 4. *arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potentia Deo.* Epheſ. 6. v. 17. *verbum Dei eſt gladius Spiritus.* 11. vincentium coronationem & glorificationem. Joh. 6. v. 68. *verba vitæ æternæ habes.* Act. 13. v. 26. *verbum ſalutis.* Rom. 1. v. 16. *potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* Phil. 2. v. 16. *verbum vitæ &c. Confugiamus igitur* (ait Hector Pintus in c. 8. Eſa. p. 92.) *ad Scripturam ſacram, ubi inveniemus doctrinam ſalutarem, virtutis indagatricem, vitiorum expultricem, animis medentē, eosq́; in ſuam dignitatem revocantem. Hæc eſt fons uberrimus & pleniſſimus, cujus hauſtu atq; potu cōceptam viſceribus ſitim ſedamus, ardoremq; reſtinguimus. Hæc eſt flamma illa, quam vidit Moſes ardentem, rubumq́; non comburentem, ubi Deus eſt animos noſtros incendens, æternaq; beatitudinis deſiderio inflammans. Hæc eſt ſcala, quam vidit Iacob, quæ ſummitate cœlos tangebat, per quam è terra ad cœlū patet aſcenſus. Hæc eſt collarium Ioſeph in Ægypto hujus mundi conſtitutum, ad quod undiq; recurrere debemus, ut famem expellamus. Hæc eſt mãna illud cœleſte minutum, ſed candidum & dulce, omnes ad verã promiſſionis patriam euntes reficiens. Hæc eſt turris Davidis munitiſſima, quæ eſt ædificata cum propugnaculis, ex qua pendent mille clypei omnisq; fortium armatura. Hæc eſt mentis ſpeculū; hæc eſt theſaurus ſapientiæ; hæc eſt quæ vitæ tranquillitatem largitur, quæ eſt lucerna pedib. noſtris. Hæc eſt deniq; quâ adverſus Dæmonem, mundum, carnē contendimus, eſt enim verbum Dei gladius Spiritus, quo inimicos percutimus & proſternimus, & de illis quotidiè victoriam reportamus. Hæc eſt probatica illa piſcina, de qua loquitur Iohannes, quæ à Dei Angelo mota cuicunq; ægritudini medebatur.*

CAP. XIIX.

De perfectione Scripturæ ſacræ.

Scriptura eſt perfecta.

366. *Ex cauſa efficiente & fine* Scripturæ ſacræ ejuſdem *perfectio & perſpicuitas* reſultat. Quia enim Deus mentis & linguæ artifex in Scriptura & per Scripturam de ſua eſſentia & voluntate homines informare ac in doctrina de fide & moribus eos erudire voluit ad ſalutem æternam, ideò etiam Scripturam voluit eſſe perfectam & perſpicuam. Niſi enim perfecta & perſpicua eſſet, de Dei eſſentia & voluntate plenè nos inſtruere, & ad vitam æternam ſapientes reddere minimè potuiſſet. Perfectam eſſe Scripturam noſtræ Eccleſiæ affirmant, perfectionis nomine intelligentes illud, quod Scriptura de omnibus quæ ad ſalutem conſequendam ſunt neceſſaria, plenè ac perfectè nos inſtruat: Pontificij verò hanc Scripturæ perfectionem negant, ut ex antitheſi apparebit. Ut autem ſtatus quæſtionis ſit illuſtrior, notandum 1. nos nequaquam eo ſenſu Scripturam vocare perfectam, quod omnia, quæ ad fidem & mores ſcitu neceſſaria, αὐτολεξεὶ ſive κατὰ ῥητόν, *ſecundū literam* & totidem verbia in Scripturis extent, ſed quædam *ſecundùm rem*, quædam *ſecundùm literam*; vel quod idem eſt, quædam *explicitè*, quædam verò *implicitè* in illis contineri dicimus, ut per legitimam & immotam conſequentiam ex illis deduci poſſint. *Perindè enim ſunt ea, quæ ex Scripturis colliguntur atq; ea, quæ ſcribuntur*, ut loquitur Nazianz. lib. 5. de Theologia. Fruſtra igitur Bellarminus ludos facit in vocabulo *expreſsè*. *Nos Pontificij*, inquit lib. 4. de verbo Dei c. 3. *aſſerimus, non contineri in Scripturis expreſsè totam doctrinam neceſſariam ſive de fide, ſive de moribus. Ac ipſi Evangelici docent, in Scripturis omnia contineri ad fidem & mores neceſſaria.* Quod ſi enim per τὸ expreſsè hoc intelligit, omnia neceſſaria αὐτολεξεὶ in Scripturis extare, non rectè formavit controverſiæ ſtatum, cùm nemo noſtrûm hoc aſſerat. Eundem ludum fecerunt Jeſuitæ in Colloquio Durlacenſi, ubi poſtularunt, *formaliter & in terminis ex Scriptura probari, quod non ſit purgatorium, quod opera non ſint meritoria.* 2. Non eſſe quæſtionem de Ceremoniis & ritibus liberè ab Eccleſia introductis & obſervatis, ſed *de fidei articulis*, an ſc. ſint quidã articuli fidei neceſſariò acceptandi & credendi, qui non poſſint ex Scripturis probari? Ritus Eccleſiaſticos quod attinet, etſi illi in ſpecie non extent in Scripturis, tamen *genus* in illis traditur, quòd ſc. *omnia fieri debeant εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν* 1. Cor. 14. v. 40. *πρὸς οἰκοδομήν.* v. 26. ſine Eccleſiæ ſcãdalo. 1. Cor. 10. v. 32. Fruſtrà igitur Tympius in rituali p. 11. hoc urget: *Si pro Sabbatho divinitùs præcepto licuit ſubſtituere diem Dominicum abſq; mandato, non neceſſe eſt pro ſingulis expreſſum Dei verbum allegare.* Confunduntur n. ea, quę ad cultum Dei & ad ſubſtantiam religionis ac pietatis pertinent, cum adiaphoris ritib. & ſanctionib. Ad claſſem poſteriorem refertur Dominicæ obſervatio, quoad determinationē certæ diei conſiderata. 3. Perfectionem Scripturæ æſtimandam eſſe non ex numero librorū, ſed ex ſufficientia dogmatum ad ſalutem ſcitu neceſſariorū. Id quod ſcriptum fuit, quovis Eccleſiæ tempore perfectum Canonem exhibuit, cùm divina revelatio in illis libris reſpectu illius tēporis perfectè fuerit expoſita. Sic cùm ſoli libri Moſaici extarēt, perfecta erat Scriptura, reſpectu ſc. habito ad illud Eccleſiæ tempus, quo nondum extabant plures revelationes, quas Deus in literas redigi voluerit, quò referri poteſt illud Apoſtolicum Phil. 3. v. 15. *Si quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus revelabit.*

Probatur 1. ex diſerta appellatione Pſal. 19. v. 9.

367. Hanc Scripturæ perfectionē demonſtramus *1. ex diſerta appellatione & nomēclatura.* Pſ. 19. v. 8. *Lex Domini* תְּמִימָה *perfecta convertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiā præſtans parvulis.* Legis nomine generaliter accepto intelligitur tota doctrina cœleſtis, unde Paulus Rom. 10. v. 18. ad prędicationem Apoſtolorū hunc Pſalmum accomodat. Cùm ergò lex Domini ſive verbum Dei in literas redactum ad animas hominū convertendas & ſapientiam (*σοφίσαι εἰς σωτηρίαν* 2. Tim. 3. v. 15.) ipſis præſtandam dicatur perfecta, profectò nihil neceſſariorum ei deeſſe poterit. Prætereà libri Biblici per totã Eccleſiam vocantur *libri V. & N. Teſt.* *παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης* 2. Cor. 3. v. 14. ex quo ſic concludimus. Omne Teſtamentū legitimè factū & comprobatum plenam

Teſta-

Teſtatoris voluntatem continet, ut nemini liceat *ἐπιδιατάσσεται* Gal.3.v.15. maximè ſi ea fuerit Teſtatoris ſapientia, ut omnia Teſtamento comprehendere potuerit, iſq; animus, ut voluerit. Sed libri Biblici continent ejuſmodi Teſtamentum à Teſtatore ſapientiſſimo & ſalutis humanæ cupidiſſimo profectum. Ergò Teſtatoris voluntatem plenè & perfectè exponunt. Deniq; Scriptura ſacra dicitur *Canonica* ex Pſ.19.v.5. Gal. 6.v.16. quod ne ipſi quidem Pontificij negare poſſunt, ſic enim ſcribit Bellarminus lib.1. de verbo Dei c. 1. *Prophetici & Apoſtolici libri ſunt verum Dei verbum, ac certa & ſtabilis regula fidei.* Jam verò regulam fidei oportet eſſe perfectam, aliàs ne quidem regula erit. Baſil. lib.1. contra Eunom. *Canon & regula quamdiu ei nihil deeſt ad id, ut ſit Canon & regula, nullam recipit additionem, quâ accuratior fiat, additio enim fit propter defectum.* Excipiunt 1. *diſtinguendum eſſe inter doctrinam Apoſtolicam & Scripturam Apoſtolicam; inter verbum Dei in genere & verbum ſcriptum. Doctrinam Apoſtolicam eſſe perfectam, verbum Dei eſſe perfectum, ſed ex eo non ſtatim inferri poſſe, Scripturam Apoſtolicam & ſcriptum Dei verbum eſſe perfectum.* Reſp. petitur principium in eo, quòd poſt editum N.T. Canonem quædam doctrina Apoſtolica extra Scripturam Apoſtolicam & verbum Dei extra Scripturam quærendum ſtatuitur. Quemadmodum poſt editum V.T. Canonem doctrina Prophetica non poterat nec debebat quæri extra Scripturas Propheticas, ut apparet ex collatione Luc.24.v.25.&27. Rom.1.v.2. cum 2.Pet.1.v.19. ita poſt editum N.T. Canonem doctrina Apoſtolica non poteſt nec debet quæri extra Scripturas Apoſtolicas, inde Epheſ.2.v.19. *exſtructi* dicimur *ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum*, h.e. ſuper doctrinam à Prophetis & Apoſtolis propoſitam, ac divitis epulonis fratres jubentur *audire Moſen & Prophetas* Luc.16.v.29. quos non niſi in ſcriptis ipſorum audire poterant. Quemadmodum Eccleſia nititur duntaxat ſcriptâ Prophetarum doctrinâ (quod coguntur agnoſcere Pontificij, niſi Judaicas traditiones, quas pro Moſaica & Prophetica doctrina venditant, acceptare velint) ita quoq; ſcriptâ duntaxat Apoſtolorum doctrinâ nititur, & ſuper eam ædificatur. 2. *diſtinguendum eſſe inter perfectionem debitam & indebitam. Illam Scripturæ non denegari, ſed hanc poſteriorem. Vi perfectioni hominis,* inquiunt, *nihil derogat, quod deſtituitur cornibus, quia hæc eſt indebita perfectio: ita perfectioni Scripturæ nihil derogatur, ſi vel maximè non contineat omnia, quæ ad fidem & mores pertinent, quia hæc eſt indebita perfectio.* Reſp. negamus hanc eſſe indebitam Scripturæ perfectionem, tùm quia Deus ipſe in Scripturis promulgandis hunc finem ſibi habuit propoſitum, ut perfectè in illis traderet, quæ ſunt ad ſalutem ſcitu neceſſaria, tùm quia in ipſis Scripturis de tali earum perfectione teſtatur, tùm quia in ſpecie oſtendi poſt poteſt, omnia quæ vel ad fidem vel ad mores pertinent, in Scripturis proponi. 3. *Diſtinguendum eſſe inter doctrinam generalem & ſpecialem. Scriptura eſt perfecta, non quia in ſpecie omnes fidei articulos tradit, ſed quia in genere docet, unde reliqua ſint petenda.* Reſp. ita verò ſufficiens fuiſſet, ſcribi duntaxat hæc duo verba: *Dic Eccleſiæ*, ex illis enim evincere ſatagunt, Eccleſiam Romanam in omnibus ac de omnibus eſſe audiendam, ſive ſcripta ea ſint, ſive non ſint ſcripta. Quòd ſi hic finis fuiſſet Scripturæ editæ, cur in ſpecie fidei articuli & præcepta morum in illis explicarentur, cùm brevi lineâ potuiſſemus ad Eccleſiam remitti? 4. *Diſtinguendum eſſe inter regulam totalem & partialem. Scripturam ſacram eſſe quidem fidei regulam, ſed non totalem, verùm partialem.* Reſp. regula partialis ne quidem regulæ encomium ſuſtinere poteſt, ut ex dictis conſtat, & ſuo loco pleniùs demonſtrabitur. Aut ergò planè negandum, Scripturam eſſe fidei regulam, aut concedendum eſſe regulam totalem, plenam atque integram.

368. 2. *A cauſa efficiente principali*, quæ eſt Deus ſapientiſſimus & perfectiſſimus. A cauſa perfecta voluntaria perfectum effectum producere volente & non impeditâ perfectus procedit effectus. Talis Scripturæ cauſa eſt Deus, eo quippè fine Scripturas exarari & extare voluit, ut de ſua eſſentia & voluntate plenè ad ſalutem nos inſtruerent, neq; ullum impedimentum huic effectus productioni intervenit vel intervenire potuit. Ergò Scriptura utpotè perfectæ ejuſmodi cauſæ effectus, eſt perfecta. Iren. lib.2. adv. hæreſ. cap.47. *Scripturæ perfectæ ſunt, quippe à Verbo Dei & Spiritu ejus dictata.* Solent aliàs Pontificij operum perfectionem probare ex perfectione cauſæ videlicet Spiritus ſancti à quo oriuntur, cùm tamen hæc cauſa impediatur per infirmitatem carnis in renatis, quò minùs perfectum producat effectum. Rom.8.v.3. quantò nos rectiùs ex perfectione cauſæ perfectæ perfectum effectum producere volentis, & non impeditæ, perfectionem Scripturæ colligimus. *2. à cauſa efficiente principali.*

369. 3. *A materia.* Quæcunque Scriptura omne conſilium Dei de ſalute noſtra proponit, & omnes Chriſtianiſmi partes ita explicat, ut nec addi, nec detrahi quidquam debeat, illa eſt perfecta. Ratio connexionis eſt manifeſta, quia de ejuſmodi perfectione hoc loco propriè quæritur. Jam verò Scriptura S. θεόπνευστος Propheticis & Apoſtolicis libris comprehenſa omne conſilium Dei de ſalute noſtra proponit, & omnes Chriſtianiſmi partes ita explicat, ut nec addi nec detrahi quicquam debeat. Ergò Scriptura ſacra eſt perfecta. Minoris tria ſunt membra. 1. quòd Scriptura ſacra omne conſilium Dei de ſalute noſtra proponat. Illud probatur ex Act.20.v.27. *Non ſubterfugi, quò minùs annunciarem omne conſilium Dei vobis*, cum quo loco conjunge Act. 26.v.22. *Auxilio Dei adjutus uſque in hodiernum diem ſto teſtificans minori ac majori, nihil extrà dicẽs quàm ea, quæ Prophetæ locuti ſunt, futura eſſe & Moſes*, Rom.1.v.1. *Paulus vocatus Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei.* v. 2. *quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis*, ex qua locorum collatione naſcitur ejuſmodi argumentum. Paulus annunciavit ſuis auditoribus omne conſilium Dei ſalutem ipſorum concernens. Paulus nihil docuit extra Scripturas Moſaicas & Propheticas. Ergò in Scripturis Moſaicis & Propheticis omne conſilium Dei de ſalute noſtra proponitur 2. quòd Scriptura omnes Chriſtianiſmi partes explicet. Illud probatur ex 2. Tim.3.v.16. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad διδασκαλίαν, ad ἔλεγχον, ad ἐπανόρθωσιν, ad παιδείαν, in juſtitia.* v. 17. *ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus*; cujus dicti emphaſin expoſuimus tract. de Script. tom.1. Locor. §. 42. hoc loco ſic concludimus. Ex quo poſſumus diſcere fidem *3. à materia.*

in Chri-

in Chriſtum & doctrinam bonorum operum, illud omnes Chriſtianiſmi partes explicat. Ratio eſt, quia fides & opera abſolvunt Chriſtianiſmū. Joh. 8. v. 31. *Si manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis*, cap. 15. v. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* 2. Theſſ. 1. v. 3. *ſupercreſcit fides veſtra & abundat charitas uniuscujusque omnium veſtrûm.* Tit. 1. v. 1. *Secundum fidem electorum Dei & agnitionem veritatis, quæ eſt ſecundùm pietatem.* Philem. v. 5. *audiens charitatem tuam & fidem, quam habes in Domino Ieſu & in omnes Sanctos.* Ignat. Epiſt. 7. τὸ ὅλον πίστις ἡ εἰς Θεὸν καὶ ἀγάπη πρὸς τὸ ὁμόφυλλον. Ex Scriptura poſſumus diſcere fidem in Chriſtum Joh. 20. v. 31. & doctrinam bonorum oper. in Decal. perfectè propoſitam, unde *ad omne opus bonum nos inſtruere* dicitur. 2. Tim. 3. v. 16. Ergò Scriptura S. omnes Chriſtianiſmi partes explicat. Menſura veritatis in rebus divinis eſt intellectus divinus, menſura bonitatis in operibus eſt voluntas divina. Ergò nihil credendum vel faciendum Chriſtiano, niſi ex Scriptura tanquam unica fidei & morum norma certus ſit, Deum id voluiſſe nos credere, & illud à nobis fieri. Si Scriptura S. unum idemq; dogma ſæpiùs inculcat, ac ea etiam proponit, quorum cognitio non eſt abſolutè eo modo ad ſalutem neceſſaria, ut ignorantia cum damnationis periculo ſit conjuncta, conſequens eſt, Scripturam dogmata ad ſalutem neceſſaria perfectè proponere. Ratio eſt, quia nullâ veritatis ſpecie dici poteſt, Scripturas unum idemq; dogma ſæpius inculcare, & in ſuperfluis abundare, in neceſſario autem aliquo deficere. Sed Scriptura unum idemq; dogma ſæpiùs inculcat, & ea etiam proponit, quorum cognitio non eſt abſolutè ad ſalutem neceſſaria. Sic ſeries annorum mundi eſt veritas in Scripturis comprehenſa, cujus tamen notitia non eſt abſolutè neceſſaria. Ergò Scriptura dogmata ad ſalutem neceſſaria perfectè proponit. 3. quòd Scripturæ nec addi nec detrahi quicquam debeat, patet ea dictis Deut. 4. v. 2. *Non addetis ad verbum quod ego præcipio vobis, & non diminuetis ex eo.* cap. 12. v. 32. *Omne verbum quod ego præcipio vobis, illud cuſtodietis, ut faciatis. Non addes ſuper illud neque diminues ex eo.* Prov. 30. v. 5. *Omnis ſermo Dei purgatus, ne addas verbis ejus, ne fortè increpet te, & mendax ſis.* Gal. 1. v. 8. *Sed licet nos aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Apocal. 22. v. 18. *Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum, plagas ſcriptas in libro iſto.* verſ. 19. *Et ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ & de civitate ſancta & de his quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* Probatis igitur ſingulis membris minoris propoſitionis perſtat concluſio, quòd Scriptura ſacra ſit perfecta.

3. Exceptiones ad locum Deut. 4. v 2. cap. 12. v. 32.

370. Pontificij ad ſingula ferè dicta in Syllogiſmo noſtro adducta excipiunt, uti videre eſt apud Bellar. lib. 4. de V. D. cap. 10. Piſtorium in hodeg. p. 17. Gretſerum in defenſ. Bellarm. Tannerum in Dioptr. fidei & c. 1. Deut. 4. v. 2. & c. 12. v. 32. dicunt, 1. *agi non de verbo Dei ſcripto, ſed vivâ voce tradito.* Reſp. 1. diſertè dicitur Exod. 24. v. 4. *quòd Moſes ſcripſerit omnia Dei verba* cap. 34. v. 27. Dominus ipſi præcipit: *Scribe hæc verba, quia juxta ea pepigi fœdus*, quomodo igitur inter doctrinam legis ſcriptam & non ſcriptam hic diſtingui poterit. 2. De illo verbo loquitur Moſes, quòd parentes debebant filios ſuos docere. Deut. 4. v. 9. *facies ea ſcire filios tuos.* At parentes non potuerunt verbum ἄγραφον liberis ſuis inculcare, quia illud ex hypotheſi Bell. non publicè omnibus, ſed privatim paucis quibuſdam, doctoribus ſcilicet communicabatur. 3. Singulariter obſerva manifeſtos Scripturæ textus, in quibus ad ſcriptam Dei legem hæc prohibitio refertur. Deut. 17. v. 18. *Cùm ſederit Rex in ſolio, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine.* v. 20. *ne declinet in dextram vel ſiniſtram.* Deuter. 28. v. 58. *Hæc mala tibi evenient, niſi cuſtodieris & feceris omnia verba legis hujus, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine.* Deut. 27. v. 26. *Maledictus, qui non ſtatuerit verba legis iſtius ad faciendum ea,* (illud Paulus Gal. 3. v. 10. *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.* Ergò ubicunq; in verbis Moſaicis fit mentio legis, intelligenda eſt lex ſcripta) Joſ. 1. v. 7. reperitur mandatum per Moſen olim promulgatum. *Confortare, ut cuſtodias & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moſes, ne declines ab ea ad dextram vel ſiniſtram;* & additur v. 8. *non recedat volumen legis hujus ab ore tuo.* Joſ. 23, v. 6. *Eſtote ſoliciti, ut cuſtodiatis cuncta, quæ ſcripta ſunt in volumine legis Moſe, & non declinetis ab eis, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram.* 4. Conferimus etiam hæc Scripturæ dicta. Rom. 1. v. 2. *Evangelium promiſſum eſt per Prophetas in Scripturis ſanctis.* c. 3. v. 21. *juſtitia fidei habet teſtimonium à lege & Prophetis.* Luc. 1. v. 70. *Per os ſanctorum Prophetarum de redemtione Deus dicitur locutus.* Ergò ſunt ἰσοδυναμοῦντα in Scripturis Propheticis aliquid eſſe prædictum, & viva voce per Prophetas prænunciatum. Idem judicium de doctrina Moſis. Petitur ergò principium in hac exceptione, quòd poſt editum Scripturæ Canonem ſit aliquod verbum non ſcriptum. Confer tract. de Script. §. 47. Altera exceptio eſt, *ſenſum eſſe eum, quòd integrè & perfectè ſervanda ſint mandata, ut Deus ipſe præcepit, non depravanda falsâ interpretatione, nequaquam verò Moſen hoc velle, quod non ſit faciendum aliud, quàm illud, quod tunc præcipiebatur.* Reſp. imò verò utrumq; Deus per Moſen diſertè prohibet, declinare ab eo quod præceptum & præcepto divino aliquid addere. Ipſa additio repugnans divino præcepto eſt ejuſdem depravatio. Ac meritò hîc urgemus contra Pontificios, quod Deut. 12. verſ. 32. in verſione vulgata addatur excluſiva. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eo.* Jam verò vulgata verſio per Concilium Tridentinum facta eſt authentica, ut ab ea non liceat ad fontes provocare. 3. *Si additio eſſet prohibita, peccaſſent Prophetæ & Apoſtoli, qui tam multa poſteà addiderunt.* Reſp. diſtinguendum inter additionem factam arbitrio humano & inſpiratu divino. Illa prohibita cenſenda, hæc verò minimè, non enim Deo, ſed hominibus hoc præceptum datum. Adde quod Prophetæ non addiderint aliquid ἐπιγονικῶς ad legem, ſed eam pleniùs expoſuerint, & vaticinia de Meſſia clarius explicarint, **(quo facit illud Thomæ p. 3. qu. 60. art. 8. arg. 1. *Addere ſignificat aliquid apponere, quod priùs prorſus non erat. Deinde addere ſignificat id quod prius erat clarius explicare, vel ad id quod prius erat, clariorem explicationem adjungere*)** quodq; Apoſtoli expreſsè profiteantur, *ſe nihil docere extra Moſen & Prophetas*, Act. 26. v. 22. unde capita doctrinæ ſuæ ſemper probant ex

bant ex Scripturis. Regerit Bellarminus, *etiam traditiones non eſſe alicujus heterogenei additiones, ſed uberiores duntaxat explicationes.* At diſpar eſt ratio traditionum, quæ ſine autoritate verbi pro Apoſtolicis & divinis venditantur, & explicationum à Prophetis & Apoſtolis divinâ inſpiratione editarum. Illæ ſunt humanæ & incertæ, hæ divinæ & certæ. 4. *aliam eſſe rationem V. ac N. Teſt. In V. Teſt. librum legis Dei digitis fuiſſe ſcriptum, quale quid de libris N. T. nō habetur.* Reſp. de ſolo Decalogo, non de toto legis libro dicitur, quod Deus ſuis digitis eum ſcripſerit, ac ſi vel maximè totus liber Moſaicæ legis Dei digitis ſcriptus eſſet, noo tamen Scriptura N. Teſt. eo ſtatuenda eſſet inferior, cùm ſit θεόπνευστος ejus inſtinctu & inſpiratione edita, qui legem digitis ſuis ſcripſit. Quid quod ex Apoc. 22. v. 18. manifeſtè apparet, prohibitionem illam de noo addendo, nec detrahendo etiam ad N. Teſt. Scripturam pertinere. 5. ad *privatas perſonas hanc prohibitionem ſpectare, ſed Deo liberum eſſe per Eccleſiam aliquid addere.* Reſp. hac exceptione Sacerdotes & Reges idololatrici pro defenſione falſorum cultuum ſpecioſiſſimo colore uti potuiſſent. Et ſanè eadem uſi ſunt. 1. Reg. 22. v. 24. *Quando tranſivit Spiritus Domini à me,* Jere. 18. v. 18. *Non peribit lex à Sacerdote, & conſilium à ſapiente, & verbum à Propheta.* Sed fruſtrà ſibi ejuſmodi privilegium arrogarunt, quia etiam publicas perſonas hoc præcepto obligari conſtat ex dictis Deut. 17. v. 18. Ioſ. 1. v. 7. & exemplis Aaronis. Exod. 32. v. 4. Nadabi & Abihu. Lev. 10. v. 1. &c. 6. *Reges & Sacerdotes ſine peccato quædam addidiſſe & inſtituiſſe. Ezechias celebravit paſcha menſe ſecundo.* 2. Paral. 30. v. 2. *Maccabæi inſtituerunt feſtum encæniorum, approbatum ab ipſo Chriſto* 1. Macc. 4. v. 59 Joh. 10. v. 22. Reſp. quæcunque proferuntur exempla eorum, qui videntur legi aliquid detraxiſſe, in illis proponitur vel caſus neceſſitatis, vel libera quædam Ceremonia legi minimè contraria. In exemplis eorum, qui videntur legi aliquid addidiſſe, proponitur ſpecialis quædam applicatio generalis regulæ in lege traditæ. Lex requirit gratiarum actionem pro ſingularibus Dei beneficiis, in eorum ergò memoriam, qui feſta inſtituerunt, contra legem Dei minimè peccarunt.

Ad locum Joh. 20. v. 31.

371. Ad locum Joh. 20. v. 31. excipiunt. 1. *Ioannem loqui tantùm de miraculis, ac dicere, ſe ſcripſiſſe tantum aliqua miracula non omnia, quia illa ſufficiebant ad perſuadendum mundo, Chriſtum eſſe Dei Filium. Quæ verò de ſolis miraculis dicuntur, ineptè transferuntur ad omnia dogmata fidei & præcepta morum.* Reſp. Concluſio hæc generalis eſt, exponens finem, quare Chriſti dicta & facta in Hiſtoria Evangelica ſint annotata. Bellarminus hoc vocat *mendacium*, cùm in *verbis proximè præcedentibus tantummodo miraculorum fiat mentio.* Sed urgemus contra Bellarm. hoc argumentum. Illa ſufficienter ſcripta eſſe docet Apoſtolus, per quæ concipimus ſalvificam fidem in Chriſtum. Jam verò non ex ſolis miraculis, ſed vel maximè etiam ex cōcionibus Chriſti concipimus ſalvificam fidem in ipſum. Ergò non ſolùm miracula, ſed etiam eoociones Chriſti ſufficienter ſunt ſcriptæ. Si tantum de miraculis Chriſti ſcriptum, quantum ad fidei ædificationem ſufficit, multò magis etiam de concionibus Chriſti tantum erit ſcriptum. Adde quòd verbum ἐποίησεν, quô Johannes hic utitur, cap. 21. v. 25. generaliter de toto Chriſti miniſterio explicetur. Indè præclarè in hunc locum ſic commentatur Auguſtinus tract. 49. in Joh. *Sanctus Evangeliſta teſtatur, multa Dominum Chriſtum & dixiſſe & feciſſe, quæ ſcripta nō ſunt, electa ſunt autem, quæ ſcriberentur, quæ saluti credentium ſufficere viſa ſunt,* ac Cyrill. libr. 12. in Joh. cap. ult. *Non omnia quæ Dominus fecit, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tàm ad mores, quàm ad dogmata putarunt ſufficere, ut rectâ fide & operibus rutilantes ad regnum cælorum pervenire mereamur.* 2. *Iohannem non ſignificare, quod ſigna ſola ſufficiant ad ſalutem, ſed quod ad hoc reſerantur & ordinentur, ac ſint unum ex mediis requiſitis ad noſtram ſalutem, etiamſi ſola non ſufficiant.* Reſp. invertimus argumentum. Ex illis quæ ſcripta ſunt, poſſumus erudiri ad ſalutem, ut teſtatur hoc loco Johannes, eique ὁμόψηφος Apoſtolus Paulus 2. Tim. 3. v. 15. Jam verò ex ſolis miraculis non poſſumus ſufficienter inſtrui ad ſalutem, ut Bellarm. h. l. fatetur. Ergò Johannes per ταῦτα non intelligit ſola miracula. Res ipſa manifeſtè oſtendit, Johannem loqui de tali medio ſalutis, quod non ſolùm utile, ſed etiam ſufficiens. Exponit enim cauſam, quare non plura miracula, nec plures conciones Chriſti annotatæ, videlicet quia ea quæ ex his ſcripta ſunt, ad ſalutem credentibus ſufficere poſſuot. 3. *Iohannem non loqui niſi de rebus à ſe ſcriptis. Quod ſi illa ſufficiunt, reliqua Scripturæ erunt ſuperflua.* Reſp. Primò invertimus argumentum. Si ſolum Johannis Evangelium ſufficiens eſt ad fidem & ſalutem noſtram, univerſa Scriptura erit multò magis ſufficiens. A perfectione partis ad perfectionem totius firmiſſima datur conſequentia. Secundò Johannes non loquitur *excluſivè*, quaſi ſcilicet libros Propheticos & reliquos N. Teſt. libros voluerit excluſos, ſiquidem ad Prophetarum vaticinia in ipſa Hiſtoria Evangelica provocat, ſed loquitur *incluſivè*, ut omnes V. ac N. Teſt. libros complectatur, quia Vet. Teſtam. confirmat Novum, & Novum confirmat Vetus. Tertiò plus eſt in conſequente, quàm antecedens permittit. Quamvis enim ex ſolo Johannis Evangelio ſufficienter aliquis ad ſalutem inſtrui poſſit, tamen reliquæ Scripturæ non ſunt ſuperfluæ, quia Deus eadem doctrinæ cœleſtis capita, quæ in Evangelio Johannis traduntur, etiam in aliis V. & N. Teſt. libris, qui non minùs ac Johannis Evangelium ad Scripturæ Canonem pertineot, uberius tradi & explicari voluit. Teſtis eſt Euſeb. libr. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 24. *Iohannem poſt reliquos Evangeliſtas ſcripſiſſe, & enarrationem eorum approbaſſe,* interim tamen, quæ à reliquis parcius annotata animadvertit, ea cumprimis quæ ante captivitatem Johannis contigerunt, plenius expoſuit. Ne quis igitur obverteret, *ne quidem à Iohanne omnia Chriſti dicta & facta eſſe ſcripta*, tacitæ huic objectioni occurrit & oſtendit, tantum à ſe ſcriptum, quantum ad ſalutem legentibus ſufficit. 4. *dictorum Auguſtini & Cyrilli non eſſe hunc ſenſum, quòd omnia neceſſaria ſufficienter ſint ſcripta, ſed quod ſufficienter ſcripta ſint, quæ Apoſtoli ſcribenda eſſe putaverunt. Cùm enim quædam ſcribenda eſſent, quædam ſine ſcripto tradenda, ac præcipuè interpretatio atque intelligentia Scripturarum, in libris ſacris continentur ſufficienter omnia, quæ ſcriptis erant mandanda, alia enim Chriſtus non ſcribi, ſed ab Eccleſia peti voluit, quæ tamen ſuo etiam modo in Evangelio continentur, non quidem in particulari,*

N *ſed*

Exegeſis

ſed in univerſoli, quia Evangelium monet, ut de rebus dubiis Eccleſiam conſulamus. Reſp. Principium in eo petitur, quod quoſdam fidei articulos extra Scripturam Deus tradere voluerit, qui ab Eccleſia ſint petendi. Diſerta ſunt verba Cyrilli, *quod Apoſtoli ſcripſerint ea, quæ tam ad mores, quam ad dogmata ſufficere judicârint.* Eccleſiæ in Scripturæ interpretatione miniſterium libenter concedimus, magiſterium verò denegamus. In cenſura morum E[illegible]cleſiam compellandam eſſe novimus, novos fi[illegible]i articulos ab ea expectandos eſſe negamus. S[illegible]o duntaxat ſenſu ac reſpectu Scriptura perfectè exponit dogmata ad ſalutem ſcitu neceſſaria, quia remittit nos ad Eccleſiam, tùm certè non opus fuiſſet plura ſcribi, quàm hæc duo verba, *Dic Eccleſiæ* & fruſtraneam ſumſiſſent operam Prophetæ & Apoſtoli, qui doctrinę cœleſtis capita tàm latè exponunt, ac toties eadem repetunt.

Ad locum Gal. 1. v. 8. 372. Ad dictum Apoſtolicum Galat. 1. v. 8. excipiunt. 1. *Apoſtolum non loqui de ſolo verbo ſcripto, ſed de omni verbo ſive ſcripto, ſive tradito, cùm non dicat, præter id, quod ſcripſimus, ſed præter id quod evangelizavimus.* Reſp. Extra Scripturam Apoſtolicam poſt editum N. Teſt. Canonem non debet quæri doctrina Apoſtolica, ſicut extra Scripturam Propheticam poſt editum V. Teſt. Canonem non debet quæri doctrina Prophetica. Paulus Roman. 1 v. 2. ſcribit, ſe hoc Evangelium prædicaſſe, *quod Deus ante promiſit per Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis.* Ergò extra Scripturas Propheticas & Apoſtolicas Evangelium illud, præter quod nihil prædicandum, non debet quæri, inde Chryſoſtomus in comm. h. l. tom. 4. col. 895. dictum Apoſtolicum diſertè de Scripturis interpretatur, ac *Angelis è cœlo deſcendentibus Scripturas præponendas eſſe* dicit. Idem facit Auguſtinus lib. 3. contra liter. Petiliani cap. 6. *Si quis ſive de Chriſto ſive de ejus Eccleſia, ſive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque noſtram, non dicam ſi nos, ſed quod Paulus adjecit, ſi Angelus de cœlo vobis annunciaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & Evangelicis accepiſtis, anathema ſit.* Probet igitur priùs Bellarminus, Apoſtolos quædam duntaxat doctrinæ capita ſcitu neceſſaria literis conſignaſſe, reliqua verò non minùs neceſſaria vivâ duntaxat voce in Eccleſia propaganda prætermiſiſſe. 2. *Per τὸ præter intelligi contra, ac proinde non prohiberi nova dogmata & præcepta, modo non ſint contraria jam traditis, ſed prohiberi duntaxat dogmata & præcepta contraria, tùm quia Apoſtolus ipſe poſteà multa alia docuit, tùm quia diſputat contra eos, qui docebant, ſervanda eſſe legalia, tùm quia ſic accipitur vocula Præter.* Rom. 16. v. 17. *Obſervate eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam didiciſtis, faciunt, tùm denique quia Ambroſius, Hieronymus & alii ex veterib. ſic exponunt.* Reſp. non opus eſt dubiis conjecturis, quid per τὸ παρ᾽ intellectum voluerit Apoſtolus, cùm per τὸ ἕτερον ἢ ὃ ἄλλο clariſſimè ibidem ſit expoſitum. Concedimus prohiberi ea, quæ contra doctrinam Apoſtolicam proferuntur, ſed ex eo inferri nequit, ea tantùm prohiberi, quia prohibita etiam ſunt, quæ præter doctrinam illam proferuntur, ut textus liquidiſſimè teſtatur. Theophylact. in comm. h. l. *Nec ſi contraria ſolùm prædicaverint, intulit; ſed ſi evangelizaverint præter id, quod ipſi evangelizavimus, ſi pluſculum quippiam ipſi adjecerint.* Pſeudo Apoſtoli, contra quos Apoſtolus ibi diſputat, contendebant ſuam doctrinam non eſſe Evangelio Apoſtolorum contrariam, ſed illud supplere ac perficere, unde & ipſi ad autoritatem ſummorum Apoſtolorum provocabant Galat. 2. v. 6. Quod attinet ea, quæ Apoſtolus poſt hanc ad Galatas Epiſtolam docuit ac ſcripſit, illa fuerunt prorſus homogenea doctrinæ jam antè vivâ voce vel ſcripto traditæ, *nihil enim docuit extra Moſen & Prophetas.* Actor. 26. v. 22. ab illis igitur ad traditiones heterogeneas & Scripturæ ſi non adverſas, tamen ab ea diverſas argumentum duci nequit. Quamvis enim traditiones, *quæ pari pietatis affectu* cum iis quæ ſcripta ſunt, recipiendæ à Pontificiis Eccleſiæ obtruduntur, non ſemper pugnent cum ſpecialibus Scripturæ dictis, tamen pugnant cum generalibus mandatis *de non addendo.*

373. Ad locum 2. Tim. 3. v. 15. & 16. excipiunt. Ad locum 2. Tim. 3. v. 15.
1. *Scripturam eo modo ſufficienter inſtruere & perficere hominem Dei, quia multa expreſsè continet, & quæ non continet, oſtendit, unde ſint petenda.* Reſp. Principium iterum petitur, cùm nondum probatum ſit, nec probari poſſit, dogma aliquod fidei ſalvificæ ab Eccleſia petendum, quòd non extet in Scripturis. Nuſpiam Scriptura docet ex ſcrinio Papalis pectoris, vel ex traditionum cumulo nova quędam dogmata in Scripturis non revelata eſſe petenda, ſed ipſa de neceſſariis nos ſufficienter inſtruit, contra omnis generis adverſa conſolatione nos roborat, contra omnis generis hæreſes nos armat, ad omne opus bonum nos informat, non modò monſtrando unde illa ſint petenda, ſed particulatim & in ſpecie ea tradendo, unde cùm dixiſſet Apoſtolus, *Scripturam nos eo pieus, ſapientes reddere ad ſalutem,* ſcilicet per fidem in Chriſtum, poſteà in ſpecie exponit, quid Scriptura in hac informatione nobis conferat, doctrinam ſcilicet, confutationem, correctionem & inſtitutionem in juſtitia. 2. *Non ſolùm toti corpori Scripturarum, ſed etiam ſingulis libris hanc laudem ab Apoſtolo tribui, quòd utiles ſint ad docendum, arguendum, ut oſtendit πρὸς διδασκαλίαν πᾶσα γραφὴ, nec tamen quilibet liber Biblicus ad ea ſufficit.* Reſp. Syncategorema πᾶσα hoc loco non accipitur *diſtributive* pro ſingulis Scripturæ libris ac dictis, ſed *collectivè*, ut πᾶσα ſit idem quod tota, quo ſenſu etiam Dionyſius Carthuſianus in comm. accipit. De Natura & quantitate ſubjecti judicandum eſt ex prædicatis. Jam verò talia ac tanta de Scriptura ſacra, cùm in ſequentibus, tùm in antecedentibus verbis prædicantur, quibus ſinguli libri, ſingula capita, ſinguli verſiculi, dicta ſingula non ſunt paria, ſed totum ſyſtema Bibliorum, ad quod pertinent non ſolùm libri Vet. Teſtamenti, ſed etiam libri Novi Teſtamenti, qui Apoſtolo Epiſtolam hanc poſteriorem ad Timotheum ſcribente jamtum extabant, videlicet trium Evangeliſtarum Matthæi, Marci & Lucæ Hiſtoriæ Evangelicæ & Epiſtolæ Apoſtolicæ ferè omnes exceptis ſcilicet iis, quæ Johannes literis prodidit. In Epiſtola enim ad Romanos Timotheus ſalutem ſuam adſcripſerat, priorem ad Corinthios attulerat, poſteriori ad Corinthios, utrique ad Theſſalonicenſes, Itemque illi, quæ eſt ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Philemonem ſubſcripſerat, & priorem ad ſe ſcriptam legerat. Totum proindè Scripturæ Canonicæ ſyſtema Apoſtolus conſiderat, quòd Ti-

motheo

motheo *a puero* notum eſſe dixerat, ac de libris illis omnibus, qui ad Scripturæ Canonem pertinebant, & in eo jamtum extabant, hoc elogium Apoſtolus prædicat. Eo ſenſu vocabulum πᾶσα uſurpatur Matth.3.v.5. *exibat ad Iohannem πᾶσα ἡ Ἰουδαία*. Col.2.v.9. *In Chriſto habitat πᾶν πλήρωμα, tota plenitudo Deitatis*. Regerit. Bell.1. *judicio omnium Latinè ſcientium, quod dicitur de omni Scriptura, id dicitur etiam de ſingulis libris, tanquam ejus partibus*. Reſp. procederet hoc, ſi particula πᾶσα acciperetur *diſtributivè*, jam verò accipitur hoc loco *collectivè*, ut oſtendimus. Syriaca paraphraſis ad verbum ſic habet. *In Scriptura eſt utilitas ad doctrinam &c.* niſi quis ſtatuere velit על poſitum pro כל 2. *Cùm hac Epiſtola ſcriberetur, nondum extabat Evangelium Iohannis, nec Apocalypſis, & fortè aliud deerat ex corpore Scripturarum*. Tiletan. in refut. Confeſſ. Antuerp. audaciùs: *Cùm hæc ſcriberet Apoſtolus, nulla alia extabat Scriptura, quam V. Teſt.* Reſp. imò verò extabat Epiſtola ad Romanos & reliquæ ab Apoſtolo ſcriptæ, antequam Romam veniret. Lucas finit ſua Acta cum Pauli ad urbem adventu, cùm Evangelium ſuum jam ante ſcripſiſſet, atque ante eum Matthæus & Marcus ſcripſerunt. Quamvis verò nondum omnes N. Teſt. libri jamtum extarent, cùm Apoſtolus hæc ſcriberet, nihilò tamen minùs libri ſacri, qui tunc extabant, poterant Timotheum & omnes pios σοφίσαι, *ſapientes reddere ad ſalutem, & ad omne opus bonum inſtruere*, ideoq́ue elogium illud meritò ipſis tribuit. Invertimus proindè argumentum. Si nondum extantibus omnibus N. Teſt. libris, Apoſtolus verè de Scriptura pronunciare potuit, quòd ſit perfecta & ſufficiens, multò magis hodiè extantibus omnibus N. Teſt. libris eidem hanc perfectionem tribuere poſſumus. Sed verum prius. Ergò etiam poſterius. Quòd ſi vel maximè tantùm V. Teſt. libri tunc extitiſſent, nihil tamen hoc præjudicaret noſtro argumento, quia perfectio Canonis non eſt æſtimanda ex quantitate librorum, ſed ex perfectione dogmatum, quæ in libris Canonicis quolibet tempore extantibus ſufficienter fuerunt tradita, ac Spiritus ſanctus in generalibus illis pronunciatis non unum hominem, nec præſens duntaxat tempus, ſed futurum reſpicit. 3. *Apoſtolus ex principio univerſali vult concludere in particulari, Scripturam V. Teſt. quæ ſola tunc extabat, cùm Timotheus eſſet infans, utilem fuiſſe ad docendum, arguendum &c. quia divinitus erat inſpirata*. Reſp. Apoſtolus ab exhortatione, quâ Timotheũ monuerat, ut in doctrina Chriſtiana utpotè ſacris literis conſentanea conſtanter permaneret, tranſit ad encomium totius Scripturæ. Cùm enim tempus ſuæ ἀναλύσεως & immolationis in propinquo eſſe videret 2.Tim.4.v.6. voluit Timotheo Scripturam commendare, ad cujus regulam & præſcriptum officium ſuum adminiſtraretur. Nomine verò Scripturæ generaliter intelligit omnes libros Biblicos, qui tunc extabant, ſiquidem iſtud ἀπὸ βρέφους ita notat Timothæi ætatem puerilem, ut ſimul includat tractum totius temporis, quod inter pueritiam & præſentem ætatem Timothei interceſſerat, in quo Scripturæ N. Teſt. libri complures editi fuerant Timotheo nequaquam incogniti, nec ab ipſo neglecti. Sic ergò concludimus. De ſola & omni illa Scriptura loquitur Apoſtolus, quæ eſt θεόπνευστος. Jam verò libri illi N. Teſt. qui jamtum, cùm hæc ſcriberet Apoſtolus, extabant, non minùs ſunt θεόπνευστοι quàm V. Teſt. libri. Ergò de illis etiam loquitur Apoſtolus. Ac ſemper urgemus illud, quod ſuperiùs monuimus, Si Apoſtolus hanc perfectionem tribuere poteſt Scripturæ, cùm nondum extarent omnes V. Teſt. libri, multò magis hodiè eam Scripturæ tribuere poſſumus, cùm omnes V. & N. Teſt. libri jam extent. 4. *De utilitate loquitur Apoſtolus, non de ſufficientia. Qui dicit, cibum eſſe utilem ad nutriendum, dicit quidem cibum ad hoc inſtitutum eſſe, ut nutriat, ſed non dicit, ſufficere ſolum cibum. Sic Apoſtolus dicit, Scripturam prodeſſe & juvare ad docendum, arguendum &c. ſed non dicit ſolam ad eam ſufficere*. Reſp. duplex eſt utilitas, una *adæquata, totalis ac ſufficiens*, quæ omnem omninò indigentiam aufert; altera *partialis*, quæ non ſola, ſed cum aliis adminiſtris indigentiam tollit, de priore Apoſtolum hîc loqui, oſtendimus tali argumento. Quicquid ita utile eſt ad docendum, arguendum &c. ut perfectum reddat hominem, illud ſufficienter eſt ad illum finem utile. Scriptura ita utilis eſt ad docendum, arguendum &c. *ut hominem reddat perfectum*. verſ.17. ἐξηρτισμένον *& ad omne opus bonum inſtructum*. Ergò Scriptura eſt ſufficienter utilis. Ratio majoris propoſitionis eſt manifeſta, quia perfectio effectus teſtatur de perfectione cauſæ. Facilè concedimus, non omne utile eſſe ſtatim perfectum, interim tamen aliquod utile poteſt eſſe ſimul ſufficiens; ac tali modo utilem eſſe Scripturam, oſtendunt ipſa verba Apoſtoli. Dicit enim *hominis Dei*, id eſt, Eccleſiæ Doctori ita *utilem eſſe* Scripturam *ad omne opus bonum*, hoc eſt, ad ea, quæ ad officium ipſius rectè adminiſtrandum requiruntur, ut Eccleſiæ doctor, inde evadat ἄρτιος *& ad omne opus bonum inſtructus*. ἄρτιος ſignificat id, quod eſt *integrum, perfectum & abſolutum*. Suidas ἄρτια λέγεται τὰ ἡρμοσμένα, τέλεια καὶ ὑγιῆ, ab illo deſcendit, ἐξαρτίζω, quod eſt, *perfectum & abſolutum reddo*, inde Oecumenius ἐξηρτισμένος explicat πεπληρωμένος. In quibuſdam Codd. legitur ἐξηρτυμένος, ſed hæc lectio eſt recens. Præterea ἐξαρτίσθαι Suidæ idem eſt quod ἐκπληρωθῆναι. In Syriaca paraphraſi eſt vocabulum גמיר quod notat *perfectum & abſolutum*. At ſi Scriptura ad Doctorem Eccleſiæ in officio ſuo inſtruendum ſufficienter utilis eſt, utique etiam ad reliquos Chriſtianos rectè inſtituendos ſufficienter utilis erit. Sed verum prius. Ergo etiam poſterius. Thom. in comm. h. l. *Quadruplex eſt effectus Scripturæ, ſcil. docere veritatem, arguere falſitatem, quantum ad ſpeculativam; eripere à malo, & inducere ad bonum, quantum ad practicam. Ultimus ejus effectus eſt, ut perducat hominem ad perfectum. Non enim qualitercunque bonum facit, ſed perficit*. Eſt qui diſtinguit inter duplex utile. Unum κατὰ συμβεβηκὸς *& ſecundariò*. Eo modo poteſt eſſe utile ad aliud, propter quod tamen non eſt factum. Alterum eſt utile *primò & per ſe*, quod ab efficiente propter hoc ipſum, ad quod eſt utile, factũ. Scriptura poſteriore modo eſt utilis, ac tale utile ſi procedat à cauſa perfecta, etiam conſuevit eſſe perfectum & ſufficiens. Loqui verò Apoſtolum de utili poſterioris generis oſtendit, tùm vocula θεόπνευστος, quæ ad cauſam efficientem Scripturæ perfectam nos deducit, tùm ſubjecta enumeratio omnium partium, quæ ad cauſam finalem pertinet, dicitur enim Scriptura utilis ad διδασκαλίαν,

ἔλεγχον, παιδείαν καὶ ἐπανόρθωσιν, ac cõſequenter ad ſalutem, quâ ratione cauſa ſalutis noſtræ organica ſtatuitur Scriptura ſacra. Jam verò quando de organo in ſubjecto adæquato enunciatur utilitas, tùm idem valet, quod ſufficientia, ſicut panis, quia utilis eſt ad ſedandam famem, ideò etiam ad hunc finem eſt ſufficiens.

Ad locum Apoc.22. v.18. 374. Ad locum Apoc.22.v.18. excipiunt, *Johannem ibi prohibere corruptionem ejus libri, non autem ne alii libri ſcribantur, aut alia dogmata tradantur, alioqui ſecum ipſe pugnaſſet, quia Evangelium ſcripſit poſt Apocalypſin.* Reſp. Scotus in prolog ſent. quæſt.3. art.3 rectè ſtatuit, hæc non de ſolo Apocalypſeos libro, ſed de univerſa Scriptura eſſe dicta. Prohibetur igitur his verbis non ſolùm libri Apocalyptici (ac propter homogeneam eum eo Naturam reliquorum etiam librorum Biblicorum) corruptio, ſed inſuper novarum Scripturarum ac novorum dogmatum additio ab aliis præterquam ſanctis Dei hominibus Spiritus ſancti immediato impulſu loquentibus & ſcribentibus profecta. Quiſquis enim dogmata quædam tanquam Apoſtolica proponit, quæ in Apoſtolicis libris non extant, is non minùs doctrinam Apoſtolicam corrumpit , quàm qui libros nothos ac ſuppoſititios Apoſtolis tribuit, vel Scripturas Apoſtolicas corrumpit.** Tertullian. adv. Hermog. *Scriptum eſſe doceat Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat væ illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum.***

4. à fine & effectu. 375. 4. *A fine & effectu.* Ex quo modus ſalutis conſequendæ diſci poteſt , illud eſt perfectum , perfectione ſcilicet eâ , de qua hoc loco quæritur. Jam verò ex Scriptura modus conſequendæ ſalutis perfectè diſci poteſt. Ergò Scriptura eſt perfecta. Aſſumtum probatur ex ſequentibus Scripturæ dictis. Luc.1.v.4. finis Scripturæ N. Teſt. ſtatuitur ἀσφάλεια, ea verò locum habere nequit abſque perfecta & ſufficiente neceſſariorũ ad ſalutem explicatione. Luc.16.v.29. *habent Moſen & Prophetas, audiant illos.* Si divitis epulonis fratres ex Moſe & Prophetis poterant perfectè diſcere, quomodo cruciatus gehennæ evitandi, utique etiam vitæ ſalutis conſequendæ ex Moſaicis & Propheticis ſcriptis diſcere poterant. Joh.5.v.39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere,* quam præclaram Judæorum de Scriptura exiſtimationem Chriſtus nequaquã taxat, ſed approbat. & modum oſtendit, quomodo in Scriptura vitam æternam invenire poſſint, videlicet ſi promiſſum Meſſiam in eo unicè quærant. Johan 20.v.31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis quòd Ieſus ſit Chriſtus Filius* DEI, *& ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Finis ergò Scripturę eſt, ut per fidem in Chriſtum ex ea diſcamus, & ex ea erudiamur ad vitam æternam. 2.Tim.3.v. 15. *ſacræ literæ poſſunt te σοφίσαι εἰς σωτηρίαν per fidem, quæ eſt in Chriſto,* qui locus priori eſt planè parallelus. σοφίσαι plus eſt quàm inſtruere, ſignificat enim *ſapientem reddere,* jam verò ſapientia eſt omnium habituum intellectualium præſtantiſſimus & perfectiſſimus. 2.Pet.1.v.19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem , cui benè facitis , quod attendatis velut lucernæ ſplendenti in loco caliginoſo, donec illuceſcat dies, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Quidam exiſtimant, in his verbis cõterri invicem ſtatum credentium ante converſionem & in converſione hoc ſenſu, quòd lucifer divinæ & ſalutaris cognitionis Chriſti per ſermonem Propheticum in cordibus oriatur. 2.Cor.4. v.6. ſed concinnius eſt referre ad collationem hujus & futuræ vitæ. Status hujus vitæ comparatur loco obſcuro, qui indigeat ſplendore alicujus lucernæ. Status futuræ vitæ comparatur claro diei, in quo Chriſtus lucifer noſter luce pleniſſimâ mentes implebit. Petrus igitur hortatur credentes, ut ſermoni Prophetico nõ niſi in ſcriptis Prophetarum hodiè ſonanti Luc.3.v 4. Actor.13. v. 27. in hujus vitæ caligine diligenter attendebant, donec ad lucem vitæ æt. aſpirent. προσέχειν ſignificat non ſolùm animum adhibere, attendere , ad rem aliquam attentum eſſe , ſed etiam obtemperare, permanere ac perſiſtere. Sic ergò ex hoc loco concludimus. Quicquid eſt lucerna deducens nos per obſcuram hujus vitæ vallem ad futuræ vitæ lucem, illud etiam ad ſalutem perfectè nos inſtruit. Sed ſermo Propheticus in Scripturis ſonans deducit nos ad ſalutem vitæ æt. Ergo ad ſalutem perfectè nos inſtruit. 1.Joh.1. v.4. *hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum,* ubi obſerva. 1. Eadem quæ annunciarunt Apoſtoli, ipſi etiam ſcripſerunt, ut patet ex verſ.3. jam verò omnia neceſſaria annunciaverunt. Ergò etiam omnia neceſſaria ſcripſerunt. 2. Johannes loquitur non de ſolo, ſed de omnibus reliquis N. Teſt. ſcriptoribus. 3. Scripturæ finis & effectus ſtatuitur, ut gaudium piorum ſit perfectum. Utique ergò voluntas Dei de ſalute noſtra perfectè in verbo ſcripto proponitur.

376. Dicta Patrum, in quibus Scripturæ perfectionem nobiſcum agnoſcunt , adduximus tom.1. Loc. tract. de Script. §.53. quibus addi poſſunt ſequentia. *Dicta veterum de Scriptura perfectione* Dionyſius Areopagita citante Gerſone de exam. doctrin. part.2. conſid.1. *nihil audendum dicere de divinis, niſi quæ nobis à Scriptura ſacra tradita ſunt.* Juſtinus in Dial. cum Tryph. p.198. *Ne turbemini* (vos Judæi) *quin alacriores potiùs auditores & inveſtigatores eſſe perſeverate , Magiſtrorum veſtrorum traditionem parvifacientes, non enim perindè quæ per Deum à Prophetico Spiritu ſunt dicta intelligere, atque ſua ipſorum dogmata docere malle comperiuntur.* pag. 207. *Non humanis traditionibus & doctrinis juſſi ſumus à Chriſto ipſo credere, ſed eis, quas B. Prophetæ promulgarunt, & ipſe Chriſtus tradidit.* In ἐκθ. πίς. pag.294. *Apud Eccleſiæ alumnos non ad humanas rationes & cogitationes dirigenda ſunt res divinæ, ſed ad ſenſum & voluntatem doctrinæ Spiritus oratio & interpretatio accommodanda.* In quæſt. & reſp. ad orthod. q.31. p.320. *Hoc quia non ſub ſancta Scriptura teſtimonio adducis,* ἄπιστον *incredibile eſt,* Iren. libr.1. adv. hæreſ. cap.1. Τοιαύτης τῆς ὑποθέσεως αὐτῶν οὔσης, ἣν οὔτε Προφῆται ἐκήρυξαν, οὔτε ὁ Κύριος ἐδίδαξεν, οὔτε Ἀπόστολοι παρέδωκαν, ἣν περὶ τῶν ὅλων αὐχοῦσι πλεῖον τῶν ἄλλων ἐγνωκέναι, ἐξ ἀγράφων ἀναγινώσκοντες, καὶ τὸ δὴ λεγόμενον ἐξ ἄμμου σχοινία πλέκειν ἐπιτηδεύοντες. *Qui extra Scripturas argumentantur, ex arena funiculos nectunt.* libr.3. cap.1 in princ. *Apoſtoli id Evangeliũ, quod prædicaverunt, in Scripturam poſtea per Dei voluntatem redegerunt fundamentũ & columnam fidei noſtræ futurum.* libr. ejuſd. cap.9. p.179. *Sequi nos oportet, ſiquidem illorum* (Prophetarum & Apoſtolorum) *ſumus diſcipuli, teſtimonia illorum ita ſe habentia.* lib. ejuſd. c.11. p.186. *Eccleſiæ columna & firmamentum eſt Evangelium & Spiritus vitæ.* lib. ejuſd. c.12. p.192. *Nunquid perfectam tunc cognitionem* (de Deo) *nondũ habebat Petrus, quam poſteà*

poſteà adinvenerunt hi? imperfectus igitur ſecundùm hos Petrus, imperfecti autem & reliqui Apoſtoli, & oportebit eos reviviſcentes horum fieri diſcipulos, ut & ipſi perfecti fiant. Sed & hoc quidem ridiculum eſt. Arguuntur verò iſti non quidem Apoſtolorum, ſed ſuæ malæ ſententiæ eſſe diſcipuli. lib. 4. cap. 63. p. 292. Agnit. o vera eſt Apoſtolorum doctrina & antiquus Eccleſiæ ſtatus in univerſo mundo & charactere corporis Chriſti. lib. ejuſd. cap. 69. p. 300. Nos unum & ſolum verum Deum doctorem ſequentes, & regulam veritatis habentes ejus ſermones de iiſdem ſemper eadem dicimus, omnes unum Deum ſcientes factorem hujus univerſitatis. De eodem Irenæo commemorat Euſeb. lib. 5. Hiſt. cap. 18. quòd in Epiſtola ad Florinum ſcripta referat, ſe adhuc puerum cum Polycarpo in Aſia inferiori fuiſſe, ex quo audiverit omnia Scripturis conformia. Locum (inquit) ipſum commemorare queo, in quo Beatus Polycarpus ſedens diſſerebat, deindè & egreſſus illius & ingreſſus & vitæ characterem ac corporis ſpeciem, denique & ſermones, quos fecit ad multitudinem, & quomodo ſe cum Iohanne ac reliquis, qui DOMINVM viderunt, converſatum eſſe dixerit, & ſermones eorum memoraverit, & quæ ex illis de DOMINO audiverit, & virtutibus ejus & doctrina, tanquam ex illis, qui ipſi verbum vitæ viderant, præcepta, & πάντα σύμφωνα ταῖς γραφαῖς recenſuerit. ** Tertull. de reſurrect. carnis cap. 3. Non recipio, quod extra Scripturam de tuo infers. Si tu es Apoſtolicus, cum Apoſtolis ſenti. ** Origenes in præfat libr. περὶ ἀρχῶν part. 1. pag. 665. Omnes qui credunt, & certi ſunt, quòd gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta ſit, & Chriſtum veritatem eſſe norunt ſecundùm quod ipſe dixit, ego ſum veritas, ſcientiam, quæ provocat homines ad benè beateque vivendum, non aliundè quam ab ipſis verbis CHRISTI doctrinaque ſuſcipiunt. Chriſti autem verba dicimus non his ſolùm, quæ homo factus, atque in carne poſitus docuit, & prius namque Chriſtus Dei verbum in Moſe atque Prophetis erat &c. ſed & poſt aſſumtionem ejus in cœlos, quod in Apoſtolis ſuis locutus ſit, Paulus indicat: An probamentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Chriſti? libr. 3. in comment. cap. 3. Romanor. ante med. Paulus, ut ei moris eſt, de Scripturis ſanctis vult affirmare, quòd dixerat, ſimul & doctoribus Eccleſiæ præbens exemplum, ut ea, quæ loquuntur ad populum, non propriis præſumta ſententiis, ſed divinis munita teſtimoniis proferant. Cyprianus tractat. de ſimplic. prælatorum poſt med. Filii Aaron, qui impoſuerunt altari ignem alienum, quem non præceperat Dominus, in conſpectu ſtatim Domini vindicantis extincti ſunt, quos imitantur ſcil. atque ſectantur, qui Dei traditione contemta alienas doctrinas appetunt; & Magiſteria humanæ inſtitutionis inducunt, quos increpat Dominus, & objurgat in Evangelio ſuo dicens: Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis. Athanaſius libr. de incarnat. Domini pag. 546. Si diſcipuli eſtis Evangeliorum, ne loquamini contra Deum iniquitatem, ſed per Scripturas incedite. Quòd ſi diverſa à Scripturis fabulari vultis, cur nobiſcum concertatis, qui neque loqui, neque audire ſuſtinemus, quòd extraneum ſit ab iſtis. ** ἐκτὸς τῶν γεγραμμένων extra ea quæ ſcripta ſunt, eſt in Græco. Et poſtea. Quæ igitur eſt iſta veſtra immodeſtia veſtra ἀκαιρία, ut loquamini quæ ſcripta non ſunt & cogitetis, quæ aliena ſunt à pietate. ** Hilarius lib. 3. de Trinit. circa fin. Hoc ſolùm de

Exegeſis

Deo benè credi intelligamus, ad quod de ſe credendum ipſe ſibi nobiſcum & teſtis & autor exiſtit. ** Idem lib. 4. de Trin. Nihil quod extra Evangelium ſit, defendam. Cyrill. Hieroſ. cat. 4. Neceſſe eſt non ſine ſacris Scripturis temerè quicquam tradere, neque mihi hæc dicenti ſimpliciter credas, niſi demonſtrationem horũ ex ſacris libris accipias. ibid. Oportet de divinis myſteriis ne minimum quidem ſine ſacris Scripturis tradere. ** Cyrill. in Levitic. libr. 6. Hæc ſunt duo Pontificis opera, ut à Deo diſcat, divina legendo Scripturas & ſæpius ruminando aut populum doceat. Item illa doceat, quæ ipſe à Deo didicerit, non ex proprio corde vel humano ſenſu, ſed quæ Spiritus docet. ** lib. de fide. Nihil addendũ, quod vel Specie bonum eſt. Nam addidit mulier, neque tangetis ex eo quicquã, prima ſpecie nil offenſionis habet, ſed tamen lapſus incipit eſſe principiũ. ** Baſil. moral. ſum. 26. c. 1. Oportet omne verbum aut rem confirmare, teſtimonio ſacræ Scripturæ ad certitudinem quidem & perfectionem bonorum, ad confuſionem verò malorum. in ſerm. contra Sabell. & Ariũ circa med. Vos autem hortamur, ut ne omni modo, quod nobis placet audire, quæratis, ſed quod Domino complacet, & conſonũ eſt Scripturis. Vinc. Lyrinenſ. adverſ. prof. vocũ nov. c. 41. Scripturarũ Canon ſufficit ad omnia ſatis ſuperque. Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 4. tom. 1. p. 155. Num repudiabimus divina oracula & ipſorum opiniones ſequemur? ſed non Deus alienis aſſertionibus, ſed ſuis æſtimandus eſt vocibus. ** lib. 3. Hexaëm. cap. 3. & 6 lib. 2. de vocat gent. c. 3. Quod apertè ex Scripturarum autoritate non didici, illud quaſi ſecretũ prætereo. Satis eſt ad ſcientiam, quod Scripturarum divinarũ ſeries comprehendit. Sanctis Scripturis non loquentibus quis loquatur? ** Hieronym. in cap. 1. Hagg. v. 11. Sed & alia, quæ abſque autoritate & teſtimoniis Scripturarum quaſi traditione Apoſtolicâ ſponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei. In præf. ſuper omnes Epiſt. Paul. in princ. In Evangeliis nobis exempla & præcepta vivendi pleniſſimè digeſta ſunt. in proœm. comm. in Epiſt. ad Eph. Ratio omnis & ſermo divinis literis continetur, adv. Helvid. tom. 3. fol. 6. Vt hæc, quæ ſcripta ſunt, non negamus; ita ea, quæ non ſunt ſcripta, renuimus. Auguſt lib. 9. de civ. Dei cap. 5. Scripturâ divinâ eruditio Chriſtiana continentur. libr. 19. de civit. Dei cap. 19. Civitas cœleſtis credit Scripturis ſanctis & veteribus & novis, quas Canonicas appellamus, unde fides ipſa concepta eſt, ex qua juſtus vivit, per quam ſine dubitatione ambulamus, quãdiu peregrinamur à Domino, quà ſalvâ atque certâ de quibuſdam rebus, quæ neque ſenſu, neque ratione percipimus, neque nobis per Scripturam Canonicam claruerunt, nec per teſtes, quibus non credere abſurdum eſt, in noſtram notitiam pervenerunt, ſine juſta reprehenſione dubitamus. lib. de paſtorib. cap. 14. Ego vocem Paſtoris inquiro. Lege mihi hoc de Propheta, recita de lege, recita de Evangelio, recita de Apoſtolo. ** de unitat. Eccleſ. cap. 6. Legite nobis hoc de Lege, de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Evangelio, de literis Apoſtolicis & credemus. ** Chryſoſtomus opere impert. in Matth. hom. 49. Quia in Eccleſiis Chriſti frequenter exeunt ſeductores, propterea nullus omnino credendum eſt, niſi ea dicant vel faciant, quæ ſunt convenientia Scripturis. Homil. 6. de Spiritu S. adorando. Quod non eſt ſcriptum, non eſt ſentiendum. ** Idem orat. 24. in Geneſ. Dominum benignum habemus. Et ubi viderit nos ſollicitos eſſe & magnũ

*deſiderium ad divina oracula intelligenda afferre, non permittit nos ulla re indigere, ſed ſtatim illuſtrat intellectum noſtrum & illuminationem ſuã largitur, quodque ſapia ejus proclive eſt, univerſam illam veram doctrinam menti noſtræ inſerit.*** Theophylact. in cap. 10. Joh. *Fur eſt, qui non per Scripturas ingreditur in ſtabulũ ovium, & ita per illas deprehenditur ſed aſcendit aliunde, h. e. aliam ſibi viam & inſolitam parat, ſicut & corrupti ſunt. Talis erit Antichriſtus, non enim ex Scripturis illius teſtimonia.* **Idem in comm. 2. Tim. 3. *Correctio & emendatio fit ex Scripturis, ut nihil bonorum deſit homini Dei. Quocirca ſi tu quoque velis perfectus eſſe & ſanus, vel ſemper idem, neq; in triſtibus contractus, neque in commodis inflatus quod evenire ſolet iis, qui inſtabili mente fluctuant, has habe conſultrices pro me.*** Idem in comm. c. 2. Actor. ex Severiano quopiam præclaram hanc adducit ſententiam, *nihil aliud diſſolvere quæſtiones & dubitationes, niſi Propheticum teſtimonium. Quapropter emergente aliquâ quæſtione intricatâ & inexplicabili non eſſe confugiendum ad cogitationes rationesq; proprias quæ ſoleant everti & conſiſtere, vocem autem divinam nullo modo everti*, λογισμὸς, inquit, λύεται, γραφὴ οὐ λύεται. Carolus Magnus in legibus Eccleſiaſticis excuſis Pariſiis Anno 1550. lib. 1. cap. 19. ſtatuit, *ut ſoli Canonici libri in Eccleſiis legerentur.* cap. 76. *Ne Epiſcopi & Parochi figmenta hominum & quidquam ex ſuo ſenſu, ſed purum Dei verbum prædicarent populis, curarentq; ſe exercere in ſcientia veritatis, ut verbum Dei currat, creſcat & multiplicetur, & ſuperſtitiones, præſertim in exequiis mortuorum, eradicentur.* Nicephorus lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 23. adducit dictum Apollinaris in princip. libri contra Alcibiaden. *Evangelicis & Novi Teſt. libris certè, qui ſibi ex præſcripto Evangelii vitam degendam conſtituit, neque adjicit neque adimit quidquam.*

Confeſſio Scholaſticorum & quorundã Pontificiorum.

377. Scholaſticorum & recentiorum Pontificiorum confeſſionem d. l. adduximus, quorum dictis ſequentia addi poſſunt. Lombard. 1. ſent. diſt. 11. lit. B. *Evangelium fidem integram continet.* Thomas in Dionyſ. libr. de div. nomin. cap. 1. fol. 181. *Nullus poteſt verè loqui de Deo vel cogitare, niſi quantum à Deo revelatur, quæ quidem divina revelatio in Scripturis ſanctis continetur.* Idem in Lombard. 3. ſent. diſt. 3. quæſt. 1. art. 1. citat ex Hieronymo. *Non mihi credas, ſi quid tibi dixero, quòd ex Veteri Teſtamento vel Novo haberi non poſſit.* part. 3. in ſupplem. quæſt. 6. artic. 6. *Quia Eccleſia fundatur in fide, & in Sacramentis, ideò ad miniſtros Eccleſiæ novos articulos fidei edere, aut editos removere; aut nova Sacramenta inſtituere; aut inſtituta removere non pertinet, ſed hoc eſt poteſtatis & excellentiæ, quæ ſoli debetur Chriſto, qui eſt Eccleſiæ fundamentum.* In cat. aurea Luc. 16. *fideles illis tantùm micis, hoc eſt, dogmatibus paſci, quæ de menſa Domini, id eſt, Scriptura ſancta cadunt*, aſſerit. Scotus in præfat. Lomb. *Patet, quòd Scriptura ſufficienter continet doctrinam neceſſariam viatori.* Antoninus part. 1. Summ. tit. 1. cap. 3. §. 1. *Vera Theologia pleniſſimè habetur in Biblia à Spiritu ſancto revelata, ideò veriſſima.* Hervæus in præfat. ſuper Epiſt. Pauli fol. 1. col. 1. dicit, *in Evangelio nobis exempla & præcepta vivendi pleniſſimè digeſta eſſe.* De Antonio Eremita referunt Jacobus de Voragine in ipſius vita, & Petrus Cantor in verbo abbreviato. quòd rogatus à diſcipulo, *Quid cuſtodiens Deo placebo*, reſponderit. *Quocunque vadis, ſemper Deum tuum præ oculis habeas in his quæ agis, teſtimonium ſacrarum Scripturarum adhibeas.* Alphonſus Toſtatus defenſ. pag. 2. cap. 53. *Fundamenta neceſſaria ad ſalutem, tam in fide, quàm in opere omnia poſita ſunt per Chriſtum & Apoſtolos ejus in ſcriptis quæ reliquerunt.* Idem Deuter. 4. *Non addes nec detrahas quicquam. Hic commendatur lex à perfectione, quia perfecto nec addi poteſt, nec auferri debet, ut patet.* Idem Ind. 177. cap. 3. *Sacra Scriptura omnibus ſuis partibus perfectiſſimè conſtat, ut nec additamentum nec ſubtractionem patiatur.* Burgenſis in reſp. ad Epiſtol. ejuſd. *Conſtat quòd omnia quæ de neceſſitate ſalutis traduntur, credenda ſeu agenda, in ſacris Scripturis ſub ſenſu literali reperiuntur.* Eraſmus in Epiſt. ad Carondilet. præfixa operibus Hilarii. *Hoc demum eſt eruditionis Theologicæ, nihil ultrà quàm ſacris literis eſt proditum definire, verùm id quod proditum eſt, bonâ fide diſpenſare.* Acoſta lib. 3. de temp. noviſſ. cap. 3. *Inter externa auxilia principem locum obtinet Scriptura divina, cujus authoritate invictâ adverſus dolos & innumerabiles fraudes Antichriſti, quibus gentes toto orbe ſeducet, nullam eſt divinitùs Eccleſiæ Catholicæ datum majus fortiusq; præſidium. Ad omnes enim Diaboli inſidias detegendas, ad omnes Diaboli machinas ſuperandas valet excelſum atque inſuperabile divini eloquii robur. Omnis ſermo Dei ignitus clypeus eſt ſperantibus in te*, Proverb. 8. *& gladius Spiritus eſt verbum Dei*, Eph. 6. Jeſuitæ in Colloq. Ratisbonenſ. f. 216. edit. Spir. ad locum Auguſtini ex libro de unitate Eccleſ. cap. 16. à noſtris adductum apertè annotarunt, *ſe paratos eſſe ex ſola Scriptura ſacra ſuam Eccleſiam adverſus Lutheranos demonſtrare, imò articulos fidei ex ſola Scriptura ſufficienter defendi poſſe adverſus eos, qui Eccleſiæ & Conciliorum autoritatem non admittunt.* Didacus Stella in caput 4. Lucæ p. 122. *Ex Deuteronomio omnes tres reſponſiones ad tres tentationes excerpſit Chriſtus, ut doceret, ſacram Scripturam arma habere contra adverſarios & inimicos veritatis.* Idem in cap. 16. Luc. ſuper verba, habent Moſen: *Vocat Moſen & Prophetas Moſaicam legem & Scripturam Propheticam, quia per legem inſtrui poterant de operibus & per Prophetas de fide. Prophetæ dixerant, quid credendum, & lex quid faciendum. Sufficienter igitur providit Deus de his, quæ ad ſalutem pertinent.* Johan. Driedo lib. 1. catal. cap. 1. *Scriptura vocatur inſtrumentum, quia inſtruit hominem, quid debeat ſperare, credere, agere.* Albert. Hugerus in Diſp. Ingolſt. Ann. 82. habita ſub tit. *Defenſio Scripturæ ſacræ contra Pſeudo Scripturarios* concl. 14. *Scriptura ſacra eſt turris illa David, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, omnisq; armatura fortium Cant. 4. eſt ille torrens, ex quo David lapides deſumſit, quibus ſuperbum Goliath proſtravit.* Bell. lib. 3. de Juſtif. cap. 8. *Non poteſt aliquid eſſe certum certitudine fidei, niſi immediatè in verbo Dei contineatur, aut per evidentem conſequentiam ex eo deducatur.*

378. *Antitheſis.* Scripturæ perfectionem negant 1. directè *Pontificii.* Roffenſis art. 27. p. 584. *Falſum eſt, quod omnia, quæ vel ad fidem pertinent, vel ad leges morum & operum, plenè ſint in Scripturis expoſita.* Cenſur. Colon. f. 220. diſputat, *Scripturam eſſe imperfectam, mutilam, mancam, quæ non contineat omnia, quæ ad ſalutem, fidem & mores piè vivendi pertineant.* Heſſelius in catech. p. 44.

Antitheſis 1. Pontificiorum.

Non

Non hoc egerunt Apoſtoli ſcribentes, ut totam fidei doctrinam ſcripto traderent, ſed pro neceſſitate nata, quod verbo abſentes præſtare non poterant, hoc literis egerunt, contenti ſatisfacere difficultati occurrenti. Bellarm. lib. 4. de verb. Dei cap. 3. *Nos* (Pontificii) *aſſerimus, in Scripturis non contineri expreſſè totam doctrinam neceſſariam, ſive de fide, ſive de moribus, & proindè præter verbum Dei ſcriptum requiri etiam verbum Dei non ſcriptum. id eſt, divinas & Apoſtolicas traditiones. At ipſi* (Evangelici) *docent, in Scripturis omnia contineri ad fidem & mores neceſſaria, & proindè non opus eſſe ullo verbo non ſcripto.* Coſterus in Enchirid. p. 47 *Omnia fidei myſteria creditu neceſſaria in corde Eccleſiæ clariſſimè exarata, in membranis tàm Novi, quàm Veteris Teſtamenti multa deſiderari* aſſerit, p. 48. addit, *cautum à Deo fuiſſe, ne omnia fidei dogmata ſcriptis commendarentur, quò minùs margaritæ porcis objicerentur.* Gregor. de Valentia in anal. p. 389. *in majori pretio ait haberi doctrinam ſacram, dùm non omnia ejus capita quibusvis de media plebe hominibus evulgentur, ſed aliqua apud doctores ceu theſauri quidam recondita cuſtodiantur.* Similia occurront apud Caniſium in opere catech. fol. 126. 160. & ſeqq. in Colloq. Ratisbon. p. 96. & p. 48. edit. Ingolſt.

Argumenta ipſorum 1. Aut totus Canon ſimul ſumtus eſt ſufficiens, aut ſinguli libri per ſe ſunt ſufficientes.

379. Argumenta ipſorum potiora repetit Bellarminus dict. loc. 1. *Vel totus Canon Scripturarum ſimul ſumtus eſt ſufficiens, vel ſinguli libri per ſe ſunt ſufficientes. Poſterius dici nequit, quia traditionis uſum fuiſſe in Eccleſia uſque ad complementum Canonis à Chemnicio conceditur, præterea videmus Evangeliſtas non ſingulos omnia continere. Item ſi unus liber continet ſufficienter omnia, quid opus fuit tot libris? Denique ipſi apertè dicunt, totum Canonem eſſe neceſſarium ad hoc, ut ſufficiens doctrina habeatur. Nec prius dici poteſt, quia multi libri ſacri & Canonici perierunt, teſte Chryſoſtomo homil. 9. in Matt.* Reſp. 1. deducimus Bellarmini argumentum ad abſurdum. Si ob deperditos quosdam libros ſacros Canon Scripturæ eſt imperfectus, ne ipſi quidem Pontificii perfectum Canonem habebunt. Ratio eſt, quia per ſuas traditiones non poſſunt reſtituere libros illos deperditos. 2. Si vel maximè perierunt libri aliqui à ſanctis Dei hominibus ſcripti, illi tamen non fuêre in numerum Canonicorum librorum relati. Ergo per illorum amiſſionem integritati Canonis nihil deceſſit. 3. Bellarminus inter deperditos libros refert *Epiſtolam ad Laodicenſes*, cujus mentionem fieri putat Coloſſ. 4. v. 16. ſed in Græco eſt ἐκ τῆς Λαοδικείας, intelligitur igitur ea, quæ ex Laodicea ad Apoſtolum, non autem quæ ad Laodicenſes ab Apoſtolo eſt ſcripta. 4. Singulis temporibus atque ætatibus pro ſtatu Eccleſiæ illorum temporum ſufficientem Canonem exhibuerunt libri, qui tunc extiterunt, ita ut ſoli quinque libri Moſis nondum extantibus aliis Scripturæ libris fuerint perfectus Canon. 5. Diſtinguendum inter Canonem *inchoatū & conſummatum.* Si vel maximè concedatur, Canonem inchoatū nondum fuiſſe perfectum, ex eo tamen inferri nequit, etiam conſummatum Canonem non fuiſſe perfectum. 6. Quamvis in quibusdam libris Canonicis non proponatur nova quædam doctrina, quæ in aliis Canonicis libris non contineatur, tamen propter uberiorem ejuſdem doctrinæ explicationem Deus etiam illos libros Canonicos ſcribi & reliquis addi voluit, quò minùs de imperfectione Canonis ſuſpicandi relinqueretur locus.

2. Apoſtoli non ſcripſerunt ex Dei mandato.

380. 2. *Si Chriſto & Apoſtolis fuiſſet propoſitum, verbum Dei coarctandi & reſtringendi ad Scripturam, rem tanti momenti Chriſtus apertè præcepiſſet, & Apoſtoli teſtarentur, ſe ex mandato Dei ſcribere. At illud nuſpiam legimus.* Reſp. 1. imò verò & Chriſtus præcepit Apoſtolis ut ſcriberent, & Apoſtoli teſtantur, ſe ex mandato Dei ſcribere, ut ſuperiùs in capite de cauſa efficiente manifeſtum fecimus. 2. Si Apoſtoli non habuiſſent mandatum ſcribendi, quomodo Scriptura ipſorum poſſet eſſe θεόπνευςος? 3. Si Apoſtolis *non fuit propoſitum verbum Dei reſtringendi ad Scripturam,* ut Bellarm. hic loquitur, quo ergò fine alio ſcripſerunt? quorſum tot libros, tot Epiſtolas ſcripſerunt? potuiſſent labore hoc ex Bellarmini hypotheſi ſuperſedere, & ad ſedem Romanam unicè nos remittere. Sed de toto hoc argumento rectiſſimè judicari poteſt ex illis, quæ ſuperiùs dicta.

3. Multa neceſſaria non continentur in Scripturis. 1. remedium pro fœminis contra peccatum originale.

381. 3. *Multa à nobis ignorari non poſſunt, quæ tamen in Scripturis non continentur. Nam primò Tempore Veteris Teſtamenti ſine dubio non minùs fœminæ, quàm viri remedium aliquod habebant, quo à peccato originali purgarentur, & tamen pro maſculis inſtituta erat circumciſio ſecundùm multorum opinionem, quid autem eſſet pro fœminis, nuſpiam habet Scriptura.* Reſp. 1. *in genere.* Quædam in Scripturis continentur *expreſſè*; quædam *analogicè*; quædam *explicitè*; quædam *implicitè*; quædam ῥητῶς; quædam εἰδικῶς; quædam αὐτολεξεὶ; quædam κατὰ φρόνημα. Quæcunque ad ſalutem ſcitu neceſſaria, aliquo horum modorum in Scripturis continentur, quod fateri videtur ipſe Bellarminus, quando lib. 4. de verb. Dei cap. 11. §. *His notatis,* ſcribit: *Omnia illa ſcripta ſunt ab Apoſtolis, quæ ſunt omnibus neceſſaria, & quæ ipſi palam omnibus vulgò prædicaverant.* 2. *in ſpecie* de remedio pro peccato originali in fœmellis. 1. Si ignorantia illius remedii Scripturæ perfectionem tollit, ne ipſi quidem Pontificii perfectam habebunt doctrinā, ſi vel maximè traditiones ſuas Scripturæ aſſuant, cùm remedium illud ex ſcrinio traditionum proferre nequeant. 2. Ne quidem apud Thalmudiſtas traditionum patronos maximos ullum hujus remedii extat veſtigium. 3. Nulli Scholaſticorum in mentem venit de tali aliquo remedio cogitare, ſed cauſas potiùs inquirmtur, quare ſolis maſculis præcepta ſit circumciſio, inter quas Richardus præcipuam ponit eam, *quod Natura corruptio principaliùs fuerit in viro.* 4. Lombardus 4. ſent. diſt. 1. lit. G. hac de re ſic diſſerit: *Mulieres juſtificatæ ſunt per fidem & operationem bonam; vel ſuam, ſi adultæ erant, vel parentum, ſi parvulæ.* Rectius Hugo libr. 1. de Sacrament. pag. 12. cap. 2. & ex eo Biel. libr. 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 4. *Salvabantur fœminæ ſolâ fide, ſacrificiis & oblationibus aliisq; legis Ceremoniis purificatæ.* 5. Per preces parentum, per ſacrificia & oblationes, promiſſio illa *Ero Deus ſeminis tui*, etiam fœmineo ſexui fuit applicata. Ac ſi formula fœderis Geneſis 17. propoſita conſideretur, apparebit, DEUM cum tota Abrahæ poſteritate fœdus inire, & tamen ſolis maſculis circumciſio imponitur. Ergo per maſculorum circumciſionem formulæ fœderis erat ſatisfactum; fœmellæ carebant externo circumciſionis ritu, non

tamen Sacramenti fructu. 6. Quidam recentiorum hoc urgent, quod fœmellæ innuptæ reputatæ fuerint tanquam pars parentum, nuptæ verò tanquam pars maritorum. 7. Quod fuit omnium infantum ex fidelibus parentibus natorum remedium ante inſtitutam circumciſionem, illud etiam fœminarum poſt inſtitutam circumciſionem remedium fuit, quia circumciſio non pro fœmellis, ſed pro maſculis fuit inſtituta.

2 remedium pro maſculis ante octavum diem morientibus.

382. Secundò *Non eſt ullo modo credibile, non fuiſſe remedium ullum pro maſculis morientibus, ante octavum diem, quo ſolo poterant circumcidi, & tamen nihil extat hac de re in Scriptura.* Reſp. 1. proferat Bellarm. illud remedium ex traditionum promtuario; ſin minus, fateatur ne quidem accedentibus traditionib. Scripturam eſſe perfectam. 2. Quàm abſurdum eſt fingere remedium aliquod pro maſculis ante ſuſceptam circũciſionem mortuis, atq; interim omnes infantes ante ſuſceptum Baptiſmum in N. Teſt. morientes damnationi adjudicare, cùm tamen gratia N. Teſt. ſit uberior & abundantior, quàm V. Teſt? Utrumque facit Bellarminus. 3. Scholaſticis non venit in mentem de tali remedio cogitare, Lombardus ſtatuit, *quod perierint in peccato originali.* Biel. 4. ſent. diſt. 1. quæſt. 4. exiſtimat, *id nimis durum, nec veritati conſonum eſſe.* Hugo & Alexandr. Alenſ. part. 4. q. 7. membr. 4 art. 3. ſtatuunt, *quòd parvuli illi ſalvati in fide parentum.* 4. Beda exiſtimat, *in vitæ periculo etiam ante octavum diem parvulos fuiſſe circumciſos.* Sed divina inſtitutio expreſsè ad diem octavum circumciſionem alligat, à quo pios Iſraelitas receſſionem feciſſe veriſimile non eſt. 5. Quod fuit omnium infantum ante inſtitutam circumciſionem, & fœmellarum poſt inſtitutam circumciſionem remedium, illud etiam fuit maſculorum ante octavum diem extinctorum remedium. 6. Illi, qui ante octavum diem mortui, non potuerunt pro transgreſſoribus legis de circumciſione haberi, cùm ad octavum diem disertè fuerit adſtricta. Deus igitur cum illis per preces parentum & Eccleſiæ ſibi oblatis vi promiſſionis, *Ero Deus ſeminis tui*, extraordinariè agit. Quòd ſi enim abſolutè omnes infantes damnati eſſent, qui ante octavum diem nondum ſuſceptâ circumciſione mortui ſunt, non fuiſſet de ea uſq; ad octavum diem differenda præceptum datum, nec Moſes totis 40. annis in deſerto eam intermiſiſſet. Conf. tract. de circumciſ. §. 18.

3. juſtificatio gentilium in V Teſt.

383. Tertiò. *Gentiles multi ſalvari poterant & ſalvabantur tempore V. Teſt. & verè ad Eccleſiam pertinebant, & tamen nihil de eorum juſtificatione à peccato originali, aliisq; peccatis in Scriptura habetur.* Reſp. 1. Scriptura in genere teſtatur, abſque fide in Chriſtum Mediatorem nemini contingere peccatorum remiſſionem ac ſalutem æternam. Actor. 15. v. 11. Rom. 4. v. 9. &c. aut ergò illis, de quibus in argumento agitur, tribuenda eſt fides in Chriſtum promiſſum Meſſiam, aut ſalus eis deneganda. 2. Gentiles tempore V. Teſt. ſalvati ad verum Deum Iſraelis converſi fuerunt, & Eccleſiæ Iſraeliticæ ſi non corpore, tamen animo & Spiritu ſeſe conjunxerunt, proindè ab Iſraelitica Eccleſia modum juſtificationis à peccato originali & aliis peccatis diſcere potuerunt. 3. Quod ad Ceremonias legales attinet, illæ converſis ex gentilibus non fuerunt impoſitæ, ut ſuo loco in tractat. de legibus Ceremon. & forenſib. demonſtravimus.

4. 5. & 6. autoritas librorum Canonicorum.

384. Quartò. *Neceſſe eſt noſſe extare libros aliquos verè divinos, quod nullo modo ex Scripturis haberi poteſt. Nam etiamſi Scriptura dicat, libros Prophetarum & Apoſtolorum eſſe divinos, tamen non certò id credam, niſi priùs credidero, Scripturam, quæ hoc dicit, eſſe divinam. In Alcorano legimus, Alcoranum de cælo miſſum, & tamen ei non credimus.* Quintò. *Non ſatis eſt ſcire, eſſe Scripturam divinam, ſed oportet ſcire, quæ ſit illa, id quod nullo modo poteſt haberi ex Scripturis. Quomodo enim colligimus ex Scriptura, Evangelia Marci & Lucæ eſſe vera, Evangelia Thomæ & Bartholomæi eſſe falſa?* Sextò. *Oportet non ſolùm ſcire, qui ſint libri ſacri, ſed etiam in particulari, iſtos qui ſunt in manibus, eſſe illos. Non enim ſatis eſt credere, Evangelium Marci eſſe verum Evangelium, ſed oportet etiam credere, hoc Evangelium, quod nunc legitur nomine Marci, eſſe illud verum & incorruptum, quod ſcripſit Marcus. At illud ex Scripturis haberi nequit.* Reſp. 1. recognoſcat Bellarminus ſua verba lib. 3. de Eccleſia cap. 14. *Credere Hiſtorias V. Teſt. vel Evangelia Marci, Lucæ &c. eſſe Canonica ſcripta, imò ullas eſſe divinas Scripturas, non eſt omnino neceſſarium ad ſalutem, quod ſine fide hac multi ſalvati ſunt, antequam Scripturæ exararentur.* At ſi hoc ſcire non eſt neceſſarium ad ſalutem, quomodo imperfectio Scripturæ ex eo demonſtrari poteſt? 2. Recognoſcat etiam ea, quæ habentur lib. 1. de verbo Dei cap. 2. *Sacris Scripturis, quæ Propheticis & Apoſtolicis literis continentur, nihil eſt notius, nihil certius. Notiſſimas eſſe teſtis eſt orbis Chriſtianus & conſenſio omnium gentium, apud quas jam multis ſeculis autoritatem obtinuerunt; certiſſimas autem ac veriſſimas eſſe, nec humana inventa, ſed divina oracula continere teſtis eſt veritas vaticiniorum, incredibilis autorum illorum, qui eas ſcripſerunt, concordia.* Atqui ſi Scripturis ſacris nihil notius, nihil certius, quomodo ex alio principio illarum notitia & certitudo peti poterit. 3. Quod hi libri & non alii ſint ſacri & Canonici, eſt principium ab utraque parte conceſſum, non ergo *de Scriptura* cum adverſa parte diſputandum, ſed *ex Scriptura*, quam utrique divinam eſſe agnoſcimus; de dogmatibus controverſis agendum. 4. Quæſtio illa, *unde ſcis Scripturam eſſe divinam*, eſt vel *incredulitatis*, quando movetur à Fanaticis, Scripturam eſſe Dei verbum negantibus, vel *perverſitatis*, quando movetur à Pontificiis autoritatem Scripturæ ab Eccleſia ſuſpendentibus; vel *docilitatis*, quando à fideli & intra Eccleſiæ pomœria conſtituto proponitur. 5. Quando illis, qui dociles ſunt, demonſtrandũ eſſe, aliquos libros verè divinos & in Codice Biblico eos proponi, tum ab Eccleſiæ teſtimonio argumentum aliquod peti poteſt. ſed illud teſtimonium nec eſt extra Scripturam, cùm de ipſa illa Scriptura teſtetur, nec eſt ſolũ, ſed accedent κριτήρια interna & Spirit. S. teſtimoniũ. Utimur proinde in hac quæſtione Eccleſiæ teſtificatione velut quadam manuductione, non ut aliquid præter Scripturam credamus, quia libri ſacri & Canonici ſunt ipſa Scriptura ſacra, ſed ut ad Scripturæ cognitionem perveniamus, ſicut Samaritani concivis ſuæ manuductione ad Chriſtum adducebantur, nec tamen propter mulieris loquelam ampliùs credebant, ſed quia ipſi ex indictis minimè dubiis cogno-

cognoverant, hunc eſſe Salvatorem mundi. Pari ratione Eccleſiæ teſtificatione deducimur ad Scripturam, nec tamen propter Eccleſiam credimus Scripturis, ſed quia ex internis κριτηρίοις & Spiritus ſancti teſtimonio interno divinam & Canonicam earum autoritatem ipſimet cognoſcimus. 6. Idem verbum Dei, quod olim Prophetæ & Apoſtoli prædicarunt, in ſcriptis eorum adhuc proponitur. Quibus igitur argumentis olim perſuaſi ſunt ipſorum auditores, ut doctrinam à Prophetis & Apoſtolis propoſitam pro verbo Dei acceptarent, iiſdem argumentis etiamnum hodie perſuademur, ut verbum à Prophetis & Apoſtolis ſcriptum pro verbo Dei acceptemus. Jam verò ut auditores crederent verbo à Prophetis & Apoſtolis prædicato non fuêre permoti externo aliquo argumento vel ſolo Eccleſiæ teſtimonio, ſed inſitâ verbi prædicati majeſtate, divinitate, efficaciâ. Ergò etiam ut ſcripto verbo credamus, non permovemur externo aliquo argumento vel ſolo Eccleſiæ teſtimonio, ſed inſitâ Scripturæ majeſtate, divinitate, efficaciâ. 7. Diſtinguendum inter has quæſtiones: *An Evangelium Matthæi ſit Canonicum & an Evangelium Matthæi ſit à Matthæo ſcriptum.* Prius pertinet *ad fidem ſalvificam*, poſterius *ad cognitionem Hiſtoricam.* Prius ſola Eccleſiæ teſtificatio perſuadere nequit, poſterius verò probat. ſed non pertinet illud ad fidem ſalvificam. 8. Urget Bellarminus: *Si hæc traditio ad nos pervenire potuit, cur non per eandem viam potuerunt etiam aliæ pervenire?* Item: *vel hæc traditio eſt verbum Dei vel non. Si non, igitur non habemus fidem, fides enim nititur verbo Dei. Si ſic, cur ergò clamant, nullum eſſe verbum Dei niſi ſcriptum?* Reſp. eſt maximè diſpar ratio hujus traditionis Eccleſiaſticæ, quæ Scripturis eſt per omnia conformis (lege enim libros Canonicos & habebis id, quod Eccleſia pro verbo Dei nobis commendat) ac reliquarum traditionum, quæ à Pontificiis nobis obtruduntur, quæ nuſpiam in Scripturis inveniuntur. Eccleſia ſuâ de Canone teſtificatione non novum aliquem fidei articulum extra Scripturam nobis proponit, ſed velut cauſa miniſtrans teſtatur de eo, quod in Canonica Scriptura extat, quodque perpetuo Eccleſiæ conſenſu receptum & conſervatum. Item quando Eccleſia de autore alicujus libri teſtatur, profert id quod inſcriptio libri habet. Ergo teſtimonium illud Scripturis eſt conforme, ac vidit Eccleſia primitiva ſacrorum ſcriptorum autographa, ut verè de illis teſtari potuerit. Confer dicta ſuperiùs cap. 4. de Scripturæ autoritate.

7. Scriptura intelligentia.

385. Septimò. *Neceſſe eſt, non ſolùm Scripturam legere, ſed etiam intelligere. At ſæpiſſimè Scriptura ambigua & perplexa eſt, ut niſi ab aliquo, qui errare non poſſit, explicetur, non poſſit intelligi, igitur ſola non ſufficit.* Exempli loco affert *æqualitatem divinarum perſonarum, proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, peccatum originis, deſcenſum Chriſti ad inferos &c. hæc & ſimilia, inquit, deducuntur quidem ex ſacris literis, ſed non adeò facilè, ut ſi ſolis pugnandum ſit Scripturæ teſtimoniis, nunquam lites finiri poſſent cum protervis.* Poſteà ſubjungit, *duo eſſe in Scriptura, voces ſcriptas & ſenſum in eis inclusum; primum haberi ab omnibus, ſed ſecundum non habere omnes, nec poſſe in locis plurimis de ſecundo nos eſſe certos, niſi accedat traditio.* Reſp. 1. Summus & ἀνυπεύθυνος Scripturæ interpres eſt Spiritus ſanctus. Reliqui interpretes vel ea Scripturis ſuas interpretationes proferunt, vel in Scripturas eas inferunt. Si priùs, regula interpretationis manet Scriptura, quæ eſt ſui ipſius interpres optima ac certiſſima. Si poſterius, non ſunt interpretes, ſed corruptores. 2. Dogmata illa, quæ exempli loco afferuntur, fatente Bellarmino ex Scripturis deduci poſſunt, ergò in illis proponuntur. Unde veteres, qui de his articulis contra hæreticos pugnarunt, ex Scripturis argumenta ſua deduxerunt. Dionyſius Alexand. apud Athanaſium in lib. de ſentent. Dionyſii adverſus Arianos: *Tametſi meum dictum ſit, quod non invenerim hanc vocem ὁμουσίας in ſacris literis, rem tamen ipſam ibi deprehendi.* ** Tertullianus de reſurrect. carnis cap. ultim. *Priſtina inſtrumenta quædam materias illis videntur ſubminiſtraſſe, & ipſas quidem iiſdem literis revincibiles.* ** Similia occurrunt apud eundem contra Praxeam, Epiphanium hæreſ. 60. Ambroſium de fide cap. 5. Bellarminus ipſe lib. 2. de Conciliis cap. 12. *Quando Concilium Nicænum definivit, Filium eſſe Patri ὁμοούσιον, concluſionem deduxit ex Scripturis.* 3. Senſum Scripturæ à verbis ejuſdem ſeparare & aliunde quærere, Svenckfeldianum eſt. 4. Non quæritur hoc loco de omnium & ſingulorum Scripturæ dictorum interpretatione, an ſcilicet eorum omnium genuinus ſenſus abſque externis adminiculis à quovis erui poſſit, ſed de articulis fidei, an illi omnes & ſinguli in Scripturis extent. ** Sed objiciat aliquis: Baptiſmum hæreticorum eſſe ratum, non poteſt probari ex Scripturis E. Reſp. contrarium docet Auguſt. lib. 5. contra Donatiſt. cap. 23. ** 5. Quæ Bellarminus hoc loco ea Scripturis deduci poſſe concedit, *licet difficulter*, illa reliqui Papiſtæ negant, ex Scriptura probari poſſe. Eccius in locis, Cochlæus contra Bullingerum, Piſtorius in epitome Colloq. Emmerting. ſtatuunt *ὁμουσίαν perſonarum Trinitatis eſſe traditionem extra Scripturam.* Andradius libr. 2. defenſ. fid. Trident. *Deſcenſum Chriſti ad inferos* negat ex *Scripturis colligi poſſe.*

8. Mariæ virginitas

386. Octavò. *Credendum eſt, B. Mariam ſemper fuiſſe virginem, ut contra Helvidium tota Eccleſia ſemper credidit, & tamen nullum hac de re eſt in Scripturis teſtimonium.* Reſp. 1. Baſilius in homil. de nativ. Chriſt. tom. 1. p. 389. dicit, *non eſſe curioſè hac de re diſputandum, an Maria poſtquam Salvatorem peperiſſet, nuptias rurſus contraxerit, an verò virgo permanſerit, cùm ad myſterium fides non ſpectet.* τὸ ἐφεξῆς inquit, videlicet poſt Chriſti partum, eſt ἀπολυπραγμόνητον τῷ τοῦ μυστηρίου λόγῳ, cauſam ſtatim addit, ὅτι μηδὲν τῷ τῆς εὐσεβείας παραλυμαίνεται λόγῳ; *quia nihil eiu res pietatem lædit.* 2. Nos ex Hieronymo contra Helvidum reſpondemus: *Natum eſſe Deum per genitalia virginis credimus, quia legimus; Mariam poſt partum cū Ioſepho concubuiſſe non credimus, quia non legimus.* Sufficit ergo nobis ad fidē, quod mater Meſſiæ appelletur *virgo* Eſa. 7. v. 14. Luc. 1. v. 35. 3. Epiphanius contra Antidicomarianitas, Ambroſ. Epiſt. 79. & 81. Hieronymus contra Helvid. perpetuam Mariæ virginitatem ex Scripturis demonſtrare conantur, afferunt illud Ezechielis c. 44. v. 2. *de porta clauſa*, item quod cura Mariæ demandetur Joanni. Hieronymus utitur hac ratiocinatione: *Si Ioſephus ex ſola relatione Angeli ſibi in ſomnis facta tali reverentiâ motus eſt, ut non cognoſceret Mariam, quidni permotus fuiſſet poſtea,*

cum

cùm audiret Paſtores, Simeonem, Hannam &c. tàm divina de illo puero prædicantes? Judicarunt igitur hoc dogma non niſi ſolâ traditione, ſed ex Scripturis deduci poſſe. 4. Argumentum quod ex particula *donec* Matth. 1. verſ. 25. Helvidius pro ſua opinione formavit, ex ipſis Scripturis explicari poteſt, in quibus ſæpius notat perpetuitatem, ac ſic removet præcedens, ut non ponat ſequens Pſalm. 110. verſ. 2. 1. Regum 15. verſ. 35. 2. Regum 6. verſ. 23. Hieronymus ponit hoc exemplum: *Helvidius, priusquàm pœnitentiam ageret, mortuus eſt*, ut oſtendat etiam in vulgari ſermone hanc loquendi figuram excluſivè acceptam eſſe uſitatam.

9. Paſchatis celebratio die Dominico.

387. Nonò. *Credendum eſt in N. Teſt. Paſcha eſſe celebrandum die Dominico, nam heretici habiti ſunt ab Eccleſia Quartadecimani, & tamen nihil prorſus extat hac de re in Scripturis ſacris.* Reſpond. 1. De tempore celebrandi Paſchatos in primitiva Eccleſia olim gravis fuit controverſia, ut conſtat ex Epiphanio hæreſ. 50. Orientales Eccleſiæ aliâ die celebrabant Paſcha quàm Dominicâ, ac dicebant, ſe hac in parte ſequi Johannem & Philippum. Occidentales die Dominicâ illud celebrabant, dicentes ſe Paulum & Petrum hac in re ſequi. Victor Romanus Epiſcopus minabatur, ſe excommunicaturum propterea Orientales Eccleſias, ſed Irenæus & alii Epiſcopi Aſiatici eum reprehendebant, ut eſt apud Euſebium lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap. 25. tandem verò ita fuit definita cõtroverſia, *ut quisq; ſuam conſuetudinem, ſuumq; arbitrium ſequeretur*, teſte Sozomeno lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 19. Fuit ergo libera conſuetudo & Ceremonia, non autem neceſſarius aliquis fidei articulus. 2. Socrates lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap. 22. multis oſtendit, *Apoſtolos non tuliſſe legem de diebus feſtis, ſed ſingulorum arbitrio id reliquiſſe*, ergo non poteſt pro Apoſtolica traditione Paſchatis die Dominica celebratio haberi. 3. Quartadecimani h. e. Paſcha cum Judæis die 14. menſis primi celebrandum eſſe pertinaciter contendentes propter corruptelã articuli de libertate Chriſtiana hæreſeos fuêre damnati. 4. Nec fuit ipſis oppoſita nuda traditio quippe quæ in Orientalib. & Occidentalibus Eccleſiis fuit diverſa, ſed refutati fuerunt ex Scripturis de abrogatione legalium Ceremoniarum teſtantibus.

10. Pædobaptiſmus.

388. Decimò. *Credere oportet, Baptiſmum parvulorũ eſſe ratum. Id autem ex ſolis Scripturis probari nequit.* Reſp. 1. Veteres ex Scripturis eum probant, ut ſuo loco oſtendimus. Nec deſunt argumenta ex ipſis Scripturis petita, quæ pædobaptiſmum ſatis firmiter roborant. 2. Eccius in Enchir. cap. 30. *quatuor* argumenta ex Scripturis pro pædobaptiſmo affert. Bellarm. ipſe lib. de Baptiſ. cap. 8. *tria* ex Scripturis adducit argumenta & cap. 9. addit, *quod ſatis apertè colligatur ex Scripturis.* 3. Innocentius III. Pont. Rom. lib. 3. decretalium tit. 42. c. Majores, itidem ex ſacris literis pædobaptiſmum confirmat. At Pontifex Romanus ex hypotheſi Bellarmini non errat. 4. Quæ de fide actuali infantum à noſtris aſſerta addit, ad alium pertinent locum.

11. Purgatorium.

389. Undecimò. *Lutherus in aſſert. art. 37. credit eſſe purgatorium & tamen addit, illud non poſſe probari ex ſacris literis.* Reſp. 1. liber ille ſcriptus eſt primis oppugnati Papatus annis, in quibus adhuc aliquas Papiſticas corruptelas Lutherus fuit amplexus, quas poſtea agnovit & damnavit, unde in præfat. tom. 1. oper. lectorem petit, *ut cum multa miſeratione ſcripta primorum annorum legat.* 2. Quid quod ibidem Lutherus dicit, *ſe credere purgatorium, non ut rem certam, ſed ut probabilem, ſicut credat Thomam Aquinatem eſſe ſanctũ*, quod non credidit fide infallibili ac certâ.

12. Perfectio Scriptura.

390. Duodecimò. *Credunt heretici hujus temporis nullum eſſe verbum Dei niſi ſcriptum. at hoc in tota Scriptura nuſpiam invenitur.* Ubi quæſo inveniſti (ait Hector Pintus in comment. Eſa. 8. p. 94.) *non eſſe credendum, niſi id quod eſt in ſacra Scriptura? Lege totam eam à principio Geneſis uſque ad finem Apocalypſis, nuſquam talem invenies propoſitionem. Non eſt igitur credenda hac tua propoſitio, ſi verum eſt quod dicis, id ſolum credendum quod eſt in ſacris Bibliis ſcriptum, divinisque literis [illegible]ſignatum.* Reſp. Quæcunque argumenta probant, Scripturam eſſe perfectam, eadem etiam probant poſt editum Scripturæ Canonem non eſſe nova quædam dogmata extra illũ recipienda vel quod idem eſt nullum eſſe Dei verbum niſi ſcriptum.

13 Inſtitutio Sacramentorũ.

391. In prioribus Bellarmini editionibus inſeritur etiam hoc argumentum: 13. *Credendum eſt omnia Sacramenta, quod eſſentiam attinet à Chriſto eſſe inſtituta. At nihil tale in Scripturis reperitur, præterquam de duobus aut trib. ad ſummum.* Reſp. cur ergo Bellarminus alibi tantopere deſudat, ut eſſentiam quinque Sacramentorum Baptiſmo & Eucharistiæ additorum in Scripturis inveniat? invertimus autem Bellarmini argumentum. Quia eſſentia quinque illorum Sacramentorum, de quibus controverſia eſt, in Scripturis non invenitur, ideo pro veris & propriè dictis Sacramentis acceptari non poſſunt. 14. Stapletonus libr. 12. princip. cap. 5. diſputat *fidem Mediatoris Chriſti nuſpiam ſcribi in toto V. Teſt.*

14. Fides Mediatoris in Vet. Teſt.

Reſp. Photiniana hæc eſt aſſertio, cujus contrarium ex perſpicuis dictis demonſtrari poteſt Luc. 24. v. 27. Johan. 5. v. 39. Actor. 15. v. 11. Rom. 3. v. 21. cap. 4. v. 3. &c. 15. *Ex Scriptura non poſſe omnes hæreſes ſufficienter refelli urgent.*

15. Hæreſiũ refutatio.

Reſp. imò verò non poteſt ulla religionis controverſia moveri, de qua non provida Scriptura contineat ſententiam deciſivam, unde in controverſia de juſtificatione Apoſtolus Scripturam vocat providentem Galat. 3. v. 8.

1. Calviniani.

392. 2. *Obliquè* perfectionem Scripturæ labefactant. 1. *Calviniani*, quando principia rationis in fidei articulis revelato verbo non ſolùm adæquant ſed etiam præferunt, dum ex principiis Philoſophicis malè intellectis vel applicatis fidei articulos in perſpicuis & apertis Scripturæ locis propoſitos oppugnant. Conr. Vorſtius diſp. 15. Anti Piſtor. theſ. 2. *Fidei principia duplicia ſunt, partim naturalia, partim ſupernaturalia. Naturalia ſunt ſenſus & ratio, tum axiomata omnia naturali rationis lumine nota. h. e. quæ univerſali experientiâ & ſimul rectâ rationis evidentiâ nituntur, quatenus quidem ad negotium fidei referuntur.*

2. Photiniani.

2. Photiniani, quando & ipſi unico & proprio Theologiæ principio Scripturæ ſcil. ſacræ aliud quoddam principium adjungunt, eique parem autoritatem tribuunt, ſiquidem de fidei articulis non ex ſola divina revelatione, ſed etiam imo potiſſimùm ex ratione diſputant, quin & fidei articulos in Scriptura verbis expreſſis & perſpicuis propoſitos humanæ rationis argutiis impugnant Catech. Racov. myſterium Trinitatis pag. 48. perſonalem

dua-

duarum Naturarum in Chriſto unionem p. 55. æternam filii à Patre generationem p. 63. princ. Philoſophicis evertere laborat. Peccati originalis propagationem negant ex principio illo Philoſophico, *quod habitus non propagetur in libros*; reſurrectionem ejuſdem carnis negant ex eo, *quod impoſſibile videatur idem numero corpus reſurgere.* Hûc referendum quod Schmalz. contra 1. diſput. D. Frantz. de Trinit. ſol. 12. ſcribit: *Certè novum eſt ex teſtimonio negativo aliquid velle concludere.* At diſtinguendum erat inter *dogmatica & Hiſtorica*. In dogmaticis propter Scripturæ perfectionem & affirmativè & negativè procedi poteſt, ut agnoſcit diſcip. de temp. ſerm. 23.

2. Weigeliani.

3. *VVeigeliani*, qui præter & extra Scripturam dictamen Spiritus interni, novas revelationes internus Enthuſiaſmos, colloquia cum Angelis &c. in doctrina cœleſti perdiſcenda requirunt, ut ſuó loco pleniùs demonſtratur. Confer diſp. 2. de gloria Dei contra Weigel. §. 2. & ſeqq.

CAPUT XIX.

De Traditionibus ἀγράφοις.

Traditiones Pontificiæ repudiandæ.

393. Ex *Scripturæ perfectione* hactenus liquidò demonſtrata colligimus, eam in fidei articulis ad ſalutem ſcitu neceſſariis traditionum ſupplemento minimè indigere. Repudiamus proinde *traditiones ἀγράφους*, quas pari pietatis affectu cum ſcripto Dei verbo acceptandas Pontificii Eccleſiæ obtrudunt, iiſdemque Scripturæ imperfectionem ſupplere ſatagunt. Antequam verò contra Pôtificias illas traditiones noſtras producamus copias, monemus circa quæſtionis ſtatum. 1. Traditionis nomen in Seipturis & Patribus quandoque ſumi *generaliter* pro doctrina quovis modo traditâ, quâ ratione etiam uſurpatur pro illis, quæ in Scriptura expreſsè continentur Actor. 6. v. 14. in vulg. verſ. 1. Cor. 11. v. 23. 2. Theſſ. 2. v. 15. Cyprian. in Epiſt. 74. ad Pompejum. Agnoſcit hoc Bellarmin. libr. 4. de verbo Dei cap. 2. ſic ſcribens: *Nomen traditionis generale eſt & ſignificat omnem doctrinam ſive ſcriptam, ſive non ſcriptam, quæ ab uno communicatur alteri.* Exod. 17. *ſcribe & trade.* De ejuſmodi traditionibus in Scriptura contentis hoc loco non eſt quæſtio. 2. Nec hoc in quæſtione eſt, an non Chriſtus & Apoſtoli plura fecerint & dixerint, quàm in ſcriptis Evangeliſtarum & Apoſtolorum ab illis dicta, factavè extant, ſed an quædam neceſſaria doctrinæ capita ad fidem & mores ſpectantia non ſint ſcripta, ſed vivâ duntaxat voce tradita. 3. Nec eſt quæſtio *de ritibus ac Ceremoniis.* Fatemur enim Apoſtolos in Eccleſiis ritus quoſdam liberos ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην ſpectantes inſtituiſſe, qui in ſpecie & ſigillatim nec ſcripti ſunt, nec perpetuâ neceſſitatis lege Eccleſiis impoſiti, licet genus, quod ſcil. *omnia ad ædificationem fieri debeant*, ſit ſcriptum, quod etiam ſolum eſt neceſſarium.

1. Sunt ſcripto Dei verbo adverſæ.

394. Hiſce de quæſtionis ſtatu præmiſſis contra traditiones Pontificias ſic concludimus: Traditiones, quas Pontificii pari pietatis affectu cum ſcripto Dei verbo acceptandas eſſe volunt. 1. *Sunt ſcripto Dei verbo adverſæ*, & quidem duplici ratione: Primò quia Scripturæ perfectioni hactenus demonſtratæ adverſantur. Si enim perfecta eſt Scriptura, continens omnia ad fidem & mores neceſſaria, quorſum opus fuerit traditionum ſupplemento? Secundò, quia expreſſæ Chriſti & Apoſtolorum prohibitioni repugnant. Matth. 5. v. 21. *audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio.* verſ. 22. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio.* verſ. 27. *audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non mœchaberis.* verſ. 28. *Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo &c.* Confer verſ. 31. 32. 33. 34. 38. 39. 43. 44. in quibus omnibus corruptelis Moſaicæ legis, quas nomine antiquarum traditionum Phariſæi venditabant, Chriſtus opponit expreſſa legis verba, ac proinde à traditionibus ad Scripturam nos revocat. cap. 15. verſ. 6. taxat Phariſæos, *quos per traditiones ſuas irritum fecerint mandatum Dei de honorandis parentibus*, & opponit illis oraculum Propheticum Eſaiæ 29. verſ. 13. *Fruſtra me colunt docentes mandata doctrinas hominum*, (in quem locum ſic commentatur Irenæus libr. 4. cap. 26. pag. 251. *non per Moſen datam legem Chriſtus dicit præcepta hominum, ſed traditiones Presbyterorum ipſorum quas finxerant, quas vindicantes fruſtrabantur legem Dei.*) Galat. 1. verſ. 8. *Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangeliſet vobis, præterquam evangeliſavimus vobis, anathema ſit.* Coloſſ. 2. verſ. 8. *Videte ne quis decipiat vos per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum.* Excipit Bellarminus, *Chriſtum & Apoſtolos non reprehendere traditiones, quas acceperant Judæi à Moſe & Prophetis, quarum una erat de ipſis libris Canonicis, qui eſſent veri & qui non eſſent, ſed traditiones, quas acceperant à quibuſdam majoribus, quarum aliquæ inanes erant, aliquæ pernicioſæ, & contra Scripturas. Nam nec Chriſtus aut Apoſtoli unquam eas vocant traditiones Moſis & Prophetarum, & apertè dicunt, ſe loqui de illis traditionibus, quæ cum Scripturis pugnant.* Reſp. 1. principium in eo petitur, quod Eccleſia Iſraelitica acceperit traditiones *de fide & moribus* extra Scripturam à Moſe & Prophetis. Proferant Pontificii ejuſmodi traditiones à Moſe & Prophetis profectas, quæ non contineantur in ſcriptis Moſaicis & Propheticis. Judæi quidem de traditionibus à Moſe & Prophetis per manus majorum ſuorum & per Cabalam acceptis gloriabantur, ſed Scriptura N. Teſt. nuſpiam ad tales traditiones nos remittit. 2. Chriſtus in genere damnat traditiones ἀγράφους, dum ad unicam Scripturam nos revocat Lucæ 16. verſ. 29. cap. 24. verſ. 27. Johan. 5. verſ. 39. 46. &c. ac doctrinis & mandatis hominum perpetuò opponit mandatum Dei, utique ergo repudiat omnes traditiones extra Scripturam. 3. Quin & diſertis verbis etiam illas traditiones repudiat, quæ antiquitatis ſpecie à Phariſæis venditabantur Matthæi 5. verſ. 21. & ſequentib. ac Phariſæi vocant illas traditiones πρεσβυτέρων capit. 15. v. 2. ergo non fuerunt recentes ſed antiquæ. Et quia Chriſtus opponit illis Eſaiam, ergo loquitur de traditionibus Eſaiæ ætate jamtum in Eccleſia notis. 4. Phariſæi & Scribæ à Chriſto, paſſim accuſantur, quod doctrinam legis & promiſſiones de Meſſia peregrinis ſuis gloſſis corruperint. Num putabimus illos à depravatione traditionum, ſi vel maximè quaſdam à Mo-

ſe &

ſe & Prophetis accepiſſent, abſtinere voluiſſe? Si per traditiones genuinus Propheticæ Scripturæ ſenſus fuiſſet conſervatus, quorſum de corruptelis doctrinæ cœleſtis in Scriptura Prophetica propoſitæ Chriſtus litem illis intendiſſet? 5. Traditiones illæ, quas Chriſtus in Phariſæis taxat, non fuêre in ſe & per ſe omnes impiæ ac Scripturis directè oppoſitæ. Sic crebræ lotiones in ſe & per ſe non erant impiæ; nec directè Scripturis adverſæ, ſed conſequenter, quia ſcilicet addebantur Scripturis tanquam neceſſaria pars divini cultus. Idem de Pontificiis traditionibus pronunciamus.

2. Trahunt originem ex Phariſaiſmo.

395. 2. *Ex Phariſaiſmo originem trahunt.* De Phariſæis conſtat ex Matth. 5. v. 21. cap. 15. v. 5. Marc. 7. v. 1. &c. ex Hieronymo in Epiſtol. ad Damaſum, Chryſoſtomo homil. 52. in Matth. Joſepho libr. 13. antiquit. Judaic. cap. 18. &c. quod non fuerint contenti doctrinâ in Scripturis Moſaicis ac Propheticis traditâ, ſed addiderint illi traditiones, quas vocabant δευτερώσεις, easque docebant æquè ut ſcriptum verbum neceſſarias eſſe. Hieronymus de ſancta fide lib. 2. p. 96. Hebræomaſt. hac de re ſic diſſerit: *Ordinatores Thalmud, ut eorum errores Ceremoniasque fortiùs fundarent, mandarunt in locis diverſis, ut omnes eorum ordinationes in dicto libro Thalmud conſtitutæ totam efficaciam haberent, ſicut ea, quæ à Domino noſtro Deo Patre ſunt in lege Moſaica conſtituta, deinde mortis pœnam imponunt cuique neganti aliquid ex iis, quæ in dicto volumine continentur & per eosdem ſcripta ſunt, cum tamen talem pœnam legis divina verba negantì non imponant.* Neve Pontificii excipiant, *traditiones illas fuiſſe à recentioribus acceptas*, notandum, quod tanquam à Moſe & Prophetis profectæ ab ipſis venditentur. Fingunt enim Moſen in monte Sinai à Deo accepiſſe *duplicem legem*, ut videre eſt in libro Thalmudico, qui Berachoth, hoc eſt, *Benedictionum* inſcribitur cap. 1. Aliam, quæ in ſcripto tradita ſit, aliam verò quæ oretenus ſolùm quando ſuccedaneo quodam ordine per Moſen ad poſteros traditam aſſerunt in capit. Patrum ſent. 1. ubi dicunt, *Moſen accepiſſe legem* (intelligit eam, quam ipſi ore traditam nominant, ut explicat Fagius in comm. illius loci) *de Sinai & tradidiſſe eam Iehoſchua, Iehoſchuam verò ſenioribus, ſeniores Prophetis, Prophetas viris Synagogæ magnæ.* Vide Galatin. libr. 1. de arcan. cap. 2. lib. 4. cap. 4. Picum Mirandulanum in Apol. q. 5. P. Crinitum lib. 25. de honeſt. diſcipl. cap. 3. Cæterùm quomodo traditio illa Cabaliſtica ad poſteros deſcenderit, uberius exponit R. Moſche Ægyptius in initio Deuteron. *Iehoſchua,* inquit, *cum legis expoſitionem à Moſe accepiſſet, tradidit Pinchaſi filio Eleaſaris, Pinchas Heli Sacerdoti, Heli Schemueli Prophetæ, ac Sacerdoti, Schemuel Davidi Regi, David Achiæ Prophetæ, Achia Eliæ Prophetæ, Eliha Eliſchaggo Prophetæ, Eliſchahh Ihoiadahho Pontifici, Ihoiadahh Zechariæ Prophetæ, Zecharia Hoſchebha Prophetæ, Hoſchehh Hhamoſo Prophetæ, Hhamos Ieſchahhiæ Prophetæ, Ieſchahia Michæ Prophetæ, Micha Ioëli Prophetæ, Ioel Nachumo Prophetæ, Nachum Chabakuko Prophetæ, Chabakuk Tzephaniæ Prophetæ, Tzephania Irmeiæ Prophetæ, Irmeia Barucho Scribæ, Baruch Hhezræ Sacerdoti ac Scribæ, Hhezra Schimhhoni Pontifici, Schimhhon Antigono, Antigonus Ioſepho Iohannis filio & Ioſepho Iohezeris filio, hi Nitao Arbolenſi & Iehoſchuæ filio Perachiæ, hi Iehudæ filio Tibai & Schimhhoni filio Satæ. Hic Hillel habuit multos diſcipulos, quorum triginta digni, ſuper quos divinitas deſcenderet, alii triginta, ut in ipſis eum gratiam Solem mobilis conſiſteret, minimus omnium diſcipulorum Hillelis fuit Iohannes Zachai filius. Huic & Schimhhoni Iuſto ipſius Hillelis filio tradiderunt Hillel & Samaias legis expoſitionem. Schimhhonem audivit Gamaliel celeberrimus legis Doctor, hujus auditor fuit Rabam Schimhhon, qui, quæ audivit, tradidiſſe dicitur filio ſuo Iehudæ, quem vocant Rabenu Hakkadoſch Magiſtrum noſtrum Sanctum. Hujus tempore nempe circa annum Domini 150. traditiones antea vivâ voce ſolùm ad poſteros propagatæ conſcribi & in unum volumen redigi cœperunt, quod Thalmud ab iis dici conſuevit.*

3. Sunt hæreticorum propria.

396. 3. *Sunt hæreticorum propriæ.* Illi enim jam olim dogmata ſua traditionum pallio velare & Eccleſiæ obtrudere conſueverunt. De diſcipulis Simonis Magi hoc teſtatur Irenæus lib. 1. cap. 1. & 17. de Valentinianis idem libr. 4. cap. 46. *Dicunt in abſcondito hæc eadem Salvatorem docuiſſe diſcipulos, non omnes ſed aliquos*, qui poſſunt capere; de Selgianis Epiphanius hæreſ. 39. de Archonticis, idem hæreſ. 40. de Severianis, idem hæreſ. 45. de Encratitis, idem hæreſ. 47. de Bardeſaniſtis, idem hæreſ. 56. de Montano Tertullianus libr. de veland. virginibus, de Artemone Euſebius lib. 5. Hiſtor. Eccleſ. cap 28. de Baſilide Clemens libr. 7. ſtromat. pag. 353. de Carpocratianis Iren. libr. 1. cap. 24. de Ptolemæo hæretico Epiphanius hæreſ. 33. de Arianis Athanaſ. orat. 2. contra Arian. de Eutyche Concilium Chalcedonenſe act. 1. & in genere de omnibus hæreticis Irenæus libr. 3. cap. 2. pag. 169. *Cùm ex Scripturis hæretici arguuntur, in accuſationem convertuntur Scripturarum, quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his, qui neſciunt traditionem, non enim per literas traditam illam, ſed per vivam vocem, ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, ſapientiam loquimur inter perfectos.* Quo eodem dicto Apoſtolico 1. Cor. 2. v. 6. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 8. ad infringendam Scripturæ perfectionem & ſtabiliendas traditiones abutitur, ut ſuum cum veteribus hæreticis conſenſum manifeſtum faciat. Confer tract. de Script. ſacra §. 54.

4. Sunt fallaces & incertæ.

397. 4. *Sunt multis modis fallaces & incertæ.* 1. *ratione originis.* Quæ enim pro traditionibus Pontificii venditant, ea à Chriſto & Apoſtolis profecta eſſe nulla certitudinis ſpecie affirmare, nullo argumentorum pondere demonſtrare poſſunt. *Quadrageſimale jejunium* eſt in numero traditionum, ſed ejus inſtitutionem quidam ad Chriſtum, quidam ad Apoſtolos, quidam ad Eccleſiæ decreta referunt Joh. 21. v. 23. ex ſermone Chriſti perperam intellecto orta fuiſſet traditio de Johanne non morituro, niſi per Scripturam error fuiſſet correctus. Julius Rugerius Papæ Protonotarius in opuſc. de libris Canon. & Apocryph. pronunciat, *traditionem nullius eſſe ponderis, niſi nullis temporum intercapedinibus interruptam ab Apoſtolorum uſque temporibus, inde enim neceſſum eſſe traditionem manare.* At ſi ſequamur hanc regulam, quàm multæ traditiones Pontificiæ erunt incertæ & ſuppoſititiæ? 2. *ratione numeri.* Nondum enim certi ſunt Pontificii de traditionum ſuarum numero, unde quidam ad traditiones referunt dogmata ea, quæ alii ex Scripturis deducere nituntur. Ex Hiſtoria Eccleſiaſt. demô-

ſtrari

ſtrari poteſt, quædam paucis retrò annis in Eccleſiam introducta, quæ pro traditionibus Apoſtolicis venditantur. 3. *ratione diverſitatis.* Quæ enim veteres pro traditionibus habent invicem non conſentiunt, & quædam illorum ab ipſis Pontificiis repudiantur. Juſtin. in qq. & reſp. ad orth. q. 115. pag. 362. *Die Dominico genua non flectimus, ea conſuetudo ab ipſis Apoſtolorum temporibus initium accepit.* At Pontificij hanc traditionem non acceptant. Ad hunc cenſum referendæ traditiones de ætate Chriſti, de celebratione Paſchatos, de jejunio quadrageſimali, de genuflexione inter Paſcha & Pentecoſten omiſſa, de Euchariſtia infantibus danda, de quibus nec veteres inter ſe nec cum veteribus Pontificij conſentiunt, ut oſtendimus tract. de Script. ſacra §. 57. & ſeqq. 4. *ratione effectus.* Traditionis opinio magnis in Eccleſia viris olim impoſuit, ut cumprimis apparet ex Papiæ exemplo apud Euſebium lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 33. Bellarminus quidem reſpondet lib. 4. de verbo Dei cap. 12. *Eccleſiam poſſe veras traditiones à falſis diſcernere.* Sed quærimus, quid Eccleſiæ nomine intelligat? Veteres Eccleſiæ Doctores intelligere nequit, quia illi de traditionibus diſſentiunt, ſolùm igitur Pontificem Romanum Eccleſiæ Romanæ caput intelligit, quem male-fidum doctrinæ cœleſtis cuſtodem eſſe, multis demonſtrari poteſt. Ibidem regerit, *etiam falſos libros olim titulo Apoſtolorum fuiſſe ornatos, quod veris eorum ſcriptis fraudi eſſe nequeat.* At ibi libri ut pſeudonymi & pſeudo Apoſtolici rejecti fuêre, traditiones verò magnis in Eccleſia viris olim impoſuerunt. Confer tract. de Script. §. 56. Witak. de Script. quæſt. 6. cap. 15. p. 750 &c.

5. Non ſunt à Chriſto & Apoſtolis profecta.

398. 5. *Non ſunt à Chriſto & Apoſtolis profectæ.* Diſputat. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei c. 11. *Apoſtolos conſuevisse ea, quæ ſunt ſimpliciter neceſſaria, omnibus prædicare, alia verò non omnia omnibus, ſed quædam omnibus quæ ſcilicet omnibus erant utilia, quædam ſolis Prælatis, Epiſcopis & Presbyteris, ut de ratione gubernandæ Eccleſiæ, de Sacramentis adminiſtrandis, de refellendis hæreticis &c.* quò accommodat dictum Apoſtolicum 1. Cor. 2. v. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos,* ac lib. ejuſd. cap. 4. diſputat, *cùm duo ſint in Scriptura, voces ſcriptæ & ſenſus eis incluſus, voces haberi ab omnibus, ſenſum verò non haberi, niſi accedat traditio.* Sed nemini cordato Bellarminus hæc perſuadere poterit. Nam 1. hæreticis hoc in more poſitum fuit, ut affirmarent, Chriſtum & Apoſtolos quædam omnibus, quædam ſecretò certis quibuſdam hominibus tradidiſſe. De Carpocratianis ſic ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 24. *Ieſum dicunt in myſterio diſcipulis ſuis & Apoſtolis ſeorſim locutum & illos expoſtulaſſe, ut dignis & aſſentientibus ſeorſim hæc traderent.* Tertullian. lib. de præſcript. *Solent dicere* (hæretici) *non omnia Apoſtolos ſciſſe, vel omnia quidem ſciſſe, ſed non omnia omnibus tradidiſſe.* Ac probè notandum, quod referente Irenæo lib. 3. cap. 2. Marcion & Valentinus ex eodem dicto Apoſtolico 1. Cor. 2. v. 6. id demonſtrare voluerint. Non effugit Bellarminus diſtinctione *inter myſteria hæreticorum & Catholicorum, quod illa abſcondantur propter turpitudinem, quia timeant lucem; hæc verò vel quia non eſt opus, ut illa ſciantur ab omnibus, vel quia non ſunt omnes capaces.* Nam Catholicorum verè & propriè ſic dictorum hoc non eſt proprium myſteria divina occultare, ſed hæreticorum, ut conſtat ex allegatis Irenæi & Tertulliani teſtimoniis, qui eo nomine hæreticos reprehendunt. Ecquis verò Bellarmino credere velit, ſublimiora eſſe myſteria, quæ occultantur in traditionibus, quàm quæ extant revelata in Scripturis? 2. Chriſtus expreſsè præcipit Apoſtolis Matth. 10. v. 27. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, ſupra tecta prædicate.* Bellarminus addit limitationem, *ſi opus fuerit.* At quod Chriſtus abſolutè præcipit, illud quandoq; non eſſe neceſſarium abſurdè dicitur. Adde quod Chriſtus ſuo exemplo oſtenderit, nihil eſſe in fidei myſteriis occultandum, modò ſint qui audire velint. Joh. 18. v. 20. *Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagoga & in templo, quò undiq; conveniunt & in occulto locutus ſum nihil.* Aliam ergo addit Bellarminus exceptionem dicens, *verborum Chriſti hunc eſſe ſenſum. Nihil dixi, quod non poſſit ubique dici, quod attinet ad veritatem & puritatem dictorum, cum quo tamen minimè pugnat, quod aliqua ſeorſim diſcipulis expoſuerit.* At hæc interpretatio non eſt conveniens ſcopo. Pontifex *examinabat Chriſtum de doctrina & diſcipulis.* Chriſtus reſpondet, *ſe nihil in abſcondito locutum,* ideoque auditores, quibus in publico omnia expoſuerit, eſſe audiendos. Finge, Chriſtum quædam Apoſtolis tradidiſſe, quæ non ſint omnibus propalanda, & Chriſti reſponſio non erit ad ſcopum accommodata, quod abſit. 3. De ratione gubernandæ Eccleſiæ inſtruit Apoſtolus Timotheum in priore Epiſtola ad ipſum ſcripta 1. Tim. 3. v. 14. *Hæc tibi ſcribo, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari.* Ea verò in omnium manibus verſatur. Quæ Act. 20. v. 18. & ſeqq. ad Epheſinos Epiſcopos à Paulo dicta, in Scriptura hodie extant. Sacramentorum inſtitutio formam eadem diſpenſandi præſcribit. Hæretici non niſi ex Scripturis refelli poſſunt & debent. Quæcunq; ergo Bellarm. Prælatis ſeorſim ab Apoſtolis communicata arbitratur, ea omnia in Scripturis extant. 4. Senſum Scripturæ à vocibus ſcriptis ſejungere, eſt Scripturam ſtatuere *literam mortuam,* quæ aliunde ſit animanda, quod eſt Svenceldianum. 5. Sicut Chriſtus *omnia quæcunque audivit à Patre, nota fecit Apoſtolis* Joh. 15. v. 15. ita viciſſim *nihil ſubterfugerunt, quò minus omne conſilium Dei de ſalute ipſorum auditoribus ſuis annunciarent,* Act. 20. v. 27. *quod audiverunt & viderunt, illud annunciarunt & ſcripſerunt* 1. Joh. 1. v. 1. & 2. falſum igitur eſt, quod quædam ſolis Prælatis & Epiſcopis communicaverint per vivæ vocis traditionem ad poſteros propaganda.

Dicta Patrum.

399. Ex Patribus huc referri poſſunt, 1. dicta, quæ de Scripturæ perfectione teſtantur, cum ea enim neceſſitas traditionum conſiſtere nequit. 2. in quibus teſtantur, Apoſtolos nihil in occulto tradidiſſe, quod à quibuſdam abſconderint. Irenæus lib. 3. cap. 14. pag. 199. *Apoſtolos ſimpliciter & nemini invidentes quæ didicerant à Domino hæc omnibus tradidiſſe,* colligit ex verbis Apoſtoli Actor. 20. *Non ſubterfugi, quò minùs annunciarem vobis omne conſilium Dei.* cap. 20. p. 200. *Doctrina Apoſtolorum manifeſta & firma & nihil ſubtrahens, neque alia quidem in abſcondito, alia verò in manifeſto docentium. Hoc enim fictorum & pravè ſeducentium & hypocritarum eſt molimen.* ** lib. 4. c. 36. *Nulla aliæ traditiones, quæ ſub Apoſtolorum titulo vel nomine jactantur recipienda ſunt, quàm quæ Scripturâ comprehenſa & illi ſunt conſentanea*

Cyprian.Epiſt.10.ad Pomp. *Unde eſt iſta traditio? an ex Dominica autoritate veniens? ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt, teſtatur Deus.* Auguſt.lib.5. de Bapt.contra Donatiſt.cap.26. *Quod Cyprianus monet, ut ad fontem recurramus id eſt Apoſtolorum traditionem & inde canalem in noſtra tempora dirigamus, optimum eſt & ſine dubitatione faciendum.*** Tertull.lib.de præſcript.cap.25.p.208. *Eadem dementia eſt, cùm confitentur quidem, Apoſtolos nihil ignoraſſe, nec diverſa inter ſe prædicaſſe, ſed non omnia voluit omnibus revelaſſe, quædam enim palam & universis, quædam ſecretò & paucis demandaſſe*, quod ipſum multis ibidem refellit. 3. in quibus teſtantur, hæreticorum eſſe proprium ad traditiones relictâ Scripturâ confugere. 4. in quibus ejuſmodi traditiones enumerant, quæ nec hodie à Pontificiis obſervantur.

Antitheſis 400. *Antitheſis.* Pontificij, quia ſibi perſuaſerunt Scripturam eſſe imperfectam, ideò imperfectionem illam traditionum ſupplemento abolendam cenſent, unde magnis encomiis traditiones exornant. Liodaous lib. 2.panopl.cap.5. eas dicit eſſe *Homericum illud μῶλυ, quod fidem Chriſtianam conſervet adverſus hæreticorum incantamenta.* lib.ejuſd.cap.9. vocat *Ajacis clypeum*, lib. 1.cap.9. *lapidem Lydium*, lib.5.cap.2. *fidei fundamentum.* Hoffmeiſter.in Theol.Patrum pag.24. *Illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica traditione diſcrepat & diſcordat.* Abeunt tamen in diverſas partes: 1. Quidam ſcripto Dei verbo eas *exæquant*, & in pari gradu cum verbo collocant. Concil. Trident. ſeſs. 4. *Sacroſancta Tridentina Synodus perſpiciens hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſacris & ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerũt, Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta omnes libros tàm veteris quàm novi Teſtamenti, cùm utriusque unus Deus ſit autor, nec non traditiones ipſas tùm ad fidem, tùm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Chriſto vel à Spiritu ſancto dictatas & continuâ ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu & reverentia ſuſcipit & veneratur.* Deſumtum eſt hoc decretum ex c. Eccleſiaſticarum diſt. 11. *Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam verò Apoſtolicâ traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepimus, quaſdam verò conſuetudine roboratas approbavit uſus, quibus par ritus & idem utriq; debetur pietatis affectus.* Catech.ex decreto Concil.Trid.editus p.12.edit. Col. *Omnis doctrinæ ratio, quæ fidelibus tradenda eſt, verbo Dei continetur, quod in Scripturam traditioneſq; diſtributum eſt.* Cenſur.Colon.fol.230. ſtatuit: *Traditiones habere parem autoritatem & eadem fide credendas eſſe, ſicut illa quæ habet manifeſta in Scriptura teſtimonia.* 2. Quidam verò traditiones Scripturæ *præferunt*, ac primum locum traditionibus, proximũ demùm Scripturæ tribuunt. Lindanus in lib. de opt.Script.interpret. *Traditio Eccleſiaſtica omnis planè religionis Chriſtianæ & puppis eſt & prora, indubitatumq; ſalutis & caſtrum & propugnaculum, ſalvo traditionis fundamento nihil noxæ inferetur Eccleſiæ, quantumvis Scripturæ aboleantur.* 3. Quidam primum locum tribuunt ſcripto Evangelio; *proximum* duntaxat non eundem traditionibus, ut Staniſlaus, Hoſius, referente Vergerio Dialog. 1.contra Hoſium tom.1.oper.fol.140. ut & Jacobus Nachiantes Foſſæ Clodiæ vel Clugienſis Epiſcopus, qui cùm in Concilio Tridcot. diceret, *Verba illa pari pietatis affectu &c. ſibi dura videri, nihil enim eſſe, quod cum Evangelio conferri poſſet*, propter hoc juſſus eſt à Legatis Tridento diſcedere, & Romam ad impetrandam à Pontifice veniam abire, referente eodem Vergerio in Epiſt. ad Regem Polon.fol.119.

401. Bellarminus de traditionibus diſputaturus lib.4.de verbo Dei ſic progreditur. Cap.1. recenſet eos, qui potiſſimùm defenderint vel oppugnarint non ſcriptas traditiones. Cap. 2. definit traditiooem, quod ſit *doctrina non ſcripta, non quidem quod nuſpiam ſit ſcripta, ſed quod non ſit ſcripta à primo autore.* Taxat Chemnicium, quod ex Cypriano lib. 2.Epiſt.3. mixtionem calicis vocante Dominicam traditionem probare voluerit, *traditionis nomen doctrinæ ſcriptæ tribuit, cùm nuſpiam in Evangelio id tradatur.* (At Cyprianus exiſtimabat hoc eſſe ſcriptum ac oihilominus vocat traditionẽ, ex ipſius ergo hypotheſi Chemnicius eſt locutus) Exempli loco ſubjicit, *Baptiſmum parvulorum*, de quo *in nullo Apoſtolico libro aliquid ſcriptum inveniri ait.* (At Bellarminus ipſe lib. de Bapt.cap.8. tria ex Scripturis argumenta pro ſtabiliendo pædobaptiſmo adducit, & cap. 9.addit, *quod ſatis apertè colligatur ex Scripturis.*) Deinde duplicem Traditionum diviſionem haberi dicit. Priorem quidem deſumtam *ab autoribus*, poſteriorem *à materia.* Prior diviſio eſt in traditiones *divinas, Apoſtolicas & Eccleſiaſticas.* Divinæ dicuntur, *quæ acceptæ ſunt ab ipſo Chriſto Apoſtolos docente & nuſquam in ſacris literis inveniuntur.* Talia dicit eſſe quæ ad *materiam & formam Sacramentorum pertinent, de quibus pauca habeantur in divinis literis, cùm tamen certum ſit, Sacramentorum eſſentiam non potuiſſe, niſi à Chriſto inſtitui* (Sacramentorum nomine intelliguntur, vel duo verè & propriè dicta Nov. Teſt. Sacramenta, Baptiſmus & Euchariſtia; vel quinque Pontificiorum Sacramenta duobus illis ſuperaddita. Illorum forma & materia in Scripturis ſacris ſatis disertè extat expoſita; horum materiam & formam in illis extare nos negamus, proinde etiam pro Sacramentis à Chriſto inſtitutis minimè agnoſcimus. Bellarminus verò ſibi contradicens etiam horum Sacramentorum materiam & formam anxiè in Scripturis quærit) Apoſtolicæ dicuntur, *quæ ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, non tamen ſine aſſiſtentia Spiritus ſancti & nihilominus non extant ſcriptæ in eorum Epiſtolis*, quale eſſe dicit *jejunium quadrageſimale & quatuor temporum.* (Quicquid Apoſtoli ad fidem & mores pertinens in tota Eccleſia ſervandum præceperunt, illud eſt divinum & neceſſarium, idque omne in ſacris literis continetur; quicquid verò rituum & Ceremoniarum in certis Eccleſiis inſtituerunt, illud eſt liberum & ἀδιάφορον. De jejunio certas leges Apoſtolos tuliſſe negant pij veteres. Auguſtin. Epiſt. 86. ad Caſulanum: *Quibus diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat jejunare, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.* Socrates lib. 5. Hiſt. Eccleſ. cap.21. *Puto Apoſtolos hoc ſingulorum reliquiſſe ſententiæ, ut unusquisque agat non timore aut neceſſitate quod bonum eſt.* Ergo quadrageſimale jejunium non poteſt referri ad *Apoſtolicas traditiones*, unde Hoſius in Confeſſ. petricov. cap.4. ad *Eccleſiaſticas traditiones* refert. Alij ex Pontificiis ad di-

ad *divinas traditiones* referunt. Alphonſus à Caſtro lib. 8. adv. hæreſ. ſcribit, *multos graves Theologos affirmare, quadrageſimam a Chriſto inſtitutam eſſe.* Ab utriſq; diſcedit hoc loco Bellarminus, dum non ad divinas, nec ad Eccleſiaſticas, ſed ad Apoſtolicas traditiones quadrageſimale jejunium refert) Eccleſiaſticæ traditiones dicuntur *conſuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis vel à populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim legis habuerunt, quas cum decretis & conſtitutionibus Eccleſiæ parem vim habere dicit.* (In Republ. civili eſt quidem eadem vis conſuetudinum approbatarum & legum ſcriptarum l. diuturna ff. de legibus, ſed in Eccleſiaſtica Republ. idem locum habere, nondum demonſtratum. Cæterum *Eccleſiaſticas traditiones cum Eccleſiæ traditionibus parem vim habere* Bellarminus aſſerit, non auſus eaſdem cum ſcripto Dei verbo exæquare, ſed Tridentini ſine ulla diſtinctione traditiones omnes *pari pietatis affectu cum ſcripto Dei verbo ſuſcipiendas eſſe* decernunt.) Poſterior diviſio eſt in *Traditiones de fide, & Traditiones de moribus*, quæ rurſus aut ſunt *perpetuæ* aut *temporales, Vniverſales* vel *particulares, neceſſariæ* vel *liberæ*, *Traditiones de fide ſunt, quod Maria ſemper fuerit virgo, quod ſint quatuor Evangelia. Traditiones de moribus, quod ſignum crucis in fronte pingendum, quod certis diebus jejunia celebranda. Traditio perpetua eſt, quæ ita inſtituitur, ut ſemper ſervetur uſq; ad mundi conſummationem, quales ſunt hactenus enumeratæ.* (Illæ aut ſunt ſcriptæ, & ſic erunt neceſſariæ, aut non ſunt ſcriptæ, & ſic erunt liberæ) *Traditio temporalis eſt, quæ inſtituitur ad certum tempus, ut obſervatio quarundam legalium Ceremoniarum* Act. 15. (at hæ ſcriptæ ſunt, & ex lege caritatis intelligi poterat, in adiaphoris habendam eſſe rationem fratrum infirmorum) *Traditio univerſalis eſt, quæ toti Eccleſiæ ſervanda traditur, qualis eſt Paſchatos & magnorum feſtorum obſervatio. Particularis, quæ traditur uni tantum aut pluribus Eccleſiis, qualis erat tempore Auguſtini jejunium Sabbati, quod Petrus Romanæ Eccleſiæ tradiderat, & ab ea ſola & quibuſdam aliis ſervabatur.* Auguſtin. Epiſt. 86. ad Caſulanum: *Traditio neceſſaria eſt, quæ traditur in forma præcepti, ut celebratio Paſchæ die Dominico poſt 14. Lunam Martij: Traditio libera eſt, quæ traditur in forma conſilij, ut aſperſio aquæ luſtralis.* (Quid in hiſce probemus vel improbemus, patet ex præcedentibus, & ex iis quæ poſtea ſubjungentur, uberiùs conſpicietur.) Cap. 3. ſtatum quæſtionis explicat & mendacia quædam Chemnitij & aliorum detegit, (ſed ipſa inſpectio locorum à mendacij crimine facilè eos liberat.) Cap. 4. incipit demonſtrare *traditionum neceſſitatem*, ubi diſputat, *Scripturas ſine Traditionibus nec fuiſſe ſimpliciter neceſſarias, nec ſufficientes.* De utroque egimus ſuperiùs. Cap. 5. ex Scripturis demonſtrare conatur, *eſſe aliquas veras traditiones. 1. ex demonſtrata Scripturæ imperfectione.* (At perfectionem Scripturæ præced. cap. demonſtravimus, Bellarminus ipſe concedit, lib. 4. de verbo Dei cap. 11. *illa omnia ab Apoſtolis eſſe ſcripta, quæ ſunt omnibus neceſſaria & quæ palam omnib. propoſuerant.*) *2. ex Scripturarum teſtimoniis*, quæ ordine conſiderabimus.

Argumenta pro traditionibus 1. Joh. 16.

402. 1. Johan. 16. v. 12. ait Chriſtus ad diſcipulos: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis modo portare.* cap. 21. v. 25. ait Evangeliſta: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros. Conſtat igitur multa Dominum feciſſe & dixiſſe, quæ non ſunt ſcripta, nam iſtos libros, qui extant, una manus capere poteſt. Johannes autem dicit, totum mundum non poſſe capere libros, qui ſcribendi eſſent. Et præterea illa, quæ promittebat Dominus ſe dicturum, dixit haud dubiè poſt reſurrectionem ſuam* Actor. 1. v. 3. *at de geſtis & verbis Domini poſt reſurrectionem pauciſſima ſcripſerunt Evangeliſtæ. Non autem eſt ullo modo credibile, Apoſtolos, qui illa viderant & audierant, non tradidiſſe Eccleſiæ, nec enim invidi aut obliviosi erant, ut nollent aut non poſſent ea dicere.*

v. 12 multa habeo vobis dicere cap. 21. v. 25. Sunt & alia multa, quæ fecit Ieſus.

Exegeſis.

Reſp. 1. Concedimus, non eſſe omnia, quæ Chriſtus dixit aut fecit, ab Evangeliſtis ſcripta, ſed negamus aliquid eorum, quæ ad fidem & mores ſunt neceſſaria, eſſe ab illis prætermiſſum. Lucas enim Actor. 1. verſ. 1. dicit, *ſe ſcripſiſſe de omnibus, quæ cœpit Ieſus facere & docere*, intellige ea, quæ ſunt ſcitu ad ſalutem neceſſaria, ut Chryſoſtomus in comm. rectè exponit. Cyrillus lib. 12. in Johan. cap. ult. *Non omnia, quæ Dominus fecit, conſcripta ſunt, ſed quæ ſcribentes tàm ad mores, quàm ad dogmata putarunt ſufficere.* Auguſt. tract. 49. in Johan. *Electa ſunt, quæ ſcriberentur, quæ ſaluti credentium ſufficere viſa ſunt.* Quæ Cyrilli & Auguſtini dicta dubio procul petita ſunt ex Johan. 20. v. 31. *Multa quidem ſigna fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta; hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Ieſum eſſe Chriſtum, & vitam habeatis in nomine ejus.* Regerit Bellarminus, *Etiam neceſſaria non eſſe ſcripta & præſertim de Sacramentorum inſtitutione, quæ ſine dubio Dominus tradidit in illis 40. diebus poſt reſurrectionem.* Atqui vel loquitur de duobus verè & propriè ſic dictis N. Teſtam. Sacramentis, vel de quinque Sacramentis, quæ Pontificij prioribus ſuperaddunt. Illorum inſtitutio disertè extat in Scripturis, horum ſi vel maximè non extet, nihil tamen perfectioni Scripturæ decedit, quin potius ex eo colligimus, illa non eſſe verè & propriè dicta Sacramenta. Locutus fuit Chriſtus poſt reſurrectionem cum diſcipulis *de regno Dei* Actor. 1. verſ. 3. de merito & via ſalutis conſequendæ, de regno gratiæ, de beneficiis hujus regni, de modo adminiſtrationis & propagationis, de hoſtibus illud oppugnantibus, de perpetua ejuſdem conſervatione &c. at hi non fuerunt novi fidei articuli extra Scripturam, ſed prioris doctrinæ repetitio. Vide Harmon. de reſurrect. pag. 502. Quæ Chriſtus cum diſcipulis locutus, disertis verbis deſcribuntur Matth. 28. Marc. 16. Luc. 24. Actor. 1. ut non ſit opus ad traditiones ἀγράφους dubias & incertas confugere. 2. Quamvis Chriſti dicta & facta ſigillatim κατὰ μέρος & καθ᾽ ἓν in Scripturis non extent, tamen κατὰ γένος in illis habentur, quæ enim non ſunt annotata, ejuſdem fuêre generis cum iis, quæ ſcripta extant, ac duntaxat uberior quædam declaratio & confirmatio eorum fuerunt. Omnia enim Chriſti miracula unum eundemq; ſcopum habuêre. Sic Actor. 20. v. 35. citatur quædam ſententia Domini ab Evangeliſtis prætermiſſa, ſed ejuſdem generis complures exhortationes ab Evangeliſtis ex Chriſti ore annotatæ extant. Matth. 5. verſ. 7. *Beati miſericordes.* Luc. 6. v. 38. *Date & dabitur.* cap. 16. v. 9. *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis.* 3. Nulla igitur in hiſce Bellarmini illationibus eſt legitima conſequentia: *Non omnia*

Chriſti miracula in ſpecie ſunt annotata. Ergo doctrina ad fidem & mores neceſſaria non eſt ſufficienter ſcripta. Non omnia, quæ Chriſtus egit & dixit, ſcripta ſunt. Ergo non omnia ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt ſcripta. Chriſtus eo tempore Apoſtolis non dixit omnia. Ergo nec poſtea illis revelavit, & illi non ſcripſerunt omnia neceſſaria. Quædam Chriſti dicta & facta ſunt ab Evangeliſtis prætermiſſa. Ergo illa ſunt traditiones iſtæ, quæ a Pontificiis Eccleſiæ obtruduntur. Probent priùs, traditiones ſuas eſſe verè divinas & Apoſtolicas, h.e. à Chriſto & Apoſtolis profectas atque Eccleſiæ commendatas, & promtiſſimo animo eas recipiemus. 4. Si Scriptura ideò eſt imperfecta, quia non omnia Chriſti dicta & facta καθ' ἰν ſcripta, ne quidem cum traditionibus conjuncta erit perfecta; quia ex traditionibus non poterunt ea ſingula proferri. 5. Ea quæ non ſunt ab Evangeliſtis ſcripta, fuêre omninò conſentientia iis, quæ ſcripta ſunt, abſit enim ut Spiritum ſanctum, qui per Chriſtum & Apoſtolos locutus eſt, ſibi contrarium ſtatuamus. At traditiones Pontificiæ pugnant cum Dei verbo. Sic Petrus à Soto in lib. contra Brent. refert inter traditiones *invocationem Sanctorum, merita operum &c.* Pereſius part. 3. de tradit. *cœlibatum Sacerdotum*, ac poſſumus ex Scriptura demonſtrare, ſanctos non eſſe invocandos, nulla eſſe operum merita, conjugium eſſe perſonis Eccleſiaſticis liberum à Chriſto Apoſtolis relictum. Ergo hæ traditiones non poſſunt eſſe, quæ ab Evangeliſtis prætermiſſa. Quemadmodum enim Irenæus lib. 3. cap. 11. p. 188. Evangelium à Valentinianis confictum, cui titulum fecerant *Evangelium veritatis*, falſitatis ex eo convincit, quod fuerit diſſimile reliquis quatuor Evangeliis: eodem modo confictas traditiones, quæ Apoſtolis tribuuntur, convincere poſſumus eſſe falſas, cùm non conſentiant doctrinæ in ſcriptis ipſorum propoſitæ. 6. Ea quæ Chriſtus tunc propter infirmitatem & mœſtitiam diſcipulorum tradere non poterat, fuerunt ſumma myſteria, quæ ſine Spiritu ſancto intelligi nequeunt, ſed traditiones Pontificiæ ita comparatæ ſunt, ut facilè intelligi poſſint. 7. Dictum Chriſti Johan. 16. v. 12. lucem ſortitur ex reliquis Joh. 15. v. 15. inquit Chriſtus ad diſcipulos: *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos meos, quia omnia, quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ergo nihil quicquam eorum, quæ fuere neceſſaria, Chriſtus in Apoſtolorum inſtitutione prætermiſit. Viciſſim Apoſtoli omnia neceſſaria in ſcriptis ſuis propoſuerunt. 1. Johan. 1. v. 1. *Quod audivimus & vidimus, id annunciamus vobis.* v. 2. *& hæc ſcribimus vobis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum.* At num poſſet ex ſcriptis eorum perfectum piorum gaudium & perfecta conſolatio peti, ſi aliquid neceſſarium prætermiſſum? Quare ergo Chriſtus dicit, *multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis modo portare.* Reſp. verba Evangelica afferunt ſecum expoſitiones ſuas & ubicunque inveneris pro hæreticis objectionem in Scriptura, invenies medicamentum in latere ejus. Chriſtus immediatè ſubjungit v. 13. *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, ὁδηγήσει ὑμᾶς, deducet vos in omnem veritatem.* At num alia docebit Spiritus ſanctus, quàm quæ Chriſtus jam antè docuerat? minimè verò, ſed additur, *non loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur.* v. 14. *de meo accipiet & annunciabit vobis*, cap. 14. v. 26. *ille vos docebit omnia καὶ ὑπομνήσει in memoriam vobis revocabit ὅσα εἶπον, quæcunque dixi vobis.* Latina verſio habet, *quæcunque dixero vobis*, ſed corrigitur ab Eraſmo. Ex quibus omnibus liquido apparet Chriſtum Johan. 16. verſ. 12. loqui non de novis quibuſdam dogmatibus, quæ Apoſtoli adhuc ignorarent, ſed de illis, de quibus ſæpius coram ipſis fuerat concionatus, Apoſtoli verò propter infirmitatem quâ adhuc laborant, & propter præconceptas opiniones non intellexerant. Sic Johan. 2. verſ. 22. Chriſtus *de templo corporis ſui* vaticinatur, quod poſt triduum illud ſit excitatus. Hæc verba tùm non intelligebant diſcipuli, ſed poſt reſurrectionem. Sic quæ de paſſione & reſurrectione Chriſtus in hac concione προφητικῶς dixerat, ante impletionem non intelligebant. ** Etſi ad id uſq; temporis non omnia docuiſſet Chriſtus Apoſtolos, tamen poſtea docere potuit, nempe poſt reſurrectionem, quod probant dicta Luc. 24. *Incipiens* Actor. 1. de regno Dei ** 8. Quæ omnia probè expendens Corn. Janſen. in Concord. Evang. cap. 135. pag. 964. in hæc verba ſic commentatur: *Multa hæc, de quibus dicit Dominus, adhuc multa habeo vobis dicere, rectè intelliguntur ea, quæ per adventum Spiritus ſancti didicerunt apertè & clarè de myſteriis Chriſtianæ fidei, apertiorem & clariorem explicationis horum non erant tunc capaces Apoſtoli. Non ergo multa hæc diverſa quædam erant ab eis, quæ hactenus ipſos Dominus præſens docuerat, ſed eorundem plenior & clarior explicatio, ſicut cùm Paulus dicit Corinthiis 1. Epiſt. 3. Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tanquam parvulis lac vobis potum dedi, non eſcam, ſapientiam autem loquimur inter perfectos 1. Epiſt. 2. Non vult ſignificare, ſe alia docere perfectos quam imperfectos, cùm utriſque eandem prædicaret fidem, ſed quod ſuæ prædicationis & fidei myſteria perfectius aperiret perfectioribus, ſermonemq; ſuum aptaret audientium capacitati.* Hæc omnia Janſenius ſcriptor Pontificius, quæ vel ſola ad Bellarmini argumentum dicta ſufficiunt. 9. Ibidem rectè monet Janſenius ex Auguſtin. tractat. 96. in Johan. *Omnes etiam inſipientiſſimos hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audaciam figmentorum ſuorum hac occaſione Evangelicæ ſententiæ colorare fuiſſe conatos, ubi Dominus ait, adhuc multa habeo vobis dicere,* quibus nervoſè reſpondet: *Cùm CHRISTVS ipſe ea tacuerit, quis noſtrûm dicat, illa vel illa ſunt? aut ſi dicere audeat, unde probabit? Quis enim eſt tàm vanus aut temerarius, qui cùm dixerit etiam vera, quibus voluerit & quæ voluerit, ſine ullo teſtimonio divino affirmet ea eſſe, quæ tunc Dominus dicere voluit?*

403. 2. 1. Cor. 11. v. 34. & ſeqq. *duas quæſtiones tractat, unam de modo orandi in Eccleſia, alteram de modo ſumendi Euchariſtiam. Vtramque expedivit traditione, quia præcepta illa nuſquam ſcripta inveniuntur, & concludit v. 34. Cætera cùm venero, diſponam. Quid diſpoſuerit, nuſquam ſcriptum invenitur. Meritò autem cenſent Catholici, eum non ſolùm diſpoſuiſſe, quæ ad ritus & Ceremonias pertinebant, ſed etiam tradidiſſe alia graviora, ut de ordinatione miniſtrorum, de ſacrificio altaris, de aliorum Sacramentorum materia & forma, nec hæretici poſſunt ullo modo contrarium oſtendere.* Reſp. 1. redeunt eædem ἀνυπόστατοι: *Apoſtoli quædam tradiderunt; Ergo ea non ſunt poſtea* 2. 1. Cor. 11. v. 34. Cætera cùm venero, diſponam.

in Scri-

in Scripturas relata. Apoſtoli quædam tradide-runt, quæ non ſunt ſcripta, Ergo illa proponuntur in traditionibus Pontificiis. Apoſtolus quædam Ceremonialia tradidit Corinthiis de modo ſumendæ Euchariſtiæ & de modo orandi in Eccleſia. Ergo quædam dogmata neceſſaria non ſunt in Scripturis ſacris comprehenſa & propoſita. Apoſtolus quoſdam ritus ſuâ Naturâ liberos & adiaphoros in Eccleſia Corinthiaca ordinavit. Ergò tantum traditionum cumulum de fidei dogmatibus reliquit. Apoſtolus tum temporis ad Corinthios nondum omnia perſcripſerat, quæ ad ritus Eccleſiaſticos pertinebant, unde eos laudat, quòd traditiones ſuas obſervent. Ergo poſt abſolutum Nov. Teſtam. Canonem, ne quidem in reliquis Epiſtolis inveniri poteſt, quod de doctrina Apoſtolica ſcire nobis neceſſarium. 2. Duo ſunt in Euchariſtiæ adminiſtratione: *Subſtantialia & Ceremonialia ſive ritualia.* Illa ſunt neceſſaria & ſufficientiſſimè ſcripta, quia Apoſtolus repetit inſtitutionem ſacræ Cœnæ, quam ab ipſo Domino ſe accepiſſe dicit v. 23: ea verò ab Evangeliſtis jamdum erat deſcripta & Paulus ipſe hoc loco Epiſtolæ ſuæ eam inſerit; hæc verò ſecundùm quid duntaxat neceſſaria ſunt ſcilicet *quoad genus & quoad morale*; ut omnia fiant κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημόνως, quod merè eſt Ceremoniale, id in Eccleſiæ libertate eſt relictum, unde etiam ipſi Pontificij non obſervant hodie Ceremonias illas omnes, quas Corinthiacæ Eccleſiæ Apoſtolus ibidem præſcripſit. 3. Per τὰ λοιπὰ, quorum diſpoſitionem Apoſtolus pollicetur, non poſſunt intelligi neceſſaria quædam dogmata in Scripturis prætermiſſa, ſed liberi quidam ritus ad decentem ordinem & ædificationem ſpectantes, quod probamus. Primò ex eo, quod Apoſtolus 1. Corinth. 1. v. 5. dicit, Corinthios *eſſe in omnibus divites factos in omni verbo & in omni ſcientia.* At ſi quædam neceſſaria & maximi ponderis dogmata adhuc ignoraſſent, non fuiſſent jamtum divites in omni ſcientia. 1. Corinth. 15. v. 1. ſcribit, *notum vobis facio Evangelium, quod prædicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſervamini.* Ergo nihil eorum, quæ ad ſalutem ipſis erant neceſſaria, ignorabant. Secundò ex ipſis verbis. Dicit enim τὰ λοιπὰ *reliqua*, quæ ſcilicet ſunt ejuſdem generis cum præcedentibus, in quibus de Ceremoniis & ritibus fuerat locutus. Utitur inſuper verbo διατάξομαι, quod reſpicit Ceremonias ad εὐταξίαν καὶ εὐσχημοσύνην in Eccleſia ſpectantes. Tertiò ex circumſtantiis. Si enim fuiſſent Corinthij adhuc neceſſariorum quorundam dogmatum ignari, Apoſtolus prætermiſſis ritibus ſuâ Naturâ liberis, de illis potius Corinthios in hac Epiſtola inſtruxiſſet. Quartò ex conſenſu Interpp. Ambroſ. in comm. *Cætera, quæ ad ædificationem Eccleſiæ pertinent, præſentiâ ſuâ ſe ordinare promiſit.* Chryſoſtom. in comm. *De hac re loquitur, vel de aliis non multum urgentibus.* Theodoret. ibid. *Cùm ſcripſiſſet de magis neceſſariis, reliqua præſentiæ reſervavit.* Oecum. ibid. *Aut de eadem re hoc dicit, veluti ſacrâ cœnâ in aliis rebus emendatione opus habente, aut aliâ re, quæ non tàm verbis quàm ipſius præſentiâ egeat.* Thomas in comm. *Cætera, ſcilicet quæ non ſunt tanti periculi.* Cajetan. in comm. *Cætera ſcilicet prænarrata. Narraverat præter abuſum anticipationis Cœnæ alium abuſum, ſcilicet & alius quidem eſurit, alius ebrius eſt. Narraverat, quod cùm convenirent, diſſidia erant inter illos & neutri horum remedium adhibuerat, propterea dicit. Cætera prænarrata, cùm venero, diſponam.* 4. Quæ Bellarminus ab Apoſtolo poſtmodùm tradita ſuſpicatur, *de ordinatione ſcilicet Miniſtrorum, de ſacrificio altaris, de Sacramentorum materia & forma*, ea ipſe in libr. de Sacramento ordinis, de Miſſa, de Confirmatione, de Pœnitentia, de extrema unctione, de Matrimonio ex ſcriptis Apoſtolicis eruere laborat. Statuit igitur ea non pertinere ad traditiones ἀγράφους ſed eſſe dogmata ἔγγραφα.

Exegeſis.

404. 3. 2. Theſſ. 2. v. 15. *Itaque ſtate fratres, tenete traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram, ubi particula disjunctiva apertè indicat, diverſa eſſe quæ tradiderat & quæ ſcripſerat, nec in illa Epiſtola totum Evangelium continetur, quod tamen totum Apoſtolus Theſſalonicenſibus prædicaverat. Adde quod Apoſtolus in hoc capite dicit, ſe illis prædicaſſe de Antichriſto, quando eſſet venturus, quod tamen nuſpiam ſcriptum.* Reſp. 1. Traditionis nomine *generaliter* accepto hîc intelligitur omnis doctrina quocunq; modo tradita ſive ſermone, ſive ſcripto, admonet enim Apoſtolus Theſſalonicenſes, ut in doctrina cœleſti, quam tùm vivâ voce ipſis tradiderat, tùm in hac Epiſtola ſcripto complecti cœperat, conſtanter perſeverent, ut oſtendit textus Apoſtolici connexio. v. 5. οὐ μνημονεύετε *an non meminiſtis, quod hæc dixerim vobis, cùm eſſem apud vos?* v. 14. *vocavit vos Deus per Evangelium noſtrum.* v. 15. *Itaque ſtate & tenete traditiones, quas didiciſtis.* ** Ambroſius obſervat connexionem textus. *Vocavit vos Deus ad ſalutem obtinendam per noſtrum Evangelium. Ergo ſtate, tenete traditiones &c.* quaſi dicat, Ergo ſtate firmi in Evangelio, quod partim viva voce, partim ſcripto vobis tradidi. Sic ergo Pauli traditiones ſunt traditum Evangelium. At Evangelium eſt ſcriptum. Traditiones itaque Pauli ſunt ſcriptæ. Quæ ſint ea, quæ per ſermonem tradita, commemorat; explicatur. Actor. 17. verſ. 2. ubi ſcribit Lucas Paulum *cùm veniſſet Theſſalonicam expoſuiſſe Judæis ex ſcripturis oportuiſſe Chriſtum pati ac reſurgere à mortuis & illum Chriſtum eſſe Ieſum quem annunciet.* Quibus verbis aperitur & quid & unde Apoſtolus Theſſalonicenſibus tradiderit per ſermonem. Unde? ex Scripturis. Quid? oportuiſſe Chriſtum pati & reſurgere, & Jeſum eſſe Chriſtum illum. Hæc eſt ergo *traditio Evangelij* ut ab Ambroſ. in comm. 2. Theſſ. 2. rectè nominatur, quam Theſſalonicenſes tenere inquit Apoſtolus. Docuit Theſſalonicenſes Evangelium 1. Theſſ. 1. verſ. 5. cap. 2. v. 4. cap. 3. v. 2. aliud autem Evangelium non eſt quàm quod ſcriptum Gal. 1. v. 7. ** 2. Concedimus igitur Theſſalonicenſes debuiſſe ſervare & arctè tenere omnia, quæ ab Apoſtolo didicerant, *ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*, quia Apoſtolus quædam vivâ voce ipſis tradiderat, quædam literis comprehenderat, ſed ex eo inferri nequit, quod etiam poſt abſolutum Nov. Teſtam. Canonem quædam neceſſaria dogmata ad fidem & mores pertinentia non fuerint ab Apoſtolis ſcripta. Conſtat enim hanc Epiſtolam Pauli ad Theſſalonicenſes ſcriptam eſſe primo tempore inter Nov. Teſtam.

3. 2. Theſſ. 2. v. 15. Tenete traditiones.

O 3 libros,

libros, antequam vel Matthæi Evangelium eſſet ſcriptum, ſi Irenæo credimus, 18. poſt CHRISTI aſcenſionem anno, quo tempore Athenis docebat Apoſtolus, cùm Matthæus ſcripſerit anno 21. Iren. lib. 3. adv. hæreſ. cap. 1. (Nicephorus tamen lib. 2. Hiſt. cap. 45. decimo quinto poſt Chriſti aſcenſionem anno Matthæum ſcripſiſſe aſſerit.) Nulla proinde conſequentia eſt in hoc argumento: *Theſſalonicenſibus non ſcripſit Apoſtolus omnia in hac Epiſtola, unde remittit illos ad doctrinam vivâ voce ipſis priùs traditam. Ergo ea planè non ſunt ſcripta. Eo tempore, quo hac Epiſtola ad Theſſalonicenſes ſcribebatur, nondum erant omnia ſcripta. Ergo nec poſtea omnia ſcripta fuerunt.* ** Ad traditiones eos remittit. 1. quia de Hiſtoria Evangelica tantùm extabat Epiſtola Synodalis Actor. 15. & prior Epiſtola ad Theſſalon. 2. quia Theſſalon. in recenti adhuc memoria tenebant quæ Paulus vivâ voce ipſis tradiderat. ** 3. Quidam reſpondent particulam *εἴτε* hoc loco non eſſe *disjunctivam*, ſed *conjunctivam*, quo modo uſurpetur 1. Corint. 13. verſ. 8. ſicut etiam particula ἢ 1. Corinth. 11. verſ. 27. ita accipitur. Sed ſi vel maximè disjunctivè hîc accipiatur, nihil ex eo noſtræ ſententiæ decedit. 4. Apoſtolus nequaquam de certo & determinato tempore, quo Antichriſtus expectandus eſſet, Theſſalonicenſibus vivâ voce aliquid tradiderat, ſed de adventu, dominatione & revelatione Antichriſti, ut ex textu colligitur. Si de certo adventus tempore aliquid ipſis revelaſſet, utique Theſſalonicenſes non expectaſſent CHRISTI ad judicium adventum, tanquam proximè inſtantem. Sed demus traditionem illam Apoſtolicam fuiſſe de certo Antichriſti adventuri tempore, vel igitur Pontificij hanc traditionem proferant, vel fateantur ſe deſtitui Apoſtolicâ illâ traditione. 5. Quæcunque Apoſtolus Theſſalonicenſibus tradidit, ea vel in hac Epiſtola, vel in aliis Nov. Teſtam. libris poſtmodum ſunt conſignata, vel pertinent ad illam claſſem Actor. vigeſ. ſext. verſ. vigeſ. ſecund. *Nihil dicens extra ea, quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moſes,* vel referenda ſunt ad ritus & liberas Ceremonias, vel ad ea, quæ ſine fidei & ſalutis jactura ignorari poſſunt, utpotè quid AntiChriſti adventum fuerit remoratum. 6. Probet verò Bellarminus hanc conſequentiam: *Quædam non ſunt ſcripta, ſed vivâ voce Theſſalonicenſibus tradita. Ergo ea ipſa ſunt traditiones Pontificiæ.* A non diſtributo ad diſtributum, à genere ad ſpeciem affirmatè hac ratione proceditur. 7. Quæ Apoſtolus hîc *per ſermonem* Theſſalonicenſibus tradita dicit; ea omnibus ſine diſcrimine fuerunt tradita & omnibus nota, quia Apoſtolus in genere dicit: *Tenete Traditiones.* Sed de illis traditionibus, quas Apoſtoli vivâ duntaxat voce Eccleſiis reliquerunt, Bellarminus cap. 11. ſequente ſic diſputat, *quod pertineant ad ſapientiam perfectis traditam, non autem ſine diſcrimine omnibus propalatam.* 8. Denique quæ Apoſtolus tradidit ſive ſermone ſive ſcripto, ea fuerunt ejuſdem generis omnia & Vet. Teſtam. libris & ſibi invicem conformia, abſit enim, ut ab uno eodemque veritatis Spiritu contraria profecta eſſe ſtatuere velimus. Sed Pontificiæ traditiones Scripturis ſunt adverſæ.

4. 1. Tim. 6 405. 4. 1. Timoth. 6. verſ. 20. *O Timothee depoſitum cuſtodi.* 2. Timoth. 1. verſ. 13. *Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiviſti. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.* cap. 2. verſ. 1. *Tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiviſti à me per multos teſtes, commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei & alios docere. In his locis nomine depoſiti non poteſt intelligi Scriptura ſacra, ſed theſaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum divinorum, hoc eſt, tàm ſenſus Scripturarum, quàm aliorum dogmatum, quam totam doctrinam propagari volebat per traditionem, ut explicant Chryſoſtomus & Theophylactus in h. l. Si loqueretur de verbis ſcriptis non tàm anxiè commendaret depoſitum. Scriptura enim facilè conſervantur in chartis & à librariis. Apoſtolus autem vult ſervari per Spiritum ſanctum in pectore Timothei. Deinde non adderet, hæc commenda fidelibus hominibus, qui ſint idonei ad alios docendos, ſed diceret, commenda librariis, ut multa exemplaria tranſcribant. Nec diceret, quæ audiviſti à me per multos teſtes, ſed quæ ſcripſi tibi.* Reſp. 1. Tertullian. lib. de præſcript. cap. 25. pag. 208. teſtis eſt, *veteres hæreticos eodem argumento demonſtrare voluiſſe, Apoſtolos non revelaſſe omnia omnibus. Confitentur quidem (* inquit *) nihil Apoſtolos ignoraſſe, ſed non omnia voluiſſe illos omnibus revelaſſe, quædam enim palam & univerſis, quædam ſecretò & paucis demandaſſe, quia & hoc verbo uſus eſt Paulus ad Timotheum: O Timothee depoſitum cuſtodi.* Et rurſum: *Bonum depoſitum cuſtodi.* Reſpondet autem Tertullianus: *Quod depoſitum eſt tam tacitum, ut alterius doctrinæ deputetur? an illius denunciationis de qua hoc ait: hanc denunciationem commendo apud te filiole Timothee? &c.* Vide locum ipſum, in quo cumprimis Tertullianus hoc urget, quod *coram multis*, hoc depoſitum fuerit Timotheo commendatum. E. non poteſt intelligi de occultis traditionibus. 2. Depoſiti ergo nomine intelligitur totum ſyſtema ſanæ & orthodoxæ doctrinæ, quam Apoſtolus Timotheo tradiderat, ut colligitur ex circumſtantiis locorum. 1. Tim. ſext. verſ. vigeſim. *Depoſitum cuſtodi devitans prophanas vocum novitates & oppoſitiones falsò dictæ ſcientiæ.* 2. Timoth. prim. verſ. decim. tert. *ὑποτύπωσιν retine ſanorum verborum, quæ à me audiviſti in fide & in dilectione, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* v. 14. *τὴν καλὴν παρακαταθήκην cuſtodi.* 3. Nequaquam verò hinc inferri poteſt, traditiones extra Scripturam *pari pietatis affectu* cum ſcripto Dei verbo recipiendas eſſe. Illam ipſam enim ſanam doctrinam propoſuerat Apoſtolus Timotheo ex Moſe & Prophetis Actor. 26. verſ. 22. unde etiam ad ſacras literas ipſum remittit, ex quibus *ad omne opus bonum & ad ſalutem perfectè ipſum inſtrui poſſe aſſerit* 2. Tim. 3. v. 15. & 16. ac illud ipſum doctrinæ cœleſtis depoſitum, quod Apoſtolus vivâ voce primùm Timotheo tradiderat, poſteà per Dei voluntatem in Scripturas eſt redactum, in quibus doctrina de fide & dilectione perſpicuè & perfectè proponitur. 4. Ergo depoſitum illud doctrinæ non opponitur Scripturis ſacris, ſed profanis vocum novitatibus & erroribus in fide. Quoties in noſtris Eccleſiis inſtituuntur exhortationes, ut in depoſito doctrinæ conſervando ſimus vigilantes ac piè providi, nemo tamen noſtrûm ſtatuit illud extra Scripturas in traditionibus quærendum. Tertullianus libr. de

præſcript.

v. 20. Cuſtodi depoſitum.

præſcript. refert depoſitum, *ad id quod ſupra & infra ſcriptum ab Apoſtolo.* 5. Ad hujus depoſiti fidelem cuſtodiam non ſufficit libros Biblicos in thecis diligenter aſſervari & à librariis in multa exemplaria deſcribi, ſed oportet ſanam doctrinam ex Scripturis in Eccleſia publicè proponi, à corruptelis diligenter vindicari & opera Miniſterii Eccleſiaſtici ad poſteritatem propagari, ut ad conſervationem librorum Biblicorum externam doctrinæ ex libris Biblicis petitæ interna conſervatio accedat. 6. Certum eſt, ad illum doctrinæ theſaurum & precioſum hoc depoſitum pertinere tàm Scripturarum quàm dogmatum ex Scripturis petitorum verum ſenſum, rectè enim monet Hieronym. in comm. Galat. cap. 1. *Non in verbis eſſe Evangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis*; interim & hoc certum eſt, ſenſum illum non quærendum eſſe in dubiis & incertis traditionibus, ſed in ipſis Scripturis ſacris, quæ ſecum portant expoſitiones ſuas, & in quibus *verba Dei ſonant, & cor Dei diſcitur.* 7. Cajetanus *per depoſitum* intelligit *gregem Timotheo commiſſum*; alii *officium Timotheo demandatum & dona Spiritus ſancti*; quas expoſitiones ſi quis amplectatur, omnis nervus argumento Bellarmini inciditur.

5. 2. Ioh. v. 12. 3. Ioh. v. 13. Multa habens vobis ſcribere.

406. 5. 2. Johan. v. 12. 3. Johan. v. 13. *Multa habens ſcribere vobis, nolui per chartam & atramentum. Ergo multa ab Apoſtolo Iohanne dicta ſunt diſcipulis, & per diſcipulos Eccleſiæ univerſæ, quæ tamen non ſunt ſcripta.* Reſp. 1. loquitur Apoſtolus de quibuſdam ſingularibus, vel factis vel ritibus, quæ ſcripto conſignare neceſſe non fuerit, nequaquam verò de articulis fidei ad ſalutem ſcitu neceſſariis. 2. Concedimus Johannem & reliquos Apoſtolos plura prædicaſſe vivâ voce quàm literis mandaſſe, ſed tamen neceſſaria ab ipſis ſcripta ſunt. 3. aliud eſt loqui de brevibus illis Epiſtolis, aliud de toto V. ac Nov. Teſt. canone. In illis non ſunt omnia neceſſaria ſcripta, ſed ex eo inferri nequit, in toto V. ac N. T. canone non eſſe omnia ſcripta, quæ ad ſalutem ſcitu ſunt neceſſaria. 4. ideo Apoſtolus noluit plura in his Epiſtolis ſcribere, quia ſperabat *ab ore ad os cum illis loqui*, ad quos ſcribit, nobis verò hodiè non niſi in Scripturis loquitur.

1. Cor. 15. v. 3. Tradidi vobis quod accepi,

407. Atque hæc ſunt, quæ Bellarminus ex Scripturis pro traditionibus adducit. Alii ex Pontificiis adducunt, 1. locum Apoſtolicum 1. Cor. 15. v. 3. *tradidi vobis quod accepi.* At immediatè ſubjungit Apoſtolus, quidnam illis tradiderit, videlicet quòd *Chriſtus mortuus ſit pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas, & quod ſepultus ſit, & quod reſurrexerit ſecundùm Scripturas.* Hæc verò omnia in ſcriptis Evangeliſtarum ſatis perſpicuè exponuntur. 2. Quidam proferunt *nomina duorum Magorum* 2. Tim. 3. verſ. 8. quæ ex traditione Apoſtolus habuit. At hoc non fuit neceſſarium aliquod dogma fidei, ſed traditio Hiſtorica. Chryſoſtomus homil. 8. in 2. Tim. 3. fol. 1673. edit. Gr. alternativè loquitur: *Iannes*, inquit, *& Iambres, Quinam iſti ſunt? Magi, qui vixerunt temporibus Moſis. Quomodo autem nuſquam alibi ipſorum nomina inveniuntur? ea vel ex traditione, vel ex Spiritu Paulum didiciſſe veriſimile eſt.* Apud Numenium Apameum Philoſophum Pythagoricum è

2. Tim. 3. v. 8. nomina duorum Magorum.

Syria oriundum lib. 3. περὶ τ' ἀγαθοῦ extat locus, cujus verba recenſet Euſebius lib. 9. de præparat. Evangel. cap. 8. fol. 241. *Moſen cum Ianne & Mambre*, (quo modo etiam legit tractatus Thalmudicus de oblationibus cap. *Omnes Oblationes*, & Origenes homil. 35. in Matth.) *Magis ipſum imitari conatis miraculis certaſſe.* Ut ergo ex Arato, Menandro, Epimenide quædam hemiſtichia, ita ex Numenio nomina horum Magorum Apoſtolus adduxiſſet.

Teſtimonia Pontificum, Conciliorum & Patrum.

408. Cap. 6. & 7. producit Bellarminus *teſtimonia Pontificum, Conciliorum & Patrum*, ad quæ in genere reſpondemus: 1. Quædam eſſe ſuppoſititia, videlicet quæ ex Epiſtolis Decretalibus Pontificum, ex Dionyſio Areopagita, Clemente Romano &c. adducuntur, ut in Patrologia demonſtrabitur. ** Sic Baſilius lib. 1. de Spiritu Sancto cap. 27. traditiones Evangelio æquare videtur, ſed Eraſm. in præſ. ſuper h. l. Baſilii dubitat, *an hæc ſint vera & genuina Baſilii verba eò quod diſſimilitudinem quandam ſtyli invenerit.* in lib. de Confeſſ. fidei omnia in reb. fidei Scripturis tribuit, quibus nihil vult addi.** 2. Quædam loqui de traditionibus in Scriptura propoſitis, quas minimè repudiamus. 3. Quædam agere de liberis ritibus ac Ceremoniis. 4. Quædam Eccleſiæ miniſterium in cuſtodia & propagatione doctrinæ ac librorum Canonicorum commendare, nequaquam verò traditionum autoritatem Scripturæ parem ſtabilire. 5. Quædam loqui indefinitè de traditionibus, quod Chriſtus & Apoſtoli plura docuerint, quàm ſcripta ſint, nequaquam verò de traditionibus Pontificiis. 6. Quædam veritati & aliis Patrum teſtimoniis & ipſi Bellarmino eſſe adverſa. Sic Bellarminus hoc loco ex Theodoreto lib. 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 8. probare conatur, *Concil. Nicenum primum ex doctrina non ſcripta damnaſſe hæreſin Arii.* Contrarium ipſe ſtatuit lib. 2. de Concil. c. 12. §. Sic etiam. *Cùm Nicenum Concilium definivit, Chriſtum eſſe Patri homouſion, concluſionem deduxit ex Scripturis, in quibus diſertè continetur, unum eſſe Deum, & Patrem eſſe Deum, & Filium eſſe Deum, ex quibus neceſſariò ſequitur, Patrem & Filium eſſe ejuſdem ſubſtantiæ & divinitatis.* Auguſtinus contra Maximinum Arianum diſputaturus lib. 3. cap. 14. expreſſè ſcribit: *Nec ego Nicenum, nec tu debes Ariminenſe proferre Concilium &c. Scripturarum autoritatibus non quorumcunque propriis ſed utriuſque communibus teſtibus res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione concertet.*

Rationes, 1. Ex conſenſu hæreticorum in contemnendis traditionibus.

409. Cap. 8. profert Bellarminus *quatuor rationes* pro traditionibus ſtabiliendis. Prima deſumta eſt *ex conſenſu hæreticorum in contemnendis traditionibus. Ut enim ex communi Patrum traditiones recipientium conſenſu colligitur, eas eſſe recipiendas: Sic ex communi conſenſu hæreticorum traditiones rejicientium colligitur, eas non eſſe rejiciendas*, ubi profert exempli loco, *Valentinianos, Marcioniſtas, Cyprianum, Donatiſtas, Arianos, Aerianos, Eunomianos; Neſtorium, Eutychetem, Dioſcorum, VViclefum.* Reſp. 1. Oſtendimus in tract. de Script. §. 64. hæreticis vel maximè in more poſitum eſſe, ad traditiones confugere, quod de omnibus in univerſum hæreticis teſtatur Irenæus lib. 3. cap. 2. 2. Qui ad unicam Scripturam rejectis traditionibus

provocarunt, hactenus & hoc reſpectu non fuêre hæretici, ſed quatenus Scripturas corruperunt & ad errores ſuos ſtabiliendos detorſerunt. 3. Ariani ita provocarunt ad Scripturas, ut noluerint recipere vocabula, quæ non extant in Scripturis, licet res ipſa in eis contineatur, hoc verò eſſe præpoſterum τῇ χειμαλῳ ſtudium, facilè concedimus. 4. Traditiones, quas Irenæus & Tertullianus contra Valentinianos & Marcionitas, Auguſtinus contra Donatiſtas & Orthodoxi contra Arianos urgebant, non fuerunt quædam dogmata extra Scripturam, ſed vel publica Eccleſiæ de libris Canonicis teſtificatio, vel *tradux doctrinæ*, ut Tertullianus loquitur inde ab Apoſtolis in Eccleſia conſervatus, utriusque v. fundamentum in Scripturis extat, utrumque per omnia Scripturis eſt conforme. 5. Dicta illa, quibus Cyprianus à conſuetudine ſibi oppoſita ad Scripturas provocat, in ipſum jus Canonicum ſunt relata, ut videre eſt diſt. 8. Ergo non poteſt hoc in Cypriano improbari.

2. ex more omnium gentium.

410. Secunda ratio deſumta eſt *ex more omnium gentium. Judæi habuerunt aliquas traditiones extra Scripturam, docente Origene homil. 5. in Num. & in comment.* cap. 3. Rom. Hilar. in Pſal. 2. *Deinde omnes profanæ Reſpubl. magna ex parte ll. non ſcriptis reguntur. unde Pericles partitur jus Athenienſium in ſcriptum & non ſcriptum. Ariſtoteles lib. 3. polit. cap. 11. partim optimis legibus, partim arbitrio optimi viri civitatem regendam eſſe ſtatuit. In jure civili eadem autoritas tribuitur legi ſcriptæ & conſuetudini non ſcriptæ.* Reſp. 1. Judæos à traditionibus incertis ad certas & immotas Scripturas à Prophetis & Apoſtolis ac Chriſto ipſo revocatos fuiſſe, ſuperiùs oſtendimus. Somnia Judæorum Thalmudica & Cabaliſtica, quorum originem ad Moſen revocant, an Bellarminus probare velit, maturè diſpiciat. Chriſtus & Apoſtoli ſemper urgent Scripturas, nuſpiam verò occultas illas traditiones vel Judæis vel nobis commendant. 2. Aliud eſt *jus ſoli*, aliud *jus poli*. Eccleſia ut non regitur humanis conſiliis, ita nec legibus humanis & modo aliquo hujus ſeculi. Rectè Tertullianus in lib. de veland. virgin. cap. 1. in princ. *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpacium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium locorum. Ex his enim ferè conſuetudo initium ab aliqua ignorantia vel ſimplicitate ſortita in uſum per ſucceſſionem corroboratur & ita adverſus veritatem vendicatur, ſed Dominus noſter Chriſtus veritatem ſe, non conſuetudinem cognominavit.* 3. Homines non potuerunt omnia legibus complecti & futuros caſus prævidere, ſed Deus qui eſt ipſa Sapientia, omnibus erroribus, omnibus defectibus, omnibus dubiis in verbo ſuo occurrere & voluit & potuit. 4. In rebus politicis relictum quoddam lumen rationis, ſed in fidei myſteriis illud locum non habet. 5. Bellarminus dicit, *Naturam ipſam clamare, traditiones eſſe neceſſarias*, ſed teſtimonium Naturæ in naturalibus audiendum, non in divinis ſupra Naturæ hemiſphærium poſitis.

3. ex dignitate Eccleſiæ Catholicæ.

411. Tertia ratio *petita eſt ex dignitate Catholicæ Eccleſiæ. Ut olim Judæi excellebant omnibus nationibus, quia ipſis concredita erant eloquia Dei* Rom. 3. v. 2. *ſic præſtat Eccleſiam omnibus ſectis, quod ipſa ſola, utpote Chriſti ſponſa noverit omnia religionis myſteria & conſcia ſit ſecretorum ſponſi. At ſi omnia eſſent ſcripta & quidem apertiſſimè, nullum eſſet privilegium Eccleſiæ, ſed hæretici, pagani & Ethnici nihil minus ſcirent de myſteriis fidei, quàm ipſa Eccleſia.* Reſp. 1. Iſraelitis *concredita* dicuntur *eloquia Dei* propter Scripturas ſacras ipſis concreditas. Deut. 4. v. 8. Pſal. 148. verſ. 19. ibi enim ſermonem eſſe de ſcripta lege, conſtat ex cap. 24. Exod. verſ. 3. 2. privilegium Eccleſiæ conſiſtit non in conſervatione traditionum, ſed doctrinæ cœleſtis in ſcriptis Propheticis & Apoſtolis propoſitæ, quæ gentiles in univerſum, Judæi ex parte repudiant, hæretici depravant & corrumpunt. 3. Diſtinguendum inter *notitiam literæ & Spiritus*, illa eſt communis piis & impiis, hæc verò ſolis piis. Matth. 16. v. 17. 1. Cor. 2. v. 14. &c. 4. ſumma hæc Eccleſiæ laus eſt, quod fidei myſteria & formam divini cultus non habet tanquam ſacra Eleuſynia, ſed in publico omnibus proponit ad ſalutem ipſorum promovendam. Tob. 12. v. 11. *myſterium Regis abſcondere bonum, at opera Dei revelare honorificum.*

412. Quarta ratio petita eſt *ex dignitate myſteriorum divinorum. Myſteria requirunt ſilentium nec decet, ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Hinc Dominus ſeorſim diſcipulis interpretabatur parabolas* Luc. 8. *& Apoſtolus ait* 1. Cor. 2. *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Reſp. 1. argumentum petitum eſt ex ſchola veterum hæreticorum, ut conſtat ex Irenæo lib. 3. cap. 2. 2. Myſteriorum divinorum majeſtati per ſcriptionem nihil decedit, aliàs ſumma illa Chriſtianæ religionis myſteria de Trinitate, de incarnatione Filii, de opere redemtionis, &c. Deus non curaſſet in literas redigi. 3. Ecquis verò ſomniare poterit in Pontificiis traditionibus ſublimiora contineri myſteria, quàm ſunt ea, quæ in Scripturis nobis proponuntur, quorum quædam nominavimus? 4. Bellarminus lib. 4. de verbo Dei cap. 2. diſputat, *traditiones vocari doctrinam non ſcriptam, non quòd nuſquam ſcriptæ ſint, ſed quod non ſint ſcriptæ à primo autore.* Quòd ſi igitur majeſtati ac dignitati traditionum nihil decedit, ſi ſcribantur per alium, utique etiam nihil decedit myſteriorum dignitati, ſi à primo autore ſcribantur. 5. Dignitas myſteriorum divinorum potiùs in manifeſtatione quàm in occultatione conſiſtit, hæc enim ſumma laus eſt divinæ bonitatis, quòd Deus ex arcana majeſtatis ſede prodiens hominibus ſeſe manifeſtavit & in verbo ſalutarem ſui cognitionem abſque ulla προσωποληψίᾳ omnibus impertiri voluit. 6. Quod Chriſtus *ſeorſim* expoſuit parabolas, factum eſt propter faſtidioſum reliquorum contemtum, qui auditâ parabolâ ſtatim diſcedebant, nec interpretationem à Chriſto expectabant, nedum petebant. Notandum autem contra Pontificios, non ſolos Apoſtolos fuiſſe præſentes, cùm Chriſtus parabolas explicaret, ſed & alios quoſdam ex promiſcua plebe Marc. 4. verſ. 10. *Cùm eſſet κατὰ μόνας interrogabant eum οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα.* 7. Apoſtolus 1. Cor. 2. v. 6. loquitur de doctrina Evangelii, ut conſtat ex tota contextus ſerie. Ea verò non eſt traditio quædam ἄγραφος, ſed doctrina in Scripturis ſacris propoſita 1. Cor. 15. v. 2.

CAP.

CAP. XX.

De Scripturæ perſpicuitate.

Scripturam eſſe perſpicuam.

413. Diximus ſuperius §. 366. *ex cauſa efficiente*, & *fine* Scripturæ ſacræ reſultare ejuſdem *perfectionem & perſpicuitatem*. De *perfectione* Scripturæ dictum fuit hactenus, de *perſpicuitate* ejuſdem dicendum porrò reſtat. Perſpicuam eſſe Scripturam noſtræ Eccleſiæ unanimi conſenſu affirmant, Romanenſes verò negant. Ut autem quæſtionis ſtatus ſit illuſtrior, obſervandum eſt. 1. non eſſe quæſtionem, an quædam in Scripturis ſint obſcuriùs dicta & intellectu difficiliora, ſed an dogmata fidei, quorum notitia omnibus ad ſalutem neceſſaria eſt, perſpicuè in ea ſint propoſita. Chriſt. Agricola in AntiPiſtor. quatuor claſſes dictorum divinorum conſtituit; quædam vocat *Elementaria*, in quibus ſumma & neceſſaria religionis noſtræ capita verbis claris & perſpicuis proponuntur, quædam *ſublimia*, quædam *myſtica*, quædam *onomaſtica*. 2. Non excludi à nobis per aſſertionem perſpicuitatis pium ſtudium in lectione & meditatione Scripturæ adhibendum, nec adminicula ad Scripturæ interpretationem neceſſaria. 3. Alia aliis in Scriptura eſſe clariora & quæ in uno loco dicuntur obſcurius, alibi explicari manifeſtius. 4. Quæ in Scripturis nuſpiam diſertè & perſpicuè expoſita habentur, eorum cognitionem non eſſe ad ſalutem abſolutè neceſſariam. 5. Claritatem verbi externam non excludere neceſſitatem interioris illuminationis & claritatis à Spiritu S. petendæ & impetrandæ. 6. Nos nequaquam affirmare, quod Scriptura quibuſvis ſit clara & perſpicua, ſed illis, quibus nullum ab ætate vel ab ignorantia linguæ, in qua Scripturam legunt, eſt impedimentum. B. Lutherus in lib. de ſerv. arbitr. circa quæſtionis ſtatum hoc admonet. 1. Multa Scripturæ loca, quoad verborum & ſententiarum involucra ſunt obſcura, nullum autem dogma eſt obſcurum, 2. Obſcuritas evenit non ex obſcuritate rerum, ſed ex noſtra ignorantia ac cæcitate. 3. Res Dei ſunt obſcuræ, res Scripturæ ſacræ ſunt perſpicuæ.

Probatur 1. ex dictis Scripturæ.

414. Hanc Scripturæ perſpicuitatem probamus 1. *ex diſertis Scripturæ teſtimoniis.* Deut. 30. verſ. 11. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt occultum à te neque longinquum* Hebr. *non eſt mirabile aut elongatum*, quæ enim obſcura & ambigua, illa etiam mirabilia ſunt & captum excedunt (Quas huic dicto Bellarminus offundit nebulas lib. 3. de verbo Dei cap. 2. illas abſterſimus tract. de Script. §. 78.) Pſal. 19. verſ. 9. *Mandatum Domini lucidum.* (Agit Pſaltes de duobus mediis, per quæ ad Dei cognitionem perducimur, quæ ſunt *Natura* ſive creatura & *Scriptura* ſive verbum Dei, quod ibidem multis generalibus appellationibus deſcribit, vocat *legem, doctrinam Dei, teſtimonium Domini, ſtatuta Domini.* Hieronymus & Lyranus de tota Scriptura hunc Pſalmum accipiunt, idque à quibuſdam Pontificiis acceptari fatetur Genebrardus. Adde quod effecta illa, quæ Pſaltes verbo Dei tribuit, non poſſint de ſola lege accipi. In fumum igitur abit Bellarmini exceptio, *quod de Dominicis tantum præceptis hoc dictum ſit accipiendum, non autem de Scriptura univerſa.* Auguſt. conc. 23. in Pſal. 119. locum Pſaltis *de verbo Dei in Scripturis contento* generatim exponit. Confer tract. de Script. §. 76.) Pſal. 119. verſ. 105. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Prov. 6 verſ. 23. *Mandatum lucerna eſt & lex lux* (Hortatur Salomon ad ſtudium verbi cœleſtis verſ. 20. ratione ducta ab effecto, quia eſt peccatorum [illegible] v. 22. neve quis de obſcuritate conqueratur, addit per [illegible] v. 23. *lex eſt lux*) 2. Pet. 1. verſ. 19. *habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquam lucernæ lucenti in loco caliginoſo.* Bellarminus ad hæc dicta in genere excipit; *Scripturam vocari lucidam, non quia ſit intellectu facilis, ſed quia cum intellecta fuerit, tum homines illuminat.* At hac ratione Scriptura non per ſe ſed per accidens duntaxat eſſet perſpicua, nec per ſe ſed propter aliud, videlicet lumen Eccleſiæ. At quod per accidens duntaxat & propter aliud eſt perſpicuum, non poteſt dici lucerna & quidem lucens in loco caliginoſo. Præterea quicquid eo modo lucidum eſt, ut alia illuminet & illuſtret, id non neceſſe habet lumen ab alio accipere ac mutuari. Scriptura eo modo lucida eſt, ut alia illuminet. Jubet enim Petrus *attendere ſermoni Prophetico tanquam lucernæ, donec dies illuceſcat.* Oſtendit igitur ex lectione, meditatione & perſcrutatione oraculorum divinorum lucem in cordibus oriri. Confer tractat. de Script. §. 77. Hoſius excipit; *Scripturam Propheticam dici lucernam. quia multa in ea ſunt clara & quia quæ quondam umbræ & ænigmata fuerunt, in Evangelio declarantur.* Reſp. Sufficit nobis, quædam, videlicet ſcitu ad ſalutem omnibus neceſſaria in Scriptura proponi; ac non inviti fatemur, majorem eſſe N. quam Vet. Teſt. lucem. Lutherus noſter dicere fuit ſolitus, *Vet. Teſtam. ſibi videri Lunam, N. verò Solem, cum V. Teſt. ex N. lucem accipiat.*

2. ex cauſa efficiente.

415. 2. *Ex cauſa efficiente.* Deus Scripturæ ſacræ autor principalis perſpicuè in ea nobis loqui & potuit & voluit. Perſpicua igitur eſt Scriptura. Antecedens probatur. Quòd Deus potuerit diſertè & perſpicuè loqui per ſanctos Prophetas & Apoſtolos ſervos ſuos, de eo dubium eſſe nequit, cùm ſit ipſa Sapientia. Lact. 6. Inſtit. cap. 21. *Num Deus & mentis & linguæ artifex diſertè loqui non poſſit? Quis poſuit os hominis, nonne ego? inquit Dominus.* Exod. 4. v. 11. Quòd voluerit in Scripturis perſpicue loqui, patet ex fine, propter quem Scriptura exarata; quia propter noſtram ad ſalutem informationem à ſanctis hominibus voluntatis ſuæ revelationem ſcribi voluit Rom. 15. verſ. 4. 2. Tim. 3. verſ. 15. unde jubemur in Scripturis vitam æternam quærere. Joh. 5. v. 39.

3. ex enumeratione partium conſtituentium.

416. 3. *Ex enumeratione partium conſtituentium.* Scriptura continet ſermonem Propheticum & Apoſtolicum; Propheticus ſermo eſt perſpicuus, unde confertur lucernæ 2. Pet. 1. v. 19 Apoſtolicus ſermo itidem perſpicuus eſt, quia Matth. 5. verſ. 14. Apoſtoli dicuntur *lux mundi* ratione doctrinæ primùm quidem vivâ voce prædicatæ, poſtea verò per Dei voluntatem in Scripturas redactæ. Excipit Bellarmin. 1. *Chriſtum loqui de luce exemplorum, probitatis ac morum, quia additur, ſic luceat lux veſtra coram*

homini-

hominibus, ut videant bona opera veſtra. Reſp. 1. ſubordinata non debent ſibi invicem opponi. Apoſtoli erant *lux mundi* ratione non ſolùm vitæ ſed etiam imò vel maximè doctrinæ, ſicut & Chriſtus utroque reſpectu dicitur *lux mundi* Johan. 8. v. 12. tum quia ipſius vita in tenebricoſa hujus ſeculi via nobis lucem præbet, cùm vel maximè quia per prædicationem Evangelii & illuminationem Spiritus ſancti mentium humanarum tenebras diſpellit & lucem in cordibus accendit. 2. Chriſtus ibi loquitur propriè & præcipuè de officio Apoſtolorum, quod in hoc mundo obire debebant. *Vos eſtis ſal terra*, inquit v. 13. quod ratione doctrinæ de ipſis dicitur, quia divinitùs erant vocati, ut per miniſterium verbi mundum conſervarent à putrefactione & interitu. Ergo etiam ratione doctrinæ dicuntur lux mundi. 3. Verba quæ ſequuntur: *Non accendunt lucernam, ut ponant eam ſub modio ſed ſuper candelabrum.* Marc. 4. v. 21. Luc. 8. v. 16. repetuntur & ad prædicationem verbi disertè referuntur. Ergo & hoc loco de Apoſtolorum miniſterio in prædicatione verbi occupato accipienda ſunt. 4. Illa ipſa verba v. 16. *luceat lux veſtra coram hominibus, includunt* doctrinæ lucem, quia prædicatio doctrinæ cœleſtis eſt præcipuum opus & fructus Apoſtoli, ſicut Pſeudoprophetarum doctrina dicitur eorum *fructus* Matth. 7. verſ. 20. ac prædicatio verbi eſt præcipuum illud medium, per quod homines ad ſalutarem Dei agnitionem ac glorificationem deducuntur. 5. Neve ulla reſtet dubitatio, Apoſtolos potiſſimùm ratione doctrinæ fuiſſe lucem mundi conjungimus locum Act. 13. v. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, &c. ecce convertimur ad gentes* v. 47. *ſic enim præcepit nobis Dominus, poſui te in lucem gentium.* cap. 26. v. 18. *Mitto te, ut aperias oculos gentilium, ut convertantur à tenebris ad lucem, &c.* ubi lux illa manifeſtè refertur ad Apoſtolorum prędicationem & doctrinam. 2. *Si loqueretur Dominus de luce doctrina, non eſſet ſenſus, Apoſtolorum Scripturas eſſe faciles ad intelligendum, ſed intellectam illuſtrare mentem & erudire de rebus altiſſimis.* Sed quid huic exceptioni reſpondendũ ſit, expoſuimus tract. de Script. §. 77. Alii ex Pontificiis excipiunt, *Apoſtolorum prædicationem fuiſſe apertam & illuſtrem, Scripturam non eſſe æquè apertam.* At quæ poteſt dari ratio, cur Apoſtoli voluerint obſcuriùs ſcribere quàm prædicare, cùm in utroque opere unum eundemque finem ſibi habuerint propoſitum? Rom. 15. v. 4. 1. Joh. 1. v. 2. Ac quamvis in prædicatione Apoſtolorum quædam fuerint uberiùs & clariùs expoſita, tamen ſumma doctrinæ cœleſtis & præcipua illius capita in illorum ſcriptis clarè & perſpicuè proponuntur. Sic Prophetæ itidem vaticinia ſua clariùs & uberiùs vivâ voce expoſuerunt, nihilominus tamen de ipſorum ſcriptis pronunciat Petrus, quòd ſint λύχνος φαίνων ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ.

4. Ex materia & contentis Scriptura præcipuis. 417. 4. *Ex materia & contentis Scriptura præcipuis.* Summa doctrinæ cœleſtis, quæ in Decalogo, Symbolo Apoſtolico, Oratione Dominica & Inſtitutione Sacramentorum continetur, habet manifeſtiſſima in Scripturis teſtimonia & fundamenta. Ergo ea, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria, perſpicuè in Scripturis proponuntur. Bellarminus aliam addit concluſionem: *Ergo tota Scriptura eſt perſpicua*; reſpondet, *negari & conſequentiam & antecedens. Conſequentiam ideò, quia etſi omnia aliquo modo ad illa reduci poſſint, tamen ipſa in ſe obſcuriſſima ſunt, ut patet de vaticiniis Prophetarum; de Cantico Canticorum, de Epiſtola ad Romanos & Apocalypſi. Antecedens certo certius falſum eſſe dicit. Si enim clara teſtimonia de illis articulis extarent, omnes controverſia eſſent finita.* Reſp. 1. non negamus, quædam Scripturæ ſacræ loca eſſe difficilia & obſcura; ſed addimus, eadem vel ſortiri lucem ex aliis perſpicuis dictis, vel eorum exactiſſimam intelligentiam non eſſe ad ſalutem abſolutè neceſſariam, Sufficit nobis, ſi concedatur, ea quæ ad ſalutem ſcitu omnibus neceſſaria, perſpicuè in Scripturis proponi. 2. *Per totam Scripturam* Bellarminus intelligit vel ſingula Scripturæ loca, vel ea, in quibus ſumma doctrinæ cœleſtis cuivis ad ſalutem ſcitu neceſſaria proponitur. Si prius, argumenti concluſio falsò nobis tribuitur; ſi poſterius, Bellarmini reſponſio eſt aliena. 3. Summa doctrinæ cœleſtis conſiſtit in lege & Evangelio. Summa legis moralis perſpicuè proponitur. Exod. 19. Deut. 5. & in multis locis N. T. repetitur. Summa Evangelii eſt, credentes in Chriſtum gratis conſequi remiſſionem peccatorum, quæ Joh. 3. Rom. 3. Gal. 2. & alibi clariſſimè expoſita extat. 4. Quod per Scripturæ apertum teſtimonium & judicium controverſiæ non finiantur, ex accidenti contingit, ut poſtea in ſolutione argumentorum monebitur.

418. 5. *Ex eventu accidentario.* Quodcunque ex accidenti demùm eſt obſcurum & opertum, illud ex ſe eſt perſpicuum. Scriptura ex accidenti demum eſt obſcura & operta. Ergo ex ſe eſt perſpicua. Aſſumtum probatur ex 2. Corinth. 4. verſ. 3. *Si Evangelium noſtrum eſt opertum, in his qui pereunt, opertum eſt, in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloria Chriſti*, ubi obſerva 1. nomine Evangelii intelligi totam doctrinam ab Apoſtolo propoſitam, loquitur enim de ſuo miniſterio verſ. 1. 2. Apoſtolum verſ. præced. de ſe & ſuis συνέργοις dixiſſe, quod *in manifeſtatione veritatis commendent ſeipſos ad omnem conſcientiam hominum coram Deo*, hoc eſt, quod publico Evangelii præconio veritatem cœleſtem manifeſtent, neque quicquam occultent Act. 20. verſ. 20. hac occaſione de perſpicuitate Evangelii, in qua veritas cœleſtis manifeſtatur, incipit diſſerere. 3. Notanter Apoſtolum dicere, quod iis tantùm, qui pereunt, Evangelium ſit opertum. Quod autem τισι quibuſdam tantùm eſt opertum, id non eſt ἁπλῶς opertum. 4. Cauſam hujus rei non tribui ipſi Evangelio, ſed Diabolo homines excæcanti. 5. Evangelio aſſignari effectum eſſentialem & proprium videlicet illuminationem, qui effectus ex accidenti apud pereuntes impediri dicitur. Conjungimus etiam locum Joh. 3. verſ. 19. *Hoc eſt judicium, quod lux venit in mundum & dilexerunt homines tenebras magis quàm lucem* Joh. 1. verſ. 5. *Lux in tenebris lucet & tenebra eam non comprehenderunt*, ubi exponitur cauſa, quare non omnes à Filio Dei, qui eſt lux *eſſentialiter*, per verbum, quod eſt lux *inſtrumentaliter*, illuminentur. Nimirum cauſa quærenda eſt, non in Dei Filio, nec in verbo prædicato vel ſcripto, ſed in objecto, in ipſis ſcil. hominibus. Excipit Bellarmin. *5. ex eventu accidentario.*

Apoſto-

Apoſtolum loqui non de intelligentia Scripturarum, ſed de cognitione & fide in Chriſtum, quam Apoſtoli prædicabant eamq; dici perſpicuam ratione umbrarum V. T. *Reſp.* 1. Apoſtoli eadem quæ priùs docuerunt, poſtea ſcripſerunt. 1. Joh. 1. verſ. 2. & 3. Ut cognitio & fides Apoſtolis in carne adhuc viventibus & vivâ voce Evangelium prædicantibus hauriebatur ex ipſorum prædicatione, ſic hodie ex ipſorum ſcriptis hauritur Luc. 16. verſ. 29. jubentur audiri *Moſes & Prophetæ*, utique in ipſorum ſcriptis adhuc extantibus. Idem judicium eſto de Apoſtolis. 2. Proinde intelligentia Scripturarum & fides in Chriſtum non debent ſibi invicem opponi, ſunt enim ſubordinata. Joh. 20. verſ. 31. *Hæc ſcripta ſunt ut credatis.* 3. Loquitur Apoſtolus de tota Evangelii doctrina, quam eo modo à ſe propoſitam teſtatur, ut veritatis manifeſtatio in animis hominum locum habere potuiſſet, niſi excæcatio Diaboli ſalutarem illum effectum impediſſet. Vide Ambroſ. Chryſoſt. Oecumen. Theophyl. in h. l. 4. Cognitio & fides in Chriſtum ſufficit nobis ad ſalutem. Joh. 17. v. 3. cap. 20. v. 31. Jam verò cognitio & fides in Chriſtum perſpicuè docetur in Scripturis. Ergo ea quæ ſunt ad ſalutem ſcitu neceſſaria, perſpicuè in Scripturis proponuntur.

6. ex comparatione V. & N. T.

419. 6. *Ex comparatione V. & N. T.* Quodcunque confertur libro aperto, non poteſt eſſe ſignatum & obſcurum. At N. Teſt. confertur libro aperto. Apoc. 5. verſ. 5. Ergo non poteſt eſſe ſignatum & obſcurum. Si Propheticus ſermo V. T. confertur lucernæ propter perſpicuitatem in tradendis ad ſalutem ſcitu neceſſariis, multò magis Apoſtolicus N. T. ſermo erit perſpicuus. Sed verum prius 2. Petri. 1. verſ. 19. Ergo & poſterius. Connexio probatur. Quæ enim in V. Teſt. obſcuriùs fuerunt propoſita, ea in N. Teſt. poſtquam acceſſit clarior lux, fuerunt dilucidiùs manifeſtata. Auguſt. q. 73. in Exod. *In veteri novum latet, in novo vetus patet,* lib. de catechiz. rudib. cap. 5. *Vetus Teſtamentum eſt occultatio Novi* lib. 15. contra Fauſtum cap. 4. *Vetus eſt Prophetia novi.* Poſtquam igitur illa manifeſtatio & explicatio Veteri Teſtamento acceſſit, non amplius Scriptura dici poterit obſcura. Excipit Bellarm. *diſcrimen V. & N. Teſt. conſiſtere in eo, quod tunc non ſolùm ſententiæ Scripturarum, ſed etiam myſteria Chriſti non intelligebantur, quia omnia erant tecta figuris* Eſ. 29. *at in N. T. quia Chriſtus complevit figuras & Prophetias, etſi multi non intelligant ſententias Scripturarum, tamen intelligunt ipſa myſteria redemtionis. Addit etiam, adhuc orandum eſſe, ut Agnus aperiat librum propter Scripturæ difficultatem.* Reſp. 1. Quamvis in populo V. T. non fuerit tanta lux cognitionis myſteriorum Chriſti, quanta eſt in populo N. T. tamen non eſt nudè & ſimpliciter ſtatuendum, myſteria Chriſti ipſis non fuiſſe cognita, quia præter obſcuras figuras habebant clara Prophetarum vaticinia, ex quibus etiam lucem aliquam figuræ ſortiebantur. Ac ſi fuiſſent pii V. T. planè ignari myſteriorum Chriſti, unde ipſis ſalus obtingere potuiſſet? Act. 4. v. 12. cap. 15. verſ. 11. Hebr. 13. v. 8. 2. Si Scriptura N. T. eſt inſtar libri aperti quoad myſteria Chriſti, utique perſpicuè exponit ea, quæ ad ſalutem ſcitu omnibus neceſſaria. Qui enim myſteria Chriſti novit, illi nihil quicquam eorum, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, deeſſe poteſt. 3. Preces pro ſalutari Scripturæ intelligentia non arguunt Scripturæ in fidei dogmatibus tradendis obſcuritatem, ſed mentis noſtræ in ſpiritualibus tenebras ac cæcitatem.

7. ex deductione ad abſurdum.

420. 7. *Ex deductione ad abſurdum.* Si Scriptura non eſt perſpicua in tradendis neceſſariis, conſequens fuerit. 1. eam minùs rectè vocari lucem & lucernam. 2. Deum vel noluiſſe vel non potuiſſe perſpicuè in Scripturis loqui. 3. non poſſe ex Scripturis diſci modum perveniendi ad vitam æternam. 4. Patrum ſcripta eſſe longè clariora, quàm ipſam Scripturam, cùm tamen omnia ſua probent vel probare conentur, vel certè probare teneantur ex Scriptura. 5. non potuiſſe Scripturam intelligi, antequam extarent Patrum commentarii. 6. perire finem, quem in Scriptura exaranda ſibi propoſitum habuerunt Prophetæ & Apoſtoli, qui eſt σοφίσαι εἰς ζωὴν αἰώνιον. At hæc omnia ſunt abſurda. Ergo & illud, ex quo talia conſequuntur. Excipit Bellarminus, *1. diſtinguendum eſſe inter claritatem, quoad rerum veritatem & quoad verba. Patres,* inquit, *ſententias ſuas Scripturarum teſtimoniis confirmant, quia notius eſt verum eſſe, quod in Scripturis habetur, quàm quod habetur in Patribus, & tamen iidem Patres commentariis ſuis Scripturas illuſtrant, quia verba Scripturæ ſunt obſcuriora quam verba Patrum.* Reſp. Patres non inferunt lucem in Scripturam, ſed ex Scriptura lucem commentariis ſuis mutuantur. In claris & perſpicuis Scripturæ dictis proponitur fidei analogia, ad eam exigenda ſunt omnia Patrum dicta, ex ea etiam lux conciliatur obſcurioribus. Ergo commentarii Patrum non arguunt Scripturæ in tradendis neceſſariis obſcuritatem, ſed quorundam duntaxat Scripturæ locorum involutam obſcuritatibus difficultatem, quæ operâ interpretum tollitur, luce non aliunde illatâ, ſed ex ipſa Scriptura quæſitâ. *2. Patres primæ Eccleſiæ, antequam ederentur veterum commentarii, adiiſſe vivos Apoſtolos & non ex proprio ingenio Scripturas intelligere voluiſſe.* Reſp. aliud eſt ex proprio ingenio velle Scripturas intelligere, aliud ex ipſis Scripturis ſenſum veritatis haurire. Prius improbamus, poſterius commendamus; prius fieri nunquam debet, poſterius fieri potuit, etiam antequam extarent Patrum commentarii. Quando enim verbi gratia Epiſtola ad Romanos per Phœben fuit tranſmiſſa, tunc certè Eccleſia Romana etiam abſque commentariis eam legit & intellexit. Ac certum eſt, fuiſſe tempus, quo Apoſtolis jamtum defunctis Scripturæ abſque commentariis à primitiva Eccleſia & lectæ & intellectæ fuerint. Ante Origenem, qui ducentis poſt Chriſtum annis vixit, proferri non poſſunt, qui commentarios in divinas literas ſcripſerint. Bellarm. ex Hieron. in catal. illuſtr. viror. refert, *Juſtinum & Irenæum ſcripſiſſe commentarios in Apocalypſin.* At num ſola Apocalypſis tunc extitit? an reliqui libri non potuerunt legi & intelligi quoad dogmata neceſſaria abſque commentariis? Hieron. dicit, *illos fuiſſe interpretatos Apocalypſin*, quod de locorum quorundam obſcuriorum explicatione accipi poteſt, in qua quid præſtiterint, apparet ex eo, quod Chiliaſtarum errorem fuerint amplexi.

Dicta Patrum.

421. In aſſerenda hac Scripturæ perſpicuitate ὁμοψήφους habemus pios veteres. Juſtin. in Dial.

cum Tryphone p. 213. *Advertite animum ad ea, quæ ex ſanctis Scripturis commemorabo & non explicatione aliquâ, ſed audientiâ duntaxat opus habent,* οὐδὲ ἐξηγηθῆναι δεομένων, ἀλλὰ μόνον ἀκουσθῆναι. Irenæus lib. 2. cap. 46. pag. 146. *Univerſa Scriptura & Prophetica & Evangelica in aperto & ſine ambiguitate & ſimiliter ab omnibus audiri poſſunt.* cap. 66. pag. 166. *Ne putemur fugere illam, quæ ex Scripturis Dominicis eſt probationem ipſis Scripturis multò manifeſtiùs & clariùs hoc ipſum prædicantibus, his tamen qui non pravè intendunt eis.* lib. 3. cap. 2. *Cùm ex Scripturis hæretici arguuntur, accuſant eas obſcuritatis.* Tertullianus libro de reſurrectione carnis cap. 47. p. 338. *Age jam quod ad Theſſalonicenſes ut ipſius Solis radio putem ſcriptum, ita claret, qualiter acciperent lucifugæ iſti Scripturarum?* Clemens Alexandr. in protreptic. p. 29. *Audite qui eſtis longè, audite qui eſtis propè. Nullis celatum eſt verbum, lux eſt communis omnibus, illuceſcit omnibus. Nullus eſt in verbis Cimmerius, tenebræ nullæ.* Et paulò poſt: *Verbum Sol eſt animæ qui ſi exortus in profundo mentis ſit, illius quoque illuſtratur oculus.* Lactantius ** lib. 1. Inſtit. cap. 1. *Quanto juſtiùs ego me ad illam piam, veram divinamque ſapientiam, quaſi ad portum aliquem tutiſſimum conferam, in quo omnia dictu prona ſunt, auditu ſuavia, facilia intellectu, honeſta ſuſceptu?* ** libro 3. Inſtitut. cap. 30. *Ecce vox de cœlo veritatem docens & nobis Sole ipſo clarius lumen oſtendens.* lib. 6. cap. 21. *Num Deus & mentis & linguæ artifex diſertè loqui non poſſet? imò verò ſummâ providentiâ carere fuco voluit ea, quæ divina ſunt, ut omnes intelligerent, quæ ipſe omnibus loquebatur.* Hilarius lib. 7. de Trinit. *Non eſt relictus hominum eloquiis de Dei rebus ſermo alius, præterquam Dei. Omnia reliqua & arcta & concluſa & impedita ſunt & obſcura. Si quis aliis verbis demonſtrare hoc, quàm quibus à Deo dictum eſt, volet, aut ipſe non intelligit, aut legentibus non intelligendum relinquit.* Baſilius in qq. contractioribus. q. 45. *Sacra Scriptura omnibus ubique voluntatem Dei denunciat, itaque qui talis eſt (qui ignorantiam prætexit) non cum ignorantibus minore judicio, ſed vehementiore cum illis damnabitur, de quibus ſcriptum eſt, inſtar aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas.* Epiphanius hæreſ. 76. contr. Act. πάντα σαφῆ ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ τοῖς βουλομένοις εὐσεβεῖ λογισμῷ προσέρχεσθαι τῷ θείῳ λόγῳ. p. 435. πάντα ἡμῖν φωτεινὰ τὰ τῆς θείας γραφῆς καὶ τὰ τῆς ἁγίας πίστεως οὐδὲν σκολιὸν ἢ ἐναντίον ἢ στραγγαλιῶδες. Ambroſius in princ. Epiſt. 7. dicit, *Paulum in plerìſque ita ſeipſum ſuis exponere ſermonibus, ut is qui tractat, nihil inveniat, quod adjiciat, ac ſi velit aliquid dicere, Grammatici magis quàm diſputatoris fungatur munere.* Hieronymus in Pſal. 86. comparat Prophetas & Apoſtolos cum Philoſophis (quod facit etiam Chryſoſtomus homil. 3. de Lazaro) & ait, *Platonem paucis ſcripſiſſe, quia vix eres homines intelligunt, Apoſtolos verò & Prophetas non paucis, ſed univerſo populo ſcripſiſſe, ut omnes intelligerent.* in cap. 19. Eſai. *Moris eſt Scripturarum, obſcuris manifeſta ſubnectere & quod priùs ſub ænigmatibus dixerat, apertâ voce proferre.* Chryſoſtomus homil. 1. in Matth. *Scriptura & ſervo & ruſtico & viduæ & puero & ei, qui valde imprudens eſt, faciles ſunt ad intelligendum.* homil. 1. in Johan. *Hujus doctrina Sole clarior eſt atq; illuſtrior,* in præfat. Epiſt. ad Roman. *Lingua illius ſuper Solem eminenit.* homil. 3. in 2. Theſſalon. col. 1413. *Omnia clara ſunt ac plana in divinis Scripturis, quæcunque neceſſaria ſunt, manifeſta ſunt.* πάντα ἀναγκαῖα δῆλα σαφῆ καὶ εὐθέα. homil. 3. de Lazaro. *Fieri non poteſt, ut omnia ex æquo ignores, ſiquidem ita Spiritus ſancti gratia diſpenſavit illa temperavitq;, quò publicani, piſcatores, tabernaculorum opifices, paſtores, idiotæ, illiterati, per hos libros ſalvi fierent, ne quis idiotarum ad difficultatis poſſit confugere excuſationem.* ibid. confert invicem libros Rhetorum, Philoſophorum, &c. ac Scriptorum ſacrorum, *illos obſcuros,* hos *claros & perſpicuos aſſerens.* Auguſtinus Epiſt. 3. tom. 2. col. 15. *Modus ipſe dicendi, quo ſacra Scriptura contexitur, quàm omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis ea quæ aperta continet, q. amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum & doctorum.* lib. 2. de doctr. Chriſtian. c. 6. *Magnificè & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus famis occurreret, obſcurioribus autem faſtidium detergeret. Nihil enim ferè de obſcuritatibus illis eruitur, quod non alibi planiſſimè dictum reperiatur* (Bellarmin. excipit, *non fruſtra addi particulam fere, quia multa in Scripturis obſcurè proponuntur, quæ nuſpiam in aliis locis explicantur.* Reſp. ea verò ſine ſalutis diſpendio ignorari poſſunt, interim manet illud, quòd omnia neceſſaria manifeſta ſint, expreſſè enim ex hoc loco & tract. 45. in Johan. dicit, *quod paſcamur manifeſtis, exerceamur obſcuris*) lib. ejuſd. cap. 9. *In illis, quæ apertè in Scripturis poſita ſunt, inveniuntur omnia, quæ continent fidem moresq; vivendi.* lib. 15. de civ. Dei cap. 25. *Scriptura talibus verbis familiariter quodammodo omni hominum generi ſe inſinuat, quibus vult eſſe conſultum, ut & perterreat ſuperbientes & excitet negligentes & exerceat quærentes & alat intelligentes, quod non faceret, ſi non ſe priùs inclinaret & deſcenderet ad jacentes.* ** l. 2. contr. Donat. cap. 6. *Nulla obſcuritas eſt in Scripturis, ſed ſi manu mentis tuæ Scripturarum januam pulſaveris, paulatim incipiens colligere rationem dictorum, aperietur tibi non ab alio, ſed à Dei verbo, quia ſolus Ieſus in Evangelio ſuo myſteria legis revelavit.* ** lib. de util. credendi cap. 6. *Quicquid eſt, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum eſt. Ineſt omnino veritas & reficiendis inſtaurandisque animis accommodatiſſima diſciplina & planè ita modificata, ut nemo inde haurire non poſſit, quod ſibi ſatis eſt, ſi modo ad hauriendum devotè ac piè, ut vera religio poſcit, accedat.* libr. 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 36. *Etſi quodlibet horum* (in quæſtione de origine animæ & aliis gravioribus) *quemadmodum demonſtrari & explicari poſſit, ignorem; illud tamen credo, quod etiam hinc divinorum eloquiorum clariſſima autoritas eſſet, ſi homo iſtud ſine diſpendio ſalutis ignorare non poſſet.* lib. 5. contr. Julian. cap. 1. reprehendit hæreticum illum, *quod Scripturarum difficultatem exaggeraret, easq; doctis tantum convenire* diceret Pſal. 8. *Inclinavit Deus Scripturas ad infantium & lactentium capacitatem.* conc. 23. in Pſal. 119. *Quod hic ait, lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis, verbum eſt, quod Scripturis ſacris continetur.* tr. Act. 21. in Joh. *Quare dicta ſunt niſi ut ſciantur? quare ſonuerunt niſi ut audiantur? quare audita ſunt, niſi ut intelligantur? Neque enim*

vellet

vellet dicere, quod nollet intelligi. Quare Dominus Deus valens nihil opertum eſſe voluit, neq; aliquid occultavit, quin potius literas nobis ſcriptas radiis Solis aptiores clarioresq; eſſe voluit. De opere Monach. capite nono: *Qui verba Scripturæ non intelligunt, aut ſe non intelligere fingunt, noſtra multo minus intelligunt, vel ſe intelligere profitentur, niſi fortè propterea citò intelligant noſtra, quia conceditur eis intellecta deridere, de Scripturæ verbis non ita conceditur. Propterea ubi aliter ſecundum ſuam ſententiam interpretari non poſſunt, etiam clara & manifeſta, obſcura & incerta eſſe reſpondent, quia & prava & perverſa dicere non audent.* ſerm. 11. de verbo Domini col. 41. *paſcimur apertis, exercemur obſcuris.* Cyrillus Alexādrin. lib. 7. contra Julianum ait, *Scripturas, ne omnibus eſſent notæ, magnis & parvis, utiliter familiari ſermone commendatas eſſe, ita ne nullius captum tranſcendant,* lib. 9. contra Julianum. *Nihil eſt difficile iis, qui in Scripturis verſantur, ut decet.* Conſtantinus Magnus ad Patres Synodi Nicenæ apud Theodoretum libro primo Hiſtor. Eccleſ. capit. ſeptimo εὐαγγελικαὶ καὶ ἀποστολικαὶ βίβλοι καὶ τῶν παλαιῶν προφητῶν θεσπίσματα σαφῶς ἡμᾶς ἃ χρὴ περὶ τοῦ θεοῦ φρονεῖν ἐκπαιδεύουσι. Iſidorus Peluſiota libro quarto Epiſt. 82. εἰ πάντα ἦν δῆλα, τί οὖν τῇ συνέσει ἐχρησάμεθα μὴ νόας ζητήσεις; εἰ δὲ πάντα ἄδηλα καὶ οὕτως ἀνεπιπλώκειμεν ἂν μὴ νόας εὑρέσεως, νῦν δὲ διὰ τῶν δήλων καὶ τὰ ἄδηλα τρόπον τινὰ καταλαμβάνεται. *Si omnia fuiſſent clara & manifeſta, ubi prudentiâ uſi fuiſſemus remotâ inquiſitione? Sin autem omnia fuiſſent obſcura, ſic quoque excidiſſemus* (cognitione) *cùm nulla eſſet inventio. Nunc autem per ea quæ ſunt clara, quodammodo etiam ea comprehenduntur, quæ ſunt obſcura & abdita.* Fulgentius ſermon. de Confeſſor. *Sic cœleſtium deliciarum copiâ* (in mandatis divinis) *exuberat, ut in verbo DEI abundet, quod perfectus comedat; abundet etiam, quod parvulus ſugat. Ibi enim eſt lactens potus, quo tenera fidelium nutritur infantia & ſolidus cibus, quo robuſta perfectorum juventus ſpiritualia ſanctæ virtutis accipit incrementa. ibi prorſus ad ſalutem conſulitur univerſis, quos Dominus ſalvare dignatur; ibi eſt quod omni ætati congruat, ibi quod omni profeſſioni conveniat.* Gregorius in Epiſtol. ad Leandr. *Scriptura eſt fluvius, in quo elephas natat & agnus peditat.* In moralibus. *Scriptura eſt cibus in obſcurioribus, potus in apertioribus.* Carolus Magnus libro ſecundo de Imagin. cap. 30. *Divina Scriptura eſt lux mortalium dicente Propheta, Lucerna pedibus meis verbum tuum; eſt tenebrarum diſcuſſio, dicente Salomone, Lucerna eſt mandatum legis.* Theophylactus in c. 16. Luc. *Scripturæ ſunt inſtar lucernæ ad furtivas hæreticorum latebras detegendas.* Bernhardus ſermon. de verbis Sapient. *Juſtum deduxit Dominus per vias rectas. Via Domini via recta, via pulcra, via plena, via plana. Recta ſine errore, quia ducunt ad vitam; pulcra ſine ſorde, quia docent munditiem; plena multitudine, quia totus jam mundus eſt intra Chriſti ſagenam; plana ſine difficultate, quia donant ſuavitatem.*

Suffragium adverſariorum. 422. Vis veritatis quorundam adverſariorum confeſſionem nobis conſentientem extorſit. Hieronymus ab Oleaſtro in cap. 30. Deuteron. *Gratificandum Deo valde, quod quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem facilia fecit.* Thomas in 2. Corinth. 4. v. 3. *Quod multi non intelligunt Evangelium, cauſa eſt non ex parte Evangelii, ſed propter incredulitatem ac malitiam hominum.* part. 1. q. 1. art. 9. reſp. ad 2. *Ea, quæ in uno loco Scripturæ ſub metaphoris dicuntur, in aliis locis expreſſius proponuntur.* Genebrardus in Pſal 18. teſtatur aliquos *de tota Scriptura hoc accipere, quod oculos illuminet.* Ambroſius Catharinus in comm. 2. Timoth. 3. *Scripturas ait præſtanti fidem ſe faciles præbere & familiares ad cognitionem ſui.* Matth. Bredenbachius in Apolog. p. 93. ſuadet, *ut ad regulam mandatorum Dei, quæ nec obſcura ſunt, nec difficilia, unusquisque vitam componat.* Andr. Fricius lib. 4. de Eccleſ. c. 7. *Non hoc dico, quod negem Scripturam multis in locis obſcuriorem eſſe, &c. ſed cùm multifariam Deus voluntatem ſuam mortalium generi declaraverit, primùm per Prophetas, deinde per Filium ac Apoſtolos ſuos, eamq; Scriptorum monumentis conſignatā voluerit, dico aut in his ipſis monumentis voluntatem Dei conſpici atque elucescere debere, aut unſquam alibi: Abſurdum enim eſt, Deum ita agere nobiſcum voluiſſe, ut verba ejus non intelligerentur. In verbis igitur ab illo prolatis voluntas ejus quærenda. Si quæ obſcuritates aut ænigmata occurrant, ea vel enodatione verborum, vel locorum illuſtrium collatione interpretanda ſunt, hoc enim & Chriſtus fecit & viros doctos ſemper feciſſe videamus. Scriptura erat illis doctrina & teſtimonium Dei, lux illuminans oculos, lucerna rectum iter oſtendens ad veritatem.* Sixtus Senenſis lib. 6. Biblioth. annotat. 151. *Una Scriptura claſſis aperta ac dilucida eſt, utpote quæ prima ſummaq; rerum credendarum principia ac præcipua bene vivendi præcepta & exempla cognitu facilia complectatur.* Perpinian Jeſuita in orat. p. 262. edit. Antuerp. *Chriſtus rem totam abſq; ulla circuitione verborum & anfractu dilucidè & apertè nobis enarravit.* Coſterus in Enchirid. c. 1. pag. 48. *Non inficiamur, præcipua illa fidei capita, quæ omnibus Chriſtianis cognitu ad ſalutem ſunt neceſſaria, perſpicuè ſatis Apoſtolicis ſcriptis comprehenſa eſſe, cujusmodi ſunt myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis & incarnationis Filii Dei, Hiſtoria paſſionis Dominicæ remiſſio peccatorum & promiſſio vitæ æternæ.* Gregor. de Valent. in anal. fid. lib. 3. p. 100. *Eæ fidei veritates, quæ abſolutè & ſimpliciter ab omnibus hominibus neceſſario cognoſcendæ & credendæ ſunt, perſpicuè ferè in Scripturis docentur, ut Auguſtinus etiam notavit.*

423. *Antitheſis.* Scripturæ perſpicuitatem 1. Negant *Pontificii.* Accuſant enim nos erroris, quod Scripturam perſpicuam ſtatuamus. Eccius in Enchirid. cap. 4. *Lutherani contendunt, Scripturas ſacras eſſe claras, ideo Laici & deliræ anus eas tractant imperiosè.* Prateol. in Elench. hæretic. lib. 17. cap. 20. ſcribit, *eſſe communem omnium ſectariorum articulum, affirmare Scripturas eſſe faciles per ſe, nec egere interpretatione.* Sixt. Senenſ. lib. 6. Bibliothec. annot. 151. nobis tribuit, *quod ſtatuamus omnia omninò in Scripturis eſſe perſpicua.* Sed quid de hac perverſione ſtatus quæſtionis judicandum ſit, patet ex dictis §. 413 Quia verò noſtram de perſpicuitate Scripturæ ſententiam taxant & repudiant, ex eo colligimus, quod Scripturæ perſpicuitatem negent; quod ipsū etiam diſertis verbis profitentur. Cenſur. Colonienſ. p. 9 *Omnia & ſingula, quæ in Scripturis comprehenſa ſunt, tantis obvoluta ſunt obſcuritatibus, ut ne doctiſſimi quidem certam cognitionem inde colligere poſſint, niſi eam aliunde mutuentur,* a qui- *Antitheſis 1. Pontificiorum.*

bus obſcuritatibus ne quidem Hiſtoriam paſſionis Dominicæ excipiunt, quam tamen Coſterus inter perſpicua retulit. Canſius in oper. Catech. pag. 44. *Sacra Scriptura in illis quæ continet & proponit, eſt velut naſus cereus non præbens certam aliquam & immotam ſcientiam, ſed quæ in quamvis interpretationem flecti poteſt.* Remenſes Anglicani in com. 2. Petri 3. *totam Scripturam difficilem eſſe* ſtatuunt Bellarm. lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 21. *Tot Scripturæ verſiones, tot interpretationes, tot ſectæ diverſiſſimæ quid aliud clamant, quam Scripturam eſſe ambiguam & obſcuram.* lib. 3. de verb. Dei cap. 1. *Manifeſtè falſum eſt Scripturas ſacras eſſe per ſe faciliimas* (controverſiæ ſtatum ibidem ſic format. *Sintne Scripturæ ſacræ per ſe faciliimæ atque apertiſſimæ, an vero interpretatione indigeant?* Sed ex ſuperioribus conſtat involvi à Bellarmino controverſiæ ſtatum, qui in eo conſiſtit. *An Scriptura in tradendis dogmatibus ſcitu ad ſalutem neceſſariis ita ſit perſpicua, ut certa & conſtans ſententia ex ea colligi poſſit. nec opus ſit ad Eccleſiæ, id eſt, Pontificis Rom. judicium confugere?*) Piſtorius in hodeg. cap. 3. Eccleſia infert Scripturæ lucem, ſine qua tota eſt obſcura & tenebricoſa.

Argumenta eorum. 1. Pſ. 119. v. 18. Da mihi intellectum.

424. Videamus *Bellarmini argumenta.* Primam claſſem ducit ex *Scripturis. Scriptura ipſa de ſua difficultate & obſcuritate teſtatur.* 1. Pſ. 119. verſ. 18. *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam. Revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Reſponſio patet ex illis, quæ de vero controverſiæ ſtatu dicta ſuperiùs. Ecquis enim noſtrûm docuit, Scripturas eâ ratione ac modo eo perſpicuas eſſe, ut non ſit opus precibus? Preces illæ non arguunt Scripturæ in dogmatibus tradendis obſcuritatem, ſed connatam mentis noſtræ cæcitatem. Præterea diſtinguendum *inter notitiam literæ & Spiritus;* non ſufficit ad ſalutem notitia literalis articulorum fidei, ſed accedere oportet notitiam ſpiritualem, ad quam *requiritur interior Spiritus S. illuminatio per pias preces obtinenda.* Denique ſi ex traditionibus vera Scripturarum intelligentia eſſet petenda, non opus foret precibus ad Deum, ſed ad Pontificem traditionum Eccleſiaſticarum promum-condum directis

2. Luc. 24. v. 27. Act. 8. v. 35.

2. Luc. 24. verſ. 27. *Chriſtus interpretabatur diſcipulis Scripturas.* Act. 8. verſ. 35. *Philippus Eunucho Eſaiam exponit, ubi Eunuchus quæſitus an intelligat, quæ legit, reſpondet verſ. 31. quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi.* Reſp. 1. Et diſcipulorum & Eunuchi illius animi erant præconcepta opinione de regno Meſſiæ terreno faſcinati, unde ex accidenti Prophetarum de Chriſto vaticinia ipſis fuêre obſcura. 2. Quinimo diſcipuli Chriſti propter idem præjudicium ne quidem conciones Chriſti de ipſius paſſione intelligebant, quas tamen nemo negare poteſt fuiſſe manifeſtiſſimas & apertiſſimas. Accedit, quod tunc mœrore erant oppreſſi, necdum acceſſerat clarior lux Nov. Teſt. 3. Ecquis verò noſtrûm Scripturas in omnibus locis adeo perſpicuas eſſe docuit, ut interpretationis media tollenda eſſe ſtatueret? 4. Nec ſequitur. Aliquod oraculum Propheticum Eunucho proſelyto obſcurum fuit. Ergo tota Scriptura communiter omnibus eſt obſcura. 5. Chriſtus & Philippus non ex incertis traditionibus, ſed ex ipſis Scripturis & collatione eventus Prophetica vaticinia fuerunt interpretati. Eidem methodo & nos inſiſtere convenit.

3. 2. Pet. 3. v. 16.

425. 3. 2. Petri 3. verſ. 16. *aſſerit Apoſtolus, in Epiſtolis Pauli eſſe quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant. Ubi notandum, Petrum non dixiſſe, eſſe quædam difficilia indoctis & inſtabilibus, ſed difficilia abſolutè.* Reſp. 1. argumentum eſt quæſtione anguſtius. Probari enim debebat, non quædam in Scripturis eſſe δυσνόητα, ſed totam Scripturam eſſe obſcuram. 2. Petrus non dicit, totas Epiſtolas Paulinas eſſe obſcuras & quidem in illis locis, ubi dogmata fidei ad ſalutem omnibus ſcitu neceſſaria traduntur, ſed τινὰ quædam in illis dicit eſſe δυσνόητα. 3. nec ἁπλῶς abſolutè & ſimpliciter omnibus dicuntur δυσνόητα, ſed illis qui ſunt ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι & qui ea depravant, ſicut & reliquas Scripturas. 4. Obſcuritas rerum in ſe propter earum majeſtatem diſtinguenda eſt à modo eas tradendi. Si verba accuratè inſpiciantur, Petrus non dicit, Pauli Epiſtolas eſſe obſcuras. ſed in illis proponi quædam δυσνόητα, in illis ſcilicet rebus, de quibus Apoſtolus Paulus ſcripſit. Loquitur autem Petrus, ut ex contextu conſtat, de ultimo judicio ac de mundi interitu, proinde illud ἐν οἷς non pertinet ad ἐπιστολαῖς, ſed ad vocabulum τούτων. Lutherus in Diatrib. contra Eraſm. *Dogmata in ſe ſunt obſcura, ſed quatenus in Scriptura proponuntur, ſunt manifeſta, ſi velimus illâ cognitione eſſe contenti, quâ Deus Eccleſiæ in Script. propoſuit.* 5. Petrus non dicit, illa eſſe obſcura, ſed intellectu difficilia tùm propter rerū majeſtatem, tum propter mentis noſtræ infirmitatem.

4. Dan. 12. v. 4.

426. 4. Pererius in comm. Daniel. f. 903. urget, quod *Angelus* Dan. 12. v. 4. *jubeat Prophetiam occultare.* Reſp. 1. nos nequaquam ſtatuimus, omnia omnino in Scripturis ſacris eſſe perſpicua. 2. In Prophetiis potiſſimùm multa ſunt obſcura. interim fidei articuli verbis claris & perſpicuis in Scriptura expoſiti extant. 3. Non jubet Deus Prophetiam *occultare,* quod cum ejus revelatione pugnaſſet, ſed *obſignare,* hoc eſt, inſtar rei precioſiſſimæ aſſervare. In Hebræo eſt סתם quod ſignificat *claudere, obſignare,* & חתם quod itidem ſignificat, *ſignare, obſignare, ſigillo confirmare,* ſicut literæ finitæ ſolent claudi & obſignari ſigillo. LXX. reddiderunt ἔμφραξον τοὺς λόγους καὶ σφράγισον τὸ βιβλίον. 4. Disertè additur, fore duntaxat hanc Prophetiam *uſque ad noviſſima tempora* obſignatam, tunc enim eventus Interpres Prophetiæ optimus eandem exponet.

Teſtimonia Patrum.

427. Alteram argumentorum claſſem deducit Bellarminus *ex teſtimoniis Patrum,* ad quæ in genere reſpondemus. 1. Patres multis in locis de Scripturæ perſpicuitate luculentum ferunt teſtimonium. 2. Teſtimonia, quæ Bellarminus adducit, non repugnant noſtræ ſententiæ. Irenæus lib. 2. contra hæreſ. capite 47. *In Scripturis quædam agnoſcimus, quædam Deo commendamus.* Quis noſtrûm hoc negat? Origenes homil. 12. in Exod. *ſtudium & preces adhibendas eſſe* dicit. Idem & nos dicimus. 3. Patres de mediis ad lectionem & interpretationem totius Scripturæ neceſſariis agunt, nequaquam verò obſcuritatis in tradendis dogmatibus neceſſariis eam arguunt.

Ratione.

428. Tertiam claſſem petit *ex ratione. In Scripturis duo conſiderari poſſunt, res quæ dicuntur, & modus quo dicuntur. Utrum vis ſpectemus, ſumma occurrit difficultas. Res in Scripturis propoſitæ ſunt obſcuriſſimæ, utpote myſterium de Trinitate, de incarnatione verbi, de Sacramentis, de Natura Ange-*

lorum

lorum. Item vaticinia de rebus futuris carmine ſcripta. Quo ad modum dicendi ſunt innumerabiles rationes difficultatis. 1. Sunt in Scripturis, quæ primâ fronte videntur contraria. Exod. 20. v. 5. Ezech. 18. v. 20. 2. Sunt verba & orationes ambiguæ. Joh. 8. v. 26. 3. Sunt orationes imperfectæ. Rom. 5. v. 12. 4. Sunt orationes præpoſteræ. Gē. 10. v. 31. 5. Sunt phraſes Hebræorum propriæ. Pſ. 89. v. 30. 6. Sunt orationes figuratæ plurimæ, tropi, metaphoræ, allegoriæ, hyperbata, ironiæ. Reſp. 1. Quod res in Scripturis traditas attinet, illæ vel ſunt *Hiſtoriæ*, vel *dogmata*, eaq; vel *vaticinia* de futuris, vel *articuli fidei*. Si vel maximè in vaticiniis quædam obſcuritas occurrat ante complementum, tamen Hiſtotiæ & articuli fidei perſpicuè in Scripturis proponuntur. τὰ γὰρ θεῖα τοῖς ἀνθρώποις ἀνθρωπίνως ὁ θεὸς ἡμῖν συγκαταβαίνων proponit, ut loquitur Procop. in c. 3. Eſai. 2. Diſtinguendum eſt inter intellectum hominis nondum renati & inter intellectum in renatis lumine gratiæ colluſtratum 1. Corinth. 2. v. 7. & ſeqq. illi omnia myſteria ſunt obſcura, huic verò neceſſaria ſunt manifeſta, quinimò per ipſam Scripturam Spiritus ſanctus connatas mentis noſtræ tenebras tollit & ſpirituali luce nos colluſtrat. 3. Vera contradictio in Scripturis non occurrit, apparens diligentiam in conciliatione acuit. Sic duo illa loca duplici diſtinctione conciliantur, inter liberos pœnitentiam agentes & eos qui in parentum peccatis perſiſtunt, Item inter pœnas temporales & æternas. 4. Articuli fidei non obſcuris, nec ambiguis, ſed perſpicuis & propriis verbis in Scriptura proponuntur, interim quaſdam ex phraſibus & verbis in quibuſdam locis difficultates oboriri nemo negat, ſed quæ ſtudio linguarum & reliquis interpretationis adminiculis tolli poſſunt. Voces & orationes occurrunt ambiguæ, non reſpectu Dei, qui illas dictavit; nec reſpectu ipſius Scripturæ, quæ eſt vox Dei, ſed reſpectu hominum non aſſequentium vel inveſtigantium ſenſum Dei. 5. Quæ exempli loco à Bellarmino adducuntur, facilè explicari poſſunt. τὴν ἀρχὴν Joh. 8. v. 26. ponitur adverbialiter idiotiſmo Græco pro particula *prorſus* vel *primùm*. Sophocles in Antigon. ἀρχὴν δ' ὁ θηρᾶν οὐ πρέπει τἀμήχανα. *Prorſus non ſunt tentanda impoſſibilia.* Demoſthen. κατ' Ἀριστοκράτους. ἐπεὶ περὶ ὧν γε μὴ κεῖται νόμος, οὐδὲ γράφειν τὴν ἀρχὴν προσήκει. *Quæ legibus non puniantur, ea omnino accuſare non licet.* Chriſtus ergo id reſpōdet, *prorſus is ſum, quem me eſſe dico, quem me eſſe profiteor.* Nonnus cùm retinere potuiſſet τὴν ἀρχὴν non obſtante metro, mutavit in ἐξ ἀρχῆς *id ſum quod ab initio vobis commemoravi colloquens*, dixerat autem ſe eſſe Filium Dei σωτῆρα καὶ χριστόν. Rom. 5. v. 12. habetur ἀνανταπόδοτον quod completur v. 18. & 19. Gē. 10. v. 31. occurrit *anticipatio* non Scripturis ſolùm ſacris, ſed etiam profanis Scriptoribus frequens, per quam res priorum temporum verbis noſtri ſeculi deſcribuntur. Moſes ipſe exponit diviſionem populorum per varias linguas, & textus Hebræus commodè verti poteſt in pluſquamperfecto: *Omnis terra fuerat linguæ unius.* 6. Idiotiſmi Hebraici requirunt Interpretem linguarum peritum, interim quæ cuivis ſcitu neceſſaria, verbis propriis & perſpicuis proponuntur, quod enim in illis Scriptura effert, id alibi verbis apertis & propriis declarat, uti rectè monent Chryſoſtomus in comm. Eſai. 8. ac Thomas p. 1. q. 1. art 9. reſp. ad 2. 7. Orationes figuratæ non adhibentur ad Scripturam obſcurandam, ſed ſunt potiùs lumina orationis. Aug. Epiſt. 119. c. 11. *Quæ inſinuantur nobis figuratè, plus movent & accendunt amorem, quàm ſi nuda & ſine ullis Sacramentorum ſimilitudinibus ponerentur.*

Noſtrum teſtimonium.

429. Quartam & ultimam argumentorum claſſem petit Bellarminus *ex teſtimonio noſtro. Si Scriptura eſſet tam clara, inquit, cur Lutherani tot commentaria ſcribunt? cur tam diverſas Scripturæ verſiones edunt? cur tam variè Scripturam explicant? cur dicunt donum interpretationis eſſe peculiare Spiritus ſancti donum? cur negant Scripturas ſine Spiritu & interprete intelligi poſſe?* Reſp. 1. Commentarii non ſcribuntur fine eo, ut locis Scripturæ apertis, in quibus dogmata fidei proponuntur, aliunde lux inferatur, ſed ut genuinus ſenſus ex ipſis Scripturis eruatur, ſimplicitas fidei contra corruptelas hæreticorum defendatur & ex collatione aliorum Scripturæ locorum magis confirmetur. 2. Quod in quorundam Scripturæ locorum interpretatione diſſenſio oritur non arguit Scripturæ obſcuritatem, ſed vel hominum improbitatem, ut in hæreticis, qui in fidei articulis apertiſſimè dicta in alium ſenſum detorquent, vel mentis noſtræ infirmitatem, quæ in locis Scripturæ obſcurioribus non poteſt genuinum ſenſum ſtatim invenire. 3. Quando Scripturam perſpicuam eſſe aſſerimus, nec Spiritus ſancti illuminationem internam, nec operam Miniſterij Eccleſiaſtici in Scripturæ interpretatione exteruam excluſam cupimus, ſed hoc duntaxat volumus, dogmata ad ſalutem ſcitu omnibus neceſſaria tam clarè & perſpicuè in Scripturis proponi, ut non ſit propterea relictis Scripturis ad traditiones, ad judicium Eccleſiæ Romanæ, ad dicta Patrum, ad decreta Conciliorum, &c. confugiendū, ſed ut ex ſolis Script. de dogmatibus illis & poſſit & debeat certi aliquid ſtatui, & ut Laici etiā ad illas legendas admitti & poſſint & debeant.

430. 2. *Calviniani* Scripturæ perſpicuitatem verbis nobiſcum fatentur, imò integris capitibus & libris contra Pontificios eandem propugnant, interim ſalvis ſuis hypotheſibus non poſſunt non Scripturam obſcuritatis in ſummis fidei articulis accuſare. Articulus de Baptiſmo & ejus efficacia eſt unus ex præcipuis, ut conſtat, de eo docent Calviniani, *Baptiſmum non eſſe efficax medium regenerationis, peccatorum remiſſionis & ſalutis, ſed duntaxat ſignum.* Jam verò in tota Scriptura nuſpiam docetur verbis propriis, claris & perſpicuis, Baptiſmum eſſe regenerationis duntaxat ſignum, Baptiſmo ſignificari tantum peccatorum ablutionem, ſed quoties Scriptura de Baptiſmi fine & fructu loquitur, *per Baptiſmum nos à peccatis mundari, ex aqua nos regenerari, Baptiſmum eſſe lavacrū regenerationis & renovationis* aſſerit: Joh. 3. verſ. 5. Epheſ. 5. verſ. 27. Tit. 3. verſ. 5. &c. Ergo ſtatuere coguntur, Scripturam nuſpiam verbis propriis, claris & perſpicuis de Baptiſmi efficacia & fructu loqui, ſed figuratis, impropriis & metonymicis. Sohnius in Method. Theolog. tom. 1. oper. p. 262. *Omnes de Baptiſmi efficacia propoſitiones, quæ in Scripturis occurrunt, figuratas, improprias, & metonymicas dicit, præter hanc unam. Baptiſmus eſt typus depoſitionis ſordium,* quam 1. Petr. 3. v. 21. extare dicit, ſed textus inſpectio planè contrarium oſtendit. • Urſinus in Compend. pag. 503. *Impropria ſeu figurata loquendi formula ſunt. Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis. Baptiſmus nos ſalvat. Propria loquendi forma eſt, quod ſit ſignum ablutionis.* (At ubi Scriptura hac loquendi formâ utitur?) Sic articulus de Cœna eſt unus ex

præcipuis. De eo docent Calviniani, *panem Euchariſticum non eſſe organum, per quod corpus Chriſti præſens diſtribuatur, ſed ſignũ abſentis corporis; vinum Euchariſticum non eſſe organum, per quod ſanguis Chriſti præſens diſtribuatur, ſed ſignum abſentis ſanguinis Chriſti*. Jam verò Scriptura nuſpiam ſic loquitur. Panis Euchariſticus eſt ſignum corporis Chriſti, ſed dicit, *eſſe communicationem corporis Chriſti*. Chriſtus in Inſtitutione non dicit, *hoc eſt ſignum corporis mei, ſed hoc eſt corpus meum*. Ergò denuò ſtatuere coguntur, *Scripturã in hoc præcipuo religionis noſtræ articulo tradendo non uti verbis propriis & perſpicuis*. Inde Oecolampadius in lib. de verbo Dei diſputat, *Matthæum & Marcum ſcripſiſſe obſcurè de Cœna Domini, ideoq; ſententiam petendam eſſe ab eo, qui clarius ſcripſit, videlicet Luca*. Sed ſi clariſſima Lucæ verba illis proferas, reſpondebunt ex Beza in annot. ad N. Teſt. pag. 317. *Lucam in deſcribendis Euchariſticæ Inſtitutionis verbis commiſiſſe ſolœciſmum*; Bezæ hac in parte ſuffragantur Vorſtius part. 2. Ante-Piſtor. ſect. 4. Piſcat. in annal. iſtius loci & Goclenius lib. 5. problem. Grammat. probl. 1. p. 226. Sic ergo nuſpiam inveniunt, ubi pedem figant, nimirum quia nec Matthæus, nec Marcus, nec Lucas ejuſmodi verbis Inſtitutionem Euchariſtiæ deſcribunt, quæ metonymiam ipſorum Sacramentalem perſpicuè exponant. Ecquid verò dicemus de diſtinctione *inter voluntatem ſigni & beneplaciti*, de limitatione promiſſionum Evangelicarum, quæ nuſpiam in Scriptura verbis perſpicuis proponitur, ſed à Calvinianis additur, utique ergo ſtatuere coguntur, *Scripturam in fidei articulis tradendis eſſe obſcuram*, unde Piſcator in reſpon. Apologet. ad Vorſtium part. prima, pagin. viceſima ſcribit. *Quaſi non appareat paſſim Spiritus S. placuiſſe loqui ſubobſcurè, ut ita acueret rationem ad intentionem & ſtudium in ſcrutando genuino ſenſu?*

431. 3 Doctrinam de perſpicuitate Scriptu-
3. Photinianorum. ræ corrumpunt etiam *Photiniani*. Oſtorodus in Inſtit. Germ. cap. 1. §. 3. ſtatuit. *Scripturam ſacram ita perſpicuam eſſe, ut a nobis eam legentibus vel audientibus ſolius intellectus auxilio abſq; ſpeciali & interna Spiritus ſancti illuminatione queat intelligi*; quæ aſſertio ex negatione peccati originalis & connatarum poſt lapſum menti noſtræ tenebrarum originem trahit. Contradicit autem hac aſſertione Oſtorodus. 1 *Sibiipſi*. Nam libr. ejuſd. cap. 40. §. 4. ſcribit: *Quod Prophetæ & cumprimis Apocalypſis abſque Prophetico Spiritu non poſſint intelligi; late demonſtrari poſſet, ſi operæ precium foret*. At ſi Prophetæ non poſſunt intelligi abſq; Spiritu Prophetico, qui eſt Spiritus ſanctus, utique aliqua Scripturæ pars nõ poteſt abſq; Spiritus ſancti illuminatione intelligi, ac proinde de tota Scriptura contrarium non erat aſſerendum. 2. *fidei ſuæ ſociis*. Catech. Racov. German. p. 20. quærit: *Unde tot diſſidia in eruendo Scripturæ ſenſu emergant?* Reſpondet autem *id ex eo accidere, quod homines Scripturã vel negligenter legant vel non afferant cor ſincerum & ab omnibus impedimentis ac cupiditatibus ſolutũ, aut auxilium illud divinum nempe Spiritum ſancti, quod promiſit Deus, dies noctesq; ſe invocantib, non eo, quo par eſt, ſtudio implorent*. Socin. in ſolut. ſcrupul. reſp. ad 19. p. 45. *Noſtri homines ex ipſis ſacris literis eum ĩdem ſacrarum literarũ interpretationem quærunt. Quanquã ſi quid hac ratione addiſcunt, quod ceteri adhuc ignorent, id omne Deo, cujus ad intelligenda ipſius myſteria Spiritum utique auxilium continenter implorant, acceptum referre non dubitant*. In defenſ. animadv. p. 30. *Deus verbum ſuum nobis ſcriptum dedit iis verbis atq; eo orationis genere, ut unicuiq; Dei gloriam amanti quantum ſatis eſt, intellectu facile eſſet, nec præter ipſa ſcripta ad ea penitus percipienda aliud auxilium requirendum foret, niſi ipſius Dei Spiritus, quem omnibus petentibus ſe daturum per Jeſum Chriſtum promiſit*. 3. *ſacris literis*, quæ teſtantur, propter connatas menti noſtræ tenebras ad ſalutarẽ divinorum myſteriorum in Scripturis revelatorum intelligentiam Spiritus ſancti illuminationẽ requiri, id quod duplici argumentorum claſſe demonſtrari poteſt, quarum prior deſumitur *ex parte Dei*, poſterior *ex parte noſtra*.

432. *Ex parte Dei* neceſſitatem illuminationis probant. 1. *expreſſa dicta*, quæ Deo Patri, Filio ac Spiritui ſancto hoc gratiæ opus peculiariter tribuunt. De Patre dicitur 2. Cor. 4. v. 6. *Deus qui dixit & dicendo juſſit ex tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in cordib. noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Jeſu Chriſti*. Cõfertur ſpiritualis mentis noſtræ illuminatio cum productione lucis naturalis in prima creatione. Quemadmodum lux fuit neceſſaria ad operum divinorum in hexaëmero producendorum cognitionem, unde etiam primo ſtatim die fuit creata: ſic ad myſteriorum divinorum cognitionem ſpiritualis lux requiritur, quam Deus in cordibus noſtris divinâ ſuâ virtute accendit. Quemadmodũ ante productionẽ lucis naturalis meræ tenebræ erant ſuper faciem abyſſi: ſic ante Spiritus ſancti illuminationem homo nihil aliud eſt, quàm meræ tenebræ. Quemadmodum Deus dicendo lucem creavit: ita per verbum ſpiritualem lucem in mentibus noſtris accẽdit Matth. 16. v. 17. dicit Chriſtus ad Petrum: *Beatus es Simon Bar Jona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*. Loquitur Chriſtus non tantum de revelatione *externa*, ſed *etiam interna*, quia propter eam beatum prædicat Petrum, eamq; Patri ſuo cœleſti tanquã cauſæ efficiẽti principali tribuit. 1. Corinth. 3. v. 7. *Paulus plantavit, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum*. Quod ſi ergo ſemẽ verbi fruſtra ſpargitur, niſi Deus det incrementum, utique requiritur peculiaris aliqua divinæ gratiæ operatio in hominum converſione & illuminatione. Coloſſ. 2. v. 12. fides vocatur ἐνέργεια τοῦ Θεοῦ *operatio Dei, quæ ex eadem potentia Dei deſcendit, per quã Chriſtus ex mortuis fuit excitatus*. De Chriſto Dei Filio dicitur, quod ſit ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς *noſtræ fidei* Heb. 12. v. 2. ſi eſt ἀρχηγὸς, ergo ipſius gratioſa operatio ad fidem per verbum accendendũ requiritur; *quod aperiat librum ſignaculis ſeptem ſignatũ* Apoc. 5. v. 5. per quem Scripturam intelligunt Origenes, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus & alii ex veteribus. De Spiritu ſanctu dicitur, *quod det intelligentiam* Job. 32 v. 8. quod ſit θυρωρὸς *oſtiarius aperiens* Joh. 10. v. 3. (quod Theophylactus ad Spiritum S. Scripturæ ſenſum nobis aperientẽ accommodat) unde vocatur *Spiritus ſapientiæ & intellectus* Eſai 11. v. 2. *Spiritus ſapientiæ & revelationis in agnitionem Dei* Epheſ. 1. v. 17. ac fides numeratur inter *fructus Spiritus* Gal. 5. v. 22. 2. *divina promiſſa* Pſal. 32. v. 8. *dabo tibi intellectum & inſtruam te in via, quam gradiaris* Eſa. 54. v. 13. Joh. 6. v. 45. *Scriptum eſt in Prophetis, erunt omnes* διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ *à Deo docti. Omnis ergo qui audivit à Patre meo & didicit, is ad me venit, &c.* ubi non tollitur exter-
num

Digitized by Google

num verbi miniſterium, ſed oſtenditur Evangelii prædicationem tunc demum eſſe ſalutarem, quando accedit divina operatio & illuminatio. Jerem. 24. v. 7. *dabo eis cor, ut ſciant me* c. 31. v. 33. *Scribam legem meam in corda eorum.* Joh. 14. v. 26. *Spiritus docebit vos omnia & in memoriam vobis revocabit omnia* c. 16. v. 13. *Cum venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* 3. *precum ſuſpiria*, quibus pii divinam illuminationem ſolicite exquiſiverunt, a tùm *ſibi ipſis.* Pſal. 25. v. 4. *Vias tuas Domine demonſtra mihi & ſemitas tuas doce me* v. 5. *dirige me in veritate tua & doce me.* Pſ. 86. v. 11. *Doce me Domine viam tuã, fac ut ambulem in veritate tua.* Pſ. 119. v. 18. *revela oculos meos & conſiderabo mirabilia de lege tua.* v. 34. *da mihi intellectũ, & ſervabor legem tuam.* v. 73. *da mihi intellectum, ut diſcam mandata tua.* v. 135. *faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum & doce me juſtificationes tuas.* Matth. 13. v. 36. *diſcipuli Chriſtum accedunt & concionum interpretationem ab ipſo petunt dicentes: Domine ediſſere nobis parabolam iſtam.* Apoc. 5. v. 9. viginti quatuor ſeniores Eccleſiæ militantis ac triumphantis conſortium repræſentantes cantant canticum novum dicentes ad Agnum: *Dignus es aperire librum & aperire ſigillacula ejus.* ß tum aliis. Eph. 1. v. 16. *memoriam veſtri facio in orationibus meis* v. 17. *ut Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus* v. 18. *illuminatos oculos cordis, ut ſciatis quæſit ſpes vocationis, &c.* Col. 1. v. 9. *Nõ ceſſamus pro vobis orare & poſtulare, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia & intellectu ſpirituali,* 4. *manifeſta exempla* Luc. 24 verſ. 32. Chriſtus *aperit* diſcipulis Emaunta cogitantibus *Scripturas* v. 45. diſcipulis Hieroſolymæ cõgregatis *aperit mentem, ut intelligerent Scripturas,* ubi manifeſtum eſt, non exteriore duntaxat interpretatione, ſed etiam interiore mentis illuminatione Scripturas fuiſſe à Chriſto diſcipulis apertas. Act. 26. v. 14. *Dominus aperuit cor Lydiæ, ut intenderet his, quæ dicebantur a Paulo.* 2. Cor. 3. v. 3. *Epiſtola Chriſti eſtis miniſtrata à nobis ſcripta nõ atramento, ſed Spiritu Dei vivi non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carneis.* 1. Joh. 2. v. 27. *Non neceſſe habetis, ut aliquis vos doceat, ſed ſicut unctio ej⁹ vos docet de omnibus, ita & verum eſt & non eſt mendacium.*

433. *Ex parte noſtra* divinæ illuminationis neceſſitatem demonſtrant 1. *expreſſa Scripturæ effata,* quæ ἀδυναμίαν hac in parte hominibus tribuunt. Joh. 16. v. 12. *adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis modò portare.* 1. Cor. 2. v. 14. *animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi & non poteſt intelligere, quia ſpiritualiter judicantur.* 2. Cor. 3. v. 5. *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid boni ex nobis q; ex nobis, ſed ἱκανότης noſtra eſt ex Deo.* c. 12. v. 3. *Nemo poteſt vocare Dominum Jeſum niſi in Spiritu ſancto.* 2. maxima inter mentis noſtræ imbecillitatẽ & divinorum myſteriorum ſublimitatem ἀσυμμετρία. Mẽs noſtra in cognoſcendis etiam terrenis & ſublunaribus patitur quandam difficultatem Sap. 9. v. 16. *Difficile æſtimamus, quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autẽ in cœlis ſunt, quis inveſtigabit?* Ioh. 3. v. 12. *Si terrena vobis dixero & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credetis?* Ariſtot. lib. 2. metaph. c. 1. *Animus hominis habet ſe ad res ſublimiores cognoſcẽdas,* ὥσπερ τὰ τῶν νυκτερίδων ὄμματα πρὸς τὸ φέγγος μεσημβρινόν. Jã verò fidei myſteria utpote divina & ex fonte divinæ ſapientiæ profluentia ſunt longè ſublimiora, quàm terrena & ſublunaria. Ergo ſupernaturale & divinum aliquod lumen ad eorum cognitionem requiritur. 3. *Natura noſtra corrupta pictura.* Vocamur enim propter connatam mentis caliginem *tenebræ* Epheſ. 5. v. 8. Joh. 1. verſ. 5. dicimur *ſedere in tenebris & regione umbræ mortis* Eſaiæ 9. verſ. 1. Luc. 1 v. 79. quod Epheſ. 4. verſ. 8. ſic exponitur: *Habemus tenebris obſcuratum intellectum alienati à vita DEI per ignorantiam Dei quæ in nobis propter πώρωσιν calloſam duritiem cordis,* unde eſt, *quod caro & ſanguis non revelat nobis ſalutarem Dei agnitionem, ſed Pater cœleſtis,* Matth. 16. v. 17. Ratio enim noſtra in divinis myſteriis eſt planè cœca, adeo ut Scriptura ipſi ſit *velut liber obſignatus* Eſai. 29. v. 11. Apoc. 5. v. 2. eſt doctrinæ cœleſti adverſa Rom. 8. v. 5. ac proinde ſub obſequium *Chriſti captivanda* 2. Cor. 10. v. 5. at niſi adverſa & repugnans eſſet, quorſum opus foret captivatione? eſt ad ſpirituales operationes & ſalutarem myſteriorum perceptionem planè inepta Rom. 8. v. 26. &c. 4. *Varia impedimenta,* quæ homini objiciuntur, quò minùs verbum prædicatum ſalutariter intelligatur & fructificet. Diabolus infernalis ille vultur unicè id agit, ut *ſemen verbi è cordibus rapiat.* Luc. 8. verſ. 12. *excœcat mentes infidelium, ne fulgeat illis cognitio Chriſti.* 2. Cor. 4. v. 5. homines præconceptis opinionibus ſunt faſcinati, audiunt cum tædio, adhærent terrenis, &c. 5. *Manifeſta exempla* eorum, qui in clara verbi luce tenebras adhuc amarunt. Deut. 32. v. 29. de populo Iſraëlitico cui Deus eloquia ſua concrediderat, dicitur. *Gens eſt ſine conſilio & ſine prudentia. Utinam ſaperent & intelligerent.* Cauſa exponitur Deut. 29. v. 2. *Vidiſtis univerſa quæ fecit vobis Dominus, & non dedit vobis Dominus cor intelligens & oculos videntes & aures quæ poſſint audire uſque in præſentem diem.* Tamdiu igitur in divinis myſteriis homo cœcus eſt, donec Deus intellectum ipſius illuminet. Luc. 18. v. 33. de diſcipulis Chriſti dicitur: *Ipſi nihil horum intellexerunt & erat verbum iſtud abſconditum ab eis & non intelligebant, quæ dicebantur,* nimirũ quia deſtituti erant interiore Spiritus S. illuminatione. Idem apparet in diſcipulis Emaunta abeuntibus. Luc. 24. v. 25. in Nicodemo Joh. 3. v. 4. &c. Ex Patribus multa in hanc ſententiam afferri poſſunt. Juſtinus in Dial. cum Tryph. pagin. 173. εὔχου δέ σοι πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας, οὐ γὰρ συνοπτὰ, οὐδὲ συνοητὰ πᾶσίν ἐστιν, εἰ μή τῳ θεὸς δῷ συνιέναι καὶ ὁ χριστὸς αὐτοῦ Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 10. p. 238. *Sine Deo impoſſibile eſt diſcere Deum.* Origenes hom. 17. in Exod. *Supplicandum eſt Domino, ut ipſe accipiens librum ſignatum dignetur aperire, ipſe enim eſt qui aperit mentes, ut intelligãtur Scripturæ.* Plura hujus generis dicta ex veterib. adducta vide in Tract. de Method. ſtudii Theol. part. 1. cap. 3.

434. Ad ſpeciale argumentorum Oſtorodi examen ut deſcendamus, non videtur operæ pretium. Notandum in genere. 1. πρῶτον ψεῦδος & fontem hujus erroris eſſe peccati originalis abnegationem. Sic enim diſſerit Oſtorodus cap. 1. §. 5. *Si homo abſque internâ Spiritus ſancti illuminatione non poſſet ea, quæ ad ſalutem ſcitu neceſſaria ſunt, intelligere, cauſa illius neceſſe vel in verbo, vel in hominibus. Non in verbo, quia illud eſt ſatis clarũ & perſpicuum. Nec in hominibus, illi enim vel tales ſunt, ut cœleſtia ſibi propoſita intelligere nequeãt vel ex creatione, vel ex Naturæ corruptione. Non prius,*

fatentibus adverſariis; nec poſterius, ut c. 33. & 34. ſe probaturum pollicetur. *Ergo nulla hujus rei cauſa dari poteſt*. Sed hanc hypotheſin eſſe falſam ſuo loco demonſtratur. 2. Diſtinguendum eſſe inter Scripturam conſideratam *in ſe & reſpectu noſtri*. Scriptura in ſe ac per ſe eſt lux quædam clariſſima, *ſive materiam ſive formam*, id eſt, ſive res ſive tradendi modum & verba reſpicias. Sed reſpectu noſtri propter connatas mentis noſtræ tenebras requiritur Spiritus ſancti illuminatio ad ſalutarem divinorum myſteriorum in Scripturis ſatis clarè propoſitorum intelligentiam. Lutherus in lib. de ſerv. arbitr. tom. 3. Jen. pag. 167. *Ne unum quidem jota in Scripturis perſpicuum eſt ſine Spiritus S. luce, omnia enim hac ratione & hoc reſpectu carni & acumini hominis ſunt obſcura*. Sol in ſe ac per ſe ſatis ſplendidus, interim cæcorum oculi eum intueri nequeunt. 3. Diſtinguendum eſſe inter *notitiam literalem ac ſpiritualem*. Poſſunt quidem nondum illuminati ac colluſtrati à Spiritu ſancto cognitum habere exteriorem Scripturæ corticem ac fidem Hiſtoricam per externum verbi miniſterium concipere, ſed ſolidam ac ſalutarem fidei juſtificantis πληροφορίαν abſq; Spiritu ſancto interius mentem colluſtrante & voluntatem flectente habere nequeunt. 4. Diſtinguendum eſſe *inter illuminationem Spiritus mediatam & immediatam*. Non eſt cogitandum, priùs à Spiritu ſancto immediatos raptus & immediatam illuminationem expectandam, antequam ad Scripturas legendas, meditandas ac perſcrutandas accedamus, ſed per ordinarium medium, videlicet per diligentem verbi lectionem & meditationem Spiritus ſancti piis precibus invocatus ſalutarem divinorũ myſteriorũ intelligentiam nobis vult largiri. Ut ex verbo in prima creatione lux naturalis; ſic ex verbo in ἀνακτίσει oritur lux ſpiritualis. Actor. 10. verſ. 42. *Petro adhuc loquente cecidit Spiritus S. ſuper omnes qui verbum audiebant*. Gal. 3. verſ. 2. *ex auditu fidei*, id eſt, ex prædicatione Evangelii Galatæ dicuntur *accepiſſe Spiritum ſanctum*. 5. Finem non excludere, ſed potius includere media ad finem ducentia, ac proinde finem non debere mediis opponi. Fruſtra igitur colligit Oſtorodus: *Si Deus ſingulari conſilio res divinas ſcribi voluit, ut quilibet eas legere poſſet, conſequens eſt, Scripturam abſque Spiritus S. illuminatione intelligi poſſe*. Nam finis ille Scripturæ, qui in manifeſtatione rerum divinarum ad ſalutem neceſſariam conſiſtit, non excludit Spiritus ſancti illuminationem ad hunc finem obtinendum in homine requiſitam. Poſſet enim eadem ratione inferri. Finis Evangelicæ Hiſtoriæ eſt, *ut credamus Jeſum eſſe Chriſtum & per fidem in nomen ejus vitã æternã habeamus*. Ioh. 20. verſ. 31. Ergo ſine Spiritus ſancti illuminatione noſtrarum duntaxat virium ope fidem & vitam æternam obtinere poſſumus. Præterea ſi hic finis Scripturæ excluderet media, utiq; etiam nullâ opus foret Scripturæ interpretatione, fruſtraneum foret Miniſterium Eccleſiaſticũ, nec foret neceſſaria Scripturæ lectio & meditatio, quæ tamen omnia Oſtorodus ſuo loco relinquit.

435. 4. Perſpicuitatem Scripturæ etiam negat *Weigelius*, quando eam vocat *ambidextram & flexiloquam atque ambiguæ obſcuritatis* accuſat, ſine ſe. eo, ut à litera Scripturæ ad Spiritum internum homines abducat. part. 2. poſt. pagin. 185. Die Schrifft iſt in beyde Feuſt/ man kan ſie zu beyden ſeiten brauchen/ es ſey einer ſo unrecht als er wolle/ dennoch kan er die Schrifft führen gegen ſeinen Widerpart/ Guldengrieff pag. 55. Die am Buchſtaben der Schrifft hangen/ können nimmermehr miteinander uberein kommen/ deñ er iſt ein Beydẽhänder und ein jeder kan jhn brauchen vor ſich/ wie er wil/ daher auch ſo viel Secten und Spaltungen ſind entſtanden. Cui errori diſertis verbis contradicit Petrus 2. Ep. 1. v. 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tãquam lucernæ lucenti in loco caliginoſo, donec Lucifer oriatur in cordibus veſtris*. Accidentarius Scripturæ abuſus à vero & genuino ejus uſu erat diſtinguẽdus. Cõf. Diſp. 1. Anti-Weig. de gloria Dei §. 20.

CAP. XXI.

De norma ac regula dogmatum & controverſiarum in Eccleſia.

436. Ex Scripturæ *perfectione & perſpicuitate* reſultat hoc ἀξίωμα, quod ipſa ſit *ſola unica ac perfecta norma & regula*, juxta quam de fide & moribus in Eccleſia docendum, Spiritus omnes probandi & omnes religionis controverſiæ dijudicandæ, id quod hiſce confirmatum damus argumentis. 1. *ex appellatione*. Scriptura ſacra vocatur Canon & Canonica Scriptura, utiq; ergo erit norma ac regula dogmatum in Eccleſia. Pſ. 19. v. 5. *In omnem terram exivit* קום *linea eorum*. LXX. verterunt ὁ φθόγγος αὐτῶν, legerunt igitur קולם *ſonus eorum*, ex quo Bellarm. lib. 2. de verbo Dei c. 2. Huntlæus contr. 1. c. 9. §. 7. corruptelam in textum Hebraicum irrepſiſſe colligunt, ſed quid huic argumento reſpondendum ſit, expoſuimus ſuperius §. 331. Rabini priorem Pſalmi partem ac proinde etiã hunc verſiculum *de cœlo materiali* duntaxat exponunt: *Funiculus influentiæ ipſorum* h. e. opera orbium & ſtellarum *exiverunt in totam terram*. Sed habemus interpretem omni exceptione majorem Apoſtolum Paulum, qui hunc verſiculum Rom. 10. v. 18. *ad doctrinam Apoſtolicam* accommodat, quæ hodie non niſi in libris eorum continetur. Illam vocat regulam, normam & Canonẽ, קו n. propriè ſignificat lingulam in trutina, juxta quã æquilibrium conſtituitur; funiculum tenuem, quem minio, cretâ aut atramento imbuunt fabri, ut lineam rectam ducant, cujus ductum poſtea, ſequuntur in materia exæquanda & complananda; perpendiculum h. e. inſtrumentum, quo filum plumbo appenſo explorat ſtructuræ in altum rectitudinem; funiculum tàm ædificii quàm dimenſionis, quas ſignificationes pleraſq; omnes Schind. in Lexico notat, exempla earum occurrunt, Iob. 38. v. 5. Eſa. 44. v. 13. Jerē. 31. v. 39. Ex hoc loco Pſalmi videtur deſumtum dictũ Propheticum illi quodãmodo parallelum Eſai. 28. v. 10. *Præceptũ ad præceptũ* צו לצו קו לקו קו לקו *linea ſuper lineam, vel linea poſt lineam*. v. 13. *& erit eis verbum Domini præceptum ad præceptum, linea ad lineam, &c.* Quidam illud accommodarunt hoc modo. Architectus lineam extendit, donec faciat ordinem unum, poſtea eã transfert & extendit deſuper, ut faciat ordinẽ alium & ita paulatim pergit, donec abſolvat parietem, ſic docendi ſunt puerorum inſtar qui paulatim parum percipiunt. Aben Ezra refert צו ad *præcepta* & קו ad *doctrinam* ſcriptam, cùm pueri diſcunt legere lineam unam poſt alteram, ne multitudine obruantur. Quidam ſic intelligunt, ſtupidis illis & cœcis hominibus præcepta & regulas dari, ſed eos tamen nihil intelligere, ac perinde eſſe, ac ſi quis pere-

grinã

Scriptura eſt norma & regula controverſiarum.

Prob. 1. ex appellatione.

grinâ & blæſâ linguâ illis loquatur. Ex toto contextu apparet ſermonem eſſe de contemtoribus verbi conciones Propheticas irridentibus, *μιμητικῶς* igitur imitatur Propheta illas ſubſannationes impiorum, qui ſæpe iteratas Prophetarũ commonefactiones irridebant, dicentes, illos nihil crepare præter *mandatum, mandatum*, eundem ſenſum repetitur vox lineæ. Cùm enim Prophetæ ad verbum velut *ad lineam & regulam* omnia examinanda eſſe dicerent, ac cultus extra & præter verbum excogitatos damnarent, ridebantur hoc nomine à לֵצִים ab impiis contemtoribus & ſubſãnatoribus, qui docebant, eos nihil in medium afferre quàm ſuam illam normam ac regulam. Quando igitur verbum Dei ſcriptum ſive Scriptura per metaphoram ex *ϛατικῇ* ſive ponderum officina, & ex architectura translatam à Davide & Eſaia vocatur קו *regula, canon, amuſſis, &c.* eo ipſo omnium in Eccleſia dogmatum norma & regula cõſtituitur.

437. Veſtigiis Davidis & Eſaiæ inſiſtit Paulus in N.T. quando accuratam ſuam de juſtificationis articulo diſſertationem adeoq; totam Epiſtolam ad Galatas hoc veluti epiphonemate & ſigillo concludit cap. 6. verſ. 16. *Quicunque τῷ κανόνι τούτῳ ϛοιχήσουσι hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia & ſuper Iſrael Dei*, ubi manifeſtum eſt, loqui Apoſtolum de doctrina ſua in hac ipſa Epiſtola ad Galatas ſcripta perſpicuè propoſita. Jam verò quæ eſt Natura partis in homogeneis, eadem etiam eſt Natura totius. Si appellatio Canonis convenit huic Epiſtolæ Paulinæ, utiq; etiam reliquis V. & N. T. libris conveniet. Et quia Apoſtolus utitur verbo *ϛοιχεῖν*, videtur nos ad aliam metaphoræ hujus rationem deducere: Quemadmodum enim acies caſtrorum certo ordine inſtruitur progreſſura contra hoſtiles incurſiones: ita quando Eccleſia veſtigiis veræ fidei vult incedere Rom. 4. v. 12. ut munita ſit cõtra pericula corruptelarum, opus habet certo Canone ſeu regulâ ſecundùm quam incedat, ac intra cujus limites & terminos ſeſe contineat, ne in errorem incidat. Ille verò Canon ſeu regula eſt doctrina divinitùs patefacta per Prophetas & Apoſtolos, ac in ſcriptis eorum comprehenſa, qui juxta hanc normam incedunt, qui in fide & vita hanc regulam ſequuntur, *ſuper illos eſt pax & miſericordia*, id eſt, illi habent Deum propitium, conſcientiam tranquillam & cor ſecurum, & ſunt *Iſrael Dei*, id eſt, Spirituales Iſraëlitæ, populus Dei, vera Eccleſia, &c. Phil. 3. v. 16. *Veruntamen ad quod pervenimus, ut in eadem regula permaneamus τῷ αὐτῷ ϛοιχεῖν κανόνι, ut idem ſapiamus*, v. 17. *Coimitatores mei eſtote & obſervate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam τύπον nos ipſos*; ubi Apoſtolus itidem de doctrina, quam Philippenſibus tradiderat, loquitur, & juxta eam velut fidei & vitæ regulam omnia in Eccleſia conſtituenda eſſe præcipit. Quidam etiam huc referunt 2. Corinth. 10. v. 13. 15. & 16. ſed ibi Apoſtolus non *tàm de Canone doctrinæ*, quàm de *menſura donorum* loquitur.

438. Ex hiſce Davidis, Eſaiæ & Pauli dictis apparet, Canonis appellationem non humano arbitrio ſed ab ipſo Deo Scripturæ attributam & proinde ab ipſo Deo Scripturam tanquam unicam fidei & vitæ regulam nobis eſſe propoſitam & commendatam. Huc pertinent omnia illa dicta Scripturæ, in quibus verbum Dei dicitur ישר *rectum & verbum rectitudinis*, ideò enim eſt & dicitur rectum non ſolùm quia in ſe eſt rectum, infallibile, immotum ac firmum, ſed etiam quia eſt norma omnis rectitudinis in Eccleſia. Pſal. 19. verſ. 9. *Præcepta Domini* יְשָׁרִים *recta, lætificantia cor.* Pſal. 45. v. 7. שֵׁבֶט מִישׁוֹר *virga rectitudinis, ſceptrum rectum eſt ſceptrum regni tui.* Eccleſ. 12. verſ. 12. *Quæſivit Coheleth invenire verba* חֵפֶץ *voluntatis, placita, delectabilia & Scripturam rectam* כָּתוּב יֹשֶׁר *Scripturam rectitudinis*, ut vertit Bened. Arias Montanus. Quid quæſo aliud eſt Scriptura ſacra quàm ſermo Dei & Chriſti per Prophetas, Evangeliſtas & Apoſtolos literis conſignatus, quia Spiritus Chriſti locutus eſt per Prophetas 1. Petr. 1. v. 11. Apoſtoli à Chriſto acceperunt Spiritum ſanctum, cujus inſpiratu & impulſu docuerunt & ſcripſerunt. Quod ſi ergo ſermo Chriſti eſt ſceptrum rectum, ſermo rectus, virga rectitudinis, utiq; etiam Scriptura ſacra erit recta & omnis rectitudinis in Eccleſia norma ac regula *τοῦ εὐθέος* ait Philoſ. 1. de anim. cap. ult *καὶ αὐτὸ καὶ τὸ καμπύλον γινώσκομεν, κριτὴς γὰρ ἀμφοῖν ὁ κανών*. Idem lib. 3. Ethic. c. 4. Canonis appellatione utitur pro regulis & præceptis lib. 2. cap. 3. *κανονίζειν* ipſi eſt *ad regulam aliquid componere.* Quando igitur canonis appellatio Scripturæ tribuitur, regula ſpiritualis ædificii eo ipſo conſtituitur. Apud Pontificios creberrimus eſt hujus vocabuli uſus. Nam decreta Pontificum & Conciliorum vocant Canones, habent etiam Canonem Miſſæ, Canonem ſanctorum defunctorum, habent Canonicos regulares, horas Canonicas, Canones Apoſtolorum &c. in omnibus hiſce exemplis vox Canonis regulæ & normæ ſignificationem obtinet, agnoſcant ergo eodem ſenſu Scripturæ ſacræ eandem tribui.

439. 2. *A divina juſſione.* Ad quod tanquam unicam regulam & normam omnem omnino cultum, omnemq; fidei & vitæ rationem exigi Prophetæ & Apoſtoli volunt, illud eſt unica fidei & vitæ regula. Jam verò ad verbum Dei primùm quidem vivâ voce prædicatum, poſtea per Dei voluntatem in Scripturas redactum tanquam ad unicam normam & regulam omnem omnino cultum, omnemque fidei & vitæ rationem exigi volunt Prophetæ & Apoſtoli. Ergo. Aſſumtum probatur ſequentibus Scripturæ teſtimoniis. 1. Moſes cùm Dei nomine ad Iſraëlitas locutus eſſet ac Dei juſſu omnia verba legis conſcripſiſſet, dicit ad eos Deut. 4. verſ. 2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, ut cuſtodiatis mandata Domini Dei veſtri, quæ ego præcipio vobis.* cap. 5. verſ. 32. *Cuſtodite & facite, ſive obſervanter facitote, quemadmodum Jehovah Deus veſter præcepit vobis, non declinabitis neque ad dextram neq; ad ſiniſtram* v. 33. *ſed per viam, quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis, ut vivatis & benè ſit vobis.* Comparatur in his verbis verbum Domini viæ ad lineam directæ, quâ incedendũ illis, qui heredes regni cœleſtis ſunt futuri, hanc viam Apoſtolus eidem metaphoræ inſiſtens vocat *Κανόνα* Gal. 6. v. 16. Cùm enim expoſuiſſet brevem N. Teſt. & doctrinæ Evangelicæ epitomen, proinde ut Moſes legis ac V. T. ſummam propoſuerat, ſubjungit: *Quotquot ſecundum hunc Canonem incedunt, pax ſuper eos & miſericordia & ſuper Iſraël Dei*, ex quibus poſterioribus verbis apparet, ipſum intẽdere digitum ad hunc locum Moſaicum, Deut. 12. verſ. 28. *Obſerva & audi omnia quæ ego præcipio tibi* v. 30. *Cave ne imiteris gentes dicens. Sicut coluerunt gentes illæ Deos ſuos, ita & ego colã.*

2. à divina juſſione.

v.32. Quandocunque præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eo. cap. 27. verſ. 26. *Maledictus, qui non permanſerit in verbis legis hujus*, quem locũ adducit Apoſtolus Gal. 3. v. 10. his verbis: *Maledictus qui non permanſerit in his quæ ſcripta ſunt in lege*, oſtendens legem Dei non eſſe extra Scripturam legis quærendam. Deut. 31. v. 9. *Scripſit Moſes legem & dedit eam Sacerdotibus filiis Levi* verſ. 11. *præcipiens, ut in ſolennibus Iſraelitarum conventibus legatur* verſ. 12. *ut cuſtodiant eam*, ut juxta eam cultum divinum, vitam & mores conformarent. 2. Joſua ſenex morti jam vicinus itidem commendat Iſraelitis legem ſcriptam tanquam unicam fidei & vitæ regulam. Cap. 23. v. 6. *Confortamini valde ut cuſtodiatis & faciatis omne quod ſcriptum in libro legis Moſeh & non recedatis ab ea ad dextram vel ad ſiniſtram.* 3. Eſaias ad verbi normam unicè nos remittit. Capite 8. verſ decimo nono: *Cum dixerint ad vos; Quærite à pythonibus & a ſcientibus, qui garriunt & ſuſurrant. Nonne populus hic Deum ſuum requiret, pro vivis ad mortuos?* verſ. 20. לְתוֹרָה וְלִתְעוּדָה *ad legem & ad teſtimonium. Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux*, ubi ab auguribus & incantatoribus populus ad legem revocatur, quæ eſt teſtimonium ſeu teſtificatio divinæ voluntatis.** Pſ. 19. v. 8. Pſ. 78. v. 5. Eſ. 8. verſ. 16. lex & teſtimonium ἐξηγητικῶς conjunguntur. Confer. Aug. in Pſ. 78.** Quidam exiſtimãt, ad duo principalia doctrinæ cœleſtis capita *Legem* ſc: & *Evangelium*, quod eſt teſtimoniũ de Chriſto Mediatore, in hoc dicto auditores revocari. Sed res eodem redit ſive teſtimonium generaliter de verbo Dei, ſive ſpecialiter de Evangelio accipiatur. Hieron. in comm. h. l. *Si vultis noſſe quæ dubia ſunt, magis vos legi & teſtimoniis tradite Scripturarum. Quod ſi noluerit veſtra congregatio verbum Domini quærere, non habebit lucem veritatis, ſed verſabitur in tenebris errorum.*** Tres afferet expoſitiones, quæ omnes probant noſtram ſententiam** Tanta autẽ eſt hujus dicti evidentia, ut quorundam etiam Pontificiorum oculos feriat. Dietenb. in Bibliis Germ. ſuper h. l. ſic commentatur. Iſts billiger die Todten fragen denn die Lebendigen? Ihr aber ſollet euch mehr zu dem Geſetz und zu dẽ Gezeugnüs der H. Schrifft halten / und võ denen Rath ſuche / bey welchen ihr auch Raths genug finden werdet / Luc. 16. Daraus zu nehmen iſt / daß man in und aus der H. Schrifft gnugſam Berichte findet / zu allẽ dem / das der Seelen Heil betrifft. Sanctius in com. *Cum eo venerint inſaniæ, ut de Pythonibus conſulendis cogitaverint, jubet ut mittantur ad legem & ad teſtimoniũ. Qui non fecerint, juxta verbũ hoc præſcriptũ non erit illis lux clara & matutina, per quã felicitas intelligitur, ſed vivent potiùs in tenebris vel quia cæcis ſemper errabunt veſtigiis abducti poſt errorẽ, vel quia nihil illis continget non adverſũ.* Ad hunc locũ Propheticum digitum intendere videtur Petrus, quãdo 2. Ep. 1. v. 19. ſcribit: *Habemus firmiorẽ Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes tanquã lucerna lucenti in loco caliginoſo donec illuceſcat dies & Lucifer oriatur in cordib. veſtris*; ubi illis qui ad ſermonẽ Prophet. in Scripturis ſacris propoſitum diligenter attendunt, lucẽ ſalutaris θεογνωσίας ad vitã æternam ex illis obtingere docet. 4. Chriſtus Luc. 16. v. 29. *ad Moſẽ & Proph.* id eſt, ad ſcripta Moſaica & Prophetica divitis epulonis fratres ab Abrahamo remiſſos docet, ut ex illis normam & formam divini cultûs, vitæ rectè formandæ & ſalutis conſequendæ viam diſcerent. Joh. 5. v. 39. *Scripturas nos ſcrutari* jubet, in quibus ſonet teſtimoniũ de promiſſo Meſſia & modus conſequendi vitam æternam proponatur.

440. 3. *Ex cultus divini reformatiõe.* Juxta quod tanquam normam & regulam reformatio divini cultus fuit inſtituta, illud eſt unica norma fidei ac dogmatum in Eccleſia. Sed in V. T. juxta verbum Dei ſcriptum tanquam normam & regulam reformatio divini cultus fuit inſtituta. Ergo. Major eſt manifeſtæ veritatis, quia ex conformatione alicujus tanquam menſuratі & regulati ad alterum tanquam ad menſuram & regulam colligitur, poſterius illud eſſe normam ac regulam in illo genere. Aſſumtum multis exemplis confirmari poteſt. Antequam n. Scripturæ exararẽtur, corruptelæ doctrinæ cœleſti illatæ per repetitas divinas revelationes fuerunt remotæ, ſed poſt legẽ ſcriptam reformationes divini cultus ſemper inſtitutæ ſunt juxta normã ſcriptæ legis, utpote 1. Ezech. 2. Reg. 18. v. 3. *Fecit Ezechias quod bonũ coram Domino, v. 4. Diſſipavit excelſa, contrivit ſtatuas, ſuccidit lucos. v. 6. adhæſit Domino & non receſſit ab eo, fecitq; mandata ejus, quæ præceperat Dõinus Moſi*, 2. Joſiæ. 2. Reg. 22. v. 2. *Joſias fecit quod placitum erat coram Domino & ambulavit per omnes vias David patris ſui, non declinavit ad ſiniſtram neq; ad dextram. v. 8. reperitur lib. legis in domo Domini.* v. 13. Joſias audiens librũ illum prælegi dicit: *Conſulite Dominũ ſuper me & ſuper populo & ſuper omni Juda de verbis voluminis iſtius, quod inventum eſt, magna enim ira Domini ſuccenſa eſt contra nos, quia non audierunt Patres noſtri verba legis hujus, ut facerent omne quod ſcriptum eſt nobis.* c. 23. v. 3. Rex cum proceribus percutit fœdus coram Domino, *ut ambularent poſt Dom. & cuſtodirent præcepta ejus & teſtimon.* v. 4. inſtituitur publica cultus divini reformatio juxta illũ librũ repudiatâ Baaliticâ idololatriâ. 3. Eſdræ & Nehemiæ. Neh. 8. v. 1. & ſeqq. poſt reditum ex Babylonica captivitate legitur liber Moſis coram univerſo populo & cultus divinus juxta ejus normam à corruptelis repurgatur.

3. ex cultus divini reformatione.

441. 4. *A Chriſti & Apoſt. ad Scripturas provocatione.* Ad quodcunq; tanquam regulam & normam unicè in controverſiis fidei Chriſtus & Apoſtoli provocant, illud eſt unica dogmatum & controverſiarum regula in Eccleſia. Sed Chriſtus & Apoſtoli ad ſcriptum Dei verbum in controverſiis fidei unicè provocãt. Ergo. Major ſuâ luce radiat. Minorẽ in dubiũ vocant Pontificii. *Stultũ eſt quærere*, inquit Caſpar Scioppius in Eccleſiaſt. c. 90. *Ubi ſcriptum eſt quæ ſic quærunt Phariſæi* Joh. 7. v. 52. *Chriſtus verò non ad Scripturas, ſed ad opera ſua revocavit.* Joh. 10. v. 25. Sed reſp. Chriſtus non tantũ ad opera provocavit, ſed etiã ad Scripturas 1. Matt. 4. v. 4. Luc. 4. v. 4. in triplici congreſſu cum Satana ſemper provocat ad Scripturam & ex ea hoſtem ſuum vincit, docens atq; inſtruens nos, quod Scripturæ gladio cõtra hæreticos Diaboli organa pugnare debeamus. Scriptura n. *utilis eſt ad ἔλεγχον ut perfectus ſit homo Dei* 2. Tim 3. v. 16. & 17. utique ergo ſufficit ad refellendas hæreſes & eſt perfecta controverſiarum decidendarum norma. 2. Matth. 19. verſ. 4. in quæſtione de divortio provocat ad ſcriptum verbum. *Non legiſtis, &c.* 3. Matth. 22. v. 29. articulum reſurrectionis contra Sadducæos demonſtrat ex Scripturis: *Erratis*, inquit, *neſcientes Scripturas.* v. 31. *De reſurrectione mortuorum non legiſtis quod dictum eſt vobis a Deo dicente; Ego*

4. à Chriſti & Apoſtolorum ad Scripturas provocatione.

ſum

ſum Deus Abraham, &c. 4. Capit. ejuſd. v. 43. filium hominis eſſe in perſonæ unitate verum Deum ac Dominum Davidis probat ex Pſ. 110. v. 1. 5. Marc. 9 v. 12. in controverſia de adventu Eliæ reſpondet *Quomodo ſcriptum eſt de filio hominis, quod multa ſit paſſurus?* 6. Luc. 10. v. 26. ad quæſtionem de via conſequendæ ſalutis reſpondet, *quomodo ſcriptum eſt in lege, quomodo legis?* 7. Luc. 24. v. 26. demonſtraturus Meſſiam debere pati ac mori contra præconceptam diſcipulorum opinionē de regno ejus terreno provocat ad teſtimonia Scripturarum. 8. Ioh. 5. v. 42. contra Iudæos provocat ad teſtimonium Moſis. *Si crederetis Moſi, crederetis etiam mihi, de me enim ille ſcripſit.* Exēplo & veſtigiis Chriſti fideliter inſiſtunt Apoſtoli 1. Act. 3. v. 20. provocat Petrus ad oraculum Moſaicū. 2. Act. 7. v. 2. & ſeqq. Stephanus epitomē quandam V. T. texit contra Judæos ſibi adverſantes 3 Act. 13. v. 33. & ſeqq. Paulus reſurrectionem Chriſti contra Judæos demonſtrat ex Scripturis. 4. Actor. 18. verſ. 28. *Apollos εὐτόνως acriter refelit Judæos & probat per Scripturas Ieſum eſſe Chriſtum.* 5. Actor. 26. verſ. 22. Paulus profitetur *ſe nihil dicere extra ea quæ Prophetæ locuti ſunt futura eſſe & Moſes.* 6. Actor. 28. v. 23. idem Apoſtolus ex lege Moſis & Prophetis de Jeſu auditores ſuos inſtruit. 7. In Epiſtolis ſuis ſemper provocant ad Scripturas Propheticas Rom. 4. v. 3. 1. Cor. 15. v. 3. Gal. 3. v. 6. Hebr. 8. v. 5. &c. unde laudantur Beroēnſes, *quod ſcrutarentur Scripturas, an hæc ita ſe haberent, quæ à Paulo & Sila docebantur.* Ad exemplum Berōenſium reſpondet Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 10. *ipſis non conſtitiſſe, quod Paulus eſſet Apoſtolus & non poſſit falſam doctrinam prædicare, ideoque cùm Paulus probaret illis Chriſtum ex oraculis Prophetarum, meritò illos ſcrutatos fuiſſe Scripturam, an hæc ita ſe haberent, ſed Chriſtiani, quibus conſtat, Eccleſiam non poſſe errare in doctrina fidei, tenentur eam recipere.* Reſp. Ut Beroēnſes ex inſpectione oraculorum Propheticorum diſcere poterant & debebant Paulum eſſe verum Apoſtolū ac veram fidei doctrinam proponere, quia ſe prædicabat σύμφωνα ταῖς γραφαῖς προφητικαῖς, ſic & nos veram Eccleſiam & veram Eccleſiæ vocem ex Propheticis & Apoſtolicis oraculis unicè cognoſcere & poſſumus & debemus. Si licuit Beroenſibus doctrinam Apoſtoli examinare juxta normā oraculorum Propheticorum, idque Paulo non invito Act. 26. v. 22. utiq; etiam nobis licebit doctrinam Pontificis examinare juxta normam ſcriptorum Propheticorum & Apoſtolicorum, unde vi veritatis coactus tandem fatetur Bellarminus, *eum, qui de autoritate Eccleſiæ Pontificiæ dubitat, non malè facere ſcrutando & examinando, an loca Scripturæ & Patrum a Concilio Tridentino prolata ita ſe habeant, modò id faciat intentione inveniendi veritatem non calumniandi.* Atqui ſi licet de Tridentinis decretis, quæ Patres illius Concilii pro decretis Eccleſiæ venditant, judicare ex Scripturis & ea examinare juxta Scripturam, utique Scriptura erit unica norma dogmatum & controverſiarum in Eccleſia.

5. ex Scriptura cō mendatione.

442. 5. *Ex Scriptura encomio & commendatione.* 1. Apoſtolus 2. Tim. 3. v. 16. pronunciat, Scripturam eo modo *eſſe utilem ad διδασκαλίαν ἔλεγχον ἐπανόρθωσιν, ac παιδείαν, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus, atque ut hominem ſapientem reddere poſſit ad ſalutem.* Utique ergo eſt ſufficiens norma doctrinæ, juxta quam in Eccleſia docendum, juxta quam omnes hæreſes refellendæ, juxta quam vita & mores corrigendi. 2. Quod erit norma extremi judicii, illud etiam in hac vita poteſt eſſe fidei ac vitæ norma. Jam verò Sciptura erit norma extremi judicii, juxta quam in die illa κριτικῇ pronunciabitur ſententia abſolutoria erga electos & damnatoria contra reprobos. Dan. 7. v. 10. Joh. 12. v. 48. Rom. 2 v. 16. Apoc. 20. v. 2. Utique ergo etiam in hac vita poteſt eſſe fidei ac vitæ ſufficiēs norma.

6. ex norma conditione.

443. 6. *Ex normæ proprietate & conditione.* Norma fidei & dogmatum in Eccleſia debet eſſe. 1. publicâ autoritate recepta. 2 omnibus communis. 3. certa, immota & infallibilis, nec inſtar regulæ Lesbiæ, ſed invariabilis ſuiq; ſemper ſimilis, omni ex parte ſibi perpetuò conſtans. 4. prima. 5 normato ſeu menſurato ſuo undiquaq; adæquata.** Proprietates enī normæ ſūt. 1. *publica autoritas*, oportet eā ſuprema & divina autoritate eſſe ordinatā 2. *unitas, immutabilitas* & infallibilitas. 3. *principii autoritas* eiusq; *generalitas.* Nōrmā religionis oportet eſſe principium generale, ad quod omnia in iſto genere reducantur. 4. eiuſdem cum normato ἰσότης ſive *æqualitas*, 5. inter normam & normatū ſit ὁμογένεια ſeu *identitas.*** At ſoli Script. hæ proprietates competūt. Illa enim 1. eſt θεόπνευστος & publicè in Eccleſia propoſita 2. Tim. 3. v. 15. 2. eſt omnibus communis, quia omnibus ad eam ſemper patet acceſſus. 3. eſt certa & veritatis minimè dubiæ, quia à Deo ipſo profecta 1. Timoth. 1. v. 15. eſt invariabilis & ἀπαράλλακτος Matth. 5. v. 18. eſt immota & indiſſolubilis Johan 10. v. 35. eſt ſui ſemper ſimilis, quia N. T. libri conſonant V. T. libris nec ulla in toto Codice Biblico ſpecificè ſic dicto, id eſt, in Canonicis libris eſt vera contrarietas. 4. eſt prima, quia in eam tanquam primam veritatem & ſummum credendi principium omnia reſolvuntur Matth. 17. verſ. 5. Joh. 5. verſ. 39. cap. 14. v. 6. 5. eſt menſurato ſuo adæquata, quia perfectè & perſpicuè docet omnia ad ſalutem neceſſaria. 2. Timoth. 3. v. 16. utique ergo Scriptura agnoſcenda eſt unica fidei regula in Eccleſia.

7 ex ſufficiente enumeratione.

444. 7. *Ex ſufficienti enumeratione.* Non eſt alius Canon certus & infallibilis nobis uſpiam præſcriptus. 1. Neque enim hoc competit privatis & incertis revelationibus. 2. Corinth. 11 verſ. 13. *Satanas transfigurat ſe in Angelum lucis.* Hebr. 1. verſ. 1. *Poſtquam Deus olim variis modis locutus eſt, noviſſimè locutus eſt per Filium.* 2. nec corruptæ rationis judicio. 2. Corinth. 10. v. 5. *captivamus omnem intellectum ſub obſequiū Chriſti.* 3. nec dubiis traditionibus & verbo ἀγράφῳ Joh. 21. v. 23. *Exivit ſermo inter fratres, hic diſcipulus non moritur.* 4. nec voci Paſtorum abſolutè aliàs enim non eſſent *probandi Spiritus, an ſint ex DEO.* 1. Io. 4. v. 1. Ergo unicum verbum ſcriptum eſt norma veritatis in Eccleſia.

Dicta Patrum.

445. Idem nobiſcum docent Patres. Juſtinus in expoſit. rect. fid. p. 294. *Divinis reſponſis in medium proferendis etiam atque etiam mihi diſpice, in quo illa ordine ponendum doceant Filiū & Spiritum ſanctum, ſiquidem apud Eccleſiæ alumnos non ad humanas rationes & cogitationes dirigendæ ſunt res divinæ, ſed ad ſenſum & voluntatem doctrinæ Spiritus oratio interpretatioque accommodanda. Ac princeps non erudiat David, &c. non abſimiliter & divinus Paulus.* Irenæus lib. 2. adv. hæreſ c. 2 p. 98 *Cùm magis credemus de mundi fabricatione? hiſne, qui prædicti ſunt hæreticis ſic fatuæ & incon-*

inconſtantia garrientibus, an diſcipulis Domini & fideli famulo Dei Moſi ac Prophetæ. lib. ejuſd. cap. 3. *Quale enim eſt, Prophetarum & Domini & Apoſtolorum relinquentes nos voces attendere his nihil ſani dicentibus?* lib. 3. cap. 1. in princ. *Quod Apoſtoli primum præconiaverunt, poſtea Dei voluntate in Scripturas redegerunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* lib. 3. c. 15. *Apoſtolorum doctrinam manifeſtam & firmam eſſe dicit nihil ſubtrahentem.* l. 4. cap. 69. *Scripturam* vocat Κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ. Tert. l. contra Herm. Scripturam vocat regulam veritatis. Orig. hom. 5. ſuper Levit. docet, quidquid *ad res divinas noſtramq́; religionem pertinet, in Scripturis ſacris eſſe requirendum, ex iisq; diſcutiendum atq; inde omnẽ rerum ſcientiam capiendam.* Homil. 9. in Numer. *Hæreticorum voces ſi adhibeamus ad altare Dei, ubi divinus ignis eſt, ubi vera fidei prædicatio, melius ipſa veritas ex falſorum comparatione fulgebit.* homil. 1. in Ierẽ. *Neceſſe nobis eſt, Scripturas ſacras in teſtimonium vocare, ſenſus quippe noſtri ſine his teſtibus non habent fidem.* In capite decimo tertio Matth. *Ut in ore duorum, triumve aut plurium teſtium è Scriptura citatorum fundemus & confirmemus omne verbum Dei.* Cyprianus ſerm. de Bapt. *Inveniet ex hac* (Scriptura) *omnium doctrinarum regulas emanaſſe & hinc naſci & huc reverti quicquid Eccleſiaſtica continet diſciplina.* Athanaſius orat. 2. contra Arian. *Lapidandi ſunt hæretici ſacrarum Scripturarum argumentis, quippe ut idem ait,* Epiſt. ad Marcellin. *illa ſunt magiſtra virtutis & vera fidei,* ac ut loquitur in Synopſi, *anchora & ſuſtentacula,* utpote ab *ipſis Apoſtolis Chriſti conſcripta ac expoſita.* Hilar. lib. 4. de Trinit. p. 47. *Reſpondendum eſſe exiſtimo hæreticorum perverſitati & omnes eorum ſtultas ad mortiferas inſtitutiones Evangelicis atque Apoſtolicis teſtimoniis coarguendas.* Baſilius in moralibus regul. 26. *Quicquid dicimus vel facimus, id teſtimonio divinarum literarum confirmari debet ad confirmationem fidei bonorum & confuſionem malorum* lib. 1. contra Eunom. Scripturam vocat *Canonem recti & normam veritatis.* Epiſt. 80. ad Euſtath. Medicum: ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ἡ ψῆφος. Fauſtinus lib. de fid. contra Arian. *Scriptura divina ob hoc edita ſunt, ut ſecundùm illarum ſenſum fidem noſtram dirigamus.* Epiphanius hæreſ. 65. p. 275. *Quæſtionum inventionem, hoc eſt, ut ut quid ad quamvis quæſtionem reſpondendum ſit, ſciatur, non ex propriis ratiocinationibus, ſed ex Scripturarum conſequentia petendum eſſe,* aſſerit. Hieron. adv. Helvid. *unicum veritatis fontem ſacras literas* vocat. Ruffinus in expoſit. Symb. enumeratis Canonicis Scripturæ ſ. libris addit: *Hæc ſunt, quæ Patres intra Canonem concluſerunt, ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerũt.* Et poſtea: *Ex his fontibus verbi divini hauriẽda ſunt pocula.*** Ambroſ. lib. 1. de fid. ad Gratianum c. 4. *Nolo argumento credas S. Imp. & noſtræ interpretationi. Scripturas interrogemus, interrogemus Apoſtolos, interrogemus Prophetas, interrogemus Chriſtum.*** Chryſoſtomus homil. 12. in Geneſ. *Oro igitur & obteſtor, ut ad amuſſim Canonem ſacræ Scripturæ ſequamur.* homil. 13. in 2. Corinth. *Habemus exactiſſimam trutinam & gnomonem ac regulam* ἁπάντων ἀκριβῆ ζυγὸν καὶ γνώμονα καὶ κανόνα *divinarum inquam legum aſſertionem, ideoque & obſecro vos, ut relinquatis, quid huic aut illi videatur, deq́; his à Scripturis omnia inquiratis.* Conſtantinus Magnus ad Patres Synodi Nicenæ dixit, ut eſt apud Theodoret. lib. 1. Hiſt. c. 7. Gelaſium Cycizen. in act. Syn. Nicen. cap. 5. Tripartit. lib. 2. c. 5. *Extant libri Evangelici & priſcorum oracula Prophetarum, quæ evidenter nos docent, quid de re divina ſtatuendum ſit, itaque omiſſâ diſcordiâ, quæ nil niſi contentionum parit, ſumamus ex literis divinitus inſpiratis ſolutionem quæſtionum.* Ex Auguſtini Epiſt. 163. in fin. apparet, in diſputationibus de religionis articulis controverſis ſacras literas fuiſſe. *Diſputationem moderatrices* & ex iis cõtroverſias omnes fuiſſe dijudicatas.** *Faciamus,* inquit ad Donatiſtas, *Codices Canonicos præſto eſſe, & ſi quæ proferri potuerint ex utraq; parte documenta, ut poſtpoſitis cæteris rem tantam & bono animo captam ad inquiſitionis terminum perducamus.*** De viduitat. cap. 1. *Sancta Scriptura doctrinæ noſtræ regulam figit, ne audeamus ſapere plus quàm oportet ſapere, ſed ſapiãus, ut Apoſtolus ait, ad temperantiam, ſicut unicuiq; Deus partitus eſt menſuram fidei. Non ſit ergo mihi aliud te docere, niſi verba tibi doctoris exponere, & de iis, quod Dominus dederit, diſputare.* lib. 2. contra Donatiſtas c. 6. *Afferamus ad examen non ſtateras doloſas, ubi appendamus quod volumus & quomodo volumus pro arbitrio noſtro dicentes: hoc grave, hoc leve eſt, ſed afferamus divinam ſtateram de Scripturis ſanctis tanquam de Dominicis Teſt. & in illa quid ſit gravius appendamus, imò non appendamus, ſed à Domino appenſa recognoſcamus.* (ubi Auguſtinus rationem appellationis, propter quam Scriptura dicatur *Canon,* pulcerrimè expreſſit, eſt enim Κανὼν pars illa in trutinis, quæ in medio librilis linguæ inſtar conſiſtit & oſtendit vel æqu[illegible]rium, vel exceſſum, vel defectum) lib. 2. con[illegible] Creſconium c. 31. *Neque enim ſine cauſâ tam ſalubri vigilantia Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quam certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertinent, quos omnino judicare non audeamus & ſecundùm quos de cæteris libris vel fidelium, vel infidelium* lib. 11. contra Fauſt. cap. 5. *Diſtincta eſt à poſteriorum* (Eccleſiaſticorum ſcriptorum) *libris excellentia Canonicæ autoritatis V. ac N. T. quæ Apoſtolorum confirmata temporibus per ſucceſſiones Epiſcoporũ & propagationes Eccleſiarum tanquam in ſede quadam ſublimiter conſtituta eſt, cui ſerviat omnis fidelis & pius intellectus, &c. in opuſculis autem poſteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, ſed nullo modo iſti Canonicæ ſacrarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunq; invenitur eadem veritas, longè tamen impar eſt autoritas judicamus.* de unit. Eccleſ. c. 3.** *Sunt certè libri Dominici, quorum autoritati utriq; conſentimus, utriq; credimus, utriq; ſervimus, ibi quæramus Eccleſiam, ibi diſcutiamus crucem noſtram* c. 6. *Legite nobis hoc de lege, de Prophetis, de Pſalmis, de ipſo Evãg. & Ap[illegible]olicis literis, legite & credemus.* tract. 2. in Epiſt. Ioh *Contra inſidioſos errores Deus voluit firmamentum ponere in Scripturis cõtra quas nemo loqui audeat, qui ſe quoquo modo vult videri Chriſtianũ.* Cyrill. lib. 4. Dial. Scripturam vocat *Canonẽ fidei rectũ & perfectũ.* Leo. Ep. 10. ad Flav. *In rebus obſcuris ad veritatem cognoſcendam, ad Propheticas voces, ad Apoſt. literas, ad Evangelicas autoritates recurrendum.* Greg. lib. 18. moral. c. 14. *Qui ad vera prædicationis verba ſe præparat, neceſſe eſt, ut cauſarũ origines à ſacris paginis ſumat, ut omne quod loquitur, ad divinæ autoritatis fundamentum revocet*

revocet atque in eo ædificium locutionis ſuæ firmet. Carolus Magnus in legibus Eccleſiaſticis Pariſ. Anno 1550. excuſis ſtatuit, ut *ſoli Canonici Bibliorum libri in Eccleſiis legerentur, neve Epiſcopi figmenta hominum vel quidquam è ſuo ſenſu, ſed purum Dei verbum prædicent.* Nicephor. lib. 2. Eccleſ. Hiſtor. c. 46. Scripta Canonica vocat *principia atque elementa pietatis noſtræ ſempiternæ.* Lyranus præfat. in Tobiam: *Sicut in diſciplinis Philoſophicis veritas cognoſcitur per reductionem ad prima principia per ſe nota: ſic in Scripturis à Catholicis doctoribus traditis veritas cognoſcitur quantum ad ea, quæ ſunt fidei tenenda per reductionem ad Scripturas Canonicas, quæ ſunt habitæ ex divina revelatione, cui nullo modo poteſt ſubeſſe falſum.*

446. Poſſumus in hanc ſententiam ex ipſis adverſariis quædam proferre. Gratianus c. Canon. diſt. 3. ex Iſidoro libr. 6. etymolog. cap. 16. *Canon Græcè, Latinè regula nuncupata inde ſic dicta, quod rectè ducat, neque aliquando aliorſum trahat.* c. Ego ſolis, diſt. 9. allegatur dictum Auguſtini. *Ego ſolis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, hunc timorem & honorem didici deferre, ut nullum eorum autorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſimè credam, alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos autores Canonicos vel probabili ratione, quod à veritate non abhorreat, perſuadere potuerunt, &c.* c. Relatum. diſt. 37. ex Epiſt. quinta Clementis. *Ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis oportet.* Et poſtea. *Cùm ex divinis Scripturis integram quisque & firmam regulam veritatis ſuſceperit, abſurdum non erit, ſi aliquid etiam ex eruditione communi ac liberalibus ſtudiis, quæ fortè etiam in pueritia attigit, ad aſſertionem veri dogmatis conferas, ita tamen, ut ubi vera didicit, falſa & ſimulata declines.* c. Non afferamus 24. q. 1. citatur dictum Auguſtini. *Non afferamus ſtateras doloſas, &c.* Thomas Aquinas lection. 1. in 1. Timoth. ſexto. *Doctrina Apoſtolorum & Prophetarum Canonica dicitur, quia eſt quaſi intellectus noſtri regula.* Toſtatus in capite 4. Geneſ. pagin. decima ſexta. *Cùm in omni veritate veritas divina ſit certior & immutabilior, ergo omnes aliæ debent regulari per illam & in quantum conformantur illi, ſunt veræ; in quantum autem deviant ab illa, deviant à Natura veritatis.* Idem in Iud. 177. f. b. *Soli ſacræ Scripturæ & non aliis adhibenda eſt firma fides.* Durandus libro tertio ſent. diſt. 25. q. 2. *Sacra Scriptura eſt regula fidei, cui non licet aliquid addere vel demere.* Gerſon.. de examin. doctrin. part. 2. num. 17. *Scriptura ſacra nobis tradita eſt tanquam regula ſufficiens & infallibilis pro regimine totius Eccleſiaſtici corporis & membrorum usque ad finem ſeculi.* Autor libri cui titulus, Onus Eccleſiæ capite decimo octavo. §. 13. reprehendit eos, qui *non textui Bibliæ ceu certa doctrina & fundamento ſtabili & veritati incõcuſſæ incumbunt, ſed in ſabulo dogmata conſtruunt mox ruinoſa, ac medullam divinæ ſapientiæ in ſacra & authentica Scriptura ultrò ſe offerentem pertranſeunt & ſingularibus doctrinis innituntur.* Andreas Fricius libro quarto de Eccleſ. cap. 7. circa princ. ſuccenſet illis, qui *Scripturam naſo cereo in utramque partem flexibili comparant, quo pacto & autoritatem Scripturæ detrahi & majeſtatem divinorum oraculorum obſcurari* aſſerit. Iohã. Ferus in exam. Ordinand. *Scriptura dicitur Canonica, id eſt, regularis, quia à DEO nobis data vitæ & veritatis regula, quâ omnia probemus & juxta quam vivamus.* Jac. Payva Andradius lib. 3. defenſ. Concil. Trident. ſcribit, *minimè ſibi diſplicere eorum ſententiam, qui Scripturæ libros ideo Canonicos vocari ſtatuunt, quia pietatis & fidei & religionis Canonẽ, id eſt, regulam atque normam è cœlis ſummo Dei beneficio ad nos delatam continent ampliſſimam.* Matthias Bredenbachius in libro de diſſidiis Eccleſiæ componendis lit. G. 6. *Scripturam Eccleſia à Deo traditam ait tanquam regulam, ad quam tanquam amuſſim, aut quod dici conſuevit, lapidem Lydium omnium hominum tum vitam, tum fidem, tum doctrinam exigere atq; examinare decet.* Bellarm. lib. primo de verbo Dei capite primo & ſecundo multis argumentis confirmat *Propheticos & Apoſtolicos libros eſſe certam ac ſtabilem regulam fidei.* Si excipere velit, *ſe intelligere regulam partialem*, opponimus illi dictum Baſilii lib. primo contra Eunõ. *Regula & amuſſis ubi imperfecta fuerint, ne appellationes quidem haſce rectè ſuſceperint.*

447. *Antitheſis* 1. *Pontificii*, quia perfectionem & perſpicuitatem Scripturæ negant, inde etiam negant eam eſſe unicam fidei, cultus, vitæ, dogmatum & controverſiarum in Eccleſia normam. Quantum verò momentum in hac quæſtione ſitum ſit, exponit Tannerus in relat. de Colloq. Ratisbon. pagin. 2 *Cùm hoc ipſum*, an videlicet Scriptura ſit unica norma & judex omnium controverſiarum, *ſit origo quodammodo & radix aliarum controverſiarum omnium, quâ compoſitâ alias omnes componi neceſſum ſit, non autem compoſita fruſtra circa alias conſenſio tentetur, à ratione prorſus alienum eſt, hac controverſiâ prætermiſſâ de aliis velle diſputare.* Poſtea addit. *Petere à Catholicis ut admittant, ſacram Scripturam ſolam eſſe judicem & unicam normam omnium controverſiarum ſeclusâ Eccleſiæ autoritate infallibili, quid aliud eſt quàm petere, ut ſuâ cauſâ ante omnem conflictum nullâ neceſſitate ſponte cedant.* Cæterum abeunt Pontificii circa hanc controverſiam in duas partes. Quidam planè negant Scripturam eſſe normam; quidam concedunt eam eſſe normam, ſed negant eſſe ſolam unicam perfectam & totalem normam. Ad priorem claſſem pertinent, qui Scripturam comparant *naſo cereo ac regula Lesbia.* Cenſ. Colon. cont. Monheim. p. 117. Caniſ. in opere Catech. f. 44. &c. Quod ſi enĩ Scriptura eſt in omnem partem flexilis inſtar cerei naſi & Lesbiæ regulæ, certè non poterit eſſe norma & regula dogmatum in Eccleſia, cùm normæ proprium ſit eſſe certam, infallibilem, invariabilẽ, &c. Ab illis nõ multùm abit Bellarm. quãdo lib. 4. de verbo Dei c. 12. ſic diſſerit. *Scripturæ finis proprius & præcipuus non fuit, ut eſſet regula fidei, ſed ut eſſet commonitorium quoddam utile ad conſervandã & fovendam doctrinam ex prædicatione acceptam.* At 1. contradicit Bellarminus expreſſis Scripturæ & Patrum dictis, in quibus Scripturam vocant Canonẽ & regulam, contradicit vulgatiſſimæ in Eccleſiæ Scripturarum appellationi, quâ dicuntur Canonicæ; contradicit ſibiipſi, quia lib. 1. de verbo Dei c. 1. & 21. multis argumentis confirmat, *Propheticos & Apoſtolicos libros eſſe certam & ſtabilẽ regulam fidei.* 2. Si Scriptura eſſet duntaxat *commonitoriũ*, quorſum opus fuiſſet tã multos

Antitheſis 1. Pontificiorum.

à Prophe-

à Prophetis & Apoſtolis ſcribi libros, eosque in ſedem Canonicæ autoritatis evectos omnibus alijs præponi?

448. Quomodo verò probat Bellarminus ſuam aſſertionem? Producit quinque argumenta ſed ponderis perquam exigui. *1. Si Scriptura eſſet regula fidei, tunc continere deberet omnia & ſola illa, quæ ad fidem ex ſe pertinent, ſicut videmus factum eſſe in Symbolo, quod verè dicitur & eſt compoſitum, ut ſit brevis quædam regula fidei. At in Scriptura plurima ſunt, quæ ex ſe non pertinent ad fidem, hoc eſt, quæ non ideò ſcripta ſunt, quia neceſſariò credenda erant, ſed neceſſariò creduntur, quia ſcripta ſunt, ut patet de omnibus Hiſtoriis Vet. Teſtament. de multis etiam Hiſtoriis Evangelii & Actuum Apoſtolicorum.* Reſp. 1. & Scripturam & Symbolum Apoſtolorum à Patribus vocari *fidei regulam*, oſtēdimus in tract. de Interp. Script. §. 76. & 77. hæc igitur non ſunt oppoſita. 2. Nullas V. T. Hiſtorias ad fidem eſſe neceſſarias, falſò aſſeritur, quia Hiſtoria de creatione mundi, de lapſu primorum parētum, de promulgatione protevangelii, de collectione & conſervatione Eccleſiæ &c. omninò ad fidem pertinent. 3. Quamvis plura in Scripturis tradita ſint, quàm quæ ad ſalutē omnibus abſolutè ſcitu neceſſaria, tamen ex eo inferri nequit, Scripturam non eſſe editam hoc fine, ut ſit regula fidei, quia per illa, quæ uberioris explicationis & confirmationis gratiâ adduntur, Scripturæ finis proprius & præcipuus haudquaquam tollitur. 4. Ipſa appellatio Canonis à Spiritu ſancto verbo DEI ſcripto attributa oſtendit finem Scripturæ à ſanctis DEI hominibus editæ eſſe, non ut ſit nudum commonitorium, ſed ut ſit perpetua dogmatum regula in Eccleſia. *2. Multa ſunt credenda, quæ non ſunt in Scripturis.* Reſp. Contrarium oſtendimus ſuperius. Scriptura & fides noſtra ſunt æqualis latitudinis. Fides nec plus nec minus debet amplecti, quàm eſt in Scripturis revelatum. *3. Scriptura non eſt unum continuum corpus, quale eſſe deberet regula fidei, ſed continet varia opera, Hiſtorias, Conciones, vaticinia, carmina, Epiſtolas, &c.* Reſp. illa omnia unum continuum Scripturæ corpus unum credendorum, faciendorum & ſperandorum ſyſtema conſtituunt, omnia namque ab uno ſpiritu ſunt profecta, omnia etiam ad unum eundemque finem tendunt, qui eſt, inſtitutio hominum ad ſalutem. 4. Rom. 15. verſ. 4. *Quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Reſp. quomodo omnia ad noſtram doctrinam ſcripta ſint, manifeſtiùs & in ſpecie exponitur 2. Tim. 3. verſ. 15. 16. & 17. ex quo loco conſtat, perfectam doctrinæ normam ac regulam in Scriptura proponi. *5. Petrus 2. Epiſt. 1. verſ. 12. & cap. 3. verſ. 1. dicit, ſibi neceſſe fuiſſe, ut eos ad quos ſcribebat, commoneret.* Reſpond. Concedimus finem & uſum Scripturæ etiam in commonitione conſiſtere, ſed ex eo inferri nequit, quod tantùm in commonitione conſiſtat, ac quod finis ejus principalis & proprius non ſit neceſſaria ad ſalutem docere & fidei regulam proponere, acceſſorium enim & ſecundarium non tollit principale. Sic Spiritus ſanctus Apoſtolis *ſuggerebat omnia* Joh. 14. verſ. 26. idem tamen erat ipſorum doctor *ducens in omnem veritatem.* Johan. 16. verſ. 13. Duplicem igitur finem ratione diverſorum objectorum Scriptura obtinet. Ignaros myſteriorum fidei perfectè informat & inſtruit, eos verò quibus jamdum fidei myſteria ex prædicatione verbi cognita, commonefacit.

449 Ad alteram proinde claſſem Bellarminus abit, eorum ſcilicet, qui concedunt, Scripturam eſſe normam & regulam fidei, ſed non ſolam, unicam & perfectam normam. *Dico* (inquit) *ſecundo, Scripturam etſi non eſt facta præcipuè, ut ſit regula fidei, eſſe tamen regulam fidei non totalem, ſed partialem. Totalis enim regula fidei eſt verbum Dei ſive revelatio Dei Eccleſiæ facta, quæ dividitur in duas regulas partiales, Scripturam & traditionem.* Reſp. 1. rectè dicitur, verbum Dei eſſe unicam & totalem regulam fidei; Sed probet Bellarminus poſt editum Scripturæ Canonem, illud partim in Scripturis, partim extra Scripturas in traditionibus proponi. Id verò cùm probare non poſſit, teneat certum, relinquat incertum h. e. amplectatur nobis cum verbum Dei ſcriptum pro unica fidei regula repudiatis dubiis & incertis traditionibus. 2. Scriptura aut eſt totalis fidei regula, aut planè non eſt fidei regula. Si enim fides noſtra eſt latior Scripturâ, non poterit Scriptura eſſe fidei regula, quia inter regulam & regulatum oportet eſſe æqualem latitudinem. Varinus definit Canonem, quod ſit μέτρον ἀδιάψευστον πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. Baſilius lib. 1. contra Eunom. *Canon & regula, quamdiu ei nihil deeſt ad id, ut ſit Canon & regula, nullam recipit additionem, quâ accuratior fiat, additio enim ſit propter defectum, ubi verò defectus, non regula amplius, non Canon appellentur.* Theophylactus in c. 3. Philipp. *Regula & amuſſis nec appoſitionem habet nec diminutionem.* 3. Patres Scripturam conſtituunt regulam non partialem ſed totalem, abſolutè enim & ſimpliciter vocant *regulam κάνονα ἀκριβῆ ἀληθινῆ integram, certam & perfectā.* 4. Scriptura & traditiones non ſunt partes homogeneæ & ejuſdem Naturæ. Ergo non poſſunt ad Canonem fidei conſtituendum ſimul concurrere. Illa divina eſt, hæ humanæ; illa certa, hæ dubiæ; illa invariabilis, hæ mutabiles; illa firmum fidei fundamentum præbet, hæ verò nequaquam.

450. Urget Bellarminus & cum ipſo complures alii Pontificii hoc argumentum. *Scriptura non poteſt intelligi niſi per Spiritum ſanctum. At Spiritus S. non invenitur niſi in Eccleſia, apud quam manet in æternum* Ioh. 14. v. 16. *Ergo in ſola Eccleſia eſt vera Scripturarum intelligentia & per conſequens non Scriptura, ſed Eccleſia eſt norma judicii in quæſtionibus fidei.* Reſp. 1. Concedimus, veram Scripturæ intelligentiam eſſe in ſola Eccleſia; concedimus etiam Spiritum ſanctum promiſſum eſſe Eccleſiæ, ſed quæ ſit illa vera Eccleſia & ubi ſit quærenda, non niſi ex Scriptura peti ac diſci poteſt. Illa enim (materialiter pro verbo Dei accepta) eſt Eccleſia prior, ejuſque principium & cauſa illa nos inſtruit, eum demum cœtum pro vera Eccleſia habendum eſſe, qui normam ac ductum verbi ſequitur Joh. 8. verſ. 31. cap. 10. verſ. 27. cap. 14. v. 23. &c. 2. Nec abſolutè & ſimpliciter promiſſa eſt illi cœtui Spiritus ſanct gratioſa præſentia & Scripturarum vera intelligentia, ſed quatenus in ſimplicitate verbi acquieſcit & depoſitum doctrinæ cœleſtis purum atque incorruptum retinet. 3. Si abſolutè & ſimpliciter ab Eccleſia quocunq; modo ſe habente Scripturæ intelligentia penderet, priùs *de Eccleſia* quàm de *Scriptura* ſive verbo DEI juxta leges Methodi Pontificii deberent tractare. Sed Bellarminus, Coſterus, Piſtorius, &c.

contrario

contrario ordine progrediuntur ac prius de Scriptura quàm de Eccleſia agunt. Viderunt hoc Eccius ac Torrenſis, ideò in primo ſtatim limine de Eccleſia agunt. 4. Eccleſiæ nomine Romanenſes intelligunt ſuum Pontificem, eò enim ultima analyſis hujus aſſertionis nos deducit. Bellarm. lib. 4. de Pontiſ. cap. 2. *Ipſa infallibilitas non eſt in cœtu Conſiliariorum vel in Concilio Epiſcoporum, ſed in ſolo Pontifice.* Atqui Pontifici perpetuam Spiritus ſancti aſſiſtentiam & veram Scripturę intelligentiam eſſe promiſſam non poteſt ex ſacris literis demonſtrari 5. argumentum eſt à quæſtione alienum. Quærimus enim hoc loco, non ubi quærenda ſit Scriptura & vera Scripturæ intelligentia, quam in Eccleſia quærendam eſſe nemo Chriſtianorum negat, ſed quæ ſit norma judicandi de controverſiis fidei in Eccleſia, quam normam eſſe Scripturam ſacram, ex argumentis pro noſtra ſententia adductis liquidiſſimè eluceſcit.

2. Calvinianorum.

451. 2. *Calviniani* verbis quidem profitentur, Scripturam ſacram eſſe totalem & unicam fidei normam, ſed reipsâ illud negant, dum articulos fidei in perſpicuis & apertis Scripturæ locis propoſitos ex principiis Philoſophicis malè intellectis vel applicatis oppugnant, & relicto genuino, proprio & literali Scripturæ ſenſu quærunt διάνοιαν rationi conſentaneam. 3. *Photiniani* eidem inſiſtunt methodo, cùm & ipſi ex principiis rationis articulos fidei in Scriptura revelatos præpoſterè impugnent. 4. *VVeigeliani* à verbo externo provocant ad internum, negantes ex Scriptura, quippe quæ ſit litera mortua, regulam atque normam fidei peti poſſe.

3. Photinianorum.

4. VVeigelianorum.

CAP. XXII.

De judice controverſiarum in Eccleſia.

Scriptura eſt judex controverſiarum.

452. Unanimis & conſtans eſt Eccleſiarum noſtrarum aſſertio, Scripturam ſacram eſſe controverſiarum fidei ut normam unicam, ita quoque judicem infallibilem, quod ut rectè explicetur & intelligatur, notandum. 1. quod duplex ſit controverſiarum Theologicarum judex, *Abſolutus ac principalis*, videlicet Deus ipſe autor Scripturæ, vel quod idem eſt, Spiritus ſanctus, quia in operibus ad extra nominatâ unâ perſonâ intelligitur tota Sacroſancta Trinitas; Et *Miniſterialis ac inferior* videlicet Eccleſia, inque ea præcipuè Paſtores & Doctores Eccleſiæ, quorum munus eſt de controverſiis fidei ex Scriptura judicare. Eſt judex judicans duntaxat & eſt judex judicandus; ſeu eſt *judex ad quem & judex à quo*, ut JCti loquuntur. 2. quod Scriptura ſacra ſit tum *vox judicis abſoluti* & principalis, tum ſimul *norma*, quam judex miniſterialis & inferior unicè reſpicere ac juxta eam judicare debet, unde quidam ex noſtris eam vocant *judicem directivum* reſpectu ad miniſterialem & inferiorem judicem habito, quem dirigit & moderatur, ne in judicando à veritatis tramite aberret. Deus judicat πρώτως, ἐξοχικῶς & αὐθεντικῶς, Scriptura κανονικῶς, Eccleſia διακονικῶς. 3. quod miniſterialis judex docendi causâ poſſit ſtatui duplex: *Publicus & privatus*. Publicus judex eſt Miniſterium Eccleſiaſticum; privatus eſt membrum aliquod Eccleſiæ, perſona ſcilicet privata. His ita præmiſſis tria erunt demonſtranda 1. Judicem principalem, abſolutum & authenticum eſſe ipſum Deum Scripturæ autorem. 2. Judicem miniſterialem & inferiorem eſſe Eccleſiam 3. Vocem judicis principalis & normam judicii miniſterialis eſſe ſolam Scripturam ſacram.

Exegeſis.

1. Quod judex principalis, abſolutus & authenticus ſit ipſe Deus.

453. Primum membrum hiſce demonſtramus fundamentis. 1. Principalis Scripturæ autor eſt ejuſdem ſummus interpres & principalis controverſiarum judex. Deus eſt principalis Scripturæ autor. Ergo. Scriptura non eſt ἰδίας ἐπιλύσεως, inquit Petrus 2. Epiſt. 1. verſ. 21. quia non *voluntate humanâ allata eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*, hoc eſt, quia per Spiritum ſanctum Scripturæ ſunt editæ, ideò etiam per Spiritum ſanctum ſunt intelligendæ & explicandæ, unde ſic inferimus. A quo principaliter pendet vera Scripturæ intelligentia, ab eo etiam petendum authenticum in controverſiis fidei judicium. A Deo principali Scripturæ autore principaliter dependet vera Scripturæ intelligentia. Ergo. Major eſt manifeſtæ veritatis, quia poſt editas Scripturas fidei Chriſtianæ principium unicum & immotum ad judicium de fidei controverſiis ferendum requiritur earum intelligentia. Minor confirmatur ex dicto Apoſtolico adducto & ex omnibus illis Scripturæ dictis, in quibus à Deo petitur vera ac ſalutaria verbi intelligentia Pſal. 119. verſ. 10. 12. 18. 19. 27. &c. Sap. 9. verſ. 10. Item ex collatione legum divinarum cum legibus humanis. Quemadmodum ſummus & authenticus legum humanarum interpres eſt is, qui eas promulgavit, ita quoque ſummus & authenticus legis ſuæ interpres eſt ipſe Deus. 2. De Chriſto dicitur Joh. 5. verſ. 22. quod *Pater ipſi tradiderit omne judicium*, & Actor. 17. verſ. 31. quod *judicaturus ſit orbem in juſtitia*, unde ſic inferimus. Cui Pater cœleſtis dedit omne judicium & qui aliquando orbem terrarum judicaturus in juſtitia, ille quoque eſt judex controverſiarum fidei in Eccleſia. Jam verò Chriſto datum eſt à Patre omne judicium & Chriſtus judicabit aliquando orbem terrarum. Ergo. Ratio conſequentiæ in Majore eſt manifeſta. Si enim Chriſtus ab illo judicio controverſiarum eſſet excluſus, non omne judicium illi à Patre eſſet datum; & qui in noviſſimo die propter tranſgreſſionem verbi impios judicaturus eſt, idem etiam eſt authenticus verbi interpres & controverſiarum in Eccleſia judex. Præterea quemcunque jubemur audire tanquam unicum fidei noſtræ Magiſtrum & ſummum Eccleſiæ Paſtorem, is etiam eſt ſummus controverſiarum in Eccleſia judex. At Chriſtum jubemur audire tanquam unicum fidei noſtræ Magiſtrum & ſummum Eccleſiæ Paſtorem Deut. 18. v. 18. Matth. 17. v. 5. (** Cyprian. lib. 2. Epiſt. 3. ex dicto hoc colligit, *ſolũ Chriſtum audiendum eſſe.***) Joh. 10. verſ. 27. 1. Petr. 2. verſ. 25. Ergo. 3. De Spiritu ſancto teſtatur Scriptura *quod arguat mundum de peccato* Joh. 16. verſ. 8. *quod ducat nos in omnem veritatem*, verſ. 13. *quod omnia nos doceat*. Johan. 14. verſ. 26. 1. Joh. 2. v. 27. unde ſic concludimus. Quicunque principaliter arguit mundum de peccato & pios in omnem veritatem ducit atque omnia ad ſalutem neceſſaria

docet, is etiam eſt ſummus & authenticus controverſiarum fidei judex. Ratio eſt, quia ad quem ſpectat judicium ἐλεγκτικὸν, ad illum etiam pertinet deciſio controverſiarum & ad quem ſpectat docere neceſſaria, ad eundem etiam pertinet refellere falſa. Jam verò Spiritus Sanct. principaliter arguit mundum de peccato & pios ducit in omnem veritatem & omnia ad ſalutem neceſſaria docet. Ergo Spiritus Sanctus eſt ſummus & authenticus controverſiarum fidei judex.

2. Quod judex miniſterialis & inferior ſit Eccleſia.

454. Secundum membrum hiſce demonſtramus argumentis 1. Si Eccleſia eſt *firmamentum & columna veritatis*, eamque jubemur *audire*, utique aliquod judicium in controverſiis fidei illi competit. Sed verum prius. 1. Tim. 3. v. 16. Matth. 18. v. 17. Ergo etiam poſterius. 2. Quod Chriſtus & Apoſtoli non ſolum permittunt, ſed etiam ceu proprium officium ovium requirunt & exemplis laudant, quodque ipſa ovium neceſſitas poſtulat, id licitum & pium eſſe nemo dubitare poteſt. Sed judicare de doctrina Chriſtus & Apoſtoli non ſolùm auditoribus ſuis permittunt, ſed etiam ceu proprium officium ovium requirunt & exemplis laudant, idque ipſa ovium neceſſitas requirit. Ergo. Aſſumtum probatur ex ſequentibus Scripturæ dictis. Matth. 7. verſ. 15. *Cavete à falſis Prophetis* v. 16. *a fructibus eorum cognoſcetis eos*, ubi disertè jubentur auditores veros Prophetas à falſis ac proinde etiam veritatem doctrinæ à corruptelis hæreticis diſcernere, quod abſque aliquo de controverſiis fidei judicio fieri nequit. Joh. 10. v. 27. *Oves meæ vocem meam audiunt*, verſ. 5. *alienum autem non ſequuntur*. Si ovium Chriſti proprium eſt vocem paſtoris ſui audire & ab aliorum vocibus eam diſcernere, utique judicium aliquod de doctrina ipſis competit, quia talis diſcretio abſque aliquo judicio fieri nequit. Act. 17. verſ. 11. Beroënſes hoc nomine laudantur, quod de doctrina Apoſtolorum judicaverint *ex Scripturis*. Rom. 16. verſ. 17. præcipit Apoſtolus Romanis, *obſervare eos, qui diſſenſiones & offendicula excitant*. 1. Cor. 10. verſ. 15. *ut prudentibus loquor, vos ipſi judicate quod dico*, c. 11. verſ. 13. *Vos ipſi judicate, an deceat mulierem non velatam orare in publicis congreſſibus*. Gal. 1. v. 8. *Licet nos aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit*. 1. Theſſ. 5. verſ. 21. *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*. 1. Joh. 4. verſ. 1. *Nolite omni Spiritui credere, ſed probate Spiritus an ſint ex Deo.* Si auditores debent probare Spiritus, id eſt, doctores revelationem Spiritus jactitantes, utique ipſa neceſſitas requirit, ut ex Scripturis de doctrina ipſorum judicent. Excipit Bellarminus, *Paulum & Iohannem non velle, ut omnes de Eccleſia id faciant, ſed ut faciant ij, ad quos hoc pertinet*. Reſp. imò verò hoc ad omnes pertinet, ideò ab omnibus curari debet. Circumſtantiæ textus oſtendunt, præcepta illa etiam ad Laicos, quos ita vocant, adeoque ad omnes Chriſtianos pertinere. Aliter igitur excipit, *loqui ipſos de doctrina adhuc dubia*. Reſp. benè eſt, quicquid verò extra Scripturam proponitur, non eſt infallibilis & indubitatæ veritatis, ergo illud omne ad Scripturæ normam examinandum. 3. Quod eſt ſpiritualis hominis proprium, illud omnibus Eccleſiæ filiis & membris competit. Ratio eſt, quia per ſpirituales homines non intelliguntur tantum Clerici, ut habet Pontificiorum nomenclatura, ſed omnes Eccleſiæ filii, qui Spiritu Dei reguntur Rom. 8. verſ. 14. Jam verò ſpiritualis hominis proprium eſt omnia judicare 1. Cor. 2. verſ. 15. Ergo. Excipit Bellarminus, *Spiritualem quidem judicare omnia, hoc eſt, terrena & divina, non tamen ſequi, quod poſſit omnia divina, cùm multi Patres fuerint lapſi*. Reſp. Sufficit nobis, quod ſpiritualibus hominibus tribuitur judicium de rebus ſpiritualibus, norma illius judicii eſt Scriptura, à qua ſi vel privati vel Patres vel Pontifex abeunt, in errores abripiuntur.

3. Quod ſola Scriptura ſit vox judicis principalis & norma judicis miniſterialis.

455. Tertium membrum hiſce demonſtramus fundamentis. 1. In qua Scriptura & per quam Scripturam Deus nobis loquitur, & ſuum de controverſiis fidei judicium nobis manifeſtat, illa eſt vox judicis & ſano ſenſu etiam judex in fidei controverſiis. Atqui in Scriptura Canonica & per Scripturam Canonicam Deus nobis loquitur & ſuum de controverſiis fidei judicium in ea unicè nobis exponit. Ergo. Major ſuâ luce radiat & illuſtrari poteſt collatione judicii civilis. Ariſtot. lib. 5. politic. cap. 7. ἐπὶ τὸν δικαστὴν ἰέναι ἐστὶν ἐπὶ τὸ δίκαιον, ὁ γὰρ δικαστὴς βούλεται εἶναι οἷον δίκαιον ἔμψυχον. Itemque collatione Scripturæ humanæ. Qui legit amici Epiſtolam, judicium & vocem amici ſe audire credit, qui audit recitari ex ſcripto ſententiam Imperatoris, judicium ejuſdem ſe audire ſtatuit. Minor idem eſt manifeſtæ veritatis. Quòd ſi enim in Scripturis Canonicis proponitur nobis Dei verbum, utique etiam in Scripturis & per Scripturas Deus nobis loquitur, unde ipſi Scripturæ tribuitur loquela, nimirum quia eſt vox Dei, ac ſi Deus hodie ad nos immediatè loqueretur, non aliâ uteretur voce in tradendis fidei dogmatibus, quàm quæ in Scripturis extat. Matth. 22. v. 22. *dictum eſt à Domino per Prophetam*. verſ. 43. *David in Spiritu Meſſiam vocat Dominum*. Luc. 16. verſ. 27. *audiant Moſen & Prophetas*. Rom. 3. verſ. 19. *lex loquitur*. Galat. 4. verſ. 30. *Quid dicit Scriptura? &c.* Jam verò illud dicere, illud vocare, illud loqui divinum, illa vox divina non niſi in Propheticis Scripturis ſonabat, utique ergo in Scripturis & per Scripturas Deus nobis loquitur 2. Inſtituimus igitur ejuſmodi collationem. Deus vel quod idem eſt, Chriſtus Patris cœleſtis interpres & Spiritus Sanctus qui profunditates Dei ſcrutatur & conſilium Dei de ſalute hominibus revelat, hodie non ampliùs nobiſcum immediatè loquitur, ſed per verbum & in verbo Propheticis & Apoſtolicis libris comprehenſo. Ergo etiam judicium ſuum in controverſiis fidei non amplius immediatè proferunt, ſed per verbum & in verbo ſcripto, ac per conſequens idem eſt, ſive dicam Spiritus Sanctus eſt judex controverſiarum, ſive Scriptura eſt judex controverſiarum, quia Spiritus Sanct. judicium ſuum non pronunciat immediatè ſed in verbo, ac Scriptura ideò dicitur controverſiarum judex, quia eſt vox Spiritus ſancti, ſicque idem effectus tribuitur cauſæ principali & inſtrumentali, quia principalis agit per inſtrumentalem & inſtrumentalis agit in virtute cauſæ principalis. Antecedens probatur hoc modo: Rom. 11. v. 32. *conclusit Deus omnes ſub incredulitate &* Galat. 3. v. 22. *concludit Scri-*

ptura

ptura omnia ſub peccato, ex quo emergunt hæc axiomata. Deus voce legis accuſantis omnes concludit ſub incredulitate. Scriptura ſive ſcripta Dei lex omnes concludit ſub incredulitatis peccato. Sic Joh. 5. v. 22. Act. 17. v. 31. Chriſtus eſt judex à Deo conſtitutus. Atqui idem remittit nos ad Scripturas Joh. 5. v. 39. & notanter dicit Joh. 12. v. 48. *Qui non recipit verba mea, habet qui judicet eum. Verbum, quod locutus ſum, judicabit eum in die noviſſimo*, ubi in præſenti & in futuro ſermo Chriſti dicitur judicare, ex quo profluunt hæc axiomata. Chriſtus judicat per verbum. Et verbum Chriſti judicat tanquam vox judicis. Sic Joh. 16. v. 8. *Spiritus ſanctus arguet mundum de peccato* & Rom. 3. v. 19. *Quæcunque lex loquitur, iis qui in lege ſunt, loquitur, ut omne os obſtruatur & fiat totus mundus obnoxius DEO*, ex quo promanant hæc axiomata. Spiritus ſanctus arguit mundum miniſterio legis. Lex arguit mundum, quia eſt vox Dei ab ipſo edita & promulgata. 3. Cuicunque Deus ipſe partes judicandi tribuit, illud non poteſt à judicio in controverſiis fidei excludi. Sed Deus ipſe verbo ſuo partes judicandi tribuit. Ergo. Aſſumtum probatur ſequentibus dictis. 1. Pſal. 148. verſ. 9. mentio fit מִשְׁפָּט כָּתוּב *judicii ſcripti*. Quodnam verò illud judicium ſcriptum eſt aliud quàm Scriptura ſacra, quæ continet verbum Dei, quod eſt *gladius* ille anceps, cujus mentio fit v. 6. Epheſ. 6. verſ. 17. per quem omnes ſuos hoſtes debellare & expugnare poſſunt? ** Verba Domini in Scripturis contenta vocantur *judicia Domini* Exod. 24. v. 3. Lev. 18. v. 4. &c. *judicia oris Domini* Pſal. 105. v. 5. Pſal. 119. verſ. 3. *Verbum Domini judicabit gentes* Eſ. 2. v. 4. *qui in lege peccaverunt, per legem judicabuntur* Rom. 2. v. 12. ** 2. Dan. 7. v. 10. Apoc. 20. v. 12. *aperientur libri*, juxta quos mortui judicabuntur. 3. Johan. 12. v. 48. *Sermo quem locutus ſum, judicabit in die noviſſimo.* Atqui ſi judicium condemnationis in extremo die rectè tribui poteſt ſermoni Chriſti & verbo Dei in Scriptura propoſito, utique etiam judicium diſcretionis de fidei controverſiis in hac vita ferendo rectè tribuitur ſermoni Chriſti & verbo Dei ſcripto. 4. Rom. 2. v. 16. *judicabit Deus mundum juxta Evangelium*, quod Apoſtoli prædicarunt. 5. Hebr. 4. verſ. 12. *Vivus Dei ſermo eſt efficax, penetrabilior gladio ancipiti κριτικὸς ἐνθυμήσεων.* Quidam ex veteribus ut Athanaſius orat. 3. contra Arian. tom. 1. p. 242 Hieronymus in cap. 66. Eſai. Ambroſius libr. quarto de fide cap. 3. Cyrillus lib. 2. in Joh. capite 37. Fulgentius Epiſt. 2. ad Gallam de ſtatu viduit. pag. 466. accipiunt de λόγῳ ὑποστατικῷ & ἐνυποστάτῳ videlic. de Filio Dei, quorum ſententiam ſequitur Ribera in comm. Hebr. 4. num. 15. quæ interpretatio confirmatur hiſce argumentis, 1. quia locutio eſt generalis non reſtricta. 2. quia contrarium firmâ ratione oſtendi nequit. 3. vocatur λόγος ζῶν quod non tantùm effectivè, ſed etiam formaliter intelligendum. 4. Apoſtolus dehortatur ab incredulitate argumento petito à vita & viſione λόγου. 5. tribuit illi λόγῳ conſpectum & oculos atque addit πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος, *de quo nobis ſermo.* 6. illatio ſubnexa innuit, de Chriſto ipſum locutum eſſe: *Habentes ergo Pontificem magnum.* Alii verò ut Auguſt. Epiſt. 58. Ambroſius lib. 3. de virgin. Aretas, Primaſius in cap. 1. Apoc. & plerique ex noſtris *Exegeſis.*

accipiunt de λόγῳ προφορικῷ & externo. 1. quia in antecedentibus multa de verbo audito proferuntur. 2. dicitur eſſe *efficax penetrabilior gladio*, quæ eſt deſcriptio virtutis cum verbo conjunctæ. Aug. lib. 20. de civ. Dei cap. 21. *Sermonem Dei, dicit Scriptura gladium bis acutum propter aciem geminam Teſtamentorum duorum.* 3. Chriſtus inter cætera dicitur λόγος propter prædicationem verbi. Utraque igitur expoſitio conjungi poteſt, cùm non ſint contrariæ, ſed ſubordinatæ. Denique 4. pro confirmatione hujus tertii membri tale producimus argumentum. Quodcunque eſt unica, immota & infallibilis norma, juxta quam miniſterialis judex de controverſiis fidei judicare debet, illud hoc ſenſu & reſpectu rectè dicitur controverſiarum in Eccleſia judex. Ratio eſt, quia quando Scripturam controverſiarum judicem dicimus, nihil aliud volumus, quàm quod Eccleſia, hoc eſt, tum miniſtri Eccleſiæ, tum reliqua ejus membra, non niſi juxta Scripturæ normam de controverſiis fidei debeant judicare. Sed Scriptura eſt unica, im̃ota & infallibilis norma, juxta quam miniſterialis judex de fidei controverſiis debet judicare, ut in capite proximè præcedente demonſtravimus. Ergo.

456. In hanc ſententiam duo præclara dicta ex Auguſt. in Pſal. 23. & Optato Milevitano l. 5. contra Parmen. adduximus tract. de Script. §. 95 quibus addenda ſunt ſequentia. Lactant. libr. 3. Inſtitut. cap. 1. circa fin. *Nec enim decebat aliter, ut cùm Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſereret ſuas voces, tanquam fides ei non haberetur, ſed ut oportuit eſt locutus, quaſi rerum omnium maximus judex, cujus eſt non argumentari, ſed pronunciare verum.* ** Clem. Alexandr. lib. 7. ſtromat. p. 156. *Inanis eſt hic prætextus, volentibus enim licet invenire veritatem. Scriptura judice utimur ad res inveniendas. Nihil creditur priusquam fuerit judicatum, quare non eſt principium illud quod opus habet judicio. Meritò igitur eum fide comprehendimus principium indemonſtrabile & ab eo demonſtrationes ſumimus veritatis.* Baſil. Epiſt. 80. ad Euſtath. Medic. ἡ θεόπνευστος ἡμῖν διαιτησάτω γραφὴ καὶ παρ' οἷς ἂν εὑρεθῇ τὰ δόγματα συνῳδὰ τοῖς θείοις λόγοις, ἐπὶ τούτοις ἥξει πάντως τῆς ἀληθείας ψῆφος. Auguſt. de gratia & libr. arbit. cap. 18. non longè à princ. *In gratia Spiritus vivificans, ſi non ex Deo, ſed ex hominibus vicerunt Pelagiani; ſi autem ex Deo vicimus Pelagianos. Sedeat ergo inter nos judex Apoſtolus Iohannes, & dicat nobis: Cariſſimi diligamus invicem, quia dilectio ex Deo eſt. Non itaque ex nobis, ſed ex Deo eſt.* lib. 2. de nupt. & concupiſc. cap. 33. *Iſta controverſia judicem quærit. Judicet ergo Chriſtus & cui rei mors ejus profecerit, ipſe dicat: Hic eſt, inquit, ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Judicet cum illo & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus. Clamat & dicit de Deo Patre, quia proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.* lib. 2. contra Creſcon. cap. 21. *Eccleſia non debet ſe præponere Chriſto, quia ille ſemper veraciter judicat, Eccleſiaſtici autem judices ut homines plerunque falluntur.* (Excipit Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 10. *Auguſtinum loqui de quæſtionibus facti.* Atqui etiam in quæſtionibus fidei non eſt judicium eorum, ſimpliciter infallibile ſed ad Scripturæ normam reſtrictum.) Suffragatur etiam noſtræ ſententiæ decretum Concilii Baſilienſis,

Dicta Patrum.

quod ſic habet: *Lex divina praxis Chriſti Apoſtolica & Eccleſia una cum Conciliis & Doctoribus fundantibus ſe veraciter in eadem pro veriſſimo & indifferente judice in hac Baſilienſi Synodo admittantur.* Dalburgius dixit, *quatuor judices minimè ſuſpectos Concilio præficiendos eſſe, videlicet Hebræa, Græca, Latina & Germanica Biblia.* Audrad. in defenſ. fid. Trident. lib. 2. pag. 122. *Scripturam ſacram controverſiarum judicem conſtituimus, non quidem quod omnia in ea neceſſaria contineantur, ſed quia pro nefariis & ſacrilegis illa habenda ſunt, quæ ipſi quovis modo repugnant.*

457. Quòd ſi ergo, uti demonſtratum fuit hactenus, controverſiarum Theologicarum judex ſupremus eſt Spiritus Sanct. in Scripturis loquens, inferior Eccleſiæ miniſter juxta Scripturam pronuncians, vel quod idem eſt, ſi ſola Scriptura ſacra eſt vox judicis & norma judicii in controverſiis fidei, conſequens eſt, judicium illud non eſſe tribuendum: 1. homini non renato juxta dictamen rationis pronuncianti. 2. nec Enthuſiaſtæ internum Spiritus teſtimonium & novas revelationes venditanti. 3. nec Pontifici Romano infallibilitatis privilegium & immediatam Spiritus Sanct. aſſiſtentiam ſibi venditanti. 4. nec Epiſcopis in Concilio congregatis. 5. nec Patribus præter & extra Scripturam aliquid proferentibus, hoc eſt, norma infallibilis & certa judicii de dogmatibus fidei non eſt dictamen rationis naturalis, nec Spiritus Enthuſiaſticus internus; nec Pontificis ex cathedra pronunciantis ſententia, nec Conciliorum decreta, nec Patrum dicta, ſed ſolius Scripturæ ſacræ oracula.

Ergo non eſt judex. 1. homo nõ renatus juxta rationis dictamen pronuncians.

458. 1. *Hominem non renatum juxta rationis dictamen pronunciantem* non poſſe eſſe judicem controverſiarum de fidei dogmatib. probamus hoc modo: Quodcunque 1. in rebus divinis eſt cœcum, errorum caligine obfuſcatum, ignorantiæ tenebris implicatum, errori & vanitati obnoxium. 2. ad myſteria divina percipienda eademque dijudicanda ineptum. 3. imò iiſdem adverſum & contrarium adeoque ſub obſequium Chriſti captivandum. 4. ut ab ejus ſeductione proinde jubeamur cavere, illud non poteſt eſſe norma judicii in rebus fidei, & juxta illius dictamen pronuncians non poteſt eſſe judex controverſiarum fidei. Ratio humanæ naturalis poſt lapſum: 1. eſt cœca, errorum caligine obfuſcata, ignorantiæ tenebris implicata, vanitati & errori obnoxia Pſal. 62. v. 2. Rom. 1. v. 21. 1. Corinth. 3. v. 1. Galat. 4. v. 9. Epheſ. 4. v. 17. 2. ad percipienda divina myſteria, eademque dijudicanda inepta Matth. 11. v. 27. cap. 16. v. 15. 1. Corinth. 2. v. 14. & ſeqq. 3. iiſdem eſt adverſa Roman. 8. verſ. 6. 1. Cor. 2. verſ. 21. & ſeqq. cap. 3. verſ. 18. & ſeqq. proinde ſub obſequium Chriſti captivanda 2. Cor. 10. v. 4. & 5. 4. & ab ejus ſeductione jubemur cavere Col. 2. v. 8. Ergo ratio humana naturalis non poteſt eſſe norma judicii in rebus fidei & pronuncians juxta illius dictamen non poteſt eſſe judex controverſiarum Theologicarum.

2 Enthuſiaſta internum Spir. S. teſtimonium jactitans.

459. 2. *Enthuſiaſtam internum Spiritus teſtimonium & novas revelationes jactitantem* non poſſe eſſe judicem controverſiarum de fidei dogmatibus, ſic probamus: Cujuſcunque judicium 1. non eſt in Scripturis fundatum. 2. ludificationibus Satanæ obnoxium. 3. aliorum examini ſubjectum. 4. judicio Spiritus ſancti in Scripturis loquentis quandoque adverſum. 5. ſemper dubium & incertum, is non poteſt agnoſci pro infallibili judice controverſiarum in Eccleſia. Enthuſiaſtæ internam Spiritus revelationem jactitantis judicium, 1. non eſt in Scripturis fundatum, nuſpiam enim remittimur ad internas revelationes, ad verbum internum &c. ſed *ad legem & teſtimonium*. 2. eſt præſtigiis Satanicis obnoxium 1. Reg. 22. verſ. 22. 2. Cor. 11. verſ. 14. quod ipſum probat experientia in illis, qui Spiritus illius privati revelatione ad graviſſimos errores, ad homicidia, ad ſcortationes ſeſe impelli paſſi fuerunt. 3. eſt aliorum examini ſubjectum 1. Cor. 14. v. 29. 1. Theſſ. 5. v. 21. 1. Johan. 4. v. 1. 4. eſt judicio Spiritus ſancti in Scripturis loquentis quandoque adverſum, ut probat examen illarum revelationum juxta Scripturæ regulam inſtitutum. 5. eſt dubium & incertum 2. Cor. 2. v. 11. Ergo Enthuſiaſta internam Spiritus revelationem jactitans non poteſt agnoſci pro infallibili judice controverſiarum in Eccleſia. Pulcrè Chryſoſtomus ſerm. de Spiritu ſancto adorando: *Multi Spiritum ſanctum jactitant, ſed qui propria loquuntur, falsò illum prætendunt. Ut Chriſtus non a ſeipſo ſe loqui teſtabatur, quia ex lege loquebatur & Prophetis: ita ſi quid præter Evangelium ſub titulo Spiritus obtruditur, nec credamus, quia ſicut Chriſtus legis & Prophetarum impletio eſt, ita Spiritus Evangelii.*

460. 3. *Pontificem Romanum immediatam Spiritus ſancti aſſiſtentiam jactitantem* non eſſe controverſiarum judicem infallibilem, alibi latè demonſtratur, hic Ἀντομικῶς ſic concludimus: Qui 1. ſine ſacrarum literarum autoritate privilegium infallibilitatis & abſolutam judicandi poteſtatem ſibi vendicat. 2. eſt errori obnoxius. 3. poteſt fieri hæreticus. 4. actu ipſo aliquoties erravit & falſa definivit. 5. ſæpè ne quidem ſecundùm communem menſuram donationis Spiritus ſancti eſt particeps. 6. eſt ſæpe dubius & incertus. 7. interpretationes Scripturæ abſurdas, jejunas & ridiculas profert, ille non eſt nec eſſe poteſt infallibilis controverſiarum judex. Papa Romanus 1. ſine ſacrarum literarum autoritate privilegium infallibilitatis & abſolutam judicandi poteſtatem ſibi vendicat. Nuſpiam enim Chriſtus vel Apoſtoli ad tribunal Pontificis nos remittunt, nuſpiam privilegium non errandi Pontifici tribuitur. 2. eſt errori obnoxius, quia ad Propheticam & Apoſtolicam infallibilitatis prærogativam nuſpiam evehitur, ſed in claſſe aliorum hominum errori obnoxiorum relinquitur. 3. poteſt fieri hæreticus, ut patet ex c. Si Papa. diſt. 40. & ex confeſſione Joh. de Turrecremata in c. Si quis pecunia diſt. 79. num. 6. Alphonſi de Caſtro lib. 1. contra hæreſ. cap. 4. Bellarmini lib. 2. de Pontiſ. cap. 30. opin. 5. Pulcrè Antoninus part. 3. ſumm. tit. 22. cap. 7. in fin. *Cùm omnia poſſit Papa, poteſt etiam hoc quod eſt commune omnibus, ſcil. errare & peccare, juxta illud: Omnis homo mendax.* **Rom. 3. v. 3. Pſal. 116. 11.** 4. actu ipſo aliquoties erravit & falſa definivit, ut teſtantur Hiſtoriæ Zepherini, qui fuit Montaniſta; Marcellini, qui ſacrificavit idoli, Liberi, qui fuit Arianus, Siricii, qui conjugium dixit pollutionem, Honorii, qui Monotheletæ in Epiſtola ad Sergium aſſenſum præbuit &c. 5. ſæpe ne quidem ſecundùm communem menſu-

3. Pontifex Romanus immediatam Spiritus ſancti aſſiſtentiam jactitans.

menſuram donationis Spiritus ſancti eſt particeps, ut teſtantur horrenda flagitia Paparum ab ipſis Pontificiis Hiſtoricis annotata. 6. eſt ſæpe dubius & incertus, aliquando enim nullus planè fuit Pontifex, quando ſedes Romana aliquot non ſolùm diebus & menſibus, ſed etiam annis vacavit; aliqnando plures Pontifices fuerunt ſimul & quis eorum verus fuerit Pontifex, ignoratur, aliquando ſine legitimâ vocatione Pontificatum occuparunt, videl. vel per artes Magicas vel per largitionem Simoniacam, vel per vim & factiones &c. Jam verò ſola electio legitima facit legitimum Pontificem & Papa dubius habetur non Papa, ut diſputat Bellarminus lib. 2. de Concil. cap. 19. 7. interpretationes Scripturæ abſurdas, jejunas & ridiculas profert, ut patet ex Epiſtolis Decretalibus Pontificum & ex multis juris Canonici capitulis. Ergo Pontifex Romanus non eſt nec eſſe poteſt infallibilis controverſiarum judex.

4. *Concilia.* 461. 4. *Conciliis* non poſſe abſolutum & infallibile judicium in fidei controverſiis tribui, probamus hoc modo. Qui 1. errandi periculo ſunt obnoxii. 2. actu ſæpius errarunt. 3. ſibimetipſis ſæpius contradicunt. 4. quorum definitiones ſunt incertæ. 5. qui non poſſunt toties audiri & interrogari quoties Eccleſiæ membris opus eſt judiciaria deciſione, illis non competit abſolutum & infallibile in controverſiis fidei judicium. Epiſcopi in Conciliis congregati, 1. ſunt errandi periculo obnoxii, nuſpiam enim infallibilitatis privilegium ipſis datum aſſeritur. 2. actu ipſo ſæpius errarunt, ut teſtantur exempla Concilii Ariminenſis, Seleucienſis, Epheſini ſecundi, Syrmienſis &c. 3. ſibimetipſis ſæpius contradicunt. Concilium Nicenum ſecundum ſtatuit imagines eſſe colendas, quod pugnat cum Concilio Conſtantinopolitano, ut fatentur Patres Niceni ſecundi act. 6. In Concilio Romano ſub Stephano VII. damnatus eſt Formoſus Pontifex & omnia illius acta abrogata. Aliud poſtea habitum fuit Concilium Ravennæ ſub Johanne IX. in quo Formoſus reſtitutus fuit & Stephanus damnatus, omniaque acta ejus Concilii, quod ſub Stephano habitum, abrogata &c. Alterutrum horum erraſſe neceſſe eſt. 4. definitiones eorum ſæpius ſunt incertæ, neque enim omnes definiunt controverſias, Andrad. lib. 3. defenſ. fid. *Concilium Trident. cùm definiret peccatum originis verè eſſe peccatum, illius tamen propriam rationem conſultò omiſit.* 5. nec poſſunt toties audiri & interrogari, quoties Eccleſiæ membris opus eſt deciſione judiciaria, quandoque enim in eo verſatur Eccleſia ſtatu, qui non permittit generalia Concilia cogi, ut teſtatur Hiſtoria Eccleſiæ primitivæ Apoſtolorum temporibus vicinæ. Ergo Epiſcopis in Concilio congregatis non competit abſolutum & infallibile in controverſiis fidei judicium.

5. *Patres.* 462. 5. *Patres* non poſſe pro infallibilibus controverſiarum judicibus agnoſci patet ex eo, 1. quod & ipſi ſint errandi periculo obnoxii. 2. quòd ſibiipſis infallibilitatem derogent, & ex Scriptura de omnibus doctrinæ ſuæ partibus judicium fieri velint. 3. quòd libri ipſorum non ſemper in Eccleſia extiterint, ut teſtatur Hiſtoria Eccleſiæ primitivæ. 4. quòd pauciora extent ipſorum monumenta, quàm ut de omnibus & ſingulis controverſiis plenus atque integer ſenſus ex illis peti poſſit. 5. quòd in ſcriptis ipſorum, quæ adhuc habentur, multa ſint adulterina & ſuppoſititia. 6. quòd non poſſint ab omnibus evolvi, quibus tamen neceſſitas incumbit de controverſiis judicandi. 7. quòd ipſimet Pontificii Patrum autoritatem negent eſſe authenticam, unde Romano Pontifici eam ſubjiciunt. 8. quòd ſibi ſæpiùs invicem contradicant, quæ omnia ſuo loco pleniùs explicantur & confirmantur.

Antitheſis 1. Pontificiorum. 463. *Antitheſis.* Judiciariam autoritatem Scripturæ ſacræ derogant. 1. *Pontificii*, diſertis verbis negantes Scripturam eſſe poſſe controverſiarum judicem. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 3. de authentico Scripturæ interprete & judice controverſiarum diſputans ſic progreditur: *Convenit inter nos & adverſarios, Scripturas intelligi debere eo Spiritu, quo factæ ſunt, hoc eſt, Spiritu ſancto. Tota igitur quæſtio eſt, ubi ſit iſte Spiritus? Nos* (Catholici-Romanenſes) *exiſtimamus, hunc Spiritum etſi multis privatis hominibus ſæpe conceditur, tamen certò inveniri in Eccleſia, hoc eſt, in Concilio Epiſcoporum confirmato à ſummo Eccleſiæ Paſtore, ſive in ſummo Paſtore cum Concilio aliorum Paſtorum, ideò dicimus, judicem veri ſenſus Scripturæ & omnium controverſiarum eſſe Eccleſiam, hoc eſt, Pontificem cum Concilio, in quo omnes Catholici conveniunt. At hæretici omnes hujus temporis docent, Spiritum ſanctum Scripturæ interpretem non eſſe alligatum Epiſcopis vel ulli hominum generi, ideo unumquemque judicem eſſe debere ſive Spiritum ſuum ſequendo, ſi ipſe donum interpretationis habeat, ſive alicui alteri adhærendo, quem eodem dono præditum viderit.* Sed in hac formatione ſtatus quæſtionis multa deſideramus: 1. Non negamus ſimpliciter, Eccleſiam, id eſt, miniſtros Eccleſiæ & auditores eſſe judices, ſed dicimus eos eſſe judices miniſteriales aſtrictos ad audiendam vocem Spiritus ſancti in Scripturis ſonantem & ad normam judicii in Scripturis propoſitam ſtrictè obſervandam. 2. Nec dicimus, unumquemque debere eſſe judicem, vel Spiritum ſuum ſequendo, vel alteri, quem dono interpretandi præditum noverit, adhærendo, ſicut Bellarminus cum Svenckfeldianis nos conjungens calumniatur, ſed dicimus unumquemque debere ſequi judicium Spiritus ſancti in Scripturis ſacris propoſitum. 3. Senſus Scripturæ genuinus ac proprius, nec in Pontificis, nec in ullius hominis pectore quærendus, ſed in ipſis Scripturis, quæ ſunt publicæ Spiritus ſancti tabulæ. 4. Bellarminus in genere hoc loco aſſerit, *judicem omnium controverſiarum eſſe Eccleſiam, hoc eſt, Pontificem cum Concilio*, ſed reverâ ſoli Pontifici haſce judicandi partes tribuit, ut in tract. de Interpretatione Scripturæ ex ipſius hypotheſibus oſtenſum fuit, ac Jeſuitæ in Ratisbonenſi ſine circuitione fuerunt confeſſi. 5. Cum Pontificis judicium à judicio Conciliorum quandoque diſcrepet, non poteſt judex ſtatui Pontifex cum Concilio, ſed vel ſolus Pontifex vel ſola Concilia.

464. Statuit igitur Bellarminus, Scripturam non poſſe eſſe controverſiarum judicem, ſed hoc in ſolidum competere Romano Pontifici, ſic enim ſcribit d. lib. cap. 9. *Non ignorabat Deus, multas in Eccleſia exorituras difficultates circa fidem, debuit igitur judicem aliquem conſtituere.*

tuere. *At iſte judex non poteſt eſſe Scriptura, neque Spiritus revelans privatus, neque princeps ſecularis, igitur princeps Eccleſiaſticus* (Pontifex Romanus) *vel ſolus vel certè cum concilio & conſenſu Coepiſcoporum.* Idem ſtatuunt etiam reliqui. Gregor. de Valent. in anal. lib. 5. cap. 2. *Scriptura ſacra omnium fidei controverſiarum judex eſſe non poteſt.* Bavarici Theologi in Colloq. Ratisbon. *Sacra Scriptura non eſt judex omnium controverſiarum fidei & religionis Chriſtianæ.* Gretſerus in eod. Colloq. ſeſſ. 9. pag. 292. *Summus in conſpectu ſacræ Scripturæ & Spiritus ſancti. Pronuncias ſententiam, & ſi dicat, Tu Gretſere malè ſentis, cecidiſti cauſâ tuâ. Tu Iacobe Heilbrunnere viciſti, tunc ego ſtatim tranſibo ad veſtrum ſcamnum, Adſit, adſit, adſit & condemnet me.* Eadem eſt reliquorum ſententia. Argumenta, quibus demonſtrare conantur, Romanum Pontificem eſſe unicum & authenticum controverſiarum judicem, pertinent ad locum de Romano Pontifice, conſiderabimus igitur ea duntaxat, quibus demonſtrare conantur d. l. Scripturæ non poſſe partes judicandi tribui.

Argumentum Pontificiorum. 1. Ex Scripturæ imperfectione.

465. 1. *Ex Scripturæ imperfectione. Scriptura varios ſenſus recipit, nec poteſt ipſa dicere, quis ſit verus ſenſus.* Item: *De Scripturæ interpretatione quandoque oritur quæſtio, at Scriptura non poteſt interpretari ſeipſam. Ergo Scriptura non poteſt eſſe controverſiarum judex.* Reſp. 1. Si Scriptura non poteſt dicere, quis ſit verus ſuus ſenſus, nec poteſt interpretari ſeipſam. Ergo perit finis Scripturæ, qui eſt *σοφίσαι ſapientes homines reddere ad ſalutem.* 2. Si Pontifex in ſuis decretis & decretalibus, in ſuis Bullis & Breviariis poteſt ſenſum ſuum perſpicuè proferre, adeò ut qui decreta Pontificis legit, ſenſum Pontificis ſe tenere glorietur, an non poterit Spiritus ſanctus in Scripturis tàm perſpicuè loqui, ut certus & genuinus ſenſus ex illis colligi poſſit? 3. Si Scriptura non poteſt dicere, quis ſit verus ſenſus, ergo nec Prophetæ nec Apoſtoli potuerunt ita loqui, ut certus & genuinus ſenſus ex ipſorum dictis colligi potuerit. Ratio eſt, quia quod Prophetæ & Apoſtoli prædicarunt, idem & nihil aliud in Scripturas redegerunt. 4. Si Scriptura non poteſt dicere, quis ſit verus ſenſus, cur Chryſoſtomus homil. 13. in Geneſ. ſcribit: *Sacra Scriptura cùm nos tale quiddam docere vult, ſeipſam exponit & auditorem errare non ſinit?* cur Irenæus aſſerit lib. 2. adv. hæreſ. cap. 46. *ea quæ ſcientiæ noſtræ ſubdidit Deus, apertè & ſine ambiguo ipſis dictionibus eſſe poſita in Scriptura?* 5. Ex Epiſtola amici perſpicuè ſcripta poſſumus ejuſdem ſententiam diſcere, eccur igitur ex Scriptura, quæ eſt Dei omnipotentis Epiſtola ad nos ſcripta, non poſſemus verum ſenſum diſcere, cùm tamen *cor Dei* ex ea diſci poſſe Auguſtinus in enarr. Pſal. 96. ſtatuat? 6. Vis veritatis Coſterum adegit, ut in Enchirid. cap. 1. ſcriberet, *præcipua fidei capita, quæ omnibus Chriſtianis ſcitu neceſſaria, ſatis perſpicuè in libris Apoſtolicis comprehenſa eſſe.* Ergo de illis ſcitu neceſſariis dogmatibus certi quippiam ex Scripturis colligi poterit. 7. *Ex literali Scripturæ ſenſu firma argumenta peti poſſe* concedit Bellarmin. lib. 3. de verbo Dei cap. 3. ubi ergo ex ſenſu literali certus ſenſus colligi poteſt, aliàs nullum ex Scripturis peti poſſet argumentum, tantùm abeſt, ut firmum aliquod argumentum ex Scripturis colligi poſſet. 8. Quod Scriptura in varios ſenſus ab hæreticis detorquetur, ex accidenti eſt, nec propterea deſinit unus proprius & perſpicuus Scripturæ ſenſus, quem Spiritus ſanctus intendit. Pelbartus in Roſario tom. 3. cap. de fide: *Licet Scriptura poſſit aliter exponi aliquo modo, ſaltem ad evadendum abſque contradictione manifeſta, tamen ſimpliciter loquendo, non poteſt alio modo rationabiliter exponi, quàm ſemper appareat expoſitio fidei Catholicæ rationabilior.* 9. Pontifex, Concilia & Patres aut ex Scripturis deducunt, quod de fidei dogmatibus tradunt & ſic poterit Scriptura dicere, quis ſit verus ſenſus, aut extra Scripturam aliquid fide acceptandum tradunt & ſic percutit illud gladius Dei Galat. 1. verſ. 8.

2. Ex collatione cum Republ. civili.

466. 2. *Ex collatione cum Republ. civili. In omni benè conſtituta Republ. lex & judex ſunt diſtinctæ res, Lex enim docet quid ſit agendum; judex legem interpretatur & ſecundùm eam homines dirigit. Ergo etiam in Republ. Eccleſiaſtica præter Scripturam alius judex dandus.* Reſp. 1. Concedimus talem judicem dari in Eccleſia: Neque enim tantùm ſupremum & authenticum judicem ſtatuimus Spiritum ſanctum, ſed etiam inferiorem & miniſterialem, qui vocem ſupremi illius judicis in Scripturis propoſitam debet repetere & ex ea, quid ſit agendum, docere; eandem interpretari, & ſecundùm eam homines dirigere. 2. Sed addimus, judicem illum non debere pro ſuo arbitrio ſententiam pronunciare, ſed juxta normam à ſupremo judice præſcriptam, videl. juxta Scripturam ſacram, quam propterea & vocem judicis ſupremi & normam judicis inferioris & judicem directivum appellamus. 3. Invertimus igitur argumentum: Quemadmodum in Republ. benè conſtituta judex inferior aſtrictus eſt ad leges à judice ſuperiore præſcriptas, & ſecundùm eas tanquam normam judicii tenetur ſententiam ferre: ſic miniſter Eccleſiæ & quilibet fidelis in judicio de controverſiis fidei ad vocem ſupremi judicis Spiritus ſcil. ſancti in Scripturis propoſitam eſt aſtrictus. 4. Ariſtoteles lib. 5. polit. cap. 7. judicem dicit eſſe *legem animatam*, eo ipſo docens, judicem non debere ex ſuo arbitrio & voluntate ſententiam ferre, ſed ex præſcripto legum. Si hoc requiritur in judicio civili, quantò magis in judicio de rebus ſpiritualibus.

3. Ex eorum, qui Scripturam judicem agnoſcunt, diſſenſione.

467. 3. *Ex eorum, qui Scripturam judicem agnoſcunt, diſſenſione. Si ſufficiens eſſet Scriptura judicium, unde fieret, ut nondum convenire potuerit inter eos, qui unicam Scripturam pro norma & judice agnoſcunt.* Reſp. 1. multi audiunt potiùs humana ſomnia & rationis cœcæ dictamen, quàm Spiritus ſancti in Scripturis loquentis vocem. 2. Multi præconceptas ſuas opiniones in Scripturam inferunt, non verum ex Scripturis ſenſum inquirunt, *cogunt id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerint intelligendum*, ut Hilarius lib. 1. de Trinit. loquitur. 3. Multi teſte Apoſtolo ſunt *αὐτοκατάκριτοι* Tit. 3. verſ. 11. ac autoritatis, potentiæ, gloriæ & opulentiæ retinendæ cauſâ veritatem ex Scripturis monſtratam agnoſcere ac fateri nolunt Johan. 12. verſ. 43. 4. Multi ſplendore & apparatu externo patiuntur ſibi oculos perſtringi,

ſtringi, quò minùs lux veritatis ſe illis ingerat. 5. Multi provocant ad Scripturam, qui tamen à Scriptura condemnatur, ſicut Judæi provocabant ad Moſen, qui tamen eos accuſabat Joh. 5. v. 45. 6. Diſtinguendum igitur inter potentiam & actum. Scriptura potentiâ quidem, ſuâq; Natura propter perfectionem & perſpicuitatem ad controverſias dirimendas eſt ſufficiens & idonea, ſed vitio humanæ improbitatis contingit, ut effectus actu non ſemper, nec apud omnes ſequatur, quemadmodum *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti* Roman. prim. verſ. decim. ſext. licet non omnes per prædicationem Evangelij actu convertantur & ſalventur. Pharmacum eſt morbo depellendo idoneum atq; efficax, licet ex aliâ causâ vim ejus impediente effectus non ſequatur.

4. Ex hæreticorum ad Scripturam provocatione.

468. 4. *Ex hæreticorum ad Scripturam provocatione. Nullus provocat ad eum judicem à quo ſcit ſe condemnatum iri. Atqui omnes hæretici provocant ad Scripturam. Ergo non agnoſcunt ſe in Scriptura damnari, & per conſeq. Scriptura non eſt judex.* Reſp. 1. Invertimus argumentum: Cujus judicium aliquis ſubterfugit, eum ſcit ſibi parùm æquum fore. Pontificij ſubterfugiunt Scripturæ judicium. Ergo ſciunt hunc judicem ſibi parùm æquum fore, inde Eccius coram Wilhelmo Bavariæ Duce in Comitiis Auguſtanis Anno 30. fatebatur, *Lutheranam confeſſionem nō poſſe ex Scripturis refutari*, ut habetur in actis illorum Comitiorum, quæ extant tom. 5. oper. Germ. Luth. f. 35. Idem fatetur Albert. Piggius lib. 1. de Eccleſ. Hierarch. cap. 4. in fin. *Si hujus doctrinæ*, videlicet cum hæreticis non eſſe ex Scripturis diſputandum, *memores fuiſſemus, meliore ſanè loco res noſtra eſſent, ſed dum oſtentandi ingenij & eruditionis gratià cum Luthero in certamen deſcenditur Scripturariū, excitatum eſt hoc, quod proh dolor videmus incendium.* 2. Quamvis hæretici non omnes ſciant & ſentiant, ſe à Spiritu ſancto in Scripturis ſacris & à Scripturis condemnari, tamen à negata hujus condemnationis ſcientia & ſenſu non poteſt argumentum duci ad negationem rei ipſius. Judæi neſciebant ſe à Moſe accuſari, unde ad Moſen provocabant, & tamen ipſa veritas teſtatur, ipſos à Moſe fuiſſe accuſatos Johan. 5. v. 45. 3. Scriptura in ſe & per ſe *utilis eſt πρὸς ἔλεγχον, ut perfectus ſit homo Dei* 2. Timoth. 3. verſ. 16. *& contra inſidioſos errores poſuit Deus firmamentum in Scripturis ſanctis.* Iren. lib. 3. cap. a. Auguſt. tractat. 2. in Epiſt. Johan. Falsò igitur erroribus ſuis hæretici Scripturas prætexunt. Tyrannus boni Principis, meretrix honeſtæ virginis titulum ſibi arrogat, ſic hæretici orthodoxorum & nomen & arma Scripturam ſcilicet ſacram ſibi vendicant. ** Theodoretus in opuſculis contra varias hæreſes, quæ ſunt in 2. tom. oper. Athanaſ. *Si videant petitis è Scriptura demonſtrationibus ſtultitiam ſuam conſtringi, Scripturæ recuſant (παραγράφοντας) & ſcopum & uſum: ſi quando verò putant ſibi favere nudum aliquod effatum à genuina receſſum orationis ſerie ad ſuum propoſitum, accommodant ſuis confirmandis.* ** Gnoſtici Scripturæ purpuram ſuis aſſuebant laciniis, ſed Iren. lib. 1. cap. 1. pulcrâ ſimilitudine comparat illos cum iis, *qui Regiæ imaginis compagem ex ſelectiſſimis gemmis compoſitam ſolvunt, ſolutasq; partes in canis aut vulpeculæ figuram aptant, vulgo perſuadere volentes eſſe hanc eandem imaginem Regis, quam primus artifex formavit, propterea quod ex iiſdem gemmis conſtet.* 4. *Diabolus in duello* Matth. 4. v. 6. *allegabat Scripturas contra Chriſtum*, inquit Eccius in Enchir. cap. 4. ſed addimus, Chriſtus Scripturæ dictis Diabolum vicit. cap. ejuſd. verſ. 4. 7. & 10. ac tertiâ vice repetit & Diabolo inculcat, *Scriptum eſt.* Sic hæreticos ad Scripturam provocantes ex Scriptura validiſſimè convincere poſſumus: *Nullam unquam hæreſin ex Scripturis potuiſſe refutari*, dicebant adverſarij in Colloquio Ratisbonenſi pag. 203. edit Neob. Sed Hiſtoria Eccleſiaſtica & ipſa experientia teſtantur, nullam unquam hæreſin tàm abſurdam, tàmque prodigioſam, tàm ſpecioſam, tàmque plauſibilem fuiſſe natam, quæ non potuerit Scripturæ armis debellari. Aureolum eſt illud veterum Rabinorum: *In quocunque Scripturæ loco inveneris objectionem pro hæreticis, invenies quoque medicamentum in latere ejus.* 5. Nec omnes hæretici provocarunt ad Scripturas, ſed quidam ſub traditionis pallio putidas ſuas merces abſcondunt & Eccleſiæ obtrudere ſatagunt.

5. Ex judicis conditione.

469. 5. *Ex judicis conditione. Judex debet videri & audiri ab utraq; litigantium parte, debet etiam habere autoritatem coactivam, alioqui non erit nec eſſe poterit controverſiarum finis.* Reſp. 1. aliud eſt judicium fori, aliud verò poli, aliud eſt Eccleſiaſticum miniſterium, aliud politicum regimen & magiſterium. Eccleſia ut non eſt de hoc mundo, ita quoque non regitur modo hujus ſeculi. 2. Damus & nos viſibilem judicem, Miniſterium ſcilicet Eccleſiaſticum, ſed addimus judicem illum eſſe inferiorem, proinde non poſſe nec debere αὐτοκρατορικῶς pronunciare, ſed judicium ſuum Scripturis ſacris ſubmittere, iiſdemq; tanquam voci ſupremi judicis & normæ omnis veri ac certi judicij illud conformare. 3. De ſupremo & authentico controverſiarum fidei judice negamus hanc conditionem, quod neceſſariò debeat videri αὐτοπροσώπως & audiri αὐτοφώνως: *Qui non credit, jam judicatus eſt*, ait Chriſtus Johan. 3. verſ. 18. quamvis illud non videat. Sufficit ejus vocem audiri ab omnibus in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Johan. 12. v. 84. *Sermo, quem locutus ſum, judicabit in die noviſſimo.* 4. Spiritus ſanctus in Scripturis loquens, non quidem vi externâ cogit, tamen efficaciter movet perſuaſione interna, atque hoc ſufficit ad illuminationem, converſionem & informationem eorum, qui non reſiſtunt pertinaciter Spiritui ſancto. Lactant. lib. 5. Inſtit. cap. 19. *Nihil tàm voluntarium quàm religio, in qua ſi animus averſus, jam ſublata, jam nulla eſt.* Epiphan. hæreſ. 61. *Cultus Dei non eſt ex neceſſitate, ſed ex voluntate.* 5. Quod Bellarminus urget, *Abſque quodam viſibili, ſummo & authentico judice non eſſe ſperandum controverſiarum finem*, ad illud reſpondemus ipſius Bellarmini verbis lib. 2. de Concil. cap. 19. *Non eſt mirum, ſi manet Eccleſia ſine remedio humano efficaci, quandoquidem non nititur ejus ſalus præcipuè humanâ induſtriâ, ſed divinâ protectione, cùm ejus Rex ſit Deus. Poteſt ac debet Eccleſia ſupplicare ac certum eſt, Deo curæ fore ejus ſalutem.* 6. Pontificij habent viſibilem judicem, Pontificem ſcilicet Romanum. Num verò omnes controverſiæ apud ipſos ſopitæ? Praxis teſtatur contrarium. Et quis fuit judex duobus vel trib. de ſede Papali inſtar vulturum de præda digladiantibus, *cùm Papa*

dubius & incertus habeatur pro non Papa, docente Bellarmino loco proximè citato. Ecquis etiam judex eſt, Pontifice mortuo, necdum alio in ejus locum ſurrogato?

2. Calvinianorum.

470. 2. *Calviniani* itidem Scripturæ ſacræ partes judiciarias in decidendis fidei controverſiis derogant, quod oſtendimus hoc argumento. Qui negat ex verbis Inſtitutionis controverſias Euchariſtias eſſe decidendas & judicandas, is Scripturæ ſacræ vocem judicis in decidendis fidei controverſiis derogat. Quæ enim ratio unius articuli, eadem etiam reliquorum omnium. Calviniani negant ex verbis Inſtitutionis controverſias Euchariſticas eſſe decidendas & dirimendas. Tigurini in lib. contra D. Jacob. Andream fol. 45. Beumlerus in falcon. deplumato p. 63. poſtulant, *verba Cœnæ non ampliùs pro fundamento allegari, quia ſint τὸ κρινόμενον*, quod repetit Witakerus de Script. q. 5. Conſenſus orthodoxus cap. 7. fol. 161. *manifeſtum eſſe verborum cœnæ abuſum* aſſerit *in probando eo, quod ex verbis in quæſtione vel in controverſia eſt.* Martyr in Dial. de Nat. hum. fol. 127. *Semper viſi eſtis minùs quàm par eſt ſapere, cùm pro dogmate abſurdo ac inutili laboretis, nec pro eo tuendo quicquam habeatis, niſi Chriſti τὸ ῥητὸν. Hoc eſt corpus meum.* Johan. Politianus part. 3. Phil. Euchariſt. cap. 4. edit. 610. *Primam inſtitutionem minùs rectè dici vult controverſiæ de Euchariſtia fundamentum præcipuum.* Calvinus lib. 4. Inſtit. cap. 17. §. 23. *Omnes, qui verbis Chriſti ſimpliciter inſiſtunt*, vocat *Syllabarum aucupes*, perinde ut Pontificij nos vocant *Scripturarios* & *Theologos atramentales*. Dordracenſes apud Tectandrum §. 23. expreſsè ſcribunt, *Scriptura non eſt idonea, ut ſit judex controverſiarum.*

3. Photinianorum

471. 3. *Photiniani* verbis quidem ad Scripturam velut unicam normam & judicem provocant, ſed reipsâ judiciariam autoritatem Scripturæ derogant, dum in fidei articulis â litera Scripturæ propter abſurditatem in rationis judicium incurrentem diſcedunt. Sic enim contra ipſos concludimus: Qui in fidei articulis â litera Scripturæ propter abſurditatem in rationis judicium incurrentem diſcedunt, illi judicium rationis judicio Spiritus ſancti in Scripturis, & per Scripturas nobis loquentis præferunt ac reipſa judicis partes Scripturę debitas nefariè illi derogât. Photiniani id faciunt. Ergo. Major eſt immotæ veritatis. In claris enim & perſpicuis illis Scripturæ dictis Spiritus ſanctus ſuam de myſteriis fidei propoſuit ſententiam, ſuumq; judicium. Quod ſi ergo a clara litera & genuino verborum ſenſu diſceditur, à Spiritus ſancti ſententiâ & judicio diſceditur. Is enim eſt verus Scripturæ ſenſus, atq; ea eſt Spiritus ſancti genuina ſententia, quæ ex verbis Scripturæ in ſenſu literali in fidei articulis acceptis immediatè profluit, Si peregrina interpretatio rationis judicio congruens, illis inferatur, reipsâ à vero Scripturæ ſenſu & à Spiritus ſancti judicio diſceditur. Si quando articulus creationis Geneſ. 1. deſcribitur, tunc verba in propria & genuina ſignificatione ſunt accipienda, quod ſcilicet verus ille Deus, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus verè creavit, veram lucem, verum firmamentum, veras aquas &c. Sed ſi à ſenſu literali diſceditur, ut vel per Elohim intelligantur Angeli, vel per vocem creationis intelligatur productio facta ex materia quadam Deo coæterna, vel per lucem intelligatur Natura Angelica &c. diſceditur à vero & genuino illo ſenſu, quem Spiritus ſanctus intendit & rationis tenebræ luci Spiritus ſancti præferuntur. Hilarius lib. 1. de Trinit. *Optimus Scripturæ lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectat ex dictis potiùs quàm imponat, & retulerit magis quam attulerit, nec cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præſumſerit intelligendum.*

472. Aſſumtio probari poteſt ex verbis & praxi Photinisnorum, quæ teſtatur, Photinianos non ſolùm à litera Scripturæ in fidei articulis propter abſurditatem in rationis judicium incurrentem diſcedere, ſed etiam fidei articulos diſertis & perſpicuis verbis in Scriptura propoſitos argumentorum telis ex rationis humanæ pharetra depromptis oppugnare. Expreſsè enim aſſerunt, nullo modo verum eſſe poſſe nec credi debere, quod ratio ſtatuit eſſe falſum, unde myſterium Trinitatis, æternam generationem Filij à Patre, duarum in Chriſto Naturarum unionem, peccati originalis propagationem, carnis ejuſdē reſurrectionem negant, propterea quod ratio ſtatuit, articulos illos noſtræ fidei eſſe abſurdos, falſos, impoſſibiles, contradictorios. Expendantur hæc ipſorum emblemata, quæ ennmerabimus, hic diſputandi proceſſus, quem delineabimus. Socinus lib. de autorit. Script. pag. 54. *Nullo modo verum eſſe poteſt, cui ratio prorſus communisq; ſenſus repugnant.* Catech. Racov. negant myſterium Trinitatis ex eo principio, quia *rationi eſt adverſum.* p. 48. negat duas eſſe in Chriſto Naturas, quia *id repugnat rationi*. pag. 55. negat æternam Filij à Patre generationem, quia *rationi repugnat*. pag. 63 negat præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, quia *pugnet cum proprietatibus corporis naturalis*. pag. 220. *Opinionem ſuam, de orali manducatione nullo modo certam eſſe ipſimet* (inquit) *produnt, cùm fatentur, modum hunc ſumendi corporis Chriſti eſſe prorſus inexplicabilem, aut quomodo id fiat, ſe planè ignorare.* pag. 221. negat Chriſti ſatisfactionem, quia *ratio judicat illam eſſe abſurdam* pag. 261. &c. Oſtorodus & Weidovius in Apolog. ad decretum Ordinum Belgij ann. 600. in lucem emiſſa pag. 24. *Hypocritæ vel mente capti, non homines cordati ſolent illa credere, quæ nullo modo cum ratione conveniunt.* Oſtorod. in Inſtit. cap. 4. p. 30. *Si ratio clarè oſtendit, Trinitatem perſonarum in Deo eſſe falſam, quomodo quæſo homini rationali in mentem venire poteſt, ut nihilominus illa poſſit eſſe vera & ex verbo Dei demonſtrari.* Theodoſius Schimbergius in præfatione refutationi Petri Carolini à Johanne Somm. adornatæ & Anno 1582. Ingolſtadij, ut fert titulus, excuſæ præfixa ** 3. *Fides nunquam amplectitur impoſſibilia mentis, unde manifeſtum eſt Trinitatem & divinitatem Filij non eſſe articulos fidei veros, quia ſunt impoſſibilia mentis, ideo in rei veritate ſunt dogmata blaſphema & horrenda.* Schmaltz. contra D. Schöpp. de Trinit. p. 21. *Qui rationem ſanam poſt verbum Dei aſpernantur in religione, ij religionē ſuſpectā hoc ipſo apud omnes cordatos reddunt.* Contra D. Frantz. Diſp. 2. pag. 60. *Eum, qui innocens creatus erat, ſemel peccando omnes in perpetuum peccato infeciſſe, rationi prorſus eſt contrariū.* Diſp. 4. p. 137. *Nulla eſt Chriſtianæ religionis particula, quæ cū ratione non conveniat; & quæ cum ratione non convenit opinio, ea etiam in Theologia locum nullum habere poteſt. Ut parva lux magna, ſic ratio Scripturæ non eſt contraria.*

Doceat

Doceat Frantzius vel quivis alius, unam aliquam ſententiam ſacrarum literarum pugnare cum ratione, & tunc ratio taceat in Eccleſia. Supra rationem multa habet religio & Scriptura ſacra, & hoc ipſo maximè ſeipſam commendat, at quod contra eadem ſit, nihil, imo ſi rationi religio adverſaretur, hoc ipſo ſuam falſitatem proderet & religio non eſſet, anima enim & ipſa ratio eſt religio. Diſp. 5. p. 165. *In magno & craſſo errore verſatur Frantzius cum Luthero, qui credit verum eſſe aliquid in Theologia, quod ſit falſum in Philoſophia, h. e. rationi contrarium. Veriſſimè dixit Lutherus, magis diſparatam eſſe prædicationem, Deus eſt homo, quam ſi dicas, homo eſt aſinus. Et ita falſiſſimum eſt, ſacras literas affirmare, quod Deus, nempe qui Naturâ talis, ſit homo.* Diſp. poſt. 8. p. 421. *Ut parva lux magnæ, ſic ratio doctrinæ Evangelicæ contraria eſſe nequit. Craſſa hæc eſt plerorumq; ignorantia, cujus jam tandem tempus eſſet, ut eoſpuderet in tanta veritatis luce.* In reſp. ad par Sophiſm. à Ravenſpergero objecto eum p. 30. *Nulla eſt fides, ubi non eſt intelligentia.* Ibid. *Humiliter aliquid credendo verum id non efficitur.* Goslavius à Bebelno in præfat. tract. contra Keckerm. *Aliqui clamabunt me axiomata religionis Dialecticorum regulis ſubjeciſſe. Non diffiteor, ſed quis ante me non.* Et poſteà: *Num alia eſt veritas Philoſophiæ atque Theologiæ? Mundum eſſe ex nihilo conditum, Theologicè verum audio, falſum Philoſophicè. Sed nugæ, quicquid Scholæ dicunt. Ita verum erit & falſum, & contra. Contradictionis pars utraq; vera & falſa. Non pudet bonos iſtos alteri harum nobiliſſimarum ſcientiarum tantam ignominiæ notam inurere.*

473. Sed enim quando hoc pacto Photiniani rationem ſuam judicem in ſummis fidei myſteriis faciunt, contradicunt. 1. *Scriptura*, quæ teſtatur, rationem humanam poſt lapſum in dijudicandis fidei myſteriis eſſe cœcam, errorum caligine obfuſcatam, ignorantiæ tenebris implicatam, facultate percipiendi divina myſteria & de illis dijudicandi planè deſtitutam, divinis myſteriis repugnantem & adverſam; ac proinde ſub obſequium Chriſti captivandam, ut oſtendimus ſuperiùs §. 458. 2. *Experientia*, quæ teſtatur rationem humanam ſequacium ſuorum ſeductricem fuiſſe peſſimam. Primi parentes ſeducti judicio rationis ab expreſſo Dei verbo defecerunt, inde Apoſtolus Corinthios ſuos præmonet 2. Cor. 11. v. 3. *Timeo, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit ſuâ aſtutiâ: ſic & corrumpantur ſenſus veſtri & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto.* Naaman Syrus, Nicodemus, Thomas &c. ſenſuum & rationis ſuæ judicium ſecuti in rebus divinis aberrarunt turpiſſimè. Hæretici Roman. 16. v. 18. ſic deſcribuntur, quod per χρηστολογίας καὶ εὐλογίας *per ſuaves ſermones rationis judicio apprimè conformes ſeducant corda innocentium.* Contra verò Abrahamus *in ſpem contra ſpem credidit* Rom. 4. v. 18. *nec conſideravit corpus ſuum emortuum*, hoc eſt, non ſecutus eſt judicium ſuæ rationis de proprietatibus corporis effœti & ſenilis, ſed in promiſſione Dei fide recubuit non hæſitans diffidentiâ. 3. *Regula Chriſti*, Prophetarum & Apoſtolorum, qui ubique in rebus divinis à judicio ſenſuum & rationis ad verbum nos revocant. Eſa. 55. v. 8. *Cogitationes meæ non ſunt ſicut veſtræ.* Zach. 8. verſ. 6. *Si videtur hoc difficile in oculis populi hujus, nunquid erit difficile in oculis ejus?* Matth. 19. v. 26. *Apud homines hoc eſt impoſſibile, apud Deum autem omnia poſſibilia.* Eph. 3. v. 20. *Deus potens eſt ſuper omnia facere* ὑπερεκπερισσοῦ *plusquam abundanter ſupra quàm petimus vel intelligimus.* Coloſſ. 2. v. 8. *Videte, ne quis vos deprædetur per Philoſophiam.* 4. *Sibiipſis* quidem quadrupliciter. Nam 1. ipſimet rationis judicium in fidei quæſtionibus repudiant. Socin. in ſolut. ſcrupul. reſp. ad. 11. pag. 40. *Non ſunt Dei imperſcrutabilia judicia humanæ rationis modulo metienda.* Johan. Sommerus in refut. P. Carolini p. 50. b. *Non ſunt Dei actiones ad hominum regulas examinandæ.* Eniedinus in explic. locor. p. 178. *Nemo alienas & Philoſophicas contemplationes ad ſimplicem Apoſtolorum ſermonem & doctrinam explicandam afferat.* Præfator Eniedini: *In re tam ardua non hominis ratiocinationibus, ſed imprimis expreſſo opus eſt verbo juxta illud ad legem & oraculum, in lege quid ſcriptum? &c.* Oſtorodus in Inſtit. cap. 19. p. 196. *Nimis periculoſum foret in re tam ardua, nimirum quando de vita, imò de ſalute æterna hominis agitur* (puta in quæſtione de hæreticis interficiendis) *humanæ rationi & arbitrio confidere.* Schmal. de div. Chriſti pag. 91. *Deſinant in hujusmodi rebus in modo, inquirere, quibus Deus uſus eſt & quos ut ignoraremus, eum non ſine cauſa voluiſſe ſtatuendum eſt. Diſcant acquieſcere in teſtimoniis ſacrarum literarum manifeſtis.* Idem contra Frantz. p. 265. *Oſtendat nobis Frantzius ex ſacris literis ſuas opiniones & nos eas pro certis recipiemus etiamſi rationem noſtram ſuperent.* (Si illa, quæ ex ſacris literis proferuntur, recipienda ſunt, etiamſi rationem ſuperent, ergo divina myſteria in literali verborum ſenſu propoſita ſunt fide acceptanda, non autem principiis rationis oppugnanda.) 2. negant dari aliquam naturalem Dei notitiam. Oſtorod. in Inſtit. cap. 1. pag. 10. *Quod homines de Deo vel divinitate aliquid ſciunt, hoc non habent ex Natura, nec ex conſideratione creaturarum, ſed ex auditu, quia Deus ab initio ſeſe hominibus manifeſtavit.* At ſi ratio non poteſt ad aliqualem Dei notitiam ſuis viribus aſſurgere, eccur judicium de ſummis fidei myſteriis illi tribuemus? 3. ſolam Scripturam dicunt eſſe fidei regulam, ex qua etiam ſola de rebus divinis ſe nobiſcum diſputare velle gloriantur. Socin. in defenſ. animadv. contra Eutropium p. 49. *Ea Chriſtiano homini de Deo credenda ſunt, licet rationi minus conſentanea, quæ ab ipſo Deo non quidem patefacta eſſe putentur, ſed reverà ſint patefacta.* Piſcecius in præfat. reſponſ. ad rationes Campiani Arij. *Veritas divinorum non à Natura, non à ſenſu, non à theorematis Philoſophicis, ſed à Deo, ſed ab oraculis & legibus divinis dependet.* Et poſteà: *Ad legum divinarum firmam & ſolidam autoritatem quicquid eſt controverſiarum in religione Chriſtiana appendimus.* Schmaltzius contra Schöpperum pag. 3. *Solam Scripturam eſſe fidei normam, & in rebus divinis autoritate tantùm divinâ ſtandum eſſe, hactenus vos Evangelici conſtanter nobiſcum contendiſtis.* In præfat. lib. contra Frantzium: *Suis propriis nititur Chriſti religio principiis, nec alienâ opis ullo modo indiget.* Atqui ſi tantùm divinâ autoritate in rebus divinis ſtandum, cur ergo ex rationis principiis de divinis myſteriis judicium faciunt? 4. ne quidem diſcurſum rationis in Scripturis fundatum, & ex illis deductum admittere volunt, ut poſteà apparebit, quantò igitur minùs rationis Scripturam non conſulentis judicium de fidei articulis audiendum fuerit?

474. Ex-

474. Expendamus verò axiomata & emblemata, quibus Photiniani in hac quæſtione utuntur: 1. *Nullo modo verum eſſe poteſt, cui ratio repugnat.* Reſp. non humana ratio, ſed divina revelatio eſt fidei principium; nec ex dictamine rationis de fidei articulis judicandum, aliàs non amplius habebimus articulos fidei, ſed placita rationis. Rationis cogitata & effata intra ſphæram earum rerum, quæ rationis judicio ſunt ſubjectæ, coercenda & reſtringenda, non autem extendenda ad ſphæram earum rerum, quæ ſunt ultra omnem rationis captum poſita, aliàs ſi accipiantur tanquam abſolutè Univerſalia & myſteriis fidei oppugnantur, pariunt ἀντιθέσεις ψευδωνύμου γνώσεως 1. Timoth. 6. verſ. 20. 2. *Nihil credendum, quod rectæ rationi adverſatur.* Reſp. diſtinguendum inter rationem in homine ante lapſum & poſt lapſum. Illa, quatenus talis nunquam adverſata fuiſſet divinæ revelationi, hæc vitio corruptionis adverſatur ſæpiſſimè. Diſtinguendum etiam inter rationem hominis nondum renati & rationem hominis regeniti. Illa fidei myſteria judicat ſtultitiam, hæc verò, quatenus talis iiſdem non obluctatur. Tunc verò & tamdiu talis eſt, quando & quamdiu verbi lucem ſequitur, & de fidei myſteriis non ex ſuis principiis, ſed ex ſacris literis judicat. Diſtinguendum porrò inter rationem rectificari in hac vita cœptam & plenè rectificatam in vita alterâ. Illa nondum ita plenè renovata, illuſtrata & rectificata, ut ἀδύνατον ſit, eam fidei articulis adverſari, eoſq; impugnare, ſi ſuum ſequatur ductum. Quemadmodum enim in renatis manet *lucta carnis & Spiritus*, per quam ſollicitantur ad peccatum: ſic manet in illis lucta fidei & rationis, quatenus ea nondum plenè eſt renovata; hæc verò omnem repugnantiam fidei & rationis excludit. Diſtinguendum inſuper inter rationem rectam verè & propriè ſic dictam, & inter rationem rectam ex adverſariorum Photinianorum ſcilicet ac Calvinianorum ſenſu definitam. Ratio recta ſi verè & propriè ſic dicta accipiatur, pro ea ſcilicet quæ intra terminos ſui objecti ſeſe continet, nec judicium de fidei myſteriis ſibi arrogat, vel quæ verbi luce colluſtrata & à Spiritu ſancto rectificata in myſteriis fidei nō ſua ſectatur principia, ſed verbi lucem & Spiritus ſancti ductum, illa non adverſatur fidei. Sed adverſarij rectæ rationis nomine accipiunt eam, quæ de fidei myſteriis judicat ex ſuis principiis ut ipſa praxis oſtendit. Deniq; diſtinguendum inter ea, quæ ſunt meræ revelationis & puræ fidei; & ea, quæ rationis acumini ſunt ſubjecta. In poſterioribus aliquid relictum rationis luci, priora cùm ſint ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, non ſunt ratione diſcutienda, ſed fide acceptanda. 3. *Ut parva lux magnæ, ſic ratio Scripturæ non eſt contraria.* Reſp. Per ſe nulla hîc contrarietas, ſed per accidens. Ratio intra ſphæram ſuam ſeſe continens non eſt Scripturæ contraria, ſed quando ſphæram ſuam vult μεταβαίνειν καὶ ὑπερβαίνειν & de ſummis fidei myſteriis ex ſuorum principiorum dictamine judicare, tunc per accidens Scripturæ de fidei myſteriis nos informanti adverſatur. Quemadmodum magna lux ſæpius revelat ea, quæ in luce parva fuerunt abſcondita; ſic lux gratiæ in verbo nobis accenſa, manifeſtat ea quæ ſunt abſcondita in luce Naturæ. Quòd ſi igitur quis negare velit ea, quæ in luce majore conſpiciuntur, ideo quia ea non conſpexit in luce minore, is abutitur officio & beneficio luris minoris; ita quoq; qui fidei myſteria in lumine gratiæ revelata negat vel impugnat ex eo, quod non congruant cum ratione & lumine Naturæ, is itidem beneficio & officio rationis ac luminis naturalis abutitur. 4. *Religio multa habet ſupra, nihil verò contra rationem.* Reſp. articuli fidei in ſe ac per ſe non ſunt contra rationem, ſed duntaxat ſupra rationem. Per accidens verò contingit, ut ſint etiam contra rationem, quando ſcilicet ratio judicium ſibi de illis ſumit ex ſuis principiis, nec ſequitur lucem verbi, ſed eoſdem negat & impugnat. Deinde articuli fidei non ſunt contra, ſed tantum ſupra rationem, quatenus ratio ante lapſum nondum fuit corrupta & depravata, ſed poſt lapſum ſunt non tantùm *ſupra, ſed etiam contra rationem* corruptam, quippe quę quatenus talis non poteſt ſibi temperare, quò minùs de illis ex ſuis principiis velit judicare. 5. *Verum Theologicè non poteſt eſſe falſum Philoſophicè, quia veritas eſt una.* Reſp. per ſe & in ſe nulla contrarietas, nulla contradictio inter Philoſophiam & Theologiam, quia quæ de ſummis fidei myſteriis Theologia proponit ex revelatione, illa Philoſophia ſanior ac ſincera novit non eſſe diſcutienda & æſtimanda ex principiis rationis, ne fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, neve confundantur diſtinctarum diſciplinarum principia diſtincta. Sic quando Theologia docet, Mariam peperiſſe & virginem manſiſſe, ſanior Philoſophia non dicit hoc aſſertum repugnare ſuæ concluſioni, quod virginem parere ſit ἀδύνατον, quia novit concluſionem illam neceſſario cum hac limitatione accipiendam, quod virginem naturaliter parere & talem manere ſit ἀδύνατον, cujus contrarium Theologia non aſſerit, dicit enim ſupernaturali & divinâ virtute eſſe factum, ut virgo pareret. Quando verò Philoſophaſter aliquis ſua axiomata & effata vult eſſe tàm generalia, ut ex illis etiam de ſummis fidei myſteriis ſit judicandum, & ſic fines alienos invadit, tunc ex accidenti contingit, ut verum Theologicè, falſum dicatur Philoſophicè, reſpectu ſcilicet habito non ad verum ſanioris Philoſophiæ uſum, ſed ad turpiſſimum ejuſdem abuſum. Sic juſtitia & juris ratio eſt ubiq; una, in conceptu ſcilicet generali, interim tamen jus hujus provinciæ, non eſt idem cū jure alterius provinciæ, ſed quælibet Reſpubl. ſuis ſpecialibus vivit legibus. Ita veritas eſt una in conceptu generali, interim quælibet diſciplina ſua habet axiomata, quæ non ſunt trahenda in aliud forum, ſed in ſua ſphæra relinquenda, ne fiat μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, quam ipſa ſanior Philoſophia repudiat.

Argumenta Photinianorum. 475. Argumenta Schmaltzij potiora hæc ſunt: 1. *Doceat Frantzius vel quivis alius unam aliquam ſententiam ſacrarum literarum pugnare cum ratione, & tunc ratio taceat in Eccleſia.* Diſp. 4. pag. 137. Reſp. 1. Cum ratione intra terminos ſuos ſeſe continente nulla ſacrarū literarum ſententia pugnat, ſed cum ratione terminos ſuos egrediente omnia fidei myſteria pugnant, ut ex inductione manifeſtum. Quamvis enim Photiniani negent, ea eſſe fidei myſteria, quæ ex Scripturis docemus, qualia ſunt Trinitatis perſonarum in divinis, æterna Filij à Patre generatio, duarum Naturarum in Chriſto perſonalis unio, carnis ejuſdem reſurrectio &c. ex eo tamen nihil decedit rei ipſius veritati. 2. Sic inter ſutoriam

& picto-

& pictoriam nulla per ſe contrarietas, ſed quando *ſutor ultra crepidam*, ut eſt in proverbio, aſſurgit, & de omnibus pictoriæ artis theorematibus judicium ſibi ſumit, per accidens fit, ut perversè judicet & pictoriæ contradicat. 3. Ex eo verò, quod Scripturæ effata in ſe ac per ſe non pugnent cum ratione intra terminos ſuos ſeſe continente nequaquam inſerendum, quod ad normam & judicium rationis ea ſint exigenda, ſed contrarium potiùs videlicet quod de articulis fidei ex proprio fidei principio, ex ſacris ſcilicet literis ſit judicandum, nec confundenda diſtincta diſtinctarum diſciplinarum principia. 4. Si quis obvertat, *Philoſophiam eſſe diſciplinam generalem, cujus uſus ad reliquas omnes ac proinde etiam ad ipſam Theologiam ſeſe extendat*, illi reſpondemus, diſtinguẽdum eſſe inter verum uſum tùm ὀργανικὸν, tùm ἀνασκευαστικὸν, tùm κατασκευαστικὸν & inter abuſum, ut in Methodo Theologici ſtudij latiùs fuit monſtratum.

476. 2. *Vult Deus cultum noſtrum eſſe λογικὸν* Rom. 12. v. 1. Diſp. poſt. 8. p. 421. Reſp. 1. per cultum λογικὸν nequaquam intelligitur is, qui ex rationis arbitrio deſumitur, vel qui ad rationis trutinam examinatur, certum enim eſt, quod ἐθελοθρησκείας cultus electitij arbitrio humano excogitati Deo minimè probentur Matth. 15. verſ. 9. Coloſſ. 2. v. 22. &c. quodque in ratione & modo divini cultus unicè ad præſcriptum verbi ſit reſpiciendum Num. 15. v. 39. Ezech. 20. v. 19. Jer. 7. v. 31 Zachar. 7. v. 5. Eph. 2. v. 10. ac D. Apoſtolus in eodem loco notanter addit, *ut probetis, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens ac perfecta* v. 2. ac ſequenti capite monſtraturus, quomodo bona illa Dei voluntas ſit probanda, recitat Decalogum. 2. Sed per cultum λογικὸν intelligitur primò is, qui ſacrificiis Leviticis eſt oppoſitus. *Obſecro vos*, inquit, *ut prabeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam Deo placentem* λογικὴν λατρείαν ὑμῶν. Eſt ergo in verbis Apoſtoli pulcerrima antitheſis inter ſacrificia V. & N. T. In V. T. offerebantur in ſacrificio brutorum animantium corpora, ſed pij in N. Teſt. ſua propria corpora, quæ ſunt Dei viventis templa, offerunt. In V. T. offerebantur hoſtię mortuæ, quia priùs mactabantur, antequam in ſacrificio offerentur, ſed pij in N. T. *viventem hoſtiam* offerunt, quæ ſcilicet vivat non ſolùm vitâ naturali, ſed vel maximè ſpirituali. In V. Teſt. hoſtiæ erant ſanctæ Leviticâ duntaxat & Ceremoniali ſanctitate, ſed piorum in N. T. hoſtia eſt *ſancta* ſanctitate internâ à Spiritu ſancto deſcendente. In V. T. hoſtiæ non erant Deo gratæ, niſi accederet fides in venturum Meſſiam, ſed piorum in N. T. hoſtia eſt *accepta Deo in Chriſto per fidem*. Hoſtiæ V. T. ſumtæ erant de irrationalibus animalibus, ſed piorum in N. T. λατρεία eſt λ[illegible], quia mentem & cogitationes ſuas omnes [illegible] in ſacrificium ſpirituale offerunt. Secundò, is qui mente per Spiritum S. illuſtratâ, reſormatâ probat, quæ ſit bona & Deo placens voluntas, ſicut Apoſtolus ibidem exponit Epheſ. 5. v. 15. *videte, quomodo ἀκριβῶς ambuletis, μὴ ὡς ἄσοφοι (καὶ ἄλογοι) ἀλλ' ὡς σοφοὶ (καὶ λογικοὶ)* Coloſſ. 4. v. 5. ἐν σοφίᾳ περιπατεῖτε. Tertiò, is qui eſt ſincerus & incorruptus 1. Pet. 2. *Concupiſcite lac rationale γάλα λογικὸν.*

477. 3. *Fruſtra omnino Chriſtus rationaliter docuit, & ex rebus quas ratio ſuppeditat de cœleſtibus nos conjecturam facere voluit.* Ibid. Reſp. 1. recurrit eadem ὁμωνυμία in voce *rationabiliter*. Chriſtus non hauſit ſuam doctrinam ex principiis rationis, ſed ex *ſinu Patris cœleſtis* Johan. 1. v. 18. nec ad normam rationis eam examinandam docuit, ſed ex *Moſe & Prophetis* de ea judicium fieri juſſit Luc. 16. v. 29. Joh. 5. v. 39. 2. Quod parabolas quandoque adhibuit, cauſam adverſariorum nihil prorſus juvat. Aliud enim eſt de doctrina fidei ex rationis dictamine judicare, aliud doctrinam cœleſtem per parabolas & ſimilitudines ex Natura petitas illuſtrare. 3. aliud eſt quærere de facultate ratiocinandi in homine ad divinorum myſteriorum intelligentiam neceſſaria, aliud de ratione humana ſibi relicta, ſuis λογισμοῖς indulgente & ex ſuis principiis de ſummis fidei myſteriis judicium ferente.

478. 4. *Weigeliani* itidem judiciarias partes Scripturæ in fidei controverſiis derogant. In præfat. poſt. Weigel. *Judicium non debetis petere ex litera Scriptura, ſed ex Spiritu, quia litera occidit, Spiritus autem vivificat.* In libro cui titulus Güldengriff p. 55. *Alij nolunt eo modo hominibus adhærere, ſed conſtituunt judiciũ petere ex Scriptura litera, quia litera ſic vel ſic ſonet, ideo de propoſitis articulis volũt ſic vel ſic credere, & qui aliter ſtatuit, illum vocant hæreticum, cùm tamen inter ſeipſos non poſſint convenire.* p. 59. *Judicium non potes petere ex litera Scriptura, ſed ex verbo vel Spiritu illud eſt petendum.* Reſp. 1. Senſus Spiritus S. non eſt à litera Scripturæ nefariè ſeparandus, cùm non niſi per Scripturæ literam de fidei articulis S. S. nos inſtruere velit. 2. Chriſtus & Apoſtoli in Nov. Teſt. non remittunt nos ad Spiritum privatum, ſed ad ipſam Scripturæ literam: 3. *Per literam occidentem* 2. Cor. 3. v. 6. Apoſtolus intelligit legem in literis hærentem; quia non confert vires ad præſtandum, per Spiritum verò Evangelium, quod habet adjunctam vim Spiritus & vivificat, quia Spiritus ſanctus per illud fidem confert Gal. 3. v. 2. ex eo verò inferri nequit verbum Dei, ſive prædicatum, ſive ſcriptum eſſe literam mortuam. Quicquid enim occidit, non eſt litera mortua. Prædicatio legis occidit. Ergò non eſt litera mortua. Quicquid vivificat, non eſt litera mortua, prædicatio Evãgelij vivificat. E. 4. Quod non conveniunt invicem, qui ad Scripturæ judicium provocant, eſt ex accidenti, quia ſenſum præconceptum Scripturæ inferunt, non ex Scripturis hauriunt. 4. *Weigelianorum.*

479. *Finem Scriptura* diximus eſſe inſtitutionem hominum ad ſalutem æternam. Illum ut Scriptura in nobis obtineat & nos ex Scriptura hanc felicitatem hauriamus, requiritur ejus *lectio & interpretatio*. Niſi enim Scriptura per lectionem ad uſum transferatur, non poterit hanc divinam efficaciam exerere, ut oſtendit Hiſtoria Eccleſię Iſraeliticę in idololatriam prolapſę, cùm liber legis divinæ ſitu ac pulvere jaceret obſitus 2. Reg. 22. v. 8. ac viciſſim per lectionem ad omnium & ſingulorum locorum intelligentiam perveniri nequit, niſi accedat *interpretatio* Act. 8. v. 31. *Cauſa* quæ nos ad frequentem & quotidianam Scripturæ lectionem impellere debent; Itemq; *regulæ* in lectione Scripturæ tùm *curſoria*, tùm *accurata* obſervandæ, expoſitæ ſunt in Methodo ſtudij Theologici, hoc loco agemus de illis, quibus lectio Scripturæ competit, ſicq; à fine Scripturæ ſacræ ad ejuſdem objectum tranſitum faciemus.

CAP.

CAP. XXIII.

De objecto Scripturæ ſacræ.

Objectum Scripturæ ſacræ.

480. *Objectum Scripturæ ſacræ*, quibus ſcilicet ea tradita, ſunt omnes omninò homines, quod probatur 1. *ex Scripturæ materia.* Doctrina legis & Evangelij in Scripturis tradita pertinet ad omnes homines. Ergo etiam ipſa Scriptura. Connexio probatur, quia eo fine Scriptura tradita eſt, ut doctrina legis & Evangelij ex ea diſcatur, & homines ex ea ad ſalutem informentur. 2. *ex prædicatione Prophetica & Apoſtolica.* Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli omnibus prædicarunt. Ergo etiam omnibus ſive in uſum omnium ſcripſerunt. Connexio probatur, quia illud ipſum quod vivâ voce primùm præconiaverunt, poſtea per Dei voluntatem in Scripturas redegerunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum, Iren. lib. 3. cap. 2. 3. *ex generali mandato de Scripturis legendis*, de quo poſtea. 4. *ex fine Scripturæ.* Scriptura tradita eſt eo fine, *ut erudiat nos ad ſalutem æternam* Joh. 5. v. 39. 2. Tim. 3. v. 15. At hic finis generalis eſt ad omnes omninò homines pertinens. Quamvis ergo in V. T. populus Iſraeliticus peculiariter à Deo electus fuerit *in peculium* Exod. 19. v. 5. Deut. 7. v. 6. cap. 14. v. 2. cap. 26. v. 18. tamen libri Vet. Teſtam. ad omnes homines pertinent. *Concredita quidem fuêre Judæis τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ* Rom. 3. v. 2. non autem ut ea ſibi ſolis ſervarent & occultarent, ſed fidæ cuſtodiæ, teſtificationis & propagationis cauſâ. Quamvis etiam leges forenſes ac Ceremoniales ratione obligationis tantùm ad Judæos in Vet. Teſtam. pertinuerint, ut in tract. de legibus Ceremonialibus & forenſibus demonſtratum, tamen doctrinæ ratione ſunt univerſales & ad omnes omninò homines pertinent.

Laicos debere Scripturam legere. Probatur 1. à divina juſſione

481. Ex eo πορισματικῶς contra Pontificios colligimus, *Laicis*, quos ita vocant, Scripturæ lectione nequaquam eſſe interdicendum, ſed ad eam potiùs ipſos eſſe invitandos & exhortandos. Probamus hoc 1. *à divina juſſione.* Quicunque divino mandato ad Scripturæ lectionem & auditum obligantur, illi non ſunt ab ejus lectione arcendi, ſed potius ad eam invitandi. Laici divino mandato ad Scripturæ lectionem & auditum obligantur. Ergo. Aſſumtum probatur 1. *in genere.* 2. *in ſpecie.* 1. In genere ex dictis illis Scripturæ, quibus omnes Laici jubentur Scripturam legere, Deut. 6. v. 8. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo.* v. 7. *& narrabis ea filiis tuis, & loqueris de eis.* v. 8. *& ligabis ea, quaſi ſignum in manu tuâ, & erunt in frontale inter oculos tuos, & ſcribes ea ſuper poſtes domus tuæ. & in portis tuis.* Si lex Dei ſuper poſtes domus, & in portis ſcribenda, utique etiam ab omnibus legenda, inde Judæi nullam apud ſe domum ſacris libris carere patiuntur. Deut. 31. v. 11. *Verba legis hujus leges coram omni Iſrael audientibus illis.* v. 12. *& in unum omni populo congregato tàm viris quàm mulieribus parvulis & advenis, qui ſunt intra portas tuas, ut audientes diſcant &c.* Eſa. 34. v. 16. *Quærite ex libro Iehova & legite, unum ex his non eſt defuturum.* In hiſce dictis lectio libri legis omnibus commendatur, jam verò eadem ratio reliquorum librorum Propheticorum, cùm omnes eodem Spiritu ſcripti ſint, & ad unum eundemq; finem ſpectent. Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 15. inde Chriſtus jubet *ſcrutari Scripturas* Joh. 5. v. 39. Paulus Eph. 3. v. 3. inquit, *ſupra ſcripſi vobis brevibus.* v. 4. *prout poteſtis legentes intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti.* Coloſſ. 3. v. 16. requirit, *ut verbum Dei habitet in nobis, ſive inter nos πλουσίως abundanter in omni ſapientia.* cap. 4. v. 16. præcipit, *ut cùm lecta fuerit apud Coloſſenſes Epiſtola* ad eos ſcripta, etiam *in Laodicenſium Eccleſia legatur* 1. Theſſ. 5. v. 27. *adjurat* Theſſalonicenſes, *ut Epiſtola illa legatur coram omnibus fratribus.* ** Chriſtus juſſit *ſcrutari Scripturas* Joh. 5. v. 39. David beatos prædicat quæ legem Domini diurna nocturnaq; manu verſant. Pſ. 1. v. 2. Moſes juſſit librum legis coram toto populo legi Deut. 17. v. 19. Liber Jeremiæ coram toto populo legi mandatur Jerem. 36. v. 6. Beroënſes legerunt Scripturas Act. 17. v. 11. Timotheus â puero novit ſacras literas 2. Timoth. 3. verſ. 15. In Synagogis Judæorum publicè coram toto populo ſemper lectæ ſunt Scripturæ Actor. 15. verſ. 21. Neh. 8. verſ. 4. ** 2. *in ſpecie* ex illis Scripturæ dictis, quæ de Regibus ac Principibus loquuntur, illos enim itidem in Laicorum cenſu Pontificij habent. Deut. 17. v. 18. *Cùm ſederit Rex ſuper ſolium regni ſui, ſcribet ſibi legem hanc in libro a conſpectu Sacerdotum Leviticorum & habebit ſecum.* v. 19. *legetq; illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum &c.* Joſ. 1. v. 8. *Non recedat liber legis iſte ab ore tuo, ſed meditaberis in eo die ac nocte.* Excipit 1. Bellarminus libr. 2. de verbo Dei cap. 16. reſp. ad 6. *Pontificios non negare, quod poſſint Scriptura verti in linguas vulgares,* (ut à Laicis etiam legantur) *ſed hoc duntaxat velle, quod non debeant publicè legi linguâ vulgari, nec paſſim omnibus permitti linguâ vulgari legenda.* Reſp. imò verò adducta Scripturæ dicta contrarium evincunt. Si enim coram omnibus publicè in lingua nota ac vulgari Scripturæ jubentur prælegi, utique etiam omnibus linguâ vulgari legendæ ſunt permittendæ. Si Epiſtola ad Theſſalonicenſes ſcripta coram omnibus fratribus debet prælegi, utique omnibus linguâ vulgari legendæ ſunt ſcriptæ. In partibus enim homogeneis, à Natura partis ad Naturam totius rectè concludimus. 2. Verbum ἐρευνᾶτε in dicto Chriſti Joh. 5. v. 39. Beza, Piſcator & Toſſanus ſecuti Eraſmum Johannis Arianum accipiunt *in modo indicativo*, quâ ratione præceptum legendi Scripturam non poſſet ex dicto illo probari. Sed rectiùs accipitur *in modo imperativo.* Nam 1. Judæi, cum quibus Chriſto ibi res eſt, legerunt quidem Scripturas, obiter ſcilicet, oſcitanter, perfunctoriè, foventes præconceptas ſuas opiniones, ſed non fuerunt eas ſcrutati Matth. 22. v. 29. (In voce ἐρευνᾷν quidam ſtatuunt metaphoram *à canum ſagacitate* ſumtam, ut ſignificet [illegible]citer aliquid inquirere atq; è latebris eruere, [illegible] præſtat *a metallis* metaphoram ductam dicere, in eo enim ſenſu verbum ἐρευνᾷν & ἐξερευνᾷν à LXX. Interpp. uſurpatur. 2. in Græco non eſt additum pronomen ὑμεῖς. 3. interpretatio per indicativum eſt ταυτολογικὴ, ſic enim informandus eſſet textus ὑμεῖς ἐρευνᾶτε, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε. Si utrobiq; pronomen omiſſum, ſuſpicio de modo indicativo facilius locum habere poſſet. 4. in imperativi ſine pronominibus hoc modo enunciantur. Matth. 5. v. 12. χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε. v. 17. μὴ νομίσητε. cap. 6. v. 33. ζητεῖτε. cap. 7. v. 1. μὴ κρίνετε

1. Theſſ.

1. Theſſ.5.v.16. πάντοτε χαίρετε &c. 5. veteres & recentiores Interpp. ſic exponunt. Chryſoſtomus homil. 40. in Job. *Chriſtus Iudæos ad Scripturarum non ſimplicem lectionem, ſed ad inveſtigationem perquam diligentem revocavit. Non dixit, legite Scripturas, ſed ſcrutamini. Divina enim ſummâ indigent diligentia.* ** Orig. Homil. 2. in Eccleſiam. *Vtinam omnes faceremus, quod ſcriptũ eſt, Scrutamini Scripturas* Baſilius lib. 2. de Bapt. cap. 4. *Obœdiamus Domino dicenti Scrutamini Scripturas.* Cyrillus τῶν γλαφυρῶν. 1. *Scrutamini Scripturas Iudaico populo Chriſtus inclamavit.* Idem ſerm. 45. de verb. Domini in perſona Eccleſiæ. ** Auguſt. in Pſal. 109. *Scrutari juſſit Scripturas non in ſuperficie pertranſire.* Lutherus, Melanchthon, Bugenhagius in modo imperativo reddiderunt. 6. textus Syriacus eodem modo accipit. 7. ex ipſis Calvinianis Tigurini & Leo Judæ in ſua verſione, Witakerus in controv. de Script. quinimò ipſe Piſcator in volum. theſium. p. 13. th. 28 nobiſcum faciunt. Ex Pontificiis Emſerus & Dietenbergerus. ** Stapletonus excipit. 1. *Chriſtum non ad turbas ſed ad Phariſæos & Principes loqui, dicit enim: Vos miſiſtis ad Iohannem.* 2. *eſſe hoc dictum per modum indulgentiæ, non generalis præcepti.* At hæ exceptiones ſibi invicem adverſantur. Phariſæi & Principes ex officio tenebantur Scripturas legere. In toto cap. generaliter nominantur Judæi, nuſquam Principes aut Phariſæi. **

2. *Ex divina approbatione.* 482. 2. *Ex divina approbatione.* Quod Deus ipſe non ſolùm præcipit, ſed etiam approbat & commendat, ad illud homines meritò ſunt invitandi. Scripturas ſacras ab omnibus legi Deus ipſe non ſolùm præcipit, ſed etiam approbat & commendat. Ergo. Aſſumtum probatur Pſal. 1. v. 2. *Beatus pronunciatur, cujus delectatio in lege Domini, qui meditatur in ea die ac nocte.* Pſal. 119. v. 2. *Beati, qui ſcrutantur teſtimonia tua.* Act. 17. v. 11. laudantur Beroenſes, *quod ſcrutati fuerint Scripturas quotidie inquirentes, an doctrina Apoſtolorum cum illis congrueret.* Petrus 2. Epiſt. 1. v. 19. laudat eos, ad quos ſcribit, *quod ſermoni Prophetico in Scripturis propoſito attendant velut lucernæ lucenti in loco caliginoſo.* Apoc. 1. v. 3. *Beatus, qui legit & audit verba Prophetiæ hujus.* Contra verò reprehenſi fuerunt, qui quomodo minùs Scripturæ legerentur, in cauſa fuerunt 2. Reg. 22. v. 8. cauſa idololatriæ ſtatuitur, quod librum legis tàm raro inſpexerint. v. 18. Regi autem Joſiæ dicitur, *pro eo, quod audiviſti verba voluminis & molle fuit cor tuum &c. non videbunt oculi tui mala, quæ introducturus ſum.* 2. Paral. 34. v. 19. *mittebat illis Prophetas quos proteſtantes illi audire nolebant.* Jerem. 36. v. 23. *Cum legiſſet Iuda tres pagellas vel quatuor, ſcidit illud* (juſſu Regis) *ſcalpello Scriba & projecit in ignem.* v. 29. *Hæc dicit Dominus ad Ioachim Regem: Tu combuſſiſti volumen iſtud,* v. 30. *non erit ex te, qui ſedeat ſuper ſolium David.*

3. *Ex Dei & ſanctorum hominũ deſtinatione.* 483. 3. *Ex Dei & ſanctorum Dei hominum deſtinatione.* Quibus Deus & ſancti Dei homines Scripturam deſtinarunt, illi etiam Scripturam legere debent. Sed Deus & ſancti Dei homines Scripturam omnibus deſtinarunt. Ergo omnes eam legere debent. Aſſumtum probatur 1. Exod. 24. v. 12. dicit Deus ad Moſen: *Dabo tibi duas tabulas lapideas & legem ac mandata, quæ ſcripſi digito meo, ut doceas ea filios Iſrael.* Deut. 27. v. 8. *Scribes ſuper lapides omnia verba legis hujus benè & perſpicuè, ut ſcilicet ab omnibus legi poſſint.* Pſalm. 102. v. 19. *Scribantur hæc in generationem alteram & populus, qui creabitur, laudabit Dominum.* Eſa. 8. v. 1. *Dixit Dominus ad me: Sume tibi volumen grande, ſcribe in eo ſtylo hominis* (humano & conſueto modo) Ezech. 43. v. 11. *Figuram domus & formam ejus exitus & introitus & omnem deſcriptionem ejus & univerſa præcepta ejus, cunctumq́; ordinem ejus & omnes leges ejus, oſtende eis & ſcribes in oculis eorum, ut cuſtodiant omnes ordinationes ejus.* Habac. 2. v. 2. *Et reſpondit mihi Dominus, & dixit: Scribe viſionem & explana eam ſuper tabulas, ut percurrat, qui legerit illam.* 2. Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli verbum Dei lingua vulgari & vernacula prædicarunt non ſelectis quibusdam, ſed omnibus omnino auditoribus. Jam verò idem quod Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt, in literas poſtea eſt redactum. Ergo etiam illud omnibus linguâ vulgari & vernaculâ legendum. Quæ ratio eſt prædicationis linguâ vulgari & vernaculâ à Chriſto Prophetis & Apoſtolis factæ, eadem etiam eſt ratio ſcriptionis, utrobique enim ſalus auditorum quæritur. Luc. 4. v. 16. cùm Chriſtus ad legendam Scripturam Eſaiæ in Synagoga ſurgeret, ita legit, ut ab omnibus Nazarenis intelligeretur. 3. Ac ne ulla reſtet dubitatio notandum, quod Prophetæ libros ſuos toti Eccleſiæ, ad quam etiam Laici pertinent, commendaverint. Deut. 31. v. 9. *Scripſit Moſis legem hanc dicens.* v. 11. *Convenientibus cunctis Iſraelitis leges verba hujus legis, quodq́;* Evangeliſtæ & Apoſtoli ſuos libros & Epiſtolas, tùm Laicis, tùm integris Eccleſiis ſcripſerint & inſcripſerint. Luc. 1. v. 3. *Viſum eſt mihi aſſecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi ſcribere optime Theophile.* (Beda exiſtimat, nomen Theophili appellativum eſſe, ac ſi cuivis Deum amanti hæc ſint inſcripta. *Quisquis Dei amator eſt,* inquit, *ad ſe ſcriptum credat, ſuaq́; ſic anima, quia Lucas Medicus ſcripſit, ſalutem inveniat.* πᾶς ὁ θεόφιλος ἐστὶ καὶ φιλόχαρος, ſed veriſimilius eſt eſſe nomen proprium, cùm addatur titulus κράτιστε. Lyranus exiſtimat, hunc Theophilum fuiſſe Aſiæ Epiſcopum, ſed epitheton κράτιστε politicis perſonis tribui ſolitum fuiſſe apparet ex Act. 23. v. 26. cap. 26. v. 26. inde Theophylactus cenſet, *Theophilum hunc fuiſſe primarem quendam verâ Chriſti cognitione imbutum.* Clemens lib. 10. recognit. cap. ult. meminit cujuſdam Theophili Antiocheni, qui ad fidem adductus à S. Petro domum ſuam ad Chriſtianorum conventus in Eccleſiam mutavit. Ad hunc veriſimile eſt à Luca miſſum eſſe hunc librũ, quia Antiochenus uterq; & eodem fortaſſe tempore ad fidem converſus.) Joh. 20. v. 31. *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis.* Act. 1. v. 1. *Primum ſermonem feci Theophile de omnibus, quæ Chriſtus cœpit facere & docere.* Rom. 1. v. 7. *Omnibus, qui ſunt Romæ dilectis Dei vocatis ſanctis.* 1. Cor. 1. v. 2. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis in Chriſto Ieſu, vocatis ſanctis cum omnibus, qui invocant nomen D. N. I. C. in omni loco ipſorum & noſtro* 2. Cor. 1. v. 1. *Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi cum omnibus Sanctis, qui ſunt in univerſa Achaia.* Galat. 1. v. 2. *Eccleſiis Galatiæ.* Epheſ. 1. v. 1. *Omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi & fidelibus in Chriſto Ieſu.* Philip. 1. v. 1. *Omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis & Diaconis.* Col. 1. v. 2. *Iis, qui ſunt Coloſſis ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto*

Leſa. 1. Theſſ. 1. v. 1. 2. Theſſ. 1. v. 1. *Eccleſia Theſſalonicenſium in Deo Patre & D. J. C.* Petrus ſcribit *electis advenis diſperſis.* 1. Epiſt. 1. v. 1 Joannes teſtatur *ſcil. infantibus, adoleſcentibus, Patrib. & Senioribus ſcribere* 1. Epiſt. 2. v. 12. ex quibus omnibus ſic concludimus. Quibus Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt, illis etiam Prophetarum & Apoſtolorum libri ſunt legendi, ut patet ex Naturâ relatorũ. Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt omnib. Eccleſiæ ordinibus ac ſtatibus, non miniſtris ſolùm verbi, ſed etiam Laicis. E. *Quod ſcriptis libris vulgatur*, ait Coſter. in Enchir. p. 48. *hoc ſine dubio legendum omnib. proponitur. Illa omnia ſcripta ſunt ab Apoſtolis*, ait Bellarm. lib. 4. de verb. Dei c. 11. *quæ ſunt, omnibus neceſſaria & quæ ipſi palam omnib. vulgo prædicaverant.* Cur ergo nolunt legi ab omnibus, quæ ſcripta ſunt omnibus?

484. Excipit Bellarminus lib. 2. de verbo Dei cap. 16. *argumento à prædicatione Prophetarum & Apoſtolorum dicto nihil concludi, cùm diſtinguendum ſit inter prædicationem & ſcriptionem: Verbũ Dei rectè quidem prædicatur in lingua vulgari, quia continet explicationem, quam omnes facile capiunt, at cùm ſcribitur, nudum ſcribitur, nec ab omnibus intelligitur.* Huic cavillo quid reſpondendum ſit, expoſuimus in loc. de Script. §. 103. Quòd Bellarmin. ibidem addit, *Apoſtolos variis linguis prædicaſſe, ſed unâ tantùm ſcripſiſſe*, facilem habet explicationem, quia Græca lingua, in qua ſcripſerunt, fuit communiſſima, & ex illa in linguas alias poſtmodùm translatæ ſunt Scripturæ. Affert ibidem aliquod ſimile: *Quemadmodũ non licet ſic argumentari. Matres dant liberis infantibus panem diſſectum in particulas vel etiam præmanſum, poſſent igitur dare etiam integrum & ſolidum, nam eſt idem panis. Ita non licet argumentari, miniſtratur populis verbum Dei explicatum a Concionatore, igitur miniſtrari etiam debet ſine explicatione & linguâ vulgari ſcriptum.* Reſp. eſt comparatio diſſimilium, quia infantes ex pane nõ diſſecto nec præmanſo nullam poſſunt percipere utilitatem, ſed Laici ex Scripturæ lectione etiam non accedente prędicatione cõmodum percipere poſſunt. Dogmata enim fidei & fontes conſolationis, Item præcepta morum proponuntur verbis claris & perſpicuis. Nec omnes Laici intantum loco habendi ſunt, cùm quidam eorum in cognitione Chriſti adoleverint 1. Corinth. 14. v. 20. Epheſ. 4. v. 14.

485. Pereſius in lib. de traditionibus ſic excipit: *Quamvis Apoſtolus ad omnia Eccleſiæ membra literas direxerit, non tamen voluiſſe, ut quilibet per ſe, intelligeret omnia in illis contenta*, cum quo fermè coincidit illud Bellarmini libr. 3. de verbo Dei cap. 10. reſp. ad arg. 11. *Quando Paulus & Johannes jubent omnia probare, vel Spiritus probare, non hoc volunt, ut omnes de Eccleſia id faciant, ſed ut faciant ii, ad quos pertinet, ſicut ſi ſcribatur ad aliquam Academiam, ut examinent aliquem librum, non ſignificatur, ut detur liber examinandus omnibus hominibus illius Academiæ, ſed tantùm Doctoribus ejus Facultatis, de qua liber ille tractat.* Reſp. Quibus Apoſtoli gratiam & pacem in ſuis Epiſtolis precantur, quos de fide ac moribus inſtruunt, quorum nævos & errores corrigunt, ad illos etiam omnes & ſingulos pertinent Apoſtolicæ Epiſtolæ, ſed Apoſtoli in ſuis Epiſtolis, non ſolis Eccleſiarum miniſtris, ſed omnibus Eccleſiæ membris gratiam & pacem precantur, de fide & moribus eos inſtruunt, nec nos & errorea eorum corrigunt. Ergo. Ulterius. Ad quos Apoſtoli ſcripſerunt, ab illis etiam ea, quæ ſcribebant, intelligi voluerunt, aliàs periiſſet ſcriptionis finis. Jam verò ad omnes in ſuis Epiſtolis ſcripſerunt. Ergo etiam ea quæ ſcripſerunt, ab omnibus intelligi voluerunt. In Bellarminiana ſimilitudine eſt iterũ magna diſparitas. Quando enim liber aliquis ad Academiam mittitur, ejusq; Cenſuræ ſubjicitur, tunc non poſſunt omnes ejuſdem Cenſuram ſuſcipere, quia de ſtituri ſunt judicandi de contentis ipſius Facultate. Sed quando Apoſtoli ad Eccleſias mittunt ſuas Epiſtolas, tunc non requirunt Eccleſiæ cenſuram, ſed inſtruunt eos, ad quos ſcribunt, quę inſtructio cùm ad omnes pertineat, meritò etiam omnibus earum Epiſtolarum concedenda lectio. Nos inferiùs alia producemus ſimilia huic negotio magis accommodata.

4. Ex lectionis hujus fructificatione.

486. 4. *Ex lectionis hujus fructificatione.* Quod Laicos poteſt ſalutariter inſtruere, cõſolationem vivificam ipſis ſuppeditare, vitia morũ in illis corrigere, contra Satanam eos armare & ad vitam æternam eos ſapientes reddere, ab eo nequaquam ſunt prohibendi, ſed ad illud potiùs invitandi. Lectio Scripturæ ſacræ poteſt Laicos ſalutariter inſtruere, conſolationem vivificam ipſis ſuppeditare, vitia morum in illis corrigere, contra Satanam eos armare & ad vitam æternam eos ſapientes reddere. Ergo Laici à Scripturæ lectione non ſunt arcendi, ſed ad eam potiùs invitandi. Aſſumtũ probatur. quia ut uno & eodem Spiritu, ita quoque uno & eodem fine Scripturę ſacrę libri à ſanctis Dei hominibus ſunt exarati, videl. ad hominum informationem, conſolationem, exhortationem, & ut verbo dicam, ad ipſorum ſalutem Joh. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. Rom. 15. v. 4. Epheſ. 6. v. 17. 2. Tim. 3. v. 15. 16. & 17. Quàm crudele eſt & contra Naturæ ductum infanti recens nato lac maternum conveniens & cognatum alimentũ denegare, tàm atrox facinus eſt, verbũ gratiæ gregi Dominico adimere, ex quo homo interior nutriri debeat ad vitam æternam. Quàm periculoſum eſt militem in acie ſtantem armis exuere, & hoſtium furori objicere, tàm periculoſum quoque eſt, pios à Scripturæ lectione arcere, cùm exemplo Chriſti Matth. 4. v. 3. ex Scripturis cum Satana ſit congrediendũ. Quinimò non ſolùm utile, ſed etiam neceſſariũ eſt, Laicos in Scripturæ lectione eſſe aſſiduos. Ad quos enim ſpectat veritatem divinam ab humanis ſomniis diſcernere, ad illos etiam pertinet, normam veritatis Scripturas ſcil. ſacras conſulere. Jam verò etiam ad Laicos pertinet, veritatem divinam à ſomniis humanis diſcernere Matth. 7. v. 15 Joh. 10. v. 5. & 27. 1. Theſſ. 5. v. 21. 1. Joh. 4. v. 1. Ergo ad ipſos etiam pertinet, normam veritatis Scripturas ſcil. ſacras conſulere. Pulcrè Chryſoſt. vel quicunque alius autor operis imperf. homil. 44. *Si veſtimentum empturus gyras negotiatorem unum & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, ab illo comparas, quomodo non oportet populum circumire omnes doctores & inquirere, ubi ſincera veritas vendatur, & ubi corrupta & omnium confeſſiones audire, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum.* Auguſt. de unit. Eccleſ. cap. 10. *Nec Catholicis Epiſcopis conſentiendum, ſicubi fortè falluntur, ut contra Scripturas Dei Canonicas aliquid ſentiant.* Excipit Bellarminus, *Scripturas magnam afferre fidelibus conſolationem, ſed doctis quidem, dum leguntur; indoctis autem dũ à concionatoribus explicantur.* Reſp.

Scri-

Scriptura non ſolùm doctis, ſed etiam indoctis & rudibus ſcripta eſt, ut conſtat ex argumento. 3. & ex Chryſoſtomo homil.3. de Lazaro. Ergò non ſolùm docti, ſed etiam rudes doctrinam & conſolationem ex ea capere poſſunt. Ut Miniſterii Eccleſiaſtici opera in prædicatione verbi conſiſtens omnibus Eccleſiæ membris communis eſt, ſic Scripturæ quoque uſus generalis eſt ad omnes Eccleſię filios pertinens, cùm ſit pręclara filiorum Dei hereditas in hac vita. De reliquis Bellarmini & Coſteri exceptionibus egimus tract. de Scriptura §.99.& ſeqq.

5. Ex probatorum exemplorum conformatione.

487. 5. *Ex probatorũ exemplorum conformatione.* Scripturæ lectio Iſraeliticæ Eccleſiæ fuit familiaris Luc.4.16. *Intravit Chriſtus ſecundùm conſuetudinem ſuam die Sabbathi in Synagogam, & ſurrexit legere.* Actor.15. v.21. *Moſes à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus, qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur;* unde turba & pueri ex Pſalmis Davidicis familiari uſu ſibi notis Chriſto *Hoſanna* accinunt Matth.21.v.9. ac Chriſtus & Apoſtoli coram populo docentes & diſputantes, Evangeliſtæ omnibus Scribentes ad legem & Prophetas ſine mentione autoris, libri & capitis provocant, nimirum quia textum Biblicum Iſraelitis familiarem eſſe noverant, quin adhuc hodie Judæi nullam apud ſe domum libris ſacris carere patiuntur. Actor.8.v.2 Æthiops Eunuchi Dynaſta Candaces Reginæ Æthiopum v.28. *Sedens ſuper currum ſuum legebat Prophetam Eſaiam*, quod legendi ſtudium Deo probari apparet ex eo, quod divino inſtinctu mittitur ad ipſum Philippus, à quo explicationem oraculi Prophetici audiat.

6. Ex linguarũ conditione.

488. 6. *Ex linguarum conditione.* Omnes linguæ à Spiritu S. conſecratæ & dedicatæ ſunt explicandis Dei magnalibus coram omni populo, qui ſub cælo eſt Actor.2. v.3. proinde etiam magnalia Dei in Scripturis propoſita in alias linguas transferri poſſunt, ut ab omnibus legantur & intelligantur. *7. Ex collatione tùm ſimilium tùm parium.* Ad collationem *ſimilium* hæc pertinent. Hereditas omnib. liberis eſt communis. Scriptura eſt præclara filiorum Dei in hoc ſeculo hereditas. Ergo. *Lucerna non ponitur ſub modium, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui ſunt in domo* Matth.5.v.15. Scriptura eſt *lucerna* 2.Pet.1 v.19. Ergo in Eccleſia, *quæ eſt domus Dei*, 1.Tim. 3.v.15. ſuper candelabrum collocanda, ut omnibus luceat, & ut ejus uſus ſit omnibus communis. Ad collationem *parium* hæc referenda. Si Deus Sacramentorum ſuorum omnes Eccleſiæ filios vult eſſe participes, quidni etiam verbi ſui ſcripti? Si Deus Spiritus ſui omnes Eccleſiæ filios facit participes, utique à verbis Spiritus & divinorum myſteriorum inſtructione non ſunt arcendi.

7 Ex collatione ſimilium & parium.

Dicta Veterum.

489. Idem nobiſcum docent pii veteres. Polycarpus in Epiſt.ad Philipp. dicit ſe de Philippenſibus *confidere, quod in ſacris literis ſint exercitati.* Tertullianus in Apologet.cap.39.teſtatur, *omnes olim Chriſtianos ad lectionem divinarum literarum conveniſſe.* Origenes hom.12.in Exod. non longè à princ.tom.1.p.99. *Si omnibus alienis terga vertamus, & ſtudio, actibus, mente, ſolicitudine verbo Dei operam demus & in lege ejus die ac nocte meditemur, omiſſis omnibus Deo vacemus, exerceamur in teſtimoniis ejus, hoc eſt, converſum eſſe ad Dominum.* homil.9.in Levit. ante med.p.153. *Optamus ut operam detis, non ſolùm in Eccleſia audire verbum Dei, ſed & in domibus veſtris exercere & meditari in lege Domini die ac nocte, ibi enim Chriſtus eſt & ubique adeſt, quærentib. ſe. Propterea namque mandatur in lege, ut meditemur eam, tùm imus in via & cùm ſedemus in domo & cùm jacemus in cubili, & cùm exurgimus, & hoc eſt verò præ foribus expectare Pontificem morantem intra ſancta Sanctorum & effici in ſortem Domini.* Homil.2.in Eſaiam poſt med. p.556. *Utinam omnes faceremus illud quod ſcriptum eſt, ſcrutamini Scripturas.* ** Athanaſius tom.2. edit. Commel. f.248. *Romanas leges ſine periculo nemo ignoraverit. Quas ergo parant inſidias, qui magnorum cœleſtis Regis oraculorum curâ ſtudioque volunt interdictum? Anima cibus eſt Scriptura. Deſine ergo ô homo fame internum hominem necare, dirumque non panis & aquæ, ſed audiendi verbum Domini famem attrahere. Et poſtea. Reverere Eunuchum illum ſermonis amatorem univerſis Reginæ opibus præpoſitum, qui ne in itinere quidem lectionem neglexit. Cujus propoſitum comprobans Dominus ſtatim illi Doctorem miſit, qui lectioni cognitionem addidit & per Scripturas illum Salvatori adduxit. Propterea & ipſe juſſit. Scrutamini Scripturas.*** Baſilius in Pſal.1. *Scriptura eſt communis Medica animarum officina*, in quæſtionibus compendio explicatis q.95. *Neceſſarium eſt & conſonum, ut ex ſacra quisque Scriptura diſcat, quod neceſſe eſt, cum ad pietatis plerophoriam, tum ne aſſueſcat traditionibus humanis.* Hieronymus totus eſt in exhortandis quàm plurimis virginibus ac viduis ad quotidianam Scripturarum lectionem, ut conſtat ex ejus Epiſtolis ad Demetriadem, Lætam, Salvinam, Furiam, Geruntiam, Celantiam, Euſtochium de inſtitutione filiæ ad Lætam &c. quin & lucubrationes aliquot quibus enarrat pleroſque libros ſacros Paulæ Euſtochio ac Marcellæ dedicat, cujus facti rationem reddit in præfat. commentariorum ad Sophoniam. lib.1.adv. Ruffin.p.9.ſcribit, *Pamphilum, Martyrem Scripturas legendas tradidiſſe, non tantùm viris, ſed etiam fœminis.* In Epitaph. Paulæ tom.1. p.86.teſtis eſt, *cœtum mulierum cum Paula Bethlehemi verſantium quotidie de Scripturis ſanctis aliquid didiciſſe.* In comm. Pſal.86. *Dominus narravit in Scripturis populorum, in Scripturis ſanctis, quæ Scriptura omnibus populis legitur, ut omnes intelligant.* In cap.3. Coloſſ. *Hic oſtenditur, verbum Chriſti non ſolùm ſufficienter, ſed etiam abundanter Laicos habere debere & docere ſe etiam invicem.* ** in cap.3. Nahum. *In adventu Chriſti & ſermonis Dei & doctrinæ Eccleſiaſticæ & conſummationis Ninive ſpecioſiſſimæ quondam meretricũ elevabitur & properabit populus, qui ſub Magiſtris antea fuerat conſopitus & ibit ad montes Scripturarũ ibiq; inveniet montes Moſen & Ieſum filium Navem montes Prophetas, montes N.T. Apoſtolos & Evãgeliſtas & cùm ad tales montes confugerit, qui eum doceat (meſſis enim copioſa, operarii autem pauci) tunc & illius ſtudium comprobabitur, quia confugerit ad montes & Magiſtrorum deſidia coarguetur, inſert enim, & non erat qui ſuſciperet.* &c.** Chryſoſtom. homil.29.in cap.9.Geneſ. *Etiam domi divina Biblia in manus ſumite.* homil.2.in Matth. *Hoc illud eſt, quod omnia unâ quaſi peſte corrumpit, quod lectionem Scripturarum putatis ad ſolos Monachos pertinere.* homil.10. in Joh. *Quid igitur à vobis contendimus? at unâ dierum in hebdomade vel ſal-*

eem Sabbato cura ſit vobis Evangelicas legere lectiones, eas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earũ diligenter ſenſum inquirere, quid clarum, quid obſcurum ſit, in his annotare velitis. præfat. Epiſt. ad Rom. ἐντεῦθεν τὰ μύρια κακὰ ἀπὸ τῆς τῶν γραφῶν ἀγνοίας, *hinc multa hæreſeon lues pullulavit, hinc vita in multis neglecta, hinc inutiles ac lucro carentes labores. Nam quemadmodum qui luminis hujus uſurâ ſunt privati, nequaquam rectâ ingredi poſſunt, ita qui ad divinarum Scripturarum radios oculos non intendunt, neceſſario in multa frequentes errata incurrunt, perinde ac ſi in tenebris periculoſiſſimis ambularent* homil. 9. in Epiſt. ad Coloſſ. *Audite obſecro ſeculares omnes, comparate vobis Biblia animæ pharmaca, ſi nihil aliud vultis, vel N. Teſt. acquirite Apoſtolorum Acta, Evangelia.* Ibid. *Audite quicunque eſtis mundani, & uxori præeſtis & liberis, quomodo vobis quoq; mandet Apoſtolus legere Scripturas, & non leviter nec temerè, ſed magno ſtudio ac diligentiâ.* Homil. 29. in tertiam Joh. *Perſpicuum eſt, ſpirituali lectione animam ſanctificari & gratiam Spiritus ſancti affatim effundi.* homil. 3. de Lazaro: *Magna adverſus peccatum munitio eſt lectio Scripturarum. Magnum & profundum barathrum Scripturarũ ignoratio, hæc res hæreſes peperit, ea vitam corruptã invexit, ea ſurſum deorſum miſcuit omnia. Neque nunc fieri poteſt, non poteſt fieri, ut quisquam ſalutem aſſequatur, niſi perpetuo verſetur in lectione ſpirituali.* Ibid. *Semper hortor & hortari non deſinã, ut non hic tantùm attendatis iis quæ dicuntur, verùm etiam cùm domi fueritis, aſſiduè divinarum Scripturarum lectioni vacetis. Ne quis mihi dixerit, ego forenſibus cauſis affixus ſum, publica gero negotia, artificium exerceo, uxorem habeo, alo liberos, mundanus homo ſum, non eſt meum legere Scripturas, imò tuum, qui Scripturarum eget præſidio in mediis negotiorum undis jactatus.* (Excipit Bellarminus, *Chryſoſtomum hortari omnes ad lectionem Scripturarum, non quod vellet omnes omninò etiam rudiſſimos id facere, ſed ut ii ſaltem id facerent, qui cum fructu poterant.* Reſp. imò verò omnes ad Scripturarum lectionem hortatur, & ad omnes ex Scripturæ lectione fructum ſalutarem redire docet. Ita enim ſcribit homil. 3 de Lazaro: *Philoſophi, Rhetores, dicendi artifices ac cæteri Scriptores ea quæ ſcribunt, ſtudioſè quaſi caligini ſapientiæ involvunt & obſcurant, qui tantùm inanem quærunt gloriam & ſui admirationem, contrà vero Prophetæ & Apoſtoli omnia manifeſtè & clarè prodiderũt, ut è ſola etiam lectione per ſe quisque diſcere poſſit, quæ dicuntur, & ne quis difficultatis poſſet obtendere excuſationem, ita temperarunt, ut etiam publicani, piſcatores, opifices, & vidua mulier & ſervus & illiteratus & omnium hominum indoctiſſimus ex lectione aliquid lucri utilitatisq; reportaret*; ac homil. in cap. 3. Coloſſ. ad vulgus Chriſtianorum hoc præceptum Apoſtoli pertinere docet, *quod ſermo Chriſti inter nos opulenter habitare debeat.*) Auguſtinus Epiſt. 3. ad Voluſian. circa finem: *Modus docendi, quo ſancta Scriptura contexitur, quam omnibus acceſſibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorũ. Ea verò quæ in myſteriis occultat, nec ipſa ſuperbo eloquio erigit, quò non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita, quaſi pauper ad divitem, ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolùm manifeſtâ paſcat, ſed etiam ſecretâ exerceat veritate, hoc in promtis, quod in reconditis habent.* Serm. de ſtudio ſapient. & legis Dei medit. *Lectio aſſidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ & gaudia vitæ cordi inſtillat. Qui vult cum Deo ſemper eſſe, frequenter debet orare & legere. Nam cum oramus, cùm Deo loquimur; cum verò legimus, Deus nobiſcum loquitur.* Cyrill. Alexand. lib. 6. contra Julian. cap. 9. refert, quòd Julianus apoſtata ſolitus fuerit hoc nomine Chriſtianos reprehendere, *quod mulieres pueroſq; paterentur Scripturas legere.* Theodoretus lib. 3. de Nat. hom. ob hoc maximè Eccleſiam prædicat, *quod Scripturas legendas tradiderit non ſolum viris ſed & fœminis.* Euſeb. Emiſſenus homil. in Domin. 4. ab Epiph. *Hanc conſuetudinem Chriſtiani habere debent, ut quotidie ad Eccleſiam veniant, quotidie legant ipſi, vel ſi hoc non valent, legentes audiant.* Iſidurus Peluſiota lib. 2. Epiſt 5. p. 108. *Quoniam Deus hominibus, qui infirmâ & imbecilli Natura præditi erant atq; humanis verbis, (ſic enim ea, quæ ipſorum captum excedebant, intellectuq; facilè conſequi poterãt) opus habebant, leges præſcribebat, ideo rudibus & incultis verbis cæleſtes diſciplinas temperavit, ut & mulier & puer & omnium etiam mortalium indoctiſſimus ex ipſa quoq; auditione commodi aliquid perciperet, ſiquidem plebeorum ac gregalium hominũ ſalutem proſpiciens divinus ſermo tanta ob legislatoris humanitatem & benignitatem perſpicuitate temperatus eſt, ut neminem ea, quæ ipſius viribus reſpondeat, utilitate privet.* lib. 4. Epiſt. 91. p. 44. *Sacra & cæleſtia oracula, quoniam ad univerſi generis humani utilitatem pronũciata ſcriptave ſunt,* τῇ σαφηνείᾳ ἐκράθησαν *perſpicuitate ſunt temperata, ex hac enim & illi, qui aliis virtutibus orationũ delectantur, nihil quicquam detrimenti patiuntur, & omnes qui agricultura dant operam & artificiis & cæteris occupationibus vita deſtinentur, perſpicuitate plurimùm juvantur, dum & quid deceat & quid juſtum & quid utile ſit, in momento temporis diſcunt.*

490. Ex ipſis etiam *adverſariis* noſtram confirmare poſſumus ſententiam. c. Si juxt. diſt. 38. ex Hieron.: *Si juxta Apoſtolum Paulum Chriſtus Dei virtus eſt, Deiq; ſapientia, & qui neſcit Scripturas, neſcit Dei virtutem, ejusq; ſapientiam, ignoratio Scripturarum, ignoratio Chriſti eſt.* (Atqui ignoratio Chriſti cavenda non ſolùm Clericis, ſed etiam Laicis) Cap. Ubinam diſt. 96. ex Epiſtola Nicolai Papæ ad Michaelem Imp. *Ubinam legiſtis Imperatores, Anteceſſores veſtros Synodalibus, Conventibus interfuiſſe, niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & ad omnes omninò pertinet Chriſtianos.* (Si fides ad Laicos pertinet, ergo etiam literæ fidei ſive Scriptura ſacra.) c. Oves. cauſ. 2. q. 7. *Oves quæ paſtori ſuo commiſſæ ſunt, eum non reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, debent.* c. Secuti. cauſ. & quæſt. iiſd. *A Laicis Clerici meritò quandoque redarguuntur,* (Ergo etiam lectio Scripturæ, ex qua judicium de paſtoribus fieri debet, Laicis nõ eſt deneganda) Thom. p. 1. q. 1. art. 9. *Scriptura ideo utitur metaphoris, ut rudes etiam percipiant eam, quia omnibus propoſita eſt.* lect. 3. in cap. 3. Coloſſ. *Quibusdam ſufficit modicum, quid de verbo Dei, ſed Apoſtolus vult, quod habeamus multùm.* Eraſmus præfationem in N. Teſt. ſic orditur: *Memini Lector optime, & aliàs alicubi teſtificatum eſſe, me plurimùm diſſentire*

Adverſariorũ quorundam ſuffragium

tire ab iis, qui Laicos & illiteratos in totum putant ſubmovendos à lectione ſacrorũ voluminum. Poſteà latè probat ſuam ſententiam adductis plurimis in medium rationibus, quæ & piæ ſunt & eruditæ: *Quod Evangelicæ, inquit, literæ docent, ex æquo ad omnes pertinet; quod pollicentur, pariter ad omnes pertinet; & ita prodita ſunt, ut citius intelligantur ab idiota pio modeſtoq; quam à ſuperbo Philoſopho.* Cornel. Agripp. de vanit. ſcient. cap. 100. *Ad Scripturæ lectionem non ſolùm Theologi, ſed omnes homines pro data ſibi facultate obligantur.* Ibid. adducit decretum Concilii Niceni, *ne quis Chriſtianus Codice Biblico careat.* Claudius Eſpenſæus Epiſcopus comment. in cap. 2. Tit: *Manifeſtum eſt ex Apoſtolo Coloſſ. 3. & Eccleſiæ antiqua praxi, quod uſus Scripturas legendi publicus populo concedebatur.* Acoſta lib. 3. de Chriſto revelato cap. 20. *Atque hoc est in divina Scriptura omninò mirabile, neminem eſſe tàm omninò rudem & imperitum, qui ſi humiliter legat, non multa illic utilia veraq; intelligat.* Bellarm. lib. 1. de verb. Dei cap. 2. in princ. *Moſes, Propheta, Chriſtus, Johannes & Apoſtoli certè ad Scripturas legendas alios hortabantur.*

491. *Antitheſis.* Adverſariorũ ſententiam verbis Cenſ. Colonienſ. Colteri, Eccii, Stapletoni, Molani & Epiſcoporum Bononiæ congregatorum expoſuimus tract. de Script. §. 105. & ſeqq. quib. addenda ſunt hæc emblemata. Hoſius de expreſſo Dei verbo tom. 1. p. 640. *Laicis lectionem Scripturæ permittere eſt Sanctum dare canibus & margaritas ante porcos projicere.* Hardingus contra Ivellum art. 15. ſect. 9. *Minimè conſentaneum videtur, ut quisque curioſus & putidus idiota Biblia ſuo ſermone perlegat.* Alphonſ. Virveſius Philip. 2. contra Auguſt. confeſſ. accuſ. Lutherum, *quod liberum fecerit ſanctarum Scripturarum myſteria evulgari Sanctum canibus dari, & margaritas inter porcos ſpargi,* Anton Legatus Pyranenſ. ſuaſit, *ut hominibus lectione Epiſtolarum Pauli publicè interdiceretur, eò quod nimis faverent Lutheranis.* Joh. Montolcinus igni adjudicatus fuit, propterea *quòd Bononiæ Epiſtol. Pauli ad Romanos publicè prælegerat.* Inde eſt, quod hæreticæ pravitatis Inquiſitores inter cætera etiam de hoc capite quærunt, *an aliquis Biblia legerit.* Nimirum ducuntur eodem Spiritu, quo illi, de quibus Juſtin. Apol. 2. pro Chriſt. p. 64. κατ᾽ ἐνέργειαν τῶν φαύλων δαιμόνων; θάνατος ὡρίσθη κατὰ τῶν τὰς τῶν Προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων, ὅπως διὰ τοῦ φόβου ἀποστρέψωσιν ἐντυγχάνοντας τοὺς ἀνθρώπους τῶν καλῶν γνῶσιν λαβεῖν, αὐτοῖς δὲ δουλεύοντας κατέχειν; quovè Julianus apoſtata, de quo Cyrillus Alexand. lib. 6. & 7. contra Julianum memorat, *quod Chriſtianos hoc nomine reprehendere ſolitus fuerit, quod mulieres, puerosq; Scripturas legere paterentur.*

492. Argumento potiſſimùm utuntur eo, *quod in Bibliis peccata ſanctorum commemorentur, quæ non ſine ſcandalo à rudioribus cognoſcantur.* Hardingus contra Ivellum art. 15. ſect. 5. *Hoc certum eſt, nonnulla capita atque Hiſtorias V. Teſt. eam materiam continere, quæ malarum cogitationum occaſionem præbitura videatur, ſi mulieres, virgines, adoleſcentes ea legere ſinantur.* Bellarmin. lib. 2. de verb. Dei c. 15. *Populus non ſolùm non caperet fructum ex Scripturis, ſed etiam caperet detrimentũ. Acciperet enim facilimè occaſionem errandi; tùm in doctrina fidei, tùm in præceptis vitæ & morũ. Si populus rudis audiret linguâ ſuâ vulgari legi ex Cãtico Canticorum. Oſculetur me oſculo oris ſui. Et illud Oſeæ: Vade & fac tibi filios fornicationum, nec non adulterium Davidis, inceſtum Thamar, mendacia Judith &c. & multa alia eorum, qui in Scripturis magnâ cum laude commemorantur, vel provocaretur ad hujuſmodi imitanda, vel contemneret ſanctos Patriarchas; vel putaret mendacia eſſe in Scripturis. Ibid.* Reſp. 1. longè aliud fuit veterum judiciũ de fructu ex Scripturæ lectione expectando. Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 50. p. 287. *De his delictis, de quibus ipſa Scriptura increpant Patriarchas & Prophetas docebat ex antiquis presbyter Aſiæ, nos non oportere exprobrare eis, neque fieri ſimiles Cham, qui irriſit turpitudinem patris ſui, & in maledictionem decidit, ſed gratias agere pro illis Deo, quoniam in adventu Domini remiſſa illis ſunt peccata. De quibus autem Scriptura non increpant, ſed ſimpliciter ſunt poſita, nos non debere fieri accuſatores, non enim ſumus diligentiores Deo, neque ſuper Magiſtrum eſſe debemus, ſed typum quærere, nihil enim otioſum eſt eorum, quæcunque inaccuſabilia poſita ſunt in Scripturis.* Tertullian. de habit. muliebri. p. 506. *Omnis Scriptura eſt ædificationi habilis.* Hieronym. in Apol. adverſ. Ruffin. p. 108. *Quid in ſanctis libris poteſt turpe memorari?* Epiph. hæreſ. 69. p. 342. *Scriptura ſacra vitalis eſt, & nihil offendiculi habet fideli.* 2. Scriptura non tantùm lapſus Sanctorum, ſed etiam eorundem converſionem, & paternas caſtigationes propter lapſus divinitùs eis impoſitas commemorat. 3. Inde Sixtus Senenſis lib. 8. Bibliothecæ p. 621. multis oſtendit vitiorum illorum conſiderationem *ad fidem, eruditionem, timorem ac ſpem* in nobis augendam facere. 4. Bellar. in illo ipſo capite §. 4. ſcribit: *A temporibus Eſdræ deſiit in populo Dei lingua Hebraica eſſe vulgaris.* Ergo ante tempora Eſdræ vulgaris fuit. Ergo Iſraëlitæ Scripturas in lingua vulgari legere potuerunt, ac reverâ etiam legerunt. Quòd ſi ergo damnum illud metuendũ, ſi Scripturæ Laicis legendæ concedantur, utique etiam metuendum fuiſſet ante Eſdræ tempora: 5. Quod per accidens rei obtingit, non poteſt nec debet proprium ejuſdem uſum impedire. Quod ex Scripturæ lectione omnibus communi incommoda oriuntur, eſt prorſus accidentarium. De reliquis argumentis ut & de hoc ipſo pluribus agemus in ſeq. cap.

CAPUT XXIV.

De verſionibus ſcripturæ ſacræ.

493. Conſtat. V. Teſt. libros à Prophetis Hebræâ, N. Teſt. libros ab Evangeliſtis & Apoſtolis Græcâ linguâ eſſe ſcriptos. Quòd ſi igitur etiam Laici ad Scripturæ lectionem non ſolùm admittendi, ſed etiam invitandi & exhortandi, utique etiam neceſſarium erit, ut libri ſacri in linguas vernaculas transferantur. Cùm enim linguæ Hebrææ ac Græcæ pauciſſimi Laicorum gnari ſint, ideo ut ad Scripturæ lectionem ipſis pateat aditus, in linguam ipſis vernaculam eandem transferre non utile ſolùm, ſed etiam neceſſarium erit, quæ Scripturarum ſacrarum *verſiones* tantùm abeſt, ut ſint improbandæ, ut ſi textui originali fideliter reſpõdeant, ſint potiùs commendandæ. Confirmat hoc ipſum perpetua Eccleſiæ praxis: 1. Moſes & Prophetæ ſcripſerunt linguâ Hebræis vulgari & ver- *Verſiones Scripturæ non ſunt improbandæ.*

naculâ, ut univerſus populus potuerit audire & intelligere verba legis ex libro prælecta Deut. 31. v. 11. 2. Paral. 34. v. 30. 2. Cùm poſt reditum ex captivitate Babylonica pura Hebræa lingua non ampliùs in publico & vulgari uſu eſſet apud Iſraelitas, ſed Chaldaico idiomate permixta, ſingulari Dei providentiâ factum eſt, ut in linguam Chaldaicam Iſraelitis tunc vulgarem converſæ fuerint Scripturæ, unde triplex Thargum prodiit, *Babylonicum, Onkeloſis & Hieroſolymitanum.* 3. Cum progreſſu temporis ſub Imperio Græcorum lingua Græca omnibus ferè gentibus innoteſceret, mirabili Dei diſpoſitione factum eſt, ut libri Vet. Teſtamenti in linguam Græcam verterentur auſpiciis Ptolemæi Regis Ægyptii à 72. Senioribus ex Judæa miſſis. Juſtinus in Dial. cum Tryphon. p. 231. Auguſtinus lib. 8. de civit. Dei cap. 11. &c. præter hanc 72. Interpret. verſionem communi Eccleſiæ uſu receptam, fuerunt etiam aliæ verſiones, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis &c. 4. Evangeliſtæ & Apoſtoli libros Novi Teſtamenti non ſcripſerunt linguâ Hebræâ, quæ non ampliùs erat toti populo Iſraelitico, ſed doctioribus tantùm uſitata, verùm linguà Græcâ, quæ fuit omnibus ferè gentibus communis. Cicer. pro Archia: *Græca leguntur in omnibus ferè gentibus,* Auguſtin. Epiſt. 200. *Hæc lingua maximè excelluit in gentibus.* lib. 8. de civit. Dei cap. 2. *lingua Græca inter cæteras gentium clarior habetur.* 5. Cùm propter Romani Imperii amplitudinem lingua Romana ſive Latina multis gentibus inciperet eſſe vernacula, ſecutæ ſunt verſiones variæ in Linguam Latinam. Hieronymus præfat. in Joſuam. *Tot apud Latinos exemplaria, quot Codices.* Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 11. *Suo tempore innumeras fuiſſe Latinas verſiones teſtatur.* 6. Cùm doctrina Evangelii ad omnes gentes propagaretur, ſecutæ etiam ſunt in varias linguas Scripturarum translationes. Auguſtinus lib. 2. de doctrin. Chriſt. cap. 5. *Ex quo factum eſt, ut Scriptura divina ab una lingua profecta, quæ opportunè potuit per orbem terrarum diſſeminari, per varias linguas longè latèq; diffuſa innoteſceret gentibus ad ſalutem, quam legentes nihil aliud appetunt, quàm cogitationes voluntatemq; eorum, à quibus conſcripta eſt, invenire & per illas voluntatem Dei, ſecundum quàm tales homines locutos eſſe credimus.* Sic Chryſoſtomus homil. 1. in Johan. tom. 3. col. 15. ſcribit, *Syros, Ægyptios, Indos, Perſas, Æthiopes & alias innumeras gentes divina dogmata in ſuam linguam tranſtuliſſe, atque ita homines barbaros philoſophari didiciſſe.* Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait, *Pſalmos à Palæſtinis in funere cantatos fuiſſe Hebræo, Græco, Latino, Syroq; ſermone per totam hebdomadem* Theodoret. lib. 5. de corrig. Græcor. affection. tom. 2. p. 521. *Hebraici libri non modò in Græcum idioma converſi ſunt, ſed in Romanam quoque linguam, Ægyptiam, Perſicam, Indicam, Armenicam & Scythicam, atque adeò Sauromaticam, ſemelq; ut dicam, in linguas omnes, quibus ad hanc diem nationes utuntur,* εἰς πάσας τὰς γλώττας αἷς ἅπαντα τὰ ἔθνη κεχρημένα διατελεῖ. Neq; poſſunt hoc diffiteri ipſimet Pontificii. Eccius in Enchirid. cap. 2. de Miſſ. Alphonſus de Caſtro lib. 1. adv. hæreſ. cap. 13. fatentur, *multos populos habuiſſe Scripturas in lingua vernacula.* Hardingus art. 3. ſect. 38. *Armeni, Ruſſi, Æthiopes, Dalmatæ, Moſcovitæ Scripturas legerunt linguâ vernacula.* Sic Methodius convertit Scripturas *in linguam Sclavonicam,* teſte Aventino lib. 4. annal. Hieronym. *in linguam Dalmaticam,* conſentiente Hoſio lib. de ſacr. vernaculo legend. & Alphonſo de Caſtro lib. 1. cap. 13. Chryſoſtom. *in Armenam,* conſentiente Sixto Senenſi lib. 6. annotat. 151. Ulphilas *in Gothicam,* teſte Socrate lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 33. ubi addit, *ut barbari diſcerent* τὰ λόγια θεῖα. Beda lib. 1. Hiſtor. cap. 1. dicit, *Scripturas fuiſſe ſuo tempore in quinque linguis Britannicis lectas.* Ante Lutheri verſionē tria vetuſtas Germanica Bibliorum exemplaria extiterunt, primum impreſſum eſt Norinbergæ Ann. 1477. alterum ibidem Ann. 1483. tertium Auguſtæ Anno 1518. (Excipit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 16. *Ignorare ſe, utrum Hieronymus divinas literas in Sclavonicam linguam verterit; cùm apud veteres id non legatur, ſi tamen fecit, non ideò feciſſe, ut publicè legeretur Scriptura Sclavonicè, ſed ad conſolationem eorum hominum, qui eâ ſine periculo uti poterant.* Reſp. ex Scripturarum lectione per ſe & in ſe nullum ulli hominum creari poteſt periculum, *ſed quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt* Rom. 15. v. 4. unde Hieronym. omnibus Chriſtianis eam voluit eſſe communem.)

494. *Antitheſis.* Vergerius Dial. 3. contra Hoſium tom. 1. operum fol. 201. recitat locum ex Hoſio: *Eſt uſu compertum verſiones illas literarum ſanctarum in linguam gentis alicujus vernaculam multùm incommodi Eccleſiæ Dei attuliſſe.* Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 15. ſtatum quæſtionis ſic informat: *Catholica Eccleſia non quidem prohibet omninò vulgares translationes, nam in Indice librorum prohibitorum à Pio IV. edito regula 4. videmus concedi lectionem ejuſmodi librorum iis, qui utiliter & cum fructu eâ uti poſſunt, hoc eſt, iis, qui facultatem ab ordinario obtinuerint, prohibetur tamen, ne paſſim omnibus ſine diſcrimine concedatur, ejuſmodi lectio & ne in publico & communi Eccleſiæ uſu Scripturæ legantur vel canantur linguis vulgarib., ſed contenti ſimus tribus illis linguis, quas Dominus titulo crucis honoravit* Johan. 19. *& quæ omnium conſenſu antiquitate, amplitudine & gravitate omnibus aliis præſtant, ac demum quibus ipſi libri divini ab autoribus ſuis initio ſcripti fuerunt, nempe Hebraâ, Græcâ & Latina.* Notandum verò contra Bellarminum, quomodo Clemens VIII. Pii IV. Anteceſſoris ſui regulam declarârit. Sic enim habet Cenſura Clementia VIII. in caſtig. Indic. lib. prohibitorum: *Animadvertendum eſt* (inquit) *circa ſupraſcriptam quartam regulam felicis recordationis Pii Papæ IV. nullam per hanc impreſſionem & editionem de novo tribui facultatem Epiſcopis aut Inquiſitoribus aut Regularibus ſuperioribus concedi licentiam emendi, legendi aut retinendi Biblia vulgaria, aut alias ſacræ Scripturæ tam Nov. quàm Vet. Teſtam. partes quavis vulgari lingua editas ac inſuper Summaria & Compendia etiam Hiſtorica eorundem Bibliorum ſeu librorum ſacræ Scripturæ quovis vulgari idiomate conſcripta, quod quidem inviolatè ſervandum eſt.*

Antitheſis

495. Argumenta, quibus Bellarmin. dict. loc. probare conatur, in publico Eccleſiæ uſu Scripturas non eſſe legendas vulgaribus linguis, itidem ex perpetua Eccleſiæ praxi ſunt deſumta, 1. *A temporibus Eſdræ deſiit in populo Dei lingua Hebraica eſſe vulgaris & Chaldaica ſeu Syriaca illis facta fuit vernacula,* quod probat ea cap. 8. libri Nehemiæ, *ubi Nehemias, Eſdras & Levitæ interpretabantur legem,*

Argumentum Pontificiorum. 1 ex hiſtoria V. Teſt.

legem alioqui populus nihil intellexiſſet, & *ex verbis Syriacis N. Teſt. Talitha* Marc. 5. *Abba Pater* Marc. 14. *Hakeldama* Matth. 27. *Golgatha, paſcha*, tandem etiam *ex dicto* Joh. 7. *Turba hæc, quæ non novit legem*. Reſp. 1. cur Bellarmin. ab exiguo illo tempore argumentum ducere voluit, prætermiſſo tot ſeculorum antegreſſo ſpacio, in quibus linguâ vulgari & vernaculâ Scripturæ in populo Iſraelitico fuêre lectæ? 2. cur ſtatū Eccleſiæ corruptæ potiùs quàm florentis imitandū nobis proponit? Moſes & Prophetæ linguâ vulgari, ut docuerunt, ita etiam ſcripſerunt. 3. Cùm lingua Chaldaica inciperet eſſe vernacula, in eam quoq; linguam facta eſt Scripturarum translatio. Targū Jonathan annis 42. circiter ante natum Chriſtum prodiit. 4. Quamvis tempore Eſdræ & Chriſti pura Hebraica lingua non eſſet vernacula, tamen populus eam adhuc intellexit, ut colligitur ex Luc. 4. v. 17 ubi Chriſtus *Eſaiam in Synagoga* ita *legit*, *ut omnium oculi in ipſum eſſent intenti*. Conf. Joh. 5. v. 39. Act. 15. v. 21. cap. 17. v. 11. cap. 21. v. 40. cap. 22. v. 2. Bellarmin. libr. 2. de verb. Dei cap. 4. *Hebræi cùm abducti eſſent in Babylonem, cœperunt oblivisci linguam propriam & addiſcere alienam, hoc eſt, Chaldaicam, quia tamen non perfectè eam pronunciare poterant, & ſemper aliquid ex Hebraica retinebant, factum eſt, ut lingua quadam tertia naſceretur mixta ex Hebraica & Chaldaica, quæ dicta eſt Syriaca*. Ea verò non tàm radicibus, & toto genere quàm inflexione & literarum mutationibus diſtat ab Hebræa, eſtque ejus quaſi idiotiſmus. Utique ergo non fuerunt Hebrææ linguæ prorſus ignari. 5. Hiſtoria Eſdræ repugnat Bellarmini ſententiæ. Si enim Eſdras judicaſſet, à lectione ſacrorum librorum populum eſſe arcendū, utique nec prælegiſſet eis librum legis, nec expoſitionem addidiſſet. Nec poteſt ex Eſdræ Hiſtoria probari, populum Iſraeliticum non intellexiſſe Scripturam Hebraicam. Cap. 8. v. 3. dicitur: *Legit Eſdras in libro legis a prima luce uſque ad meridiem coram viris & mulierib.* וְהַמְּבִינִים *& intelligentibus*, h. e. qui intelligenter audiebant, qui per ætatem intelligere poterant. v. 7. *Levitæ erant* מְבִינִים *faciebant intelligere populum legem*. v. 8. *& legerunt in libro in lege Dei* מְפֹרָשׁ *expoſitè*, שֶׂכֶל וְשׂוֹם *& eſt poſitus intellectus & intellexerūt lectionem* וַיָּבִינוּ בַּמִּקְרָא h. e. *dederunt intellectum per Scripturam*. Senſus igitur eſt, quod populum excitarunt ad attentionem, quod legerint explanatè & diſtinctè, ac ſi quis locus obſcurior occurrerit, eum ex collatione cum aliis perſpicuis locis explicarunt. 6 Joh. 7. v. 49. Phariſæi nun de lingua vel verbis legis populo ignotis loquuntur, ea n. ſingulis Sabbatis audiebant, ſed de genuino legis ſenſu. Salmeron tom. 8. tract. 37. p. 295. *Nunquid qui legem non norant, faciliùs credebant aut crederūt? minus è. Sed qui legem norant, facilimè crodunt. Ille enim dixit, Si crederetis Moſi, crederetis etiam mi... ...it finem legis eſſe Chriſtum ad juſtitiam omni cr... ...*. Rupert. in h. l. & Luc. Brugenſ. *Profectò tu b a illa verius contrà dixiſſet, iſtud vanitatis Concilium & hæc Eccleſia malignantium, quæ non facit legem, maledicti ſunt*. 7. Aliī ex Pontificiis idipſum probare conantur ex eo, quod verba Chriſti in cruce prolata *Eli, Eli*, aſtantes non intellexerint, unde dixerunt, *Eliam vocat iſte*. At rectiùs illud vel militibus Romanis vel malitioſæ Judæorum detorſioni tribuitur, ut in Harm. Paſſ. oſtendimus.

496. 2. *Ex uſu Apoſtolorum. Apoſtoli per totum orbem prædicarunt Evangelium & Eccleſias conſtituerunt, & tamen non ſcripſerunt Evangelia aut Epiſtolas linguis earum gentium, quibus prædicabant, ſed tantum Hebraicè aut Græcè, & ut quidam volunt, Latinè. Quod non ſcripſerint* ullis aliis linguis probat ex eo. 1. *quia nullum extat veſtigiū ſcripti ullius Apoſtolici niſi Græcè. 2. Paulus Romanis ſcripſit Græcè, cùm tamen Romanis non Græca ſed Latina lingua eſſet vulgaris. Petrus & Iacobus ſcripſerunt Græcè Iudæis per orbem diſperſis, cùm tamen illis non eſſet Hebræa vel Græca materna, ſed lingua ejus regionis, in qua habitabant. Iohannes Græcè ſcripſit primam Epiſtolam Parthis*. Reſp. 1. Apoſtoli prædicarunt Evangelium cuiq; populo & genti in lingua vernacula. Jam verò eadem, quæ Apoſtoli prædicarunt, in ſcriptis ipſorum continentur. Ergo piaculum nullum, ſi ea in linguas vernaculas translata cuilibet populo proponantur. 2. Ideò ſcripſerunt Græcè, quia hæc lingua eo tempore erat omnium communiſſima ac nota illis ad quos ſcripſerunt. 3. Eccleſia primitiva Apoſtolica aliquandiu caruit N. Teſt. Scripturis, erant enim adhuc in vivis Apoſtoli immediato Spiritus S. afflatu inſtructi, à quibus veritatem diſcere poterant, quantò magis verſionibus Scripturarum in linguam vernaculam carere potuerunt? 4. Progreſſu temporis ſecutæ ſunt verſionea variæ, ut ſuperiùa oſtendimus. 5. Si ex eo, quod Apoſtoli duntaxat in lingua Græca ſcripſerint, colligi poſſet non eſſe transferendas Scripturas in linguam vernaculam, utiq; etiam ſequeretur Romanenſes non debere Scripturas legere in verſionibua Latinis, cùm nemo Apoſtolorum Latinè ſcripſerit. Quæ enim de Evangelio Marci Latinè ſcripto nugatur Baronius tom. 1. annal. an. 45. ad ea reſpondemus verbis ipſius Bellarmini libro 2 de verb. Dei cap. 4. *Quia hujus rei nulla extat mentio apud veteres, ideo non facilè adduci poſſumus, ut credamus*. — *2. Ex uſu Apoſtolorū.*

497. 3. *Ex uſu Univerſalis Eccleſiæ, quæ ſemper his tantùm linguis Hebræa, Græca & Latina uſa eſt in communi & publico Scripturarum uſu*. Auguſt. libr. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 11. *Ad intelligentiam Scripturarum trium linguarum cognitionem Hebrææ ſcilic. Græcæ & Latinæ dicit eſſe neceſſariam. Tempore Hieronymi in toto Oriente in publico uſu erat tantùm editio Græca LXX. Interpretū*. Reſp. 1. Si vel maximè demonſtrari poſſet, Scripturas non niſi in lingua Hebræa, Græca & Latina aliquandiu apud quaſdam Eccleſias extitiſſe, nondum tamen ſequeretur, piaculum eſſe, eas in linguam vernaculam transferre, à negatione enim facti ad negationem juris non valet illatio. 2. Jam verò oſtendimus ſuperiùs & V. & N. Teſt. libros in linguas populo cuiq; vernaculas eſſe translatos. 3. Ac repetimus noſtrum argument. Propbetæ & Apoſtoli ut prædicarūt, ita quoq; ſcripſerunt linguâ vernaculâ iis, quibua prædicarunt, & ad quos ſcripſerunt. Ergo etiam ſcripta eorum in lingua cuiq; populo vernacula proponi poſſunt. — *3. Ex uſu univerſalis Eccleſiæ*

498. 4. *Ex ratione. Convenit ad Eccleſiæ unitatem conſervandam, ut publicus uſus Scripturarum ſit in aliqua lingua communiſſima, alias tolletur Eccleſiarum communicatio, nec poterunt fieri ulla generalia Concilia, cùm non omnes Patres habeant donum linguarum*. Reſp. Propter eandem Eccleſiæ unitatem etiam Latinâ tantùm linguâ utendum fuerit. 2. Sufficit verò ad Eccleſiæ — *4. Ex ratione.*

unitatem, quod Hebræus textus in V. & Græcus in N Teſt. eſt & manet authenticus, ad cujus normam omues verſiones exigendæ. 3. Ad Concilia convocandi ſunt non homines rudes & indocti, ſed linguarum periti, qui ex ipſis fontibus poſſint de controverſiis judicare.

5. Ab incommodo. 499. 5. *Ab incommodo. Si ulla eſſet ratio, cur Scriptura linguâ vulgari in cœtu fidelium legi deberent, ea certè eſſet potiſſima, ut omnes intelligerent. At certè populus non intelligeret Prophetas & Pſalmos, & alia, quæ in Eccleſiis legerentur, etiamſi linguâ maternâ legerentur, ſi non accederet expoſitio. Quid quod populus non ſolùm non caperet fructum ex Scripturis, ſed etiam detrimentū caperet? acciperet enim facillimè occaſionem errandi tùm in doctrina fidei, tum in præceptis vitæ ac morum. Nā ex Scriptura non intellecta nata ſunt omnes hæreſes, ut patet ex erroribus Anthropomorphitarum, Thaboritarum, Davidis Georgii &c.* Cum hoc Bellarmini diſcurſu congruit illud Alphonſi de Caſtro lib. 3. de juſtè puniend. hæretic. cap. 6. *Scripturarū tranſlatio in linguam vulgarem eſt cauſa omniū hæreſium.* Itemq; illud Coſteri in Enchir. *Non aliunde tot hæreſes & ſchiſmata, quàm quod quilibet ad ſuum judicium Scripturas interpretatur.* Reſp. 1. non poſſunt quidem primo intuitu & in curſoria lectione omnia intelligi, ſed requiritur ſtudiū, intentio, aſſidua meditatio. 2. interim tamen aliquid ſalutare ex illa populus intelligit, neceſſaria enim manifeſta ſunt. 3. etiam ea, quæ non ſtatim primo intuitu intelliguntur, legere expedit, mittet Deus aliquando Philippum aliquem ad intelligentiam obſcuriorum aditum nobis patefacientem Actor. 8. v. 26. 4. ex Bellarmini ratiocinatione ſequeretur, Scripturas planè non eſſe vertendas, ne quidem in Latinam linguam. Ad objectum, *quod Scripturæ lectio ſit cauſa errorum & hæreſium.* Reſp. 1. Chriſtus teſtatur Matth. 22. v. 29. ignorantiam Scripturarum eſſe cauſam hæreſium, quod repetitur in jure Canonico c. Si juxta. diſt. 38. 2. nec ex lectione & meditatione, ſed ex detorſione & depravatione Scripturæ oriuntur hæreſes, ſicut ex roſa apis ſugit, unde mel conficiat; aranea, unde virus. Lectionem Scripturæ Laicis concedimus, detorſionem prohibemus. 3. Scriptura eſt utilis πρὸς ἔλεγχον. 2. Tim. 3. v. 16. ergo Scriptura eſt armatura adverſus hæreſes, tantum abeſt, ut ex ea hæreſes errores ſuos mutuentur. 4. Scriptura fraudes hæreticorum detegit & convincit, unde plurimi lectione Scripturarum ab hæreſium vinculis liberati ad veritatis cognitionem aſpirarunt. 5. aliud eſt juxta Scripturæ normam & fidei analogiam in perſpicuis Scripturæ locis propoſitam de controverſiis judicare, quod Laicis mandatum eſſe oſtendimus, aliud Scripturam ad ſuum judicium interpretari, quod & Laicis & Clericis prohibitum eſſe dicimus. 6. Nec permittimus Laicis de graviſſimis & ſubtiliſſimis quibusque quæſtionibus temerè judicium ferre, ſed præcipua ac fundamentalia fidei capita ac vitæ regulas ex Scripturis petere jubemus, atque interim publicæ interpretationis & Eccleſiaſtici Miniſterii χειραγωγίᾳ uti, & dona Dei in aliis reverenter agnoſcere. Ad objectum, *quod Scripturæ lectio pariat ſcandalum vitæ ac morum*, reſpondimus ſuperiùs §. 492. hoc loco monemus breviter, 1. tollant prius publica lupanaria & notoria ſcandala, antequam illi hypocritæ *colantes culicem & deglutientes camelum*, de ſcandalo ex Scripturarum lectione metuendo ſint ſoliciti. Quidam numerum ſcortorum, quem Pontifex Romæ tolerat, imò cenſum ab illis ærario Apoſtolico quotannis infert, contrahunt ad duodecim millia. Campegius referente Sleidano lib. 4. ad Legatos Argentinenſes, dicebat, *Scire ſe Epiſcoporum hunc eſſe morem, ut acceptâ pecuniâ ſcortationem permittant.* Ambroſius Catharinus teſtatur, *ſuo tempore in Italia fuiſſe egregium pictorem Michaelem Angelum, qui admirabilis fuerit in exprimendo nuda hominum corpora & pudenda*, atque addit, *hanc membrorum nuditatem indecentiſſimè in aris & præcipuis Dei ſacellis, ubique conſpici. Quod eſt omnium teterrimum*, inquit, *in excelſis templis ac ſacellis hac tempeſtate oſtendes picturas tanta laſcivia, ut quicquid Natura occuluit, turpe noſtrum, ibi liceat contemplari ad excitandam non devotionem, ſed cujusvis demortuæ carnis libidinem, quod tantum nefas noſtrâ, hoc eſt, Prælatorum culpâ contingere, qui & hæc nedum patiuntur turpiſſima ſpectacula, ſed eorum etiam nonnunquam autores ſunt, nemo poteſt inficiari.* Soliciti etiam priùs ſint de ſcandalo ex lectione Amadiſii & aliorū librorum amatoriorum orto, antequam de ſcandalo ex Scripturæ lectione metuendo ſanctuli illi cogitent. 2. Quæ juſſit Deus omnibus ſcribere, ea etiam ab omnibus legi voluit. Sed quæcunque in Scripturis extant, ea juſſit Deus omnibus ſcribere Rom. 15. v. 4. 1. Corinth. 10. v. 11. Ergò etiam ab omnibus ea legi voluit. Si quid vel ſcandali vel periculi inde metuendum, culpa in Deum redundabit. 3. Illa Sanctorum delicta ſcripta ſunt non ad imitationem, ſed ad cautionem, correctionem & conſolationem, immediatè enim ſubjungitur vel peccantium, & in peccatis perſeverantium pœna, vel pœnitentium in gratiam receptio & peccati venia. Sic ergo Davidem quis ſecutus eſt peccantem, ſequatur etiam Davidem pœnitentem. Chryſoſtomus homil. 29. in Geneſ. col. 229. *Qui in peccatis eſt, non deſperet viſis tot, qui reſipuerunt, & ad ſummum virtutis apicem pervenire potuerunt.* Auguſtinus libr. 3. de doctrin. Chriſtian. cap. 23. *Ad hoc peccata magnorum virorum ſcripta ſunt, ut ubique Apoſtolica illa ſententia tremenda ſit, quâ ait. Qui videtur ſtare, videat, ne cadat.* Idem in Pſalm. 50. *Multi cadere volunt cum Davide, nolunt autem ſurgere cum Davide. Non cadendi, ſed reſurgendi exemplum nobis in illo eſt propoſitum. Audiant, qui non ceciderunt, ne cadant; audiant, qui ceciderunt, ut ſurgant. Non ſit delectatio minorū lapſus majorum, ſed ſit tremor minorum lapſus majorū.* Vide eund. lib. 22. cōtra Fauſt. c. 65. & lib. 50. homiliarum hom. 21.

6 A majeſtate divinorum officiorum. 500. 6. *A majeſtate divinor. officiorum. Majeſtas divinor. officiorū videtur omninò requirere linguā magis gravem & venerandam, quàm ſunt illæ, quib. vulgò utimur, ſi id cōmodè fieri poteſt.* Reſp. 1. ex hac ratione ſequeretur, nihil quidquā de myſteriis divinis, ne quidem in pericopis Evangeliorū & Epiſtolarū Dominicaliū in lingua vulgari proponendum. 2. per uſū linguæ vulgaris nihil decedit divinor. myſterior. & officior. majeſtati, ſed in eor. notitiam homines perducūtur, quo fine divinitùs myſteria ſunt revelata. 3. Invertimus igitur argumentū. Ut gravitas ac majeſt. divinor. myſteriorum percipiatur, & in eorum notitiam, fidem & admirationem homines perducantur, vulgari linguâ ſunt proponenda. Tob. 12. v. 7. 4. Deus in Pa-

in Paradiſo non Angelicâ & incognitâ, ſed vulgari linguâ cum primis parentibus locutus, promiſſionem Evangelicam edidit, & divina miracula ultra bis mille annos in lingua Hebræa Iſraëlitis vulgari conſervavit. 5. Deus omnes omninò linguas conſecravit, & regni cœleſtis miniſterio deſtinavit. Act. 2. v. 3.

7. ex abſurdo.

501. 7. *Ex abſurdo. Si Scripturæ eſſent vernaculâ linguâ legendæ, oporteret ſingulis ætatibus novas fieri verſiones, quia ſingulis ætatibus linguæ mutantur.* Reſp. 1. ex hoc argumento denuò ſequeretur, Scripturas planè non eſſe vertendas in alias linguas, quod cùm à Chemnicio Pontificiis eſſet objectum, Bellarminus dicit, *ipſum impudenter eſſe mentitum.* 2. Primariæ linguæ non ſunt toties, ſingulis ſcil. ætatibus mutatæ, licet idiotiſmi varient, jam verò levis inflexio non efficit, ut prior idiotiſmus non ampliùs intelligatur. 3. neque quidquam abſurdi inde oritur, ſi ſtatuatur, verſiones obſoletiores debere mutari & innovari.

8. ex Hebrææ, Græcæ & Latinæ linguæ præſtātia.

502. 8. *Ex Hebrææ, Græcæ & Latinæ linguæ præſtantia. Sinimus contenti tribus illis linguis, quas Dominus in titulo crucis ſuæ honoravit Iohan. 19. v. 20. & quæ omnium conſenſu antiquitate, amplitudine & gravitate omnibus aliis præſtant, & denìum quibus ipſi libri divini ab initio ſcripti fuerunt, hoc eſt, Hebraâ, Græcâ & Latinâ.* Reſp. 1. ex allegoriis non ducuntur firma argumenta, niſi ex ipſis Scripturis eorum applicatio & explicatio monſtrari poſſit. 2. Tres hæ linguæ principales in titulo crucis Chriſti uſurpatæ ſignificabant Evangelium Chriſti per totum terrarum orbem longè latèque propagandum, *quia hæ linguæ geſſerunt vices omnium linguarum,* ut hoc loc. inquit Cajetanus. 3. Nec eo fine tres iſtæ linguæ in ἐπιγραφῇ crucis adhibitæ fuerunt, ut ſolæ ad Scripturas ſacras & cultum publicum conſecrarentur, ſed ut fama de morte Chriſti per linguas omnibus tunc temporis notas latiſſimè ſpargeretur. Confer Harm. paſſion. in hoc loc. 4. Negamus ullum librum Canonicum linguâ Latinâ ab ejus autore eſſe ſcriptum, conſequens ergò fuerit, verſionem Scripturæ in linguam Latinam eſſe improbandam. 5. Si illis linguis deberemus eſſe contenti, quibus libri divini ab initio ſcripti fuerunt, nec V. Teſt. libri in Græcum ſermonem debuiſſent transferri, cùm tamen pii veteres Græcæ iſti LXX. Interpp. verſioni plurimùm, imò interdum plus æquo tribuant.

503. Quamvis verò Scripturæ ſacræ in alias linguas verſiones non improbemus, nullam tamen verſionem, quæcunque tandem illa ſit, authenticam agnoſcimus, ſed ab omnibus verſionibus ad textum originalem provocari poſſe aſſerimus. Probamus hoc ex eo. 1. quia ſolus textus Hebræus in Veteri, & Græcus in Novo Teſtam. eſt authenticus, ut oſtendimus ſuperiùs cap. 13 §. 310. 2. quia nulla Scripturæ editio poteſt eſſe authentica, niſi ſit θεόπνευςος 2. Timoth. 3. v. 16. Sed verſiones Scripturarum non ſunt θεόπνευςοι. *Aliud eſt eſſe vatem, aliud interpretem,* inquit Hieronymus in præfat. Pentateuch. 3. Rivuli non poſſunt fontibus æquiparari. Verſiones omnes ſunt rivuli. Ergò fontibus veritatis, id eſt, textui Hebræo in Veteri, & Græco in Novo Teſtam. æquiparari nequeunt. 4. Normatum, quâ tale, non poteſt eſſe norma. Verſiones omnes ad textum originalem & autenticam habent ſe ut normatum ad normā, ut regulatum ad regulā. 5. Praxis Eccleſiæ Iſraeliticæ & Chriſtianæ oſtendit, nullam omninò verſionem in authenticę autoritatis ſolium eſſe collocandam. Atque hęc de autoritate verſionum *in genere* monemus, *in ſpecie* de potioribus & uſitatiorib. paucis diſſeremus.

SECTIO I.

De Chaldaica Vet. Teſtamenti verſione.

Targum triplex.

504. Diximus in tract. de Method. Stud. Theolog. part. 2. ſect. 1. cap. 3. triplex extare Targum. 1. *Babylonicum*, cujus autor eſt Jonathan filius Uzielis diſcipulus Hillelis & Simeonis juſti condiſcipulus, qui ante templi ſecundi devaſtationem annis centum, id eſt, ante natum Chriſtum annis circiter 42. V. Teſt. in linguam Chaldaicam tranſtulit. ** (Jonathan totum quidem vertit Vet. Teſt corpus teſte Galatino, ſed extat tantum in priores & poſteriores Prophetas, id eſt, Joſuā, Judices, Samuelem, Reges, Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem & duodecim minores)** 2. *Onkeloſianum*, cujus autor eſt Onkelos R. Eleazaris magni diſcipulus, Titi Imperatoris ex ſorore nepos, qui poſt devaſtationem templi ſecundi annis ferè centum poſt Jonathanem paraphraſin ſuam conſcripſit. ** Onkeloſium nonnulli atque in iis Bellarminus, *Adam* eſſe exiſtimant. Sed Galatinus diſtinguit, notatque Judęos hunc aſſerere fuiſſe filium ſororis Titi Imp. factumque proſelytum. Teſtatur etiam, tranſtuliſſe totum V. Teſt. non extare tamen niſi Pentateuchum. Reliqua tribui tum Aquilę, tum Joſepho cuidam cęco, quos fabulis Judaicis intentiores fuiſſe docti conqueruntur** 3. *Hieroſolymitanum* utroq; poſterius commentarii potiùs quàm paraphraſeos locum obtinens. Sed ſi vera ſunt, quę ſcribit Reuchlin. lib. 1. de verb. mirif. cap. 13. *antiquorum Philoſophorum tempore cœpiſſe ſacram Hebræorum Scripturam tanto in honore, inq; tantâ & tam frequenti veneratione apud Babylonios haberi, usque adeò ut illam ex propria in Chaldaicam linguam traducere curarent*, idque circa 56. Olympiadem, hoc eſt, ætate Thaletis, qui tempore Eſaię vixiſſe traditur ab Ottone Friſingenſi lib. 2. cap 5. neceſſe eſt, aliam extitiſſe verſionem Chaldaicam omnibus illis tribus Targumim antiquiorem, quàm quæ hodiè extat. Confer Helvicum tractat. de Chaldaic. paraphr. cap. 2. pag. 12. ubi probat, plures Thargumim olim extitiſſe.

505. Judæi huic Chaldaicæ verſioni plurimùm tribuunt, unde in libro Bava Bathra ſcribitur, *quòd in hora, quâ Ionathan huic verſioni vacabat, ſi muſca aut quodcunque volatile ſuper eum vel ſuper chartam volaſſet, illicò abſque ulla ejus aut chartæ læſione cœlitus excuſſa fuerint.* Item, *quòd Angeli è cœlo advolarint auſcultandi cauſam, quando ſtudiis operam dedit.* libro Succa fol. 28. quin imò æqualem autoritatam tribuunt Targumim cum ipſo textu Hebraico, neque ullus Judæorum audet eis contradicere. Scribunt enim Thalmudiſtæ allegante Juchaſin fol. 54. *quòd Ionathan acceperit doctrinam ſuam Targumicam à Zacharia, Haggæo & Malachia Prophetis, Onkelos verò à R. Eliezer & R*

Ieho-

Iehoſua, qui & ipſi a Prophetis acceperint. Item, *quòd Ionathane interpretante Scripturam tota Palæſtina terra motu concuſſa fuerit, & vox e cælo demiſſa clamaverit: Quis eſt iſte, qui filiis hominum mea arcana revelat? Ionathas verò reſponderit: Ego feci. verùm non ad gloriam meam, neque ad gloriam Patris mei, ſed ad tuam gloriam.* In libr. Megilla cap. 1. quin etiam non verentur affirmare, quòd à Moſe *in monte Sinai primùm fuerit accepta, & Senioribus ac Prophetis tradita Chaldaica Paraphraſis, ſed poſtquam in captivitate Babylonica oblivione fuerit ſepulta, hos paraphraſtas eam in lucem iterum revocaſſe.* Nos contrà quamvis utile eſſe ſtatuamus, Chaldaicam verſionem Hebraico textui conjungere tùm propter *autoritatem*, quam obtinet apud Judæos, quibus fortiſſimè opponi poteſt, tùm propter *expoſitionis* in pleriſque locis *perſpicuitatem*, ubicunque enim in Hebraica veritate tecto nomine de Chriſto agitur, ibi ferè ſemper in Chaldaica paraphraſi expreſsè *nomen Meſſiæ* ponitur, tamen negamus, Chaldaicam verſionem eſſe authenticam, vel Hebræo textui æquiparandam. Nam 1. verſio eſt, proindè minimè authentica. 2. Ex Græca LXX. Interpretum verſione nõ modicâ ſui parte in locis obſcurioribus eſt conflata, teſte Münſtero in præfat. ſuper Jonam quadriling. 3. Judaicas quaſdam fabulas & corruptelas continet, Numer. 21. v. 19. ponitur fabula *de puteo*, quem fingunt Hebræi deſcendiſſe *cum filiis Iſrael ad torrentes, & de torrentibus aſcendiſſe eum cum eis ad colles, & de collibus rurſum deſcendiſſe ad valles*, quæ fabula Rabinica ex falſa loci illius interpretatione nata. 4. in quibuſdam *à fontibus veritatis*, id eſt, à textu Hebræo diſcedit. Geneſ. 4. 23. dicit, *Lamechum non occidiſſe virum* (Franc. Junius reſpondet, id accipiendum eſſe ἐρωτηματικῶς, ut לא accipiatur poſitum pro הלא *nonne, an non*, cujus ſignificationis exempla recitat Schindl. in Lex. p. 929. Helvicus reſpondet, *Onkelon non ſimpliciter negare, quòd Lamechus virum occiderit, ſed determinatè, quòd ſcilic. non ita occiderit, ut ſibi ſuæque poſteritati ſit damno aut exitio*, quo modo & Jonathan interpretatur) Levit. 10. v. 6. cap. 21. v. 20. *Ne alatis comam in capitibus veſtris.* In Hebræo eſt contrarium: *Ne radatis capita veſtra.* (Quidam reſpondent, *in Hebræo eſſe verbũ* פרע *quod ſignificet liberum facere, liberum permittere, unde pro apertione capitis ponatur* Numer. 5. v. 18. *& hoc ſenſu communiter exponi ab Interpretibus* Levit. 10. v. 21. *de apertione capitis & remotione pilei.* Sunt qui ex Hebræorum traditionibus hoc loco verbum exponunt de luxuria comæ: *Non luxuriari ſeu nimium creſcere ſinetis comam*, quia lugentium mos olim erat alere comam, & in ſignum luctus abſtinere à caſura, neglectiſque capillis incedere, id quod ſummo Pontifici non licuiſſe ajunt) Numer. 28. v. 9. ubi textus Hebræus habet, *populus ſolus habitabit*; Chaldæus reddidit: *Ecce populus poſſidebit ſeculum*, id enim illi expectant, in quo dominentur. Deuter. 4. v. 28. cap. 28. v. 64. ubi Scriptura prædicit, *fore ut Hebræi ſerviant Diis alienis*, Chaldæus hoc ſcelus ab Hebræis derivat *ad gentes.* Plura de Targumim vide apud Fagium præfat. in Chald. paraphr. pentat. à ſe converſam, Neandrum in erotem. ſanct. linguæ. pag. 408. Helvicum dict. loc.

SECTIO II.

De Græca Veteris Teſtamenti verſione.

Verſio LXX. Interpretum.

506. Diximus in tractat. de Methodo ſtudii Theolog. part. 2. ſect. 1. cap. 4. varias olim extitiſſe Græcas Vet. Teſt. verſiones, ſed quæ ſuccedente celebri illâ LXX. Interpp. verſione uſurpari deſierint. **Apud Clem. Alexandr. legitur Stromat. 1. *verſas fuiſſe in Græcum Scripturas etiam ante tempora Alexandri, indeq; Platonem nonnulla hauſiſſe.* Ac hoc vix eſt veriſimile. Genebrardus tamen aſſentitur, putatque translatum duntaxat pentateuchum, idque impoſuiſſe iis, qui negarent totum corpus verſum à Septuaginta.** Auguſtin. lib. 18. de civ. Dei cap. 43. *Cum fuerint & alii Interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam ſacra eloquia tranſtulerunt, ſicut Aquila, Symmachus, Theodotion, ſicut etiam eſt illa interpretatio, cujus autor non apparet, & ob hoc ſine nomine Interpretis quinta editio nuncupatur, hanc tamen, quæ LXX. eſt, tanquam ſola eſſet, ſic recipit Eccleſia, eáque utuntur Græci populi Chriſtiani, quorũ plerique, utrum aliqua ſit alia, ignorant.* Occaſionem illius verſionis ibidem ex Ariſtæo, Joſepho, Philone & Juſtino expoſuimus. Primitivæ Eccleſiæ Chriſtianæ Doctores, quia plerique Hebrææ linguę minùs gnari fuerunt, plurimùm omninò Gręcę huic verſioni tribuunt. Auguſt. lib. 15. de civit. Dei cap. 23. *Meritò creduntur LXX. Interpp. accepiſſe Spiritum Propheticum, ut ſi quid ejus autoritate mutarent, atque aliter quam erat, quod interpretabantur, dicerent, neque hoc divinitus eſſe dictum dubitaretur.* Irenæ. lib. 3. adv. hæreſ. cap. 25. p. 116. ſecutus Juſtinum in orat. exhortat. ad gent. ſingulos in ſingulis cellulis incluſos, & à ſingulis totam Scripturam iiſdem verbis non ſine miraculo redditam aſſerit: *Ptolemæus* (inquit) *experimentum eorum* (ſeniorum) *ſumere volens & metuens, ne fortè conſentientes eam veritatem, quæ eſſet in Scripturis, abſconderent per interpretationem, ſeparans eos ab invicem juſſit omnes eandem interpretari Scripturam, & hoc in omnibus libris fecit. Convenientibus autem ipſis in unũ apud Ptolemæum & comparãtib. ſuas interpretationes, Deus glorificatus eſt, & Scripturæ verè divinæ ſunt creditæ, omnib. eandem & eiſdem verbis & eiſdem nominibus recitantibus ab initio uſque ad finem, uti & præſentes gentes cognoſcerent, quoniam per aſpirationem Dei interpretatæ ſunt Scripturæ. Petrus & Iohannes & Matthæus, & Paulus, & reliqui deinceps, & horum ſectatores Prophetica omnia ita annunciaverunt, quemadmodum Seniorum interpretatio continet. Vnus enim & idem Spiritus DEI, qui in Prophetis quidem præconiavit, quis & qualis eſſet adventus DOMINI, in ſenioribus autem interpretatus eſt benè, quæ benè prophetata fuerant, ipſe & in Apoſtolis annunciavit pleniendinem temporum adoptionis veniſſe.* Addit etiam *ſe veſtigia iſtarum cellularum apud Alexandriam vidiſſe.* Juſtino & Irenæo aſſentiuntur Clemens Alexandr. lib. 3. Stromat. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 4. & alii.

507. Sed non poſſumus Græcæ iſti verſioni

auto-

autoritatem authenticam tribuere, vel Hebræo textui eam æquiparare. Nam 1. verſio eſt, minimè igitur authentica & ejuſdem cum Hebræo textu autoritatis. 2. in multis diſcrepat à fonte Hebræo, præſertim in Pſalmis. Quędam habet, quæ non ſunt in textu Hebræo; quædam omittit, quæ in Hebræo habentur, ut Hieronymus præfat. in pentat. in Epiſt. ad Suniam & alibi paſſim oſtendit, inde Origenes in ſuis hexaplis LXX. Interpp. verſionem ita concinnavit, ut ex ea ſola uno aſpectu, quid omninò in Hebræo eſſet, quidvè non eſſet, judicari commodè poſſet. Nam quia illi Interpretes paſſim multa de ſuo addiderunt explicandarum rerum, quæ tractantur gratiâ, multa etiam tanquam ſupervacanea conſultò omiſerunt, quæcunque ſupra id, quod in Hebræo continebatur, addita eſſe videbat, ea additis obeliſcis velut jugulavit, quæ detracta erant, ex Theodotionis interpretatione ſubſtituit, & aſteriſcis notavit. 3. non fuit ſemper in Eccleſiæ uſu, teſte enim Sigeberto in Chronic. *poſt Hieronymi verſionem in ſecundis haberi fuit cœpta*. 4. mendas in Chronologicis numeris habet complures. Ab Adamo ad diluvium numerat annos 2242. cùm in Hebraico textu tantùm habeantur 1656. anni. A diluvio ad Abrahamum numerat annos 1082. cùm in Hebræo ſint 292. Adamus dicitur vixiſſe 230. (juxta quaſdam editiones 330.) annis, cùm Sethum genuiſſet, cùm fontes veritatis 130. annos ei duntaxat tribuant. Mathuſalem ſecundùm Græcam translationem 14. annis poſt diluvium ſuperſtes manſit, unde magna oritur quæſtio, ubi in diluvio ſervatus fuerit? in quo nodo ſolvendo Auguſt. lib. 15. de civ. Dei cap. 11. plurimùm ſeſe torquet; ſed ex textu Hebraico colligitur, ipſũ eodem anno fuiſſe mortuũ, quo terra diluvio fuit obruta. Jonæ 3 in Græco eſt, *adhuc tres dies & deſtruetur Ninive*. Sed rectiùs in textu Hebraico authentico poſt 40. dies exitium ei denunciatur, vix enim tribus diebus Jonas civitatem peragrare potuit. 5. Somnium de diſtinctis cellulis quidam veterum ut incertum, quidam ut falſum & confictum repudiant. Juſtin. & Irenæus *ſingulos in ſingulis* cellulis à Rege incluſos fuiſſe memorant, ſed Epiphan. in lib. de menſur. ac ponderibus ſcribit, *binos ac binos* in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe. Auguſtin. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 15. non audet aſſertionem de cellulis tanquam certam confirmare, quamvis verſioni huic plurimùm tribuat: *In Græcis* (inquit) *ſeptuaginta Interpretum, quod ad V. Teſt. attinet, excellit autoritas, qui jam per omnes Eccleſias peritiores tantâ præſentiâ Spiritus ſancti interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit. Qui ſi, ut fertur, multiq́; non indigni fide prædicant, ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati, cum interpretati eſſent, nihil in alicujus eorum Codice inventum eſt, quod non iiſdem verbis eodemq́; verborum ordine inveniretur in cæteris, quis huic autoritati conferre aliquid, nedum præferre audeat?* (In margine annotavit Eraſmus: *Illud alii tanquam fabulam rident*) Hieronymus confidentior in præfat. pentateuch. *Neſcio quis primus autor ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit, cùm nec Ariſtæus, qui negotio interfuit, nec Ioſephus hanc Hiſtoriam enarrans ullam faciant cellularum mentionem, cumq́; aliud ſit eſſe vatem, aliud Interpretem.* 6. Multi dubitant, an Græca verſio, quæ hodiè extat, ſit illa à veteribus tantoperè celebrata, LXX. Interpp. verſio. Ariſtæus n. in Hiſtor. hujus verſionis & Philo lib. 2. de vita Moſis teſtantur *LXX. Interpretes fideliſſimè ac propriiſſimè, adeoque ad verbum omnia transtuliſſe, atque illorum interpretationem à multis diligenter fuiſſe examinatam, antequam in Regiam Bibliothecam poneretur, atque ab omnibus laudem fidelitatis & proprietatis ipſi datam eſſe.* Sed Græca verſio, quam nunc habemus, multis in locis à textu Hebræo diſſentit. Adde quòd Græca verſio, quæ hodiè extat, in locis aliquàm multis non poſſit ullâ ratione cum textu Hebræo conciliari, niſi removeantur puncta, atque aliter legantur, quàm puncta ſubjecta requirunt, quod argumento eſt, autorem illius verſionis uſum fuiſſe Bibliis non punctatis, quod de LXX. Interpp. non eſt veriſimile. Caſaub. exercit. *Bibliorum editionem Græcam Romæ curatam Baronius putat eſſe ipſiſſimam τῶν LXX. verſionem, quæ ſententia in Tyrone aliquo ſtudii Theologici vix poſſet excuſari, nedum in tanti nominis viro.* Idem ſtatuunt Druſius libr. 6. obſerv. cap. 9. Witaker. de Script. quæſt. 2. cap. 3. 7. Verſio LXX. Interpp. jam olim ab Origene, Luciano, Heſychio, Hieronymo emendari cœpit, quomodo igitur ab erroribus immunis fuit? & quis credat, cùm primis trecentis annis corruptelas contraxerit, quòd reliquis annis mille trecentis incorrupta manſerit? Juſtinus in Dial. cum Tryphone p. 231. *Magiſtri veſtri multos & integros prorſus locos illarum Scripturarum ex translatione illorum, qui cum Ptolomæo fuère, Seniorum ſuſtulerunt, in quibus clarè hunc ipſum crucifixum Deum & hominem eſſe, eumq́; in cruce pendere, & mori prænunciatum eſſe oſtenditur*, id quod aliquot exemplis ibidem probat. 8. Quod Evangeliſtæ & Apoſtoli in N. Teſt. in allegandis V. Teſt. dictis LXX. Interpp. verſionem ſequũtur, propterea factum, *quia eo tempore illa erat in gentibus divulgata*, ut monet Hieronymus in cap. 47. Geneſ. Idem verò in Epiſt. 151. ad Algaſiam hanc ponit regulam: *Ubicunque de Veteri inſtrumento Prophetæ & Apoſtoli teſtimonia protulerunt, diligentiùs obſervandum eſt, non eos verba ſecutos eſſe, ſed ſenſũ, & ubicunq́; Septuaginta ab Hebræo diſcrepant, Hebræum ſenſum ſuis expreſſiſſe ſermonibus.*

SECTIO III.

De Syriaca Novi Teſtamenti verſione.

508. Quâ occaſione Syriaca N. Teſt. verſio in Europam pervenerit, expoſuimus in tract. de Method. ſtudii Theolog. part. 2. ſect. 1. cap. 3. idipſum verò latiùs explicat Johannes Balthaſar Baumbachius in tract. de linguis Oriental. cap. 13. qui liber cùm in paucorum manibus verſetur, quædam ex eo hûc referemus: *Sub Leone X. Pontifice Romano, qui Concilium à Iulio II. convocatũ ad Lateranum habebat, Romam miſſi ex Syria fuère Legati Acurius Ioſephus Sacerdos, Moſes Monachus Diaconus & Helias Hypodiaconus, homines docti & eruditi, qui Theſeum Ambroſium Albonesij Regulum ICtum literas Syriacas tùm docuerunt. Is annis poſteà multis intra Monaſticas cellas (erat enim voto ſuo ſancti Auguſtini Canonico inſtituto obſtrictus) meditando tantum profecit, ut Syri quoque ingeniũ ipſius & acrem præſentemque in eo labore animũ vehementer admirarentur.*

Cate-

Cæterùm cùm Iohannes Albertus VVidmanſtadius ICtus & provinciarum Auſtriæ Orientalium Cancellarius Anno 1529 in Caroli V. Cæſaris ſacri diadematis causâ Bononiam proficiſcentis comitatu eſſet & ei, contubernalibusq; ipſius Regis Lepidi à metatoribus hoſpitium juxta Cœnobium, ubi Theſeus jã ſenex vitam agebat, fortè attributũ fuiſſet, poſtridiè ejus diei VVidmanſtadius templum ingreſſus venerandum ſenem caſu obvium ſalutavit. qui ut ipſum de Cœnobii Bibliotheca, rariſq; in ea libris ſciſcitari intellexit, è veſtigio in conclave introduxit, & arreptis è pluteo ſacroſanctis Evangeliis Syriacè ſcriptis: Hoſpes, inquit ingemiſcens, peregrinis his ſtudiis deditus ſum annis circiter quindecim, eaq; ſine rivali ad hanc diem amavi. Utinam mihi obveniat aliquando prompto paratoq; ingenio vir, qui ſermonem hunc Ieſu Chriſti ſanctiſſimis labris conſecratum poſteris tanquam per manus tradendum (nam ætas mihi propè jam exacta eſt) à me accipere velit. Cui reſpondit VVidmanſtadius: Pater ſi paucarum horarum opera parcere volueris, auditorem me habebis in hac ipſa expeditione expeditiſſimum. Quo audito Theſeus omnes in ea lingua theſauros multo ſudore ſibi comparatos protulit, manuq; ſuâ quantũ anguſtia temporis ferebat, ex commentariis ſuis deſcripſit, atque ipſi hac obteſtatione ſuppeditavit, ut quo ipſum beneficio tùm complecteretur, id olim apud Eccleſiam Ieſu Chriſti collocaret. Quarto poſt anno in Bibliotheca Lactantii Ptolomæi idem reperit quatuor Evangeliſtarum libros cum Ephremi & Iacobi Syrorum opuſculis nonnullis, quæ ipſe mox tranſcripſit, atque cum Theſei munere ſplendidiſſimo conſervavit, uſque dum Simeonis Syrorum, qui juga Libani incolunt, Epiſcopi & doctiſſimi viri inſtitutione adeò profecit, ut ſentiret Theſei deſideriũ, quod è Chriſti lingua in Latinã Eccleſiam introducenda capiebat, leniri jam aliquantum poſſe. Poſt aliquot annos cùm VVidmanſtadius in ea cura verſaretur, & à conventu Principum, qui Heilbrunæ agebatur, rediret, Moſes Meredinæus ex Meſopotamia Sacerdos in Rhetia Ripenſi ei occurrit, qui ab Ignatio Patriarcha Antiocheno, cùm ob alias cauſas, tùm ut Teſtamenti volumẽ prelo excuſorio multiplicatum in Syriam reportaret, Romam miſſus orator fuit. Et cùm nec Romæ nec Venetiis quamvis ampliſſimorum hominum favore & gratiâ niteretur, quenquam reperiſſet, qui magnum hoc & difficile opus attentare vellet, tandem nonnullorum, qui eâdem ferè ſolicitudine VVidmanſtadium urgeri norant, conſilia ſecutus, in comitatu Rainoldi Poli, qui tùm in Britanniam Legatus proficiſcebatur, ad ipſum contendit, ac in itinere eum offendit. Quem VVidmanſtadius tanquam divinitus ſibi oblatum ſecum ad Ferdinandum Imperatorem adduxit, remq; omnem ei expoſuit, qui pro ſua pietate benignè, liberaliterque ſumtus ſe facturum in magnificum hoc opus pollicitus fuit, atque ut diligenter emendatum ſplendidumque in lucem emitteretur, imperavit, ut Aſiaticis Chriſtianis, qui vetere Syrorum linguâ partim vulgò, partim in ſacris tantùm utuntur, & ob Evangelicorum librorum indigentiam præter Baptiſmum vix ulla religionis veſtigia retinent, immortale hoc beneficium præſtare poſſet. Dùm ad mandata hæc conficienda neceſſaria omnia apparantur, inſperantibus ipſis intervenit Guilielmus Poſtellus vir ſupra multorum captum eruditus, qui parte Aſiæ meliore ſemel atque iterum peragratâ magnas & Syriacæ & Arabicæ linguæ opes conſecutus minimè vulgare adjumentum attulit. Atque ſic pii Imperatoris Ferdinandi beneficio in lucem prodierunt primo Evangeliſtarum quatuor ſanctiſſima monumenta Syriacis Elementis & ſermone Viennæ impreſſa & paulò poſt Epiſtolæ Apoſtolorum ſubſecuta fuerunt. **Syriacum N. Teſt. editum eſt cùm ab aliis, tum ab Immanuele. Tremellea addita interpretatione. Latina, à Guidone Fabricio cum verſione interlineari. Sed hi characteres Syros mutarunt in Hebræos, ut & Raphelengius. Arias Montanus in magnis Bibliis Antuerpienſibus edidit utroque characterum genere.**

509. Huic verſioni Syriacæ Chriſtiani in Syria plurimùm tribuunt, ac ejus originem ad Marcum Evangeliſtam referunt. **Albert. Widmanſtadius ait, Syros conſtanter aſſerere S. Marcum Evangelium ſuum lingua patria, h.e. Syra tranſtuliſſe & non modo Evangelium ſuum, ſed etiam cæteros omnes N. Teſt. libros. Id ſibi etiam per literas ſignificaſſe Guilielmum Poſtellum, rem autem ita ſe habere ex avita traditione affirmare. (Staplet. in Antid. Matth. 26. Syri authenticum adhuc retinent.)** Tremellius in præf. Syriac. paraph. *Veritati prorſus eſt conſentaneum, intra ipſa Eccleſiæ Chriſti initia vel ab Apoſtolis ipſis, vel eorum diſcipulis eam eſſe profectam, niſi fortè ſuſpicari malimus, eos ſcribendo alienigenarum duntaxat rationem habere voluiſſe, ſuorum autem gentilium aut nullam, aut certè perquam exiguam.* **ibid. dicit, quod majori ex parte ex archetypo Græco fideliſſimè expreſſa ſit.** Franc. Lucas Brugenſ. in præfat. ſuper N. Teſt. comm. num. 6. *Hoc teneo indubitanter, Syriacum Novi Teſt. textum vetuſtiſſimi exemplaris Græci, & quidem ex primis loco habendum, ac venerandum eſſe.* Alſtedius lib. 2. præcognitorum cap. 113. *Antiochenæ Eccleſiæ & Chriſtianis primùm in ea appellatis illã aſſcribenda exiſtimat:* **Bonaventura, Cornelius Bertramus, vir harum linguarum peritiſſimus, audet Eccleſiæ Antiochenæ naſcenti Chriſtianisque primum in ea appellatis Syriacam verſionem adſcribere, præf. in ſuam comparationem Grammaticæ Syriacæ & Arabicæ.** Sed non poſſumus hanc verſionem habere pro authentica vel Græco textui æquiparare. 1. quia verſio eſt, proindè minimè authentica. 2. In quibuſdam diſcedit à textu Græco, qui ſolus in Novo Teſt. eſt authenticus. Integri libri, videlicet *ſecunda Petri, ſecunda & tertia Johannis; Epiſtola Iudæ & Apocalypſis* in ea deſunt; deeſt etiam *Hiſtoria de muliere adultera* in principio cap. 8. Evang. Johannis. (**Defectus hos nonnullorum diligentia hactenus ſupplevit**) 3. nec de autore, nec de antiquitate ejus Apoſtolicis temporibus vicinâ certi quid affirmari poteſt, Tremel. dict. loc. *Syriaca ſi fortè non tota, majori tamen ex parte ex archetypo Græco fideliſſimè expreſſa eſt; ſed quo vel quibus autoribus, quo tempore item, cùm id nuſquam inquirentibus nobis adhuc occurrerit, non magis definiri poteſt in præſentia, quàm Græca Veteris Teſtamenti, & vetus Latina, quibus autoribus verè ſit adſcribenda.* Vergerius dial. 3. contra Hoſſium memorat, *quòd quæſiverit Moſen Meridinæum, quemnam putaret ſcripſiſſe Syrâ Linguâ N. Teſt.* ipſum verò reſpondiſſe, *ſe autorẽ ignorare, Codicem fuiſſe valdè vetuſtũ, nec diſſentire à Græcis & Latin. Codd.* **Corn. à Lap. in præfat. comm. Epiſt. *Hebr. Syriaca verſio phraſi & idiotiſmo diſcrepat à lingua Syra, quâ loquebantur Iudæi tempore Chriſti, Pauli & Marci.*

Nam

Nam Matth.27.v.8.pro Haceldama, uti dicebant Iudæi tempore Chriſti, Syra jam verſio habet agureſa daddema ubi gracitat, nam ex ἀγρὸς, ideſt, ager formas agureſa. Sic Matth.27.v.46. pro Eli, Eli ut dixit Chriſtus, Syrus jam habet, il, il. Sic pro Ieruſelem vertit Ouriſchelem, pro Kephas, Kipho, pro paſcha pezcho, pro Golgota Golgoulto, pro Ioſeph Iauſeph, pro Iacob Iaacoub, pro Meſſia, Meſchicho. ** 4. Nulla ejus fit mentio apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium, Athanaſium, Theophilum, Epiphanium, Hieronymum, Cyrillum, Theodoretum & alios, qui vel in Syria, vel in Ægypto docuerunt, vel de variis Scripturarum editionibus diſſeruerunt. Auguſtin.lib.15.de C.D.cap.13. Syriacæ V. Teſt. verſionis mentionem facit: *In quibusdam*, inquit, *Codicibus Græcis tribus & uno Latino, & uno etiam Syro inter ſe conſentientibus inventus eſt Methuſalem ſex annis ante diluvium fuiſſe defunctus.* Sed fortè per Syrum Codicem intelligit paraphraſin Chaldaicam. 5. In titulis & lectionibus capitum mentio fit *venerationis crucis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoriæ Sanctorum, aliarumq́; ejuſmodi rerum, quæ temporibus Apoſtolorum nondum fuerunt in Eccleſiam invecta.*

SECTIO IV.

De Arabica Scripturæ S. verſione.

Arabica verſio. 510. Ut ex Hebraica lingua originem trahit *Chaldaica*, (cùm enim in Chaldæa lingua Hebraica aliquandiu viguiſſet, poſtquam Abraham à Deo vocatus, & terrâ illâ excedere juſſus eſſet Geneſ.11.v.1. incolæ unà cum vero cultu divino ſenſim linguæ puritatem amittere, & eâ dialecto, quam ab Aram *Aramicam* vocarunt, loqui cœperunt, quam hujus linguæ originem recenſet Elias Levita, qui eam vocat *linguam ſanctam corruptam*, itemq́; *præ cæteris linguis ſanctæ maximè affinem*,) & ex Chaldaica *Syriaca*; (cùm enim Judæi juniores mortuis ſenioribus in diuturna illa Babylonica captivitate ex longa populi illius, cum quo vivebant, conſuetudine, nativæ ſuæ Hebraicæ obliti eſſent, & Chaldaicam ſive Syriacam *illi genti tunc communem* didiciſſent, hanc poſteà tanquam ſibi familiarem, & longo uſu communem factam in patriam quoq; retulerunt, ac deinceps eâ ſemper tanquam vernaculâ ſunt uſi, cùm Hebraica tantùm inter doctos ſervaretur, quâ linguâ *Syriaca etiam Chriſtus* in diebus carnis ſuæ, ut à communi populo *intelligeretur, uſus eſt*) ita ex duabus illis prodiit *Arabica Agarenis*, qui tamen poſteà Saraceni maluerunt vocari, atq; *Iſmaëlitis*, qui ab Abrahamo originem ducunt, priùs in uſu, nunc verò per totã Aſiam atq; Africam Mahumeto autore, qui ex Iſmaëlitica gente deſcendit, & in hac Alcoranum ſuum conſcripſit, uſitatum, quam etiam ab Heraclij temporibus per crebras Turcarum victorias ſic propagatam cernimus, ut nulli cæterarum ſit inferior, ſed alias omnes uſus ſui amplitudine ſuperet. Hanc enim qui callent, Aſiam atq; Africam; nec non magnam partem Europæ abſq; interprete peragrare poſſunt.

511. Nicolaus Clenardus (qui tanto hujus linguæ diſcendæ & propagandæ flagravit deſiderio, ut non dubitarit ipſam Africam adire, & aliquot annos inter barbaros illos populos & crucis Chriſti inimicos non ſine vitæ periculo commorari) in fine libr.1. Epiſtol. & Guido Fabricius in præfat. Novi Teſtamenti Syriaci pag. ult. probant, omnia ſcripta ſacra in Arabica lingua extare, ** autore Saadia Gaon. **. non quidem impreſſa, ſed tantùm Manuſcripta. Teſtis enim eſt Rutgerus Spey Bopardianus in præfat. Epiſt. ad Galat. (quam Arabicis characteribus & ſermone deſcriptam Anno 83. in publicum Heidelbergæ edidit) *præter Auguſtini Nebienſis Epiſcopi Pſalterium, nihil in hac lingua impreſſum extare, quod tamen ipſum Pſalterium tam negligenter impreſſum ſit, ut ipſi Arabes vix legere poſſint.* Poſtmodùm Anno 1592. Romæ editum eſt Novum Teſtamentum Arabicum, cujus exemplar habetur in Bibliotheca noſtra Academia. ** Sixtus Senenſ.lib.4.Bibl. teſtatur, *Auguſtinum Nebienſem in Octaplis ſuis quintum locũ dediſſe Arabicæ, ejuſque operis ſe vidiſſe duo tantum volumina, nempe Pſalterium excuſum & quatuor Evangelia ipſius autoris manu deſcripta, atramentoq́; ac minio diſtincta.* ** Idem vero judicium eſto de *verſione Arabica*, quod protulimus de *Paraphaſi Syriaca*. ** Perſicam utriuſq; Teſt. verſionem à Jacobo Tavaſio Pavaniſque adornatum extare teſtis eſt Guido Fabricius in præfat. N. T. Syriaci, Item Syriacam, Armenicam, Æthiopicam.**

SECTIO V.

De vulgata Latina Bibliorum verſione.

512. Illam in authenticæ autoritatis faſtigium Pontificij evehunt. Concil. Trident. ſeſſ.4. decernit, *ut vetus vulgata editio in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro authentica habeatur, & ut nemo illam quovis prætextu rejicere audeat.* Plura hujus generis ex Pontificiis ſcriptoribus adduximus ſuperiùs §.316. Atqui 1. verſio eſt. Ergò non eſt authentica. Solus textus Hebræus in Veteri, & Græcus in Novo Teſtamento eſt authenticus, ut demonſtravimus ſuperiùs §.310. & ſeqq. Ergò in ſublime illud authenticæ autoritatis ſolium vulgata translatio evehi nequit. *Per Pontificis aut Concilij poteſtatem fieri nequit, ut fiat authenticum, quod in ſe tale non eſt*, ſcribit Bellarm. lib.1. de verb. Dei cap.10. Subſinmo. Verſio vulgata non eſt authentica vel canonica in ſe. Ergò per Pontificis aut Concilij decretum authentica fieri nequit. 2. Autor ejus non fuit Prophetico Spiritu illuſtris. Ergò non poteſt eſſe Canonica & authentica. Hieronymo eam Pontificij pleriq; tribuunt, ſed obſtant rationes non contemnendæ, quò minùs eam Hieronymianam eſſe ſtatuamus. Nam primò Hieron. in præf. Pſalterij ad Sophronium, quæ eſt Epiſt.133. præfat. in pentateuch. præfat. in libros Regum teſtatur, *ſe eo modo vertiſſe Scripturas ſacras, ut cum Hebraica veritate illa verſio exactiſſimè conſentiret*, quod ipſum de Hieronymo teſtatur Auguſtin.lib.18. de civ. Dei cap. 43. & Iſidorus Hiſpalenſis lib.6. etymolog. cap.5. Atqui vulgata illa editio Latina in multis diſcedit à textu Hebræo, ac propiùs accedit ad LXX. Interpp. verſionem Græcam. Secundò Hieronymus mul-

Vulgata Latina verſio.

Non eſt Hieronymi.

Exegeſis.

ta aliter tranſtulit, & multa improbavit, quæ in vulgata editione habentur, ut apparet ex quæſtionibus in Geneſin, ex commentariis in Prophetas & ex libro de optimo genere interpretandi. Sic quando vulgata Gen.1.v.2.habet: *Et Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, Hieronymus annotat, *haberi in Hebræo vocabulum, quod ſignificet, incubabat, ſeu confovebat in ſimilitudinem volucris ova calore animantis*. Quando vulgata habet Gen. 4. v. 4. *Et reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain autem non reſpexit*, Hieronymus ſic potiùs vertendum cenſet, quemadmodũ Theodotion interpretatus eſt: *Et inflammavit Dominus ſuper Abel & ſacrificium ejus*. Quando vulgata habet Gen.4.v.8. *Egrediamur foras*, Hieronymus annotat, illud eſſe ſuperfluum, & ex volumine Samaritanorum, in quo legitur, *tranſeamus in campum*, huc adductum. Quando vulgata habet Gen.30.v.32. *Et cunctum gregem unicolorem*, Hieronymus monet legendum eſſe *non unicolorem*, quod ratio ipſa confirmat. Pſ.1.v.1.habet vulgata, *in cathedra peſtilentiæ*; Hieronymus, *in cathedra deriſorum*. Pſ.110.v.3.habet vulgata, *Tecum principium*; Hieronymus, *populus tuus ſpõtaneus*. Pſ.132. v.15.habet vulgata, *Viduam ejus benedicam*; Hieronymus, *venationem ejus benedicam*. Eſa.1.v.12. habet vulgata, *ut ambularetis in atriis meis*; Hieronymus, *calcare atriũ meum non apponetis*. c. ejuſd. v. 30. habet vulgata, *cùm fueritis velut quercus*; Hieronymus, *erunt n. quaſi terebinthus*. Gal.1.v. 16.habet vulgata, *non acquievi carni & ſanguini*; Hieronymus, *non contuli cum carne & ſanguine*. Gal.3.v.1.habet vulgata, *non credere veritati*; Hieronymus illa verba omiſit. Eph.1.v.14.habet vulgata, *pignus hæreditatis*; Hieronymus hoc reprehendit, & *arrhabonem* fuiſſe vertendum aſſerit. Eph.4.v.19.habet vulgata, *qui deſperantes ſeipſos tradiderunt*; Hieronymus addidit, *aliter in Græco legi: Non enim deſperant gentes nequaquam ſentientes ruinam ſuam, ſed tanquam beſtiæ ſecundùm carnem vivunt*. Plura hujus generis oſtendit mutua collatio verſionis vulgatæ & Hieronymianæ. Excipiunt quidem, *Hieronymum in commentariis judicaſſe, quædam perperam eſſe tranſlata, quæ poſteà, cùm editionem illam Latinam vulgaret, rectè verſa eſſe videretur*, ſed commentarij illi in Prophetas, in quibus vulgatam verſionem toties reprehendit, ſunt editione illâ poſteriores, ut conſtat ex fine catalogi. Tertiò Hieronymus in ſcriptis ſuis utitur ſermone Grammaticè puro, eſt n. autor Latinitatis non contemnendus. ſed vulgata verſio in locis quamplurimis eſt barbara & ſolæciſmis referta. Gen.13.v.11. *diviſi ſunt alterutrum à fratre ſuo*. c.21.v.26. *nõ audivi præter hodiè*. c.24. v.32. *deſtravit camelos*, pro detraxit clitellas. c.42. v.13. *alius non eſt ſuper*. Pſal. 67. v.20. *Benedictus Dominus die quotidiè*. Pſal.125.v.1. *In convertendo Domine captivitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati*. Math.6.v.26. *Nonne vos magis plures eſtis illis*. c.17.v.19. *Quare nos non potuimus ejicere illum* (Dæmonium) c.20 v.28. *Filius hominis non venit miniſtrari*. c. 22. v. 30. *neq; nubent, neq; nubentur*. c.24.v. 6. *opiniones præliorum* pro rumores. Luc. 7.v.32. *lamentavimus vobis*. c.19. v. ult. *omnis populus ſuſpenſus erat audiens illum*, pro pendebat ab illo. c.21.v.38. *omnis populus manicabat ad eũ*, Job. 15.v.2. *ut fructum plus afferat*. Act.3.v.19. *Pœnitemini*. cap.12.v.8. *calcea te caligas tuas*, pro ſubliga ſandalia tua. c.18.v.15. *minavit eos à tribunali*, pro abegit. Confer Epiſtolam, quam eruditus Theologus ad demonſtrandos vulgatæ verſionis ſolæciſmos & barbariſmos ex ea collegit, quæ extat apud D. Hunnium in examine controverſiæ primę generalis de verbo Dei lib.2.c.14. Albericus Gẽtilis vulgatæ verſionis Latinitatem defendere voluit. Sed notandum, quòd non poſſit haberi Ciceronianum vel ſatis Latinum, quod Pacuvij, Nęvij, Ennij, aut etiam Vitruvij, Petronij, Apuleij & aliorum his ſimilium autoritate probari poteſt. Si quis hodiè more Ennij poëtaretur, ridiculum ſe præberet, quia uſus, quem penes arbitrium eſt & vis & norma loquendi, hoc poëtandi genus abrogavit. Contra communem illum loquendi uſum inſolentia affectare velle Auguſtinus imperitam judicat inſcitiam. Nec probari poteſt cordatis, rem ſacram & omnium uſui deſtinatam obſoletis & obſcuris tradere velle archaiſmis. Quartò doctiſſimi Pontificij agnoſcunt verſionem illam nõ eſſe Hieronymi, Santes Pagninus in præf. ſuæ interpret. Lindanus lib.3.de optim. genere interp. (ubi *Græculum quendam ejus autorem extitiſſe ſuſpicatur*) Stapulẽſis in præf.comm.in Epiſt. Paul. in Apolog. (*Omnes*, inquit, *qui incolumi pollẽt judicio negant hanc editionem eſſe Hieronymi. Nam Hieronymus eam redarguit & damnat, & autorem ejus ſæpè vellicat, & inſcitiæ accuſat, ita opus nominat, ut alienum; ita interpretem ejus redarguit, ut alium. Eſt igitur caput pertinax, quiſquis aliter ſtatuerit*) Paulus Burgenſis, Johannes Reuchlinus, Laurentius Valla, Driedo lib.2. de catal. Scrip.c. 1. Sixtus Senenſis lib.8. Bibliothec. Paulus Foroſempronius libr.2. de die paſſ. Dom.c.1. Eraſmus in añot.c.1.Matth.p.10. (*Hic locus, Ecce virgo cõcipiet, argumentum præbet, hanc editionẽ quâ vulgo utimur, nec in uſu fuiſſe Hieronymo, nec ab illo caſtigatam. Nam ſi in uſu fuiſſet, legiſſet & hic, habet. Si caſtigaſſet, haberemus quod ille probat ac ſequitur Ita n. Hieronymus in comm. ſup. h. l. Propheta, quia futura prædicit, ſignificat, quid futurum ſit, & ſcribit, accipiet. Evangeliſta, quia non de futuro, ſed de præterito narrat Hiſtoriam, mutavit, accipiet & poſuit habet. Qui n. habet, nequaquam accepturus eſt. Idem Hieronymus in Epiſt. Galat. lib.3 taxat interpretem, quod perperam verterit locum 1. Cor. 5. & citat ad hunc modum. Modicum fermentum totam conſperſionem fermentat*, unde concludit idem Eraſmus in annot.1.Cor.5.p.314. *Si N. T. haberemus ab Hieronymo reſtitutum, ut quidã autumant, quomodo taxat, quod nos hic legimus*) Bellarmin. lib.2. de verbo Dei cap.9. (ubi fatetur *Pſalmos non haberi ex Hieronymi verſione, ſed duntaxat correctione*) & lib. ejuſd. c.11. (ubi ſcribit, *vulgatam editionẽ non eſſe unius autoris, ſed quædam habere ex Hieronymo, quædam ex Luciano, quædam ex Theodotione, quædam ex alio quodam Interprete innominato*) His rationib. movemur, quò minus eã Hieronymi eſſe ſtatuamus. Sed demus ex hypotheſi. Hieronymi eam eſſe, nondum tamen propterea erit authentica, cùm Hieronymus nõ fuerit Prophetico Spiritu inſignis, ac ipſemet ſcribat in præfat. pentateuch. aliud eſſe vatem, aliud interpretem.

514. 3. In locis quamplurimis *à fontibus veritatis*, h.e. à textu Hebræo in V. & Græco in N.T. diſcedit, ex quo ſic inferimus. Quæcunq; verſio diſcedit à fontib. veritatis, ea hactenus & hoc reſpectu non poteſt eſſe authentica. Vulgata verſio Latina in locis quamplurimis diſcedit à fontibus veritatis. Ergo. Major eſt certiſſimæ veritatis. *Diſcedit à fontibus.*

Quia

Quia n. verbum Dei in V. T. linguâ Hebræa, in N. T. linguâ Græcâ ſcriptum eſt, ideo Scriptura Hebræa in V. & Græca in N. T. ab Hieronymo rectè vocantur fontes veritatis, ad illos igitur recurrendum, ſi quâ in parte verſio à textu originali diſcedit. Omnis enim verſio ac proinde etiam vulgata Latina habet ſe ad textum originalem tanquam normatum ac regulatum ad normam ac regulam, ex qua corrigenda eſt, ſi ab ea vel minimùm diſcedit. Ecquis Monarcha permitteret, ſi edictum ab ipſo editum ex nativa lingua in aliam fuiſſet translatum, illud ſubditis eâ ratione obtrudi, ut verſioni non ſatis fidæ & commodæ inhærere cogantur, etiamſi ad manum babeant nativũ exemplar & videant manifeſtas verſionis corruptelas? Minorem multis probant Chemnitius, Oſiander, Hunnius, Witakerus, Schrôderus & alij. Quamvis n. Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c. 12. 13. & 14. defendere conetur illa loca, in quibus editionem vulgatam à fontibus diſcedere demonſtramus, notandum tamen. 1. quod ne quidem ſibi ipſi ſatis ſaciat, nedum lectori. 2. quod lõgè plura habeantur loca, in quibus corruptionis accuſamus vulgatam verſionẽ, quàm quæ vindicare conatur Bellarminus. 3. quod Hunnius, Witakerus & alij Bellarminianam illàm defenſionem in fumum & cinerem redegerint. 4. quod ipſa collatio textus Hebraici in V. & Græci in N. T. noſtram manifeſtè confirmet ſententiam. 5. quod ipſimet ſaniores Pontificij corruptelas illas verſionis Latinæ, in quib. à fontib. diſcedit, agnoverint & correxerint. Fecerũt hoc Armacanus, Eugubinus. Johannes Iſaacus, Cajetanus, Jacobus Faber Stapulenſis, Laurentius Valla, Pagninus, Bruno Amerbachius, Benedictus Arias Montanus, Iſidorus Clarius, Eraſmus, Lucas Brugenſis & alij cõplures.

Mendis ſcatet compluribus.

514. 4. Mendas habet complures & ferè innumeras, ex quo ſic inferimus. Quæcunq; verſio mendas habet complures & ferè innumeras, ea non poteſt eſſe authentica. Vulgara Latina verſio mendas habet complures & ferè innumeras. Ergò. Major eſt certæ veritatis. Minor probatur inductione. Habet n. 1. *mendas graphicas*: Jud. 11. v. 2. *adultera mater* pro altera mater. Luc. 15. v. 8. *evertit domum* pro everrit (Lovanienſes erratum viderunt ſed non correxerunt. Gloſſa ordin. fœminam hanc interpretatur *Eccleſiam, quæ evertit domum, quando conſcientias hominum de reatu ſuo perturbat*. Dionyſius Carthuſianus docet, *everti domum, quando contenta in domum transferuntur de loco in locum*) Luc. 15. v. 14. *conſummaſſet* pro conſumſiſſet. Joh. 20. v. 22. *Sic eum volo manere*, pro ſi eum volo manere (unde aliqui colligere voluerunt, Johannem nondum eſſe mortuum. Quidam n. referente Corn. Janſenio in Conc. Evang. dixerunt, *eum vivum translatum in Paradiſum comitibus Enocho & Elia, cum quib. etiam ſub adventum Domini ſit rediturus ad prædicandũ Chriſtum trucidandus ab Antichriſto*. Alij teſte Auguſtino opinantur, *eum in ſepulchro ſuo adhuc jacere vivum, ibi dormire usq; ad diem noviſſimũ*) Hebr. 12. v. 8. *adulteri non filij eſtis*, pro adulterini filij eſtis. 1. Pet. 2. v. 5. *ſuperædificamini domos ſpirituales* pro domus ſpiritualis. 2. Pet. 1. v. 16. *Chriſti virtutem & præſcientiam* pro præſentiam. 2. *fontibus directè contradictorias*. Gen. 19. v. 18. *Quæſo Domine mi*, pro, Ne quęſo Domine mi. Gen. 49. v. 24. Jacob ait de Joſepho. *Et roborata ſunt brachia manuum ejus*. Vulg. habet contrarium. *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum & manuum ejus*. Act. 24. v. 42. *ut cuſtodias occiderent*, pro ut vinctos occiderent. 1. Cor. 15. v. 51. *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*, pro Non omnes quidẽ obdormiemus, omnes tamen immutabimur. 2. Cor. 7. v. 8. *non me pœnitet, etſi pœniteret*, pro non me pœnitet, etſi me pœnitebat. Philem. v. 9. *cùm ſis talis, ut Paulus ſenex*, pro cum ſim talis, nempe Paulus ſenex. Hebr. 3. v. 3. *Quantò ampliorem honorem habet domus*, pro, Quantò ampliorem honorem habet quam domus, is qui conſtruxit eam. 1. Petr. 2. ver. 23. *tradebat autem judicanti ſe injuſtè* pro juſtè. 2. Petr. 1. v. 16. *indoctas fabulas ſecuti* pro doctas, 1. Joh. 5. v. 16. *Et eſt peccatum ad mortem*, pro Et eſt peccatum non ad mortem. 3. *ellipticas*. Gen. 1. v. 3. deſideratur *omnes virides herbas*. c. 4. v. 16. *profugus in terra*, deeſt; Nod. c. 34. v. 29. deſiderantur illa verba. *Diruperunt deniq; quicquid in domo qualibet erat*, c. 40. v. 5. deſiderantur hæc omnia: *Pincerna ille & piſtor ille, qui erant Regis Ægypti & qui vincti in turri carceris* Matth. 6. v. 4. deeſt, *in propatulo*. cap. ejuſd. v. 32. *ſcit Pater veſter*, deeſt, cœleſtis c. 15. v. 31. deeſt, *mancos ſanos*, c. 18. v. ult. deeſt, *offenſas illorum* c. 20. v. 15. *aut non licet mihi quod volo facere*, pro, an non licet mihi facere quod volo in reb. meis. Luc. 2. verſ. 40. *Puer creſcebat & corroborabatur*, deeſt, Spiritu. Joh. 5. v. 16. deeſt, *& ſtudebant illum interficere*. Act. 10 v. 30. Poſt verba *à nudius 4. die usq; ad hanc horam*, deeſt, jejunus eram. c. ejuſd. v. 32. deeſt, *qui cũ adfuerit, loquetur ſibi*. c. 18. v. 21. deeſt, *Oportet omnino me feſtum, quod inſtat, agere Hieroſolymis*. c. 22. v. 12. vir *ſecundùm legem*, pro, vir prius ſecundùm legem. Rom. 14. v. 6. deeſt. *Qui nõ obſervat diem, Domino non obſervat*. 1. Cor. 6. v. ult. deeſt, *& in Spiritu veſtro, quæ ſunt Dei*. c. 15. v. 54. deeſt, *cùm corruptibile hoc induerit incorruptibilitatẽ*. 2. Cor. 12. v. 11. *factus ſum inſipiens*, deeſt in gloriando 1. Tim. 6. v. 5. deeſt, *ſecede ab iis, qui ejuſmodi ſunt*. Hebr. 1. v. 3. *purgationem peccatorum faciens*, deeſt, per ſeipſum. 1. Pet. 4. v. 14. deſunt, *quod ad illos quidem attinet, blaſphematur; quod autem ad vos, glorificatur*. Apoc. 2. v. 14. *edere & fornicari*, pro edere, quæ idolis immolantur & fornicari. 4. *Pleonaſticas*. Gen. 4. v. 15. redundat. *Nequaquam ita fiet*, c. 5. v. 22. ſuperflua ſunt. *Et vixit Enoch*. c. 6. v. 6. redundant, *præcavens in futurum* c. 27. v. 33. redundant illa verba, *ultra quam credi poteſt, admirans*. c. 31. v. 32. redundant, quod *autem furti me arguis*. Exod. 2. v. 17. redundat. *Alterum peperit, quem vocavit Eliezer, dicens. Deus n. Patris mei fuit adjutor meus & eripuit me de manu Pharaonis*, quorum nihil eſt in Hebræo. Plura hujuſmodi ubivis occurrunt. 5. *Chronographicas*. Gen. 8. v. 4. *dies 27*. pro 17. c. 11. v. 13. *anni trecenti tres* pro quadringentis tribus Matth. 3. v. 2. *appropinquabit regnum cælorum* pro appropinquavit c. 26. v. 61. *poſt triduum* pro triduo Act. 5. v. 13. *Peccatum non imputabatur cùm lex non eſſet*, pro peccatum non imputatur, cùm nulla lex eſt. 6. *Topographicas*. Gen. 2. v. 8. *Plantaverat Deus Paradiſum voluptatis à principio*, pro, plantaverat Deus hortum in Eden ab Oriente. c. 34. v. 3. *Vallis Sylveſtris* dicitur quæ Siddim vel campeſtris dicenda erat, niſi enim proprium nomen ſit, locum aratum, non ſylveſtrem ſignificat. Deut. 4. v. 41. 46. 47. 49. *trans Jordanem*, pro, cis Jordanem. 7. *Hiſtoricas*. Gen. 8. v. 7. *corvus egrediebatur & non revertebatur*, ubi vulgata editio ſecuta eſt LXX. Interpretes, in

Hebræo eſt, *corvus ibat & revertebatur in arcam quouſq; aquæ exaruerunt*, cap.24.v.22. *duo ſicli* leguntur pro dimidio ſiclo.c.36.v.24. *Anam inveniſſe dicitur aquas calidas*, cùm invenerit mulos cap.37.verſ.2. Joſeph dicitur *fuiſſe annorum ſedecim*, in Hebræo eſt, annorum ſeptendecim. Luc. 9.v.14. *erant ferè viri quinq; millia*, in Græco, circiter quinquies millia. 8. *dogmaticas*. Gen.3.v. 15. *ipſa conteret caput ſerpentis* (unde Maria pro Chriſti in opere redemtionis ſocia fuit habita) c.4.v.13. *Major eſt iniquitas mea quàm ut veniam merear* (in Hebræo nihil eſt, quod vel minimam meriti ſignificationem habeat, vertendum enim erat, *ut veniam conſequar*. Matt.6.v.7. *Nolite multum loqui in precibus* (Græca habent, μὴ βαττολογήσετε, quod longè aliud eſt) Rom.12.v.19. *non vosmetipſos defendentes* pro ulciſcentes. c.14.v.5. *Unusquisq; in ſuo ſenſu abundet*, pro, unuſquiſq; in animo ſuo planè certus eſto Galat.3.v.24. *Lex pædagogus noſter fuit in Chriſto* pro in Chriſtum. 9. *quædam conjungenda diſtrahit & diſtrahenda conjungit*. Luc.16.v.22. *Mortuus eſt & dives & ſepultus eſt in inferno. Elevans autem oculos ſuos* (cùm legendum eſſet. Mortuus eſt dives & ſepultus eſt. Et in inferno elevans oculos ſuos, ex hac corruptela factum, ut multi Interpretes, qui non inſpexerunt Græcum textum ſuaviter philoſophentur de ſepultura hujus divitis apud inferos) Act.2.v. 42. *& communicatione fractionis panis*, pro & cõmunicatione & fractione panis c.10.v.30. *uſq; ad hanc horam eram orans hora nona*, pro, uſq; ad horam eram jejunans & horâ nonâ precabar. Gal.4. v.ult. verba illa. *Quâ libertate Chriſtus nos liberavit*, conjungenda ſunt cum initio capitis ſequentis. 2.Petr.2.v.8. *Aſpectu n. & auditu juſtus erat, habitans apud eos; qui de die in diem animam juſtã iniquis operibus excruciabant*, pro aſpectu enim & auditu juſtus ille habitans inter eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis factis cruciabant.

Patres ab ea diſcedunt.

515. 5. Si Latina illa verſio fuiſſet in primitiva Eccleſia authentica judicata utiq; Eccleſia Latina & Doctores Eccleſiæ Latinæ mox ubi prodiit, pro authentica eam recepiſſent, nec ab ea in uſu publico & in ſcriptis ſuis diſceſſiſſent. Sed poſterius dici nequit. Nam. 1. Hieron. in præfat. ſuper Joſ. teſtatur, *ſuo tempore tot fuiſſe exemplaria, quot Codices*. Auguſtin. libr. 2. de doctr. Chriſt. c.11. ſcribit, *numerari non potuiſſe, qui Scripturas in linguam Latinam verterint*. 2. Platina in vita Damaſi refert, *vulgatam illam verſionem aliquot poſt Chriſtum annis demum aliquam in Eccleſia obtinuiſſe autoritatem*. 3. Patres Latini in ſcriptis ſuis multa aliter citant, quàm in vulgata verſione extant. Eraſmus in præfat. Hilarij. *Tranſlatio, quâ utitur Hilarius, diverſa eſt ab hac, quæ nunc vulgo recepta eſt. Porrò cùm Cypriano ſua ſit tranſlatio, cùm Auguſtino ſua, cùm Ambroſio ſua, cùm Hilario ſua, cùm Tertulliano ſua ab omnibus diverſa ſatis apparet, nullam olim fuiſſe omnium communem*. Idipſum multis demonſtrari poteſt exemplis, utpote 1. *de Tertulliano*. Gal.6.v.2. habet vulgata. *Alter alterius onera portate*. Tertull. lib.5. contra Marcion. cap.4. ſic citat. *Onera veſtra invicem ſufferte*. 1.Cor.1.v.19. habet vulgata, *prudentiam prudentium reprobabo*. Tertullianus lib. 5. adv. Marc. cap.5. citat, *irritam faciam*. Rom.1. v.16. habet vulgata. *Non erubeſco Evangelium*. Tertullianus lib.5. cap.13. citat, *Non me pudet Evangelij*. 2. *De Cypriano*. Matth.3.v.11. habet vulgata, *cujus ego non ſum dignus portare calceamenta*. Cyprianus ad Quirinum lib.1. num.12. citat. *Non ſum idoneus*. Luc.1.v.68. habet vulgata. *Quia viſitavit & fecit redemtionem plebi ſuæ*. Cyprianus ad Quirinum lib.2. num.7. citat. *Quia proſpexit redemptionem populo ſuo*. Joh.1.v.1. habet vulgata. *In principio erat verbum*. Cyprianus d.l.2. num.6. citat. *In principio erat ſermo*. Roman.2.v.4. habet vulgata. *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis?* Cyprianus lib.3. num. 35. citat. *An nunquid opulentiam bonitatis ejus & ſuſtinentiam & patientiam contemnis?* Matth.18. v.32. habet vulgata. *Omne debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me*. Clerus Romanus tempore Cypriani Epiſt.31 ſic citat. *Donavi tibi omne debitũ, quia rogaſti me*. 3. De *Arnobio*. 1.Joh.2.v.18. vulgata legit. *Filioli noviſſima hora eſt*. Arnobius in Pſal.67. citat. *Pueri, noviſſima hora eſt*. Luc.22. v.31. vulgata habet. *Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum*. v.32. *Ego autem rogavi pro te*. Arnobius in Pſal.106. citat. *Satanas expetivit, ut ventilet. Ego autem interceſſi*. 4. De *Hilario*. Matth.7.v.2. habet vulgata. *In quo judicio judicaveritis, judicabimini*. Hilarius in illum loc. Matth. citat. *Judicabitur de vobis*. cap.11.v.6. vulgata habet, *arundinem vento agitatam*. Hilarius in Matth. legit *vento quaſſatam*. cap.26.v.51. vulgata habet. *Extendens manum exemit gladium ſuum & percutiens ſervum principis Sacerdotum amputavit auriculam ejus*. Hilarius in Matth. legit. *Gladium exerens ſervo principis Sacerdotum aurem abſcidit*. 5. De *Ambroſio* Luc.1.v.42. vulgata habet, *inter mulieres*. Ambroſ. in cõmm. legit *in mulieribus*. cap. ejuſd. v.39. *fiat mihi* Ambroſius legit, *contingat mihi*, cap.12.v.22. vulgata habet, quid *induamini*. Ambroſius legit, quid *veſtiamini*. 6. de *Auguſtino* idem multis demonſtrari poteſt. 7. Quinimò ne quidem tempore *Gregorij Papæ*, qui ducentis & ampliùs annis poſt Hieronymum (quem verſionis illius autorem faciunt) vixit, illa editio ſola, ne quidem in ipſa Romana Eccleſia obtinere potuit, ut conſtat ex præfat. Gregorij in Jobum cap.5.

516. *Antitheſis*. Pontificij, ut jam antè diximus, verſionem vulgatam habent pro authentica, cujus rei veram & genuinam cauſam exponit Albertus Ingolſtadienſis ſcribens referente D. Chemnicio part.1. Exam. Concil. Trid. p.102. *in veteri litera vulgatæ editionis latere multa myſteria fidei*, intellige Pontificiæ. Sic Gen.3.v.15. legit vulgata tranſlatio. *Ipſa conteret caput ſerpentis*, quod ad patrocinium & interceſſionem Mariæ accommodant. Gen.4.v.13. dicit Cain in vulg. tranſlatione. *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear*, quod ad ſtabilienda merita, operum detorquent, cùm in Hebræo nullius meriti fiat mentio. Gen.6.v.5. habet vulgata. *Cogitatio cordis intenta eſt ad malum*. Hoc ad extenuandum peccatum originis referunt, cùm in Hebræo ſit: *Omne figmentum cogitationum cordis humani tantum malum eſt omnibus diebus*. Gen.14.verſ.18. habet vulgata. *Melchiſedec Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi*. Ex eo probant ſacrificium Miſſæ, cùm Hebr. textus nec oblationis verbum nec rationalem conjunctionem habeat. Gen.48.v.16. vulgata habet. *Invocetur ſuper eos nomen meum*. Ex hoc loco invocationem ſanctorum probant, cùm Hebræa habeant interprete Bened. Aria Montano. *Vocetur in eis no-*

Antitheſis *Meritum.* *Peccatum originis.* *Miſſa.*

eis nomen meum. Job.5.v.1.vulgata legit. *Voca ſi quis eſt qui tibi reſpondeat & ad aliquem ſanctorum convertere.* Ex hoc loco itidem probant invocationem ſanctorum, cùm in Hebræo ſit. *Ad quem ſanctorum reſpicies?* qui ſcilicet non fuerit multa perpeſſus. Job.33.v.23.habet vulgata. *Si fuerit pro eo Angelus loquens, miſerebitur ejus & dicet, libera eum.* Hunc locum Bellarminus itidem ad invocationem ſanctorum refert, ſed in Hebræo eſt. *Si fuerit apud eum Angelus interpres unus ex millibus ut indicet homini rectitudinem ejus.* Pſ.139.v.17.habet vulgata. *Mihi honorificati ſunt amici tui nimis.* In eo etiam quærunt fundamentum invocationis ſanctorum. Hebræus refert ad cogitationes Dei. Pſ.150.v.1.habet vulgata. *Laudate Dominum in ſanctis ejus.* Ex eo invocationem ſanctorum ſtabilire nituntur, cùm in Hebræo ſit. *Laudate Dominum in ſanctuario ejus.* Eccl.9.v.1. & 2.habet vulgata. *Neſcit homo an amore vel odio*

Dubitatio *dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Ex eo dubitationem probare cupiunt, cùm in Hebræo ſit. *Etiam amorem, etiam odium non ſciens homo, omnia ante facies eorum.* Sirac. 5.v.5. habet vulgata. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Illud itidem ad dubitationem accommodant, cùm in Græco ſit. *De propitiatione ne ſias ſine timore, ut apponas peccatum ſuper peccatum.* cap.

Meritum 16.v.15.habet vulgata. *Miſericordia faciet unicuiq; locum ſecundum meritum operum.* Ex hoc loco probat Bellarminus merita operum, cùm in Græco legatur. *Unusquisq; ſecundùm opera ſua inveniet.* Luc.1.v.28.habet vulgata. *Ave gratiâ plena,* id accommodant ad invocationē Mariæ, cùm in Græco ſit, χαῖρε κεχαριτωμένη. cap. ejuſd v.48. habet vulgata, *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* id referunt ad probanda operum merita, cùm

Meritum. in Græco ſit, *reſpexit* ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν, *ad humilem & vilem conditionem.* cap. 2.v.14. vulgata habet. *Pax in terra hominibus bonæ voluntatis.* Ex

Lib. arb. hoc loco libertatem arbitrij in ſpiritualibus elicere conantur, cùm in Græco ſit, hominibus εὐδοκία. cap.10.v.35.habet vulgata, *quodcunque ſu-*

Opera ſuperorog. *pererogaveris,* ex hoc loco opera ſupererogationis probare cupiunt, cùm in Græco ſit ὅτι ἂν προσδαπανήσῃς. Joh.14.v.26.habet vulgata. *Spiritus ſanctus ſuggeret vobis omnia, quæcunque dicam*

Eccleſia. *vobis.* Ex hoc loco Remenſes autoritatem Eccleſiæ & Conciliorum in promulgandis fidei dogmatibus probant, cùm in Græco ſit ἃ εἶπον *quæcunque dixi vobis.* Rom.11.v.6.vulgata omiſit illam antitheſin. *Sin ex operibus, jam non eſt gratia,* ut facilius obtinere poſſint, gratiam & opera in articulo juſtificationis ſimul conſiſtere poſſe. 1. Cor.4.v.1. miniſtri verbi vocantur *diſpenſatores myſteriorum Dei.* Ex hoc loco Concil. Tridentinum probare nititur, poſſe Eccleſiam in Sacramentia diſpenſare & unam ſpeciem in ſacra Cœna abrogare, cùm in Græco ſint οἰκονόμοι τῶν μυστηρίων. cap.14.v.16.vulgata habet. *Si benedixeris Spiritu, qui ſupplet locum idiotæ, quomodo dicet Amen?* ex eo colligunt, debere aliquem adeſſe, qui Sacerdoti pro toto populo reſpondeat, cùm in

Merita. Græco ſit, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου. Eph.2. v.10.habet vulgata, *creati ſumus in bonis operibus,* hoc transferunt ad merita operum, ſed in Græco eſt, *creati ſumus in Chriſto* ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς. cap.5. v.32.habet vulgata. *Sacramentum hoc magnum*

Conjug. *eſt.* Ex eo probare cupiunt, conjugium eſſe N. T. Sacramentum, cùm in Græco ſit μυστήριον. cap.

Exegeſit.

6.v.13.habent quidam Codd. Latini. *Ut in omnibus poſſitis perfecti ſtare.* Ex eo probat Staphylus per-

Perfect. operum. fectionem operum, cùm in Græco ſit; καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι στῆναι. Heb.1.v.3.in verſione vulgata eſt omiſſum, *per ſeipſum,* ut obtinere poſſint, Chriſtum noſtris operibus promeruiſſe vim ſatisfaciendi pro peccatis. cap.9.v.28. Chriſtus dicitur *oblatus ad multorum peccata exhaurienda,* id Andradius eò applicat, quod poſt Baptiſmū nullæ maneant peccati reliquiæ, cùm in Græco ſit verbum ἀνενεγκεῖν. Hebr.13.v.16.habet vulgata. *Talibus hoſtiis promeretur Deus.* Hoc applicant ad merita operum, cùm in Græco ſit εὐαρεστεῖται. Jac.5.v.15.habet vulgata. *Et allevabit eum Domi-*

Extrema unctio. *nus,* hoc ad efficaciam extremæ unctionis applicant, quia verbum illud de ſpectris & incurſione Satanæ interpretantur, cùm in Græco ſit ἐγερεῖ.

Argumentum Pontificiorum. 1. à verſionis hujus antiquitate. 517. Expendamus verò argumenta, quibus probare conantur authenticam vulgatæ verſionis autoritatem. 1. à verſionis hujus antiquitate. *Vulgata illa editio longo tot ſeculorum uſu in Eccleſia eſt recepta, à tempore enim Gregorij per annos ferè mille Eccleſia hac una editione eſt uſa.* Reſp. 1. Quæ ſit authentica Scripturæ editio, de eo non eſt judicandum ex uſu Eccleſiæ, ſed ex illa lingua, in qua Prophetæ & Apoſtoli ſcripſerunt. Uſus Eccleſiæ ad Scripturam, non autem Scriptura ad uſum Eccleſiæ eſt accommodanda. 2. Si ætas autoritatem authenticam conciliat, nulla editio vetuſtior eſt Hebræa, quippe in qua primùm perſcripti ſunt V. T. libri. 3. Si illa verſio Scripturæ eſt authentica, quâ Eccleſia per mille annos uſa eſt, etiam authentica erit editio Græca & Chaldaica V. T. ac verſio Syriaca N. T. 4. Latina Eccleſia, quæ hac verſione uſa, eſt duntaxat pars Catholicæ Eccleſiæ, fuerunt enim plures aliæ videlicet Ægyptiacæ, Æthiopicæ, Arabicæ, Indicæ, Perſicæ & cumprimis Græcæ, in quibus nullus fuit hujus verſionis uſus. 5. Hieronymus præfat. in Joſuam & Auguſtinus lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 11. docent, innumeras in Eccleſia veteri fuiſſe verſiones Latinas. Eas tam citò aboleri potuiſſe vel abolitas fuiſſe non eſt veriſimile. Ergo ſola illa vulgata translatio non fuit in uſu, ſed etiam aliæ. Gregorius in Epiſt. ad Leandrum dicit, *Eccleſiam Romanam eſſe uſam duabus verſionibus, quarum unam vocat veterem, alteram novam.* 6. Ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, qui poſt Gregorium vixerunt Beda ſcilicet, Gilda & aliis apparet, non omnia Scripturæ dicta eo modo citari, quo leguntur in vulgata illa translatione. Iſidorus lib. 6. etymolog. cap. 5. dicit, *eam meritò cæteris anteponi,* fuerunt ergo in uſu etiam aliæ. 7. Si vulgata verſio eſt authentica, tunc omnia ejus verba erunt authentica. Atqui in multis continet manifeſtos errores & mendas, ut oſtendimus. 8. Nec ſtatim deſiit in Occidente Eccleſia colligi, ſi vel maximè verſionem ſecuta fuerit, quæ non exactè in omnibus fontem ſequitur, neque enim ab omni planè errore immunis eſt Eccleſia ac res ipſa teſtatur, poſt Gregorij tempora magnam doctrinæ inclinationem eſſe factam.

2. ex præconij dignitate. 518. 2. Ex præconij dignitate. *Hæc vulgata verſio aut eſt Hieronymi vel antiqua illa communis, quam Auguſtinus vocat Italam. Si eſt illa antiqua, magnum habet teſtimonium ab Auguſtino lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 15. Si eſt Hieronymi, habet teſtimonia omnium veterum, qui eam videre potuerunt.* Reſp. 1. veteres eam laudarunt, ſed authenticam

eam haud quaquam judicarunt, ut ipſorummet verbis probatum dedimus ſuperiùs §.314. 2. Vi hujus argumenti duæ verſiones erunt authenticæ, quia Auguſtinus & Italam & Hieronymianam laudat. Iſidorus lib. 6. Etymolog. cap. 5. interpretationem illam *cæteris anteponi* dicit, puta verſionibus, non antem ipſis ſontibus. 3. hypotheſis argumenti, quod ſcilicet Hieronymi ſit illa verſio, dubia eſt & incerta, ut oſtendimus §.513. 4. Patres ſuo præconio tam non poſſunt editionem aliquam Scripturæ, quæ in ſe non eſt authentica, facere authenticam, quàm non poteſt Eccleſia ex libro non Canonico facere Canonicum, quod Bellarminus lib. 1. de verbo Dei cap. 10. fatetur. 5. Hieronymus ipſe de ſna verſione aliter pronunciat præfat. in pentat. *Aliud eſt eſſe vatem, aliud interpretem.* 6. Etiam Græca LXX. Interpp. verſio multis laudibus extollitur à Juſtino, Irenæo, Euſebio, Epiphanio, Chryſoſtomo, Cyrillo, Auguſtino, &c. eam tamen juxta Hebræi textus normam correxit Hieronymus, nec quiſquam authenticam eam eſſe proounciat.

3 Ex rationis paritate. 519. 3. Ex rationis paritate. *Habuerunt Hebræi in ſua lingua authenticam Scripturam. Græci quoque habuerunt in ſua lingua authenticam, i. e. Teſtamentum vetus ex verſione LXX. Interpp. & Novi Teſtamenti primos fontes, igitur æquum fuit, ut Latina Eccleſia, in qua ſedes Petri eſt & in qua perpetuò fides Chriſtiana manſura erat, haberet ſuâ linguâ authenticam Scripturam.* Reſp. 1. Vi hujus argumenri quælibet Eccleſia alio utens idiomate quàm Hebræo vel Græco, deberet habere authenticam verſionem. 2. Græca Eccleſia non habet libros Vet. T. in ſua lingua authenticos. 3. Dentur Latini Prophetico Spiritu inſtructi, quales olim fuerunt Prophetæ & Apoſtoli, quorum illi Hebraicè prædicarunt & ſcripſerunt, his verò Græcè ſcribere placuit ob cauſam ſuo loco expoſitam. 4. Ubi verò hodie Eccleſia Latina? Romana non eſt Latina, ſed Italica. 5. Si Latina Eccleſia non eſt Eccleſia, niſi habeat authenticam aliquam Scripturæ editionem in ſua lingua, ergo ante Concilium Tridentinum, quod vulgatam translationem canonizavit, Eccleſia Latina non fuit Eccleſia. 6. Sedem Petri eſſe Romæ & in ea perpetuò fidem Chriſtianam manſnram, ſine probatione aſſeritur. Ubi doctrina Petri ſonat incorrupta, ibi eſt Petri ſedes.

4 à verſionum varietate. 520. 4. *A verſionum varietate. Hæretici diverſas & inter ſe diſſentientes editiones cudunt. Ergo præſtat veterem Latinam retinere.* Reſp. 1. nullam verſionem tanquam authenticam Eccleſiæ obtrudimus, ſed ſolum textum Hebræum in V. & Græcum in N. T. authenticum eſſe ſtatuimus. 2. diſſenſus ille non niſi ex fontium inſpectione & agnoſci & conciliari debet. 3. probaret hoc, vulgatam editionem reliquis verſionibus, non autem ipſis fontibus eſſe præferendam. 4. Quod Bellarminus in hac quæſtione diſputat, *Eccleſiam Latinam ut conſtantior fuit in fide retinenda quàm Græca, ita fuiſſe vigilantiorem in ſuis Codicibus à corruptione defendendis*, illud repugnat plurimis ipſorum Latinorum Patrum teſtimoniis quæ ſuperiùs ſunt enumerata. Adde quod Eccleſia Latina non minùs, ſi non magis quàm Græca in doctrinæ puritate conſervanda negligens fuerit. 5. Quod addit, *Eccleſiam approbaſſe illam verſionem vulgatam, ac certos nos reddidiſſe, in iis, quæ ad fidem & mores pertinent, nulla eſſe in hac verſione Interpretis errata*, ad illud breviter dicimus, Eccleſia noo habet autoritatem & poteſtatem cujuſquam hominis interpretationem quantumvis accuratam ſic approbandi, ut eam ſolam eſſe authenticam ipſisq; ſontibus præferendam ſtatuat. Et quæ eſt illa Eccleſia, quæ vulgatam verſionem Latinam canonizavit? nulla profectò alia quàm Romana, quæ eo ipſo, quod ſibi etiam errores canonizanti abſolutè fidem haberi poſtulat, oſtendit ſe non eſſe veram Eccleſiam.

SECT. VI.

De Germanica Lutheri verſione.

521. Grato animo agnoſcimus & prædicamus *Germanica Lutheri verſio.* inſigne beneficium, quod per Germanicam Lutheri verſionem Deus Eccleſiis Germanicis præſtitit, illa enim textus originalis ſententiam fideliſſimè exprimit, ſermone conſtat perſpicuo, puritatem linguæ tuetur, & in locis difficilioribus paraphraſeos & commentarij operam præſtat, unde haud immeritò reliquis beneficiis, quæ Deus poſtremis hiſce temporibus per Lutheri miniſterinm Eccleſiæ præſtitit, hoc opus verſionis annumeratur, de quo Lutherus ipſe ſæpius teſtatur, ſibi & συνεργοῖς ſuis labore ac ſudore maximo illud conſtitiſſe. Confer Mattheſium concione. 13. de Luthero ann. 1540. p. 142. De Johanne Bugenhagio memoratur, quod diem illum, quo Lutherus ultimam manum Bibliorum verſioni impoſuit, quotannis cum ſua domeſtica Eccleſia feſtivum habuerit, quo ipſo præſtantiam hujus operis manifeſtam ſacere voluit. Præconia verſionis Germanicæ à Luthero adornatæ, vide apud Georgium Principem Anhaldinum in Pſ. 16. operum Germ. ſol. 508. & Heſhuſium in præf. ſuper Pſalt. p. 4.

522. Opponenda hæc ſunt. 1. cavillationibus *Calvinianorum*, qui Lutheri verſioni non multùm tribuunt, unde novas verſiones Germanicas poſt Lutherum adornarunt Tigurini, Leo Judæ & Piſcator Herbornenſis. Toſſanus in notis marginalibus Bibliorum in ſingulis ferè capitibus eam corrigere & ad Hebraici textus ſinceritatem revocare conatur. Keckermannus lib. 1. Syſt. Theol. p. 188. diſertis verbis de ea ſcribere non veretur, *quod nævos ſuos in V. præſertim. T. non exiguos habeat & quod Tremelli verſio*, quæ in ſingulis fermê verſiculis à Lutherana nonnihil diſcedit, nonnunquam etiam ſenſum planè diverſum reddit, *multis paraſangis illi præſtet*. 2. calumniis *Pontificiorum*, qui eam *detractionis, additionis & mutationis* multiplicis arguunt. Bellarmin. lib. 2. de verbo Dei cap. 11. *Lutherus Biblia peſſimâ fide convertit, ut patet ex Cochlæo in vita Lutheri ann. 1522. ubi legimus in nova translatione Teſtamenti Novi per Lutherum facta fuiſſe notata ad mille loca immutata, id eſt, addita, vel detracta, vel depravata.* ** Stanisl. Hoſius de ſacro vernacul. legendo tom. 1. p. 664. *Ex bonis Latinis mala Germanica fecit Lutherus, ſacris Bibliis vertendis plus enim quã ſexcentos errores admiſiſſe à Catholicis animadverſum eſt.* ** Similia ἐγκλήματα occurrunt apud Piſtorium in lib. de ſignis antiquæ & nov. fidei p. 6. & ſeqq. Caſpar. Ulenbergium in cauſis ſuæ ad Papatum defectionis cauſ. 8. & 18. Tannerum in

anatom.

anatom. Auguſt. Confeſſ. demonſtrat. 2. §. 24. in Dioptra fidei lib. 1. cap. 5. p. 80. & lib. 3. cap. 15. p. 986. cumprimis verò apud Zangerum, qui integrum ſcriptum huic verſioni oppoſuit. Sed ἐγκλήματα illa pleraque omnia. 1. profluunt ex falſo principio, quia examinant Lutheri verſionem ad vulgatam Latinam translationem, cui authoritatem authenticam falſò tribuunt, & quia apocryphas librorum Canonicorum appendices pro Canonicis habent. 2. originem trahunt ex Codicum variatione & diverſa lectione. 3. poſtulant à Luthero, quod κατὰ πόδα, vertere debuerit, cùm ipſe in verſione ſua non verba numerarit ſed ſenſum reſpexerit & expreſſerit. In reformatione Styriæ & Carinthiæ ſuperioribus annis inſtituta Jeſuitæ Germanica Lutheri Biblia in publico foro exurere non dubitarunt referente D. Polycarpo Liſero in præfat. paraph. in Hiſtor. paſſionis Domin.

Loca, in quibus carpitur à Pontificiis. 523. Expendamus verò in ſpecie quædam exempla, quibus corruptelam textus originalis inesse Pontificii ſuſpicantur. 1. ex Vet. Teſtam. ** 1. 1. Paral. 15. v. 1. Hiram der König zu Tyro ſandte Boten zu David umb Cedernholtz/ Männer und Zimmerleutte. In Hebræo cap. 14. *Et miſit Hiram Rex Tor nuncios ad David, & ligna cedrina & artifices, &c. ad ædificandum ei domum.* Reſp. eſt vitium typograph. ** *Pſal. 76. v. 12.* 2. Pſal. 76. v. 12. appoſuit in margine gloſſam, qua *de voto fidei & cultus divini* verba Pſaltis exponit. Reſp. de textus verſione hîc quæritur, non de marginali interpretatione, adductum verò exemplum non agit de ipsâ verſione, ſed ejus explicatione, quam tamen nec ipſam improbare poſſumus. Scriptura quando votorum mentionem facit, Deo tantum vovendum eſſe docet, rectè ergo fecit Lutherus, quod ſententiam de votis Deo reddendis ad votum pietatis univerſale accommodat, quia de votis quibuſdam ſpecialibus non habemus talia præcepta in N. T. qualia fuère in V.

Prov. 25. v. 27. 3. Prov. 25. v. 27. Hebræa ad verbum ſic habent: *Comedere mel multiplicando non bonum & inveſtigatio gloriæ illorum gloria.* Lutherus vertit ſenſu contrario: Wer ſchwer Ding forſchet/ dem wirds zu ſchwer. Reſp. protaſis ſimilitudinis oſtendit in apodoſi nimiam & curioſam inveſtigationem intelligi, unde Pagninus voculam illam (*nimia*) verſioni ſuæ inſerere non dubitavit. At nimia illa inveſtigatio non eſt gloria, unde negandi particulam ex protaſi idem Pagninus in apodoſi repetit, ſic vertens: *Inveſtigatio nimia gloriæ eorum non eſt gloria*, quâ in parte Pagninum etiã ſequitur Piſcator. Lutheri verſio optimè cõgruit Hebræo textui כָּבֵד enim ſignificat *gravis fuit*, quantitate vel qualitate, magnitudine vel multitudine. Job. 33. v. 7. 2. Sam. 13. v. 25. &c.

Prov. 31. v. 10. 4. Prov. 31. v. 10. in margine appoſuit hunc rythmum. Nichts liebers iſt auff Erden/ denn Frawenlieb/ wems kan werden. Reſp. de textus verſione quæſtio eſt, non de gloſſa aliqua marginali. Loquitur autem Lutherus de licito *amore conjugali* juxta phraſin Spiritus ſancti. 2. Sam. 1. v. 26. Dan. 11. v. 37. de quo ſimilia ferè occurrunt apud Salomonem Prov. 5. v. 19. cap. 18. v. 22.

Eſ. 9. v. 6. 5. Eſa. 9. verſ. 6. verba Hebræa אל גבור reddidit Krafft/ Heldt/ argumentum quod pro Deitate Filii ex textu ducitur enervans. Reſp. Hebræum אֵל ſignificat etiam *heroicum & forte*, unde Lutherus textum non corrupit, nec tàm in illa vocula, quàm in toto capitis contextu argumentum pro aſtruenda Meſſiæ divinitate quærendum. Quare Lutherus verterit Krafft/ rationem ipſe explicat in Poſtill. Eccleſ. quia ſcil. vox illa ſignificet virtutem & potentiam, hic autem referantur nomina officii nec deſint alia loca pro Deitate Chriſti confirmanda fortiora. Nihilominus verò rectè etiam per Gott exprimi, clarè deducit lib. de ult. verb. David. tom. 8. Jen. Germ. fol. 145. b. Confer diſp. 4. de gloria Dei §. 5. Ezech. 34. v. 16. in Hebræo eſt. *Roborabo ovem languidam & pinguem ac fortem* אַשְׁמִיד *diſperdam*, hoc eſt, eam, quæ alias oves opprimit, diſperdam. Lutherus vertit modo contrario: Was fett und ſtarck iſt/ will ich behüten. Reſp. Lutherus pro שמד legit שמר propter literarum ד & ר affinitatem & in bonum accepit ovium fortium deſcriptionem, quem in parte ſecutus eſt LXX. Interpp. & Latinam verſionem, qui legerunt אֶשְׁמוֹר Targum verò legit אַשְׁמִיד unde vertit, אֲשֵׁיצֵי *perdam*. Confer Schindl. in Lexic. p. 1885.

6. Dan. 3. integros 66. verſus, uti etiam duo poſtrema capita, Hiſtorias de Suſanna, Bele & Dracone complectentia omiſit. *Dan. 3.* Reſp. non omiſit ea Lutherus in Bibliorum verſione, ſed ad locum peculiarem & proprium inter apocrypha retulit, idque jure ac merito, quia non habentur in textu Hebræo hoc eſt in fontibus veritatis. Secutus eſt hac in parte Lutherus veteris Eccleſiæ Doctores, qui haſce pericopas ex caſtitate Canonis removent, cumprimis verò Hieronymum, qui in præfat. cap. 3. Dan. ſic ſcribit: *Quæ ſequuntur: in Hebræis voluminibus non reperi. Et in fine hymni. Huc uſque in Hebræo non habetur, & quæ poſuimus, de Theodotionis editione tranſlata ſunt.* In fin. cap. 12. Dan. *Huc uſque Danielem in Hebræo volumine legimus, quæ ſequuntur ad finem uſque libri, de Theodotionis editione tranſlata ſunt.* Idem Hiſtorias de Bele & Dracone vocat *fabulas*.

524. 2. Ex Novo Teſtamento, & quidem 1. ex Evangeliſtis & Actis. 1. Matth. 6. v. 11. vocem ἐπιούσιον vertit *per quotidianum*, cum potiùs vertere debuiſſet per *cœleſtem & ſuperſubſtantialem*. *Matth. 6. v. 11.* Reſp. vulgata verſio Latina habet *quotidianum*, quia Lucas cap. 11. verſ. 3. addit τὸ καθ' ἡμέραν, quo ſingulis diebus opus eſt. Eam ſecutus fuit Lutherus. Hieronymus quidem reddidit *ſuperſubſtantialem*, exiſtimavit enim notari panem cœleſtem, qui eſt ſuperſubſtantialis omnes creaturas & ſubſtantias excellens. At ſi in quarta petitione intelligeretur panis cœleſtis & ſuperſubſtantialis nulla remaneret petitio, in qua ad hujus vitæ ſuſtentationem neceſſaria à Deo peteremus, quod cum perfectione Dominicæ orationis non congruit. Præterea panem ſpiritualem ſive bona Spiritualia jam antè in tribus primis petitionibus flagitavimus, reſtabat igitur, ut etiam panem corporalem à Deo peteremus. Per panem cœleſtem & ſuperſubſtantialem quidam Pontificii intelligunt Euchariſtiam Gregor. de Valent. tom. 3. Diſp. 6. q. 2. punct. 5. col. 1630. Barradius tom. 2. Concord. Evangel. lib. 7. cap. 24. pag. 475. ſed ea nondum erat inſtituta, cùm Chriſtus orationem Dominicam Apoſtolos doceret, quomodo igitur Apoſtoli intellexiſſent Euchariſticum panem his verbis denotari? quod eſt argumentum Cornelii Janſenii in Conc. Evang. c. 41. p. 506. Denique ſi panis

ois ſuperſubſtantialis & cœleſtis intelligendus eſſet, is nō diceretur ἐπιούσιος ſed ὑπερούσιος. Hieron. dicit ἐπιούσιον idem eſſe quod περιούσιον *eximium ac peculiare* Exod. 19. v. 5. Deut. 7. v. 6. cap. 14. v. 2. cap. 26. v. 18. Tit. 2. v. 14. ſed hoc repudiat ipſe Bellarminus lib. 1. de operibus in particul. cap. 6. §. una, ubi addit, quud *Græci Patres, qui vim Græci vocabuli optimè noverant*, ut Baſilius in qq. brevioribus q. 252. Gregor. Nyſſenus orat. 4. de orat. Domin. Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius in comm. ad cap. 6. Matth. dicant, *ἄρτον ἐπιούσιον eſſe panem ſubſtantialem, hoc eſt, ſubſtantiæ noſtræ accommodatum*, quò etiam reſpexit antiquus Interpres, qui reddidit *quotidianum*, hoc eſt, quo pane quotidie indigemus. Confer. D. Chemnit. in Harmon. cap. 51. p. 427. & D. Meiſner. part. 2. ſob. Philoſ. Sect. 1. cap. 2. q. 19. 2. Matth. 6. v. 13. addidit clauſulam orationis Dominicæ, *quia tuum eſt regnum & potentia & gloria in ſecula ſeculorum*, quæ non extat in Græcis Codicibus. Reſp. hac de re latè egimus ſuperiùs §. 360. 3. Marc. 11. v. 26. omiſit hæc verba. *Si non remiſeritis, nec Pater veſter, qui in cœlis eſt, remittet vobis.* Reſp. Piſtorius ipſe fatetur, verſiculum illum non extare in omnibus Græcis Codd. cum illis ergo tranſigat, qui primi illum omiſerunt. Nec probabile eſt ullo modo, dolo malo ea eſſe à Luthero omiſſa, cùm ea, quæ hîc deſiderari dicuntur, extent Matth. 6. verſ. 15. nec Lutherus unquam contrarium docuit & prior pars ἀντιθέσεως ſententiam poſterioris reddit, item ſententiæ & parabolæ Chriſti Matth. 5. v. 25. cap. 18. v. 35. idem expreſſius affirmant. Eraſmus à Leone X. laudatus itidem hunc verſiculum non habet. 4. Luc. 1. verſ. 28. mutavit, quod eſt in Latina verſione. *Ave gratia plena* ac reddidit du Holdſelige. Reſp. Græcum κεχαριτωμένη aptiſſimè expreſſit, Latinam verſionem non habuit nec habere etiam debuit pro authentica. ** 5. Hunnius in invict. demonſt. p. 243. accuſat Lutherum, quod Joh. 1. verſ. 29. teſtimonium Joh. malitioſè corruperit, vertens illud, das der Welt Sünde trägt / cùm in Græco ſit αἴρειν quod ſignificat *tollere*. Reſp. τὸ αἴρειν ſignificat non ſolùm *tollere* ſed etiam *portare*. Pſ. 91. v. 12. Dietenb. daß ſie dich auf den Händen tragen. Matth. 27. v. 32. Dietenb. daß er jhm ſein Creutz trug. Eſa. 53. v. 12. 1. Pet. 2. v. 24. dolores & peccatum noſtrum Chriſtus dicitur portaſſe. Dietenb. reddidit getragē. ** 6. Act. 13. v. 23. Græca ſic habent, τούτου ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος κατ' ἐπαγγελίαν ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν. Lutherus reddidit: Aus dieſes (Davids) Samen hat Gott / wie er verheiſſen hat / gezeuget JEſum dem Volck Jſrael zum Heiland. Reſp. poſſemus dicere vocabulum zeugen in generaliore quadam ſignificatione hîc uſurpatum eſſe, ſed fatemur h. l. verſionem Lutheri eſſe quodammodo incommodam & ex textu Græco corrigendam, neq; enim habemus eam authenticā, ut per inſigne mendacium Bellarm. nobis tribuit lib. 2. de verbo Dei cap. 10. ſed ut de aliis verſionib. omnib. ita etiam de hac ipſa ex fontibus judicium ferendum eſſe aſſerimus. 7. Act. 15. v. 41. expunxit hæc verba *præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum*. Reſp. in Græco textu non reperiuntur, imò nec in omnibus Latinis exemplaribus. Syrus paraphraſtes & Eraſmus eadem non habent. Occurrit autem ſimile quid in verſione Lutheri. Act. 16. v. 4. proinde ex omiſſione illa colligi nequit, Lutherum fuiſſe contemtorem legum Eccleſiæ.

Matth. 6. v. 13. *Marc. 11. v. 26.* *Luc. 1. v. 28.* *Act. 13. v. 23.* *Act. 15. v. 41.*

525 2. Ex Epiſtolis Apoſtolorum. 1. Rom. 3. v. 28. inſeruit voculam excluſivam. *Statuimus hominem juſtificari ſolâ fide.* Reſp. hac de re latè egimus in tract. de Juſtificatione §. 182. 2. Rom. 4. v. 15. addidit itidem excluſivam, quæ non eſt in textu Græco, Das Geſetz richtet nur Zorn an. Reſp. non verba numeravit, ſed ſenſum exprimere voluit. Quæſtio ibi proponitur ab Apoſtolo, *utrum juſtificatio ſit ex lege an ex fide*, ad quam reſpondet, *non eſſe ex lege*. Cùm ergo lex non juſtificet, ſed iram operetur, rectè addi potuit excluſiva parti poſteriori, *quod lex tantum iram operetur*, quia hæc duo immediatè ſibi opponuntur *juſtificare*, i. e. à peccato abſolvere & *iram operari*, i. e. peccatum accuſare & damnare. 3. Rom. 14. v. 6. in Græco eſt. ὁ φρονῶν τὴν ἡμέραν Κυρίῳ φρονεῖ· καὶ ὁ μὴ φρονῶν τὴν ἡμέραν, Κυρίῳ οὐ φρονεῖ. Lutherus videtur modo contrario reddidiſſe: Welcher auf die Tage helt / der thuts dem HErrn / und welcher nichts drauf helt / der thuts auch dem Herrn. Reſp. verba quidem mutantur, ſed ſenſus utrobiq; eſt. Neque enim Lutherus dicit, quod qui *non obſervat diem, Domino obſervet*. ſed quod *Domino hoc faciat*, i. e. diem nō obſervando facit hoc in ipſius Dei honorem. 4. 1. Cor. 7. v. 9. in Græco eſt. Κρεῖσσον γάρ ἐστι γαμῆσαι ἢ πυροῦσθαι. Lutherus reddidit. Es iſt beſſer freyen / denn Brunſt leiden. *Cùm aliud ſit uſtiones ſentire, aliud uri, h. e. non continere. Illud fieri poteſt abſque conſenſu & proinde abſque peccato, hoc verò fit cum conſenſu.* Reſp. Lutherus rectiſſimè reddidit, quia πυροῦσθαι denotat interiores illas concupiſcentiæ flammas, quæ non in ſuperficie tantùm pungunt, ſed velut incendio quodam cor penetrant, quando ut Poëta canit, *eſt mollis flamma medullas*, quamvis nondum in exteriorem ſcortationem prorumpant, nec accedat interior conſenſus. Confer tractat. de Conjug. §. 531. ubi aliquot argumētis hanc explicationem contra Bellarminum confirmavimus. 5. 1. Cor. 9. v. 5. in Græco eſt, μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν. Lutherus præpoſterè ad conjugium accommodavit. Haben wir nit macht eine Schweſter zum Weibe mit umbher zu führen. Reſp. in tract. de Miniſterio §. 333. Lutheri explicationem multis argumentis confirmavimus 6. Gal. 3. v. 10. in Græco eſt. ὅσοι ἐξ ἔργων νόμου εἰσίν, ὑπὸ κατάραν εἰσί. Lutherus reddidit: Die mit des Geſetzes Wercken umbgehen / die ſind verfluchet. Reſp. ſenſum expreſſit, non verbum de verbo reddidit. Quis enim Germanorum intellexiſſet, quid ſibi vellet, ſi reddidiſſet κατὰ πόδα, die aus den Wercken des Geſetzes ſeyn. Jam verò ex verſione Lutheri manifeſtum, intelligi eos, qui in operibus legis juſtitiam quærunt, uſq; coràm Dei judicio confidunt. 7. Eph. 5. v. 18. *luxuriam* reddidit ein unordentliches Weſen. Reſp. in Græco eſt ἀσωτία, quod ſignificat luxum & morum diſſolutionem. De filio prodigo dicitur Luc. 15. verſ. 13. quod vixerit ἀσώτως. Populus Aſotorum Græcis ſic dictus eſt, quod luxu eſſent perditi, ſic verſantes in comeſſationibus, ut nunquam viderent Solem nec orientem, nec occidentem. Non debuiſſet Tannerus verſionem Lutheri accuſare, niſi ſubſtituiſſet vocem commodiorem. 8. 1. Theſſ. 4. verſ. 3. [illegible] omiſit

Rom. 3. v. 28. *Rom. 4. v. 15.* *Rom. 14. v. 6.* *1. Cor. 7. v. 9.* *1. Cor. 9. v. 5.* *Gal. 3. v. 10.* *Epheſ. 5. v. 18.* *1. Theſſ. 4. v. 3.*

omiſit hæc verba, ut *abſtineatis à fornicatione.* Reſp. veritas hæc eſt Piſtoriana, in omnibus Bibliorum Germanicorum editionibus habentur. Dominica Reminiſcere in Epiſtolari pericope publicè in Eccleſiis noſtris præleguntur. 9. 2.

2. Pet. 1. v. 10. Pet. 1. verſ. 10. omiſit illa verba, per *bona opera.* Reſp. non inveniuntur ea in Codicibus Græcis. Quidam Pontificius ſcribit, *ſe inveniſſe ea in uno Codice Græco.* ſed forte idem Codex extat in ea Bibliotheca, in qua Bellarmin. lib. 2. de verbo

Iac. 4. v. 6. DEI Cap. 12. invenit fœmininum היא Geneſ. 3. verſ. 15. 10. Jac. 4. verſ. 6. omiſit illa verba, *propterea dicit, DEVS ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Reſp. non invenit in omnibus Græcis exemplaribus. Non eſt veriſimile dolo malo ea eſſe omiſſa, cùm eadem habeantur 1. Pet. 5. verſ. 5. In verſione Dietenbergeri itidem omiſſa ſunt illa verba. 11.

1. Ioh. 5. v. 7. 1. Johan. 5. v. 7. omiſſus eſt integer verſiculus de Trinitate: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum & Spiritus S.* Reſp. hac de re latè egimus in diſput. priore de hoc dicto Ann. 619. inſtituta.

CAP. XXV.

De interpretatione Script. Sacræ.

Neceſſitas interpretationis. 526. Cùm Scriptura ſacra eo fine hominibus ſit tradita, ut ex ea homines erudiantur ad vitam æternā. Joh. 5. v. 39. cap. 20. v. 31. 2. Tim. 3. v. 15. & verò non omnes Scripturam poſſint legere (ſunt enim quidam in Eccleſia ἀναλφάβητοι καὶ ἀγράμματοι ἰδιῶται. Actor. 4. v. 13.) nec omnia, quæ in Scripturis habentur, cuivis legenti primo ſtatim intuitu ſint manifeſta, ut in cap. de perſpicuitate Scripturæ ſuperiùs monuimus) ideò ut finis ille Scripturæ obtineri poſſit, ejuſdem interpretatio requiritur. De ea tùm in primo Tomo Locorum Theologicorum, tùm in Methodo ſtudii Theologici latè egimus, ideò ſumma duntaxat capita hoc loco breviter attingemus.

Pertinet ea ad Miniſterium Eccleſiaſticum. 527. Publica illa Scripturæ interpretatio Eccleſiaſtico Miniſterio divinitùs eſt cōmiſſa Mal. 2 v. 7. 1. Tim. 3. v. 2. Tit. 1. v. 9. Duo enim eorum, qui in Miniſterio Eccleſiaſtico conſtituti ſunt (quod ad munus docendi ſpectat) ſunt officia: *Scripturæ ſcil. interpretatio* ſive explicatio, ejuſdemque ad uſum *ſalutarem applicatio.* Interpretatio Scripturæ complectitur tùm veri & genuini *ſenſus inveſtigationem*, tum ejuſdem planam & perſpicuam *enarrationem.* Tàm explicationis, quàm applicationis finis ſummus & principalis eſt *Dei gloria* 1. Cor. 10. v. 31. proximus ſive intermedius *hominum informatio ad ſalutem æternam*, quæ διδασκαλίαν, ἔλεγχον, παιδείαν, ἐπανόρθωσιν ac παράκλησιν complectitur, ut ex Rom. 15. v. 4. 2. Tim. 3. v. 16. ſuo loco pleniùs oſtendimus. Sic ergo omnis Scripturæ interpretatio & applicatio inſtituenda, ut & gloria Dei illuſtretur & hominum ſalus promoveatur, ex quo πορισματικῶς colligimus, non eſſe legitimam Scripturæ interpretationem, quæ gloriam Dei vel ſalutem hominum labefactat, id eſt, quæ laudem divinæ bonitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, veritatis & potentiæ Deo derogat, quæque conſolationum fundamenta & ſtudium pietatis labefactat.

Canones de interpretatione Scripturæ. 528. Generales legitimæ interpretationis Canones hi ſunt. 1. *Scripturæ ſenſus ex ipſa Scriptura eſt eruendus.* Proponitur hic Canon à D. Petro

1. Scripturæ ſenſus ex ipſa Scriptura eruendus. 2. Pet. 1. v. 20. πᾶσα προφητεία γραφῆς ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται. Ratio ſtatim additur v. 21. οὐ γὰρ θελήματι ἀνθρώπου ἠνέχθη ποτὲ προφητεία, ἀλλ' ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι. Argumentum Apoſtoli tale eſt: Quod ab humana voluntate ſive ab arbitrio humano non eſt profectum, illud etiam humano ſive privato arbitrio non eſt explicandum. Scriptura ſacra nō eſt ab arbitrio humano profecta. Ergo non debet humano ſive privato arbitrio explicari. Ulterius; Qui eſt Scripturæ autor principalis ac ſummus, qui ſacras divinæ veritatis tabulas per Prophetas & Apoſtolos olim promulgavit ac publicavit, is etiam earum eſt interpres ſummus & authenticus. Jam verò Spiritus ſanctus eſt autor Scripturæ principalis ſummus. Ergò etiam eſt ejuſdem Interpres authenticus; Denique, Qui eſt ſummus & infallibilis controverſiarum Theologicarum judex, is etiam eſt Scripturæ interpres ſummus & authenticus. Sed S. S. eſt ſummus & infallibilis controverſiarum judex, ut ſupra docuimus. E. etiam eſt authenticus Scripturæ interpres ac proinde omnis legitima ac ſolida Scripturæ interpretatio vel ex immediata Spiritus S. inſpiratione (quæ hodie in Eccleſia non amplius locum habet) vel ex ipſa Scriptura eſt petenda. Illuſtrari poteſt argumentum Apoſtolicum hac comparatione. Sicut æquum eſt, ut unde jus in humanis prodiit, inde quoque ejus interpretatio procedat c. Inter alia §. ut igitur de ſent. excommunic. ubi gloſſa: *Ad quem pertinet juris conſtitutio, ad ipſum quoque pertinet Interpretatio.* Ac ſicut leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, ideoque & *leges interpretari ſolo dignum imperio eſſe oportet* l. Si imperialis C. de LL. ita multò magis ejus ſolius eſt Scripturam interpretari (αὐθεντικῶς ſcil. & authenticè) à quo illa primùm fuit tradita. Ad Spiritum ergo ſanctum pertinet interpretatio Scripturæ, qui cùm non niſi in Scripturis & per Scripturas hodie nobiſcum loquatur, conſequens eſt legitimam Scripturæ interpretationem ex ipſa Scriptura eſſe petendam.

529. Illud ipſum tract. de Interp. Script. §. 127. & ſeqq. latè demonſtravimus & in eam ſententiam multa Patrum dicta adduximus, quibus annumeranda ſunt ſequentia. Clemens Romanus (ſiquidem ita volunt Pontificii) Epiſt. 5. *Diligenter obſervandum eſt, ut lex Dei cum legitur, non ſecundùm proprii ingenii intelligentiam legatur vel doceatur: ſunt enim multa verba in Scripturis divinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi unusquisque ſponte præſumſit, ſed fieri non oportet. Non enim ſenſum, quem extrinſecus adulteretis, alienum & extraneum debetis quærere, aut quoquo modo ipſum Scripturarum autoritate confirmare, ſed ex ipſis Scripturis ſenſum capere veritatis* (quod relatum eſt in jus Canonicum c. Relatum diſtinct. 37.) Iren. lib. 2. adv. hæreſ. cap. 46. pag. 146. *Sanus ſenſus & qui ſine periculo eſt, ea, quæ ſcientia noſtra ſubdidit Deus, promptè meditabitur; ſunt autem hæc quæcunque apertè & ſine ambiguo ipſis dictionibus poſita ſunt in Scripturis & ideo parabolæ debent ambiguis adaptari. Sic enim & qui abſolvit, ſine periculo abſolvit, & parabolæ ab omnibus ſimiliter abſolutionem accipiet & à veritate corpus integrum & ſimili aptatione membrorum & ſine concuſſione perſeverat.* lib. 3. cap. 12. p. 193. *Nobis conlaborantibus his oſtenſionibus, quæ ſunt ex Scripturis &*

quæ

quæ multifariè dicta ſunt breviter & compendioſè annunciantibus & tu cum magnitudine intende eis & non longiloquium putare, hoc intelligens, quoniã oſtenſiones, quæ ſunt in Scripturis, non poſſunt oſtendi niſi ex Scripturis. lib. 4. cap. 63. p. 292. (Agnitio vera) *eſt ſecundùm Scripturas expoſitio legitima & diligens & ſine periculo & ſine blaſphemia.* Juſtin. in qq. & reſp. ad orthod. q. 27. pag. 318. *Quærere cur Moſes dictorum factorumq́; ſuorum non adjecerit cauſam, perindè eſt, ac ſi dicas: Quid ita ſacrarum literarum autores non eas interpretatione additâ ediderunt, cùm in ipſa rei commemoratione ſignificanter mens & ſententia rei contineatur.* Hilar. lib. 2. de Trinit. p. 13. *Extiterunt plures, qui cœleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent, aliter interpretantes, quàm dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim hæreſis non de Scriptura eſt & ſenſus, non ſermo fit crimen.* lib. 5. de Trinit. *Ex verbis ſenſum ſequamur, & ex ſenſu rationem intelligamus, & ex ratione veritatem apprehendamus.* Baſil. ſerm. 2. de Baptiſm. cap. 4. *Obœdiamus Domino dicenti: Scrutamini Scripturas; & imitemur Apoſtolos, qui ab ipſo Domino dictorum ipſius declarationem petebant & eorum, quæ ab ipſo dicta ſunt, veritatem ac ſalubritatem ex illis, quæ alibi dicta ſunt, diſcamus.* Ambroſ. ſerm. 8. in Pſal. 118. circa fin. *Multa eſt obſcuritas in ſcriptis Propheticis, ſed ſi manu quadam mentis tuæ Scripturarum januam pulſaveris, & ea, quæ ſunt occulta, diligenter examinaveris, paulatim incipies colligere rationem dictorum, & aperietur tibi, non ab alio, ſed à Dei verbo.* Auguſtinus lib. 17. de civit. Dei cap. 17. *Tunc & alia rectè intelliguntur, quæ minùs apertè dicta ſunt, cùm congruunt his, quæ tantâ manifeſtatione claruerunt.*

530. Ex hoc primo canone generali ποιειρματικῶς duo colligimus: 1. θετικῶς, *acceſſuro ad Scripturæ interpretationem petendam eſſe Spiritus ſancti illuminationem*, quia prophetia datur per Spiritum ſanctum. 1. Corinth. 12. verſ. 29. dat autem Deus Spiritum ſanctum petentibus, Luc. 11. verſ. 3. ac ſapientiam confert per preces eam poſtulantibus, Jacob. 1. verſ. 5. Juſtinus in dialog. cum Tryph. pag. 173. poſtquam de eminentia librorum Propheticorum dixerat, ſubjungit: εὔχου δὲ σοι πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας, οὐ γὰρ συνοπτὰ οὐδὲ συννοητὰ πᾶσιν ἐστιν, εἰ μὴ τῷ θεὸς δῷ συνιέναι καὶ ὁ χριστὸς αὐτοῦ. *Ora ante omnia lucis tibi aperiri portas, neque enim ab aliquibus perſpiciuntur atque intelliguntur, præterquam ſi Deus & Chriſtus ejus conceſſerint intelligentiam.* Plura in hanc ſententiam ex veteribus adduximus in Method. Stud. Theolog. part. 1. cap. 3. 2. ἀντιθετικῶς, *infallibilem & certam interpretandæ Scripturæ regulam non eſſe. 1. principia humanæ rationis* ſibi relictæ, aliàs fides noſtra captivaretur ſub obſequium rationis contra præſcriptum Apoſtoli 2. Corinth. 10. verſ. 5. ea, quæ ſunt ſupra rationem, rationi ſubjicerentur, ac divina humanis ordine præpoſtero, & inverſo ſupponerentur. 2. *nec Patrum ſive Eccleſiæ doctorum dicta*, cùm ſibimetipſis hanc autoritatem derogent, & de ſuis ſcriptis ex Sacra Scriptura judicium fieri velint, cumq́ue quod negari non poteſt, eorum interpretationes ſint à textu alienæ & erroneæ, ac infinita interpretationum varietas apud eos occurrat. 3. *nec Conciliorum decreta*, cùm ſint interpretatione Scripturæ poſteriora, nec totam Scripturam interpretentur, cùm Patres in Conciliis etiam congregati errare poſſint, ac ſæpiùs erraverint, cùmq́ue ipſimet Pontificii à Patribus & Conciliis in Scripturæ interpretatione ſæpiùs diſcedant. 4. *Nec Pontificum Romanorum placita*, cùm & ipſi errare poſſint, ac ſæpiùs erraverint, cùm deſtituantur, quandoq́ue mediis ad Scripturæ interpretationem neceſſariis &c.

2. Scriptura interpretatio debet eſſe fidei analoga.

531. 2. *Omnis Scripturæ interpretatio debet eſſe fidei analoga.* Proponitur hîc canon Rom. 12. verſ. 6. cujus ſenſus eſt, quòd Scripturæ interpretatio eâ ratione inſtitui ac conformari debeat, ut conſentiat perpetuæ ſententiæ, quæ de unoquoque doctrinæ cœleſtis capite in Scriptura proponitur. Cùm enim tota Scriptura ſit ab immediato Spiritus ſancti afflatu profecta ac θεόπνευστος, ideò etiam omnia in ea ſunt συναληθῆ, ac ſibi optimè conſtant, ut nihil in ea excurrat contrarium, aut repugnans, aut ſecum diſſidens. Articuli fidei, quos per πίστιν hoc loco Apoſtolus intelligit, quorum cognitio omnibus ad ſalutem neceſſaria eſt, verbis claris & perſpicuis in Scriptura traduntur, quorum ſumma in Symbolo Apoſtolico, quod Patres *regulam fidei* ſæpiùs vocant, breviter repetitur. Contra hanc fidei regulam nihil quicquam in Scripturæ interpretatione proferendum, ac proindè ſi vel maximè non poſſimus proprium cujuſque loci ſenſum à Spiritu S. intentum ſemper aſſequi, ſedulò tamen cavere debemus, ne quidquam contra fidei analogiam proferamus. Iren. lib. 1. adv. hæreſ. cap. 47. p. 147. *Si omnium, quæ in Scripturis requiruntur, abſolutiones non poſſumus invenire, alterum tamen Deum præter eum, qui eſt, non requiramus.* lib. 2. adv. hæreſ. cap. 47. p. 147. *Habentes regulam ipſam veritatem & in apertum poſitum de Deo teſtimonium non debemus per quæſtionum declinantes in alias atque alias abſolutiones ejicere firmam & veram de Deo ſententiam* Aug. de unit. Eccleſ. cap. 16. *Demonſtrent Eccleſiam ſuam in omnibus Canonicis Sanctorum librorum autoritatibus, nec ita, ut ea colligant & commemorent, quæ obſcurè vel ambiguè vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſque ſicut voluerit, interpretetur ſecundùm ſenſum ſuum, talia enim rectè intelligi exponiq́; non poſſunt, niſi prius quæ apertiſſimè dicta ſunt, firmâ fide teneantur.*

3 Obſcuriora & pauciora explicanda ſunt ex clarioribus ac pluribus.

532. 3. *Obſcuriora & pauciora explicanda ſunt ex clarioribus ac pluribus:* Hic Canon ſequitur ex priore. Cùm enim nullus ſit fidei articulus, qui nòn in aliquo Scripturæ loco verbis claris & perſpicuis proponatur, ex quo lucem reliqua, in quibus de illo tractatur, ſortiuntur, ideo ex locis illis clarioribus obſcuriorum interpretatio eſt deſumenda. Aug. lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 9. *Ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla & quædam certarum ſententiarum teſtimonia dubitationem de incertis auferant.* Ad hunc Canonem pertinent regulæ de collatione locorum Scripturæ.

4. Nativa vocabulorum ſignificatio & phraſium idiotiſmi ex fontibus eruendi.

533. 4. *In Scripturæ interpretatione nativa vocabulorum ſignificatio & phraſium idiotiſmi ex Originali linguâ diligenter eruendi videlicet ex textu Hebræo in Veteri, & Græco in Novo Teſtamento.* Deducitur hic Canon ex hypotheſi ſuperiùs demonſtratâ quod ſolus textus Hebræus in Vet. & Græcus in Nov. Teſt. ſit authenticus.

Cùm

'ùm enim Spiritus ſanctus verbi divini myſteria in illis linguis annotare voluerit, ideò etiam Spiritus ſancti ſententia ex originali textu illis linguis perſcripto eſt eruenda, id verò fieri nequit, niſi vim verborum & phraſium cognitam habeamus. Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 1. jubet τὸν ἐν ἑκάστῃ λέξει καὶ συλλαβῇ νοῦν κεκρυμμένον ἐξιχνεῦσαι, additâ hac ratione, quia *Scriptura ſcopus eſt, ut Deo ſimiles evadamus, hæc ſimilitudo ſine ſcientiâ non conſiſtit, αἱ γνώσεις ἐκ διδαγμῶν*, jam διδασκαλίας ἀρχὴ λόγος, λόγου μέρη συλλαβαὶ καὶ λέξεις.

5. Interpretatio debet eſſe propria & literalis.

534. 5. *Omnis Scripturæ interpretatio debet eſſe propria, neque à litera in fidei articulis diſcedendum, niſi ipſa Scriptura oſtendat improprietatem, eamq́, exponat.* Deducitur hic canon ex *perfectione & perſpicuitate* Scripturæ ſuperiùs demonſtratâ. Quod ſi enim Scriptura ſacra fidei articulos ad ſalutem omnibus ſcitu neceſſarios verbis claris & perſpicuis exponit, utique etiam à literali & proprio verborum ſenſu in fidei articulis non eſt diſcedendum, aliàs tota Scriptura redderetur dubia & incerta, nec conſtans aliqua de articulis fidei ſententia ex illa poſſit erui, ſi cuilibet licitum eſſet à proprietate literæ in fidei articulis recedere. Is ſenſus dubio procul eſt à Spiritu ſancto intentus, qui ex verbis in propria & nativa ſignificatione acceptis immediatè colligitur. Quare cùm ſecundùm Hieronymum in Epiſt. ad Dardan. tom. 4. fol. 29. *Hiſtoriæ veritas ſit fundamentum intelligentiæ ſpiritualis*, rectè & utiliter bene colligit Lyranus in Prolog. Bibl. quod *ſicut ædificium declinans à fundamento diſponitur ad ruinam: ita expoſitio myſtica à literali ſenſu diſcedens ſit reputanda indecens & inepta.* Lutherus in lib. de captiv. Babylon. fol. 277. *Verbis divinis non eſt ulla vis facienda neque per hominem, neque per Angelum, ſed quantum fieri poteſt, in ſimpliciſſima ſignificatione ſervanda ſunt, & niſi manifeſta circumſtantia cogat, extra Grammaticam accipienda non ſunt, ne detur adverſariis occaſio eludendi totam Scripturam.*

6 Interpretatio conſentiat cujusq; loci ſcopo, circumſtantiis, membrorum & ordini.

535. 6. *Interpretatio conſentiat cujusque loci ſcopo, circumſtantiis, membrorum & ordini.* Quemadmodum JCti dicunt, *incivile eſſe de verbis quibuſdam legis velle judicare niſi totâ lege priùs inſpectâ*: Sic de dicti alicujus genuinâ interpretatione non poteſt judicari, niſi ſcopus, circumſtantiæ & ſeries textus reſpiciantur. *Qui non advertit quid ſupra & infra in ſacris libris ſcribitur, is pervertit verba Dei viventis*, dicunt Hebræi. In hanc ſententiam multa ex Patribus adduximus tract. de Interp. Script. §. 209. quibus hæc adjungi poſſunt. Iren. lib. 1. cap. 1. p. 26. de hæreticis Valentinianis ſic ſcribit: *Transſiliunt* καὶ τὸν εἱρμὸν τῶν γραφῶν & *ſeriem Scripturarum, ac quantum in ipſis eſt, diſſolvunt membra veritatis: Transferunt enim & transformant & dum aliud ex alio faciunt, multos fallunt ſapientiâ malè compactâ ex dictis Domini, quæ errori ſuo accommodant. Quemadmodum ſi quis pulcram Regis imaginem precioſis lapidibus ab artifice ſapiente conſtructam diſſolvat, deletâ hominis formâ quam ille ſtatuerat, atque lapillos illos transferat, quibus efficiat formam canis aut vulpis, quam etiam malè ſtruat, poſtea definiat ac dicat, hanc eſſe pulcram illam Regis imaginem, quam ſapiens artifex conſtruxerat, oſtenſis lapillis illis, qui à primo artifice pulcrè compoſiti fuerant in Regis imaginem, malè verò translati à poſteriore in formam canis ac per phantaſiam lapillorum aſtutè fallat imperitos, qui Regiæ formæ notionem non habent, perſuadeatq́, hanc turpem vulpeculæ formam eſſe pulchram illam imaginem Regis. Eodem ſanè modo hi conſarcinant fabulas anicularum, quibus poſtea verba, dictiones & parabolas hinc inde evulſas applicant & fabulis ſuis adaptare volunt eloquia Dei.* ** Clemens Alex. lib. 7. ſtromat. connexionem antecedentium & conſequentium vocat τὸ ὕφος καὶ τὸ σῶμα τῆς προφητείας *contextum & corpus Prophetiæ*: Theodoretus in Opuſculis contra varias hæreſes, quæ ſunt in 2. tom. Athanaſii, *ingenium hæreticorum*, dicit *eſſe*, *quod* τὸν σκοπὸν καὶ τὴν χρείαν παραχαράξαντες *ſcopum & uſum Scripturæ, cujus demonſtrationibus ſe conſtringi vident, recuſant*, γυμνόν τι ῥητὸν πρὸς τὴν ἰδίαν ἐγχείρησιν ἀποτμηθὲν τῆς οἰκείας ἀκολουθίας *nudum aliquod effatum de genuina orationis ſerie reciſum ad ſuum propoſitum* ἕλκουσιν αὐτὸ πρὸς ἰδίαν κατασκευὴν *detorquent illi ad ſuam confirmationem*, οὐ τῇ δηλουμένῃ διανοίᾳ δουλεύοντες, ἀλλὰ πρὸς τὴν οἰκείαν κακοτεχνίαν τὰς συλλαβὰς βιαζόμενοι *non ipſos ſe manifeſto ſenſui ſubjicientes, & ad proprii ingenii artificium malum vi pervertentes ſyllabas* ** Hilarius lib. 2. de Trinit. pag. 21. *Omne dictum ut dicatur, ex cauſa eſt & dicti ratio ex ſenſu erit intelligenda dicentis.* Hieronymus in cap. 25. Matth. rejiciens interpretationem Chryſoſtomi, qui de carnis virginitate parabolam Chriſti de decem virginibus accipit, hanc regulam ſubjungit: *Prudentem ſemper admoneo lectorem, ut non ſuperſtitioſis acquieſcat interpretationibus, & quæ commaticè pro fingentium dicuntur arbitrio, ſed conſideret priora & media & ſequentia & nectat ſibi univerſa quæ ſcripta ſunt. Ex antecedentibus enim & conſequentibus verus Scripturæ ſenſus colligitur.* Auguſtin. lib. 17. de civ. Dei capit. 15. *Teſtimonium, quod profertur, de contextione totius Pſalmi debet habere ſuffragium, ut certè nihil ſit, quod ei refragetur, ſi non omnia ſuffragantia.* tractat. 70. in Joh. in princ. *Verba Evangelii ita rectè intelliguntur, ſi cum ſuperioribus reperiuntur, habere concordiam, convenire enim debent præcedentia conſequentibus, quando veritas loquitur.* tract. 111. in Joh. *Nemo ſereniſſimum ſenſum nubiloſâ contradictione perturbet, conſequentia perhibeant teſtimonium præcedentibus.* Lyranus in capit. 18. Deuter. allegat dictum Hilarii. *Intelligentia dictorum ex cauſis ſumenda eſt dicentis.*

7. Conſulendi ſunt Interpretes veteres & recentiores.

536. 7. *In Scripturæ interpretatione tùm veterum tùm recentiorum Eccleſiæ Doctorum laboribus gratâ mente uti & poſſumus & debemus.* Proponitur hic canon ab Apoſtolo 1. Theſſ. 5. v. 20. *Prophetias nolite ſpernere.* Cùm enim Deus ſingulis diſtribuat ſua dona, prout vult 1. Cor. 12. verſ. 11. ad quæ etiam donum prophetiæ pertinet verſ. 10. ideò dona Dei in aliis reverenter agnoſcere ac eorum adminiculò in Scripturæ interpretatione gratâ mente uti debemus. Nec fruſtra prioris Antiquitatis teſtimonia nobis conſervaſſe exiſtimandus, ſed ut eſſent quoddam adminiculum ad Scripturæ ſententiam inveſtigandam, & ut perſpectâ verâ ſententiâ ex ſacris literis piorum animi magis confirmentur. Philipp. in quadam Epiſt. ad amicum: *Quanquam fides non pendeat ab humana autoritate, ſed à verbo Dei, tamen cùm Scriptura imbecilles à fortioribus confirmari velit, juvat habere Eccleſiæ teſtimonia*

in-

in omni genere tentationum. Ut enim vivos libenter conſulimus, quos judicamus uſum aliquem habere ſpiritualium rerum: ita & veteres, quorum ſcripta probantur, conſulendos eſſe cenſeo. Sunt & aliæ cauſæ, cur veterum teſtimonia non contemnam, exiſtimo enim hoc communiter ſenſiſſe Eccleſiam, quod iſti ſcripſerunt. Neque verò tutum eſt à communi ſententia veteris Eccleſiæ diſcedere. Atque hi ſunt præcipui Canones in vera & gefuiοa Scripturæ interpretatione obſervandi, de enarratione veri ſenſus inventi, ejuſdemque ad auditorum ſalutem accommodatione à Concionatore in homiliis Eccleſiaſticis inſtituenda, latè egimus in Meth. ſtudii Theol. part. 3. ſect. 4. cap. 2.

CAP. XXVI.

De uſu hujus loci.

Uſus hujus loci. 537. *Uſus hujus loci* eſt. 1. *Theoreticus.* 2. *Practicus. Theoreticus* eſt 1. διδασκαλικὸς, ut Scripturæ autoritatem ac majeſtatem verè divinam agnoſcamus. 2. ἐλεγκτικὸς, ut ejus tùm autoritatem tùm integritatem adverſus quoſvis hæreticos, lucifugas Scripturarum, nti etiam Atheos & Epicuræos aſſeramus. *Practicus* uſus eſt 1. νουθετικὸς, ut Scripturam ſacram quotidianâ lectione ac meditatione familiarem nobis reddamus. Eſt enim Epiſtola Dei è cœlo ad nos miſſa, quæ de eſſentia & voluntate ipſius nos inſtruit, ac viam ad cœlum nobis monſtrat. De utilitate ac neceſſitate diligenter & aſſiduè legendi Scripturam ſacram, Itemque de modo legendi Scripturam latè actum fuit in Methodo ſtud. Theol. p. 3. ſect. 1. cap. 1. & ſeqq. 2. παρακλητικὸς, ut inæſtimabilem Dei bonitatem ex eo agnoſcamus, quod ad noſtram conſolationem Scripturam ſacram extare voluerit. Rom. 15. v. 4.

1. Theoreticus.

2. Practicus.

CAP. XXVII. *& ultimum.*

De Scripturæ definitione.

538. *Definitio Scripturæ ſacræ* poteſt tradi ejuſmodi: Sacra Scriptura eſt verbum Dei ejuſdem voluntate à Prophetis, Evangeliſtis & Apoſtolis in literas redactum, doctrinam de eſſentia & voluntate Dei perfectè ac perſpicuè exponens, ut ex eo homines erudiantur ad vitam æternam. *Conſerva & ſanctifica nos Deus in veritate tua, ſermo tuus veritas eſt*, Joh. 17. v. 17. Amen. *Definitio.*

LOCVS SECVNDVS
DE
NATVRA DEI ET ATTRIBVTIS DIVINIS.

PROOEMIVM.

I.

Connexio. VT *Scriptura Sacra* in Theologia eſt unicum *principium cognoſcendi*: Sic *Deus* bonitate optimus, potentiâ maximus eſt unicum & ſummum *principium eſſendi*, tùm ipſius Scripturæ ſacræ (in qua verbum Dei ſive divina revelatio continetur) tùm operum divinorum, de quibus in Theologia tractatur, reſpectu. Idem etiam eſt totius Scripturæ centrum, Theologiæ nucleus, ſcientiæ ac deſiderii noſtri terminus. Convenienti igitur ordine ab articulo de *Scriptura ſacra* progredimur ad articulum de *Natura Dei & attributis divinis.*

Doctrina hujus 1. neceſſitas. 2. Commendat nobis hanc de Deo doctrinam (quam pii veteres peculiariter vocant *θεολογίαν*) ejuſdem 1. *Neceſſitas.* 2. *Utilitas.* 3. *Difficultas.* Neceſſariam eſſe hanc doctrinam demonſtrat 1. *finis creati hominis.* Quemadmodum omnia creata ſunt propter hominem, ita homo conditus eſt ad Deum creatorem ſuum rectè agnoſcendum & colendum, amandum & celebrandum. Lactant. lib. 6. div. Inſtit. cap. 1. in princ. *Propterea ficti & inſpirati à Deo ſumus, non ut cœlum videremus & Solem, quod Anaxagoras putavit, ſed ut artificem Solis & cœli Deum purâ & integrâ mente coleremus*; inde eſt, quod homini à ſe creato Deus legem dedit, ex qua ad agnitionem & cultum creatoris ſui ſeſe jure naturali obſtrictum intelligere potuit ac debuit, de quo creationis fine præclarè diſſerit Apoſtolus Act. 17. v. 26. Rom. 1. v. 20. &c. Reliqua animantia omnia cum ratione ſint deſtituta, ideò etiam facultate Deum creatorem ſuum cognoſcendi deſtituuntur, ſolus homo ex omnib. animalibus ratione præditus, quin & ad imaginem divinam conditus eſt, ut finem creationis intelligeret, creatorem ex operibus cognoſceret, eique debitum obſequium præſtaret. 2. *Finis divinæ patefactionis.* Deus ex arcana majeſtatis ſuæ ſede prodiens non ſolùm in mundi creatione, ſed etiam ac vel maximè in verbi revelatione ex immenſa bonitate hominibus ſeſe patefecit. Exod. 29. v. 43 fine certè nullo alio, quàm ut homines ex illa patefactione Deum rectè agnoſcerent & veram de Deo doctrinam ab omni errorum fermento puram & illibatam conſervarent, atque ad poſteros ſuos propagarent, id quod ſancti Patriarchæ probè intellexerunt, qui *in nomine Dei æterni prædicarunt*, Gen. 12. v. 8. cap. 21. v. 33. cap. 26. verſ. 25. hoc eſt, propoſuerunt familiæ ſuæ & reliquis auditoribus, qui ſe domeſticæ illi Eccleſiæ aggregarunt, doctrinam de Deo creatore & conſervatore rerum omnium, de lapſu primorum parentum, de remedio lapſus in promiſſo Meſſia expectando, de ſacrificiis fide in Meſſiam offerendis, de vero cultu Deo præſtando, de extremo judicio, de vita & morte æterna. &c. 3. *Cæcitas noſtræ mentis.* Ante lapſum fulgebat in mente hominis ad Dei imaginem conditi clariſſima quædam lux divinæ cognitionis, ſed per lapſum ac poſt lapſum horribiles tenebræ in mentem hominis ſunt introductæ, quibus non poteſt niſi ex luce verbi medela aliqua afferri. Summoperè igitur neceſſarium eſt, ut ex revelato verbo doctrina de Deo tradatur, & hoc modo per Spiritus Sanct. illnminationem lux ſalutaris *θεογνωσίας* in mente hominis reaccendatur. 4. *Multiplicitas erroris.* Novit *μυριότεχνος* Satanas doctrinam de Deo & Salvatore noſtro Chriſto Jeſu eſſe arcem & acropolin veræ doctrinæ, inde tot errores contra eam excitavit, ac tot hæreſium eidem adverſantium monſtra infelici partu excluſit, à quibus ut piæ mentes præmoneantur ac præmuniantur, tradenda & aſſerenda eſt articuli hujus orthodoxia. 5. *Miſerrima conditio hominis Deum ignorantis.* Non eſt dignus hominis nomine, qui creatorem ſunm vel non agnoſcit vel non rectè agnoſcit, prout ſe in verbo patefecit, Deus eſt ſummum

Exegeſis.

hominis bonum, quod quiſquis habet & poſſidet, eoq́ue quod habet, fruitur, beatus eſt. Ergò qui ſummum illud bonum non agnoſcit, non amat, non poſſidet, miſerrimus eſt & infeliciſſimus, Hilarius 8. de Trinit. pag. 137. *Neſcit ſanè ſapere, qui Deum neſcit.* Hieronym. in Epitaph. Nepot. *Abſque notitia ſui creatoris omnis homo pecus eſt.* Auguſt. lib. 5. Confeſſ. c. 4. *Infelix homo qui ſcit illa omnia te autem neſcit. Beatus autem qui te ſcit, etiamſi illa neſciat. Qui vero te & illa novit, non propter illa beatior, ſed propter te ſolùm beatus eſt, ſi cognoſcens te ſicut Deum glorificet & gratias agat, & non evaneſcat in cogitationibus ſuis.* Idem Auguſtinus vel quicunque alius autor libr. de ſpeculo cap. 33. in princ. *Ab illo averti, cadere eſt; in eum converti, reſurgere; in illo manere, conſiſtere eſt; illum neſcire, mors eſt; illum noſſe, vivere eſt; illum ſpernere, perire eſt; illi ſervire, regnare eſt.*

2. *Vtilitas.* 3. 2. *Vtilitatem doctrinæ* de Deo explicant dicta Scripturæ, quæ in cognitione Dei vitam & ſalutem noſtram conſiſtere docent. Moſi petenti, *oſtende mihi Domine faciem tuam.* Exod. 33. v. 13. reſpondet Deus v. 19. *oſtendam tibi omne bonum,* ergò in cognitione Dei conſiſtit omne bonum. Sap. 15. v. 3. *ἐπίςασθαί σε ὁλόκληρος δικαιοσύνη, κ̀ εἰδέναι σου τὸ κράτος, ῥίζα ἀθανασίας.* Jer. 9. v. 23. *Non glorietur ſapiens in ſapientia ſua, nec fortis in fortitudine ſua, nec dives in divitiis ſuis;* v. 24. *ſed in hoc glorietur, qui gloriatur ſcire & noſſe me, quia ego ſum Dominus.* Joh. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ubi tamen notandum intelligi notitiã non nudè Hiſtoricam, ſed practicam; non literalem, ſed ſpiritualem; non *ἀργὸν* & otioſam, ſed efficacem & operoſam, quæ ſcilicet veram in Chriſtum fidem complectitur in corde interius & per ſtudium bonorum operum ſeſe commendat exteriùs. Bernh. lib. 5. de conſid. ad Eugen. *Deus ſolus eſt, qui nunquam fruſtra quæri poteſt, ne quidem tunc cùm inveniri non poteſt.*

3. *Difficultas.* 4. 3. *Difficultatem* hujus doctrinæ oſtendit *1. myſterii hujus ſublimitas.* Cùm enim omnia Dei opera ſint mirabilia & *μυςηριώδη* myſteriis plena, quantò mirabilior & ſublimior erit operũ illorum effector ipſe Deus? Ut *nihil fructuoſius invenitur*, ita nec *periculoſius alicubi erratur, nec difficilius aliquid quæritur, quàm ubi quæritur unitas Trinitatis. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.* Auguſtin. lib. 1. de Trin. c. 3. in princ. *2. Mentis noſtræ infirmitas.* Intellectus noſter finitus eſt, Deus infinitus, nulla igitur hîc inter intellectum cognoſcentem & objectum cognoſcendũ proportio. Intellectus noſter organo corporeo in hujus vitæ ſtatu utitur, Deus eſt, *ἄυλος κ̀ ἀσώματος. Videri non poteſt, quia viſu clarior eſt, comprehendi non poteſt, tactu purior eſt,* nec *æſtimari poteſt, ſenſu major eſt, infinitus, immenſus & ſoli ſibi tantus, quantus eſt, notus.* Minutius Felix in Dialogo quem vocat Octavium. Quod *Sol eſt in ſenſibilibus, illud Deus eſt in intelligibilibus,* inquit Nazianzenus Orat. 40. in ſanct. Bapt. jam verò Sol claritate ſuâ viſum noſtrum ſupergreditur, ſic Deus majeſtate ſuâ tenuem & infirmum nimirũ excedit intellectum. Origenes lib. 1. *περὶ ἀρχῶν* cap. 1. pag. 668. *Mens noſtra cùm intra carnis & ſanguinis clauſtra concluditur & pro tali materiæ participatione hebetior atque obſcurior redditur, licet pro comparatione Naturæ corporeæ longè præcellens habeatur, tamen cùm ad incorporea nititur atque eorum intentionem rimatur, tunc ſcintillæ alicujus lucernæ vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus tàm præſtans omnibus* quàm *Deus?*

5. Cæterùm difficultati huic conſuli poteſt. *1. piâ ac fideli oratione,* per quam Spiritus ſancti illuminantis gratia & ſalutaris Scripturæ ſacræ intelligentia impetratur. Dicamus ergò cum Moſe ad Dominum, *Oſtende mihi faciem tuam.* Exod. 33. verſ. 13. cum Philippo ad Filium, *Oſtende nobis Patrem.* Johan. 14. verſ. 8. cum tota Eccleſia ad Spiritum ſanctum. *Per te ſciamus da Patrem, noſcamus atque Filium, te q́ utriuſque Spiritum credamus omni tempore.* Nemo enim *novit Filium niſi Pater, & nemo novit Patrem niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare,* Matth. 11. verſ. 27. *impoſſibile eſt Deum diſcere ſine Deo* Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 10. pag. 238. *à Deo igitur diſcendum, quid de Deo intelligendum.* Hilar. lib. 5. de Trin. *2. limitum in Scripturis præfixorum cautâ obſervatione.* Exod. 19. v. 12. cùm divina majeſtas in monte Sinai per ſolennem legis repetitionem peculiari modo ſeſe manifeſtare vellet, jubet certos per circuitum populo conſtitui terminos, quos abſque præſentiſſimo interitus periculo tranſgredi nemo audeat: ſic in Scriptura Sac. certi intelligentiæ & inveſtigationi noſtræ præfixi ſunt termini atque limites, quos tranſilire & *ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν* religio nobis eſſe debet. Proſper. lib. 1. de vocat. gent. cap. 7. *Quæ Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda, quæ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda, ne in illis illicitè curioſi, in his damnabiliter inveniamur ingrati. 3. curioſitatis ac temeritatis humanæ caſtigatione.* Deſiderabat Moſes anxiè faciem Dei videre, nec tamen *faciem*, ſed *poſteriora* Dei videre ipſi concedebatur, ad quod dextrâ Dei protegebatur, & in foramine petræ collocabatur Exod. 33. v. 22. ex quo intelligimus non patentibus januis, ſed velut per arctum foramen, & quaſi per tranſennam, & in ænigmate nos Deum in hac vita intueri, idq́ue Deo ipſo adjuvante & infirmitatem noſtram ſublevante, caveamus igitur, ne curioſitas noſtra quærat non revelata, & temeritas noſtra prorumpat ad inacceſſa. Elias Propheta Domino in monte coram ſe tranſeunte vultum ſuum operuit pallio 1. Reg. 19. verſ. 13. eo ipſo profeſſus mentis noſtræ aciem ad ſummam illam divinæ majeſtatis lucem intuendam caligare, ac proindè curioſam inquiſitionem ſancto ignorantiæ & reverentiæ pallio eſſe obvelandam. Hilar. lib. 10. de Trin. p. 160. *Ut Sol ita videndus eſt, ut poſſit videri, tantum q́ excipiendus eſt lumine, quantum admittitur, ne ſi plus velimus ſpectare, minus quoque quàm poſſumus conſequamur: ita & ratio cœleſtium tantum intelligenda eſt, in quantum ſe permittit intelligi.* Athanaſ. tom. 2. p. 248. *οὔτε τὸ πάντων καταπολμᾶν ἐυσεβὲς, οὔτε τὸ πάντων καταμελεῖν ἐναγές. Ut audacter omnia perſcrutari pium non eſt, ita omnem prorſus inquiſitionem negligere non eſt ſanctum.* Macarius homil. 12. p. 155. *Si cogitationes animæ tuæ comprehendere non potuiſti, cogitationes Dei atque mentem Dei quomodo potes ſcrutari?* Cyrill. catech. 6. *In his quæ de Deo dicuntur, hanc maximam eſſe ſcientiam, ignorantiam fateri* aſſecit.

Remedia difficultatis.

6. Ex quibus facilè intelligitur, quid reſpondendum ſit ad ea, quibus omnem de Deo diſputationem

tationem prohibitam eſſe quidam probare conantur. 1. Prov. 25. v. 27. *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria*, cum quo congruit illud Siracidis cap. 3. v. 22. *Altiora te ne quæſieris & fortiora te ne ſcrutteris.* Reſp. diſtinguendum inter piam eorum, quæ de Deo in Scripturis revelata extant, meditationem & inter temerariam non revelatorum perſcrutationem, illa præcepta eſt, hæc verò prohibita. Dicamus ergò cum Bernh. ſerm. 26. in Cant. *Non vereor, quod Scriptura minatur ſcrutatoribus majeſtatis, quia ſimplicem & purum affero oculum, nec meam, ſed Dei mei quæro gloriam, à qua proinde non opprimar, ſed ad eam admittar, alioquin ſuâ quiſque opprimitur, non Dei gloriâ, dum proclivi eius iſtum ad illam levare cervicem, non ſinitur nimirùm gravem cupiditate, hac excuſſâ ſecurè ſcrutemur.* Scrutari majeſtatem, non eſt ex Scripturis, quid de Deo & rebus divinis ſtatuendum ſit, diſcere velle, tale enim ſcrutininm Chriſtus præcepit Joh. 5. v. 39. ſed myſteria divina ad rationis calculos revocare, humanæ indagationis trutinâ eadem examinare & anguſti intellectus decempedâ immenſos religionis agros emetiri velle; Nihil h. l. dicemus de eo, quod in textu Hebræo verba propriè ſic habent: *Comedere mel multiplicando non bonum, & inveſtigatio gloriæ illorum gloria.* 2. Rom. 11. v. 34. *Quis cognovit ſenſum Domini?* Reſp. ex 1. Cor. 2. v. 10. *nobis revelavit Deus per Spiritum ſuum*, & v. 16. *Quis cognovit ſenſum Domini, qui inſtruat eum? nos autem ſenſum Chriſti habemus.* Diſtinguendum igitur inter judicia Dei occulta & myſteria in verbo revelata. Deut. 29. v. 29. *Quæ abſcondita ſunt, Domino Deo noſtro; & revelata, nobis & filiis noſtris uſque in ſeculum, ut faciamus omnia verba legis hujus.* Cæterùm doctrina de Deo couſtat tùm ὀνοματολογίᾳ, tùm πραγματολογίᾳ. Ὀνοματολογία 1. ἐτυμολογίαν. 2. ὁμωνυμίαν. 3. συνωνυμίαν explicat. Πραγματολογία duobus abſolvitur membris, quorum prius τὸ ὅτι, *quòd ſit Deus*: poſterius τὸ τί ἐστι, *quid ſit*, explicat; de ſingulis ordine diſſeremus.

CAP. I.

Ἐτυμολογίαν nominum divinorum pertractat.

ἐτυμολογία. 1. vocabuli Iehovah.

7. *Iehovah* proprium Dei nomen deducitur ab הָיָה fuit, extitit, quam derivationem oſtendit Deus ipſe Exod. 3. v. 14. ubi rogatus à Moſe de ſuo nomine, reſpondet אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *Ero qui ero.* LXX. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. *ego ſum, qui eſt. Et dicebat, ſic dices filiis Iſraël* אֶהְיֶה *ero* ὁ ὤν, *qui eſt, miſit me ad vos.* v. 15. *Et dicebat amplius Deus ad Moſen: Sic dices filiis Iſrael, Iehovah* κύριος *Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob miſit me ad vos, hoc eſt* שְׁמִי *nomen meũ in æternum.* Ex quo intelligitur, idem eſſe אֶהְיֶה ero & יְהוָה Ens ſive Eſſentia, cui addendum tertium יָהּ quod eſt contractũ ex Jehovah. Quémadmodum igitur à צָחַק per literam heemanthicam ׳ formatur nomen proprium יִצְחָק ab עָקַב eadem ratione deducitur nomen יַעֲקֹב ſic à radice הָוָה vel הָיָה (quia literæ Ehevi ſunt ἐυμετάβολοι literâ ׳ in ו mutatâ) per literam ׳ nominum propriorum formativam deducitur nomen Jehovah ſolius veri Dei proprium. Hieronymus ab Oleaſtro Luſitanus hanc etymologiam ab ipſo Deo monſtratam prætermittit deducens ab הַוָּה *contritio, pernicies*, ut ſit notatio ab effectu, ſed etymologiam illam meritò rejicimus. Apoc. 1. v. 4. exponitur hoc nomen tribus vocibus, ὁ ὢν, ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. ſive ἐσόμενος, quia enim Hebræi præterito ſæpiùs utuntur pro præſenti & futuro, ideò הָיָה de omnibus tribus temporibus exponi poteſt, quamvis juxta Grammaticam proprietatem הָיָה fuit, יִהְיֶה erit & הוֶה ens ſignificet.

Exegeſis.

8. Denotat igitur vox Jehovah 1. Dei αὐθυπαρξίαν, quod per ſe ſubſiſtat, nec ab alio, nec in alio ſubſiſtentiam habeat, cùm reliqua omnia Entia ſint ab ipſo, in ipſo, & per ipſum. Hieron. in cap. 3. Eph. *Ego ſum qui ſum, i. e. ego ſolus ſum, quia ſolus a meipſo habeo eſſe, ſolus ſum, quia ab alio non ſum creatus.* Deus veriſſimè maximeque propriè dicitur eſſe, quia ex ſeipſo habet eſſe, nec eſt aliud quàm ſuum eſſe. 2. *eminentiam ſuper omnes creaturas.* Quolibet nomine determinatur aliquis modus eſſentię, ſed hoc nomē Jehova ὁ ὤν, *qui eſt*, nullum modũ eſſendi determinat, ſed ſe habet indeterminatè, ut ſignificetur Deum eſſe Ens ſupra & ultra omnia creata. 3. *creaturarum à Deo dependentiã.* Quod eſt ex ſe & per ſe tale, cauſa eſt eorum, quæ ſunt talia per participationem. Deus ideò vocatur *Iehovah* & ὁ ὤν, quia non ſolùm ipſe eſt, ſed etiam omnibus entibus eſt cauſa eſſendi, eſt eſſentia omnium eſſentiarum, ipſum pelagus eſſentię infinitum & immenſum. Bernh. lib. 5. de conſid. ad Eugen. *Deus eſt, quod eſt, id eſt, ſuum ipſius & omnium aliarum rerum eſſe ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt, ac per hoc quodammodo ſolus eſt.* Confer Nazianzenum in illud; Ego ſum qui ſum. 4. *Dei immutabilitatem.* Quæ mutantur, deſinunt eſſe quod erant; & incipiunt eſſe, quod non erant; & incipiunt eſſe, quod non erant, ſolus Deus quia eſt immutabilis, ideò abſolutè eſt Ens. Auguſt. 8. de C. D. cap. 11. circa fin. *Qui eſt, miſit me, tanquam in ejus comparatione qui verè eſt, quia incommutabilis eſt, ea quæ mutabilia facta ſunt, non ſint.* Nulla creatura dicere poteſt, ſum quod ſum, quia non eſt per ſeipſam, nec in ſeipſa, ſed perpetuæ mutationi obnoxia. Pſ. 102. v. 27. *Cœli peribunt, tu autem ſtabis, illi mutabuntur* וְאַתָּה הוּא *tu autem ipſe*, tu idem es, σὺ ὁ αὐτὸς εἶ. Heb. 1. verſ. 12. 5. *Dei æternitatem.* Id ſolum eſt, quod æternum eſt, in temporalibus præterita tranſierunt, præſentia avolant, futura nondum adſunt, ſolus Deus, quia æternus, ideò ſimpliciter eſt Ens, unde R. Moſes Gerundenſis in comm. Exod. 3. dicit, *quòd Jehovah ſignificet talem exiſtentiam, quæ nec præteriit, nec præteribit.* Infinitas etiam notatur, cùm enim habet eſſe à ſe, non potuit ei etiam determinari. 6. *Dei ſimplicitatem.* Omnia creata ſunt compoſita, ſi non ex materia & forma, tamen ex actu & potentia, ex eſſe & eſſentia, ſolius autem Dei eſſe eſt ejus eſſentia, ergò ipſi ſoli convenit nomen ipſius eſſentiæ. Sicut verbum *SUM* eſt irreſolubile, omniumque verborum ſimpliciſſimum, omnia enim verba in illud reſolvi poſſunt, ipſum verò in nihil, ſic omnia ad Deum referuntur, ipſe verò ad nihil. Quicquid in Deo eſt, non eſt Dei accidens, ſed ipſum eſſe. Ergò eſt Ens ſimpliciſſimum. 7. *Dei veritatem*, quia Deus dat eſſe Vale & complementum ſuis promiſſis, cujus etymologiæ ratio proponitur Exod. 6. v. 3. Eſa. 43. v. 19. 8. *Dei ab idolis differentiam.* Idola ſunt אֱלִילִים *non Dei*, ſed ſolus Deus eſt Jehovah verè

exiſtens Deus. Juſtinus in paræn. ad gentes pag. 15. *Ego*, inquit, *ſum exiſtens ille, ſeipſum ſcil. non exiſtentibus opponens, ut qui ante hac ſeducti in errorem fuerant, intelligerent, non exiſtentibus ſe, ſed minimè prorſus exiſtentibus Diis animum intendiſſe.* 9. Druſius in comm. Deut. cap. 23. notat, hoc nomen denotare *miſerationum proprietatem*, legi autem per vocem Elohim proprietatem judicii ſignificantem, ut innuat Deum in judicio miſericordem eſſe.

9. De hac Dei appellatione Plato in Ægypto aliquid audiit, unde in Timæo docet, *ſolum Deum propriè eſſe, cætera verò, quæ oriuntur, mutantur, & intereunt verius non eſſe quæ eſſe*, in Sophiſta ac Parmenide Deum vocat τὸ ὄν, ac in Theæteto dicit, *quòd qualibet res creata plus habeat non Entis, quam Entis*, ſic homo tantùm habet eſſe hominis, ſed non habet eſſe cœli, Angeli, aliarumque creatarum rerum omnium, ſolus verò Deus habet eſſe omnium. In templi Apollinis Delphici foribus inſcriptum erat 1. γνῶθι σεαυτόν, quo Deus templum ingredientes admonebat, ut ſeipſos noſcerent. 2. εἶ, tu es, quo ingreſſuri quaſi reſpondentes ſolum Deum eſſe confitebantur. Ludov. Vives in lib. 8. Auguſt. de civ. Dei c. 11. Eugubinus memorat, in templis Ægyptiorum hæc Dei verba fuiſſe inſcripta: *Ego ſum omne, quod fuit, quod eſt, quod futurum eſt, Velum meum nemo unquam revelavit.*

2. vocis Elohim. 10. *Elohim* (quod R. AbenEzra dicit eſſe nomen poteſtatis, non ſubſtantiæ) deſcendit à ſingulari *Elohah*, quod extat Job. 4. verſ. 9. cap. 12. v. 4. &c. in regimine *Elohe*. 1. Quidam deducunt ab אל fortis in plurali Elim & inſerta litera ה ex nomine tetragrammato Elohim, quia Deus eſt omnium fortiſſimus & potentiſſimus. 2. alii ab אָלָה juravit, quia per nomen Dei jurandum, ſi ipſius gloria id exigat. 3. quidam ab אל & אָלָה conjunctim ſumtis nomen Elohah formatum putant, quia Deus per ſuam potentiam creaturas conſervat, & per hoc ſibi quaſi juramento eas aſtrinxit ad obœdientiam & cultum. 4. quidam ab אֱיָל fortitudo, robur 5. R. Nachaman dictum eſſe putat quaſi אל הֵם id eſt, robur eorum, quæ ſcil. creata ſunt, eò quòd ſit virtus virtutum. Sed nulla ex his etymologiis Grammaticæ regulis exactè congruit, ab איל derivari non permittit punctatio, quia zere non mutatur in ſægol, & ה mappikatum in fine vocis אֱלֹהַ oſtendit, quòd ה ſit radicalis litera, ſunt ergò tantùm alluſivæ, & rectius dicitur, quòd אֱלֹהַ ſit nomē primitivum. R. Manahem Recanatenſis ex El & Jah compoſitum eſſe putat, & ridiculam addit obſervationem, *ſi tollas* (inquit) *literas nominis tetragrammati, remanet* אלם *mutus, nam homo ſine Deo tàm mutus eſt, quàm piſcis.* Rabini nomen Elohim à Jehova ſic diſtinguunt, quòd Elohim ſignificet מדות דין qualitatem ſive proprietatem judicii, Jehovah verò מדות רחמים proprietatem miſericordiæ, idque colligunt ex Pſal. 56. v. 11. *In Elohim laudabo verbum, in Jehovah laudabo verbum*, id eſt, laudabo Deum ſive juſto judicio me caſtiget, ſive miſericordiam in beneficiis mihi exhibeat, rectiùs dicitur, quòd *Jehovah* notet eſſentiam, *Elohim* verò notet attributa, quòd illud ſit abſolutum, hoc relativum, undè Exod. 3. v. 15. & alibi paſſim conjunguntur *Jehovah elohe*, dicitur enim Deus Elohim, quatenùs eſt creator, gubernator, conſervator omnium rerum, judex & vindex univerſorum, gratiam & auxilium præſtans piis, juſtitiam & vindictam impiis, undè in deſcriptione creationis Moſes Deum vocat Elohim, ut intelligamus eundem eſſe mundi creatorem, qui eſt ejus conſervator ac rerum omnium gubernator, ac moneamur cuncta in creatione ſapienter & juſtè ab illo eſſe diſpoſita, & ſuum cuique convenienter ab hoc judice attributum.

11. Græcum Θεὸς quidam derivant ab Hebræo 3. vocis Θεὸς.
דַּי ſufficientia, quia Deus ad Abrahamum dicit Gen. 17. verſ. 1. Ego ſum אֵל שַׁדַּי Deus omnipotens mihi ſufficiens, nullius indigus. Alii Græcæ vocis Græcam originem malunt quærere, ſed & ipſi ſententiis plurimùm variant. Quidam enim à θέειν, quod eſt currere eam formant. Plato in Cratylo p. 304. Videntur primi homines Græci θεὸς exiſtimaſſe Solem, Lunam, ſidera, quæ cùm viderent perpetuo curſu ferri θεὺς nominaſſe, deindè & cæteris idem nomen tribuiſſe. Quidam ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι ſpectare eam derivant, ut Baſilius Epiſt. 141. tom. 2. p. 111. & Gregor. Niſſenus ad Ablabium p. 94. quia DEUS eſt ſpectator & præfectus ſummæ rerum. Utramque etymologiam conjungit Dionyſius lib. de div. nomin. cap. 12. Deus appellatur θεὸς, quòd cuncta perſpiciat mirabili providentiâ & bonitate, & circum omnia currat, cunctaque contineat, & ſeipſo repleat omnia atque univerſa tranſcendat, quæ providentiâ illius utuntur. Quidam ἀπὸ τοῦ αἴθειν ab urendo deducunt, ut Nazianz. orat. 2. de Filio pag. 262. propterea quòd Deus habitus vitioſos conſumat. Tres illas derivationes conjungit Damaſc. lib. 1. orth. fid. c. 12. ὄνομα θεὸς λέγεται ὅτι ἀπὸ τοῦ θέειν καὶ περιέπειν τὰ σύμπαντα, quod percurrat ac diſponat univerſa Pſ. 138. v. 8. Eſ. 66. v. 1. Sap. 8. v. 1. quòd omnia ambiat, omnia in ſe complectatur, omnibus ad auxiliandum accurrat, ὅτι ἀπὸ τοῦ αἴθειν, ὅ ἐστι καίειν, ὁ γὰρ θεὸς πῦρ καταναλίσκον πᾶσαν κακίαν ἐστι Deut. 4. v. 24. Heb. 12. v. 29. ἢ ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι τὰ πάντα, ἀλάθητος γὰρ ἐστι καὶ πάντων ἐπόπτης, &c. Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. in fin. Græcis θεὸν dictum putat παρὰ τὴν θέσιν à poſitione, ordine & adminiſtratione, omnia enim numero, menſurâ & pondere diſpoſuit. Sap. 11. v. 21. Quidam deducunt ab Æolico δεὺς, quod reſpondet verbo ζεὺς, quo Ethnici ſuum Jovem appellant. Latinum Deus plerique à Græco δέος timor, metus &c. derivant, quia Deum pii & impii timent, illi ſerviliter, hi filialiter; illi propter ſupplicia, hi propter beneficia & judicia. Ambr. lib. 1. de fid. cap. 1. ſic verus Deus dicitur timor Iſaaci, id eſt, quem timet & colit Iſaacus Geneſ. 31. v. 53. Alii à dando malunt deducere, quia à Deo omne bonum & perfectum donum deſcendit Jac. 1. v. 17. alii ad Hebræum דַּי ſufficientia, recurrunt. Sed rectiùs dicitur Græcum θεὸς & Latinum Deus eſſe voces primitivas, quod ipſum etiam de vocabulo Germano Gott dicimus.

CAP.

CAP. II.

Ὁμωνυμίας vocis explicat.

2. ὁμωνυμία. 1. vocis Elohim.

12. Deus in lingua ſancta tribus potiſſimùm nominibus appellatur, *Iehovah*, *Elohim & Adonai*. Nomen *Iehovah*, ut & *Adonai* cum cametz ſoli Deo proprium eſt, ut poſteà demonſtrabitur. *Elohim*, quod eſt plurale à ſingulari Eloah, accipitur propriè vel impropriè. *Propriè* tribuitur uni vero Deo omnium creatori, idque vel *eſſentialiter*, vel *perſonaliter*. Eſſentialiter ſumitur, quando de omnibus tribus Deitatis perſonis accipitur, ut Gen. 1. v. 1. *In principio creavit* אֱלֹהִים *Deus*. Targum יְיָ ut intelligatur verus Deus, ſicut ſeipſum Moſes explicat cap. 2. v. 4. *In die, quo fecit Iehovah elohim terram & cælos*. Quis autem ſit ille verus DEUS *Iehovah Elohim*, Moſes ſtatim explicat, quando diſtinctam *& dicentis, & Verbi, & Spiritus*, h. e. Patris, Filii & S. S. in proximo capite facit mentionem. *Perſonaliter* ſumi dicunt vel pro duabus perſonis, ut Gen. 1. v. 2. *Spiritus Elohim*. id eſt, Patris & Filii Spiritus *ferebatur ſuper aquas* (quamvis juxta aliorum ſententiam nihil impediat per appoſitionem accipere hoc modo Spiritus ille, qui eſt Elohim verus cum Patre & Filio Deus ferebatur, quâ ratione hoc dictum pertineret ad ſequens membrum). vel pro una perſona, ut Pſal. 45. v. 8. *propterea unxit te Elohim Elohecha*, ut ſit ſenſus; Te Meſſiam, qui es verus Deus, unxit Deus Pater oleo lætitiæ, id eſt, Spiritu ſancto. Cæterùm quia nomen Elohim eſt plurale non ſolùm ratione terminationis, ſed etiam ratione ſignificationis, ac quia quodam̃odò labefactari videtur argumentum, quod pro myſterio Trinitatis ex hac voce deducitur, ſi alicubi ſingulariter pro una duntaxat perſona accipi convincatur, piè eruditis cogitandum relinquimus, an non poſſit dici, ideò nomen Elohim hoc loco non accipi perſonaliter pro una tantùm perſona, ſed eſſentialiter pro omnibus tribus Deitatis perſonis, hoc ſenſu: Te Meſſiam unxit Elohim, id eſt, verus Deus, qui eſt Pater, Filius & Spiritus, qui etiam eſt Deus tuus Joh. 20. v. 17. is, inquam, te ſecundùm humanam Naturam unxit oleo lætitiæ; quia Chriſtus ut Deus ſeipſum ut hominem unxit. Damaſc. lib. 3. orth. fid. cap. 3. αὐτὸς (ὁ χριστὸς) ἑαυτὸν ἔχρισεν, χρίων μὲν ὡς Θεὸς, ὃς ἔχρισε τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ, χριόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος, αὐτὸς γάρ ἐστι τοῦτο, κἀκεῖνο. χρίσις δὲ ἡ θεότης τῆς ἀνθρωπότητος. Confirmatur hęc interpretatio ex eo, quòd in voce מְשָׁחֲךָ eſt accentus regius Paſer, ex quo colligi poteſt, diſtinctionem ibi faciendam.

13. Impropriè accipitur nomẽ Elohim, quando tribuitur vel creaturis, vel idolis. Creaturis tribuitur ἀναλογικῶς, idolis μιμητικῶς. Creaturis ὄντως quidem, ſed δευτέρως, idolis tantùm φαινομένως. *Creaturis* putà vel *incorporeis*, ſpiritibus ſc. tàm bonis, Pſal. 86. v. 8. *non eſt ſimilis tui* בָאֱלֹהִים *inter Deos* Targ. בְּאַנְגְּלֵי מְרוֹמָא inter Angelos excelſos, quàm malis 1. Sam. 28. v. 13. *video aſcendentes Elohim*. Targum מַלְאֲכָא דַיְיָ *angelum Domini*. Dicuntur Angeli tàm boni, quàm mali Elohim, tùm ratione fortitudinis ac roboris, tùm ratione miniſterii, quia Deus ipſorum operâ in judiciis ſuis exercendis & operibus perficiendis utitur vel *corporeis*, hominibus ſcilicet in Magiſtratu, & dignitate conſtitutis. Exod. 22. v. 27. *Deos* (Elohim) *non vilipendes*. Targ. דַיָּנָא judices. Dicuntur autem Magiſtratus Elohim, quia ſunt Dei in terris vicarii, *non hominis, ſed Dei judicium exercent* 2. Paral. 19. v. 6. *ſermo Dei ad illos factus eſt* Joh. 10. v. 35. h. e. ad divinum in terris officium gerendum ſunt vocati & conſtituti. *Idolis* tribuitur vox Elohim Exod. 22. v. 20. *Immolans* לֵאלֹהִים *Diis alienis*, ſive idolis *occidetur*. Targum לְטַעֲוַת עַמְמַיָּא *idolis* ſive *doloribus gentium* μετωνυμικῶς. Dicuntur autem idola Elohim, quia ab idololatris divino cultu afficiuntur, & in locum veri Dei evehuntur, cùm tamen reverâ non ſunt Elohim, ſed אֱלִילִים Lev. 19. v. 4. Eſa. 9. v. 10. ab אַל *nihil, nihilum*, res non exiſtens, inutilis, quia idola nihil ſunt, nihil proſunt 1. Corinth. 8. v. 4. *ſcimus*, ὅτι οὐδὲν, *quòd nihil idolum in mundo*, q. d. לֹא אֱלֹהִים non Dii, 2. Par. 13. v. 9. quinimò Scriptura per contemtum idola vocat גִּלּוּלִים ſtercora, deos ſtercorarios 1. Reg. 15. v. 12. 2 Reg. 17. v. 12. Poteſt etiam eſſe diminutivum ab אֵל Deus, q. d. deunculi, Götterchen/ contemtim ſic appellati. Item אַל אֵל nō Deus, idola enim non ſunt verè dii, vel etiam אֵל לַיִל Deus noctis, nocturnus, lucifugus, quales ſunt Dæmones, qui in idolis coluntur, vel ab אָלָה execratus eſt, quia idola ſunt res execrandę.

14. Quod autem de Hebræo *Elohim* dictum, idem de Græco Θεὸς, *Deus* accipiendum; illud ſcilicet itidem accipi vel *propriè*, quomodo tribuitur uni vero Deo, idque vel *eſſentialiter* omnibus tribus perſonis Joh. 4. v. 24. vel *perſonaliter* de Patre Joh. 3. v. 16. de Filio Joh. 1. v. 1. de Spiritu ſancto Actor. 5. v. 4. vel *impropriè*, quâ ratione itidem vel *creaturis*, vel *idolis* tribuitur, ubi tamen accuratè notandum, nec creaturis, nec idolis abſolutè & ſimpliciter nomen DEI tribui, ſed cum certa limitatione ac reſtrictione, quæ oſtendit non propriè, ſed figuratè; nec directè, ſed certo duntaxat reſpectu ibidem expreſſo illud fieri. Sic Diabolus dicitur *Deus*, non ſimpliciter, ſed τοῦ αἰῶνος τούτου, quia ſcilicet mundus illi obſequitur, & hac ratione pro Deo ipſum colit, 2. Cor. 4. v. 4. (quamvis Irenæus lib. 3. adv. hæreſ. cap. 7. pag. 176. malit in illo dicto hyperbaton ſtatuere, *Deus excæcavit mentes infidelium hujus ſeculi*) Venter dicitur Deus, ſed Epicuræorum, qui ventris causâ omnia faciunt Phil. 3. v. 19. Moſes dicitur *Deus*; ſed *Pharaonis & Aaronis*, quia ſcil. divinâ autoritate munitus divinum gerebat officium, & ſuper Pharaonem hac ratione Deus conſtitutus erat Exod. 7. v. 1. cap. 4. verſ. 16. hanc obſervationem confirmant pii veteres. Iren. lib. 3. cap. 5. pag. 174. *Neque Dominus, neque Spiritus S. neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitè & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus*. c. 6. p. 176. *Moſes homo Dei exiſtens Deus datus eſt ante Pharaonem, non autem verè Dominus appellatur, nec Deus vocatur à Prophetis, ſed fidelis Moſes famulus & ſervus Dei dicitur à Spiritu, quod & erat*. ibid. *Cùm eos, qui non ſunt Dii, Scriptura nominat, non in totum oſtendit illos Deos, ſed cum aliquo additamento & ſignificatione, per quam oſtenduntur non eſſe Dii*. Juſtin. (vel quicunque alius autor) in qq. & reſp. ad orth. q. 142. p. 378. *Et Angelis & hominibus* διὰ τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν, *propter commiſſum ſibi munus datum eſt obtinere Dei & dignationem & appellationem, quo munere obito*

2. vocis Θεὸς.

deſinent vocari Dii &c. principes dixit Deos, pro eo quod eſt, dedi vobis honorem, dignationem & appellationem meam τιμὴν, καὶ τάξιν, καὶ κλῆσιν. Hilar. lib. 7. de Trin. *non dicitur Deus genuiſſe Moſen Deum, ſed eum conſtituiſſe Moſen Deum, nec præciſè & abſolutè vocatur Deus, ſed cum hac adjectione, Deus Pharaonis. Non eſt data Moſi Natura, quâ Deus eſſet, ſed autoritas & poteſtas, quâ velut Deus Pharaonem terreret, puniret & nolentem cogeret Hebræos dimittere.* Ambr. lib. 5. de fid. c. 5. *Deus ſecundùm Scripturas aut verus eſt Deus, ut Pater, Filius & S. S. aut nuncupativus, ut Angeli, judices; aut falſus, ut Dæmones & ſimulachra.* Greg. hom. 8. in Ezech. *Deus in Scriptura S. aliquando eſſentialiter, aliquando nuncupativè dicitur. Licet enim cum Deo communicemus in multis nominibus & operationibus, in eſſentia tamen nunquam communicamus.* Quinimò ut Scriptura verum Deum propriè ſic dictum à Diis impropriè & falsò ſic dictis accuratè diſcernat, illum vocat φύσει θεὸν Gal. 4. v. 8. hos v. λεγομένους θεοὺς 1. Cor. 8 v. 5. cujus obſervationis uſus eſt contra Photinianos negantes veram Chriſti divinitatem ex appellatione Dei ipſi attributa demonſtrari poſſe. Hæc omnia breviter complectitur Baſilius, quando Epiſt. 141. quæ eſt ad Cæſarianos, docet, Dei nomẽ tribus ferè modis uſurpari ſolere. Dicitur enim 1. κατ' οὐσίαν, *ſecundùm ſubſtantiam* de ſummo & incommutabili bono, quod eſt Ipſe Deus. 2. κατὰ χάριν, *ſecundùm gratiam* de iis, quibus divinum aliquod munus incumbit. 3. κατὰ ψεῦδος, *ſecundùm mendacium*, vel de eo, cui homo ſponte ſuâ ſe ſubjicit & ſervit, vel de eo, quem homo inſtar ſummi boni habet, & veneratur, vel de eo, quem homines ex ſuperſtitione pro Deo venerantur.

Q. 1 Qualis differentia, inter vocem Θεὸς cum articulo & ſine articulo poſitam.

15. Quæritur h. l. 1. *An inter vocem Θεὸς cum articulo & eandem ſine articulo poſitam talis conſtituenda ſit differentia, quod illa ſoli vero Deo ſit propria, hæc verò minimè?* Affirmativam 1. Ariani olim defendebant, ut conſtat ex Chryſoſt. hom. 3. in Joh. 2. Quin & eodem abit Epiph. lib. 1. tom. 1. contra Samaritas col. 22. Si dixerimus Θεὸς, id eſt, Deus ſine articulo, quemlibet Deum gentium diximus non Deum verum. Si autem dixerimus ὁ Θεὸς, palàm eſt ab articulo verum ſignificamus, qui eſt & cognoſcitur. 3. Idipſum preſſè urgent Photiniani, ut evertant argumentum pro aſſerenda Filii divinitate ex nomine Θεὸς ipſi attributo deductum. Socin. in tr. de Deo, Chriſto, & S. S. p. 55. *Locus ille Joh. 1. v. 1. ſatis indicare poteſt, Jeſum Chriſtum non eſſe æquè verum Deum ac Patrem ipſius, cùm ipſius Pater ibi ὁ Θεὸς nominetur, i. e. ille unus Deus, ipſe verò Θεὸς id eſt, Deus ſimpliciter dicatur.* Idem contra Bellarm. & Wiekum pag. 335. *Filium cum articulo tametſi egregiè fallantur, Deum aliquando nominari contendunt adverſarii.* p. 383. *Fateor, Chriſtum alicubi in N. T. abſolutè vocari Deum, Dei tamen nomine prædicati locũ obtinente, & articulo, qui ſuam vim integram retineat, carente.* Goslavus p. 1. c. 5. p. 57. *Dicitur Pater Deus cum articulo, dicitur Chriſtus Deus ſine articulo, ſed in tota S. Scriptura non reperitur Chriſtum dici Deum cum articulo.* Eniedinus in procem. Evang. Joh. p. 160. *Θεὸς hinc ſine articulo poſitus eſt, quod indicat non illum ſummũ & ſolum Deum ea voce hic ſignificari, quem præcedens & ſequens indicat clauſula.* Schmaltz. in explic. 1. cap. Johan. Germ. verba hæc Θεὸς ἦν ὁ λόγος, ſic convertit: Die Rede war ein Gott / *Sermo erat Deus*, quidam ſcil. factus, quâ ſcil. Θεὸς non habet articulum. Contrà verò ſic concludimus. Si nomen Θεὸς vero DEO attributũ quandoque caret articulo, & viciſſim, ſi additum habens articulum λεγομένοις θεοῖς, quandoque tribuitur, conſequens eſt, hanc Photinianorum hypotheſin eſſe falſam. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Connexio Majoris eſt ſatis manifeſta, quia pugnant ἀντιφατικῶς nomen Θεὸς de vero DEO uſurpatum ſemper habere additum articulum, & nomen illud de vero Deo uſurpatum quandoque carere articulo. Item nomen Θεὸς additum habens articulum ſemper tribui vero Deo, & nomen illud additum habens articulum quandoque tribui λεγομένοις θεοῖς. Prius aſſumtionis membrum confirmari poteſt variis exemplis, quæ ubivis in N. T. ſunt obvia Matth. 4. v. 4 cap. 5. v. 9. cap. 6. v. 24. cap. 12. v. 28. Vide Concordantias Biblicas Roberti Stephani. Chryſoſt. hom. 3. in Joh. hoc urget, quòd in eodem capite Johannis 1. bis nomen Dei enunciatur de Patre ſine articulo v. 6. *fuit homo miſſus à Deo.* verſ. 18. *Deum nemo vidit unquam.* Poſterius itidem negari nequit. Act. 7. v. 43. *ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch & ſidus τοῦ θεοῦ ὑμῶν, Dei veſtri Remphan.* Act. 14. v. 11. *οἱ θεοὶ ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos.* 2. Cor. 4. verſ. 4. *ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, Deus hujus ſeculi excæcavit mentes infidelium.* Galat. 4. v. 8. *ignorantes ſerviebatis τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς.* Phil. 3. v. 19. *quorum ὁ θεὸς venter eſt.* Similiter etiam in verſione LXX. Interpp. Pſ. 95. v. 4. *terribilis ὑπὲρ πάντας τοὺς θεούς.* Quamvis igitur nomen Θεὸς ſine articulo Chriſto tribuatur Joh. 1. v. 1. ac Tim. 3. v. 16. ex eo tamen non poteſt infringi argumentum, quod pro aſtruenda Chriſti divinitate ex nomine Θεὸς ipſi attributo deducimus. 1. quia alibi paſſim dicitur ὁ Θεὸς, cum articulo. Matth. 1. v. 23. Luc. 1. v. 16. Act. 20. v. 28. Tit. 2. v. 13. Hebr. 1. v. 8. &c. 2. quia Johan. 1. v. 1. omittitur articulus non ad Deitatis Filii labefactationem, ſed ad prædicati deſignationem, ut ſcilicet demonſtretur nomen Θεὸς in illa propoſitione habere rationem prædicati. 3. quia 1. Timoth. 3. verſ. 16. nomen Θεὸς ponitur loco ſubjecti. Jam verò habent Photiniani regulam, quod quando nomen Deus in ſubjecto enunciationis abſolutè ponitur, tunc verum Deum deſignet. Socin. in reſp ad Bellarm. cap. 6. claſſ. 4. arg. 1. pag. 370. *Cùm nomen Dei in Novo Teſtamento ſubjecti locum abſolutè obtinet ſive cum articulo ſit, ſive ſine articulo, vel cum obtinet rationem prædicati, ſi articulum habeat ſimpliciter, aut ſine tali adjuncto, aut conſtructione, quæ articuli vim infringat, nunquam niſi ipſi ſoli, ne quidem Chriſto excepto tribuitur.* 4. quia Johannes in illo ipſo primo capite appellatione Dei de eo, qui citra controverſiam eſt verus ille Deus, quater uſurpavit verſ. 12. 13. & 18. nec tamen articulum præpoſuit, ergò articuli omiſſio non eſt veræ Deitatis labefactatio. Repudiamus igitur confictam illam Photinianorum regulam, eique opponimus aliam. Quicunque abſolutè & ſimpliciter abſque ulla limitatione & reſtrictione vocatur DEUS, ita ut nomini DEUS talia elogia & epitheta addantur, quæ non niſi vero & æterno Deo competunt, is eſt verus & æternus DEUS, quâ ratione Chriſtum vocari Deum, ſuo loco demonſtrabitur.

16. Quæ-

Q. 2. An articulus additus oſtendat poni nomen θεὸς ὑποςατικῶς.

16. Quæritur 2. *An ex articulo addito nomini θεὸς, quando propriè de vero Deo uſurpatur, intelligi poſſit ὑποςατικῶς illud accipiendum eſſe?* Quemadmodum Didymus Alexandrinus lib. 1. de Spiritu ſancto format hanc regulam. Epitheton ἅγιον vel articulus τὸ additus voci πνεῦμα indicat de perſona Spiritus ſancti eam eſſe accipiendam, omiſſus autem de donis intelligendam monet: ita quoq; Jacobus Faber Stapulenſis exiſtimat, ex additione vel omiſſione articuli intelligi poſſe, quando nomen θεὸς ſumatur ὑποςατικῶς vel οὐσιωδῶς. Et ſanè in quibuſdam exemplis obſervatio illa locum habet. Sic Joh. 1. v. 1. ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεὸν, hoc eſt, apud Patrem nomine Dei perſonaliter accepto. Joh. 20. v. 28. dicit Thomas ad Chriſtum, ὁ θεός μου, interim tamen ut Dydimi regula non eſt perpetuæ & immotæ veritatis, ut oſtendimus tract. de Spiritu S. §. 17. ita quoq; illa Stapulenſis obſervatio quandoq; locum non habet. Johan. 4. v. 24. πνεῦμα ὁ θεὸς, ubi tamen Dei nomen accipitur eſſentialiter.

Q. 3. An nomen Deus prædicati loco poſitum nullibi accipiatur pro vero Deo.

17. Quæritur 3. *An nomen Deus prædicati loco poſitum nullibi accipiatur propriè pro vero & æterno Deo?* Etiam hæc eſt Photinianorum hypotheſis excogitata eodem fine, ut vim argumentorum noſtrorum ex appellatione Dei pro Filij divinitate aſtruenda deductorum labefactare poſſint, ut conſtat ex Socin. in defenſ. animadv. c. 4. p. 130. *Dei nomen ſimpliciter prolatum cum ſubjecti locum obtinet, Deum Patrem ſignificat, quod nihil aliud eſt, quàm ſolum Patrem eſſe illum unum verum Deum.* libr. contra Wick. pag. 383. *Fateor Chriſtum alicubi in N. T. abſolutè vocari Deum, Dei tamen nomine prædicati locum obtinente.* Sed opponimus illis 1. *propriam ipſorum confeſſionem.* Dictum 1. Joh. 5. v. 20. *hic eſt verus Deus & vita æterna,* de eo qui eſt Naturâ æternus Deus, accipiendum eſſe pugnant. Catech. Rac. p. 76. *Verba illa non poſſunt referri ad Chriſtum, cùm in Græco addatur ὁ ἀληθινὸς θεὸς.* Goslav. cont. Kecker. part. 1. cap. 5. p. 62. *verba hæc non ad Filium, cujus proximè facta eſt mentio, ſed ad illum verum remotiori loco nominatum eſſe referenda.* Atqui nomen Dei ibi ponitur loco prædicati. E. coguntur agnoſcere nomen Dei loco prædicati poſitum verum & æternum Deum quandoq; denotare. 2. *genuinam & propriam verbi hujus ſignificationem.* Neq; n. nomen Deus mutat propriam ſignificationem, & aliam acquirit, quando prædicati loco ponitur, quam habuit loco ſubjecti poſitum, ſed eandem utrobiq; ſignificationem retinet, ſi terminus aliquis in prædicato poſitus aliam acciperet ſignificationẽ, quàm ea eſt, quam idem habuit in ſubjecto poſitus, periclitaretur ſyllogiſtica collectio in prima figura. 3. *Scripturæ uſurpationem* Matth. 22. v. 32. *Ego ſum Deus Abraham* &c. Act. 7. v. 32. *Ego ſum Deus Patrum tuorum.* 2. Cor. 6. v. 16. *ero Deus illorum.* Heb. 11. v. 16. *non erubeſcit Deus illorum vocari* &c. Ubi non eſt, quòd dicant, nomen Deus in prædicato nõ poni abſolutè, ſed cum adjectione *Deus Abrahæ, Deus Patrum, Deus illorum,* quia adjectiones illæ non mutant propriam hujus nominis ſignificationem, ſed eandem potiùs explicant & deſcribunt, nec novum aliquod nomẽ generant, ſed illud ipſum ἐπιθετικῶς καὶ ἀφοριστικῶς determinant. Neq; quicquam obtinent hoc ſuo effugio, quòd nomen Deus abſolutè in prædicato poſitum non accipiatur pro vero & æterno Deo, ſed tantùm cum adjectione quadam limitatum, quia Chriſtus non ſolùm abſolutè vocatur Deus, ſed inſuper etiam vox Dei Chriſto attributa talibus inſignitur elogiis & epithetis, quæ non niſi ſoli vero & æterno Deo conveniunt. Sic vocatur *Deus fortis* Eſa. 9. v. 6. *magnus Deus* Tit. 2. v. 13. *verus Deus* 1. Joh. 5. v. 20. *Deus ſuper omnia benedictus* Rom. 9. v. 5. *Deus Thomæ* Joh. 20. v. 28. perinde ut *Deus Iſraëlis*, qui non eſt niſi unus verus Deus, vocat ſe *Deum Abrahæ* Exod. 3. v. 15.

Q. 4. An Deus habeat proprium aliquod nomen?

18. Quæritur 4. *An Deus habeat proprium aliquod nomen?* Negant Philo in lib. de vit. Moſis, Juſtinus in parænesi ad Græcos & alij. Galatinus libr. 2. de arc. Cathol. verit. c. 10. citat dictum R. Haccadoſch ex Galerazeia. *Deus non habet nomẽ, cujus nos cognitionem habere poſſimus, quandoquidem ejus ſubſtantia eſt ejus nomen & contra. Et quemadmodum ejus ſubſtantiæ notitiam nullam habere poſſumus, quoniam eâ cognitâ ei ſimiles efficeremur, ita nominis ejus cognitionẽ habere nequimus.* Alij contrà affirmant, Deum omninò habere proprium aliquod nomen, idq; eſſe nomen *Iehovah*. Diſtinctione rẽ expediri poſſe arbitramur. Proprium nomen dicitur, vel quòd totam rei nominatæ Naturam & eſſentiam exprimit, vel quòd uni & ſoli alicui rei convenit, & eam à reliquis diſtinguit. Priori modo Deus non habet proprium aliquod nomen, ſed poſteriori. (In Deo eſt τὸ ἀκατάληπτον καὶ τὸ γνωστὸν, οὔτε πάντα ἄγνωστα, οὔτε πάντα γνωστά, ait Damaſcenus libr. 1. orthod. fid. c. 2.) Reſpectu prioris Patres vocant Deum *innominabilem & ineffabilem*, Dionyſius de div. nomin. c. 1. Clemens Alexandrin. libr. 5. ſtromat. Cyrillus Hieroſolymitan. catech. 6. reſpectu poſterioris dicunt, Deum à nobis verè nominari poſſe. Tom. part. 1. q. 13. art. 1. *Deum poſſumus aliquo modo cognoſcere, ergò et nominare, quia voces ſunt ſigna conceptuum, & iis mediantib. rerum ipſarum. Sed non poſſumus Deum perfectâ cognitione comprehendere, ergò nec nominare.* At inquis, *ſi Deo proprium aliquod nomen competeret, illud foret vel abſtractũ vel concretum. Sed neutrum Deo tribui poteſt. Non concretum, quia Deus eſt ſimpliciſſimus; nec abſtractum. quia Deus res verè ſubſiſtens, jã verò nomina abſtracta ſignificant rẽ non per ſe ſubſiſtentẽ.* Reſp. per inverſionẽ. Utraq; nomina jure Deo tribuuntur; cõcreta, quia eſt res verè ſubſiſtẽs; abſtracta, quia eſt ſimpliciſſimus abſq; ulla materiei cõpoſitione.

Q. 5. An nomen Deus ſit appellativum vel proprium.

19 Quæritur 5. *An nomen Deus ſit appellativum, an verò proprium?* Photiniani ſtatuunt eſſe appellativum, ut obtineant ex nomine Deo Chriſto in Scripturis attributo non poſſe veram & æternam ejus Deitatem probari. Sic enim Enjedin. ad proœm. Joh. p. 160. *Dei vocabulum variis & multis rebus ſolet tribui, ſicut ex Veteri & Novo Teſtamento apparet. Non ergo ſequitur, ſi quis dicatur Deus, ideò ſtatim pro æterno cœli & terræ creatore eſſe illum habendum.*** Idem in c. 1. Joh. p. 199. *Dei vocabulũ dignitatis potius & officij eſſe nomen, quam Naturæ & eſſentiæ omnib. qui ſacra tractant, notiſſimum eſſe debet.*** Socin. contra Wickũ p. 379. *Sciendũ eſt, nomen Deus ſuâ Naturâ eſſe nomen appellativũ, & idcircò plurib. cõvenirẽ.*** Schmaltz. de div. Verbi incarnat. Natura c. 26. p. 144. *Vox Dei dignitatis nomen eſt, non eſſentiæ & officij, & quicunque veram divinitatem, id eſt, veram poteſtatem divinam habet, is ſuo modo verus Deus eſt.*** Photinianis aſſurgit Corn. Muſſus Pontificius t. 1. p. 545. poſtill. negans, Dei nomen eſſe Dei proprium. Nos diſtinguimus inter acceptionẽ vocis

propriam & modificatam, quando enim nomen Dei aliis præter unum ac ſolum verum Deum tribuitur, tùm non accipitur propriè, ſed modificate, ut apparet ex reſtrictionibus additis, quando verò propriè accipitur, nulli niſi uni vero & æterno in Scripturis convenit. Bernh. ſerm. ſuper miſſus eſt: *Nomen Dei accipitur vel ſubſtantivè, vel nuncupativè.* Verus enim Deus vocatur Deus φύσει Gal. 4. v. 8. reliqui dicuntur *conſtituti Dei*, λεγόμενοι θεοὶ. 1. Corinth. 8. v. 5. Verus Deus dicitur *ſolus Deus, præter quem non ſit alius Deus* Deuter. 32. v. 39. Pſ. 86. v. 10. Eſ. 37. v. 16. &c. ſed λεγόμενοι θεοὶ ſunt complures 1. Cor. 8. v. 5. Verus Deus dicitur *Deus Deorum, Deus magnus ſuper omnes Deos, Deus cui nullus ſimilis* Pſal. 50. v. 1. Pſal. 95. v. 3. Pſ. 96. v. 4. Pſal. 97. v. 9. &c. id verò de nullo τῶν λεγομένων θεῶν dici poteſt. Unde ipſimet Photiniani confitentur, vocem Deus καθ' ἐξοχὴν & peculiari quadam ratione uni illi ſummo rerum autori & conditori Deo æterno tribui. Socinus in tract. de Deo, Chriſto & Spir. S. p. 3. *Vox Deus duplici potiſſimùm modo in ſacris literis accipitur, prior modus eſt, cùm ſignificat illum, qui tùm in cœlo, tùm in terra, ita aliis dominatur ac præeſt, rerúmq; autor eſt & origo, ut neminem habeat principem aut ſuperiorem, nec ab ullo pendeat. Alter modus eſt, cùm ſignificat eum, qui ſummum aliquod imperium aut vim aut poteſtatem ab ipſo uno Deo habet, vel aliquâ aliâ ratione divinitatis illius unius Dei eſt particeps, hinc n. ille unus Deus, i. e. Iehovah Deus Deorum dicitur.* In animadv. defenſ. p. 74. *Nomen Deus licet ſuâ N...urâ & uſu adhuc appellativũ tamen ut proprium frequentiſſimè uſurpatur, & de illo omnium Deorum Deo* κατ' ἐξοχὴν, *non prædicativè tantùm, ut ſic loquamur, ſed ſubjectivè quoq; paſſim dicitur.* contra Wiek. c. 6. claſſ. 4. arg. t. p. 379. *nomen Deus per excellentiam uni illi ſummo rerum autori & conditori ſingulariter tribui.* Goſlav. p. 1. c. 5. p. 55. *Tribuitur nomen Dei uni illi ſummo rerum conditori* κατ' ἐξοχὴν, *tanquam ſi eſſet ejus proprium, nimirum quia hujus nominis ſignificatio præcipuè illi convenit, & ſingulari quadam præter alios ratione.* At quicquid alicui κατ' ἐξοχὴν, tanquam ejus proprium convenit, id hactenùs & hoc reſpectu non eſt appellativum & multis commune, ſed induit Naturam nominis proprij. Quomodo verò deprehendi poſſit, ubi nomen Deus accipitur propriè, ubi figuratè, de eo notãda eſt generalis regula: *Ubicunq; nomen Dei ponitur, propriè accipiendũ niſi circũſtantiæ textus contrarium oſtendant.* Speciales regulas tradit D. Hunn. in exam. error. Photin. de nomin. Dei c. 3. p. 245. Nos h. l. pro noſtra ſententia ſic concludimus: Si Dei nomen non eſt Deo propriũ, Deus abſolutè non unus eſſet. Cõmune n. eſt quod multis cõvenit, proprium quod uni ſoli & nomen unius tantùm rei proprium eſſe neceſſe eſt. Cùm igitur Scriptura ſemper Deum eſſe unum doceat, conſequens eſt Dei nomen Deo proprium eſſe non commune multis. Smigl. contra Schmaltz. p. 48. 2. Cùm nomen aliquod alicui per ſe competit, aliis verò propter relationem & reſpectum ad ipſum, tunc cenſendum eſt proprium illius nomen. Sed nomen Dei per ſe Deo competit, aliis per reſpectum ad verum Deum. E. 3. Non poteſt nomen Dei æquè ſignificare divinam Naturam & divinam ſimilitudinem ſeu participationem, ſed Naturam divinitatis primariò ſimilitudinem vel ſecundariò ſignificat. Ergo eſt Dei p̄roprium nomen.

CAP. III.

De συνωνυμίᾳ.

20. Ad συνωνυμίαν pertinent *divina nomina*, quorum explicatione maxima pars doctrinæ de Deo continetur, quia Theologia noſtra in hac vita ferè tota eſt Grammatica, unde quicquid de Deo cognoſcere poſſumus, vocatur *Dei Nomen*, ac Dionyſius Areop. vel quicunq; alius autor libri de divinis nominibus dicturus aliquid de Deo collegit appellationes, quæ Deo in Scripturis tribuuntur. In genere notandæ ſunt 1. *variæ diviſiones* nominum divinorum. 1. Nomina Dei dicuntur *generaliter* vel *ſpecialiter*. In generali & lata ſignificatione dicitur Dei nomen quicquid de Deo prædicatur, quo modo accipitur à veteribus, qui appellatione nominum etiam attributa ſive proprietates complectuntur, unde ea diſtinguunt in *affirmativa*, ut quando Deus dicitur bonus, ſapiens, omnipotens, &c. *negativa*, quando dicitur immenſus, incorporeus, inviſibilis. In ſpeciali & ſtricta ſignificatione dicuntur Dei nomina, quibus ſeipſum in ſacris literis appellat. Quò pertinet etiam illa diviſio. Nominum divinorum alia ſunt, quibus ſubjectum ipſum nempe Deus ſignificatur, ut Jehovah, Jah; alia quæ prædicantur de ſubjecto, & dicuntur attributa, ut miſericors, juſtus, ubi tamen duo ſunt notanda, primò quod tantùm docendi causâ ſubjectum & ſubjecti attributa in Deo diſtinguantur, cùm in Deo ſint realiſſimè & ſimpliciſſimè unum quid, deinde quod quædam nomina ſubjectum ipſum concernentia, quandoq; etiam de ſubjecto prædicentur, ut Jehovah El *Deus fortis* Exod. 20. v. 5. 2. Nomina divina quædam ſunt *eſſentialia*, ad ipſam eſſentiam ſignificandam inſtituta, ut Jehovah, quędam verò *perſonalia* ad pluralitatem perſonarum indicandam de *Deo* uſurpata, ut Elohim. 3. Nomina eſſentialia ſunt vel *propria* vel *figurata*. Propria quæ abſque tropo de *Deo* prædicantur, ut Jehovah, El, Adonai. Figurata quæ per aliquem tropum de *Deo* dicuntur. 4. Nomina figurata ſunt vel *metonymica*, ut quando *Deus* dicitur *fortitudo, auxilium, lux, ſalus noſtra*, quia eſt autor & conſervator fortitudinis, auxilij, lucis ac ſalutis noſtræ. Pſal. 18. v. 2. Pſal. 22. v. 20. Pſal. 27. v. 20. *Carmen noſtrum, laus noſtra, ſpes noſtra*, quæ eſt materia carminis & laudis noſtræ, objectum ſpei noſtræ Jerem. 17. v. 14. Exod. 15. v. 2. Pſal. 3. v. 4. &c. vel *metaphorica*, ut quando vocatur *Sol, lucerna*, Pſal. 84. v. 12. Eſa. 10. v. 17. *ſcutum*. Pſalm. 3. v. 4. talium metaphoricarum appellationum quædam ſumuntur *ab homine*, quædam *ab aliis creaturis*. 5. Nomina perſonalia vel omnes tres perſonas complectuntur, ut Elohim, vel ſingulas exprimunt, ut Pater, Filius & Spiritus ſanctus.

3. συνωνυμία.

Diviſiones nominum divinorum.

21. 2. *Obſervationes de divinis nominibus.* 1. Varietas divinorum nominum majeſtatem divinam exprimit. Cùm enim divina majeſtas non poſſit ob ſummam perfectionem plenè à nobis cognoſci, ideo tot nomina divina in Scripturis nobis proponuntur, ut ex illis ad aliquam tantùm divinæ majeſtatis cognitionem perducamur. Vide Auguſtinum Juſtinianum in Octaplo Pſalterij ad Pſal. 118. Galat. lib. 2. de arc. Cath. verit. cap. decim. ſeptim. refert quod Cabaliſtæ et. cap. 14. Exodi v. 19. 20. 21. miro quodam modo duo

2. Obſervationes de divinis nominibus.

do duo & ſeptuaginta Dei nomina extraxerint, cumq; id decem modis effecerint, inde prodeunt 720. Dei nomina, quorum interpretatio licet in Hebræorum libris non contineatur, illud tamen non immeritò in illis obſervatur, quod unumquodque illorum nominum ex tribus literis conficiatur, ac tribus conſtet ſyllabis ad deſignandam perſonarum divinarum Trinitatem. Iren. lib.2.cap.41. p.140. ponit nomen Dei Barneth, fortaſſis à בָּרָא. De nomine Egla, & Makom, vide tract. de Nat. Dei §. 25. Deus vocatur etiam הוא Deut.32.v.29. Eſa.42.v.8. אמן Eſa. 65. v.16. Baruch. *Benedictus* Marc.14.v.61. Ariſt.lib.de mundo cap.7.ſcribit, Deum vocari *αἰῶνα*, quaſi *ἀεὶ ὄντα*, quia ſemper ſtatum obtineat ſuum. Græci Deum vocant *ζῆνα*, quod vitæ omnium ſit autor, & *Δία* quod per ipſum ſint omnia. Plat. in Cratyl. pag.313. Laërt. in vit. Zenon. p. 451. &c. Hieron. in Epiſt. ad Marcell. quæ eſt 136. decem Dei nomina commemorat, *El, Elohim, Elohe, Sabaoth, Eljon, aſcher, ehieh, Adonai, Iah, Iehovah, Schaddai*, quorum expoſitionem propoſuimus in locis tract. de Nat. Dei §.21. hoc loco monemus, *Elohim* ab *Elohe* minus commodè diſtingui, cùm ab eodem ſingulari numero deſcendat, videlicet ab *Eloah* ac prius ſit abſolutum, poſterius conſtructum ſive in regimine poſitum, τὸ *Sabaoth* nunquam abſolutè Deo tribui, ideoq; non eſſe nomen per ſe, ſed conjungi nomini El vel Jehovah, ** (Falluntur, qui *Zebaoth* eſſe nomen Dei dicunt. Eſt enim nomen plurale *exercitus* ſignificans & creaturas Dei univerſas notans. Non obſtat. 1. quod nomen Dei יהוה quod ſæpe additur, in ſtatu regiminis non ponatur, ſubintelligendum enim nomen אֱלֹהֵי quod expreſsè additur Oſ. 12. v.6. 2. quod vox ipſa Hebræa in N.T. textu Græco retineatur *σαβαὼθ* Rom. 9.v.29. Non enim omnes voces, quæ in N.T. linguâ originali ob certam rationem ſervantur, nomina propria ſunt, uti de *Hoſianna, Halleluja, Amen, paſcha, Sabbatum, &c.* cõſtat. Viciſſim etiam nomina quædam propria non ſervantur lingua Hebræa, uti de nomine *Iehovah* & *Adonai* cõſtat, quod per *κύριον* in N.T. redditur.)** nomen *Iah* eſſe contractum ex nomine Jehovah. 2. Nomina quæ propriè de Deo dicuntur, nec tamen ipſi ſoli, ſed etiam creaturis quadam ratione tribuuntur, competunt per *prius* Deo, per *poſterius* verò creaturis; ſed quæ metaphoricè de Deo enunciantur, per prius competunt creaturis, per poſterius verò Deo; priora n. à Deo ad creaturas, poſteriora verò à creaturis ad Deum ſunt tranſlata. Thom. p.1. q.13. art.3. ſic diſtinguit: *Nomina illa propria quantum ad rem ſignificatum per prius dici de Deo, quia hujuſmodi perfectiones a Deo in creaturas promanant, ſed quãtum ad impoſitionem nominis per prius à nobis imponi creaturis*, ſed rectius dicitur quod & res & nomen in talibus attributis per prius Deo tribuatur, quia utrumq; à Deo ad creaturas transfertur. 3. Metaphorica nomina ab homine deſumta & Deo accommodata deſignant, tùm Dei *φιλανθρωπίαν* tùm etiam *ὀνομάτων συγκατάβασιν*.

De nomine Iehovah.

22. In ſpecie de tribus Dei nominibus *Iehovah, Adonai & Elohim* quędam tradenda. Nominis Jehovah conſideranda, 1. *apellatio*. Rabini illud vocant 1. שם בֶּן אַרְבַּע תיות או *nomen filius quatuor literarum*, Græci *τετραγράμματον* à numero literarum, quibus ſcribitur 2. הַשֵּׁם *illud nomen κατ' ἐξοχὴν*, quia omnibus reliquis nominib. præferendum. Lyra in cap. 6. Exodi ex R. Moſe: *Quædam nomina dicuntur de Deo per reſpectum ad creaturas, ut creator, Dominus, alia per modum qualitatum circa eſſentiam divinam, ut ſapiens, bonus, omnipotens: alia per modum quantitatum ut immenſus, incircumſcriptus, nomen autem tetragrammatum ſignificat divinam eſſentiam puram & nudam, ut in ſe exiſtit.* 3. שְׁמָא רַבָּא *nomen magnum*. 4. שם הַנִּכְבָּד *nomen glorioſum*, יִתְבָּרֵךְ *benedicendum*, הַנּוֹרָא *glorioſum*, הַגָּדוֹל *magnum*, Jer. 44.v.26. 5. שם הַמְּיוּחָד *nomen proprium* vel appropriatum. 6. שם הַמְּפוֹרָשׁ *nomen expoſitum* vel *ſeparatum*, dicitur enim vel a פרש *expoſuit*, vel ab הִפְרִישׁ *ſeparavit*, ut vult Maimonis filius, quia eſt ab hominum notitiâ ſeparatum. Buxtorff. in rad. הוה p.179. Schindl. in Lex. p.430. quomodo verò variis modis exponatur, dicemus poſteà. 7. שם הַמְּיוּחָד *appropriatum*, vel addito לו *appropriatum ei*, quia maximè propriè Deo tribuitur. 8. אַזְכָּרָה quod in memoriam revocet Dei *οὐσίαν*. 9. *ὄνομα τοῦ ὄντος ὄνομα ἴδιον*.

2. Scriptio.

23. 2. *Scriptio*. Chaldæi ſcribunt per tria jodim ſubjuncto cametz. Item quatuor punctis ordine collocatis. In Rabinorum commentariis in quibuſdam libris quia jod interpretatur principium, ratio autem principij convenit tribus perſonis divinis comparatione creaturarum, ideo tres divinæ perſonæ per tria jodim exprimebantur, ac includebantur circulo, tum ad ſignificandam Naturæ divinæ in tribus perſonis unitatem, tùm ad denotandum quod ſit unum tantùm principium. Virg. in c. 12. Eſa. In Græcis quibuſdam Bibliis olim legebatur ſcriptum charactere Samaritano ejuſmodi, qui ad effigiem Græcæ literæ π proximè accedit, quod non intelligentes duo ππ ibi collocari putabant & Pipi legebant, quos ridet Hieronymus in Prolog. galeato & Epiſtola 136. Procopius in Eſaiam in margine ſcripſit ΠΙΠΙ ubi in contextu Græco *κύριος*, & in Hebræo tetragrammaton habetur. In Raſche Theboth, h.e. capitibus dictionum ſive abbreviationibus ponitur יי vel ſolum ה & ſignificat הַשֵּׁם Item hoc modo הקבה quæ ſunt initiales harum vocum הַקָּדוֹשׁ בָּרוּךְ הוא *ſanctus, benedictus ille*, quandoq; per Soph. Theboth ſcribunt ultimam literam nominis tetragrammati ה Reuchl. de arte Cabaliſt. lib.3. commutant etiam quaſdam ejus literas, nam pro יהוה ſcribunt יהיה Iren יוד quæ omnia originem duxerunt ex eo; quod hoc nomen in vulgari uſu proferri aut pronunciari noluerunt.

3. Pronunciatio.

24. 3. *Pronunciatio*. Judæi exiſtimant illud nomen non poſſe nec debere pronunciari, unde appellant *ἀνεκφώνητον*, Theodor. *ἄφραστον* & ubicunque in S. literis occurrit, pro eo legunt אֲדֹנָי Dominus, quando verò præcedit aut ſequitur אדני tunc legunt Elohim; ne bis Adonai dicere cogantur. Euſeb. lib. 1. de præpar. Evang. cap. 8. *Moſes omneſq; Prophetæ ineffabilem rem atque intellectu ſolum perceptibilem Deum eſſe docent. in hujus rei ſymbolum ſcriptum apud eos quatuor literis nomen Dei fertur, quod proferre non poſſunt.* lib.9. cap. ult. profert commentum Artapani, *quod Pharao audito nomine Iehovah à Moſe ipſi relato mutus in terram ceciderit, quodq; Sacerdotes literas hujus nominis tabulæ à Moſe inſcriptas legere neſcientes ac proinde deridentes ſpaſmo correpti interierint.* Vorſtius in reſp. ad Camp. p.18. *Nomen Dei tetragrammatum ante Galatinum legit veterum nemo*

nemo, nec ipſi Maſoritæ. Fingunt etiam filium mulieris Iſraclitidis Levit. 24. propterea blaſphemiæ reum factum & lapidibus fuiſſe obrutum, quod expreſſerit ſive protulerit nomen Jehovah, quod in monte Sinai audiverat, בִּכְתִיבָה *ſuis literis* ſeu prout ſcribitur. At ſuperſtitioni huic meritò opponimus. 1. *mandati divini defectum*, prohibemur quidem nomen Dei in vanum ſumere לַשָּׁוְא Exod. 20. v. 7. ſed ſimpliciter illud pronunciare nuſpiam prohibemur. 2. *revelationis divinæ ſcopum*, ideo enim hoc nomen divinitùs eſt revelatum, ut ab hominibus agnoſceretur ac celebraretur, ideo in ſacras literas relatum, ut legeretur ac pronunciaretur. 3. *Sanctorum exemplum*, qui in ſuis precibus & colloquiis cum Deo hoc nomen ſæpius uſurparunt, niſi velimus dicere, aliis verbis ſanctos Patriarchas & Prophetas fuiſſe uſos, quàm quæ in Scriptura annotata extant, quod abſurdum. 4. *rationis paritatem*. Si enim licet nomen Dei ſcribere, cur non liceret etiam pronunciare? Si licet dicere, nomen Dei ſcribitur quatuor literis, Jod, He, Vau, He, cur non liceret etiam idem efferre? Si licet nomen illud audire, licebit etiam pronunciare. 5. *ſuperſtitionis vitioſam originem*, quæ eſt duplex, prior textus Biblici corruptio, quando enim Exod. 3. v. 15. Deus dicit, *hoc eſt nomen meum* לְעֹלָם *in ſeculum*. Rabini ſubſtitutis aliis punctis legunt לְעַלֵּם *ad abſcondendum*, atq; ex eo colligunt, non eſſe hoc nomen pronunciandum. Thalmud. in Kidduſchim cap. 4. p. 71. Poſterior inanis perſuaſio, exiſtimarunt enim vileſcere Dei nomen, ſi pronuncietur, deſtitui illud punctis propriis, miracula per hanc vocem edi poſſe, & quæ ſunt hujus generis alia. Pij majores Judæorum vel ex reverentia divini Numinis & nominis vel ob rei notatæ divinæ ſcilicet eſſentiæ ἀκαταληψίας καὶ ἀνεκφώνησις, vel ob pronunciationis in Græca & Latina lingua ἀδυναμίαν. (Græci in alphabeto nullam harum quatuor literarum habent, non enim habent jod cõſonantem ſed vocalem, nec in medio nec in fine habent ſpiritum, nec habent vau conſonantem.) Nomen Jehovah ἀνεκφώνητον vocarunt, quod à poſteris in ſuperſtitionem fuit commutatum. Abba Saul lib. Sanhedrin c. helac: *Qui pronunciat nomen tetragrammatum, non habet partem in futuro ſeculo.* Maimonides dicit, *pronunciationem ejus deſiiſſe in Simeone juſto*, qui Chriſtum infantulum in ulnis ſuſcepit. 6. *Opinionum Judaicarum de hac re varietatem.* Ipſimet Judæi plurimùm variant de non proferendo nomine Jehovah, 1. Quidam hujus rei Deum autorem faciunt Exod. 3. v. 15. quò etiam referunt illud Pſalm. 65. v. 1. *Tibi ſilentium laus eſt Deus in Sion*, quaſi etiã in divinis laudib. nominis arcani prolationem Propheta prohibeat, quidam à Magiſtris hunc morem invectũ dicunt. 2. Quidam ſponte illud à Magiſtris factum dicunt, ne prophanâ uſurpatione nomen violaretur, quidam neceſſariò, quia poſt Simeonem juſtum nemo poterat rectè pronunciare. 3. Quidam tempora & loca adjiciunt, ut nec ſemper conceſſam dicant, vel Sacerdoti, ſed in interdictionibus nec ubiq; ſed in ſanctuario. Sanfort. lib. 1. de diſc. ſect. 9. Confer Benedict. Arcam in libro Joſeph. c. 1. & Pererium in c. 6. Exod. p. 168.

4. Punctatio. 25. 4. *Punctatio.* Judæi exiſtimant nomen Jehovah deſtitui propriis punctis, quandoque habere puncta vocis *Adonai*, quandoque verò vocis *Elohim*, 1. quia 2. Sam. 7. v. 20. punctatur hoc notato יְהוִה pro quo habetur 1. Paral. 17. verſ. 17. אֱלֹהִים chatephſegol non competit literæ jod, neque ה in hiric quieſcit. 2. quia poſt tetragrammaton literæ Begadcephat non habent Raphe, quod tamen fieri debebat poſt ה, utpote literam quieſcentem. 3. cum præfixis non dicitur לַיהוה ſed לַיהוה Si præfigatur ei una è literis Bachlam ſive Vecaleb ſemper ſcribitur ſub illa patach, cùm tamen illorum punctum regulare ſcheva, quia litera ſervilis ſervili gaudet puncto. Vide Druſium in tetragrammato cap. 7. & ſeqq. Buxdorff. in rad. הוה. Sed breviter dicimus, noſtrorum Grammaticorum regulæ non poſſunt præſcribere, quomodo voces Biblicæ ſint punctandæ, ſed contrà potiùs puncta Biblica formant regulas Grammaticas. Si nomen Jehovah non haberet propria puncta, conſequens fuerit, vel ab initio ſtatim nõ fuiſſe punctatum, vel progreſſu temporis puncta fuiſſe mutata. Neutrum dici poteſt, non prius quia Judæi ipſimet ſtatuunt, hanc vocem cum propriis ſuis punctis in ſolenni benedictione fuiſſe à Sacerdote pronunciatam, nec poſterius, quia mutatione illorum propriorum punctorum in voce Jehovah Biblia infinitis locis fuiſſent corrupta. Si vel maximè יְהֹוִה haberet puncta vocis Elohim quid hoc ad vocem Jehovah? Si haberet puncta vocis Adonai ſub י, non deberet eſſe ſcheva ſimplex, ſed hatephpatha.

26. 5. *Origo.* Non homines, ſed Deum ipſum hujus nominis autorem eſſe, idq; hominibus revelaſſe extra dubitationis aleam poſitum eſſe debet (Weidn. converſus Judæus in locis fidei tr. 1. pag. 154. jubet conſiderare verba Moſis Exod. 3. v. 13. לִי מַה־שְּׁמוֹ מָה *dicent mihi, quod nomen ejus quid?* Si enim conjungamus literas terminales, habebimus nomen Jehovah à Deo ipſo ſibi inditum.) Sed quæritur an illud Patriarchis notum fuerit ante Moſen? Quidam negant moti verbis Domini Exod. 6. v. 3. *Revelatus ſum Patribus veſtris in Deo Schaddai, ſed in nomine Iehovah non ſum cognitus eis.* Sed affirmativa præferenda, ut oſtenſum fuit in tract. de Dei Nat. §. 23. ubi etiam veram dicti illius ſententiam expoſuimus. 6. *Etymologia* & ſignificatio hujus nominis explicata fuit ſuperiùs. 7. *Expoſitio.* Judæi exponunt primò per nomen duodecim literarum, & vocant שֵׁם הַמְפֹרָשׁ שֶׁל י״ב אוֹתִיּוֹת in ſolenni enim illa benedictione, Num. 6. ter poſitum nomen יהוה efficit literas 12. & à Sacerdotibus in templo hanc benedictionem recitantibus enunciabatur, Cabaliſtæ exponunt אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ Galat. lib. 2. de arc. Cath. verit. cap. 11. Vocatur nomen 12. literarum non quod ſit unum aliquod nomen 12. literis conſtans, ſed quia eſt complexio multorum nominum tot literas habens ad unum illud tetragrammatum exponendum accommodatas. Secundò per nomẽ 42. literarũ hoc modo lib. 3. c. 9. 5. Origo.

6. Etymologia. 7. Expoſitio.

אָב אֵל בֵּן אֵל רוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֵל אֲבָל
לֹא שְׁלֹשָׁה אֱלֹהִים כִּי אִם אֵל הָ אֶחָד

R. Chiskias in cap. 3. Exod. bis ſcriptum אֶהְיֶה v. 14. continet in numeratione 42. ad indicandum quod Deus tradiderit Moſi nomen 42. literarum vocula זֶה v. 15. זֶה שְּׁמִי facit 12. quo docemur, Deum docuiſſe quoq; ipſum nomen 12. literarum, illud nomen 42. literarum dicunt fuiſſe prolatum à Sacerdote magno in die expiationum Levit. 16. Alij ſic exponunt:

אָב אֱלֹהִים בֵּן אֱלֹהִים רוּחַ הַקֹּדֶשׁ
אֱלֹהִים שְׁלֹשָׁה בְּאֶחָד אֶחָד בִּשְׁלֹשָׁה

Trini-

Trinitas in Unitate & Unitas in Trinitate. Tertiò per nomen 72. literarum, quod colligunt ex cap. 14. Exodi, ut ſuperiùs diximus, ac nugantur hoc nomen 72. dictioοum ſive nominum inſculptum fuiſſe baculo, quo Moſes mare diſrupit & petram aquas fundentem percuſſit, mentiuntur etiam, Chriſtum per hoc nomen expoſitum miracula ſua edidiſſe. Narrant in templo Salomonis fuiſſe lapidem raræ virtutis, in quo Salomon pro ſua ſingulari ſapientia nomen Dei inſculpſerat, quod cuiq; legere quidem licebat, ſed ediſcere memoriter aut transſcribere prorſus nemini, ad valvas enim templi duos leones duabus catenis vinctos proſtitiſſe, quorum tàm horribilis fuerit rugitus, ut cùm edidiciſſet, præ metu obliviſceretur, & qui transſcripſiſſet medius creparet, ſed Jeſum Mariæ filium neglectâ hac dirâ imprecatione, deſpectoq; leonum rugitu, poſtquam exſcripſiſſet, mirabili prorſus animi fiduciâ pertranſiiſſe, ne verò deprehenderetur, ſuræ pelliculam aperuiſſe, ibiq; abſcondiſſe, ac ejus virtute tanta poſtmodùm miracula edidiſſe, quod Diabolicū commentum refellit Lutherus in libro de Schemhamphoras tom. 8. Jen.

27. 8. *Myſtica explicatio.* In voce *Iehovah* Cabaliſtæ quærunt 1. *myſterium Trinitatis* & quidem multiplici ratione, in radicis extractione, peculiari ſcriptione, literarum explicatione, pūctorum adjectione, ſyllabarum numeratione, nominum ex eo formatâ derivatione & Cabaliſticâ explicatione. Deducitur à radice הוה quæ ut reliquæ perfectæ radices omnes eſt trilitera, notatur etiam tribus punctis vocalibus, à Chaldæis ſcribitur per tria jodim ſubjuncto unico cametz, pronunciatur tribus ſyllabis, quæ omnia ad perſonarum trinitatem in una Deitatis eſſentia alludunt. Gal. lib. 2. de arc. Cathol. verit. cap. 10. poſteriore ex Rabbenu Haccados in Gale razeia. *Literæ hujus nominis non ſunt niſi tres,* י ה & ו *tres hujus nominis literæ deſignant tres hypoſtaſes, nam prima quidem ſcilicet jod, quæ principium interpretatur, eò quod omnium aliarum ſit principium, cùm ab ea unaquæque originem Scriptura habeat, ipſaq; à nulla originem ſumat, rectiſſimè Patrem in divinis inſinuat, qui cùm à nullo ſit aliaq; perſona ab eo emanent, principium ſine principio dicitur. Secunda verò ſcilicet* ה *quæ eſſe vel vivere ſignificat, Filium in divinis aptiſſimè innuit, per quem omnia, quæ facta ſunt, eſſe cœperunt. Tertia autem* ו *quæ copulativam dictionem* Et *denotat, Spiritum ſanctum exprimit, qui cùm ſit amor Patris & Filij, quo ſe invicem amant, rectè copula, h. e. nexus utriusque nuncupatur.* Poſteà addit: Veteres Hebræos ex literis hujus nominis tria formaſſe nomina יה Jah, הו hu והו Vehu. *Primum* (inquit) *nomen ex prima & ſecunda componitur litera, ſcilicet ex* י *&* ה *hoc modo* יה *quod idem eſt, quod* Deus *& Patrem deſignat, qui totius divinitatis fons eſt. Secundum verò nomen ex ſecunda & tertia conſtat litera ſic* הו *quod ipſe interpretatur, & Filium ſignificat, quia ipſe profectò eſt, quem Prophetæ ad ſalvandum genus humanū prædixerunt, & digito quandoque monſtrarunt* Eſa. 35. & cap. 42. *Ego Deus* הו *hoc nomen meum. Tertium nomen ex tertia & quarta conſtituitur litera ſcilicet ex* ו & ה *ſic* והו *& ſignificat idem quod* & ipſe, *& Sp. S. notat, quia & ipſe poſt Filium viſibiliter mitti debebat &c.* Vide ibi plura. Alij ſic progrediuntur, י idem ſignificat, quod *principium,* ideoque deſignat Patrem, qui eſt principium, fons & origo Deitatis. Litera ה ſignificat Filium, quia ה Hebræis idem deſignat, quod *Ecce*, ut placet Reuchlino lib. 3. Cabal. p. 533. vel *iſta*: ut Hieron. Epiſtola ad Paulam Urbicam tom. 4. ſol. 90. & proœm. comm. in lament. Jer. tom. 5. f. 165. & Pagnin. lib. 1. Gramm. c. 3. interpretantur, J. C. Dei Filij potiſſ. nota eſt. Is enim eſt, de quo Prophetæ vaticinaturi per particulam *Ecce*, nos expergefaciunt & perſona *iſta*, cui omnes Prophetæ teſtimonium perhibent. ו apud Hebræos eſt conjunctio copulativa, & ſignificat Spir. S. qui eſt ſancta copula inter Patrem & Filium. In יְ eſt itidem myſterium Trinitatis, quia Kametz ſignificat collectionem, ac Sp. S. miniſtros reddit vocales &c. Eadē repetit Weidnerus converſ. Judæus in loc. fid. Chriſt. præcipuis tract. 2. p. 195. Janſeniusio Harmon. c. 134. p. 942. *Ipſum nomen Iehova, cùm ſit derivatum ab* הוה *quod ſonat* eſſe, *ſignificat eſſentiam, prima autem litera, quæ eſt adjectitia & nominis proprij conſtitutiva, nempe* י *ſignificat principium, tres verò ſequentes literæ radicales* ה, ו *&* ה *ſonant* hic & ille, *quibus tribus ſignificantur tres perſonæ, Pater, Filius & Spir. S. quia Pater & Filius ſignantur per duo* ה, *quorum copula* ו *& amor eſt Sp. S. ſignificatus per* ו *conjunct. copulatam.* 2 *myſteriū incarnationis* ה in dictione Jehova bis ponitur, ut ſignificetur, Naturam humanam Filio, qui per ſecundam literam ה notatùr, perſonaliter eſſe unitam, inq; *ipſum ſanctiſſimæ Trinitatis conſortium,* (ut Ambroſ. loquitur) *evectam,* unde quidam addunt, literam illam Abrahæ & Saræ nominibus divinitùs fuiſſe additam, cùm promiſſionē de Meſſia ex ipſorum ſemine naſcituro acciperent. Antiqui Hebræi ablato poſtremo ה ſubſtituerunt Daleth יהד ut ſignificaretur, hunc Jehovam Immanuelem ſumturum carnem ex Jehudah, ut ex Jehova & Judæ ſemine unus cōſtaret Immanuel. R. Haccodeſch hoc modo philoſophatur. Ut litera ה conflatur ex ו & ו conjunctis, ita & Meſſias conſtat divinâ & humanâ Naturâ. Ut duo ה fiunt è duobus ו & duobus ו ita duæ ſunt in Meſſia nativitates, ſive generationes. Ut duo ו in una eadēque litera ה ſunt diſtincta, & tamen unicā faciunt literam. Sic diſtinctæ in Meſſia ſunt Naturæ, cùm tamen una ſit perſona. 3. *myſterium æternitatis.* Gal. d. l. Nomen hoc ex eiſdem literis conſtat, ex quibus tria tempora ejuſdem verbi componuntur, quæ ſunt præteritum, præſens & futurum הָיָה *fuit,* הֹוֶה *eſt* יִהְיֶה *erit,* ut perſonarum divinarum æternitas monſtretur, Patrem ſcilicet Filium & S. S. ſemper fuiſſe, eſſe & fore. Alij hoc modo tria tēpora inveſtigant. Jod eſt nota futuri, eſt enim ex literis characteriſticis futuri Ethan. Vau holem eſt indicium præſentis τῦ Benonikal, quod ſæpiùs Vau holem indicat, ut פּוֹקֵד, הָ eſt nota ac terminatio præteriti. Georg. Venet. in Harm. mundi Cant. 1. tom. 8. c. 3. in nomine Jehova omnes literæ numeros circulares ſignificant. Eſt a. numerus circularis, qui per ſeipsū ductus in ſeipsū, ſemper recurrit, cujuſmodi ſunt, quinarius, ſenarius, denarius. Si n. quinq; quinquies ducas efficies 25. ſi rurſus quinquies repetas viginti quinq; cōficies 125. & ita in infinitum numerus quinarius per ſeipſum ductus ſemper in ſeipſum recurrit, quod idem in ſenario ac denario invenitur. Tres ergò illi numeri & omnes & ſoli ſunt numeri circulares, qui in nomine tetragrammato continentur. י ſignificat denarium ה quinarium ו ſenarium, qui ſignificant Deum eſſe velut ſphærā, & progreſſu

ſphærico

ſphæricn procedere revocando, in ſe omnia ſcut ab ipſo proceſſerant. Circuli lineæ à centro exeunt in peripheriam & ab ea in centrum, ſic creaturæ à Deo & in Deum. 4. *Deſignationem quietis.* Literæ Ehevi ſive Jehu, ex quibus nomen Jehova conſtituitur, à Grammaticis dicuntur *litera Spiritus*, quod Deo competit, quia ſolus Spiritum omnia vivificantem ſuppeditat. Vocantur etiam *quieſcentes*, id omnium rectiſſimè divinæ Naturæ congruit. Deus cùm ſit puriſſimus actus, tamen abſq; ullo labore & defatigatione omnia operatur pacatè, & quietè omnia gubernat, ipſe etiam eſt quies animæ noſtræ, quippe quæ non niſi in ſolo Deo quietem invenit, unde etiam condito jam homine Deus ab operib. ſuis *quievit* Gen. 2. v. 1. Revertere anima in requiem, quia Dominus benefecit tibi Pſal. 116. v. 7. 5. *myſterium nominis Ieſu.* Apud Galat. lib. 3. c. 20. convenientia nominis Jehova cum nomine ישוע traditur. Oſiand. in Harm. Luc. 1. putat nomen " cum ineffabile, inſertione litera ש factum effabile. Vid. Chemn. in Harm. cap. 9. p. 191.

Q. An nomen Iehovæ ſit Dei proprium?

28. Quæritur h. l. *An nomen Iehova ſit uni ac ſoli vero Deo proprium, an vero tribuatur etiam rebus creatis?* Poſterius affirmant Photiniani, ut argumentum, quod pro aſtruenda Chriſti divinitate ex nomine Jehova, ipſi attributo deducimus, labefactent. Oſtor. cont. Trad. part. 2. c. 2. p. 91. *Si vel maximè ex Script. probari poſſet, Chriſtum appellatum fuiſſe Iehovam, non tamen ſequeretur, eum verè eſſe ipſummet Iehova, ſiquidē Angeli multò inferiores Chriſto, propterea quod Iehova perſonam ſuſtinuerint, Iehova vocati ſunt* Soc. cont. Wiekium c. 6. p. 396. *Si Angeli Chriſto multò inferiores, cùm Iehova perſonam aliqua in re ſuſtinent, Iehova nomine appellati inveniuntur, multò magis fieri poteſt, ut Chriſtus qui in toto negotio ſalutis noſtræ Iehova Dei perſonam ſuſtinet, ipſiusq; perpetuus in Eccleſia vicarius eſt, Iehovæ nomine appelletur, nec tamē ipſe ſit reverà Iehova ſive ejusdem cū ipſo eſſentiæ.* Emedinus in c. 16. Gen. p. 25. *Iehovæ nomen & appellatio non ſoli Deo creatori, verùm etiam multis rebus creatis attribuitur, ſicut plurima teſtimonia oſtendunt.* Schmaltz. contra Ravenſperg. p. 47. *allata quidem ſunt loca, in quibus nomen Jehovah Deo tribuitur, ſed nullum in quo dicatur, quod nomen illud ſit ſolius Dei proprium.* Photinianis pollicem premūt 1. Calv. 1. Inſtit. c. 13. §. 9. Zanch. lib. 5. de trib. Eloh. c. 5. p. 685. Alſted. in Lexico p. 864. *concedit nomen Iehovah μετωνυμικῶς tribui creaturis.* 2. Vorſtius. qui in exeg. Apologét. c. 2. p. 270. ſcribit, *vocabulum Iehovæ etiam creaturis & Angelis tribui*, & quæſtionem hanc vocat merè Rabinicā & Grammaticam, non pertinentem ad fidei ſubſtantiam. Idem Diſp. 11. de Deo theſ. 19. *Nomen Iehovah nonnunquam in ſacris literis etiam rebus creatis tribuitur.* 3. Bellarminus, qui victas manus præbet lib. 1. de Chriſto c. 5. *Poſſet aliquis reſpondere, Angelum dici Iehovam, non ut Angelus, ſed ut Deum repræſentans:* à quo non longè abit Toſtatus, quando in comm. c. 3. Exodi negat, *Deum unquam ullis in V. T. apparuiſſe, ſed Angelum loco Dei*, quod ſi verum utiq; Angelo tribuitur nomen Jehovah. ** Idē adſerit Vatablus Pontif. in comm. Deut. 12. ** 4. Quidam ex Rabinis idem ſtatuunt, Midras Tillim in Pſal. 20. *Ieruſalem vocata eſt nomine Dei* Ezech. ult.

Affirm. probatur 1. ex ipſius

29. Nos prius amplectimur, idq́; demonſtramus ſequentibus fundamentis, 1. *ex ipſius Dei appropriatione.* Quodcunq; nomen Deus ſibi uni ac ſoli convenire docet, illud eſt proprium Dei nomen. Sed nomen Jehovah Deus ſibi uni ac ſoli cōvenire docet. Ergò. Aſſumtū probatur ex ſequētib. Scripturæ locis, 1. Exo. 3. v. 14. cū Moſes ablegaretur ad Iſraelitas, dicit ad Deum ſeſe mittentem: *Si Iſraelitis dicam, Deus Patrum veſtrorum miſit me ad vos, cum illi quærent, quod nomen ejus, quid ergo dicam eis?* Reſpondet Deus ad Moſen: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ero qui ero. Sic dices filiis Iſrael:* אהיה *Ero, miſit me ad vos. Et dixit adhuc Deus ad Moſē. Sic dices ad filios Iſrael, Iehovah Elohe Deus Patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos. Hoc nomen meum in æternum & memoriale meum in generationem & generationē.*

Dei appropriatione.

Ubi obſerva 1. Moſen de proprio Dei nomine quærere, quo ab idolis Ægyptiis & ab omnibus creaturis diſtinguatur, & ab Iſraelitis diſtingui poſſit. Ergo etiam reſponſum Dei de tali nomine accipiendum, conjūge Exod. 6. v. 3. 2. nomen Jehovah deſcendere à radice הוה proinde eſſe reverà idem nomen Ehejeh & Jehovah, unde etiam in reſponſo Domini conjunguntur. 3. emphaticè Deum dicere, quod hoc nomen Jehovah ſit ejus nomen in ſeculū, & memoriale ejus in generationē & generationē. Atqui ſi nomen hoc alteri cōmunicaretur, memoriale ejus perpetuum eſſe nō poſſet. 4. Davidem hoc reſponſum Dei totidem verbis repetere Pſal. 135. v. 13. *Iehovah nomen tuum* ſubintelligi רוז hoc eſt, *in ſeculum, & memoria*, ſive memoriale tuum *in generationem & generationem.* Ergo non eo duntaxat tempore nomine illo Deus appellari voluit, ſed hoc eſt nomen ejus perpetuum; ex quibus omnibus ſic concludimus: Is qui Moſen ad Iſraelitas ablegavit, eſt verus & æternus Deus. Is qui Moſen ad Iſraelitas ablegavit nomen Jehovah ſibi uni ac ſoli tribuit. Ergo verus & æternus Deus nomen Jehovah ſibi uni ac ſoli tribuit. 2. Exod. 6. v. 3. Num. 6. v. 23. talis præſcribitur benedictionis ſolennis forma: *Sic benedicetis filiis Iſrael, dicendo eis: Benedicat tibi Iehovah &c.* In ſolius veri & æterni Dei nomine proprio benedicendum. Deut. 21. v. 5. *accedent Sacerdotes ad miniſtrandum Iehovæ Elohim, & ad benedicendum in nomine Iehovah.* Atqui benedicendum in nomine Jehovah. Ergo Jehovah eſt nomen veri & æterni Dei proprium. 3. Eſa. 42. v. 8. *Ego Iehovah hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo;* אֲנִי יהוה הוא שְׁמִי cum quo loco conjūgimus Eſa. 43. v. 11. אָנֹכִי אָנֹכִי *Ego ego Iehovah, & præter me ſive extra me non eſt Servator.* Jerem. dec. ſext. v. 21. *Scient quod* שמי יהוה *nomen meum Iehovah.* cap. 44. verſ. 26. *Ego ego juravi in nomine meo magno, dixit Iehovah, ſi erit ultra nomen vocatum in ore omnis viri Iuda dicentis,* חַי אֲדֹנָי יְהֹוִה *vivit Dominus Deus in omni terra Ægypti.* Quodcunque nomen ita competit uni ac vero Deo, ut nemini illud tribuere velit, eodemq́ue ab omnibus idolis & creaturis diſtinguatur, illud nomen ſoli verò Deo competit. Tale eſt nomen Jehovah. Excipiunt Photiniani 1. in genere, *aliam eſſe rationem Vet. aliam Nov. Teſtam. in quo ut cultus divinus, ita quoque nomen divinum Chriſto ſic datum, licet non ſit verus & æternus Deus.* At hæc eſt petitio principij, dicta enim allata ſunt generalia, ac disertè dicit Dominus, *Iehova eſſe nomen ſuum in ſeculum*, quin imò de ipſo Nov. Teſtam. dicitur, quod ſit futurus *unus Iehova, & nomen ejus unum* Zach. decim. quart. verſ. 9. 2. in

ſpecie

ſpecie contra dictum Eſa. 42. verſ. 8. *nondum conſtare illam gloriam, quam Dominus nulli daturus eſt, eſſe vocem Jehova, cùm duo hic dicantur, tùm quod ſit nomen Dei, tùm quod Dominus facturus ſit, priora tantùm attentionem parant ſequentibus.* Schmaltz. contra D. Schopper. p. 47. Reſp. imò verò *ſecundùm nomen Dei laus quoque ejus* Pſal. 48. verſ. 11. ut certi ſimus cultum & gloriam divinam nos uni ac ſoli Deo tribuere, oportet dari proprium aliquod Dei nomen, quo ab omnibus creaturis & Diis fictitiis diſtinguatur, tale verò eſt uomen Jehova, ut probatum, inde jubemur *dare Domino gloriam nominis ejus.* 1. Paral. 16. verſ. 29. Pſal. 29. v. 2. Pſal. 66. verſ. 2. Pſal. 69. verſ. 8. Malach 2. verſ. 2. *& dare nomini Jehova gloriam* Pſal. 115. verſ. 1. inde *nomen & gloria Dei* conjunguntur & pro iiſdem habentur 1. Paral. 22. verſ. 5. Pſal. 102. verſ. 16. & 22. Eſa. 59. verſ. 19. Jerem. 13. verſ. 11. cap. 33. verſ. 9. quicquid de Deo in hac vita cognoſcimus, illud nominis appellatione continetur, ergo ut veri Dei cognitio ratione objecti ſolum Deum ſibi propoſitum habet, ita quoque nomen veri Dei ipſi uni & ſoli convenit.

2. Ex Sanctorum locutione.

30. 2. *Ex Sanctorum locutione.* Homines ſancti in precibus & colloquiis cum vero Deo, & in ſermone de vero Deo nomen Jehova tanquam uni ac ſoli Deo proprium uſurpant. Exod. 15. verſ. 3. *Jehova eſt vir bellator, Jehova nomen ejus.* Pſal. 68. verſ. 5. *Exaltate equitantem in ſupremis cœlis* בְּיָהּ *in Jah nomine ejus.* Eſa. 48. verſ. 2. *Jehovah Zebaoth nomen ejus* (veri Dei Iſraelis) cap. 54. v. 5. *maritus tuus factor tuus Jehova Zebaoth nomen ejus.* (jam vero creator non eſt niſi unus verus Deus.) Conjunge Jerem. 10. verſ. 16. cap. 31. v. 35. cap. 32. verſ. 18. cap. 33. verſ. 2. cap. 50. verſ. 34. cap. 51. verſ. 19. Oſeæ 12. verſ. 6. Amos 5. v. 8. cap. 9. verſ. 6. in quibus locis omnibus *Jehova* vel eum adjectione *Jehova Zebaoth* dicitur veri Dei nomen. Cumprimis verò obſervandus locus Pſal. 83. verſ. 19. לְבַדְּךָ אַתָּה שִׁמְךָ יְהוָה *quia tu nomine tuo Jehova ſolus,* ubi nota pronomen relativum emphaticè reperi & excluſivam additam ſubjecto à participatione prædicati nominis ſc. Iehova reliqua omnia, quæ ſunt extra & præter Deum, excludere. Tu es, tu inquam es ſolus Iehova tibi, tibi inquam ſoli competit nomen Iehova. Nehem. 9. verſ. 6. *Tu ipſe Jehova ſolus tu tu, feciſti cœlum.* Vocem לְבַדְּךָ. LXX. Interpp. & eos ſecutus Ambroſ. lib. 3. de fid. ad Grat. cap. 2. refert ad ſeqq. quòd ſcil. Deus ſit ſolus Altiſſimus ſuper omnem terram, quæ ſenteotia quamvis analogiæ fidei optimè conveniat, tamen Hebraico textui magis congruum ad præcedentia eam referre, quia in voce Iehova eſt miniſter Munach, qui eam cum ſequente excluſiva conjungit, in ipſa vocula excluſiva eſt accentus athnach, qui à ſequenti ſeutentia eam diſtinguit.

3. Ex oppoſitione.

31. 3. *Ex oppoſitione.* Quodcunque nomen in immediatâ oppoſitione ſive *ἀντιθέσει* veri Dei & creaturarum, idolorum adeoque omnium, quæ ſunt extra Deum, Deo vero tribuitur, illud eſt nomen veri Dei proprium. Ratio eſt manifeſta, quia quod in immediatè oppoſitis de uno affirmatè prædicatur, id alteri denegatur, & per quod unum oppoſitorum à reliquis omnibus diſtinguitur, illud eſt ipſius proprium. Iam verò oomen Iehova in immediata oppoſitione veri Dei & omnium quæ ſunt extra Deum, vero Deo tribuitur. Ergo.

Aſſumtum conſtat ex Hiſtoria 1. Reg. 18. ubi quæſtio inter Eliam Prophetam & Baaliticos Sacerdotes, inter cultorem veri Dei & idololatras informatur hoc modo: Si Iehova eſt Elohim, ite poſt eũ, ſi Bahal, ite poſt eũ v. 21. At niſi Iehuva eſſet nomen veri Dei proprium, non potuiſſet per illud ver⁹ Deus à Baal diſcerni? viciſſim ut Baal erat propriũ nomen illius idoli, qood colebant idololatrici illi Sacerdotes, ſic Iehova eſt proprium nõen unius veri & æterni Dei, quem colebat Elias. Præterea, cui nomen Iehova competit, is ſolus religiosè colendus. Finge etiam aliis competere quàm ſoli vero Deo, & quæſtio non erit rectè formata à Propheta. Denique qui ad nominis Iehova invocationem reſpondet, is teſtatur nomen Iehova ſibi unicè competere, ſed verus & æternus Deus ad invocationem nominis ſui Iehova reſpondit per ignem cœlitùs demiſſum. Ergo teſtatus eſt nomen Iehova ſibi uni ac ſoli competere. Major probatur, ſi enim nomen illud aliis etiam competeret, non potuiſſet ex miraculoſo illo ignis delapſu cognoſci, illum Iehova eſſe verum Elohim ac religiosè colendum, quem Elias invocabat. Similis oppoſitio extat Mich. 4. verſ. 5. *Omnes populi ambulabunt unusquisque in nomine* אֱלֹהָיו *Dei ſui, nos a. ambulabimus in nomine* יְהוָה *Elohenu Dei noſtri in ſeculum,* ubi nomen Iehovah ita tribuitur uni vero Deo, ut per illud ab omnibus gentilium Diis diſcernatur & religioſus cultus ipſi ſoli deberi doceatur. Pſal. 95. verſ. 3. אֵל גָּדוֹל יְהוָה *Deus magnus Dominus & Rex magnus ſuper omnes Deos* Pſal. 96. verſ. 5. omnes Elohe Dii gentium Elilim, Iehovah autem cœlos fecit.

4. Ex nominis hujus ſignificatione.

32. 4. *Ex nominis hujus Etymologia & ſignificatione.* Cui ſoli competit res nomine aliquo denotata, illi etiam ſoli iſtud nomen propriè acceptum competit. Sed ſoli vero & æterno Deo competit illud, quod per nomen Iehovæ denotatur, ut conſtare poteſt ex illis, quæ dicta ſunt ſuperiùs. Solus Iehovah eſt verè ens, eſſentia independens, immutabilis, æterna, eſſentiarum omnium eſſentia &c. creator & conſervator rerum omnium, in promiſſis verax & immutabilis &c. Ergo. Excipit Socinus in animadverſ. 2. ad aſſert. 17. Poſnan. pag. 68. *Cùm eſſentia aliquid quod jam ſit vel ſignificet vel certè perpetuo indicet, quomodo ex verbo erit, quod omnino aliquid futurum ſignificat, eſſentiæ nomen deduci poteſt?* At monuimus ſuperiùs, omnia tempora in voce Iehovah includi; Et futurum *Eheieh* more Hebræis uſitatiſſimo etiam per præſens verti poteſt, ſicut LXX. reddiderunt *ὁ ὤν*, quam verſionem approbat Iohannes in Apocalypſi cap. 1. verſ. 1. cap. 11. verſ. 17. Falſum igitur eſt, quod ex forma futuri Eheieh, Socinus vult inferre, tantùm propter impletionem promiſſionum Iehovam ſic appellari, ut clariùs exponit Schmaltz. contra Ravenſperg. pag. 17. quia conjungendæ ſunt rationes appellationis, quas ipſa Scriptura monſtrat. Adde, ſi vel maximè tantùm ob promiſſionum impletionem verus Deus nomen Iehovah ſibi tribueret, nihilo tamen minùs adhuc eſſet ac maneret Dei proprium, quia ſolus Deus promiſſa ſua ſeſe impleturum certò aſſeverare ac polliceri poteſt, creaturæ omnes ut ex nihilo ſunt factæ, ita in nihilum reciderent, niſi Dei virtute ſuſtentarentur, ac perpetuæ mutationi ſunt obnoxiæ, ſolus Deus eſt invariabilis, potens in factis, verax in promiſſis.

5. Ex nominis hujus propriâ ratione.

33. 5. *Ex nominis hujus propriâ Natura & ratione*

ratione. Nominis proprii, utpote appellativo oppoſiti ca eſt Natura & ratio, ut uni duntaxat tribuatur. Jam verò Iehova eſt nomen proprium, 1. quia formatur ex הוה per additionem literæ י quæ eſt formativa nominum propriorum. ut Iſaac, Jacob &c. 2. deſtituitur numero plurali more aliorum propriorum. 3. non recipit he haiediah in principio. 4. non recipit affixa in fine. 5. non ponitur in forma regiminis cum alio ſubſtantivo (quamvis enim alicubi videatur ſubſequi vox per regimen explicanda, ut *Jehovah Zebaoth*, tamen per ellipſin ſubintelligenda vox *Elohe*, ſicut exponitur Pſ. 89. v. 9. Jerem. 15. v. 16. Oſe. 12. v. 6. Amos 3. verſ. 13.) Hieron. dicit, Zebaoth eſſe nomen Dei peculiare, quæ omnia probant, nomen Jehovah eſſe nomen proprium. Alicui ergo propriè & unicè convenit. at propriè non competit creaturis, nec idolis, ut oſtendit derivatio & ſignificatio. Ergo uni ſoli vero Deo. Abē Ezra, ait Druſius in tetragr., hoc regerit, quòd Eſa. 63. verſ. 11. משה conſtruatur cum עמו *recordatus eſt dierum ſeculi Moſe populi ſui.* Reſp. eſt ἀσύνδετον, *recordatus eſt dierum antiquorum. Moſis & populi ſui*, quale etiam v. 10. *verſus eſt eis in inimicū, ipſe pugnavit contra eos*, Ac res ipſa teſtatur, quod non loquatur de populo, qui fuit tempore Moſis, is enim inobœdiens, ſed de populo antiquiore. Nullum veſtigium conſtructionis, vel in משה vel in toto contextu apparet, quin imò ' mutandum eſſet in ſi eſſet poſitum in regimine Buxt. lib. 2. theſ. cap. 3. 6. *Ex perpetua Scripturæ uſurpatione.* Scriptura ſacra hoc nomen abſolutè poſitum nunquam & nuſpiam tribuit ulli rei præterquam ſoli Deo, utique ergo eſt nomen Dei proprium. Quæ in contrarium ab adverſariis afferuntur, poſteà videbimus.

6 Ex perpetua Scripturæ uſurpatione.

7. Ex Scripturæ Interpretum teſtificatione.

34. 7. *Ex Scripturæ Interpretum teſtificatione.* 1. *Patrum*, Orig. Homil. 14. in Numer. pag. 225. *In Hebræorum literis nomen Dei hoc eſt Deus, vel Dominus diverſè ſcribi dicitur, aliter enim ſcribitur Deus quicunq; Deus, aliter Deus ipſe, de quo dicitur, audi Iſrael, Dominus Deus tuus Deus unus eſt. Iſte ergo Deus Iſrael Deus unus & creator omnium certo quodam ſigno ſcribitur, quod apud illos tetragrammaton dicitur, ſi quando ergo ſub hoc ſigno in Scripturis Deus, nulla dubitatio quin de vero Deo & mundi creatore dicatur. Si quando verò aliis, h. e. communibus literis ſcribitur, incertum habetur, utrum de vero Deo dicatur.* Hilarius lib. 1. de Trinit. ſ. 2. *Incidi in eos libros, quos a Moſe & Prophetis ſcriptos eſſe Hebræorum religio tradebat. in quibus ipſo creatore de ſe teſtante, hæc ita continebantur, Ego ſum qui ſum. Et rurſus, hæc dices filiis Iſrael, miſit me ad vos is. qui eſt. Admiratus ſum planè tam abſolutam de Deo ſignificationem, quæ Naturæ divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad intelligentiam humanam ſermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam eſſe intelligitur, quia id ipſum quod eſt, neque deſinentis eſt aliquando neque cœpti & id quod incorrupta beatitudinis poteſtate perpetuum eſt, non potuit aut poterit aliquando non eſſe, quia divinum omne neque abolitioni neque exordio obnoxium.* Hier. Epiſt. 142. explicans Pſal. 24. v. 10. *Pro eo quod in verſione Aquilæ habetur Dominus, Hebraicè habetur nomen quatuor literarum, quod propriè Deo convenit.* Idem Epiſt. 136. ad Marcell. *Jah* (quod eſt contractum ex Jehova) *in Deo tantum ponitur.* Confer Luth. tom. 3. Jen Germ. p. 469. tom. 7. p. 298. 2. *Rabinorum* R. Moſes Maimon Ægyptius in More Nebuchim part. 1. c. 60. citante Galatino lib. 2. de arc. Cathol. verit. c. 10. priore p. 76. *Omnia nomina creatoris in libris omnib. inventa ab effectu ſunt derivata, præter unum nomen quod eſt Jehova, & eſt nomen appropriatum creatori altiſſimo, & propter hoc vocatur Schem hamephoraſch, h. e. ipſum eſt ſignificans & oſtendens creatoris ſubſtantiā & quidditatem ſignificatione & oſtenſione perfecta.* Ibid. *Nō eſt dubium, quin hoc nomen glorioſum eſt nomen illud, in quo non eſt participatio inter creatorem & aliquid aliud &c.* Similia occurrunt apud R. Haccados in libro Gale Razia revelatore ſecretorum &c. 8. *Ex ipſorum adverſariorum confeſſione.* Utpute primò Pontificiorum & Calvinianorum Sixt. Senēſ. in Bibl. *Nomen tetragrammatum eſt ſoli Deo proprium apud Hebræos.* Keckerm. lib. 1 Syſtem. Theol. c. 3. p. 51. *Dicunt quidem adverſarii, nomen Jehovæ non ſemper inferre æternam eſſentiam Dei, ſed etiam creaturis tribui, ſed cùm locum nullum idoneum afferant, quomodo id probent, id quod dicunt pro non dicto habendum &c.* Secundò Photinianorum. Socin. contra Wieck. c. 6. claſſ. 4. arg. 2. p. 395. *Reſpōdeo nec LXX. Interpretes nec Hieronymū consimitatum reddidiſſe nomen Iehova κύριον ſeu Dominum. quia putarent ſe hoc pacto nomen illud exprimere, ſed quia nec LXX illis quicquam melius occurrit, quod Græcis auribus inauditum non foret, nec Hieron. hac in parte quicquam innovare voluit, alioqui nomen Iehova eſt nomen proprium, κύριος verò ſeu Dominus nomen appellativum & idcirco vel hoc ſolum valde ineptum ad nomen Iehova exprimendum.*

Antitheſis

35. Pagninus & Druſius cupiunt probare, etiam idolis tribui. Exod. 32. v. 5. *Cras ſolennitas Iehova.* Jud. 17. v. 3. *Conſecravi illud Domino.* Reſp. Sp. S. reſpicit ad intentionem illorum hominum, & verba illorum μιμητικῶς recitat. Putabant a. ſe vero Deo feſtum celebrare & aurum illud conſecrare. Photiniani, ut evincant, nomen Iehovæ non eſſe Dei proprium nomen, adducunt quædam Scripturæ dicta, in quibus illud videtur tribui 1. *perſonis aliis* Dei Legatis & vicariis, Angelis ſcil. & judicibus. 2. *rebus aliis*, arcæ ſcil. fœderis & locis ſacris. Prius uti probēt, 1. generale theorema proponunt ejuſmodi. Nomen Iehovæ tribuitur illis, qui ſunt Dei Legati, quippe qui vicem Dei ſuſtinent. Socinus contra Wiek. c. 3. p. 59. *Loquendo contra Angelum, contra ipſum Iehovam loquebantur, non quod ille Angelus eſſet reverà ipſe Iehova ille unus Deus Iſraelis, ſed quod ejus eſſet Legatus, ejusq; perſonam ſuſtineret.* Eniedinus in c. 16. Gen. p. 24. *Scimus nuncium & Legatum non tantum nomen Legantis, verum etiam perſonam ſuſtinere, adeo ut quæ loquatur & patiatur, non Legatus, ſed is qui eum legavit, loqui & pati dicatur &c. Sicq; Angelos ſæpe* vocari Jehova dicit *non ratione eſſentiæ, ſed ratione officii.* Reſp. 1. ſi vel maximè concederetur, in humanis nomen Legantis tribui Legato, nondum tamen evictum foret, idem obtinere in divinis, oſtendimus enim manifeſtis argumentis, nomen Iehova eſſe ſolius Dei proprium. 2. Chriſtus fuit Legatus Patris cœleſtis, quod concedunt Photiniani, nuſpiam tamen ſe vocat *Patrem* nomine ὑποςατικῶς accepto, ſed ſeipſum à Patre diſtinguit. 3. Prophetæ erant Legati Iehovæ, nemo tamen eorum ſe Iehovam vocavit, ſed omnes *à Iehova ſeſe miſſos, verbum Iehova ad ſe factum eſſe, Iehovam ſibi viſum eſſe, aſſerunt* Eſa. 43. v. 10. *Vos teſtes mei, dixit Iehova* v. 11. *Ego ego Iehova* v. 12. *Vos teſtes mei, dixit Iehova & ego Dominus.* Apoſtoli

poſtoli erant Chriſti Legati Joh. 20. v. 21. 2. Cor. 5. v. 20. nullus tamen eorum ſe appellavit Chriſtum Luc. 24. v. 48. Act. 1. v. 32. c. 10. v. 41. vocãtur *Chriſti teſtes*, quâ appellatione à Chriſto & re & nomine diſtinguuntur. Iohan. Baptiſta erat Legatus Meſſiæ ſponſi, ſed graviter fert nomen Chriſti & ſponſi ſibi tribui Joh. 3. v. 28. 29. 4. ne quidem in humanis nomen Legãtis tribuitur Legato prædicatione directâ, ſed duntaxat obliquâ. Baro Ungnadius in Turciâ legationis cauſa ab Imperatore Rudolpho miſſus non fuit dictus Rudolphus Imperator. ſed Legatus Rudolphi Imperatoris. 5. Alia quæſtio eſt de actionibus, quas Legantis nomine Legatus perficit, quarum reſpectu rectè dicitur ab Imperatore geſtum, quod nomine Imperatoris Legatus gerit, nimirum ſi expreſſo ad illud gerendũ mandato fuerit inſtructus: alia de proprio ipſius Legantis nomine, quod non tribuitur Legato, cùm perſona Legati à perſona Legantis perpetuò maneat diſtincta. 6. Quamvis una eademq; actio Leganti & Legato tribuatur, tamen modus attributionis eſt diverſus, Leganti enim tribuitur ut cauſæ principali, & agenti primario, Legato ut cauſæ inſtrumentali, & agenti ſecundariò, proinde ex communitate actionis non poteſt inferri unitas, ac communicatio proprii nominis. 7. Invertimus igitur argumẽtum. Perſona Legati à perſona Legantis in ipſo legationis officio manet diſtincta. Ergo nomen perſonæ Leganti propriè competens non communicatur Legato.

2. Angelis tribui nomen Iehovah.

36. 2. In ſpecie producunt quædam Scripturæ loca, in quibus 1. *Angelis*, 2. *Judicibus*, nomen Jehovah tribuatur. Quod Angelis tribuatur nomen Jehovah. Oſtorodus contra Tradel. part 2. c. 2. p. 91. probare conatur, 1. ex Exod. 3 v. 3. & 4. ubi *Jehovah dicitur apparuiſſe Moſi in rubo*, quem locum confert cum Act. 7. v. 30. ubi is qui Moſi apparuit, vocatur *Angelus*, Reſp. ſanè Auguſtinus tract. 3. in Johan *creatum aliquem Angelum* Moſi apparuiſſe ſtatuit. Pererius Photinianis idem concedit Diſp. 6. in c 3. Exod. p. 89. *Perſonaliter fuiſſe Angelum, repræſentativè Deum*. Quidam diſtinguunt inter eum, qui Moſi in rubo apparuit, & eum qui cum Moſe ex rubo locutus eſt, illum concedunt fuiſſe Angelum, hunc verò Jehovam, ſed textus de uno eodemq; ſubjecto utrumq; prædicat, ut conſtat ex *hebhaſſeneh* in v. 4. הסנה. Statuimus ergò cum Juſtino Apol. 2. pro Chriſt. p. 74. & in Dial. cũ Tryph. p. 220. ipſum Dei Filium in rubo apparuiſſe, in quã ſententiam etiam ipſe Auguſtinus inclinat q. 3. in Exod. & lib. 2. de Trinit. c 13. *Poteſt*, inquit, *hic Angelus intelligi Filius Dei*. Id verò demonſtramus 1. *ex appellatione*. Vocatur Jehovah. Ergo non fuit Angelus creatus. Photiniani non poſſunt dicere, nos principium petere, quia noſtram hypotheſin demonſtravimus firmiſſimis argumentis, & apparet ex v. 14. nomen Jehovah, ita tribui huic Angelo, ut per illud verus Deus ab Iſraelitis agnoſcatur, & ab idolis diſtinguatur. Sed non inſiſtimus unicè huic fundamento, ſed addimus. 2. argumentum *ex apparentis deſcriptione*. Qui enim ex medio rubi cum Moſe loquitur, is ſe vocat Deum Abrahæ, Deum Iſaaci & Deum Jacobi v. 6. jam verò ſoli vero Deo hæc denominatio convenit; dicit ſe *audiviſſe clamorem Iſraelitarum* v. 7. jam verò preces audire ſolius Dei proprium eſt: Iſraelitas vocat ſuum populum, jam verò ſoli Deo convenit habere populum περιούσιον, promittit educationem ex Ægypto & introductionem in terram Canaan verſ. 8. jam verò hoc beneficium utique Deo tanquam autori principali tribuitur, eſſe autem hoc in loco quæſtionem de autore hujus beneficii principali, patet ex oppoſitione loquentis Angeli è rubo & Moſis ad quem loquebatur, qui futurus erat autor hujus beneficii minùs principalis & ſecundarius: mittit Moſen ad Pharaonem verſ. 10. pollicetur ſibi in hoc monte poſt eductionem eſſe exhibendum divinum cultum ex collatione verſ. 11. & 12. 3. *ex parallelorum locorum collatione*. Deut. 33. verſ. 16. *Beneplacitum habitatoris rubi veniat in caput Joſeph*. A quo benedictionem aliquis alteri precatur, is eſt verus Deus omnis benedictionis autor. Atqui ab eo, qui in rubo apparuerat, Moſes precatur benedictionem Joſephi poſteris. E. (*At*, inquis, *filii à Patribus petierunt & acceperunt benedictiones, ergo non ſtatim pro Deo habendus, à quo petitur benedictio*. Reſp. triplex eſt benedictio, 1. Simplex votum, ut Melchiſedeci, Jacobi coram Pharaone. 2. votum conjunctum cum Prophetia Geneſ. 27. & 49. 3. benedictio divina, aliud eſt benedicere, aliud ab altero benedictionem alicui precari. Pererius urget locum Geneſ. 48. verſ. 16. & Apoc. 1. verſ. 4. ſed ibi per Angelum Chriſtus, per ſeptem Spiritus, ipſe Spiritus S. non Angeli intelliguntur.) Inſtituo etiam talem collationem: Angelus ille qui promittit eductionem populi Iſraelitici ex Ægypto, eſt Angelus ille, qui reipsâ promiſſionem illam complevit, & ex Ægypto per deſertum in Canaan populum Iſraeliticum introduxit. Actor. 7. verſ. 35. Deus miſit Moſen ἄρχοντα καὶ λυτρωτὴν ἐν χειρὶ ἀγγέλου τοῦ ὀφθέντος αὐτῷ ἐν τῇ βάτῳ. verſ. 38. Angelum illum dicit cum Moſe locutum in monte Sinai. Atqui is fuit Angelus increatus, ipſe ſcil. Dei Filius, quia Angelus ille ſic deſcribitur, quod nomen ſit בקרבו *in medio ſive interiori ejus*, ac præmonentur Iſraelitæ, ne ipſum exacerbent, quia non ſit parſurus prævaricationi ipſorum, quod tamen ab ipſis non fuit penſi habitum, ſed tentaverunt hunc Angelum, hoc eſt, Chriſtum ipſum in deſerto 1. Cor. 10. v. 9. (Quidam conferunt Act. 23. v. 11. cum c. 27. v. 23.) 4. *Ex majeſtatica apparitione*. Apparet in rubo ardente, nec tamen conſumto, quod concinnè accommodari poteſt ad humanam Chriſti Naturam, in qua tota lux divinæ majeſtatis habitat ſine ulla ejuſdem abolitione. Divinam Naturam ſacræ literæ igni aſſimilant, propterea quod viribus polleat & facilè huc illucq; diſcurrat, ligno autẽ & herbis hominem ex terra formatum &c. quod Chriſtus carnem ſuam naturaliter corruptibilem corruptione ſuperiorem reddiderit, quaſi quodam ænigmate rubo ab igne minimè cremato declaravit. 5. *Ex Patrum & Rabinorum teſtificatione*, Juſtinus d. l. prolixè illud probat & addit, *Judæi ſanè omnes nunc quoq; docent, carentem illum nomine Deum cum Moſe collocutum eſſe*. Hilarius lib. 4. de Trinit. *Qui apparuit in rubo, de rubo loquitur & viſionis locus unus & vocis eſt, neque alius quàm eſt viſus, auditur, quia qui eſt Angelus Dei, cùm videtur, idẽ rurſum cùm auditur, eſt Dominus, ipſe verò qui auditur Dominus, Deus eſt*. Ambroſ. lib. 1. de fide cap. 5. *Non pater in rubo, non pater in eremo, ſed Filius Moſi locutus eſt, de quo Stephanus: Hic eſt, qui fuit in Eccleſia in eremo*. Theodoret. q. 5. in Ex. *Deum ideo in rubo* apparuiſſe dicit, *ne Judæi proni ad idololatriam occaſionem inde arriperent ſculpendæ imaginis*. 6. *Ex adverſariorũ*

conceſſione. Adverſarii habent regulam, de qua ſuperiùs diximus. Quando nomen Θεὸς ponitur abſolutè, & præſertim cum articulo ὁ Θεὸς, tunc eſt ſolius veri & æterni Dei propriũ. Iſ verò Matth. 22. v. 31. & 32. Marc. 12. v. 26. is qui cum Moſe ex rubo locutus eſt, vocatur ὁ Θεὸς nomine poſito abſolutè, cum articulo & loco ſubjecti. Ergò. Eniedinus in c. 3. Exod. v. 6. p. 44. *Tum ex Moſis, tùm ex Stephani narratione veriſimiliter aliquis colligere poſſet, alium eſſe eum, qui Moſe apparuit & alium, qui locutus eſt & ſe Jehovam ac Deum Patrem appellavit, ita ut ignis ille in rubo ardens dicatur Angelus, at ille qui è medio vel ut in Hebræo eſt, ex corde ignis locutus eſt, vocetur Jehovah & Deus Patrũ &c.* Stante hac Eniedini hypotheſi probari nequit, Angelum hîc vocari Iehovam.

37. 2. Alterum argumentum, quo probare cupiunt, nomen Iehovah Angelis tribui, depromunt ex Exod. 19. verſ. 11. ubi *Jehovah dicitur deſcendiſſe ſub montem Sina ad legem Iſraelitis promulgandam, jam verò Stephanus dicit, Angelum id feciſſe. Ergo Angelis tribuitur nomen Jehovah.* Oſtorod. l. d. Reſp. 1. ex hoc loco rectè colligitur, verum Iehovam Dei ſcil. filium vocari Angelum, videlic. increatum, quod in aliis etiam Scripturæ locis fieri conſtat Geneſ. 32. v. 26. Confer Oſe. 12. v. 5. Geneſ. 48. v. 15. Confer Geneſ. 28. verſ. 13. & cap. 35. verſ. 1. Malach. 3. verſ. 1. nequaquam verò Angelum creatum vocari Iehovah, quod in Scriptura planè inſolens. 2. Is qui ſuper montem Sinai ad promulgationem legis deſcendit, & cum Moſe locutus eſt, ſic deſcribitur, quòd fecerit miracula in Ægypto Exod. 19. verſ. 4. quòd elegerit ſibi populum Iſraeliticum in peculium verſ. 5. quòd eduxerit populum ex Ægypto Exod. 20. v. 2. quòd præter eum non ſit alius Deus colendus v. 4. quòd puniat iniquitatem parentum in liberis v. 5. quod pactum inierit cum populo Iſraelitico Deut. 5. v. 3. &c. atqui hæc omnia non niſi uni vero Deo conveniunt. 3. Cum Angelo illo increato, Dei ſcil. Filio, proculdubio magna multitudo Angelorum deſcendit, unde νόμος dicitur *διαταγεὶς δι' ἀγγέλων per Angelos* Galat. 3. v. 19. *ἐλάβετε τὸν νόμον εἰς διαταγὰς ἀγγέλων* Actor. 7. v. 53. interim ipſa *νομοθεσία* & loquela cum Moſe unicè tribuitur Iehovæ. Tertii argumenti loco Schmaltzius contra Schopperum p. 8. adducit Pſ. 115. v. 16. *Cæli cæli Jehova, terram autem dedit filiis hominum, ubi nemo non videt* (inquit) *Jehova nomine ipſos etiam Angelos ut famulitium Dei contineri.* Reſp. imò verò famulitium Dei ab ipſo Domino Deo & re & nomine diſtinguitur. Cœlum eſt Dei regia & thronus, Eſa. 66. v. 1. in illa regia Dei aula ſerviunt ipſi Angeli, ſed ut non eſt ipſe Iehova, ita quoque Iehovæ nomine non appellantur.

Iudicibus tribui nomen Iehovæ.

38. *Judicibus ac Magiſtratibus* nomen Iehovæ tribui probat Oſtorod. ex Deut. 19. v. 17. *Stabunt ambo homines, quibus lis eſt coram Jehova, coram Sacerdotibus & judicibus, qui erunt in diebus illis.* Reſp. 1. Iudices & Magiſtratus vocari *Elohim* in Scripturis uſitatum Exod. 21. v. 6. cap. 22. v. 27. Pſal. 82. verſ. 1. &c. ſed Iehovæ nomen illis tribui non conſtat ex aliis locis. 2. nec ex hoc ipſo loco illud demonſtrari poteſt, quia nomen Iehova nequaquam ἐξηγητικῶς per ſubſequentia nomina Sacerdotum ac Iudicum exponitur, ſed ipſius Dei in judiciis præſentia declaratur. Conjunge 2. Paral. 19. v. 6. *Dominus vobiſcum eſt in judicio.* Pſal. 82. v. 1. *Deus ſtat in congregatione* אֵל *fortis, in medio Elohim judicabit.* 3. Conjunguntur igitur autor judiciorum *principalis* & adminiſtri eorundem *minus principales*, ac tùm ipſi judices, tùm illi, qui cauſas in judiciis tractant accuſatores, rei ac teſtes admonentur, ut cogitent Deum in judicio eſſe præſentẽ, ideoq; omnia in ipſius Dei conſpectu agi. 4. Quemadmodũ ex eo, quod diſtinctè nominantur Sacerdotes & judices, rectè colligitur, alios fuiſſe Sacerdotes, alios judices, perſonas ſc. politicas, ita quoq; ex eo, quod diſtinctè nominatur Iehova & judices colligi poteſt Iehovam diſtingui à judicibus, nec ejus nomen judicib. tribui. Alii reſpondẽt per לִפְנֵי יהוה denotari locum judicii. Cunæus lib. 1. de Republ. Iudaic. cap. 12. *Concilii magni, quod vocabant Synedrium, ſedes fuit in ipſo Sanctuario, ubi de divinis & humanis rebus Senatores LXX. cognoſcerent &c.* unde vocatur יהוה מִשְׁפַּט 2. Paral. 19. v. 8. *in templo autem vel in Sanctuario eſſe, eſt in conſpectu Dei eſſe.*

39. Atque hæc ſunt loca illa Scripturæ, ex quibus probare conantur, nomen Iehovæ tribui aliis *perſonis*, quàm uni ſoli vero Deo. Sequuntur ea, ex quibus evincere laborant, etiam *rebus aliis* tribui, videlicet 1. *arca.* 2. *aræ.* 3. *Hieroſolymæ.* Arcæ fœderis nomen Iehovæ tribui demonſtrare cupiunt, 1. ex Num. 10. verſ. 35. *Quando proficiſcebatur arca, dicebat Moſes: Surge Iehova & diſpergantur inimici tui.* v. 36. *quando requieſcebat arca, dicebat Moſes: Revertere Domine.* Conſentit Druſius in Oſeam p. 71. Reſp. Is vocatur Iehova, quem Moſes alloquitur, jam verò Moſes non arcam, ſed ipſum Deum, qui ſuper Cherubim illius arcæ ſedebat 1. Sam. 4. v. 4. 1. Paral. 13. v. 6. qui de propitiatorio inter duos Cherubim ſuper arcã teſtimonii cum ipſo loquebatur Exod. 25. v. 22. ac memoriam nominis ſui ibi poſuerat Exod. 20. v. 24. Deut. 12. v. 5. hiſce verbis alloquitur, quod probamus 1. *ex ipſa precatione.* Illum alloquitur Moſes, qui eſt adorationis objectum. Atqui non arca, ſed ſolus verus Deus eſt adorationis objectum. Ergo non arcam ſed Deum alloquitur. Minorem Photiniani concedunt, major ex ipſo verborum ſonu probatur, quia continent hæc verba precationem. 2. *ex verborum ſignificatione.* Moſes alloquitur eum, qui fugit & revertitur. Iam v. arca propriè non fugit nec revertitur, Deo autem utrumque per ἀνθρωποπάθειαν in Scripturis ſæpiùs tribuitur Geneſ. 18. v. 10. Pſal. 82. v. 8. Eſa. 2. v. 19. Oſe. 5. v. 14. &c. 3. *ex addita temporis determinatione.* בִּנְסֹעַ *in proficiſcendo*, vel quando proficiſcebatur arca, dicebat Moſes: *Surge* וּבְנֻחֹה *& in requieſcendo*, vel quando requieſcebat arca, dicebat Moſes: *Revertere.* Atqui ineptum foret jamdum proficiſcenti arcæ dicere, ſurge, & quieſcenti, Revertere. 4. *ex beneficii, quod petitur, expreſſione.* Illum alloquitur Moſes, qui diſpergere poteſt inimicos. Iam verò non arca, ſed Dominus diſpergit inimicos. Pſal. 68. verſ. 2. *Exurgat Deus & diſpergentur inimici ejus, & fugiant, qui odio habuerunt eum à facie ejus.* שׁוּבָה quidam reddiderunt *da quietem* propter ſequentia verba, *decem millia millium Iſrael* alii ſubintelligunt אֶל 5. *ex Prophetica interpretatione.* Pſal. 132. verſ. 7. *Introibimus in tabernacula Domini, incurvabimus nos ad ſcabellum pedum ejus.* verſ. 8. *Surge Domine ad requiem tuam, tu et arca fortitudinis tuæ.* Oravit ergo Moſes, ut ſurgente arca ſurgat etiam ipſe Deus (qui peculiarem & gratioſam ſuam præſentiam circa arcam promiſerat) ad viam præmuniendam &

Arca fœderis idem tribui: 1. Num. 10. v. 35.

hoſtes

hoſtes diſſipandos. Surgere enim ſignificat potentiam exercere, ipſo facto præſentiam declarare; reverti eſt propitium fieri, ac velut patremfamiliàs in domo ſuorum curam gerere.

2. Num. 32. v. 20. 40. 2. Ex Num. 32 verſ. 20. *ubi Rubenitis, Gadditis & dimidia tribus Manaſſis præcipitur, ut in bellum procedant coram Jehova, h. e. coram arca.* Reſp. arcæ nulla planè fit mentio in illis verbis, de qua etiam non conſtat, an tempore Joſuæ fuerit in exercitum tempore belli delata, accipiendum igitur hoc eſt de gratioſa Dei præſentia in exercitu Iſraelitarum, quâ contra hoſtium violentiam illos defendebat; imò ipſemet pro illis pugnabat Deut. 20. v. 1.

3. Deut. 12. v. 7. 41. 3. Deut. 12. verſ. 7. *ubi oblationes jubentur comedi coram Domino ſive Iehova, h. e. coram arca.* Reſp. quando in loco ſacro in tabernaculo ſcil. vel templo juxta mandatum Dei Iſraelitæ cõedebant carnes ſacriſiciorum ſuorum, tum coram Domino ea dicuntur comediſſe, non quod vel arca ipſa in interiore tabernaculi parte vel totum tabernaculum dictum fuerit Jehova, ſed quod verus Jehova ibi peculiariter juxta promiſſionem ſuam fuerit præſens. Senſus igitur eſt. Cõedetis *coram Domino*, h. e. in tabernaculo, in atrio templi, quod erat ſedes & domus Dei. Illi tribuitur nomen Jehova & in illius conſpectu jubentur comedere oblationes, à quo Iſraelitæ acceperant frugum fertilitatem & benedictionem, ut ex illo ipſo verſiculo patet, jam verò non ab arca, ſed à Deo benedictionem acceperant. Ergo.

4. Ioſ. 24. v. 1. 42. 4. Joſ. 24. verſ. 1. *Stetit Ioſua cum Primatibus Iſraelis congregatus coram Iehova,* hoc eſt, *coram arca fœderis.* Reſp. 1. in textu non habetur nomen Jehova, ſed Elohim 2. quo tempore Ioſua illa comitia celebrabat, arca Domini fuit collocata in Silo, ubi tabernaculum erat extructum Ioſ. 18. verſ. 1. probandum igitur priùs erat eam fuiſſe ex illo loco deportatam in Sichem, ubi comitia illa celebrabantur. 3. *Coram Domino congregari*, eſt in vero Dei timore & velut in Dei conſpectu convenire. ſicut hæc phraſis alibi uſurpatur. Geneſ. 15. v. 1. *ambula* לִפְנֵי *coram me*, in conſpectu meo. Item congregari divinâ autoritate. Geneſ. 27. verſ 7. *Benedicam tibi coram Domino*, hoc eſt, Dei voluntate & auſpiciis. 4. Si vel maximè coram Domino dicerentur conveniſſe, quia coram arca fœderis fuerunt congregati, quo ſenſu illa phraſis uſurpari videtur Ioſ. 18. verſ. 18. cap. 19. verſ. 51. (ſicut quidam ſtatuunt, ipſos ex urbe Sichem unà egreſſos ad tabernaculum Domini, quod erat in Silo in loco propinquo, ibidemque omnia illa egiſſe, alii exiſtimant, Sichemis nomine generali intelligi Silo ad tractum Sichemiticum pertinentem, ut colligitur ex verſu 26.) nondum tamen evictum foret, ipſammet arcam vocari Iehovam, ſed ideo corã arca convenientes coram Domino dicerentur congregari, quia Deus peculiari modo circa arcam fœderis erat præſens.

5. 2. Sam. 6. v. 2. 43. 5. 2. Sam. 6. verſ. 2. *Surrexit David, & abiit, & omnis populus qui erat cum ipſo de viris Iuda, ut aſcendere facerent arcam Domini, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini exercituũ.* Photiniani putant, ipſimet arcæ nomen Iehovæ hoc loco tribui, ideò verba Hebræa ſic vertunt, *ut aſcendere facerent arcam Dei, quæ vocata eſt nomine Iehova Zebaoth.* Reſp. fontes veritatis ita habent.

אֲרוֹן הָאֱלֹהִים אֲשֶׁר נִקְרָא שֵׁם
שֵׁם יְהוָה צְבָאוֹת יֹשֵׁב הַכְּרוּבִים עָלָיו׃

Exegeſis

1. quidam exiſtimant, ſimpliciter vertendum, *arcam Dei cujus vocatum eſt nomen, nomen Iehova Zebaoth ſedens ſuper Cherubim*, ac relativum *cujus* non ad nomen remotius *ad arcam*, ſed ad propinquius videlicet *Deum* referendum eſſe ſtatuunt, idq; probant 1. *ex forma regiminis*, dicitur enim non in ſtatu abſoluto אָרוֹן ſed in conſtructo אֲרוֹן *arca Domini, non arca Dominus*, ergo nec Iehova. 2. ex ה *haiediah* præfixo nomini Elohim, quod propriè ſic reddendum, *arca Domini illius, cujus vocatum eſt nomen.* 3. *Ex ordine naturali*, per quem אֲשֶׁר cum nomine immediatè præcedente conjungitur. 4. *ex loco parallelo* 1. Paral. 13. v. 6. ut aſcẽdere facerent אֲרוֹן הָאֱלֹהִים יְהוָה יוֹשֵׁב הַכְּרֻבִים אֲשֶׁר נִקְרָא שֵׁם *arcam Dei Iehovæ inſidentis Cherubim, cujus vocatum* (ſive invocatum) *eſt nomen*, ubi voces Elohim & Iehova per miniſtrum Darga immediatè connexæ facilè oſtendunt non arcæ, ſed vero Deo nomen Iehovæ tribui. 5. *ex perpetuo Scripturæ uſu*, quia nullus afferri poteſt locus, in quo de ulla alia re præter ſolum verum Deum dicatur, quod nomen ejus ſit Iehova Zebaoth ſedens ſuper Cherubin. 2. Quidam ſtatuunt pleonaſmum gemini relativi & עָלָיו poſitum exiſtimant pro אֶל *apud, ante, juxta* hoc ſenſu, arcam quam invocatum eſt nomen, nomen Domini inſidentis Cherubim ad eam, h. e. *ad quam* invocatum eſt nomen Iehovæ inſidentis Cherubim. Sic Geneſ. 1. verſ. 11. *quo ſit ſemen ſuum in eo*, h. e. in quo Deut. 4. verſ. 19. *quas diviſit Iehova eas.* Ierem. 1. verſ. 2. *quem fuit verbum Domini ad eum*, h. e. ad quem 2. Sam. 6. verſ. 22. *quibus locuta es cum eis*, h. e. cum quibus. Buxtorff. lib. 2. theſ. c. 8. dicit *hunc pleonaſmum cum* אֲשֶׁר *ferè perpetuum eſſe, quando relativum caſu obliquo efferendum.* Eum verò hoc ipſo in loco ſtatuendum probant ex affixo ſingulari in עָלָיו quod plurali כְּרוּבִים proximè præcedenti ſine enallage non poteſt reſpondere, & ex modo loquendi in Scripturis uſitato, quia quando ſeſſio Dei ſuper Cherubim per vocabulum יֹשֵׁב effertur, abſq; præpoſitione ponitur 1. Sam̃. 4. v. 4. 2. Reg. 19. v. 15. 1. Paral. 13. verſ. 6. 3. Quidam ſubintelligunt præpoſitionem אֶל arcã Domini אֲשֶׁר *quam*, h. e. ad quam vocatum ſive invocatum eſt nomen Domini. Pagnin. cujus ellipſeos exempla alibi occurrunt. Reſpondent igitur, phraſin illam invocare nomen alicujus ſuper alterum, non efficere ut nomen illud tribuatur alicui in caſu recto, ſed tantum in obliquo, ſuper arcam vocatur nomen Iehovæ. Ergo eſt arca Iehovæ, non autem arca Iehova. Sic nomen Dei vocatur ſuper filios Iſrael Deut. 28. v. 10. Eſ. 63. verſ. 19. Ierem. 34. v. 15. ſuper Hieroſolymam Dan 9. verſ. 18. ſuper templum 1. Reg. 8. v. 43. 2. Paral. 20. v. 9. non tamen Iſraelitæ vel Ieroſolyma vel templum dicuntur Iehova 4. Quidam pronomen אֲשֶׁר adverbialiter vertendum ſtatuunt. *ubi invocatum eſt nomen*, cujus ſignificationis veſtigia extant Iud. 17. verſ. 8. 2. Reg. 12. verſ. 5. &c. 5. Cum אֲשֶׁר quandoque uſurpetur cauſaliter pro כִּי *quia, propterea quod* Pſal. 31. verſ. 8. 1. Reg. 15. v. 13. ideò poſſet etiam ſic verti, *abierunt ut aſcendere facerent arcam Domini, quia nomen Dei inſidentis Cherubim invocatum eſt ſuper eam*, quâ ratione exprimitur cauſa impulſiva, propter quam David de arca reducenda tantopere fuerit ſolicitus. 6. Quidam reſpondent nomen Iehova tribui arcæ non in caſu recto ſed obliquo hoc modo: *Nomẽ ſeu gloria Domini* (nomen enim in Scripturis ſæpè pro gloria

Dominiaccipitur) *habitat in Cherubin* ſuper eam ſcil. arcam, unde Chaldæus addit notam genitivi caſus דִי שְׁמָא *nomen Domini non vero nomen Dominum.* 7. Lutherus ſic vertit: Daß ſie die Lade Gottes herauff holeten/ welcher Name heiſt / Der Name des HERRN Zebaoth wohnet darauff vber den Cherubim; quæ verſio probari poſſet ex eo, quod שם primo loco poſitum habet accentum Rebia qui inciſum majus couſtituit, & pulcram præbet doctrinam, quod nomen Dei. h. e. Deus ipſe ſit ibi quærendus, ubi ſe in verbo affuturum promiſit. Ex quibus explicationibus omnibus ſecundam præferemus propter idiotiſmum in Hebræa lingua frequentem.

e Pſal. 24. v. 8. 44. 6. Pſal. 24. verſ. 8. *Elevate portas & introitus Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Iehova fortis & potens*, quod itidem de arca intelligendum eſſe ſtatuunt. Reſp. ne minimum quidem in Pſalmo conſpici poteſt veſtigium, ex quo de arca fœderis ibi agi appareat, nec permittunt hoc prædicata, quæ de ſubjecto ibidem dicuntur, utpote quod ſit *Rex gloriæ, Dominus potens in prælio*, ac pronomen הוא emphaticè exprimit, de quonam Regius Pſaltes loquatur. verſ. 10. *Quis eſt ille Rex gloriæ? Iehova Zebaoth* הוא *ille eſt Rex gloriæ.* Jam verò Jehova Zebaoth nomen ſolius Dei eſſe dicitur Eſa. 46. verſ 4. cap. 48. v. 2. cap. 54. v. 5. Ierem. 10. v. 16. &c. Variæ autem proferuntur hujus cohortationis expoſitiones, quas vide in tract. de Magiſtr. cap. 6. ſect. 5. memb. 1. ſimpliciſſimè verba Davidica ſic accipiûtur, quod omnes cujuscunq; ordinis & conditionis homines, cumprimis verò Magiſtratus admoneantur ut Chriſti doctrinam recipiant. portas ei aperiant & Eccleſiæ hoſpitia concedant, unde LXX. reddiderunt ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν.

Locis ſacris nomen Iehova tribui. 45. *Locis ſacris* nomen Iehovæ tribui ſeqq. probant dictis, Gen. 22. v. 14. *Vocavit Abraham nomen loci illius* יְהוָה יִרְאֶה *Dominus videbit.* Exod. 17. v. 15. *Ædificavit Moſes altare & vocavit nomē ejus Iehova Niſſi* Jud. 6. v. 24. *Gideon ædificavit altare, & vocavit illud Jehova pax.* Ierem. 33. v. 16. *Hieroſolyma vocatur Iehov. juſtitia noſtra.* Ezech. 48. v. 35. *nomē civitatis Iehov. ibi.* Reſp. 1. in genere, in his & ſimilibus locis nomen Iehova non ponitur abſolutè, ſed cum quadam adjectione, non enim locus vocatur Iehova, ſed Iehova videbit, civitas non vocatur Iehova, ſed Iehova ibi. Iam verò hæc duo plurimùm differre demonſtramus. 1. *ex ipſa adverſariorum confeſſione.* Eniedinus ad locum Matth. 1. v. 23. p. 102. *Animadvertendum eſt, nomina ſæpe non rei ipſius Naturam exprimere. ſed ſigna tantum & monumenta eſſe rerum per illa ſignificatarum. Ut Abraham Geneſ. 22. montem, in quo Iſaacum ſacrificare juſſus erat, appellat Iehova videbit, neque tamen quisquam montem illum vel Iehovam eſſe vel videre affirmarit.* 2. *ex appellationum iſtarum reſolutione*, Quod ſi enim evinci poſſet nomen Iehova locis illis ſacris abſolutè tribui, conſequens fuerit, montem videre, altare eſſe vexillum Moſis. & pacem Gideonis Ieroſolymam eſſe juſtitiam noſtram. Quâ enim ratione nomen Iehovæ de illis prædicari ſtatuitur, eadem etiam ratione τὸ videre, eſſe vexillum. eſſe pacem, eſſe juſtitiam de illis prædicatur. Quidam ergo reſpondent per compoſitionem nomen Iehova inſtar reliquorum nominum in novum prorſus atque aliud nomen converti, idque probant ex ſimilium nominum compoſitione. Ex nomine *El* multa fiunt compoſita Bethel, Iſrael, Iſmael, Daniel; ex nomine Θεοῦ fit Theophilus, Theodatus, Dorotheus &c. ex Germanico Gott / formatur Gottlieb/ Gottfried/ &c. neque enim nomen El & Θεοῦ abſolutè & ſine adjectione poſitum illis propterea tribuitur, quibus compoſita ex hoc nomine tribuuntur. Quidam exiſtimant nomen יהוה poni in regimine, ſed id pugnat cum Natura nominum propriorum, quale eſt Iehova. Ac ſi vel maximè poneretur in regimine, ſubintellectâ voce Elohe, ut Iehova Dominus pacis, ſive per appoſitionem duorum ſubſtantivorum Iehova pax, ſive per interpoſitionem verbi ſubſtantivi EST, Iehova eſt pax, nihilominus tamen nomen Iehova aliqoâ ratione creaturis tribueretur. Quidam reſpondent ſigno tribui nomen ſignati, ſicut imago Pauli vocatur Paulus. Sed hac ratione itidem nomen Iehova creaturis tribui relinqueretur, quamvis impropriè & per quandam μετωνυμίαν. Quidam dicunt nomen Iehova ibi non prædicari de locis ſacris, cùm potiùs ſit ſubjectum, de quo aliud prædicetur, toto autem elogio illo, in quo nominis Iehova fit mentio, talia loca ornari. Denique Haſenreff. in templ. Ezech. pag. 178. ſtatuit, in hiſce denominationibus eſſe ellipſin, per quam nomen in regimine poſitum vel pronomen ſit omiſſum, Pſal. 36. verſ. 4. *Verba oris ejus* (verba) *vanitatis & doli.* Pſal. 35. v. 6 *Sit via eorum tenebrarum*, h. e. *via tenebrarum.* Pſal. 120. verſ. 7. אני שלום *ego pax*, h. e. איש *vir pacis.* Cujusmodi plura exempla habet Buxtorff. lib. 2. theſaur. cap. 4. & 8. quâ ratione vel ex præcedentibus ſententia eſt complenda, vel aliud quoddam vocabulum ſubintelligendum. Vocavit Abraham nomen loci illius locus Domini, qui providebit, vel locus, in quo Dominus providebit. Moſes vocavit nomen altaris altare Iehovæ vexilli mei, Gideon vocavit altare Iehovæ pacis, nomen civitatis ex ea die civitas Domini, qui ibidem vel Iehovæ præſentis.

46. 2. *In ſpecie* de loco Ierem. 33. verſ. 16. dicimus, non urbem Hieroſolymam, ſed Meſſiam Regem vocari Iehovam juſtitiam noſtram, id quod ex toto contextu, analogia fidei, & parallelis locis compluribus evinci poteſt. Promiſſio habetur facta Iſraeli de germine Davidis, ergo non Iſraelis, ſed Chriſti nomen erat exprimendum. Conjunge eventum Iſrael nuſpiam ſic vocatur. Quidam ergo verba Hebræa וְזֶה אֲשֶׁר יִקְרָא לָהּ ſic explicant. *Et hoc* (ſubintellecto שם *eſt nomen*) *quo vocabitur* (activo poſito pro paſſivo) *illi* (hoc eſt ab illa ſcil. Hieroſolyma) Iehova. 2. Quidam hoc modo. Et *iſtud* (nomen) *quo vocabit eum* (per enallagen generis, ut fœmininum maſculino remotiori reſpondeat, ſicut Exod. 29. verſ. 4. Eſa. 5. v. 14. Ezech. 17. v. 7. Zach. 8. v. 2.) *erit Jehova.* 3. Haſenreff. in templ. *Et hoc quod prædicabitur* (per Hebraiſmum, in quo verba tertiæ perſonæ ponuntur imperſonaliter, vocabit ſcil. unusquisq, vel vocabitur quia קרא ſignificat non tãtùm *vocavit*, ſed & *prædicavit* Joſ. 8. v. 34. Levit. 25. v. 10. Eſa. 40. verſ. 2. Eſa. 61. verſ. 1. Nehem 6. v. 7.) *illi Iehova juſtitia noſtra*, ut ſit ſenſus, prædicabitur hoc Hieroſolymis, Iehova juſtitia noſtra. 4. Piſcat. in ſchol. & hoc eſt nomen, quo vocabit quisque illam ſcilic. Hieroſolymam ſive N. Teſt. Eccleſiam, Iehova juſtitia noſtra propter connexionem Chriſti capitis cum hoc corpore myſtico 1. Cor 12. v. 12 5. In locis tract. de Deo Patre & Filio §. 29. ſecuti ſumus ſimpliciſſimam illam explicationem,

nem, quam Pagninus, Montanus, Galatinus lib. 3. cap. 9. Munſterus Helvicus & alii ampleƈtuntur: *Et iſte qui convocabit eam. eſt Iehova juſtitia noſtra.* Clamabit ei Hieroſolymæ, ut ſcilic. ſe aggreget Eccleſiæ Nov. Teſt. Buxtorff. lib radic. in הוה pag. 187. adducit inſignem locum ex R. Joſeph Albo Hiſpano in libro Ikkarim orat. 2. cap. 28. *Vocat Scriptura nomen Meſſia Iehova juſtitia noſtra, quia erit Mediator DEVS, per cujus manum conſecuturi ſumus juſtitiam à DEO ipſo & idcirco vocat eum nomine proprio ipſius DEI Iehova.* Similia loca ex Rabinis adducit Weidner. in locis fid. pag. 190. Quod in ſpecie attinet locum Ezech. 48. v. 35. in eo R. Jonathan pro שָׁמָּה *ibi* legit שְׁמֵהּ *nomen ejus* contra omnium exemplarium fidem & ipſam Chaldaicam verſionem Galat. lib. 3. cap. 9. Ac res ipſa oſtendit, non deſcribi ibi Hieroſolymæ divinitatem ſed dignitatem ex gratioſa ipſius Domini præſentia depeudentem.

Q. 2. An nomen Iehova ſit tetragrāmatum?

47. Quæritur 2. *An nomen Iehova ſit tetragrammaton tantopere celebratum?* Negant quidam ex Pontificiis, Genebrard. in Epiſtola ad Leƈtorem, quam præfixit commentariis ſuis in Pſalmos. Bellarm. in exercit. Grammat. ſuper Pſal. 33. quos ſequitur Pererius Diſp. 2. in c. 6. Exod. p. 171. ubi ſic ſcribit: *Nomen Iehova ignotum ferè omnibus fuit, qui ante centum annos tam inter Hebræos, quàm inter Chriſtianos floruerunt, ut ſatis appareat novitium eſſe inventum atq; commentum, qui etiam ab Ethnico Iovis nomine illud deſumtum putant.* Sed hæc opinio profluxit ex falſis hypotheſibus, quales ſunt 1. punƈta eſſe recens inventum Rabinorū 2. nomen Jehova habere punƈta vocis Adonai. 3. Jovis nomen eſſe antiquius quàm Jehova. 4. approbandam eſſe Iudæorum ſuperſtitionem, qui prohibent illud nomen proferre. 5 veram hujus nominis pronunciationem periiſſe in captivitate Babylonica.

De nomine Adonai Ejus notanda, 1 derivatio.

48. 2. Nominis *Adonai* notanda 1. *derivatio.* Quidam formatum putant ab אדן *baſis, firmamentum*, quod Deus ſit omnium rerum ſtabilimētum Coloſſ. 1. v. 17. *πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε*, ſed reƈtius deducitur ab אָדוֹן *Dominus*, qui eſt baſis & columen familiæ, ſicut *βασιλεὺς* q. *βάσις τοῦ λαοῦ* Atticè pro *λαοῦ*: quod ipſum nomen אָדוֹן de vero Deo uſurpatur Exod. 23. v. 17. Joſ. 3. v. 11. 2. *ſignificatio.*

2. Significatio.

Quando ſcribitur cum camez in ſine eſt ſacrum non minus, quàm ipſum Iehova eſt nomen Dei proprium. (ſed quando ſcribitur cum hirec vel cū patach eſt prophanum, hominibus etiam honoris cauſa attributum *Domini mei*) unde etiam pro Jehova Judæi illud legunt. Galat. lib. 2. cap. 13. quando de Deo uſurpatur, ſemper conſtruitur cum ſingulari. R. David citante Sixto Senenſi Bibl. ſanƈtæ lib. 5. annot. 100. *Adonai quoties ſcribitur cum camez a honoris & excellentia cauſa Deo tribuitur*, quod agnoſcit etiam Socinus in explicatione diƈti Pſal. 67. verſ. 18. in ſcripto contra Wiekum. Confer Druſ. in comm. 7. Exod. Förſt. אדן Atque hæc propria & genuina ſignificatio vocis Adonai perpetuò Scripturæ uſu comprobatur. Geneſ. 18. v. 27. *Abraham appellat* eum אֲדֹנָי quem ſtatuit *judicem univerſa terra.* v. 25. quemq; orat, ut Sodomitis velit parcere, & qui appellatur *Iehova* nomine Dei proprio. Geneſ. 19. v. 2. cùm duo Angeli ad Lothum venirent, vocat eos אֲדֹנַי *Domini mei*, cùm verò v. 16. Jehova, qui cum Abrahamo locutus fuerat, illis ſe conjungeret, appellat eum אֲדֹנָי v. 18. quod enim is, cū quo ibi Lothus loquitur, fuerit verus Jehova, colligitur ex eo, quod ſubverſionem Sodomæ ſibi tribuit. v. 22. quæ vero Iehovæ tribuitur v. 24. Geneſ. 18. v. 33. *Et ivit Iehova poſtquam ceſſavit loqui cum Abrahamo.* At quò ivit? niſi Sodomam ad Lothum. quia dicit v. 22. *aſcendam & videbo.* Iud. 6 verſ. 13. cùm Angelus Iehova Gideoni in forma viri appariuſſet, vocat eum אֲדֹנִי ſed quando poſteà agnoſcit Deum ipſum ſeſe revelaſſe, vocat אֲדֹנָי v. 15.

49. Contrariū ſtatuunt Galatinus lib. 2. de arcan. Cath. verit. c. 10. priore, Buxt. in lib. radicū. Eniedinus ad c. 22. Matth. p. 108. *Vox Adonai non Naturam ſed dignitatem ſignificat, quo vocabulo homines ſolent alios homines ſibi quoad Naturam ſimiles appellare*, probant hoc 1. Ex Geneſ. 18. v. 3. cùm tres viri ad Abrahamum venirent, Abrahamus ad eos dicit, אֲדֹנָי jam verò Abrahamus nondum noverat verum Iehovam duobus Angelis comitatum adeſſe, ſed exiſtimavit peregrinos eſſe, quibus *φιλοξενίας* ſuam probare voluit, ut colligitur ex Hebr. 13. verſ. 2. *quidam ignorantes hoſpitio exceperunt Angelos.* Reſp. de hac apparitione ſunt diverſæ ſententiæ. 1. Rabini, teſte Lyrano, duas *φανερώσεις* comminiſcuntur & verba in principio capitis. *Apparuit illi Iehova* de *θεοφανείᾳ* reliqua verò adeoque totam hanc hiſtoriam de 'Αγγελοφανίᾳ accipiunt. Sed repugnat totus contextus, quia Moſes primò in genere dicit, *Iehovam Abrahæ apparuiſſe*, poſtea in ſpecie exponit, qualis fuerit iſta apparitio, quidve in ea geſtum, diƈtumvè fuerit. Præterea unus ex his tribus appellatur voce Iehova, qui promittit Abrahæ ex Sara filium, & Sodomitarum prædicit excidium verſ. 10. & 20. Quod poſterius opponendum etiam illis, qui exiſtimant, omnes tres fuiſſe Angelos creatos & ſymbolicè repræſentaſſe tres perſonas Trinitatis. Corn. à Lap. in comm. ubi in hanc ſententiam citat. Auguſt. lib. 16. de civit. Dei cap. 29. lib. 2. de Trinit. c. 11. Cyrill. lib. 1. contra Iulian. 2. Quidam putant, fuiſſe ipſas tres perſonas Trinitatis Abrahæ in externa quadā ſpecie ad tempus aſſumtâ apparentes, ſed 1. vocantur Angeli, jam verò Patrem nullibi in tota Scriptura Angelum vocari nondum demonſtratum, non eſt miſſus in tempore ſicut Filius in carnem ad opus redemtionis & Spiritus S. in viſibili ſpecie ad opus ſanƈtificationis. 2. Epiſtola ad Hebræos hoſpitalitatem ex eo commendat, quod Angelos hoſpitio quidam exceperint, at ſi fuiſſent tres Deitatis perſonæ, ex eo majorem hujus virtutis commendationem potuiſſet peteret 3. In tota Hiſtoria unus deſcribitur ut *ἐντιμότερος*, qui ſolus Iehovæ nomine compellatur. 4. ſtatuimus ergo cum Hilario lib. 4. de Trinit. Nazianz. orat. 2. de Theol. Euſeb. lib. 5. demonſt. Evang. cap. 9. Theodor. q. 68. in Geneſ. & aliis Filium Dei duobus Angelis comitatum ad Abrahamum divertiſſe, neque illius rei ignarum fuiſſe Abrahamum, colligimus ex familiari Dei apparitione. Geneſ. 17. v. 1. נִרְא *viſus eſt Dominus Abrahæ dicens: Ego ſum El Schaddai*, unde etiam ſermonem ſuum ſic informat, ut eum unum alloquatur magno illo nomine Adonai, & in ſingulari dicat, *Si inveni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas a ſervo tuo.* Poſtea demùm de reliquis comitibus dicit: *Tolletur parum aqua & lavate pedes veſtros*, exiſtimavit enim Filium Dei ſibi apparentem ſecum adducere duos pauperes exules, quibus beneficentiam exhibere voluit. 1. Iehova dicitur apparuiſſe v. 1. at is Abrahæ ex variis apparitionibus e-

rar notus. 2. de novo ipſi poſtea revelatum non poteſt ex textu elici. 3. in tota Scriptura Adonai cum ˉ eſt ſolius Dei nomen, niſi ſit plurale per pauſam mutatum. 4 plurale non eſſe oſteodit conſtructio. Ad locum Hebr. 13. quidam reſpondent, non de Abrahamo, ſed de Lotho eum eſſe intelligendum, & verbum ἔλαθον ſic explicant, *latuerunt*, h.e. ab excidio & interneeione conſervati ſunt, ac ſub Dei tutela latuerunt Angelis hoſpitio exeeptis, ſed nihil quicquam derogat noſtræ ſententiæ. ſi vel maximè de Abrahamo etiam hic locus accipiatur, Filium Dei præſentem eſſe intellexit, quippe qui jam ante in forma viſibili, & ſæpius apparuerat, ſed Angelos ſecum adduxiſſe fortè non cogitavit, quia Angelos incorporeos eſſe novit. *At*, inquis, *cur Epiſtola ad Hebræos non commendat hoſpitalitatem ex eo, quod ipſum Dei Filium quidam hoſpitio exceperint?* Reſp. ſi argumentum hoc aliquid obtineret, evinceret omnes tres fuiſſe Angelos, cujus contrarium oſtendimus ſuperiùs. dicimus ergò, Filium Dei non fuiſſe propriè ab illis hoſpitio exceptum, quia Angeli quidem comedere viſi fuerunt, non autem ipſe Dei Filius, nec ignorarunt, unum ex his tribus eſſe Dei Filium, ſed duos reliquos eſſe Angelos, ignorarunt. Cui hæc non ſatisfaciant, dicere poterit, myſticâ ratione factum, ut Moſes enim Adonai cum ˉ vocaverit, quem Abrahamus adhûc incognitum vocaverit Adonai cum pathah, quia in pronunciatione differentia illa animadverti nequit.

50. 2. Quod Geneſ. 19. verſ. 18. Lothus dixiſſe legitur אֲלֵהֶם *ad eos ſcil.* Angelos, אֲדֹנָי. Reſp. vel conſtituenda eſt numeri enallage, quam præcedentium & ſequentium connexio oſtendit, vel referendus eſt uſus pluralis numeri ad ſignificandum myſterium pluralitatis perſonarum, quod poſtea explicatur, *Iehova pluit à Iehova* verſ. 24. vel ſi omninò ad Angelos referendum, dicendum fuerit, non eſſe camets nativum, ſed ex patah per pauſam Silluk mutatum. 3. quod Jud. 6. verſ. 22. demùm Gideon videtur agnoviſſe Angelum ſibi apparentem, fuiſſe ipſum Jehovam, dicit enim, *Heu Domine Deus, quia idcirco vidi Angelum Domini facie ad faciem.* Reſp. imò verò Gideon hoc intelligere potuit, tum ex promiſſo de liberatione Iſraelitarum ex manu Madianitarum, tum ex ipſa miſſione ſibi denunciata, quia utrumque non niſi uni Deo competit. Quod poſtmodum exhorreſcit, inde factum, quod cum dubitatione quadam illa notitia fuerat conjuncta, cùm autem ignis ex petra prorumpens ſacrificium abſumeret, clarè vidit & intellexit, quod Angelus Iehova יהוה.

3. *Myſtica explicatio.* 51. 3. *Myſtica explicatio.* Quia Malach. 1. verſ. 6. in plurali Deus dicitur אֲדֹנִים inde quidam ſtatuunt etiam אֲדֹנָי eſſe numeri pluralis & myſterio Trinitatis deſignando inſervire. Galat. lib. 2. cap. 13. *A plurali Adonim fit Adonai, quod divinum eſt nomen & propriè idem quod Domini mei ſignificat, idcirco priſci illi Patres à Moſe edocti Deum Dominos in plurali numero nuncupari ſanxerunt, ut ex hoc palam oſtenderetur, univerſale rerum dominium tribus divinis perſonis eſſe commune. Nam Dominus eſt Pater, Dominus Filius, Dominus Spir. S. Ut autem innueretur Patrem, Filium & Spiritum S. non tres Dominos eſſe, ſed unum Dominum, decretum fuit ut nomen ipſum Adonai, etſi plurale ſit, non niſi cum verbo ſingularis numeri, vel cum nomine adjectivo itidem ſingularis numeri conjungeretur.*

De nomine Elohim. 52. 3. In nomine *Elohim* myſterium Trinitatis quærendum eſſe negant Judæi ac Photiniani, Piſcecius in reſp. ad rat. 2. Camp. p. 17. *Ante Lombardum Trinitatem perſonarum ex voce Elohim concludebat nemo*, quibus aſſurgunt quidam ex Pontificiis, ut Cajetanus, Bellarm. lib. 2. de Chriſto cap. 6. Perer. in Geneſ. tom. 1. p. 15. n. 39. Sixtus Senenſ. lib. 5. Bibl. annot. 1. ut & Calvinianis, ut Calv. in cap. 1. Geneſ. *Monendi ſunt lectores, ut à violentis gloſſis ſibi temperent*, Chaſſanio lib. 1. locor. comm. cap. 10. Druſius lib. de nomine Elohim Cent. 2. miſcellan. cap. 46. & 53 Danæus, Mercerus, Paræus in Comm. c. 1. Geneſ. &c. Contrarium ſtatuunt noſtrarum Eccleſiarum doctores moti his argumentis. 1. *ex propria pluralis numeri ſignificatione.* Ubicunque ponitur numerus pluralis in nominib. perſonam ſignificantibus quæ habent ſuum ſingulare à quo formatur, ibi in propria & genuina ſignificatione pluralitatem denotat. Sed vox Elohim de vero Deo uſurpata ponitur in numero plurali, cùm tamen non deſtituatur ſingulari à quo formatur. Ergo. Cajetanus negat *Elohim* habere ſingulare, ſed maniſeſtè extat ſingulare *Eloah* Job. 4. v. 9. cap. 12. v. 4. cap. 15. verſ. 8. cap. 36. verſ. 2. Pſal. 18. v. 32. &c. Exceptiones Iudæorum, *quod ſit nomen terminatione quidem plurale, ſignificatione verò ſingulare, quod non plures perſonas, ſed plures proprietates in Deo deſignet, quod ex humana conſuetudine Deus honoris cauſa de ſe in numero plurali loquatur* excuſſimus tr. de Deo §. 27. 2 *ex peculiari hujus vocis conſtructione.* Vox Elohim de Deo uſurpata non ſolùm conſtruitur cum verbo ſingulari, ut Geneſ 1. v. 1. *Barâ Elohim*, ſed etiam cum verbo & adjectivo plurali Geneſ. 20. v. 13. *quando me errare fecerunt* הָאֱלֹהִים. cap. 35. v. 7. *Elohim ad eum revelati ſunt.* Deut. 5. verſ. 26. *Elohim viventes.* Ioſ. 24. verſ. 19. *Elohim ſancti.* Conjunge 2. Sam. 7. v. 23. Iobi 35. v. 10. Pſal. 58. v. 12. Pſal. 149. v. 2. Eſa. 44. v. 2. cap. 45. verſ. 5. Ierem. 10. v. 10. cap. 23. verſ. 36. ex quo ſic concludimus: Nomen plurale cum verbo vel adjectivo plurali nunquam ſignificat unam tantùm perſonam ſed plures. At nomen Elohim cum verbo & adjectivo plurali de Deo uſurpatur. Ergo ut eſſentiæ unitas in conſtructione cum verbo ſingulari ita perſonarum pluralitas in conſtructione cum verbo vel adjectivo plurali uſurpatur. 3. *ex ipſa Sp. S. explicatione.* Quod enim per Elohim intelligantur plures, & quidem tres perſonæ Deitatis, alibi ſatis clarè exponitur. Deus ipſe tradit explicationem pluralis numeri uſurpati. Geneſ. 3. v. 22. *Ecce Adam factus q. unus ex nobis* Sic Geneſ. 1. v. 1. autor creationis dicitur *Elohim*, jam verò cauſa efficiens creationis eſt tota SS. Trinitas, ut conſtat ex Pſal. 33. verſ. 6. quod Moſi ignotum fuiſſe nullâ ratione eſt veriſimile, quinimò ipſe in verbis ſubſequentibus exponit, quidnam nomine Elohim intellectum velit, quando mentionem facit *Patris dicentis, Verbi* per quod omnia facta ſunt *& Spiritus ſancti* aquis incubantis, Quò pertinent omnia Scripturæ dicta, in quibus peculiariter Filio & Spiritui ſancto creationis opus tribuitur. 4. *ex plurimorum Interpretum approbatione.* Confirmant enim noſtram ſententiam Iuſtin. in Dial. cum Tryph. pag. 222. Tertull. adv. Prax. cap. 12. Lombard. 1. ſent. diſt. 2. lit. F. Lyranus & Burgenſis in cap. 1. Geneſ. Galat. lib.

lat. lib. 2. de arcan. Cathol. verit. cap. 9. ubi Rabinorum teſtimonia adducit, & inter cæteros dictum R. Hunna: *Niſi hic ſermo ſic eſſet ſcriptus, nemini ita loqui liceret.* 5. *ex quorundam adverſariorum confeſſione.* Nobis enim in hac quæſtione ὁμόψηφοι ſunt, Zanchius lib. 1. de Nat. Dei cap. 4. pag. 7. cap. 12. pag. 37. lib. 2. de trib. Elohim cap. 1. p. 31. Junius tom. 2. defenſ. 2. de S. Trinit. p. 70. in Bellarm. controv. lib. 2. cap. 6. col. 561. Polanus lib. 3. Syntagm. cap. 3. col. 1278. Jacobus Montanus, qui cum Druſio per literas de hac quæſtione egit. Pelicanus in cap. 1. Geneſ. Alſtedius in Lex. Theol. p. 98. latiſſimè. Piſcat. in anal. cap. 1. Geneſ. Tilenus in notis ad lib. 2. Bellarm. de Chriſto cap. 6. *Argumentum pro diſtinctione perſonarum ex nomine Elohim ductum fortè non eſt ſoliſſimum, non tamen prorſus nullum ſiquidem illam numeri enallagen in prima perſona frequentari in Hebraiſmo negant periti.*

53. Addimus tamen 1. ex voce Elohim non immediatè Trinitatem, ſed pluralitatem perſonarum in divinis nos probare, quæ pluralitas alibi ad numerum ternarium redigitur. 2. latere in hac voce myſterium Trinitatis pro diſpenſatione temporum ac modo pateſactionis in Vet. T. uſitatæ, ad quam in N. T. clarior lux acceſſit. 3. conjungendam eſſe ipſius Spiritus S. explicationem in aliis Scripturæ locis propoſitam, neque enim primarium ſed ſecundarium duntaxat argumentum ex voce illa petitur. 4. aliud eſſe contra hæreticos pertinaces Trinitatem negantes pugnare, aliud inter Chriſtianos credentes de hoc myſterio diſſerere. Argumentis adverſæ partis ſatisfieri poteſt, ſi obſerventur ſequentes hypotheſes, 1. aliam eſſe rationem vocis *Elohim*, aliam verò vocis *Deus*. Elohim eſt nomen perſonale, Deus eſſentiale, inde propter perſonarum pluralitatem rectè dico tres Elohim, ſed non poſſum dicere tres Deos propter ſimpliciſſimam eſſentiæ unitatem. 2. Si vel maximè evictum eſſet, Elohim de una tantùm Deitatis perſona dici & ſic ſingulariter uſurpari, (de quo tamen meritò adhuc quæritur) nondum tamen decederet quicquam genuinæ & propriæ ſignificationi numeri pluralis. Ut enim Deus eſt nomen eſſentiale, nihilòtamen minùs quandoque uſurpatur perſonaliter: ſic E-
„ lohim eſt nomen perſonale, quandoq; tamen po-
„ nitur eſſentialiter tum propter ſimpliciſſimam u-
„ nitatem trium perſonarum ratione indiviſæ eſſentiæ, tum propter mutuam perſonarum περιχώρησιν, quia Pater eſt in Filio, & Filius eſt in Patre, Pater non eſt Deus extra Filium, nec Filius extra Patrem, nec Pater eſt ſolitariè Deus, ſed perſona Trinitatis, vel Deus in Trinitate, ſicque quælibet perſona in divinis perpetuum ad reliquas duas perſonas reſpectum obtinet. Quando ergo de una perſona uſurpatur, ſignificat, quod illa una perſona ſit è numero plurium. 3. diſtinguendum inter vocem Elohim abſolutè poſitam & in conſtructione cũ adjectivo vel verbo plurali. Si vel maximè concederetur, vocem Elohim abſolutè poſitam uni perſonæ quandoque per enallagen tribui, tamen quando cũ verbo vel adjectivo plurali conſtruitur, ſemper notat plures perſonas. 4. diſtinguendum inter uſum linguæ ſanctæ, cui puritas & ſimplicitas eſt peculiaris & uſum aliarum linguarum. Si vel maximè in aliis linguis numerus pluralis pro ſingulari ponitur, (ubi tamen nomen perſonæ manet ſingulare mutatis duntaxat verbis ac pronominibus. Nos Ferdinandus mandamus, nec in tertia perſona adhibetur pluralis, ſed in prima) nihil tamen idipſum præjudicat uſui linguæ ſanctæ. Theodor. q. 20. in Geneſ. *Si Deus propter autoritatem ac majeſtatem de ſe in plurali numero loqueretur, oportuiſſet eum ita loqui vel ſemper vel ut plurimum præſertim cùm legem daret in Sina.* De hominibus dignitatis cum pluralem loco ſingularis uſurpamus, ſed de Deo hoc concedi nequit, ejus ſumma dignitas ut agnoſcatur, qualis eſt. Deus ſemper æquè honoratus eſt, & tamen non ſemper loquitur de ſe in plurali numero. R. Aben Ezra in cap. 31. Geneſ. pluralis numerus ad ſignificandam dignitatem tantùm in ſecunda & tertia, non autem in prima perſona uſurpatur. 5. Quæcunque exempla uſurpati numeri pluralis pro ſingulari afferuntur, ea de creaturis vel idolis loquuntur & explicari poſſunt, vel per μερισμὸν vel per figuram quandam ſermonis ſyllepſin ſcilicet vel enallagẽ numeri, ſed quando vox Elohim de Deo propriè uſurpatur, talis figura locum non habet, ibi enim nec civilis cujuſdam reverentiæ cauſa, nec rhetoricâ quadam figurâ pluralis numerus de Deo uſurpatur ſed propter cauſam in ipſis Scripturis alibi monſtratam. 6. Quando Elohim diſtributivè uſurpatur, non deſinit eſſe plurale, quia diſtributio eſt indefinita quædam pluralitas, Exod. 20. v. 2. *non erit tibi Dii alieni*, h. e. nullus Deorum alienorum. Quando Exod. 32. v. 4 & 8. vitulo in idololatricum cultum erecto tribuitur, itidem non deſinit eſſe plurale, quia non ipſum vitulum ſed verum Jehovam, qui ex Ægypto eas eduxerat, Iſraelitæ in illo vitulo colere voluerunt, v. 5. eo nomine appellarunt.

54. Nomen *Iehova & Adonai* LXX. reddiderunt per κύριος, ſicut *Elohim* per Θεός. Quæritur autẽ de nomine *κύριος an ſit ſoli æterno Deo proprium?* Negat Socinus contra Wiekum c. 6. claſſ. 4. arg. 2. p. 395. *Nomen Iehova* (inquit) *eſt nomen proprium, κύριος vero ſeu Dominus appellativũ & plurimis vulgò tributum, idcirco vel hoc ob ſolum ineptum ad nomen Jehova exprimendum. Conati tamen ſunt LXX. huic malo hac ratione mederi, ut ſcilicet nomen κύριος ferè ſemper cum Jehova loco ponitur, ſit ſine articulo, quò commodiùs nomen proprium referre poſſit. Neq; enim ſolent appellativa nomina in Græca lingua, cum ſubjecti locũ tenẽt, efferri ſine articulo. At Chriſtus cùm κύριος ſubjectivè, ut ſic dixerim, appellatur, ferè ſemper articulus præponitur nomini ſibi* Hæc Socinus, quæ omnia eò tendunt, ut argumẽtum pro Deitate Chriſti ex voce κύριος deductum enervetur. Sed reſpondemus, nos facilè concedere, quod certo quodam reſpectu & in generaliori ſignificatione nomen κύριος tribuatur etiam creaturis, interim tamen primò ac principaliter in eminentiori ac propria ſignificatione nomen κύριος de ſolo vero Deo uſurpatur, ac proinde qui eâ ratione κύριος appellatur, is verus & æternus Deus eſſe rectè arguitur. Marc. 12. v. 29. κύριος *Deus tuus κύριος εἷς ἐστι* Epheſ. 4. v. 5. *εἷς κύριος unus Dominus*. 1. Cor. 8. v. 6. *Etſi ſunt qui dicantur Dii in cælo & terra, ſiquidem ſunt Dii multi & Domini multi, nobis tamẽ eſt εἷς κύριος unus Dominus*, id quod demonſtramus ex eo 1. quia LXX. Interpp. & eos ſecuti Apoſtoli in N. T. nomen Jehovæ reddiderũt per κύριος ut infinitis exemplis probari poteſt. Iam verò nomẽ Iehovæ eſt Dei propriũ, ut oſtendimus ſuperiùs & Socinus ipſe videtur concedere. Quod Socinus dicit, *nomen κύριος Deo attributum carere articulo*

De nomine κύριος, an ſit Deo proprium.

articulo, ſed Chriſto attributum habere additum articulum, id ſi generaliter accipiatur, utrumque falſum eſt. Prius patet ex Matth. 1. verſ. 22. cap. 2. v. 15. cap. 22. verſ. 44. Luc. 1. verſ. 6. Act. 17. v. 27. &c. poſterius ex Matth. 7. verſ. 21. c. 8. v. 2. c. 22. v. 43. Rom. 1. verſ. 7. cap. 14. v. 14. &c. 2. quando κύριος vel honorificæ compellationis vel particularis alicujus dominii cauſâ homini tribuatur, ex circumſtantiis textus facilè intelligi poteſt, vel enim additur reſtrictio, ut *ſecundùm quid* Dominus appellari intelligatur Matth. 15. v. 27. *Catelli edunt de micis dominorum ſuorum*. Act. 16. v. 19. vel adjungitur deſcriptio, quæ oſtendit non de ſummo & abſoluto Domino eſſe ſermonem. Coloſſ. 3. v. 22. *Servi obœdite dominis carnalibus*. 1. Cor. 8. verſ. 5. *Sunt Dii multi & Domini multi* λεγόμενοι, vel annectitur illius Domini erga ſummum Dominum, qui eſt Dominus dominorum ſubjectio. 1. Tim. 6. v. 15. Apoc. 17. v. 14. c. 19. v. 16. vel ex ipſo contextu intelligitur, non de ſummo & abſoluto Domino ibi agi, quando ſcil. talia prædicata illi tribuuntur, quæ non conveniunt ſummo Domino, vero ac æterno Deo, interim in propria, principali & eminẽti ſignificatione nomen κύριος Dei propriũ manet. 3. Nomen κύριος ita prædicatur de Chriſto, ut ex ea prædicandi ratione ipſius divinitas certò colligi poſſit, vocatur n. abſolutè κύριος ſine articulo, quod Socin. putat eſſe indicium nominis proprii, appellatur *Dominus dominãtium* Ap. 17. v. 14. c. 19. v. 16. tribuitur ei *poteſtas cœli ac terræ* Matth. 28. v. 19. ac proindè eſt cœli & terræ Dominus, quod ſolius veri Dei propriũ Matt. 11. v. 25. vocatur ſimul & Κύριος & Θεὸς Jo. 20. v. 28. dicta V. T. quæ de ſolo vero Deo agunt, ipſi in N. T. accom̃odantur & attributa, opera ac cultus verè divinus ipſi tribuũtur, fruſtrà igitur argumentum ex nomine Κυρίου deductum à Photinianis impugnatur, quia regula eſt firmiſſima; cui modo ac ratione jam expoſitâ nomen Κύριος tribuitur, is eſt verus & æternus Deus.

De nomine Θεὸς, *an ſit nomen officii an Naturæ.*

55. De nomine Θεὸς quæritur, *An ſit nomen officii, dignitatis ac poteſtatis, an v. Naturæ & eſſentiæ?* Prius affirmant Photiniani, poſterius negant, ut evincant nomen Dei Chriſto attributum nequaquã efficere, ut verus Naturâ Deus agnoſcatur, ſed ob divinã duntaxat poteſtatẽ in tempore ipſi collatam ſic dictus cenſeatur. Eniedin. in c. 1. Io. p. 159. 160. *Dei vocabulum dignitatis potiùs & officii eſt nomen, quàm Naturæ & eſſentiæ, non ergò ſequitur, ſi quis dicatur Deus, ideò ſtatim pro æterno cœli & terræ creatore eſſe illum habendũ, cùm ad quoſcunq; λόγος Dei fiat, Dii dicantur, teſte ipſo Chriſto Ioh. 10. v. 35. eſt ergo λόγος Deus, ſed à Deo factus & cõſtitutus Deus*. Socin. contr. Volan. p. 189. *nomẽ Deus ex iis nominib. cenſeri debet, quæ Grãmatici ambigua vocant, qualia ſunt Rex, civis, Poeta, Philoſophus & alia ejuſmodi, hæc n. ſubſtantiæ qualitatẽ quandã potius, quàm ipſam ſubſtantiã declarant*. Schmaltz. in exã. cẽt. error. err. 3. p. 5. *Vocẽ Dei in Latino & Græco ſermõe de illo ſupremo Numine, quod Naturâ tale eſt, uſurpatũ dicimus, ſignificare nõ eſſentiam ſupremi Numinis, ſed ejus poteſtatem*. de divina Verbi incarnati Natura c. 26. p. 144. *Vox Dei dignitatis nomen eſt, non eſſentiæ, & quicunq; verã poteſtatẽ divinam habet, is ſuo modo verus Deus eſt*. Nos concedimus, nomen Deus ſecundario & impropriè aliquãdo creaturis propter officiũ divinitùs ipſis com̃iſſũ tribui, quin & λεγομένοις θεοῖς aſſignari, quâ ratione uſurpatũ nõ infert divinã illius, cui tribuitur Naturã. interim negamus in propria & principali ſignificatione uſurpatũ eſſe tantùm poteſtatis & officii, non a. divinæ Naturæ & eſſentiæ ſignificativũ, quod probamus. 1. *ex perpetua Scripturæ uſurpatione*. Ubicũq; n. nomẽ Deus in Scriptura de ſuprẽo Numine prædicatur, ibi perpetuò divinã ejus eſſentiã, nõ a. poteſtatẽ tantùm denotat. Sanè quia attributa, & ſic etiã potentia Dei ſunt realiter idẽ cum ipſa eſſẽtia, ſignificando divinam eſſentiã conſignificat etiam divinam potentiã, interim nec ſolùm, nec principaliter divinã potentiam, ſed eſſentiam & Naturam divinã notat. 2. *ex definitione*. Ubicunq; vel in Scripturis, vel Scripturarũ Interpretibus definitio Dei traditur, ibi non ſolùm poteſtatis, ſed etiã eſſentiæ divinæ, ac Naturæ fit mentio. Ergò etiã nomen Deus non poteſtatis vel officii, ſed Naturæ nomen eſt. Exod. 3. v. 14. rogatus Deus, ut nomen ſuũ Iſraëlitis explicandum manifeſtaret, reſpondet: *Ego ſum qui ſum, ero qui ero*, ubi ab ea eſſentia infinita ſeipſũ denominat. 3. *ex oppoſitione*. Quando idololatria gẽtiliũ accuſatur, ex illo principio accuſatur, quòd gentiles religioſè coluerint eos, qui *οὐ τῇ Naturâ non ſunt Dii* Galat. 4. v. 8. *quòd mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium* Rom. 1. v. 23. Quo modo accipitur unũ oppoſitorum, eo modo accipitur etiã alterum. Idola ideò negãtur eſſe verus Deus, quia divinâ eſſentiá deſtituuntur, & quia non ſunt Dii Naturâ. Ergò Jehovah ideò & inde dicitur verus Deus, quia Naturâ & eſſentia talis eſt. 4. *ex ipſa nominis ratione*. Nomen Deus non eſt derivativum, ſed primitivum, juxta communem omnium hominum πρόληψιν ſignificans eum, qui non ſolùm ſummâ poteſtate præditus, ſed etiam eſſentia & Naturâ ab omnibus creaturis & idolis eſt diſtinctus, (nec ex ullo derivato nomine conſtat, officii & poteſtatis tantùm illud eſſe ſignificativum, quin imò etiam illa nomina, quæ ab aliquo accidente ſumuntur, quando eſſentiæ applicantur, & propriorum Naturam induunt, non amplius accidens, ſed ipſam ſubſtantiam notant. Sic nomen Iacobi, Iſraelis, Iſaaci &c. à quodam accidente erant deducta, ſed quando hominibus illis fuerant applicata, & propriorum nominum indolem ac Naturam induerunt, non amplius illud nudum accidens, ſed ipſam omninò illorum hominum eſſentiam notare cœperunt.) Quod ſi ergò vel maximè nomen Deus à quodam effectu divinæ Naturæ eſſet deductum, tamen Deo in propria ſignificatione applicatum non ampliùs effectum, ſed cauſam illius effectus, ipſam ſcilicet divinam Naturam & eſſentiam denotaret. Præterea cùm in Deo poteſtas ſit ipſa divina eſſentia, utique ſi nomen Deus notat divinam, id eſt, ſummam & infinitam poteſtatem, notabit etiam Naturam & eſſentiam divinam, quia ſumma & infinita poteſtas abſque divina eſſentia locum habere nequit. 5. *ex ſimilium appellationum collatione*. Sicut vox hominis Naturam hominis; ita vox Dei Naturam & eſſentiam Dei ſignificat, nec aliâ appellatione in lingua Græca & Latina Dei natura ſignificari poteſt. 6 *ex multiplici ad abſurdum deductione*. Si nomen Dei eſt nomen ſolius poteſtatis, non Naturæ & eſſentiæ, conſequens erit, primò eos verum Deum agnoſcere & colere, qui ſummam poteſtatem ipſi tribuunt, licet Naturam corpoream & eſſentiam finitam illi tribuant, quod abſurdum, quia finita eſſentia nõ eſt nec eſſe

poteſt

poteſt omne bonum & ſummum bonum, datur enim eâ aliquid melius, videlicet infinitum Ens & infinitum bonum. Secundò Deum ſolâ poteſtate definiendum, quod itidem abſurdum, quia in Deo ſunt etiam alia attributa & aliæ perfectiones, ut ſapientia, bonitas, æternitas. Tertiò nomen Dei cum nomine Domini eſſe omnibus modis idem, cùm tamen Scriptura eadem diſtinguat, & nomen DEI à Natura nomen Domini à dominio & poteſtate ſummâ Numini tribui oſtendat. Quartò nomen Dei eſſe relativum, nec niſi in relatione ad creaturas, ac proindè in tempore demùm Deo competere, cùm tamen ſit Deus ab æterno & in æternum &c. 7. *Ex Patrum teſtificatione.* Juſtinus in expoſit. fid. *Si eſſentiam divinam intelligere velis, Dei nomine expreſſeris* Tertullian. lib. 3. adv. Marcion. circa med. *DEI nomen eſt quaſi naturale divinitatis.* Athanaſius in Epiſtol. de Synod. Nicen. decret. poſt med. *Cùm audimus vocabulum DEUS, nihil aliud, niſi ipſam incomprehenſibilem Dei ſubſtantiam ſignificari intelligimus* 8. *ex trepida adverſariorum aſſertione.* Quandoque enim ſimpliciter negant, nomen Dei eſſe nomen Naturæ, quandoque verò comparatè dicunt eſſe magis nomen Naturæ, quam poteſtatis, ut conſideranti ipſorum dicta perſpicuis in controverſiis de Deitate Filii & Spiritus ſancti ac ipſimet coguntur nomen Dei ἰσοδυνάμως accipere.

56. Quæ in contrarium afferuntur, facilem habent explicationem ſi diſtinguatur 1. inter ſignificationem hujus nominis *propriam & impropriam, principalem & ſecundariam.* Quando de creaturis impropriè & ſecundariò prædicatur, poteſtatem & officium non Naturam notat, ſed ex eo inferri nequit, quod de ſummo Numine uſurpatum itidem poteſtatem duntaxat, non Naturam notet. Sic quamvis Sol, lux & ſimiles metaphoricæ appellationes in figurata ſignificatione qualitatem notent, tamen propriè acceptæ Solis, lucis & rerum earum, à quibus transſumptæ ſunt, eſſentiam notant. 2. inter has phraſes, *eſſe verum DEUM & verè dici DEUM.* Eſſe verum DEUM competit ſolùm uni & æterno DEO, qui per Naturam & eſſentiam talis eſt, quia unaquæq; res dicitur vera à ſua Natura & eſſentia. Sic verum aurum, verus homo dicitur à vera auri & hominis eſſentia. Cyrillus lib. 12. theſauri cap. 13. *Si CHRISTUS verus DEUS eſt, ſubſtantialiter non participatione hoc ipſum eſt ſicut creatura, qui autem verus Deus eſt, Natura Deus eſt.* Sed verè dici DEUM, competit etiam hominibus, qui propter ſimilitudinem & participationem quandam divinitatis eo nomine impropriè appellantur, ibi enim agitur duntaxat de veritate vocum metaphoricè acceptarum. Sic Apoſtoli verè dicuntur *lux mundi, ſal terræ*; quia etſi impropriè & metaphoricè dicantur lux, tamen quia verè illud præſtant ſpiritualiter, quòd lux, ſal &c. faciunt corporaliter, ideò verè ſic dicuntur. Pari ratione Magiſtratus, judices &c. dicuntur Dii, & verè ſic dicuntur, quia propter participationem divini officii ſic dicuntur, interim non ſunt verus ille DEUS, qui Naturâ & eſſentiâ talis eſt. Confer D. Hunnium in exam. error. Photinianor. in artic. de Deo, Schmigl. contra Schmaltzium &c.

Nomina Dei Rabinica. 57. Coronidis loco notentur nomina Dei Hebraica apud Rabinos uſitata. Rabini Deum vocant 1. שֵׁם *nomen* κατ᾽ ἐξοχὴν, quòd propterea ſaciunt, ut Elias Lev. in Thesbite ſcribit, quia propoſitum eſt commemorare, vel unum ex nominibus ejus temerè. Nam hoc accuratè obſervant, ne vel unum ejus nomen in rebus leviuſculis uſurpent. Solent autem addere vel ה emphaticum, vel יִתְעַלֶּה exaltetur, vel יִתְבָּרַךְ celebretur. 2. שְׁכִינָה quo ſignificant vim divinam totum mundum permeantem. In libro בבאבתרא dicunt: שְׁכִינָה בְּכָל מָקוֹם *Schechina eſt omnibus in locis,* Elias Levita in Thesbite ſcribit, Rabinos SS. ſic vocare, cujus monitu & ductu Prophetæ olim divina oracula fuderunt, & à radice שכן quæ manere vel habitare ſignificat, ideò deducitur, quòd Spiritus ſanctus ſuper Prophetas requieſcere dicatur. Tradunt Schechina non habitare, niſi cum viro, qui inſigni pietate, innocentiâ & integritate animi ſit præditus: 3. מָקוֹם *locus*; Rationem appellationis tradit Elias: לְפִי שֶׁהוּא מְקוֹמוֹ הַכֹּל וְאֵין הַכֹּל מְקוֹמוֹ *eò quod ubiq; eſt locorū, nec tamen locus eum capere poteſt.* In Lexico Thalmudico Baal Aruch duæ hujus appellationis cauſæ recenſentur. 1. שֶׁהוּא מְקוֹמוֹ שֶׁל עוֹלָמוֹ *quia locus eſt mundi, non verò ipſe in mundo tanquam in loco exiſtit.* Deinde שבכל מקום שהץ יקין שם הוא נמצא עמהם *quocunq; in loco pii congregati ſunt, ipſe in medio eorum verſatur.* Philo περὶ ὀνείρων. ὁ Θεὸς καλεῖται τόπος τῷ περιέχειν μὲν τὰ ὅλα, περιέχεσθαι δὲ πρὸς μηδενὸς ἁπλῶς. Cabaliſtæ propterea Deum ſic vocari autumant, eò quòd ex vocabulo מקום iidem numeri eliciantur, qui ex tetragrammato Jehova deducuntur, hoc modo ם duplex 80. conſtituit. ק 100. ו 6. faciunt 186. Jehovæ vocabulum ſic cum iſto conferunt. י decies ſumtum 100. efficit. ה quinquies 25. ו ſexies 36. ה quinquies 25. & ſic emergunt 186. 4. הַשָּׁמַיִם *cæli,* quia cæli ſpecies, admirabiles aſtrorum ordines, ipſorumque diſpares converſiones & multiplices curſus maximè Dei gloriam & potentiam oſtendunt. Elias Levita in Thesbite ex Maſoritarum ſententia hanc appellationis rationem affert: כִּי שָׁמַיִם מְכוֹן שִׁבְתּוֹ *quia cæli ſunt ſedes ejus.* Ponitur interdum abſolutè, ut nulla vox addatur, quemadmodum in tractatu Thalmudico Pirke Aboth. cap. 1. aphoriſm. 3. interdum vocabulum שֵׁם additur ut in eodem tractatu cap. 4. Interdum אָבִינוּ שֶׁבַּשָּׁמַיִם *Pater noſter, qui in cælis eſt,* reperitur. 5. הַגְּבוּרָה h. e. *ſumma poteſtas,* Dei cælum ac terram regentis & tuentis à rad. גָּבַר quæ ut R. Kimchi in lib. radicum ſcribit חוזק ואומץ וְנֶצַח *vehementiam, fortitudinē, robur* ſignificat. 6. רִבּוֹנוֹ שֶׁל עוֹלָם vel מֶלֶךְ הָעוֹלָם de Domino vel Rege mundi. Vox רִבּוֹן Chaldaica eſt & ab interpp. Chaldæis, ubi in Hebræo גְּבִיר שַׂר vel גִּבּוֹר occurrit, uſurpatur. In Syriaca lingua Chirek mutatur in pathah, & dicitur Rabboo, qui eſt αὐτοκράτωρ & merum habet imperium. עוֹלָם ſicut à Thalmudiſtis uſurpatur, & hunc & futurum mundum ſignificat, prout diverſa vocabula ei adjunguntur. Propterea ad Deum accommodatur, quia ille eſt opifex rerum & totius mundi origo. 7. רַחֲמָנָא *miſericors.* Formatione Chaldaica ab Hebræo רַחוּם deſcendit, & ab Interpp. Chaldæis Ex. 34. v. 6. illius loco uſurpatur.

CAPUT

CAP. IV.

De quæſtione, An ſit Deus?

58. Primò omnium præſupponimus, quòd *Eſſe Deum, rectè & neceſſariò demonſtretur.* Videri alicui poterat, quæſtionē illam in Eccleſia eſſe otioſam, cùm omnibus ootum & conceſſum ſit, eſſe Deum, nec ulla gens tàm barbara ſit, quæ Deum eſſe eundemque colendum eſſe, neget, licet quomodo colendus ſit, ignoret, adeoque omnibus naturaliter inſita ſit Dei notitia, ut Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 1. ex cap. 1. Rom. concludit. Sed nihilominùs ſtatuendum τὸ ὅτι, ſive quòd ſit Deus, probandum eſſe.

1. Probandū eſt, eſſe Deum.

1. *adeorum, qui Deum eſſe negant confutationem.* Claſſes eorum duæ ſunt; quidam enim id negant immediatè, idque vel *directè*, quales fuerunt Diagoras Melius cognomento ἄθεος, & Theodorus Cyrenaicus (teſte Cicerone lib. 3. de Nat. Deor. circ. fin. Auguſt. lib. 3. contra literas Petilian. cap. 21. & Lactantio lib. 1. div. Inſt. cap. 2.) Irenæus lib. 2. cap. 19. addit Anaxagoram, quem ipſum quoque ἄθεον cognominatum fuiſſe aſſerit. Epiphan. in epit. veræ doctrin. pag. 484. Protagoram, quem dixiſſe ait, nullum omninò Deum eſſe, de quo tamen Cic. libr. 1. de Nat. Deor. & Laërt. in ipſius vita aliter ſcribunt. Zuing. in theatro vitæ volum. 17. lib. 7. pag. 3188. multa talium hominum exempla recenſet. Vel *obliquè*, quales fuerunt, qui dubitarunt, ut Protagoras, qui librum quendam exorſus eſt in hanc ſententiam, *Dij ſint nec ne, ſatis ſtatuere non poſſum*, quem librum cùm Athenis recitaſſet, in exilium actus eſt, & ſcripta ejus publicè exuſta, teſte Laërtio in ipſius vita. Quidam verò mediatè & indirectè Deum negant, utpotè qui ipſius providentiam negant. Pſalm. 14. verſ. 1. Pſalm. 53. v. 1. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, ubi Auguſtinus in commentario notat, proptereà *in corde* ſive in mente id ab aliquibus dici, quia verè non audent tales quoque ſuam impiam ſententiam exprimere. Negari autem ab illis Deum, qui providentiam ejus negant, eleganti ſimilitudine demōſtrat Eraſmus in Symbol. catech. 2. p. 55. *Quemadmodum* (inquit) *levius indignareris illi, qui putaret, ſe non eſſe natum, quàm qui crederet, ſibi non eſſe ſenſus aut mentem humanam, aliaq; ſine quibus homo nomen hominis amittit, ſic turpius errat, qui providentiam, quam qui DEUM ipſum negat.* Moſes quidem de hoc principali fidei fundamento, videlicet quòd ſit Deus, ex profeſſo nihil tractat, ſed ſimpliciter dicit, *Deum creaſſe cœlum & terram.* Scribebat enim populo Dei, cui non erat multis argumentis oſtendendum, quòd ſit Deus, proptereà quòd jam antè in cognitione Dei multis rationibus erat inſtructus, præſertim ex νομοθεσίᾳ. At alia ratio eſt infidelium extra Eccleſiam. 2. *ad fidei noſtræ confirmationem.* Thomas p. 1. q. 2. art. 2. reſp. ad 1. ſcribit, *non eſſe fidei articulum, quòd ſit Deus, ſed præambulum ad articulos.* Contrarium docet Apoſtolus Heb. 11. verſ. 6. *credere oportet accedentem ad Deum ὅτι ἔστι, quòd ſit & quòd inquirentibus ſe remunerator ſit*, in quem locum Theophyl. ſcribit, *Deum eſſe, per fidem tenemus.* At hæc fides ex verbo Dei haurienda, & ejuſdem meditatione confirmanda. In gravibus & ſerus tentationibus, inquit. Dn. Chemnicius, omnes ſumus vel Epicuræi, vel Stoici, confirmandus igitur animus conſideratione dictorum, quæ teſtantur & eſſe DEUM, & providam rerum humanarum curam eundem gerere. 3. *ad naturalis notitiæ perfectionem.* Quamvis enim Naturâ notum ſit, eſſe DEUM, tamen naturalis illa notitia eſt imperfecta, languida, & reſpectu revelatæ ferè nulla. Quòd *imperfecta* ſit, patet hac ratione. Quæ de DEO cognoſcimus, revocari poſſunt ad quatuor capita, *eſſe, velle, poſſe, operari.* Eſſe Dei, conſiſtit in eo, quod ſit unus in οὐσίᾳ, trinus in hypoſtaſi, prius aliquo modo naturaliter cognoſcitur, poſterius verò nullo modo, ſed ex mera revelatione innoteſcit. Velle Dei duplex eſt, Legale & Evangelicum, illud quoddammodo cognoſcitur, hoc verò eſt *myſterium ab æternis temporibus tacitum* Rom. 16. verſ. 25. dico quodammodò velle legale agnoſci, quia diſtinguenda eſt obedientia legis exterior ab interiore. illam naturalis notitia monſtrat, hanc verò nequaquam. Rom. 7. verſ. 7. *peccatum non cognovi niſi per legem.* Poſſe Dei per notitiam oaturalem quodammodò cognoſci, patet ex Rom. 1. verſ. 20. non autem plenè & perfectè cognoſci, colligitur ex evidenti dicto Apoſtolico Eph. 3. v. 17. *Deus plura poteſt præſtare, quàm nos intelligimus.* Operari Dei duplex eſt. Internum & hypoſtaticum, quod omni Naturæ penitùs incognitum, Patrem ab æterno genuiſſe Filium, & ab utroque procedere Spiritum ſanctum, myſterium eſt angelorum & hominum intelligentiam excedens. Externum complectitur, tùm mundi & omnium quæ ſunt in mūdo creationem, tùm generis humani redemtionem. Ad creationem pertinet etiam conſervatio & guberoatio rerum creatarum, quæ oon niſi probabiliter â gentilibus ex Naturæ lumine fuit cognita, ſed redemtionis opus penitùs fuit ipſis incognitum. Ad quam claſſem poſteriorem pertinent omnia Dei opera in Eccleſia, vocatio, juſtificatio, ſanctificatio, glorificatio, quæ non niſi in lumine gratiæ innoteſcunt. Languidam eſſe naturalem Dei notitiam tùm Ethnicorum exemplo, tum propriâ experientiâ confirmatur, inde gentilibus ignorantia potiùs, quàm vera & ſalutaris Dei notitia tribuitur. Sap. 13. verſ. 1. *Vani omnes homines Naturâ, quibus adeſt Dei ἀγνωσία.* Actor. 17. v. 23. *ignorantes colitis.* 1. Theſſ. 4. verſ. 5. vocatur *ignorantia Dei* & Eph. 2. verſ. 12. gentiles *ſine Deo* vivere dicuntur, nimirum quia notitia illa eſt inſufficiens ad ſalutem & reſpectu revelatæ ferè nulla. Vide locum de Natura Dei §. 17. Cùm ergo naturalis Dei notitia ſit imperfecta & languida, utique ex verbo divinitùs patefacto confirmanda, perficienda & adimplenda eſt, ex quo patet, quid reſpondendum ſit ad argumentum initiò propoſitum. Quod naturaliter notum, nullâ indiget probatione. Deum eſſe naturaliter notum. E. Thomas p. 1. q. 2. art. 9. paulò aliter reſpondet, videlicet *hanc propoſitionem Deus eſt, eſſe quidem per ſe notam ſecundùm ſe, cùm illius prædicatum EST ſit de intrinſeca ratione ſubjecti, putà Dei, qui eſt ſuum eſſe: non autem eſſe per ſe notam ſecundùm nos, quia nos ſcimus quidditatem & rationem ſubjecti ejus propoſitionis, atque adeò nec connexionem ejus cum prædicato, ſicut ſcimus in illa. Quodlibet eſt aut non eſt, & aliis ejuſmodi communiſſimis principiis, quæ ideò ſunt per ſe nota non ſolùm ſecundùm ſe, ſed etiam ſecundùm nos, quia ſignificant res communiſſimas, quarum quidditates nemo*

nemo non perſpectus habet, itaque quâ parte propoſito hac, Deus eſt, non eſt per ſe nota ſecundum nos, indiget maximè probatione, qua perſuadeat convenire Deo, ut ſit etiam ſecundum imperfectam illam notitiam, quam concipimus audito Dei vocabulo. Quam Thomæ reſponſionem latiùs declarat, & contra reliquos Scholaſticos confirmat Gregor. de Valent. diſp. t. q. a. punct. 1.

2. Eſſe Dei probatur tum ex Natura, tum ex Scriptura.

59. a. Eſſe Deum demonſtrari poteſt tùm *ex Natura*, tùm ex *Scriptura*, unde notitia Dei juxta Auguſtinum libr. 8. de civit. Dei cap. t. diſtinguitur in *naturalem & revelatam*. Weidn. in locis fidei Chriſt. præcip. tract. 3. pag. 439. triplicem ſtatuit Dei cognitionem 1. *Cognitionem rationis*, quam inveſtigamus per creaturarum Intuitum, de qua R. Moſe Ægyptius in tractat. More dicit: *Nulla prorſus via eſt, quâ creatorem cognoſcimus, niſi in operibus ſuis.* 2. *Cognitionem devotionis*, quæ fit per verbum, ex cujus prædicatione cognitio fidei oritur. 3. *cognitionem glorificationis*, quæ fit in vita æterna 1. Corinth. 13. verſ. 12. Alii ſtatuunt quadruplicem divinæ cognitionis librum. 1. Φύσεως, *Natura*, ad quem pertinent *κοιναὶ ἔννοιαι* menti naturaliter impreſſæ. 2. *κτίσεως*, *creatura*, ad quem pertinet intuitus & contemplatio creaturarum. 3. γραφῆς, *Scriptura*, ad quem referẽda divina in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis revelatio. 4. ζωῆς, *vita æterna*, ad quem pertinet clara & intuitiva Dei viſio in vita æterna expectanda. Sed prætermiſſâ cognitione glorificationis & libro vitæ æternæ, qui cognitionis modus in hac vita tantùm ſperatur, non autem plenâ & actuali poſſeſſione obtinetur, reliqui tres optimè revocari poſſunt ad hæc duo capita, ad librum ſcilicet Naturæ & Scripturæ. Tertullianus libr. 1. contra Marc. pag. 175. *Nos definimus Deum primò Naturâ cognoſcendum, deinde doctrinâ recognoſcendum. Naturâ ex operibus, doctrinâ ex prædicationibus.* Auguſtinus in Pſalm. 34. *Duo ſunt, qua in cognitionem Dei ducunt, Creatura & Scriptura.* Quæ ex Natura de Deo cognoſci poſſunt, et ipſo actu cognoſcuntur, vocantur τὰ γνωστὰ Rom. 1. v. 19. quæ ſolâ revelatione innoteſcunt, vocantur τὰ πιστὰ Thom. lib. 1. contra gentil. c. 3. *Quadam ſunt nota de Deo, qua communem facultatem humana rationis excedunt, & nonniſi per revelationem ſunt cognoſcibilia, utpotè Deum eſſe unum & trinum, Chriſtum eſſe Deum & hominem: quadam verò ſunt demonſtrabilia,* ad quæ etiam ratio naturalis quodam modo pertingere poteſt, ut Deum eſſe, Deum eſſe unum, verum, bonum, juſtum.

3. Notitia Dei naturalis eſt vel innata vel acquiſita.

60. 3. *Liber Natura* docendi cauſa poteſt ſtatui duplex, *internus & externus*, unde notitia naturalis dividitur in ἔμφυτον *innatam* ſive inſitam, & ἐπίκτητον, *acquiſitam*. Illam vocant *ſubjectivam*, hanc *objectivam*. Notitia inſita originem habet ex κοινοῖς ἐννοίαις, quæ amiſſæ imaginis divinæ ſunt obſcura quædam rudera ac veſtigia amiſſæ illius lucis, quæ in hominis mente ante lapſum fulgebat, quædam ſcintillulæ, per quas communis & anticipata illa notio, *quòd ſit DEUS*, omnium hominum mentibus naturaliter eſt inſculpta. Eas ergò referimus ad librum Naturæ internum, ad quem etiam pertinet liber συνειδήσεως internum conſcientiæ teſtimonium, quod Scholaſtici vocant συντήρησιν; Nam ex principiis nobiſcum natis practicus ille Syllogiſmus in corde cujuſvis hominis oritur. Qui vitam degit impiam, ſentiet Dei vindicis iram & pœnam. Ratio pendet ex eo, quia omnibus naturaliter inſculptum, Deum eſſe, Deum eſſe colendum, Deum eſſe ſcelerum vindicem. Subſumit conſcientia impii. Ego vitam flagitioſam duxi. Acquiſita notitia ex libro Naturæ externo, videlicet ex contemplatione operum & effectuum divinorum vi naturalis diſcurſus à mente humana colligitur. Ut enim ex pluribus literis, ita ex pluribus creaturis quaſi liber quidam componitur, cùm quælibet creatura non ſit niſi quædam litera digito Dei ſcripta, in quo legere, & ex lectione Deum cognoſcere poſſumus. Hoſce divinos effectus Dn. Schröderus ad duodecim fontes revocat, eoſdemque latè explicat, ut apud ipſum videre eſt part. a. de princ. Theol. pag. 185. Cic. libr. 2. de Nat. Deor. quatuor argumenta enumerat. 1. ex præſenſione rerum futurarum. 2. ex commodis, quæ percipiuntur, cœli temperie, terrarũ fœcunditate. 3. ex terroribus animorũ ob fulmina, peſtẽ, terræ motus, cõetas &c. 4. ex corporib. cœleſtib. perpetuo atq; æquabili eorũ motu, siderũ diſtinctione, utilitate, pulchritudine & ordine. Alii novem conſtituunt probationum claſſes. 1. à Naturæ ordine. 2. à mente humana. 3. à diſcrimine honeſtorum & turpium. 4. à veritate notitiarum naturalium. 5. à terroribus conſcientiæ. 6. à politica ſocietate. 7. à cauſarum ſerie. 8. à futurorum ſignificationibus. 9. à cauſis finalibus. (ubi tamen confunduntur ea, quæ ad inſitam Dei notitiam pertinent cum illis, quæ ad acquiſitam propriè referenda.)

61. Prodeſt autem, quaſdam demonſtrationes in conſpectu habere, ut collatio cum notitia revelata inſtitui poſſit. 1. *à moventium ordine.* Senſu percipimus, aliqua in hoc mundo moveri, omne autem quod movetur, neceſſe eſt ab alio moveri, cùm nihil poſſit eſſe ſimul actu & potentiâ ſecundùm idem, ſed in moventibus ac motis non datur proceſſus in infinitum, quia non eſſet aliquod primum movens, & per conſequens nec aliquid aliud, quia moventia ſecunda non movent, niſi per hoc, quod ſunt a primo motu. Neceſſe igitur eſt, devenire ad unum primum motorem, quem Deum vocamus. Hac demonſtratione utitur Philoſophus lib. 7. & 8. φυσικ. ἀκροασ. 2. *ab efficientium ſerie.* Invenimus in his ſenſibilibus eſſe ordinem cauſarum efficientium nec tamen in eis invenitur, nec eſt poſſibile aliquid eſſe cauſam efficientem ſui ipſius, quia ſic eſſet prius ſeipſo, quod eſt impoſſibile. Cùm ergò in hujuſmodi cauſis non detur proceſſus in infinitũ, ex eo quod ſecundæ cauſæ non agunt, niſi in virtute primæ, neceſſe eſt dare aliquam primam cauſam efficientem, quam omnes Deum vocant. Ariſt. a. metaph. text. 6. 3. *ab Entium gradu & connexione.* In rebus creatis invenitur aliquod magis bonum ac minùs bonum, aliquod magis Ens ac minùs Ens. At hoc non poteſt in diverſis bonorum & entium generibus locum habere niſi prout quodlibet eorum magis vel minùs appropinquat alicui ſummo bono ac ſummo enti, oportet ergò eſſe aliquod optimum & nobiliſſimum Ens, quod communi conſenſu Deum vocamus. Anſh. in monol. cap. 1. Huc pertinet etiam ea demonſtratio. Quæcunq; ſunt, ea aut omnia ſunt poſſibilia, aut non. Si omnia ſunt poſſibilia, ſequitur quod quandoque ἁπλῶς nihil fuerit, poſſibile n. eſt, quod poteſt eſſe, & aliquando non fuit, nam ſi ſemper fuit, non poſſibile; ſed neceſſarium fuit. At multis modis

abſurdum eſt, aliquando ſimpliciter nihil fuiſſe. Ergò ſequitur, non omnia eſſe poſſibilia, ſed ad minimum ſemper aliquid fuiſſe, quod fuit neceſſarium. Hoc autem vel habet neceſſitatis cauſam, vel non. Si habet, tandem deveniemus ad aliquid, quod eſt neceſſarium per ſe, cùm progreſſus in infinitum ſit impoſſibilis. Si per ſe eſt neceſſarium, cauſam neceſſitatis non habet, ſed potiùs eſt cauſa neceſſitatis in aliis, idipſum autem eſt ſummum Ens, quod Deum vocamus. Rich. lib. 1. de Trin. part. 1. cap. 7. 4. *ex certa propter finem operatione*. Videmus non ſolùm Entia ratione prædita, ſed etiam ea, quæ cognitione carent, operari propter certum finem, quia ſemper aut frequentiùs eodem modo operantur, ac fines ſuos per debita media conſequuntur, unde patet, quòd non fortuitò, ac caſu agant, ſed ab intentione alicujus intellectus eas dirigentis operationes illæ procedant, quem intellectum vocamus Deum. Ariſt. 12. metaph. t. 52. & ex eo Thom part. 1. q. 2. art. 3. 5. *ex naturali inclinatione*. Nulla inclinatio naturalis poteſt eſſe fruſtranea. At naturaliter omnes homines inclinantur ad credendum, aliquem eſſe hujus univerſi gubernatorē, quem Deum vocant, quod autem omnibus & omni tempore convenit, naturale eſſe videtur. Præterea in repentinis cujuſque habitus & inclinatio naturalis maximè dignoſcitur, at in periculis repentinis omnes homines, ubi ſe humano auxilio deſtitutos cognoſcunt, naturali quodam inſtincto ad ſuperiora convertuntur, ergò naturaliter ipſis inſitum, quòd ſit aliquod ſummum rerum principium, & gubernator univerſi. Savan. de verit. fid. libr. 1. cap. 6. D. Apoſtolus Actor. 14. verſ. 17. monſtrat hoſce fontes naturalium demonſtrationum, ex quibus Deum eſſe probari poſſit. 1. *à rerum productione. 2. à conſervatione. 3. à gubernatione 4. a beneficiorum in genus humanum collatione. 5. a mentis humanæ conditione. 6. à politica conſociatione*, quà de re paulò pòſt pleniùs. Lactantius libr. 1. div. Inſtit. cap. 2. *Nemo eſt tàm rudis, tam ferus moribus, qui oculos ſuos in cœlum tollens, tametſi neſciat, cujus Dei providentià regatur, hoc omne quod cernitur, non aliquem tamen eſſe intelligat 1. ex ipſa rerum magnitudine. 2. motu. 3. diſpoſitione. 4. conſtantià. 5. utilitate. 6. pulchritudine. 7. temperatione.*

4. Liber Scriptura certiora ſuppeditat fundamenta notitiæ

62. 4. *Liber Scriptura* & plura & certiora ſuppeditat fundamenta, quibus probatur Deum eſſe, unde notitia revelata perfectior & firmior redditur. Tertullian. in Apolog. cap. 18. *Quò pleniùs & impreſſiùs tàm ipſum* (Deum) *quam diſpoſitiones ejus & voluntates adiremus, inſtrumentum adjecit literatura. ſi quid velit de DEO inquirere, & inquiſitum invenire, & invento credere, & credito deſervire.* Poſſunt autem hæc fundamenta revocari ad ſequentia capita. *1. ad ipſa divina oracula*. In ſingulis ferè Scripturæ ſacræ paginis de verbis & operibus Dei agitur, ac Deus de ſeipſo luculentiſſimum edit teſtimonium, cùm & idoneus & ſufficiens ſit ſui ipſius teſtis. *2. divina nomina*, quibus DEUS ſeipſum tùm *immediatè* tùm *mediatè* per viros ſanct. deſcribit. illis enī oportet aliquod ſūmū Ens. verè exiſtēs reſpōdere *3. divina beneficia*, quæ Deus tùm *generaliter* in totū genus humanū, tùm *ſpecialiter* in Eccl. confert, ubi notandū, Deum omnibus ſeculis peculiaribus quibuſdam beneficiis erga Eccleſiā ſeſe pateſeciſſe, iiſdemq; verbum promiſſionis confirmaſſe. Sic in V. T. populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxit, in N. T. Filium miſit, & per eum redemtionis opus præſtitit. *4. miracula*, θαυματουργίας & magnifica Dei opera, quibus majeſtatem & potentiam ſuam omnibus temporibus pateſecit. 5. *divina vaticinia* & immota eorum certitudo, quia multis ſeculis per Prophetas prædixit, quæ poſteà contigerūt Eſai. 41 v. 22. &c. 6. *impiorum ſupplicia*, quibus juſtitiam ſuam maniſeſtavit, ſeq; vindicem ſcelerum eſſe clariſſimè demonſtravit Pſalm. 58. v. 12. quò pertinet diluvium, Sodomitarum excidium, pœnæ Iſraëlitarum in deſerto &c. 7. Deniq; *divinarum patefactionum frequentia*, apparuit enim Patriarchis, iniit cum illis fœdus, miſit Prophetas. tandem etiam ipſum Filium ſuum, in cujus Baptiſmo circa Jordanem mirabilis θεοφάνεια contigit.

63. Circa hanc naturalem Dei notitiam 1. quidam peccant in defectu, qui eam planè negant, quod faciunt Neophotiniani, (quorum πρωτον ψεῦδος & origo erroris videtur ex eo pendere, quod negant primum hominem ad immortalitatem eſſe conditum, & juſtitiam quandā originalem habuiſſe, cujus divinæ imaginis reliquiæ ſunt notitiæ naturales) ſic n. Socin in præl. c. 2. p. 3. *Receptior hodiè ſententia eſt hominis naturaliter ejusq; animo inſitā eſſe divinitatis alicujus opinionem, cujus vi cuncta regantur ac gubernentur, quæq; humanarum rerum inprimis curam gerat, hominibus conſulat atq; proſpiciat, quam ſentētiam nos falſam arbitramur.* Similia occurrunt in reſp. ad objectiones Cuteni 5. p. 86. Oſtorod. Inſt. c. 7. p. 10. Daß die Menſchen von Gott oder von der Gottheit etwas wiſſen/ das habē ſie nicht von der Natur/ noch aus Betrachtūg der Schöpffung/ ſondern vō Hören ſagen/ ſintemal ſich Gott von Anfang den Menſchē offenbahret hat. Photinianis ex parte ſuffragantur, vel certè fomēta ſuppeditant 1. Toſtatus, qui in c. 5. Exod. latè diſputat, *an ſit per ſe notum, eſſe Deum*. Tandem concludit, *poſſe ex Natura colligi, eſſe aliquod ſummum Ens omnium optimum rerum, ac perfectiſſimū, ſed poſſe ignorari, an illud ſit incorporeum, omnia intelligens, liberè agēs, infinità poteſtate præditū*, idq; colligit ex eo, quod Pharao dicit: Quis eſt Dominus? 2. Flacius part. 1. Clavis in voce legis col. 563. *Quod aliqua vera principia aut notitia unius Dei, ejusq; gubernationis ſunt adhuc in homine, concedi nō debet.* col. 566. *hominē de Deo Naturā non pluſ ſcire, quam brutū.* 3. Vorſtius in Exeg. apolog. c. 1. *Notitia innata non eſt actualis nec habitualis, ſed tantum potentialis, hoc eſt. ipſa tantùm cognoſcendi potentia.* 4. Errant etiam illi, qui temerè & indiſtinctè pronunciant, *falſum eſſe ac dici, ſi gentiles affirment Deum eſſe æternū, omnipotentem &c.* cùm Apoſtolus dilertè vocet Dei veritatem Rom. 1. verſ. 18.

64. Hunc Photinianorum errorem antequam oppugnemus, rectè prius formādus controverſiæ ſtatus. Non enim quæſtio eſt. 1. an ex Naturæ libro talis Dei notitia haberi poſſit, quæ ſit *ad ſalutē ſufficiens*, id quod contra Cinglium, Gualtherum & alios ſtrenuè negamus, ſed id duntaxat quæritur, an *aliqua* duntaxat inchoata ſcil. & rudis Dei notitia ex principiis naturaliter inſitis & ex creaturarum contemplatione hauriri poſſit. 2. Nec quæſtio eſt, an ad naturalem illam notitiam Dei, quam ſtatuimus, revelatio quædam, generaliter ſic dicta, requiratur, quia Apoſtolus, quando Rom. 1. v. 19. de naturali Dei notitia diſſerit, utitur hac phraſi: ὁ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε, ſed id duntaxat quæritur, an ad omnem omninò Dei notitiam ſpecialis revelatio in verbo & apparitionibus divinis requiratur. Pa-

tur. Patefactio vel eſt generalis facta in mundi creatione & legis in corda ſcriptione, vel ſpecialis in verbi revelatione. 3. nec quæſtio eſt, de τοῦ τί ἐςι, an naturaliter homo ſcire, & quidem perfectè ſcire poſſit, quid ſit Deus, ad quod etiam Trinitatis cognitio pertinet, ſed de τοῦ ὅτι ἐςι, quòd ſit Deus. 4. nec quæſtio eſt de legitimo ac debito divini cultus modo, an homo ex Natura diſcere poſſit, quomodo ita colendus ſit Deus, ut ſit ipſi gratum, homini autem ſalutare ac ſalutiferum, id enim tantùm ex verbo patefacto cognoſcitur, ſed duntaxat de ipſo cultus debito, quòd ſc. Deus ſit, & quòd ab hominibus coli debeat. 5. nec quæſtio eſt de voluntate Dei ſpeciali, an homo ſpecialem illam Dei voluntatem in myſterio redemtionis per Chriſtum Mediatorem, olim præſtandæ, hodiè v. præſtitæ propoſitam & in Evangelio patefactam ex Natura cognoſcere poſſit ſed tantùm de generali voluntate in lege propoſita, an ſc. quodammodo naturaliter eã homo cognoſcat. 6. Nec quæſtio eſt, an Deus aliquam ſui ideam in animis hominũ formaverit, quâ ſciant, quis ſit Deus, ſed de naturali inſtinctu, quo ipſâ Naturâ duce feruntur, ut ſtatuãt eſſe Deum, eumq; eſſe colendum. 7. Deniq; & hoc monendum, quando Oſtorodus dicit, homines non ex Natura, nec ex conſideratione creaturarũ, ſed ex auditu & aliorum relatione unicè id habere, quicquid de Deo aut Divinitate ſciunt, tùm terminum illum *auditus* eſſe ambiguum. Si enim hoc vult Oſtorodus, quòd ad omnem Dei notitiam requiratur ſpecialis Dei patefactio per verbum, id omninò negemus. ſi verò auditus nomine intelligatur doctrina & inſtitutio à majoribus, ſolam Naturam Magiſtram ſecutis hauſta, tùm dicimus eandẽ non minus quàm principia nobiſcum nata & creaturarum conſiderationem ad notitiam naturalem pertinere. Quamvis verò diſtincta ſint argumenta, quibus tùm inſita, tùm acquiſita notitia Dei naturalis demõſtretur, tamen cùm Photiniani utramq; negent, ideò ſufficit nobis contra Photinianos probare, quòd ſit aliqua naturalis Dei notitia, ex quocunq; tandem principio ea oriatur, ſive ex naturali inſtinctu, ſive ex creaturarum intuitu, ſive ex aliorum, qui Naturam Magiſtram unicam ſecuti ſint relatu. Id verò demonſtramus 1. *Scriptura dictis*, 2. *rationibus*, 3. *adverſariorum confeſſione*.

Naturalis Dei notitia probatur 1. ex Scriptura dictis 1. ex Jobo.

65. *Scriptura dicta* in tres claſſes diſtribuimus. Primam *ex Jobo*, ſecundam *ex Pſalte Regio*, tertiam *ex D. Apoſtolo Paulo* petimus 1. Job. 12. v. 7. *Et verè interroga quæſo jumenta, & docebunt te, & volatile cœlorum, & indicabit tibi.* v. 8. *loquere terræ, & docebit te, & narrabunt tibi piſces maris.* v. 9. *Quis non novit ſecundùm hæc omnia, quòd manus DOMINI fecit hoc?* verſ. 10. *cujus in manu omnis anima viventis & Spiritus omnis carnis viri.* Duplex poteſt eſſe horum verborum cum præcedentibus connexio. v. 6. dixerat Jobus, *proſperè agunt tabernacula prædonum, & ſecura ſunt provocantibus Deum & ei, qui producit Deum manu ſuà*, id eſt. prædones & impii in hac vita rebus ſecundis utuntur, habent pacatas domos, & ſummâ fruuntur tranquillitate, ex quo Epicuræi colligunt, non eſſe Deum vindicem ſcelerum. nec eſſe providentiam divinam, ſicut Ethnicus Poëta canit: *Cùm rapiãt mala fata bonos, ignoſcite faſſo, Sollicitor nullos eſſe putare Deos*, ſed illis Epicuræorũ cogitationibus Jobus opponit conſiderationem creaturarum, ex quibus clarè conſpici poſſit, eſſe DEUM omnium creatorem, conſervatorem & gubernatorem, ac per adverſativam & aſſeverativam particulam אולם *veruntamen, profectò, certè*, docet muniendum eſſe animum contra tales Epicuræorum cogitationes & irriſiones contemplatione creaturarum. Poteſt etiam talis dari connexionis ratio cap. 11. v. 8. Tſophar verbis ampulloſis dixerat, *ad cœlum usque pertingere Dei ſapientiam, eſſe inferno profundiorem, terra longiorem, & maris latiorem*, Jobus igitur reſpondet, non eſt neceſſe, longiùs arceſſere documenta divinæ ſapientiæ & majeſtatis, cùm inferiora illa, quæ omnium oculis patent, ſatis ſuperque de ea teſtentur, ſive enim ſtructuram & compagem membrorum in animalibus ſive virtutes herbarum, ac terrâ naſcentium conſideremus, utique manifeſta divinæ ſapientiæ elucere teſtimonia, unde cap. 39. verſ. 1. DEUS ipſe adducit quædam inſignia & admiranda opera in creaturarum conſervatione & gubernatione. Figuratâ igitur loquendi conſuetudine jubet ſanctus vir jumenta & aves interrogari, terram compellari, quia ex his abundè per diligentem conſiderationem & meditationem liceat creatoris ſapientiam, bonitatem & potentiam cognoſcere. Conjunge Sap. 13. verſ 3. Eccleſ. 43. verſ. 1. &c. Ex quibus ſic concludimus. Si ex conſideratione creaturarum poteſt perveniri ad cognitionem aliqualem creatoris, utique datur naturalis aliqua Dei notitia. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Majoris connexio eſt certa, quia creator ille non eſt alius quàm verus Deus, ſiquidem non ſolùm Scriptura, ſed & Natura docet Ens increatum, à quo omnia ſunt creata, eſſe ipſum Deum. Minor diſertis verbis à Jobo aſtruitur & confirmari poteſt generali axiomate. Omnis effectus præſupponit & arguit ſuam cauſam, ex effecti enim conſideratione non ſolùm innoteſcit cauſæ exiſtentia, ſed etiam quodammodo ejus Natura, cùm nihil ſit in effectu, quod non prius fuerit in cauſa vel formaliter vel virtualiter & eminenter. Si Protogenes ex tenuitate & ſubtilitate lineæ in tabula ducta Apellem ſummum artificem cognovit, referente Plinio lib. 35. N. H. cap. 10. quantò certiùs nos ex pulcerrimis cœli luminibus & motuum conſtantia ac varietate creatorem agnoſcere poſſumus? Si ex horologiorum mirabili fabrica & certis motibus ſapientiam artificum agnoſcimus & miramur, cur non ex cœlorum mirando & ſtupendo opificio Dei creatoris ſapientiam agnoſceremus: *Quis neſcit*, inquit Jobus, quod *manus Dei fecerit hæc omnia*, q. d. vel rudiſſimus quisque agnoſcit hæc eſſe opera manuum divinarum. Puerile foret ac ridiculum, ſi quis pictoris tabulam miretur, pictorem autem ejusque artem non laudaret.

66. Excipit Socin. in prælect. c. 2. f. 4. *Præſtantiſſimos Philoſophos, puta Ariſtotelem & alios hanc mundi machinam non aſpexiſſe modo, ſed diligentiſſimè inquiſiviſſe, nec tamen eò pervenire potuiſſe, ut Deum inferiora vel etiam homines curare ſuſpicarentur, nec mundum à Deo creatum fuiſſe aſſequi potuiſſe, quin potius planè negaſſe.* Reſp. 1. imò verò Ariſtoteles lib. 7. & 8. Phyſ. acroaſ. & 12. Metaph. ad primum motorem & primam cauſam agnoſcendam ex conſideratione moventium ſecundorum ab alio motorum & cauſarum ſecundarum manifeſtè aſcendit. Si liber de mundo eſt Ariſtotelis, negari nequit & creationem & providentiam ipſi fuiſſe quodammodo cognita. 2. Quãvis ex principiis nobiſcum natis & ex creaturarum

contemplatione non ſolùm Dei eſſentia, ſed etiam ipſius providentia quodammodo cognoſci poſſit, tamen cognitio illa divinæ providentiæ ex Naturæ libro petita in animis gentiliũ fuit labefactata conſideratiõe illius inæqualitatis, quod boni ſæpè peſſimâ, mali contra optimâ frui vidẽtur fortunâ Iob. 21. v. 7. & 8. Pſal. 73. v 17. &c. 3. Diſtinguendum etiam inter cognitionem creationis & ipſius creatoris Quamvis enim ex ſola creaturarum contemplatione non poſſit aſcendi ad cognitionem creationis ſpecialiter & propriè ſic dictæ, quod Deus certo tempore ſex diebus ex nihilo omnia creaverit. Hebr. 11. v. 3. *fide intelligimus, aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus fierent viſibilia*, tamen ad creatoris cognitionem ex inſpectione creaturarum perveniri poteſt, quod ſcil. ſit aliquod ſummum & increatum Ens, à quo omnia emanarint. 4. Ex negatione actus ſecundi non poteſt progreſſus fieri ad negationẽ actus primi ſive ipſius facultatis. Sic cœci, ſurdi, claudi, &c. actu ſecũdo non vident, audiunt, ambulant, interim ex eo inferri nequit, quòd ipſa facultas videndi, audiendi, ambulãdi ipſis ſimpliciter deneganda ſit, ex accidenti enim, ex vitio ſcil. organorum contingit, ipſos uſu ſive actu ſecundo facultatis non autem ipſâ facultate deſtitui. Pari ratione naturalis Dei notitia ratione actus primi omnibus competit, tùm quia omnibus eſt inſita, tùm quia ex creaturarum contemplatione omnes eam colligere poſſunt, ſed ratione actus ſecundi in quibuſdam opprimitur, & ut Apoſtolus loquitur Rom. 1. v. 18. *Detinetur in injuſtitia*, ex accidenti ſcilicet per Diaboli excœcationem, per peccati dominium, per malitioſam ignorantiam, &c.

2. *in Pſalmis.* 67. 2. Pſal. 19. v. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei & opus manuum ejus annunciat firmamentum*, ubi Pſaltes Regius conjungit utrumque medium divinæ cognitionis Naturam & Scripturam, patefactionem in creaturis & in Propheticis libris de priore agit in prima, de poſteriore in ſecunda Pſalmi parte. Ambroſ. libr. 2. hexaẽm. c. 4. *David Pſ. 19. docet, mundi opus cùm videtur, ſuum prædicare & laudare autorem.* Theodor. in comm. illius Pſ. *Si quis maximum & pulcerrimum ædificium inſpiciens architectum miratur & navigium, videns bonum & optimè constructum artificem conſiderat, & cum contemplatione imaginis memoria pictoris concurrit, multò magis mundi fabricatio quã videl, ad opificem nos videntes deducit.* (Thõ. de Aquin. & Scholaſtici adducunt ex Pſ. 4. v. 6. ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, per quod intelligunt lumen naturalis rationis. Atqui per lumen vultus intelligitur Dei favor, qui expetitur per precationem.) Addimus huic loco frequentem illã in Pſalmis exhortationem, quâ omnes creaturæ non ſolùm rationales, ſed etiam irrationales Deum laudare jubentur. Pſ. 69. v. 35. *Laudent Deũ cœli & terra, maria & omne repens in eis.* Pſ. 103. v. 22. *Benedicite Domino omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus.* Pſ. 148. v. 3. *Laudate Deum Sol & Luna, laudate eũ omnes Stellæ.* v. 4. *laudate eum cœli cœlorum & aquæ quæ ſupra cœlos ſunt.* Pſ. 150. v. 6. *Omnis Spirit. laudet Dominum.* Quamvis n. irrationales creaturæ non laudent Deum *effectivè*, cùm Deum creatorẽ ſuum eo modo non agnoſcant, quo creaturæ rationales Angeli & homines, tamen laudant eum *objectivè*, quia materiam divinæ laudis ſpectantibus exhibent, ex quo ſic inferimus. Quicquid Deum laudat objectivè & materiam divinæ laudis hominibus exhibet, ex ejus intuitu & contemplatione non ſolùm divina eſſentia, ſed etiam Dei ſapientia, bonitas, potentia, majeſtas, &c. cognoſcitur, ratio eſt, quia inde atque ideò creaturæ materiam divinæ laudis non exhibent, quia ſapientiam, bonitatem, potentiam, &c. creatoris nobis proponunt. Jam verò creaturæ laudant Deũ objectivè, id eſt, exhibent materiam divinæ laudis. E. Nazianz. Orat. in Chriſti nativ. 38. p. 588. creaturas nominat *canoros præcones & tacitos laudatores Dei*, cum ſecundùm Theodoret. ſerm. 4. de provid. Dei in pr. tacẽtes *veluti conditorem prædicent, omniumq; linguas ad celebrationem ejus invitent.* Aug. in expoſ. Pſal. 148. in princ. *Sunt quæ Spiritum vitæ & intellectum ad laudandum Deum non habent, ſed quia & ipſa bona ſunt & in ordine ſuo integrè diſpoſita ſunt & ad pulchritudinem univerſitatis referuntur, quam condidit Deus ipſa quidem per ſe voce ſua & corde ſuo non laudant Deum, ſed cum ab intelligentibus conſiderantur, per ipſa laudatur Deus & cum per ipſa laudatur Deus, quodammodo & ipſa laudant Deum.* Et poſtea. *Omnia* (etiam irrationalia) *laudant Deũ, quia cum iſta videmus & conſideramus creatorem, qui ea fecit, de illis naſcitur in nobis laus Dei & cum ipſorum conſideratione laudatur Deus, omnia laudant Deum.*

68. Excipit Socinus d. l. l. *in Pſalmo pro conceſſo ſumi, Deum creaſſe cœlos, idq; ab iis, qui eos aſpiciunt credi, ut in locis illis eveniebat, ubi David autor Pſalmi erat. Et ſenſus eſt, cùm quis cœlos aſpicit ac contemplatur, quos Deum creaſſe novit, Dei ſapientiam atque potentiam inde percipere. Nam niſi Deum pro ipſorum creatore agnoſcat, qui poterit ex ipſis Dei tanquam creatoris gloriam agnoſcere?* Reſp. 1. non de ſolis Iſraëlitis, quibus myſterium creationis ex verbi revelatione notum erat, Pſaltes loquitur, ſed in genere de omnibus hominibus, additur enim verſ. 4. *non eſt ſermo, non verba, ubi non audiatur vox eorum* verſ. 5. *in omnem terram exivit linea eorum & in extremum orbis eloquia eorum.* 2. Quamvis creatio propriè ſic dicta & in Scripturis patefacta non fuerit nota gentilibus ex lumine Naturæ, tamen potuerunt per ſcalam creaturarum aſcendere ad cognitionem ſummi alicujus & increati Entis, à quo omnia ſuam acceperint originem, potuerunt igitur ex cœlorum intuitu gloriam Dei agnoſcere. 3. Conjungendus hic locus Apoſtolicus longè clariſſimus. Rom. 1. verſ. 20. *inviſibilia Dei à creatura mundi τοῖς ποιήμασι νοούμενα conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas*, ubi ex creaturarum inſpectione notitiam divinitatis hauriri poſſe diſertis verbis aſtruitur. 4. Quin imò Pſaltes hoc ipſo in loco illud clariſſimè docet, addit enim; *Et opus manuum ejus indicat firmamentum*, ubi ipſi firmamento ſive cœlo tribuit, quod indicet opus manuum Dei, id eſt, quod ſe à Deo factum eſſe teſtetur, ejusq; potentiam & gloriam manifeſtet, unde Pſal. 8. v. 4. cœli dicuntur *opus digitorum Dei.* Quemadmodum enim artifices in ſubtiliſſimis opificiis digitorum operâ accuratè adhibitâ utuntur, ſic cœli dicuntur opus digitorum Dei, quia facti ſunt בִּתְבוּנָה *in intelligentia.* Pſal. 136. v. 5. Huc referri poteſt, quod Deut. 4. verſ. 19. de Sole, Luna, & Stellis dicitur, quas חָלַק *diviſit Jehovah Deus tuus omnibus populis ſub cœlo*, ut ſc. illis ſerviant & utilitatem illis præſtent. Sed Hebræum חלק ſignificat etiam *blanditus fuit*, ſenſus igitur, quòd Deus illis cœli luminaribus invitet atque alliciat omnes gentes ad ſui agnitionem ac celebrationẽ.

Autor

Autor libri Sapientiæ cap. 13. v. 4. contra idololatras, qui luminaria cœli putaverunt Deos diſputans inquit : *Si virtutem & operationem illorum cœleſtium luminarium mirantur, intelligant ab illis* (& ex illorum intuitu) *quantò qui conſtituit ipſa, potentior eſt*, & addit v. 5. ἐκ μεγέθους καὶ καλλονῆς καὶ κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται, docet igitur ex ipſo cœli & corporum cœleſtium intuitu Deum creatorem agnoſci ab idololatris potuiſſe. Vidit hunc argumenti noſtri nervum Socinus, ideò II. excipit, *annunciare opus eo in loco apud Pſaltem, nec fortaſſè uſpiam alibi, nō ſignificare, indicare eſſe opus, ſed quale ſit opꝰ ſeu celebrare opus*. Reſp. 1. imò verò abſolutè loquitur Pſaltes, *firmamentū annunciat opus manuū divinarū*, non autē qualitatē duntaxat operis. 2 ex ſubordinatis igitur non debent fieri pugnantia. Firmamentum utrumque annunciat, tùm quod ſit opus Altiſſimi, quia aut eſt à ſe aut ab alio , tùm quod magnificum & præclarum opus ſit creatoris, ut conſtat ex parallelis Scripturæ locis. Eccleſ. 43. v. 2. *Superbia altitudinis firmamentum munditia ſpecies cœli in viſione gloriæ*. verſ. 2. *Sol in aſpectu annuncians in glorioſo vas admirabile opus altiſſimi*. verſ. 4. *magnus Dominus qui fecit illum* &c. 3. Verba hæc poſteriora ſunt ἐξηγητικὰ & αἰτιολογικὰ præcedentium, ideò atque inde cœli enarrant gloriam Dei, quia firmamentum annunciat opus manuum ejus. III. Excipit Socinus , *Verbum* annunciat *ad nomen gloriam ſuperiùs poſitum referri poteſt & nomen firmamentum per appoſitionem explicari hoc pacto. Et opus manuū ejus, nempè firmamentum, annunciat gloriam Dei*, ubi provocat ad Zvvinglii verſionem, qui eo modo reddiderit. Reſp. 1. diſſentit hæc expoſitio à priore, eligat ergò Socinus unam, cui inſiſtere velit. 2. eſt pii & cordati Scripturæ interpretis, non quærere, quomodo Scriptura variè torqueri poſſit, ſed quis ſit proprius & genuinus ſenſus. Sine ulla vel probabili ratione fingitur hìc appoſitio & nativus ſenſus deſeritur. 3. Priora verba per accentum athnach, qui eſt diſtinctivus major , ab hoc poſteriore membro ſecernuntur. 4. LXX. ſic reddiderunt: οἱ οὐρανοὶ διηγοῦνται δόξαν Θεοῦ καὶ ποίησιν χειρῶν αὐτοῦ ἀναγγέλλει τὸ στερέωμα. IV. Excipit, *appellatione omnis terræ in ſacris literis præſertim v. in Pſalmis Judæam terram intelligi ſolere*. Pſal. 2. v. 8. Pſal. 45. v. 17. Pſal. 105. v. 7. Reſp. 1. ſi vel maximè in aliis Scripturæ locis συνεκδοχικῶς per כָּל־הָאָרֶץ Judæa alicubi intelligatur, nondum tamen ſequitur, eandem figuram etiam hoc in loco ſtatuendam. 2. Emphaticè enim Pſaltes ipſe exponit, quid per omnem terram hìc velit intellectam, *non eſt ſermo, non verba, ubi non audiatur vox eorum*. Ergò omnium linguarum populis hoſce divinæ majeſtatis præcones conſtituit. Item בִּקְצֵה תֵבֵל *in extremum orbis habitabilis eloquium eorum pertingere* docet. Ambroſ. in comm. Pſal. 18. *Quem enarrant? per ipſum aſpectum. Tacet cœlum, ſed ipſius aſpectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docent. In hunc pariter librum & idiota & ſapiens intueri poterunt, quod idem Propheta intuens dixit. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum, id eſt, non eſt gens neque lingua, qua hanc vocem intelligere non poſſit*. Pſal. 2. v. 8. non agitur de Davide, illi enim non eſt confidendum, ſed de ipſo Chriſto, cujus poſſeſſio ſunt termini terræ non ſolùm Judaicæ, ſed in genere omnis terræ , ut conſtat ex vaticiniis Prophetarum. Pſal. 45. v. 17. itidem de Chriſto in ſenſu literali agitur, cujus regnum non continetur anguſtis Judææ limitibus, ſed in totum terrarum orbem protenditur. Pſal. 105. verſ. 7. confert Socinus cum Pſ. 147. v. 20. & quia in priore loco *judicia Dei* dicuntur in terra univerſa, in poſteriore, non omni nationi. Sicut Iſraëlitis fecit Deum patefeciſſe ſua judicia, ex eo colligit , ſynecdochicos phraſin univerſæ terræ. Pſal. 105. v. 7. accipi, ſed fallitur locorum diſſimilium comparatione, aliud enim eſt Dei judicia eſſe in univerſa terra, id eſt, Deum judicare totum orbem. Gen. 18. v. 25. Act. 17. v. 31. aliud verò judicia. hoc eſt, verbum Dei eloquia divina eſſe nota omni nationi, aliter nomen judiciorum accipitur in Pſal. 105. quæ in Pſal 147. & alia quæſtio eſt de *regno potentiæ*, alia verò de *regno gloriæ* ſive latitudine Eccleſiæ in V. T.

69. 3. Ex D. Paulo Apoſtolo. 1. Act. 14. v. 16. *3 ex Paulo.*
Deus in præteritis generationib. dimiſit omnes gen- *1 Actor.*
tes ingredi vias ſuas, . v. 17. & quidem καί τοίγε *non* *14. v. 16.*
ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens , *Deus non*
de cœlo dans pluvias & tempora fructifera , im- *ſine teſti-*
plens cibo & lætitiâ corda noſtra. Subjectum, de *monio ſei-*
quo Apoſtolus loquitur, ſunt gentiles extra Ec- *pſum reli-*
quit.

cleſiam conſtituti, ut conſtat 1. *ex objecti conſideratione*. Loquitur enim Apoſtolus non ad converſos ex Judæis & gentibus ſive Chriſtianos, ſed ad gentiles Lycaonenſes, Lyſtrenſes &c. 2. Ex *ſubjecti determinatione* v. 16. *Deus omnes gentes dimiſit ingredi vias ſuas*, jam verò gentibus in univerſum omnibus in V. T. non eſt facta talis verbi revelatio, qualis Iſraëlitis. 3 Ex *ſubjecti deſcriptione*. Loquitur Apoſtolus de talibus, qui τὰ μάταια *vanitatem* ſectati fuerunt, id eſt, qui idololatriæ Ethnicæ fuēre dediti, qui adhuc convertēdi erant ad Deum vivum omnium creatorem, quos Deus in præteritis generationibus ſivit ingredi vias ſuas, id eſt, quos ſibiipſis ſuoque genio & ingenio reliquit, nec per verbi prædicationem ad Eccleſiæ conſortiū vocavit. Prædicatū eſt, quod Deus non ſine teſtimonio ſeipſum illis reliquerit. Quamvis non habuerint prædicationem verbi cœleſtis illius teſtimonii , non tamen omni teſtimonio ipſos deſtitutos fuiſſe Apoſtolus aſſerit. Statim autem ſubjungit media illius teſtificationis, quæ complectuntur modum prædicati; *in genere* dicit, quod Deus illis benefecerit, id eſt, quod variis animæ corporis & fortunæ bonis eos cumulaverit *in ſpecie*, quòd defenſionē per Magiſtratum, propagationem generis per cōjugium ipſis conceſſerit, &c. quod pluvias (*temporaneas & ſerotinas*. Jer. 5. v. 24.) & tempora fructifera de cœlo ipſis dederit implens cibo & lætitiâ corda ipſorum, ex quibus beneficiis ipſum benefactorem Deum agnoſcere & potuerint & debuerint, quemadmodum ex rivulis ad fontes deducimur, & qui viam quærit ad mare, fluvium ſibi comitem addit. Sic ergò concludimus. Per quod Deus de ſeipſo gentilibus teſtatur, illud eſt medium, ex quo gentiles Deū cognoſcere potuerunt & debuerunt. Atqui per beneficia in conſervatione, ſuſtentatione & gubernatione hominibus exhibita Deus de ſeipſo teſtatur. E. illa ſunt medium, per quod gentiles Deum cognoſcere poſſunt & & per conſeq. datur naturalis aliqua Dei notitia. Huc pertinet Pſalmus 104. in quo Pſaltes regius ex creaturarū inſpectione & conſideratione ad creatoris cognitionē hōines aſſurgere poſſe cōfirmat.

70. 2. Act. 17. v. 23. apud Athenienſes videt Apo-

 ſtolus

Exegeſis

2. Actor. 17. v. 23. Quem ignorantes colitis, hunc vobis annuncio.

ſtolus aram, in qua ſcriptum erat *Ignoto Deo*. Apud Pauſaniam in Attic. Θεῶν ἀγνώστων βωμοὶ memorantur. quæ invento Epimenidis Cretenſis ſunt erectæ. Cum n. regio illa peſtilentiâ laboraret, conſultaq; oracula Pythia reſponderent, expiari oportere urbem & agros, nec cui Deo ſacrum fieri oporteret dixiſſet, Epimenides, qui tum Athenis erat, juſſit dimitti hoſtias per agros, ſequique eas ſacrificos & quo in loco quæque conſtitiſſet, ibi mactari eam immolarique Deo ignoto propitio. Itaque ex eo tempore etiam ad ætatem Laërtii Diogenes frequentes viſebantur per terram Atticam ſacræ aræ ſine nomine. Lud. Vives in lib 7. de Civ. Dei cap. 17. (de Deo ignoto mirabilem Hiſtoriam refert Viterbienſis citante Wolff. cent. 1. p. 4.) Hac aræ inſcriptione permotus Apoſtolus de vero & vivo Deo Athenienſibus concionari incipit, in qua concione pro aſtruenda naturali Dei notitia multa ſuppeditat argumenta. 1. *Quem ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis*, inquit. verſ. 23. utrunque tribuit Athenienſibus ἀγνοίαν & εὐσέβειαν, ignorantiam & religioſum cultum. Sciverunt quidem eſſe Deum, eundemque eſſe colendum, id quod *aræ extructione* teſtatum fecerunt, ſed ignorarunt, quis ſit ille verus Deus, id quod *aræ inſcriptione* teſtati ſunt. Sic ergò in templis Athenienſium & reliquorum gentilium fuit *iniquitas & veritas*. Iniquitas dum verum Deum non coluerunt, veritas dum Deum quæſiverunt, ut Auguſtinus loquitur. Ex quo ſic concludimus. Si Athenienſes ſolius Naturæ ductu & magiſterio cognoſcere potuerunt, eſſe Deum, eundemque religioſè colendum. utiq; etiam datur quædam naturalis Dei notitia. Sed prius. Ergò & poſterius. Ipſa illa multiplex Athenienſium & reliquorum Ethnicorum idololatria, clariſſimum exhibet teſtimonium, quòd naturali inſtinctu cognoverint eſſe Deum, quamvis quis ſit verus ille Deus, ignorarent. 2. De vero Deo, quem Athenienſibus Apoſtolus prædicabat, ibidem dicit verſ. 27. quòd ideò *det omnibus vitam & πνοὴν inſpirationem & omnia. ac fecerit ex uno ſanguine omne genus hominum habitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum* ζητεῖν τὸν Κύριον ſubintelligè ἵνα. *ut quærerent Deum, ſi fortè eum contrectarent & invenirent*, ubi finem & uſum conſervationis generis humani & politiarum, periodorum in imperiis determinationis habitationum & reliquorum divinæ ſapientiæ, bonitatis & potentiæ operum Apoſtolus conſtituit eum, ut beneficiorum illorum conſideratione excitemur ad Deum quærendum, ex quo ſic concludimus. Quod ad veri Dei inveſtigationem nos deducit, illud eſt medium τῆς θεογνωσίας. Sed opera & beneficia Dei in gubernatione mundi deducunt nos ad ipſius inveſtigationem. Ergò. 3. Ibidem Apoſtolus dicit. *Deum non longe abeſſe ab unoquoque noſtrûm, cum in ipſo vivamus, moveamur & ſimus*, unde aliquis gentilium Poetarum (Aratum puta in Phœnomenis) dixerit, *nos eſſe ipſius Dei genus*. Si gentilium Poetæ ex lumine Naturæ agnoſcere potuerunt, nos eſſe Dei genus & in *Deo vivere, moveri ac eſſe*, utique datur naturalis quædam Dei notitia. Sed illud. Ergò & hoc.

71. Excipit Socinus in prælect. pagin. 6. *Quærere Dominum nihil aliud eſſe quàm ſanctè vivere, ut ipſe præcipit, eum autem invenire, eſt ſibi propitium experiri*. Pſal. 9. v. 11. Pſal. 24. verſ. 6. Pſal. 105. v. 3. Eſa. 55. v. 6. ψηλαφᾶν *non eſſe palpare, ſed contrectare*. 1. Joh. 1. v. 1. *Pauli igitur hanc eſſe ſententiam, Dei conſilium fuiſſe, ut homines ſanctè ſecundum ipſius voluntatem viverent atque ita eum ſibi propitium experirentur, propterea ſequitur. Non longè abeſt ab unoq; noſtrûm, per ipſum enim vivimus, movemur & ſumus*, q. d. *Non eſt dubitandum, quin iis ſanctè viventibus præſto ſit, cum in omnes homines beneficia ſua conferat, hoc enim ipſũ quod & vivimus & movemur & ſumus, ab eo habem*. Reſp. 1. concedimus in quibuſdam Scripturæ locis *quærere Deum eundemq; invenire* metaphoricè accipi de verâ ad Deum converſione & peccatoris cum eo reconciliatione, ſed in omnibus illis dictis agitur de hominibus in Eccleſia, qui verum Deum ex verbo agnoverint, interim debitam præceptis ipſius obœdientiam non præſtiterunt, ſed ab eo per peccata ſunt averſi, unde per veram & ſeriam converſionem jubentur ad eum reverti, ipſum quærere, ac promittit Deus, ſe velle inveniri ab illis, qui eo modo ipſum quærunt. Longè verò diverſa ratio eſt loci hujus Apoſtolici, in quo agitur de gentilibus extra Eccleſiam conſtitutis & verâ Dei cognitione ex verbo petendâ deſtitutis, illi certè prius ad agnitionem Dei quàm reconciliationem cum Deo ſunt invitandi ac deducendi. 2. quærere ergò Deum non poteſt hoc loco idem eſſe quod ſanctè vivere, id quod hac ratione oſtendimus. Illud per τὸ quærere Deum hîc intelligitur, quod potuerunt omnes omninò homines etiam gentiles extra Eccleſiam conſtituti ex generalium beneficiorum divinorum in conſervatione, ſocietatis humanæ conſtitutione politiarum, propagatione hominum &c. toti humano generi communium conſideratione diſcere. Atqui modum ſanctè vivendi & grata Deo obſequia præſtandi non potuerunt gentiles ex conſideratione divinorum beneficiorum generalium diſcere. Ergò. Majoris veritas elucet ex connexione textus Apoſtolici. Minorem confirmant dicta Apoſtolica. Rom. 14. verſ. 23. *quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt*. Hebr. 11. v. 6. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*. Itemque excluſiva Chriſti. Johan. 14. v. 6. *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, jam verò fides in Chriſtum diſcenda eſt ex Evangelio, quod non eſt Naturâ notum, ſed eſt *myſterium æternis temporibus tacitum*. Rom. 16. verſ. 25. 3. Illud per τὸ *quærere Deum* intelligitur, quod quovis tempore homines ex mediis ab Apoſtolo propoſitis petere poſſunt. Sed ſanctè vivere, ut Deus præcepit, non poſſunt quovis tempore homines ex illis mediis petere, quia in V. T. nondum fuêre omnes gentes per prædicationem verbi ad Eccleſiæ conſortium ſolenniter vocatæ, ſed neceſſarium fuit, ut Iſraëliticæ Eccleſiæ ſeſe adjungerent, qui normam ſanctè vivendi & verum divini cultus modum diſcere voluerunt. Ergò. Regerit Socinus, *in omnibus hominibus naturaliter eſſe aliquod juſti & injuſti diſcrimẽ, aut certè in omnibus hoc ſitum eſt, ut cognoſcant & fateantur, juſtum injuſto anteponi debere, honeſtum turpi, hoc autem nihil aliud eſſe quam Dei verbum quoddam internum, cui qui obœdit, ipſi Deo obœdit, etiamſi alioqui ipſum Deum non eſſe quidem aut ſciat, aut cogitet, nec dubium eſt, illi qui hac ratione Deo paruerit, ipſum gratum futurum*. Sed hac ratione Socinus ſibi contradicit. Si enim in omnibus hominibus naturaliter eſt aliquod juſti & injuſti diſcrimen, utique etiam in omnibus hominib. eſt naturalis quædam Dei notitia, ratio eſt, quia diſcrimen

men juſti atque injuſti non cognoſcitur, niſi ex comparatione ad legem divinam, quæ eſt omnis juſtitiæ norma ac regula. Si ergò in hominibus naturaliter eſt juſti & injuſti diſcrimen, utique etiam notitia legis divinæ ipſis naturaliter ineſt. Jam verò ubi eſt notitia legis divinæ, ibi quoque notitia aliqua Dei tanquam legislatoris ex Natura relatorum & neceſſaria cauſæ & effectus connexione. Qui novit legem divinam, is novit eſſe Deum, quia ipſe eſt unicus legislator, novit Deum eſſe colendum, hic enim finis eſt legis, novit Deum eſſe juſtum & vindicem ſcelerum, quia ex innato illo juſti & injuſti diſcrimine conſcientia colligit Deum punire legis transgreſſores, novit Deum eſſe bonum & beneficum erga eos, qui legi obœdientiam præſtant, quod ſi ergò notitia legis eſt homini naturalis, utique etiam Dei notitia. ἀσύστατον proinde eſt, quod Socinus dicit, *huic principio nobiſcum nato, quod juſtum anteponendũ ſit injuſto, obœdiri poſſe ab eo, qui ipſũ De‧ m non eſſe quidem ſciat aut cogitet.* Quomodo enim principio illi practico & legi naturaliter inſitæ obœdiri poſſet abſq; ſcientia & cogitatione ipſius legislatoris, cùm obœdientia neceſſariò includat reſpectum inferioris erga legislatorem tanquam ſuperiorẽ? nec ullâ ratione juſti & injuſti, honeſtorum ac turpium diſcrimen ſeparari poteſt ab interno conſcientiæ teſtimonio, q od ex illo ipſo diſcrimine naturaliter inſito coll ‥t eſſe Deum, eumq; eſſe juſtum & ſcelerum vindicem. Quod Socin. addit, *illũ, qui diſcrimini illi honeſtorum ac turpium naturaliter inſito paruerit, Deo gratum eſſe*, id ſi de ſpeciali quodam Dei favore & complacentia, quâ Deus homines pios complectitur, intelligit, eſt falſiſſimũ, quia niſi perſona prius placeat Deo, nunquam placebunt ipſi hominis opera, ut ex Gen. 4. v. 4. Auguſtin. & Lutherus rectè colligunt. Perſona autem non placet Deo, niſi fide in Chriſtum, in Chriſto requieſcit Patris εὐδοκία Matth. 3. v. 17. qui ergò eſt extra Chriſtum, non poteſt Deo placere. *Dilexit* ἐχαρίτωσεν *nos in dilecto.* Eph. 1. v. 6. qui ergò non eſt in hoc dilecto, nõ diligitur à Deo. Rom 5. v. 15. *Chriſt. eſt unicus homo in gratia*, qui eſt extra Chriſtum, non eſt apud Deum in gratia. Quomodo igitur tueri poterit Socinus ſuum pronunciatũ, quod ad hoc, ut aliquis ſpecialiter Deo gratus ſit, etiam aliam ob cauſam, quæ quia ejus eſt creatura, non requiratur ut credat eſſe Deum, cum diſertè dicat Apoſtolus Hebr. 11. v. 6. *accedentem ad Deum oportet credere, quod ſit & quod requirentibus ipſum remunerator ſit?* Regerit quidem, *Apoſtolum loqui de iis, qui ſingulari quadam ac non vulgari ratione Deo grati atq; accepti ſunt, qualis Enochus fuit*, ſed facilis eſt reſponſio, Apoſtolum transferre hypotheſin ad theſin & ex ſpeciali exemplo colligere regulam generalem, quod quiſquis verâ fide ad Deum accedere, ipſiq; gratus eſſe velit, illum oporteat credere eſſe Deum & eundem eſſe retributorem, cœca profectò fuerit obœdientia, quæ Deo obœdiat, interim Deũ eſſe neſciat. 4. ψηλαφάω utũtur LXX. Pſ. 59. v. 14. pro משש in Piel quod propriè ſignificat *manibus palpare*, ſicut cœci ſolent, quæ ſignificatio huic loco propriè congruit. Quemadmodũ n. cœci ea, quæ proxima ipſis ſunt, nõ cognoſcunt, ideò manibus ea palpare conantur: Sic gentiles fuerunt quidem *cæci* Rom. 2. v. 19. *ſedentes in tenebris & in regione umbra mortis*. Eſa. 9. v. 1. interim tamen potuiſſent ac debuiſſent Deum, qui non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm, quaſi manibus palpare, quò pertinet illud Hermetis in Pimãdro. *Deus humanâ acie penetrari quidem non poteſt, attamen manibus contrectari.* Itemq́ue illud Jamblichi de myſt. c. 1. *Ante omnem rationis uſum Deum quodammodo concipimus non quidem cognitione propriè aliquâ, ſed quodam q. contactu, qui omni cognitione certior ſit.* 5. Gloſſa illa Sociniana, verborum Apoſtolicorum: *Non eſt dubitandum, quin Deus ſanctè viventibus præſto ſit, cùm in omnes beneficia conferat, hoc ipſum enim quod vivimus & movemur & ſumus, ab ipſo habemus*, hæc inquam gloſſa & *fidei analogia*, quæ immenſitatem & infinitatem divinæ eſſentiæ docet & *contextui Apoſtolico*, in quo de uno eodemq; ſubjecto dicitur, quod Deus non longè abſit ab unoquoq; noſtrûm, & quod in ipſo vivamus, moveamur ac ſimus, & *ipſi literæ*, quæ non ſolùm vitam & motum à Deo nos habere, ſed etiam in Deo nos vivere & moveri aſſerit, fortiſſimè adverſatur.

72. 3. Accedimus ad locum claſſicum. Rom. 1. verſ. 19. *revelatur ira Dei ſuper impietatem hominum* τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων, quia τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis* (Ethnicis) *Deus enim ipſis revelavit.* verſ. 20. *quia inviſibilia ipſius* ἀπὸ κτίσεως κόσμου ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, *ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas, ut ſint inexcuſabiles.* Quidam, ut Auguſt. Hier. Ambroſ. Chryſoſtom. Theoph. de ſola *acquiſita notitia* locum accipiunt propter particulam αἰτιολογικὴν γὰρ. v. 20. quæ oſtendit, de eadem notitia agi. v. 19. de qua agitur v ſeq. jam verò conſtat ex ipſis Apoſtoli verbis. v. 20. agi de notitia acquiſita ſive experimentali. Quidam verò priora verba accipiũt de notitia inſita. 1. propter *univerſalitatem ſubjecti*, loquitur Apoſtolus non de ſapientioribus, ſed de omnibus gentilibus, ut oſtendit articulus τῶν, qui non eſt διακριτικὸς, ſed αἰτιολογικὸς, oſtẽdens cauſam, cur ſuper omnes ira Dei veniat, nimirũ quia omnes veritatẽ detineãt. Iam verò notitia illa acquiſita non omnibus, ſed potiſſimum ſapientioribus cõpetit. 2. propter verbum κατέχειν, quod oſtendit, notitias innatas practicas à gentilibus in carcere quodam injuſtitiæ quaſi captivas detineri, dum iis non obtemperatur, jam verò notitiæ illæ practicæ ad innatam potiùs quã acquiſitam notitiam pertinẽt. 3 propter manifeſtationem τοῦ γνωστοῦ in gentilibus. Dicitur anim illud γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, quod de Deo cognoſci debet, eſſe manifeſtum & ſine operoſo diſcurſu innoteſcere non inter ipſos, quod de diſputationibus & cognitione experimentali poſſet intelligi, ſed in ipſis, id eſt, in ipſorum cordibus. 4. propter explicationem illius τοῦ γνωστοῦ v. 32. traditam, ubi vocatur δικαίωμα regula juſtitiæ divinæ in lege patefacta vocantur, v. 18. & 25. ἀλήθεια Θεοῦ veritas Dei, id eſt, veræ de Deo notitiæ mẽtibus in creatione inditæ & poſt lapſum adhuc reliquæ, quod de lege naturæ innata propriè accipiendum. 5. Propter denegationẽ excuſationis. Dicitur τὸ γνωστὸν Θεοῦ, ita manifeſtum in gentilibus, *ut ſint inexcuſabiles.* Jam verò excuſationem aliquam haberent, ſi lege Naturæ inſita carerent; cùm ex creaturarum intuitu illud diſcrimen honeſtorum & turpium non poſſit directè, per ſe & manifeſtò colligi. Quod acquiſitæ duntaxat notitiæ ratio redditur ideò fit, quia notitia acquiſita ex innata efflorescit, eandemq́ue confirmat Dn. D. Meiſn. de ll. p. 132. De quacunq; ſanè notitia locus Apoſtolicus accipiatur, firmiſſimum nobis præbet

3. Rom 1. v. 19. *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.*

bet contra Photinianos argumentum. Ex ſpecie non quidem totum genus, interim tamen aliquid generis concludere poſſum. Si in gentilibus τὸ γνωστὸν Θεοῦ manifeſtum, adeò ut inviſibilia Dei ex creatura mundi ex operibus ſcilicet intellecta pervidere potuerint, ſempiternam ſc. ejus virtutē & divinitatē, adeò ut ſint inexcuſabiles, utiq; datur naturalis aliqua Dei notitia. Sed verum prius. Ergò & poſterius. Ambroſ. in comm. h. l. p. 14. *Notitia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica. Ut enim Deus qui Natura inviſibilis eſt, etiam viſibilibus poſſet ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſuâ manifeſtaret.* &c. Ibid. *Manifeſtavit ſe Deus, dum opus fecit, per quod agnoſci potuit.* Theodulus in h. l. *Deus appoſuit omnibus creaturam doctricem majeſtatis ſuæ.* Item *Creatura vocem edens per viſum autorem ſuum deprædicat.* Auguſt. ſerm 55. de verb. Dom. *Videmus creatorem per creaturam, factorem per facturam, fabricatorem mundi per mundum.* Addimus etiam illud. Ideò Ethnici dicuntur inexcuſabiles, quod ſcientes eſſe Deum, non glorificaverunt, ut Deum. Atqui multi famâ non perceperunt eſſe Deum. Ergò ſi nec natura ſciverunt, erunt excuſabiles.

73. Photiniani variis modis locum torquent, 1. *Subjectum* negant eſſe gentes Evangelii ignaras. Catecheſis Racov. pag. 23. dicit, *deſcribi eam notitiam, quæ eſt per Evangelium.* Idem ſtatuit Socinus in prælect. cap. 2. p. 5. ubi diſputat, *de tali manifeſtatione Apoſtolum loqui, quæ Chriſti & Apoſtolorum tempore demum facta per mirabiles ipſorum operationes.* Oſtorod. in Inſtit. cap. 1. pag. 11. *Inviſibile factum eſt viſibile, hoc eſt, ignotū factū eſt notum ex operibus, quæ Deus per Chriſtum & Apoſtolos* (in promulgatione Evangelii) *perfecit.* Huic detorſioni repugnat. 1. *Apoſtoli ſcopus*, quem ipſe explicat. Rom. 3. verſ. 9. προῃτιασάμεθα *argumentis evicimus*, ac convicimus *Judæos & Græcos eſſe ſub peccato.* Vult igitur Apoſtolus demonſtrare, quod & gentiles & Judæi tanquam peccatores à lege divina accuſentur ac damnentur. De gentilibus illud demonſtrat cap. 1. & uſque ad v. 17. c. 2. de Judæis c. 2. à v. 17. uſque ad finē. Quia verò objici poterat, gentiles non accepiſſe à Deo legem, ideoque illos non poſſe à lege accuſari. docet gentiles habuiſſe legem cordibus ſuis inſcriptam & *naturâ ea, quæ legis ſunt facere.* Rom. 2. v. 14. ac proinde non fuiſſe deſtitutos omnibus mediis θεογνωσίας, ſed per creaturarum νόησιν potuiſſe ad agnitionem aliquam Dei pervenire, adeò ut ſint inexcuſabiles. Si inviſibilia illa demum in N. T. per miracula Chriſti & Apoſtolorū ſunt revelata, quomodo illa notitia poteſt inexcuſabiles reddere eos, qui cùm cognoviſſent eſſe Deum, tamen ejus gloriam mutarunt in ſimilitudinem hominum, volucrū. &c. id eſt, Ethnicos idololatras? 2. *Deſcriptio ſubjecti in textu Apoſtolico propoſita.* Illos enim in quibus τὸ γνωστὸν Θεοῦ manifeſtum eſſe dicit, ſic deſcribit, quod *veritatē Dei detineant in injuſtitia,* &c. verſ. 18. *quod mutaverint gloriam Dei incorruptibilis in ſimilitudinem hominis, volucrum* v. 23. quod horrendis peccatis contra Naturam ſeſe contaminaverint. v. 26. At hæc omnia conveniūt gentilibus, quibus ignota fuit verbi divini revelatio, qui vixerunt *in temporib. ignorantiæ.* Act. 17. v. 30. 3. *Oppoſitio Apoſtolica.* c. 2. v. 12. *Quicunq; ſine lege peccarunt, ſine lege peribunt, & quicunq; in lege peccarunt, per legē judicabuntur*, ubi oſtendit ſe & de gentilibus, qui cùm legē exteriùs ſc. promulgatam & ſcriptam non haberent, opus legis cordibus ſuis inſcriptum oſtendunt atq; interim horribilibus peccatis cap. 1. deſcriptis ſe contaminarunt & de Judæis, qui legem ſolenniter traditam & promulgatam acceperunt, hactenus eſſe locutum, atq; utroſq; peccati reos egiſſe. v. 17. in ſpecie aggreditur Judæos, qui de cultu Dei gloriabantur. Non eſt quod regerant, *v. 19. mentionem fieri alicujus patefactionis*, quia quamvis gentiles deſtituti fuerunt ſpeciali illa patefactione, quæ fit per verbum & eſt Eccleſiæ propria, tamen habuerunt generalem patefactionem in creaturis propoſitam exteriùs & cordibus eorum inſcriptam interiùs.

74. 2. *Medium cognitionis* itidem depravant. 1. Phraſin enim ἀπὸ κτίσεως ea ponunt *de tempore non de medio*, 2. ac per τὰ ποιήματα intelligunt *opera Evangelii & miracula Chriſti & Apoſtolorū.* Socin. præl. p. 5. *Sciendum eſt verba à creatione mundi debere conjungi cum verbo inviſibilia eundemq; eſſe ſenſum, qui eſt Matth. 13. v. 35. abſcondita à conſtitutione mundi. Plerīq; interpretes ex præpoſitione à fecerunt ea contra Græcorum Codd. fidem, qui non ἐκ κτίσεως, ſed ἀπὸ κτίσεως habent.* Idem repetit in animadv. defenſ. contr. Eutropium p. 83. Oſtor. d. l. Ob wol ſolches zuvor nie/weil die Welt geſtandē/ geſchē/das iſt/offenbahret iſt/ſo ſey doch nu das unſichtbare ſichtbar/das iſt/das unbekañt bekañt wordē/ nemlich durch die Wercke oder Thaten/welche Gott durch Chriſtum und die Apoſtel gethan hat/nemlich durch die Wunderwerck. Idem habet Catech. Racov. d. l. In priore habent ſibi conſentientē Piſcatorem. qui ex Oleviano hanc interpretationē ſe didiciſſe aſſerit, eandemq; cōmendat tanquam textui Apoſtolico & Syriacæ verſioni מִן תַּרְמִיתֵהּ דְּעָלְמָא *à fundatione mundi* maximè congruā. ἀπὸ inquit, *hic tempus notat, non materiam ſubjectam, cui ſervit præpoſitio ἐκ, quâ ratione etiam vitatur incommodum tautologiæ, quod ex diverſa expoſitione naſcitur.* Reſp. quoad prius. Abſolutè & ſimpliciter loquendo non repugnat noſtræ ſententiæ phraſin ἀπὸ κτίσεως exponere de tempore. modò non aſſuatur peregrina diſtinctio & conjungenda divellantur. Illud enim ἀπὸ κτίσεως κόσμου, non pertinet ad præcedēs ἀόρατα, ut vult Socinus, qui perperam id probare nititur ex Matth. 13. verſ. 35. ubi non eſt ἀπὸ κτίσεως, ſed ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, ſed ad ſequens verbum καθορᾶται, ut docet inſerta particula, γάρ, & fides probatorum exemplarium teſte Aria Montano; interim præferimus illam explicationem, quæ phraſin ἀπὸ κτίσεως κόσμου non de tempore, ſed de medio cognitionis accipit. 1. quia ἀπὸ non ſignificat tantùm *a*, ſed etiam *ex*, ut ex Lexicographis & Concordantiis notum, ἀπὸ μέρους *ex parte*, quæ ſignificatio ipſi ferè propria, quando de haurienda cognitione uſurpatur. Matth. 7. verſ. 16. & 20. ἀπὸ τῶν καρπῶν *à fructibus cognoſcetis eos*, cap. 24. v. 32. Marc. 13. v. 28. *ab arbore fici diſcite ſimilitudinem*, atque hoc ſenſu etiam LXX. eâ particula utuntur. Sap. 13. v. 3. ἀπ' αὐτῶν *ab illis luminaribus diſcere debent, quanto potentior ſit, qui conſtituit ipſa.* 2. Vox κτίσεως in N. T. non de ipſa creationis actione, ſed de creatis operibus, non de actu ſed de effecto, ipſa ſc. creaturarum ſubſtantia ferè ſemper uſurpatur. 3. quando ret ab origine mundi continuatio & deductio notatur, non dicitur ἀπὸ κτίσεως ſed ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως. Marc. 10. v. 6. cap. 13. v. 19. 2. Petr. 3. verſ. 4. ἀπὸ καταβολῆς κόσμου. Matth. 25. v. 34 Hebr. 9. v. 26. Apoc. 13. v. 8. c. 17. v. 8. 4. nec ulla hîc metuenda

ταυτολο-

ταυτολογία, quia vox ποιημάτων eſt ἐξηγητικῶς & clarius exponit, quid per κτίσιν h. l. ſit intelligendum. Quod attinet poſterius, concedimus verbum ποιεῖν eſſe generale & de miraculorum operatione quandoque uſurpari. Matth. 7. v.22. cap.21. verſ. 15. Marc. 7. v.37. &c. ſed nomen ποιημάτων de miracolis Chriſti & Apoſtolorum h.l. accipiendum negamus. 1. quia vox ποιήματος nuſpiam in N.T. eo ſenſu uſurpatur, ſed de opere creationis. Eph.2.v.10. 2. quia adverſarii nullum afferunt interpretationis ſuæ fundamentum. 3. jam inde à mundi creatione miracula Chriſti nō fuerunt nota. 4. nec Ethnici idololatræ, quos h. l. Apoſtolus deſcribit, illorum fuêre gnari.

75. 3. *Objectum cognitionis* non minùs peſſimè detorquent. 1. Per τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ intelligunt, *quicquid de Deo ſcitur, vel etiam ſciri poteſt*. Catech. Racov. Oſtorod. l.d. ut nimirum obtineant non de notitia naturali, per quam non omne innoteſcit, quod de Deo ſciri poteſt & debet, ſed de ſalvificis in Evangelio revelata hîc agi. Verùm Apoſtolus ſeipſum ſatis declarat v. 21. γνόντες τὸν Θεὸν, ſc. εἶναι, οὐχ ὡς Θεὸν ἐδόξασαν, ergò de ea tantùm notitia loquitur, quâ ſciri poteſt, eſſe Deum, ſicut etiam Lutherus reddit. Nec univerſaliter, ſed indefinitè Apoſtolus loquitur & ſubjectis ſpeciebus declarat, quid per τὸ γνωστὸν intelligat videl. γνωστὸν ἀΐδιον Θεοῦ δύναμις καὶ θειότητος. 2. per τὴν ἀΐδιον δύναμιν Socinus d.l. intelligi putat *promiſſiones Dei, quæ nunquam intercident*, cum v. 16. præcedente Evangelium dicatur *δύναμις Θεοῦ ad ſalutem omni credenti*. Per ἀΐδιον θειότητα *id quod nos Deus perpetuò vult facere, quo ſenſu Coloſſ. 2. v. 9. divinitatis vox accipiatur*. Reſp. 1. diſtinguenda eſt *patefactio generalis* divinæ potētiæ in opere creationis à *patefactione ſpeciali* divinæ potentiæ in opere redēptionis, & in prædicatione Evangelii, non enim de poſteriore ampliùs, ſed de priore Apoſtolus loquitur, ut textûs diſpoſitio evincit. 2. Col. 2. v. 9. non habetur vocabulum θειότητος, ſed θεότητος. Eniedinus quidem nugatur, *incuriâ librariorum etiam ibi ſcriptum fuiſſe* θεότητος pro θειότητος, ſed nullâ id probat conjecturâ. 3. nec θεότητος nec θειότητος vocula in duriſſima illa catachreſi pro eo, quod nos Deus perpetuò vult facere in N.T. uſurpata uſpiam occurrit. Sui igitur cerebri ſomnia adverſarii nobis obtrudunt & Scripturæ lucem clariſſimam in tenebras convertere ſatagunt hac ſua contortâ & violentâ interpretatione.

4. Rom. 2. v. 14. Gentes Naturâ, quæ legis ſunt, faciunt.

76. 4. Rom. 2. v.14. *Cùm gentes quæ legem non habent, Naturâ quæ legis ſunt, faciunt, iſti quamvis legem non habent; ipſi ſibi lex ſunt.* v. 15. *ut qui oſtendant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, unà teſtimonium reddente ipſorum conſcientia & cogitationibus inter ſe accuſantib. aut etiam excuſantib.* Hic locus propriè & principaliter agit de inſita ſive innata Dei notitia, quam duplici argumento confirmat. 1. *ex legis divinæ notitia.* Qui naturalem habet legis notitiam, is etiam Naturâ intelligit Deum; connexio hujus propoſitionis confirmata eſt ſuperiùs. Gentes naturalem habent legis notitiam, quia teſte Apoſtolo 1. φύσει Naturâ faciunt, quæ ſūt legis. 2. legem ſcriptam & exterius promulgatam non habent, nec tamen omni lege deſtituuntur. 3. ſunt ſibiipſis lex. 4. oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Ergò etiam Naturâ intelligunt eſſe Deum. 2. *ex interiore conſcientia.* (Conſcientiæ teſtimonium probat tùm innatam tùm acquiſitam notitiam. Noſtra conſcientia probat notitiam innatam, morſus conſcientiæ in alus pertinent ad acquiſitam Dei notitiam.) Ethnici verbi revelati cognitione deſtituti & verbis & factis teſtati ſunt *internum conſcientiæ* teſtimonium & ut Nazianz. loquitur, *tribunal* in ipſis fuiſſe collocatum, unde poſt bona facta lætitiam, poſt facinora triſtitiam naturaliter ſenſerunt. Cicer. pro Milon. *Magna vis eſt conſcientiæ in utramque partem, ut neque timeant, qui nihil commiſerunt, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccaverint.* Quin & illi qui per potentiam pœnis ab hominibus metuendis exemti fuêre, vel quorum peccata omnes homines latuerunt, non tamen à ſurdis conſcientiæ verberibus & interiore illo flagello liberi eſſe potuerunt. *Multos fortuna liberat pœnâ, neminem metu*, inquit Seneca. De Nerone refert Dio Caſſius in ipſius vita, quòd interfectâ matre Agrippinâ tanto metu noctu fuerit conturbatus, ut de lecto repentè proſiliret & interdiu eum perterrefacerent tibicines auditi, quo in loco oſſa Agrippinæ erant ſepulta, quamobrem aliò migrabat, cumque & ibi idipſum accideret, perterritus aliò proficiſcebatur, ac fugiens omnia perhorreſcebat, ſi catulus paululùm latraret, aut caneret gallina, aut virgultum moveretur. Plutarchus de Beſſo commemorat, quòd parricidium ejus, poſtquam diu occultum fuiſſet, tandem metus ab hirundinibus injectus patefecit, quippe quarum nido haſtâ dejecto pullos interfecit eò, quod ſceletis commiſſi ipſum arguere, patremque ab ipſo trucidatum eſſe vociferari ipſi viderentur, unde ad ſupplicium poſtea raptus eſt. Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus. Caligula ſulguribus micantibus linteo caput obvolvebat. Unde verò hi morſus conſcientiæ niſi ex innata illa notitia, quòd ſit Deus, quòdq; idem ſit juſtus ac vindex ſcelerum.

77. 2. Rationes pro confirmanda *notitia acquiſita* adductæ ſunt ſuperiùs. *Innatam* probant *2. Rationes*
1. *Univerſalis & perpetuus omnium populorum* conſenſus. *Nulla enim gens tam effera ac barbara, quæ non cognoſcat eſſe Deum*, inquit Cicer. de Natur. Deor. ac ſenſus divinitatis naturaliter omnibus inſitus tàm efficax fuit in gentilibus, ut quidvis potiùs, etiam infra hominis Naturam poſitum Deum eſſe, quàm nullum eſſe Deum ſtatuerint. 2. *Salutaria morum præcepta* & conſtitutiones apud gentiles, quæ ex lumine Naturæ profluxerunt. Eæ enim manifeſtè oſtendunt, honeſtorum ac turpium diſcrimen eſſe omnibus naturaliter impreſſum ac notitiam de Deo omnibus eſſe inſitam. 3. *Timor ſupremi Numinis* naturaliter ex corde hominum prorumpens. Homines enim feri & barbati adeoque ab omni doctrina & inſtitutione remoti, inq; ſylvis degentes cum tonitrua audiunt, timent & ſuo timore teſtantur inſitam naturaliter cordibus notitiam, quòd ſit aliquod ſummum Numen omnibus imperans. Jon. 1. v. 5. exortâ in mari tempeſtate præ timore *clamant nautæ & quilibet invocat Deum ſuum.* 4. *Naturalis peccati agnitio.* Statim enim ut quis flagitium aliquod perpetravit, agnoſcit ſe legem Superioris eſſe transgreſſum, ergò naturaliter inſitam habet illam notitiam, quod ſit aliquis ſupremus νομοθέτης, cui omnes obedientiam debent. 5. *Imaginis divinæ rudera in homine ſunt conſervata.* Geneſ. 9. v. 6. Jac. 3. v. 9. ex illis imaginis divinæ reliquiis cognoſci poteſt eſſe Deum.

78. 3. Teſtimonis Patrum magno numero adduci poſſunt. Iren. lib. 2. adv. hæreſ. c. 9. *ipſa conditio*

*ditio oſtendit eum, qui condidit eam, ipſa factura ſuggerit eum, qui fecit eam & mundus manifeſtat eum, qui ſe diſpoſuit.*** Athan. orat. 3. cōtra Arian. ſub finem. *creatricem ſapientiam ſimulachrū ſui rebus conditis impreſſiſſe* dicit, *& iſtā ipſam, quæ ita impreſſa ſit, eſſe ἀρχὴν τινὰ καὶ ὥσπερ στοιχείωσιν τῆς ἐπὶ τὸν Θεὸν γνώσεως.*** Tertull. lib. 1. adv. Marcion. p. 152. ſcribit, *animæ dotem à primordio ipſam conſcientiā Dei eſſe.* Baſil. homil. 1. hexaëm. poſt. med. *Fecit Deus ut bonus, quod utile eſt; ut ſapiens, quod pulcerrimū eſt; ut potentiâ præditus, quod maximū eſt.* Idē ſerm. de grat. Deo agendis tō. 1. p. 360. ſcribit, *creatur. in eſſe literas quaſdam, per quas maximam Dei creatoris circa omnia providentiam ac ſapientiam legimus.* Aug. l. 32. contra Fauſtum c. 20. *Totus hic mundus vocatur magnus quidam liber Naturæ rerū.*** Idem tract. 106. in Joh. ſuper verba. *Manifeſtavi nomen tuum &c. Nō illud nomen tuum, quo vocaris Deus, ſed illud, quo vocaris Pater meus. Nam quo Deus dicitur, univerſa creatura & omnibus gentibus antequā in Chriſtum crederent, nō potuit eſſe ignotum. Hæc eſt enim vera divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò ac penitus poſſit abſcondi:* Confer. lib. 2. de doctr. Chriſt. c. 40. Minutius Felix. *Quod ſi ingreſſus aliquam domum omnia exculta, diſpoſita, ornata vidiſſes, utiq; præeſſe ei crederes Dominum & illis bonis rebus eſſe multò meliorem. Ita in hac mundi domo, cùm cœlum, terramq; perſpiciat, providentiam, ordinem, legē; crede eſſe univerſitatis Dominū parentēq; ipſius ſideribus & totius mundi partibus pulchriorē.*** Damaſc. lib. 1. orth. fid. c. 3. probat, *Dei notitiam eſſe naturaliter mentibus hominum inſeminatam, inſitam & ingenitam.* Vide etiam Orig hom. 3. in Cant. Arnob. lib. 1. contra gentes p. 24. Dicta Philoſophorum adducit Dn. D. Meiſn. lib. de II p. 145.

79. Ex adverſariis notandum eſt teſtimon. Socin. de innato turpium & boneſtorum diſcr. ſuperiùs adductum, cui addendum illud Schmalz. contra D. Frantzium diſp. poſt. 8. p. 424. *Præter revelationem divinam, datur etiam cognitio eorum, quæ ad Dei voluntatem pertinent ex ipſa natura & rectæ rationis luce, quæ etiamſi non ſit par ei, quæ per revelationem contingit, non eſt tamen per ſe mala, ſed igniculus quidam flammæ iſtius ingentis revelationis ſcilicet.* Diſp. 1. p. 12. *Deum ab æterno eſſe, etiamſi quoad literam nuſquam fortaſſè ſcriptum extet, ita docet ratio ipſa, ut niſi æternus ſit Deus eſſe nequeat nempe ſummus.* Cumque adverſarii tantùm tribuant mentis humanæ aciei, ut abſq; Spiritus S. illuminatione ſalvificā Dei notitiam ex libro Scripturæ haurire poſſit, cur in librum Naturæ tàm injurii ſunt, ut ne tenuem quidem ex eo Dei cognitionem peti poſſe exiſtiment.

Antitheſis 80. Antitheſis. Socinus in Epiſt. p. 70. *Fateor, ſi hominis Natura ſimpliciter & per ſe conſideretur, id eſt, nullo cultu, nullâ prorſus diſciplinâ adhibitâ, facilè fieri poſſe, ut recti & pravi a ſuo ipſius bono & malo diſtincti aut nullum aut exiguum diſcrimen homo habeat.* Idem in prælect. quinq; affert argumēta, quibus naturalem Dei notitiam evertere conatur. 1. *Statim ab initio cùm homo creatus ſuit, Deus ſe illi patefecit, qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, poſteros ſuos facilè divinitatis opinione imbuere potuit, quin & ipſe Deus non primo tantùm homini ſed aliis ſubinde ex eo natis variis rationibus ſeſe patefecit.* Reſp. Subordinata nō ſūt ſibi invicem opponenda, patefactio divina per revelationem verbi non tollit naturalem Dei notitiā, ſed potiùs eandē perficit & confirmat. Deus ideò ſeſe variis rationib. patefecit, non quòd planè nulla eſſet naturalis Dei notitia, ſed quod languida, imperfecta, & ad ſalutē minimè ſufficiens. Adde, quòd Scriptura illis etiā Dei notitiā tribuat, ad quos patefactio per lumen gratiæ & verbum vitæ non pervenit, ſed in ipſo cū majoribus eſt amiſſa. 2. *Si divinitatis opinio cunctis eſſet naturalis, ea non eſſet ex fide.* Atqui *ex fide eam eſſe, docet Epiſtola Hebr. c. 11. v. 6. ubi ſine fide neminem Deo placere poſſe dicit, nam accedentem ad Deū oportet credere, quod ſit & quod remunerator ſit.* Reſp. quæ credenda in verbo proponuntur duorum ſunt generum, quædā *ſunt myſteria ſupra omnem humanæ rationis captū poſita, quæ* ſimpliciter *πιστὰ* dicuntur, *quædam vero ita cōparata, ut ad ea inveſtiganda ratio quodammodo aſſurgere poſſit;* Oppoſitio ergò inter ea, quæ Naturâ ſunt nota & quæ ſunt fide apprehenſa, locum habet tantùm in priori, non autē, in poſteriore credendorum genere, ſiquidem ea & *ſcimus* propter rationis demonſtrationē & *credimus* propter Spiritus ſancti revelationem. Ipſa quidem fides non eſt ſciētia ex rationis principiis hauſta, ſed ſpiritualis lux à Sp. S. accēſa, interī aliquod fidei objectū ita cōparatū eſſe poteſt, ut & Naturâ quodam̄odo ſciri poſſit & fide, ut in verbo propoſitū eſt, apprehendatur. Adde quòd Epiſtola ad Hebræos non de naturali, ſed de ſalvifica Dei notitia in verbo patefacta agat, ut ex acceſſu ad Deum cum complacentia ejuſdem conjuncta manifeſtum. 3. *Si divinitatis opinio cūctis naturalis eſſet, quomodo idem autor ex eo, quod Enochus Deo placuiſſet, niteretur probare eum, Deum eſſe credidiſſe. Hoc profectò arguit iſtiuſmodi opinionem non eſſe naturalem, id eſt, fieri poſſe, ut quis eam ſuo animo non conceperit. Nam quæ naturalia ſunt, neceſſaria etiam omninò ſunt* Reſp. confunditur notitia Dei *aliqualis, rudis & naturalis, cum revelata, perfecta & ſalutari.* Autor Epiſtolæ ad Hebræos non ex naturali, ſed ſalvifica Dei notitia in verbo revelata & cum fide in Meſſiam promiſſum in Enocho conjuncta probat Enochum Deo placuiſſe. 4. *Sacræ literæ teſtantur, aliquos eſſe, qui Deum eſſe non credant.* Pſal. 10. verſ. 4. & 14. verſ. 1. & 53. verſ. 2. *quos etſi ſtultos appellant, non tamen naturales animæ facultates ſenſumq; communem eos deſtituiſſe ſignificare volunt, ſed verâ ſapientiâ eos prorſus carere. Vera autem ſapientia minimè naturalis eſt, ſed ratione aliqua comparatur.* Reſp. impii negant Deum non tàm verbis, quàm factis. Rom. 1. verſ. 21. Tit. 1. verſ. 16. ſicut etiam quidam in media Eccleſia dicuntur eo modo Deum negare, qui tamen ex Scriptura notum habent eſſe Deum. *Deinde* diſtinguendum inter *ignorantiam & malitioſam negationem.* Quod impius in corde negat *Deum*, id non procedit ex ſimplici ignorantia, ſed ex deteſtanda malitia. Aug. monet, ideò dici quod *in corde* neget impius, eſſe *Deum*, quia non auſit verbis id profiteri, quippè cum ſit in conſcientia convictus, eſſe *Deum*. Ergò non taxatur *defectus notitiæ*, ſed *affectus malitiæ*. Ipſi conſcientiæ morſus, quos ſentiunt, quando timent. Pſal. 14. verſ. 5. teſtantur illis ipſis impiis notum eſſe, quod ſit *Deus*, intelligenda hæc de iis, 1. qui *Deum* cum Epicuro juſtitia, virtute & providentia ſpoliant, & otioſum cœlo includunt. 2. de eis, qui extincto cœleſtis judicii metu ſecurè ſibi indulgent, omniumq; ſcelerum impunitatē ſibi pollicentur. 3. qui ſuffocatâ Naturæ luce ſeipſo cōſultò obſtupefaciunt. *Nō ſinguli tantū homines, ſed integri populi inveniuntur,*

untur, qui nullum penitus ſenſum aut ſuſpicionem divinitatis alicujus habent. Hi ſunt in novo Occidentali orbe in Breſilia provincia, ut Hiſtorici eradunt, mihiq; vir fide dignus ſanctè affirmavit, qui in ipſo loco aliquandiu fuerat. Sed & alibi quoq; ejuſmodi gentes reperiri, Indiæ recens Hiſtoria teſtatur. Idē de autor. Script. c. 2. p. 46. autorem hujus narrationis nominat quendam Monachum Capucinū Reſp. imò v. rerum geſtarum in novo orbe ſcriptores Benzo lib. 1. de Ind. Occid. c. 26. pag. 111. Lerius Hiſt. nav. in Braſil. c. 16. p. 223. contrarium teſtantur etiam in illis remotiſſimarum Inſularum hominib. aliquam divinitatis notitiam ſeſe exerere. Bēzo lib. 2. Hiſt. c. 18. lib. 3. c. 2. Petr. Martyr. in Hiſtor. novi orbis. Phil. Nicol. 1. de regn. Chriſti c. 1. adducunt quædam veſtigia prædicationis Apoſtolicæ apud gentes Americanas adhuc reliqua. Quòd ſi naturales illæ notitiæ in quibuſdā ſe non exerunt *actu externo*, ex eo tamen inferri nequit, quod planè abſint. ſed quod per accidens ſceleribus ſcilic. opprimantur & ſopitæ jaceant tenebris malitioſæ & affectatæ ignorantiæ oppreſſæ, quo reſpectu gētes dicuntur ἀπηλγηκότες Eph. 4. v. 19. eò quod ſenſum illarum notitiarum exuerint, & ad interiorem conſcientiæ monitionem obſurduerint, quales ſūt etiam in viſibili Eccleſiæ cœtu, quibus ignotum eſſe nequit, eſſe Deum, eumq; religioſè colendum. Catech. Racov. pag. 2[illegible] adducit dictum Apoſtoli 1. Cor. 2. v. 14. *animalis homo nō percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei.* Sed totus contextus manifeſtè oſtendit, ſermonem ibi eſſe de illis, quæ in verbo Evangelii revelata ſunt, & de ſalutari ac ſalvifica Dei notitia. Solent etiā hoc urgere, quod gentiles dicātur *Deū ignoraſſe*. Sap. 13. v. 1. Act. 17. v. 23. 1. Theſſ. 4. v. 5. ſed diſtinguendum inter notitiam *naturalem* & *ſpiritualē*, ſive ſalvificam, poſterior denegatur gētilibus, non prior. Deinde naturalis notitia conſiderari poteſt dupliciter vel *abſolutè* & in ſe, vel *cōparatè* reſpectu ſpiritualis. In priori cōſideratione eſt omninò notitia, ſed in poſteriori conſideratione eſt potius ignorantia. Adimitur igitur Dei cognitio hominib. tùm quoad *notitiæ naturalis integritatem*, quia major ejus pars per peccatum ex mentibus deleta, tùm *quoad puritatem*, quia notitiæ adhuc reliquæ ſunt valdè obſcuratæ, tùm quoad ſingularem quorundam *hominum pravitatem*. Plura de hac quæſtione vide apud Dn. D. Meiſner. lib. de LL. lib. 3. q. 1. Dn. D. Hunn. in exam. error. Photin. de cogn. Dei cap. 2. err. 1.

Errantes in exceſſu. 81. Atq; hactenus egimus de illis, qui *in defectu* circa notitiam Dei naturalem errant, *in exceſſu*, circa eandem peccant, qui eam ad ſalutem conſequēdam ſufficientem eſſe ſtatuunt, quod faciunt. 1. Quidam *ex Patribus & Scholaſticis*, qui homines ante promulgatam à Moſe legem notitiā naturali ſalvari potuiſſe & ſalvatos fuiſſe aſſerunt. Ut enim rectè monet Aug. Epiſt. 99. Quadam indole animi delectant Ethnicorum virtutes, ut non libenter illas damnemus. Clem. l. 1. ſtrom. *per ſe aliqādo Græcos juſtificabat Philoſophia, multa enim ſunt viæ ad ſalutem.* Iuſtin. apol. 2. *Qui μετὰ λόγου vixerūt, Chriſtiani ſunt, etiamſi non noviſſe Deū exiſtimati ſunt, quales apud Græcos fuerunt Socrates, Ariſtides.* Similia occurrunt apud Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Hieronymum, Chryſoſtomū, &c. ſed Auguſtin. Pelagiano certamine excitatus, ea quæ incommodè à veterib. dicta fuerant, correxit. Eandem fuiſſe Scholaſticorum ſententiam docet, eāq; refutat Acoſta. lib. 5. de procur. Ind. ſal. c. 3. Greg. de Arimino idem ſtatuiſſe, teſtatur Brulifer. in prolog. ſent. q. 2. Confer Caſaub. exerc. 1. contra Baron. 2. Quidam *ex Pontificiis*. Andrad. in defenſ. Conc. Trid. lib. 3. p. 292. *Vera fides & vera Dei cognitio ad juſtitiam & ſalutem æternam non ex ſacris tantùm literis, divinisq; oraculis, ſed ex reb. etiā iis, quæ ſenſib. ſubjiciuntur, haberi poteſt.* In Cōc. Trid. An. 1552. Monachus quidam Franciſcanus in explic. c. 2. Rom. publicè concionatus eſt, *gentiles etiam ſine cognitione Chriſti ſalvatos fuiſſe*, quâ de re Theologi Proteſtantium apud Cæſaris oratores conqueſti ſunt. Schleid. l. 23. comm. Theobaldus Tammerus in libris Moguntiæ excuſis idipſum latè probare nititur, urget potiſſimum hæc duo argumēta: *Sapientia Dei fuit nota gentib. Chriſtus eſt ſapientia Dei. Ergò notus fuit gētibus.* It. *potētia Dei nota fuit Ethnicis. Chriſtus eſt potentia Dei.* Ergò; quâ ratione ſapientiā legalē, imò exiguā duntaxat legalis ſapientiæ partem cum ſapientia Evangelica; potentiā creationis & ſalvationis turpiſſimè cōfundit. Lud. Viv. Hiſpanum affinem huic errori fuiſſe, teſtis eſt Capellus in vindiciis Caſaub. l. 1. c. 1. vid. com. ejus in l. 10. Aug. de Civ. Dei. c. 23. Catharinus in 1. Tim. 4. quoſdam non fideles ſalvari poſſe ait. Bodin. lib. 2. Dæmonom. c. 3. & lib. 4. de Republ. Socratem, Phocionem, Ariſtidem &c. non eſſe temerè damnandos aſſerunt. Idem ſtatuit Galeotus Martius referente Frid. Tilem. in præfat. diſcurſ. politic. Eraſmus in præfat. ſup. Tuſc. qq. Cic. *Me non admodum adverſum habituri ſunt ferendis calculis, qui ſperant illum apud ſuperos quietam vitam agere.* Idē in Coll. religioſo. *Cùm talia lego, vix mihi tempero, quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis.* Et poſtea. *At ipſe mihi ſæpenumerò non tempero, quin benè ominer ſanctæ animæ Maronis & Flacci.* Idem ſtatuunt Joh. Baptiſta Fickler. in libro, cui titulus: Rettung der Concilien. p. 75. edit. Ingolſtad. An. 90. & Iſengrinius in Expoſit. Evang. Dom. Septuag. Cornelius Agrippa de vanit. ſcient. c. 54. teſtis eſt, editum fuiſſe librum ſub titulo *de ſalute Ariſtotelis*, in cujus calce concludatur, *Ariſtotelem ſic fuiſſe Chriſti præcurſorem in naturalibus, quemadmodum Joh. Baptiſta in gratuitis.* Greg de Valent. tom. 3. controv. p. 390. introducit quoſdā ſui ordinis exiſtimantes, ad *ſuavem Dei providentiam & benignitatem pertinere, ut ſi quis aliquâ ratione cognoſcat legem naturalem, & quæ novit facienda faciat, quoad poteſt modo humano, is abſq; alia cognitione ſupernaturali ſalutem primam & ultimā conſequatur, dummodo reliqua invincibiliter ignorat.* Nominat Sotum, Victorium, Vegam &c. Milet. in diſcuſſ. error. p. 113. diſputat, *gentes ante Chriſtum obſcuram quandam in ipſa generali Dei providētia & procuratione hominum ſalutis involutā de Chriſto habuiſſe notitiam, quam alii vocent fidem implicitam.* Maldonatus in c. 11. Matth. v. 22. *Gentiles poterant ſervatâ lege Naturæ omniū cōfeſſione eſſe ſalvi, lex autem Naturæ ſatis erat illis ab ipſa Natura prædicata.* Pererius diſp. 18. in c. 1. Rom. *Satis erat antiquis hominibus, ſi qui abſq; fide Chriſti manifeſtata ſalutem conſecuti ſunt, habuiſſe fidem ejus implicitam in fide unius Dei incluſam, credentes videl. Deum eſſe humani generis Salvatorem ſecundùm ordinem & modos ipſi notos & in mirabili ſuâ providentiâ occultos* Bellarm. lib. 1. de Chriſto c. 3. dicit *Philoſophos gentiles reipsâ Deum cognoviſſe & ex ea parte quaſi naturaliter Chriſtianos fuiſſe.* 3. Quidam ex *Calvinianis*. Cinglius in expoſ. fidei ad Chriſtian. Regem *Numam, Ariſtidem, Socratem*

&c. inter

&c. inter beatos cœlites collocat, & Deum *aliquid fides ſuâ manu in cor Senecæ ſcripſiſſe* aſſerit, ex quo jocus Viti Winshemii ortus *Cavete vobis auditores, à cœlo Cinglianorum, ego non libenter in illo cœlo viverem, metuerem enim mihi à clava Herculis.* Vide etiam Zuinglii Elench. contra Anabapt. tō. 2. oper. fol. 35. ** Idem tom. 1. Epiſt. 1. f. 382. *Ethnicus, ſi piam mentem domi foveat, Chriſtianus eſt, etiamſi Chriſtum ignoret.* de provident. tom. 1. fol. 358. de Seneca ſcribit, quod *religioſè de rerū creatione & conſervatione locutus fuerit, quod divinum animum habuerit.* ** Cinglii patrocinium ſuſcepit Gualtherus ipſius gener in Apologia edita Anno 1545. pag. 52. ubi quibuſdam rationibus Cinglii opinionem ſuffulcire conatur, quas diligenter refellit Wigandus de Sacramentariſmo fol. 32. Bullingerus librum Cinglii præfatione ornavit, vocans *cygnæam cantionem,* ** Idemque l. c. *Herculi* tribuit *pia capta, Numæ pium ſtudium circa religionem,* & addit. *An ergo tam pius & ſanctis ſtudiis cœleſte Numen defuiſſe putabimus.* ** unde Bucerus ſcriptâ ad ipſam Epiſtolâ vehementiſſimè eum rogat, ut à defenſione horrendi iſtius dogmatis abſtineat, quæ extat apud D. Pappum in refutat. relationis Bipontinæ pag. 93. Embdenſes itidem defendunt Cinglium in commonefactione de libro D. Hunnii p. 3. f. 416. Paræus in Iren. pag. 245. cap. 24. & Pelargus in Comp. Theol. correcto pag. 289. Opinionem Cinglii excuſare & incruſtare nituntur, ſed frivolis admodum argutiis, ut oſtenſum fuit in diſp. 6. de gloria Dei §. 25. Conferantur etiam Sohnius in Exeg. Aug. p. 828. Tigurini in reſp. ad Lutherum edito Anno 1545. fol. 16. 17. 18. Albertus Hartenbergius in Script. ann. 1557. edit. Daniel Toſſanus contra Marbachium. Keckerm. in ſyſt. Ethic. pag. 10. non videtur à Zuinglio diſſentire. Berlinenſes in Coll. poſteriore contra D. Hoê. pag. 100. & Pelargus d. l. etiam Lutherum hujus opinionis patronum faciunt, cùm tamen gravibus & diſertis verbis eam damnet tom. 8. Jen. Germ. fol. 175. & in comm. cap. 47. Gen. fol. 633. ubi Cinglium nominatim ob eam damnat & ex Chriſtianiſmo in gentiliſmum prolapſum eſſe dicit. Quòd gentilibus quibuſdam ſalutem tribuit, id diſertè explicat de illis, non qui in Ethnica incredulitate manſerunt, ſed qui ad veram veri Dei Iſraelis cognitionem per prædicationem verbi ſunt perducti, nec Meſſiæ ignari extitêre, quin etiam Eccleſiæ ſeſe aggregarunt, ſi non corpore & loco, tamen corde & affectu, nominat enim Abimelechum, Jobum, Naamanum, Jethronem, quoſdam ex Moabitis & Ammonitis &c. 4. *Photiniani* licet notitiam Dei naturalem planè negent, ſalvis tamen ſuis hypotheſibus aliter ſtatuere non poſſunt, quàm cognitionem Dei ad ſalutem ſufficientem gentiles etiam extra Eccleſiam habere potuiſſe. Socin. in Epiſt. quadam de hac quæſtione negat eſſe differendum. Franc. Puccius Filidinus, qui ad Photinianos tandem acceſſiſſe videtur, ut ex ſcriptis inter ipſum & Socinum commutatis probabiliter colligitur, edidit librum, in quo demonſtrare conatur, *etiam gentiles ſine fide in Chriſtum fuiſſe ſalvatos,* cui refutationem ſolidam oppoſuit Oſiander. Georgius Zarnovecius Polonus in præfat. ſcripti cujuſdam Anti-Sociniani à Conrado Nubero Dantiſcano in Latinum converſi & Dantiſci Ann. 607. editi demonſtrat, ex Photinianorum Theologiâ conſequi, *quemlibet in ſua religione, quamcunque tandem amplexus fuerit, ſalvari poſſe, ſive ſit Judæus, ſive Turca, ſive Anabaptiſta, ſive Arianus, ſive Chriſtianus.* Huc pertinet, quòd abſolutâ Dei miſericordiâ debent remitti peccata, quod negant Chriſti ſatisfactionem, ac tales fidei articulos proponunt, qui præter & extra verbi revelationem ex Naturæ lumine cognoſci poſſunt Catech. Racov. pag. 25. 26. quæſtioni *quænam ſunt, quæ ad eſſentiam Dei pertinent, prorſus ad ſalutem neceſſaria,* reſpondet hoc modo: *Sunt ea, quod Deus ſit, quod ſit tantùm unus, quòd æternus, quòd perfectè juſtus, perfectè ſapiens, & perfectè potens.* Oſtor. Inſtit. cap. 3. pag. 28. *præter hæc nihil aliud ſcitu eſſe cognitu neceſſarium, quantum ad eſſentiam Dei attinet.* Atqui iſta omnia ex naturali notitia hauriri poſſunt, ergò juxta Photinianorum hypotheſin gentiles eorum, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, cognitionem ex Natura petere potuerunt. 5. Denique idem ſtatuit Mahumetes in Alcor. azoara ſecunda. *Sciendum generaliter, quoniam omnis rectè vivens Judæus ſive Chriſtianus ſeu lege relictâ in aliam tendens, omnis ſc. Deum adorant bonaq; geſtor indubitanter divinum amorem aſſequetur.*

82. Antequam v. contra hanc opinionem argumenta noſtra proferamus, notandum 1. non eſſe quæſtionem de gentilib. ad Eccleſiam Iſraeliticam congregatis. 2. nec de naturali notitia qualis fuit in primo homine, ſed de gentilibus extra Eccleſiam, & de notitia naturali, qualis eſt in hominibus poſt lapſum extra verbi revelationem, quam ad ſalutem inſufficientem eſſe dicimus, idq; probamus hoc argumento: Quicunque deſtituti fuêre 1. cognitione unius veri Dei, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus S. 2. notitiâ Chriſti Mediatoris. 3. mediis, per quæ Chriſti beneficia offeruntur 4. verâ in Chriſtum fide. 5. operibus verè bonis ac Deo placentibus, illi ex naturali Dei notitia ſalutem æternam haurire non poterunt. Atqui gentiles extra Eccleſiam conſtituti omnibus illis caruerunt. Ergò. Major probatur 1. Verus Deus in verbo ſeſe ſic pateſecit, quòd ſit in eſſentia unus, in perſonis trinus, Pater, Filius, & Spiritus S. Qui ergò non agnoſcit eum illo modo, is non agnoſcit verum Deum. Joh. 5. verſ. 23. *Qui non honorat Filium, is nec Patrem honorat.* Non tantùm dicit, eundem honorem poſſe tribui Filio, qui Patri tribuitur, nec tantùm dicit, eum qui Filium contumeliâ afficit, etiam Patrem blaſphemare, ſed affirmat, adeò unum & indiviſum eſſe Patris & Filii honorem, ut qui non honorat Filium, nec Patrem poſſit honorare. 1. Joh. 2. v. 23. *Qui negat Filium, nec Patrem habet.* 1. Joh. 5. verſ. 11. *Vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita eſt in Filio ejus.* verſ. 12. *Qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium Dei, vitam non habet.* Subſumo. Qui non agnoſcit Filium, is eum non habet, ergò nec Patrem habet, ergò nec verum Deum, unde etiam Ethnici dicuntur fuiſſe *ἄθεοι ſine Deo* Eph. 2. verſ. 12. reſpectu ſc. ſalutaris ac ſalvificæ notitiæ unius veri Dei, dicuntur *ignoraſſe Deum.* Gal. 4. verſ. 8. *vixiſſe in temporibus ignorantiæ.* Act. 17. verſ. 30. *de Deo non audiviſſe.* Rom. 10. verſ. 14. 2. Abſque notitia Chriſti Mediatoris ſalutem non poſſe obtineri, docet Salvator Joh. 17. verſ. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Act. 4. verſ. 12. *Non eſt in alio quoque ſalus, nec aliud nomen datum hominibus.* 3. Salus non obtingit abſque Chriſto & extra Chriſtum. Chriſti

beneficia

beneficia ad homines non redeunt, niſi per media divinitùs inſtituta & ordinata, per verbum ſcilicet Evangelij & Sacramenta ei addita. Ergò abſq; mediis, per quæ Chriſti beneficia juxta Dei ordinationem offeruntur, non obtingit hominibus ſalus. Rom. 1. v. 16. *Evangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti.* 4. Sine fide in Chriſtum homini obtingere ſalutem expreſsè teſtantur divina oracula Solis radiis ſcripta. Marc. 16. verſ. 16. *Qui nõ crediderit, condemnabitur.* Joh. 3. v. 18. *Qui nõ credit, jam judicatur &c.* v. 36. *Qui incredulus eſt Filio, non videbit vitam.* Joh. 14. v. 6. *Nemo venit ad Patrem, niſi per me*, *ex verbo* ſcilicet Evangelij agnitum & verâ fide apprehenſum. Hebr. 11. v. 6. *Sine fide impoſſibile eſt Deo placere.* 5. Vera fides exerit ſe per bona Deoq; grata opera. Epheſ. 2. v. 10. Galat. 5. v. 6. Jac. 2. v. 14. Ergò ubi non adſunt bona opera Deo grata, ibi nec vera fides, ubi non eſt vera fides, ibi nec perſona Deo placere poteſt.

83. Aſſumtum itidem conſtat. Gentiles 1. cognoverunt quidem Deum eſſe, eundem eſſe unũ, eſſe juſtum, vindicem ſcelerum, ſed eundem eſſe in perſonis Trinum naturali notitiâ cognoſcere non potuerunt, quinimò ne quidem naturali illâ notitiâ rectè uſi ſunt, ſed *gloriam Dei incorruptibilis mutarunt in formam hominis corruptibilis &c.* Rom. 1. v. 23. unde Lutherus inquit, *Ethnici cognoverunt divinitatem, ſed illam non rectè diviſerunt, attribuerunt enim Diis falſis.* Lactant. lib. 4. Inſtit. cap. 4. p. 198. *Philoſophi qui Deos colunt, ſimiles ſunt aut filiis abdicatis aut ſervis fugitivis, quia nec illi patrem quærunt, nec hi dominum. Et ſicut abdicati hereditatem Patris non aſſequuntur & fugitivi impunitatem, ita neq; Philoſophi immortalitatem accipiunt, quæ eſt regni cœleſtis hereditas, i. e. ſummum bonum, quod illi maximè quærunt, neq; cultores Deorum pœnam ſempiternæ mortis effugient, quæ eſt animadverſio veri domini adverſus fugitivos ſuæ majeſtatis ac nominis.* 2. Notitiâ Chriſti Mediatoris planè deſtituti fuerunt. 3. Evangelij doctrina ipſis fuit ignota, quippe quæ eſt *myſterium æternis temporibus tacitum, patefactum autem in N. T. per Scripturas Prophetarum.* Roman. 16. v. 25. 4. caruerunt fide in Chriſtum. Aug. lib. 4. contra Julian. cap. 3. *An fortè vos Pelagiani Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis, cæteriſq; talibus proviſuri eſtis aliquem locum inter damnationem, regnumq; cœlorum, ubi non ſint in miſeria, ſed in beatitudine ſempiterna, qui Deo nõ placuerunt, cui ſine fide placere impoſſibile eſt, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt, non opinor perditionem veſtram ad iſtam impudentiam poſſe proſilire.* 5. Operibus Deo gratis ipſiq; placentibus deſtituti fuêre. *Quicquid enim non fit ex fide, peccatum eſt.* Rõ. 14. v. ult. atqui opera gentilium non fuere facta ex fide. Aug. in Pſ. 67. *Nulla ſunt bona opera, niſi quæ ſequuntur præcedente fide.* Multiplex in operibus Ethnicorum occurrit defectus tùm ratione *cauſæ efficientis*, quia fiebant à perſonis, quæ non erant in gratia, tùm ratione *cauſæ materialis*, quia erant multis modis imperfecta; peccata externa ex lege Naturæ agnoverunt, ſed interiorem ἀταξίαν & immunditiem exiſtimarunt eſſe rem naturalem peccati omnis expertem, ipſam etiam legem Naturæ non obſervarunt factis, manca & mutila fuit legis cognitio, ſed magis mancum & mutilum fuit legi præſtitum obſequium, ac uni operi politicè bono longè plura mala fuerunt appoſita, tùm ratione *cauſæ formalis*, quia fiebant abſq; cognitione veri Dei & abſq; fide in Chriſtum, quæ operum imperfectionem & immunditiem tegit, eaq; Deo grata eſſe obſequia efficit, tum ratione *cauſæ finalis*, quia non ad Dei gloriam ea referebant, ſed ad fines alios. Lact. lib. 6. Inſtit. c. 9. p. 334. *Putemus fieri poſſe, ut aliquis naturali & ingenito bono veras virtutes capiat, qualem fuiſſe Cimonem Athenis accepimus, qui & egentibus ſtipem dedit & pauperes invitavit, & nudos induit, tamen cùm illud unum, quod eſt maximum, deeſt, agnitio Dei, jam illa bona omnia ſupervacua ſunt & inania*, unde ibidem opera gentilium confert *trunco ſine capite.* Aug. l. 19. de Civ. Dei c. 25. *Si virtutes non ſiunt ad Dei gloriam, potiùs vitia ſunt quam virtutes.* lib. 4. contra Julian. c. 3. *Minus Fabricius, quàm Catilina punietur, non quia iſte bonus, ſed quia ille magis malus, & minùs impius quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, ſed à veris virtutibus non plus deviando.* Proſp. Aquitan. ſent. 106. *Omnis infidelium vita peccatum eſt, & nihil eſt bonum ſine ſummo bono. Ubi enim deeſt agnitio æternæ & incommutabilis voluntatis, falſa virtus eſt & in optimis moribus.* Bernh. ſerm. 22. in Cant. Cant. *Quid vobis Philoſophi cum virtutibus, qui Chriſtum Dei virtutem ignoratis.* Tr. de amore Dei c. 8. col. 1569. *Convincuntur Philoſophi juſtitiam non amaſſe, quia non amaverunt eum, à quo fons & origo, & in quem finis & recurſus veræ juſtitiæ & ſine quo omnes juſtitiæ hominum ſunt pannus menſtruatæ; non n. habebant fidem, quæ per dilectionem operatur licet affectatum quendam amorem, & quia quædam haberent honeſtatis, quæ quia ex fonte veræ juſtitiæ non prodibant, nec in veræ juſtitiæ finem ibant, tantò deſperatiùs errabant, quantò fortiùs extra viam currebant, via enim Chriſtus, qui dixit: Ego ſum via, veritas & vita.* Quos ſecutus Lutherus tom. 1. p. 543. *Iuſtitia hominum, et eam temporaliter Deus honoret donis optimis hujus vitæ, tamen coram Deo larva eſt & hypocryſis impia & mirum problema eſt, quod Deus remuneret juſtitiam, quam ipſe reputet iniquitatem & malitiam*; meritò igitur laudanda ingenua cõfeſſio Oecolampadij, qui in exegem. c. 10. Jobi p. 58. dicit: *Non video, quâ fiducia quidam Ethnicis, quibus nec Deus locutus, nec illis Chriſtus receptus eſt, cùm multis peccatis onerati ſint, ſpem quandam ſalutis faciant.* Quemadmodum in domo Jairi tibicines carmina funebria quidem canebant, Chriſtus autem ſolus mortuum excitabat Matth. 9. verſ. 23. ſic ſcientiæ humanæ multa quidem utiliter moneant & maximas in hac vita nobis præſtant utilitates, ita tamen ut ſint ſimul noſtrarum calamitatum teſtes, ſola autem Theologia viam ad cœlum nobis monſtrat, & ut æternùm vivamus, efficit.

84. Excipiunt 1. ea, *quæ de neceſſaria cognitione Chriſti in Evangelio oblati & fide apprehendendi dicuntur, eſſe accipienda limitatè reſpectu illorũ, qui ſunt in Eccleſia.* Reſp. 1. Scripturæ dicta ſunt generalia, proprio igitur arbitrio non ſunt limitanda. 2. Apoſtoli eo fine cum prædicatione Evangelij ad gentiles ſunt ablegati, ut converterentur *ex tenebris ad lucem & de poteſtate Satanæ ad Deum, ut acciperent remiſſionem peccatorum, & ſortem inter ſanctos per fidem, quæ eſt in Chriſtum.* Act. 26. v. 18. 3. Conſideretur fundamentum hujus neceſſitatis, quod exponitur Joh. 3. v. 36. *Qui non credit in Filium, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper illum.* Omnes homines propter pec-

catum *Naturâ ſunt filij iræ*. Epheſ.2.v.3. *mortui in peccatis*. v.5. ac proinde iræ divinæ & æternæ damnationi obnoxij, requiritur igitur, ut in gratiam à Deo recipiantur, & remiſſionem peccatorum conſequantur. Jam verò extra Chriſtum, qui ſolus pro peccatis ſufficientiſſimam ſatisfactionem præſtitit, nec gratia Dei nec remiſſio peccatorum habet locum, ergò ad ſalutem obtinendam neceſſaria eſt cognitio Chriſti & vera in eum fides. 4. negare Filium, incredulum eſſe Filio, non habere Filium, commune eſt tùm incredulis in viſibili Eccleſiæ conſortio conſtitutis, beneficia Chriſti repudiantibus, tùm gentilibus extra Eccleſiam viventibus, ut ex phraſium ἰσοδυναμίᾳ intelligitur. 5. Una & eadem omnium ſalvandorum fides, una Eccleſia, una juſtificandi ratio. Rom.4. v.1. Eph.4.v.4. Heb.13.v.8.

85. 2. *Diſtinguendum eſſe inter cognitionem Chriſti implicitam & explicitam, gentiles poſteriore non autem priore deſtitutos fuiſſe, quod ad ſalutem ipſis ſufficiens eſſe potuerit.* Andradius ſic ratiocinatur: *In ipſa divina providentia, quâ gubernantur res creatæ implicitè & abſconditè continetur generis humani redemtio per Chriſtum. Philoſophi igitur, qui generalem Dei providentiam perſpectam habuerunt, ſimul intellexerunt, Deum nihil prætermiſſum, ut homines ſalute æternâ perfruerentur. Summè bonum Deum eſſe gentiles ſunt profeſſi. At ſūmi boni hæc eſt Natura nihil prætermittere. quod ad beandos ſalvandosq́ homines facere poſſit, quod illum de Deo perſuaſum habuerunt, haud incommodè etiam aliquam Chriſti notitiam habuiſſe cenſendi ſunt.* Reſp.1. omnem omninò Chriſti & Evangelii notitiam gentilibus luce verbi deſtitutis Spiritus S. derogat. Matt.16.v.17. Rom.16.v.25. Coloſſ.1.v.26. 1.Cor.2.v.7.&c. 2. Implicita & confuſa illa notitia non eſt ſufficiens ad ſalutem, ſed requiritur explicata & diſtincta Chriſti in Evangelio patefacti cognitio, ut probant fundamenta ſuperiùs annotata. 3. Si implicita illa Chriſti cognitio in gentilibus fuiſſet ſufficiens ad ſalutem, eccur tantis periculis Apoſtoli mandato Chriſti obſecuti Evangelium inter gentes prædicarunt? cur in Chriſtum jubentur credere ſub æternæ damnationis periculo?

Argumenta eorum, qui ſalutem gentilibus extra Eccleſiam tribuunt.

86. Potiſſimùm cauſæ ſuæ robur collocant in dicto Apoſtolico. Rom.1. v.20. ubi de naturali notitia dicitur, quod gentiles per eam *redditi ſunt inexcuſabiles. At niſi ſufficiens fuiſſet ad ſalutem, non potuiſſet gentiles reddere inexcuſabiles.* Quidam recurrunt ad ſtatum primævæ integritatis, quod naturalis Dei notitia in eo fuerit ſufficiens ad ſalutem, cui notitiæ cùm in ſe ac per ſe per lapſum primorum parentum nihil deceſſerit, licet in hominibus ſit diminuta & contaminata, ideò Apoſtolum eo ſenſu ac reſpectu de naturali notitia tàm honorificè loqui exiſtimant. Sed contextus manifeſtè oſtendit, Apoſtolum loqui de naturali notitiâ non qualis olim fuit, ſed qualia jam eſt in ipſis gentilibus, quòd adhuc illos reddat inexcuſabiles. Dicimus igitur, ex eo, quòd notitia naturalis gentiles inexcuſabiles reddat, nō debere nec poſſe colligi, quòd per ſe ſit ſufficiens ad ſalutem, ſed quòd gentiles eâ non fuerint rectè uſi, ſicut ipſe Apoſtolus v.ſeq. declarat, quia cùm *cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverūt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationib. ſuis & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Deus hoc fine naturalem ſui notitiam voluit eſſe in homine adhuc reliquam, ut ejus manuductione ad quærendam ulteriorem Dei revelationē in Eccleſia, quæ in illuſtri loco ſemper conſtituta fuit, excitarentur, modo eo, quem expoſuimus in tract. de de Deo. §.11. ſed tantùm abeſt, ut ad ſalutarē hunc finem notitiâ Dei naturali fuerint uſi, ut lucem in Natura adhuc reliquam peccatorum graviſſimorum tenebris penitùs ſuffocare anniſi fuerint, veritatem in injuſtitia detinendo, gloriam ejus in idola commutando, vanitati ratiociniorum indulgendo, & concupiſcentiis carnalib. ſeſe totos tradendo, propter quem abuſum notitiæ naturalis Apoſtolus rectè pronunciat, gentiles per eam reddi ἀναπολογήτους, quamvis ipſa per ſe ad ſalutē minimè ſit ſufficiens. Urgent 2. illud, quod τὸ γνωςὸν Θεοῦ ſit Ethnicis revelatum, Rom.1.v.19. Atqui indefinitam illam locutionem Apoſtolus ipſe declaravit, quando ad *ſempiternæ virtutis & divinitatis γνῶσιν* ibidem eandem reſtringit. 3. Joh.4. v.38. de Apoſtolis Chriſtus dicit: *Ego miſi vos metere, quod non laboraſtis*, ergò *per ratiocinationes Philoſophorum gentes fuêre præparatæ ad miniſterium Apoſtolorum.* Cingl. Peucerus. Reſp. non Philoſophi ſed *Prophetæ*, ibi per laborantes intelliguntur, ut ipſe Calvinus agnoſcit. Illi enim promiſſiones de Chriſti adventu annunciarunt, atq; ut Chriſti metaphoræ inſiſtamus, illi agrum Dominicum ſentibus idololatricis, undiq; repletum expurgarunt, concione legis velut aratro quodam corda hominum proſciderunt, & prima ſemina Evangelicarum promiſſionum in Eccleſia ſparſerunt, ſed ea, quæ in herba manſerunt, quia Chriſtum longè pòſt venturum obſcuris verborum involucris nonnihil delinearunt, maturitatem hujus ſegetis, id eſt, oraculorum impletionem & Evangelij in gentes propagationem non viderunt, quod Apoſtolis fuit reſervatum.

87. 4. *Duritas atq; immanitas tetrior nulla, quàm ſempiternis cruciatibus mancipare homines propter illam fidei defectum, quem cōſequi nulla ratione poterant.* Andradius, Puccius. Reſp.1. in primis parentibus omnibus hominib. data fuit imago Dei, ad quam pertinet lux ſalutaris cognitionis divinæ in mente, quâ cùm ſe & poſteros primi parentes ſpontaneâ culpâ privaverint, non eſt quod Dei injuſtitiam accuſent. Aug. Epiſt. 105. ad Sixtum. *Nulla ignorantia damnatione immunis eſt ne per hoc inexcuſabilis eſt omnis qui ex ea peccat vel reatu originis, vel additamento ē propria voluntatis, ſive qui norit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat, quia & ipſa ignorantia in illis, qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt, in illis autem qui intelligere non potuerunt, pœna peccati eſt, ergo in utriſq; non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.* 2. imperfectioni naturalis notitiæ conſultum Deus voluit per notitiam in verbo revelatam, quam tribus diſtinctis vicibus omnibus in terra hominibus Deus communicavit, Adamo poſt lapſum, Noæ & ipſius filiis poſt diluvium, gētibus in univerſum omnibus tempore Apoſtolorum. Quod ſi qui gentilium deſtituuntur revelatâ illâ notitiâ, ſine qua naturalis eſt ad ſalutem inſufficiens, agnoſcant majorum ſuorum culpam, non accuſent Dei miſericordiam. 3. quinimò in media gentilitate Deus non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit, ſed manifeſtavit ſe per legem Naturæ, per voces creaturæ, per celebritatem Eccleſiæ. Quare cùm Naturâ Magiſtrâ ac duce Ethnici potuerint agnoſcere, quòd ſit Deus, & quòd religioſè colendus

lendos t, debuiſſent ulterius inqoirere verum divini cultus modum in Eccleſia patefactum, quam ideò Deus in illuſtri loco conſtituit, & miraculis plurimis, quorum fama inter gentiles ſparſa, nobilitavit, ut velut publico præconio omnes ad Eccleſiam & ſic ad naturalis illius notitiæ uſum invitarentur. V. loc. de elect. §. 135.

Uſus notitiæ naturalis.

88. Uſus notitiæ naturalis practicus. Is dupliciter cõſiderari poteſt. Reſpectu *gentilium* extra Eccleſiam, & reſpectu *eorum qui ſunt in Eccleſia*. In gentilibus triplex notitiarum naturalium finis ſtatuitur à Dn. Chemnitio part. 1. locor. p. 30. 1. *reſpectu ipſorummet*, ut Deum *quærant*, Act. 17. v. 27. 2. *reſpectu proximi*, ut homines regant externam diſciplinam, & in tranquillitate cum proximo vivant. Si eſſet abſq; naturalibus illis notitiis, & innato honeſtorum ac turpium diſcrimine, homines ferarum more ſeſe invicem opprimerent. 3. *reſpectu Dei*, ut coram eo reddantur *ἀναπολόγητοι, quia cognoſcentes Deum non tamen glorificarunt* Rom. 1. v. 20. qui tamen finis eſt accidentarius, ut particula *εἰς τὸ εἶναι* exponatur per *ὥστε εἶναι*, ac eventus potiùs quàm proprius & principalis finis naturalium notitiarũ denotari ſtatuatur. Quia n. gentiles naturali notitiâ non ſunt rectè uſi ſine eo, propter quem Deus eam in mente humana voluit eſſe reliquam, inde demùm accidit, ut per ipſas naturales notitias reddantur inexcuſabiles, quam explicationẽ tradit Apoſtolus Roman. 1. v. 21. c. 2. v. 10. Reſpectu noſtri, qui ſumus mẽbra Eccleſiæ, & revelatâ in verbo notitiâ gaudemus, verus & ſalutaris notitiæ naturalis uſus in eo conſiſtit, ut eam non ſuſq; deq; habeamus, ſed diligenter excolamus, interim tamen imperfectionem ejuſdem ex collatione cum revelata agnoſcamus, ac revelatæ notitiæ eandem ſubordinari debere ſtatuamus. Quare cùm notitia inſita contineat librum conſcientiæ, ac notitia acquiſita ex libro Naturæ diſcenda ſit, utrumq; librum ſedulò nobis habeamus commendatum. Conſcientia eſt teſtis dictorum & factorum noſtrorũ domeſticus, & comes noſter individuus, ô nos miſeros, ſi hunc teſtem & comitem lædamus. *Eſt codex, in quo omnia noſtra verba & facta ſtylo veritatis ſcribuntur, ad quem librum emendandum omnes alij libri ſunt inventi*, Bernhardus de int. Dom. c. 28. ô nos miſeros, ſi libri illius nos capiat oblivio. *Conſcientiâ pro lucerna utere in omnib. actionibus*, inquit Nilus in libro præceptorum, *ea enim, quæ in vita bona ſunt actiones, quæ verò malæ, tibi oſtendet*. O nos miſeros, ſi hanc lucem extinguere nitamur. Magiſtra verax eſt cõſcientia, cui quiſquis auſcultat, abſq; ſcrupuli offendiculo permanet. O nos miſeros, ſi huic Magiſtro aures præbere recuſemus. Facies animæ eſt conſcientia. Sicut enim in conſpectu hominum gratioſa eſt facies pulcra, ſic in oculis Dei ſpecioſa eſt conſcientia munda. *Bona conſcientia eſt titulus religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arca fœderis, theſaurus regis, aula Dei, habitaculum Spir. S. liber ſignatus & clauſus, & in die judicij aperiendus*. Bernhardus de inter. domo cap. 22. col. 1210. Vide pract. Aphor. ſubtit. Conſcientia. Nec ſolum internum conſcientiæ librum quotidiè ſcrutemur, ſed & externum Naturæ librum *διδασκαλεῖον* illud *ψυχῶν λογικῶν καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον*, ut Baſil. eum vocat hom. 11. hexaêm. quotidiè evolvamus. Cumq; ſex dierum ſpacio omnia opera Deus abſolverit, & ſeptimo quieverit Gen. 2. v. 1. ideò ſingulis ſex ſeptimanæ diebus quodlibet hexaemeri illius *θαυματούργημα* mentis oculo contemplemur, ut ſeptimo quietis die anima noſtra in Deo creatore requieſcat. Clemens Alexandrinus dicit, *totam rerum univerſitatem nihil aliud eſſe, quàm grande quoddam volumẽ, in quo non mortuis, ſed vivis literis notitia Dei inſcripta; ac folia ejus eſſe tria, cœlum, terram & mare*. Antonius Eremita apud Socratem. lib. 4. Hiſt. c. 23. & Niceph. lib. 11. c. 34. *τὸ ἐμὸν βιβλίον ἡ φύσις τῶν γεγονότων ἐστὶ καὶ πάρεστιν ὅτε βούλομαι τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοὺς τοῦ θεοῦ*. Bernh. dicebat, *nullos aliquando ſe magiſtros habuiſſe alios, quàm in ſylvis quercus & fagos*. Tot in Natura divinæ potentiæ ſunt miracula, tot bonitatis indicia, tot ſapientiæ documenta, quot in ea rerum ſpecies, imò quot ſpecierum individua.

Exegeſis.

CAP. V.

Quis ſit Deus.

An Deus poſſit definiri.

89. Duo hoc loco quæruntur: 1. *An Deus poſſit definiri*. 2. *Quomodo ſit definiendus*, *εἰ καὶ πῶς δεῖ ὁρίζειν τὸν θεόν*. Ad priorem quæſtionem reſpondemus negatè. 1. *ex generis defectu*. Quicquid deſtituitur vero & proprio genere Logico, illud definiri nequit, quia genus eſt eſſentialis definitionis pars. Deus non habet verum & proprium genus Logicum, quia ſi tale genus obtineret, illud univocè eſſentialiter & æqualiter de Deo & creaturis prædicaretur, quod fieri nequit, quia Deus utpotè creator, & creatura infinito intervallo inter ſe diſtant, neq; quicquam eſt, quod æqualiter de utroq; prædicari poſſit. Confer Damaſcen. 1. de orthod. fid. c. 13. Keckerman. lib. 1. ſyſt. Theol. p. 6. Goclen. part. 2. probl. Logic. c. 15. p. 51. ubi negant dari poſſe genus in definitione Dei. Thom. p. 1. q. 3. art. 5. ſic progreditur: *Eſt aliquid in genere 1. ſimpliciter & propriè ſicut ſpecies. 2. per reductionem ſicut principium & privationes. Sic punctum & unitas reducuntur ad genus quantitatis, neutro modo Deus eſt in genere, non ut ſpecies. 1. Species cõſtituitur ex genere, & differentia, id a. à quo ſumitur differentia, ſe habet ad illud unde ſumitur genus, ſicut actus ad potentiam, cùm in Deo non adjungatur potentia actui. 2.* Philoſophus 3. Metaph. oſtendit, *quòd Ens non poteſt eſſe genus alicujus, omne n. genus habet differentias, quæ ſunt extra eſſentiam generis, nulla autem differentia poteſt reperiri, quæ ſit extra Ens 3. quæ ſunt in uno genere, communicãt quidditate, differunt a. ſecundum eſſe. in Deo a. non differunt eſſe, & quod quid eſt, id eſt eſſentia. Nec reductivè Deus eſt in genere, quia principium quod reducitur in aliquod genus, non ſe extendit ultra illud genus, ſic punctum non eſt principium niſi quantitatis continuæ. Deus a. eſt principium totius eſſe*. Hæc Tom. Scotus quidem 1. ſent. diſt. 3. quęſt. 5. diſputat, *quòd Ens ſit genus univocum Deo & creaturis*, & format hanc propoſitionem: *Dabilis eſt conceptus, unus communis Deo & creaturis prædicabilis, de eis in quid & primo modo per ſe. Deus n. poteſt à nobis cognoſci, non in ſe, quia talis cognitio eſt intuitiva & beatifica, nec in conceptu ſimplici proprio ſibi, quia nihil ſic intelligitur, niſi prius in ſe cognoſcatur, ergò in aliquo conceptu communi ſibi & creaturis*. Scoto ſuffragatur Piſcator volum. 1. theſ. Theol. diſp. 2. th. 3. p. 76. *Vocabulum Spiritus*, inquit, *ſtatuimus pro genere in definitione Dei, quia de Deo & Angelis & animabus hominum communiter*

T 2 *prædi-*

prædicatur. Sed rectè monet Bielius 1.ſent.diſt.2. quæſt.8.circa finem: *Univocum accipi latè & ſtrictè. Si ſumatur strictè, pro conceptu prædicabili de pluribus ſimilitudinem perfectam ad invicem habentibus, tunc nullum conceptum eſſe univocum Deo & creaturis*. Si dicas, *habet tamen genus analogum*. Reſp. Deus eſt infinitus, eſt ſimpliciſſimus, nec materiæ & formæ, nec generis & differentiæ, nec ſubjecti & accidentium, nec actus & potentiæ, nec οὐσίας & εἶναι, nec ſuppoſiti & Naturæ compoſitionē admittens. Quicquid verò ꝓpriū habet genus, illud eſt quodam̃odo finitū & cōpoſitū. Deus ſimpliciter infinitus. E. Si Deus & Angeli haberent genus analogicum, eſſet quædam proportio inter Deum & Angelos. Atqui inter finitum & infinitū nulla datur proportio. Vox Spiritus quâ ratione tribuitur Deo, eâ ratione non tribuitur Angelis, quia in Deo non eſt aliud eſſe Spiritum, eſſe eſſentiam, eſſe infinitum &c. eſt enim ipſa ſua infinitas. Ergò non ſolùm excellenter, ſed planè ſingulariter de Deo prædicatur. *2. ex Dei perfectione*. Deus eſt ſummum Ens, & eſt merus ac puriſſimus actus. Quia eſt ſummum Ens, ideò non habet aliquod ſuperius, jam verò quicquid propriè definitur, id per prius definitur. 6. Top.3. quia puriſſimus actus, idcò nihil potentialitatis ſive potentiæ paſſivæ admixtum habet, jam verò in definitione genus eſt inſtar potentiæ & materiæ, differentia ſpecifica inſtar actus & formæ. Differentia non eſt eſſentiâ idem quod genus, ſed ſecundùm eſſentiam à genere differt. At verò eſſentiales Dei proprietates eſſentiâ non differunt ab ipſa Deitate, ſed realiter ſunt ipſa divina eſſentia. Ergò eſſentiales Dei proprietates in ipſa Deitate nullam realem differentiam arguunt. Sicut materia prima non poteſt propriè & perfectè definiri, quia eſt *mera potentia*, & propter minimam Entitatem, ita quoq; ex adverſo Deus non poteſt definiri, quia eſt *merus actus* & propter ſummam Entitatem. Damaſcen. in Dial.c.4. Deus eſt οὐσία ὑπερούσιος, ad nullum Entis genus determinatus & reſtrictus, ſed omnia Entium genera infinitis modis in ſe cōplectens. Dei eſſentiam nec oculis intueri, nec mente complecti, nec linguâ eloqui in hac vita poſſumus, quomodo igitur eandem perfectè definire poſſemus? Exod.33.v.20.1.Cor.13.v.13. Vide omninò Aug.libr.de cogn.veræ vit.c.3. Idem libr.7.de Trin.c.4. negat, *ſubſtantia nomen Deo competere, cùm non inſit in eo aliquid tanquam in ſubjecto, cùmq; ſit ſimpliciſſimus. Eſſentia autem nomen ita ipſi competere, ut ſolus dici oporteat eſſentia, eſt n. verè ſolus, quia incommutabilis eſt*. Damaſcenus 1.de orthod.fide c.16. ἀδύνατον φύσιν τελείως γνῶναι τὴν ὑπερκειμένην φύσιν, εἰ γὰρ καὶ τῶν ὄντων αἱ γνώσεις, τὸ ὑπερούσιον πῶς γνωσθήσεται. Scal.ex.365.ſect.4. *In priſca Philoſophia dicitur Deus ὑπερούσιος, quod vocabulum ipſum amandat ſupra omnem ſubſtantiam, quia non eſt ſubſtantia, quomodo noſtra*. Thom.1.ſent.diſt.8.q.4. *Deus propriè ſubſtantia dici nequit, largo tamen modo ſubſtantia dici poteſt, quæ intelligitur ſuper omnem ſubſtantiam creatam*. 3. *ex ſufficienti enumeratione*. Si Deus propriè definiri poſſet, illa foret vel *eſſentialis*, vel *cauſalis* definitio. Eſſentialis eſſe nequit, quia illa conſtat genere & differentiâ ſpecificâ. Jam verò Deus non habet univocum aliquod genus cum reliquis Entibus, nec ſimpliciſſima ejus eſſentia ex genere & differentia eſt compoſita. Cauſalis definitio itidem eſſe nequit, quia Deus eſt omnium rerum cauſa, ſed Dei nulla datur cauſa, eſt ἀναίτιος, ἄναρχος &c. 4. *ex veterum conſenſione*. Pythagoras Deum definiturus dixit, *eſſe exceſſum maximorum numerorum ſupra proximum*, quâ ænigmaticâ obſcuritate ſignificare voluit, fruſtrà quæri quis ſit Deus. Nota eſt Hiſtoria Simonidis, qui explicaturus Regi Hieroni, *quid ſit Deus*, ſpacium ad deliberandum accepit biduum, triduum, & cùm aliquoties numerum duplicaſſet, tandem dixit: *Quantò magis cogito, tantò minùs invenio*. Socrates lib.3.c.5. in Hiſtoria tripart.lib.6.c.31. Niceph. lib.10.c.15. de Evagrio referunt, quòd temerè & inconſideratè de Deo diſputare prohibuerit, definire verò divinitatem modis omnibus interdixerit. *Rerum*, inquit, *compoſitarum ſunt definitiones. Omnis enim propoſitio aut genus habet, quod prædicatur, aut ſpeciem, aut differentiam, aut proprium, aut accidens, aut ex his compoſitam orationem. Sed nihil in ſancta Trinitate horum quæ dicta ſunt, poterit comprehendi, igitur quod ineffabile eſt, ſilentio adoretur*. Cypr. in prolog.lib.de operibus Chriſti cardinalibus p.288. *Divinitas non eſt definibilis*. Hilar.lib.de Dei Patris & Filij unit.p.766. *Nomina, quæ Deo tribuuntur, ſunt ſignificationes diſpoſitionum & operum divinorū, non tamen ipſum Deum propterea definiunt*. Idem de Trinit. *Certè hoc eſt Deus, cùm dicitur, non poteſt dici; cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari; cùm definitur, ipſe ſuâ definitione creſcit*. Baſil.lib.contra Eunom.p.111. *Deum nec mēte comprehendi, nec definitione explicari poſſe*, multis probat. Auguſtin.lib.2.de Trin. p.15. *Perfecta ſcientia eſt, ſic Deum ſcire, ut licet non ignorabilem, tamen inenarrabilem ſcias. Credendus eſt, intelligendus eſt, adorandus eſt, & his officiis eloquendus*. Idem in lib.de cogn.veræ vit.c.7. *Sicut ſummus ille Spiritus, qui Deus eſt, à nullo intellectu valet propriè excogitari, ita nullâ definitione poteſt propriè definiri aut determinari*. Damaſc.l.1.orth. fid.c.4. *Quid ſecundū ſubſtantiam ſit Deus, dicere impoſſibile*. Hiſce ἐπιστάγματος loco addi poteſt illud Theupoli lib.1.Acad. contempl. cap.2. ubi ex ſententia Platonis ſic ſcribit: *Deus ut omnium notiſſimus, ita omnium ignotiſſimus cenſeri debet. Notiſſimus ex ſui Naturâ, ignotiſſimus nobis. Notiſſimus, quòd ſit; ignotiſſimus, quid ſit. Propterea ut ab homine exactè cognoſci, ita nomine exactè exprimi, definitioneq́; explicari minimè poteſt*.

90. Contrarium propugnat Vorſt. in tract. de Deo p.234. *Quòd Deus dicitur Ens ſummum, hinc non efficitur ſub nullo prorſus genere eſſe, nec ullâ differentiâ reſtringi poſſe ad certam ſpeciem*, in eod.tr. p.198. *Deum includi ſubſtantiæ prædicamentali, includi alicui rerum generi, & ſub aliquo genere contineri*. Pro hac opinione tale poteſt formari argumentum: *Si Deus non poteſt definiri. Ergò nec cognoſci*. Reſp. diſtinguendum eſt 1. inter perfectā definitionem, quæ ad ἀκρίβειαν præceptorum Logicorum exactè congruit, & ex Scripturis petitam qualemcunq; deſcriptionem. 2. inter cognitionē & comprehenſionem, γνῶσιν καὶ κατάληψιν. Illud comprehenditur, quod perfectè cognoſcitur; perfectè cognoſcitur, quod tantum cognoſcitur, quantum eſt cognoſcibile. Deum quidē cognoſcimus, ſed non cōprehendimus, id eſt, non perfectè cognoſcimus, quia eſt infinitus, ubi tamen notandum, cognitionem Dei ex verbo petitam dici perfectam, tùm *ratione finis*, quia eſt ad ſalutē ſufficiens, tùm comparatè *reſpectu notitiæ naturalis*, quę eſt admodùm obſcura & imperfecta. 3. inter

ter cognitionem Dei in hac & altera vita. Illam vocant cognitionem *viatoris*, hanc *comprehenſoris*; illam *via*, hanc *viæ & patriæ*. Intuitiva definitio eſt omnium perfectiſſima, jam verò Deum in futura vita videbimus à facie ad faciem. Ergò perfectè cognoſcemus, & perfectam ejus definitionem addiſcemus. 4. Definitio ὀνοματώδης dari poteſt, οὐσιώδης verò minimè.

Quomodo Deus deſiniendus.

91. 2. *Quomodo Deus deſiniendus.* Variæ traduntur Dei definitiones, tùm à Philoſophis, tùm à Scripturibus Eccleſiaſticis, quarum tamen aliæ aliis ſunt perfectiores, inter quas ut collatio inſtitui poſſit, quaſdam earum hùc referemus. Philoſophi deſcriptiones ſuas partim ex lumine Naturæ hauſerunt, partim ex peregrinationibus in Ægyptum ad populum Dei ſuſceptis domum ſecum retulerunt. Hermes Triſmegiſtus, referente Alex. de Aleſp. 1. q. 7. memb. 1. Deum ſic definit: *Deus eſt ſphæra intellectualis, cujus centrum eſt ubique, circumferentia verò nuſquam.* Alij definitionem illam Empedocli tribuunt, circulus eſt figura perfectiſſima, nec initium, nec finem habens, ad infinitatem igitur & immenſitatem Dei deſignandam adhibetur. Sed Scalig. ex. 363. hanc definitionem improbat: *Peſſimè*, inquit, *medium aſſignat infinito, & circumferentiam qui dat, finitum facit. Tum ſi erit ubiq; circumferentia, erit etiam in medio & idem fiet centrum cum circumferentia.* At ſymbolica deſcriptio non poteſt exigi ad leges definitionis Logicæ, nec dicit Triſmegiſtus, Deum eſſe, cujus medium in centro, circumferentia verò ubiq;, ut Scaliger recitat, ſed Deum eſſe intellectualem ſphæram, cujus centrum ubiq;, circumferentia verò nuſquam, i. e. qui nec loco, nec tempore circumſcribitur. Idem Hermes in Pamandro cap. 2. Deum vocat *actum omnium potentiarum, & potentiam omnium actuum.* Idem Triſmegiſtus, *Deus eſt & quæ ſunt & quæ non ſunt.* Deus eſt quæ ſunt non formaliter, *ſed & eminenter & cauſaliter*, eſſe dat & conſervat omnib. Entibus, Deus eſt quæ non ſunt, *potentialiter*, quia p ſuam potentiam vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα. Rom. 4. v. 17. cum quo congruit illud Siracidis. Deus eſt τὸ πᾶν. c. 43. v. 27. Platoni Deus eſt *mens æterna, cauſa omnis boni in Natura.* Eſt ζῶον ἀθάνατον, αὐταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν, οὐσία ἀΐδιος, ἡ τοῦ ἀγαθοῦ φύσεως αἰτία. Ariſtot. 12. metaph. c. 7. θεὸς ἐστὶ ζῶον ἀΐδιον ἄριστον. *Deus eſt ſummũ Ens, eſt Ens Entium, primum omnis motus principium, ipſum* ἀκίνητον. Autor libri de mundo c. 6. θεὸς ἐστὶ δυνάμει μὲν ἰσχυρότατος, κάλλει δὲ εὐπρεπέστατος, ζωῇ δὲ ἀθάνατος, ἀρετῇ δὲ κράτιστος. Ibid. *Hoc in mundo eſt Deus, quod in navi gubernator, quod in curru auriga, quod in choro præcentor, in civitate lex, in exercitu Imperator.* Apollo Colophonius interrogatus, quid eſſet Deus, reſpondit: αὐτοφυής, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος, οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενος ἐν πυρὶ ναίων. Τοῦτο θεός. Cicero referente Laërt. lib. 1. c. 5. *Deus ipſe qui intelligitur à nobis, non poteſt alio modo intelligi, niſi mens ſoluta quædam & libera ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens, ipſaq; prædita motu ſempiterno.* Senec. lib. 1. Natural. quæſt. *Quid eſt Deus? mens univerſi, quod vides totum & quod non vides totum.* Confer definitionem Parmenidis apud Bedã in libr. Boëtij de Trin. tom. 8. col. 1106. Cleanthis apud Clement. Alexandr. in protrept. p. 25. Stoicorũ apud Laertium lib. 7. in vit. Zenon. p. 450. & apud Galenum libr. de Philoſ. Hiſtor. c. 27. Socratis apud Plutarch. libr. 1. de placit. Philoſoph. cap. 7. &c.

92. In Scriptorib. Eccleſiaſticis hæ occurrunt deſcriptiones. Dionyſ. lib. 1. de div. nomin. *Deus eſt omnia quæ ſunt, & nihil eorum quæ ſunt.* Juſtin. contra dogm. Ariſt. p. 86. *Deus eſt ſingularis & unus, qui Deum Deorvè nec ante ſe, nec poſt ſe habuit; coæternum non habens, neq; ſubjectum, neq; oppoſitum: incorruptibilem obtinens Naturam vel eſſentiam, operandique, cui nihil prorſus intercedat impedimenti, efficaciam: mundi totius architectus.* Lactant. lib. 1. de ira Dei. *Deus eſt incorporalis mens, quæ per omnem rerum Naturam diffuſa & incerta vitalem ſenſum cunctis animantibus tribuit.* Nazianz. orat. in pat. θεὸς φῶς τὸ ἀκρότατον καὶ ἀπρόσιτον καὶ ἄρρητον, οὔτε νῷ καταληπτὸν, οὔτε λόγῳ ῥητὸν, μήτε ἀρξάμενον, μήτε παυσάμενον. Aug. lib. 8. de civ. Dei c. 9. ante med. *Deus eſt rerum creatarum effector, lumen cognoſcendarum & bonum agendarũ, ab illo nobis eſt & principium Naturæ, & veritas doctrinæ, & felicitas vitæ.* In qq. V. ac N. Teſt. q. 1. *Deus eſt Spiritus Naturæ ſimplex, lux inacceſſibilis, inviſibilis, inæſtimabilis, infinitus, perfectus, nullius egens, æternus, immortalis, venerandus, diligendus, metuendus, omnipotens, omnitenẽs, dives, bonus, juſtus, ſeverus, miſericors, clemens, patiens.* de Spiritu & anim. c. 63. *Deus id ſolus eſt, quod eſt & qui eſt, eſtq; id, quo nihil majus cogitari poteſt nec melius, nec jucundius, vita, ſapientia, lux, veritas, bonitas, æternitas, ſummum bonum ſibi ad omnia ſufficiens, nullo indigens, quo omnia indigent, ut ſint & ut benè ſint.* Idem. *Eſt veritas ſine fallacia, bonitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria*, de quant. anim. c. 33. *Deus eſt omnium rerum creator, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, incommutabile principium, incommutabilis ſapientia, incõmutabilis veritas, incommutabilis æternitas, incommutabilis virtus, incommutabilis charitas, unus verus Deus atque perfectus, qui nunquam non fuit, nunquã non erit, nunquam aliter fuit, nunquã aliter erit, quo nihil ſecretius, nihil præſentius, qui difficile invenitur, ubi ſit, difficilius ubi non ſit, cum quo eſſe non omnes poſſunt, & ſine quo eſſe nemo poteſt.* Bernh. lib. 5. de conſid. col. 1049. *Deus eſt voluntas omnipotens, benevolẽtiſſima virtus, lumen æternum, eſt incommutabilis ratio, ſumma beatitudo, creans mentem ad ſe participandum, vivificans ad ſentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, juſtificãs ad promerendum; accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, promovens ad bonitatem, dirigens ad æquitatẽ roborans ad virtutem, formans ad benevolentiam, modificans ad ſcientiam, moderans ad ſapientiam, viſitans ad conſolationem, illuminans ad cognitionẽ, perpetuans ad immortalitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad ſecuritatem, qui amat ut charitas, novit ut veritas, ſedet ut æquitas, dominatur ut majeſtas, regit, ut principium, tuetur ut ſalus, operatur ut virtus, revelat ut lux, aſſiſtit ut pietas.* In medit. c. 1. *Deus in ſeipſo incomprehenſibilis, quia principium & finis. Principium ſine principio, finis ſine fine. In Angelis deſiderabilis, quia in eum deſiderant proſpicere: In ſanctis eſt delectabilis, quia in eo aſſiduè felices lætãtur. In creaturis admirabilis, quia omnia potẽter creat, ſapienter gubernat, benignè diſpenſat. In hominibus amabilis, quia eorum eſt Deus, & ipſi ſunt populus ejus.* Damaſc. l. 1. orth. fid. c. 2. & 8. latiſſimam Dei deſcriptionem proponit cap. 15. ex Dionyſio: ὁ θεὸς πάντων ἐστὶν αἰτία καὶ ἀρχὴ, τῶν ὄντων οὐσία, τῶν ζώντων ζωὴ, τῶν λογικῶν ὄντων λόγος, τῶν νοερῶν ὄντων νοῦς, καὶ τῶν μὲν ἀποπιπτόντων αὐτῶν ἀνάκλησίς τε καὶ

ἀνάςασις, τῶν δὲ καταφθειρόντων τὸ κτ̃ φύσιν ἀνακαινισμὸς καὶ ἀναμόρφωσις, τῶν κινουμένων κατά τινα ἀνίερον σάλον, ſecundum impetum validum, ἵδρυσις ἱερὰ καὶ τῶν ἑστηκότων ἀσφάλεια, καὶ τῆς ἐπ' αὐτὴν ἀναγομένης ὁδὸς, καὶ ἀνατακτικὴ χειραγωγία, τῶν ὑπ' αὐτοῦ πεποιημένων πατὴρ. c. 16. ἐστιν ὑπερούσιος οὐσία, ὑπέρθεος θεότης, ὑπεράρχιος ἀρχή. Confer. Juſtio. in Dial. cum Tryphon. p. 170. Irenæum lib. 2. c. 47. Tertull. lib. 1. contra Marcion. p. 148. lib. adv. Judæos pag. 120. lib. de Trin. p. 598. io Apologet. c. 16. contra Praxeam p. 405. Hilarium lib. 1. de Patris & Filij unit. p. 756. Arnobiom lib. 1. adv. genteſ p. 23. Nazianz. orat. 38. quæ eſt in Chriſti nativ. p. 587. in lib. Carmin. p. 1017. Baſil. hom. 1. hexaëm. p. 25. Ruffin. in expoſ. ſymb. Auguſtin. lib. 1. de Trin. c. 2. Caſſiodor. in Pſ. 2. Hymnum Scaligeri lib. de ſubtil. Hebræi brevem proponunt deſcriptionem. Deus eſt Jehovah Elohim, id eſt, una æterna & ſimpliciſſima trium perſonarum eſſentia.

93. Cæterùm ut de his & ſimilibus Del deſcriptionibus rectius fieri poſſit judicium, notaodum quòd definitio Dei ex Scripturis petita quinq; debeat complecti membra. 1. eſſentiam. 2. attributa eſſentialia. 3. tres perſonas hypoſtatico charactere invicem diſtinctas. 4. opera ad extra, in quib. ſingulæ perſonæ ſeſe manifeſtarunt. 5. beneficia Dei tùm generalia erga totum genus humanũ in creatione & cooſervatione mundi, tùm ſpecialia erga Eccleſiam. Deus eſt eſſentia ſpiritualis ſimpliciſſima, infinita, immenſæ bonitatis, ſapientiæ & potentiæ, juſta, verax, nẽpè Pater, qui ab æterno genuit Filium imaguem ſuam, & per Filium in Spir. S. omoes res condidit & conſervat; Filius, qui ab æterno eſt à Patre genitus & in plenitudioe temporis aſſumſit humanam Naturam, inq́; ea opus redemtionis præſtitit; Et Spiritus ſanctus à Patre & Filio ineffabiliter ab æterno procedens, qui viſibiliter effuſus ſuper Apoſtolos & adhuc hodiè inviſibiliter mittitur in corda credentium, & per Evaugelij prædicationem colligit Eccleſiã ex toto genere humano, quã ſanctificat ad nominis divini gloriam & credentium ſalutem æternam.

94. Practicam Dei definitionẽ proponit Joh. 1. Epiſt. 4. v. 8. *Deus eſt charitas.* Ex charitate omnia Dei opera procedunt, & Sp. S. à Patre & Filio ab æterno procedẽs eſt ſubſtantialis amor Patris & Filij, in tempore Deus ex charitate omnia creavit, ex charitate miſit Filium ad opus redemtionis præſtandum, ex charitate dat Spir. S. qui ſimiles motus in cordibus eredentium accendit, ex charitate in vita æterna à facie ad faciem beatis ſeſe cootuendum præſtabit. Deus abſconditus in prædicamento ſubſtantiæ eſt incomprehenſibilis, ineffabilis, excedens cognitionem & ſcientiam noſtram, ſed Deus revelatus in prædicameoto relationis rectè definitur per charitatem, quia omnia in charitate & ex charitate agit. Ut ergò practica Dei definitio à charitate petitur, ita etiam practica ejus cognitio in charitate conſiſtit. Nihil quicquam prodeſt ſubtiliſſimè de Deo diſputare, & interim ſummum illud bonum, ſubſtantialem illam charitatem non amare. Omnia Dei opera & beneficia generi humano exhibita eò unicè ſpectant, ut ad amandum Deum noos alliciant. Amor fecit, ut noo ſolùm omnia propter hominem Deus crearet, ſed ut ipſe etiam Deus propter hominem homo fieret; pluſquam ferrea igitur oportet eſſe corda, quæ tanti amoris igne noo molliuntur, ut DEUM creatorem, DEUM reparatorem, Deum ſanctificatorem dil... nt &c.

CAP. VI.

De divinæ eſſentiæ unitate.

95. Ex definitione Dei manifeſtum eſt, conſiderandam eſſe in Deo 1. *eſſentiæ unitatem.* 2. *attributa divina*, quæ ſunt vel *eſſentialia*, vel *relativa.* 1. Deum eſſe unum, conſtat tùm *ex Scripturæ dictis*, tùm *ex rationum momentis.* Quando Deum dicimus eſſentiam ſpiritualem ex Exod. 3. v. 14. vel Spiritum ex Johan. 4. v. 14. tùm vox eſſentiæ ſeu Spiritus non eſt Univerſale quoddam *νόημα* ab individuis mente abſtractum Deo & Angelis ex æquo competens, ſed ſigoificat rem infinitam onmero unam revera exiſtentem, ſimpliciſſimam tribus Deitatis perſoois ex æquo commuoem, quæ oec univocè nec analogicè de Deo & Angelis aliiſve creaturis, ſed modo planè ſingulari prædicatur, cùm eſſentia iofinita & finita, Spiritus increatus & Spiritus creatus pluſquã toto genere differant. Ex qoo principio unitas Dei ſeu divinæ eſſentiæ deducitur, quam Scriptura probat triplici argumentorum claſſe. 1. *ſimplici affirmatione*, quando Deum unum & ſolum eſſe aſſerit. 2. *ſimplici negatione*, quando plures Deos eſſe oegat. 3. *excluſivâ enunciatione*, quando prẹter unum verum Deum eſſe alium priorẽ vel poſteriorem Deum oegat. Vide tract. de Nat. Dei in Loc. §. 40. Claſſicus locus extat Deut. 6. v. 4. *Audi Iſrael Dominus Deus tuus eſt Deus unus*, qui adducitur à Chriſto Marc. 12. v. 13. quæ verba Judæi noo ſolùm quotidiè legunt, ſed etiam membranẹ puræ inſcripta, intra cæſariem & frootem & ſiniſtrum brachium alligant, neq; quicquam uſpiam eſt ex omni lege mutatum, quod æquali religione dignentur, referente P. Fagio in Exod. 13. Ratio unitatis eſt, ut dicat in diviſionem rei in ſe & diviſionem ipſius ab alia quacunq; re. Rationes pro aſtruenda divinæ eſſentiæ unitate petuntur. 1. *à ſimplicitate.* 2. *ab infinitate.* 3. *à perfectione.* 4. *à ſũma bonitate.* 5. *à dominij autoritate.* Vide Damaſcenum lib. 1. orthod. fidei cap. 5. & locos §. 41.

Vnitas divina eſſentia.

96. 2. Deus ut eſt ſummum Ens, ita quoque maximè unum. Tertulliao. adv. Hermog. cap. 17. *Unici Dei ſtatus hanc vendicat regulam, non aliter unici, niſi quia ſolus, non aliter ſolus, niſi quia nihil cum illo.* B. Lutherus io cap. 1. Geneſ. dicit, Deum eſſe unum *unitate ſummâ*, atq; ut ſic loquamur, *uniſſimâ unitate.* Metaphyſici diſputant unum aliquod dici vel *per ſe*, vel *per accidens.* Per accidens Deus non dicitur unum, quia hẹc eſt imperfectiſſima unitatis ſpecies. Per ſe aliquid unum eſt vel *perfectè*, vel *imperfectè.* Imperfectè 1. *κατὰ τὸ συνεχὲς, continuate.* 2. *κατὰ τὸ ὑποκείμενον, ſubjecto.* 3. *κατὰ τὸ γένος, genere.* 4. *κατὰ τὸ εἶδος, ſpecie.* 5. *κατὰ τὸν λόγον ὅς τὸ εἶναι λέγει, definitione.* Hi modi unitatis cùm ſiot imperfecti, itidem Deo uon cõpetuot, qui nec ſubjecto, nec geoere, nec ſpecie unus dicitur, ſed modo unitatis pfectiſſimo, ſimpliciſſimâ ſcilicet & indiviſâ eſſentiâ, proindè quando Deus unus numero & maximè unus ſtatuitur, conſideratur unitas non ut eſt principium numeri & reductivè, in prædicamento quantitatis, ſed prout convertitur cum Ente, & eſt tranſcendentale, nihil aliud ſignificans, quàm Ens indiviſum. **Deo tribuitur unum. 1. affirmativè.

2. exclu-

2. excluſive. Priore modo unum non tantùm de Deo, ſed de qualibet alia re ſub Deo affirmamus, quod ſit una ſive unum quid, quippe quod in hac ſignificatione non negat vel removet alia ſimilia ejuſdem Naturæ generis vel ſpeciei, ſed duntaxat negat diviſionem & ſic multiplicitatem in ipſa re, quæ una dicitur & ponit diſtinctionẽ ſive diviſionem ab aliis. Hoc modo Deum unum eſſe eſt per ſe notum. Poſteriore modo unitas ſolius DEI propria eſt. Sic n. unum excludit cooſortium aliorũ ſimilium. Sicut Sol dicitur unus, quia plures Soles non dantur.** Bernh. lib. 5. de conſid. col. 1048. *Eſt unitas, quæ collectiva poteſt dici, ut cùm multi lapides faciunt acervum unum. Eſt & unitas conſtitutiva, cùm multa membra unum corpus, vel multæ partes unum totum conſtituunt. Eſt & conjugativa, quâ fit, ut jam non duo ſint, ſed una caro. Eſt & nativa, quâ anima & caro ung naſcitur homo. Eſt unitas poteſtativa, quâ homo virtuti non inſtabilis, non diſſimilis, ſed unus ſibi ſemper nititur inveniri. Eſt conſentanea, cùm per caritatem multorum hominum eſt cor unum. Eſt & votiva, cùm anima votis omnibus adhærens Deo unus Spiritus eſt. Eſt & dignativa unitas, quando limus noſter à Dei Verbo in unam aſſumtus eſt perſonam. Verùm hæc omnia quid ad illud ſummum, atque ut ita dicã, unicè unum, ubi unitatem conſubſtantialitas facit, huic uni quodvis illorum ſi aſſimiles, erit quoque modo unum: ſi compares, nullo.* Deus ergò utpotè ſumum Ens eſt maximè unus. 1. quia eſt Ens, quod cum uno convertitur. 2. quia eſt Ens ſingulare, quod maximè unum. 3. quia eſt Ens ſimpliciſſimum à multitudine rerum diverſarũ maximè recedens. Et quia majorem atque arctiorem unitatem mens noſtra concipere nequit, quàm unitatem eſſentiæ & numeri, ideò Deum *eſſentiâ & numero* unum dicimus. Quid verò reſpondendum ad illud Baſil. Epiſt. 141. *non unum Deum numero, ſed Naturâ confitemur*, & Ruffini in expoſ. ſymb. ſect. 6. *Deum eſſe unum, non numero, ſed univerſitate*. Reſp. Unus numero dicitur *1. abſolutè*, qui ita unus eſt, ut ſolus ſit, & præter ipſum non ſit alius ejuſdem eſſentiæ. *2. relatè*, qui ita unus eſt, ut præter ipſum ſint alii ejuſdem eſſentiæ. Vel unitas eſt *1. arithmetica*, ſeu quantitativa. *2. eſſentialis* ſeu transſcendentalis. Unitas numerica in ſenſu relato & quantitativo Deo denegatur, non in ſenſu abſoluto & transſcendentali. Hinc Victorinus lib. 3. contra Arianos, *in tribus perſonis ait eſſe Deum unum pluſquam numero*, quia in his etiam rebus, quæ dicuntur eſſe unum numero, licet ſemper reperire aliquam multitudinem, at in eſſentia divina non licet.

Vſus doctrinæ de unitate Dei.

97. Uſus doctrinæ de unitate eſt vel θεωρητικὸς, vel πρακτικός. *Theoreticus* conſiſtit in ἐλέγχῳ adverſus omnes, qui negant unitatem Dei vel *directè*, vel *obliquè*. Directè *1. extra Eccleſiam* negant Dei unitatem gentiles πλῆθος καὶ δῆμον θεῶν introducentes, ut Damaſc. 1. orth. fid. cap. 10. loquitur. Rom. 1. v. 23. *mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem corruptibilis hominis & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Gal. 4. v. 8. *ſerviebatis* τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. De hac gentiliũ πολυθεΐᾳ & idololatria præclarè diſſerit Auguſt. lib. de civ. Dei priorib. lib. 3. de C. D. c. 12. *Deos Romanos numerare quis poteſt indigenas & alienigenas, cæleſtes, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluviales, & ut Varro dicit, certos atque incertos in omnibusq; generibus Deorum, ſicut in animabus mares & fœminas.* 4. de civitate Dei c. 8. *Quomodo poſſint uno loco libri hujus commemorari omnia nomina Deorum aut Dearum, quæ illi grandibus voluminibus vix comprehendere potuerunt, ſingulis rebus propria diſpertientes officia Numinũ*; ubi poſteà varia Deorum nomina recenſet, quæ cap. 16. vocat *turbam non Deorum, ſed Dæmoniorum.* cap. 23. *non Numina colendorum, ſed crimina colentium.* Scævola, teſte eodem Auguſtino, fecit tria genera Deorum: *Poeticorum, Philoſophicorũ, Principum.* Lucianus dividit *in cæleſtes, marinos & infernales.* Porphyrius in *cæleſtes, æthereos, aereos, aquoſos, terreſtres, infernales.* Quidam monent triplicem fuiſſe ordinem Deorum apud gentes. 1. cœleſtes Deos comprehendebat, ex quibus duodecim primarii ac ſelecti Dei fuêre appellati, quos Ennius huic diſticho includit:

Iuno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Iovis & Neptun, Vulcanus, Apollo.

2 medioxumos cõtinebat, h. e. heroicos & præſtantes viros, quorum animas partim in aëre, partim in tertis vivere putabant. 3. Plutonem cum Tartareo ſatellitio. Themiſtius trecentas Philoſophorũ opiniones de Deo propoſuiſſe ſcribitur in oratione ad Valentem. Socr. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 27. cui inſano gentiliũ furori meritò opponitur illud Epiphanii: χείρων πολυθεότης ἢ ἀθεότης. *2. in Eccleſia* unitatem Dei labefactarunt. 1. *Valentinus* in ſecundo poſt Chriſtũ natũ ſeculo ſingulis Dei operib. ſingulos Deos attribuens. Vide Tertull. lib. adv. Valent. Iren. lib. 1. c. 1. & 5. Epiph. hæreſ. 31 Theodoret. lib. 1. hæret. fab. c. 10. &c. *2. Marcion* Cerdonis diſcipulus in eodem ſeculo duos introducens Deos, unum juſtũ & ſeverum peccata punientem, quem V. T. Deum & autorẽ legis vocavit, alterũ bonũ, longanimem & beneficũ, quem N. T. Deũ & autorẽ Evang. vocavit. Iren. & Auguſt. Philaſtrius paulò aliter ipſius hæreſin recitat, quòd introduxerit duo principia, unum bonum, alterũ malũ. Epiphanius, quod tria ſtatuerit principia, unum inviſibile, alterũ viſibile ſeu opificem, tertium medium inter viſibile & inviſibile, nempè Diabolum. Vid. Tertull. lib. 1. contra Marc. p. 150. Iren. lib. 1. c. 29. Epiph. hæreſ. 42. p. 137. Theod. lib. 1. hær. fab. c. 28. &c. Cent. Magdæb. 2 c. 5. 3. *Manes*, (à quo Manichæi) in tertio ſeculo fingens duos Deos ingenitos & æternos, ſibique invicem contrarios, unũ bonum omnis boni in Natura cauſam, alterum malum, à quo & culpæ & pœnæ mala; vel ut alii referunt, Deum & materiã, Deum appellavit lucem, materiam vero ſeu ὕλην tenebras. Epiph. hær. 66. p. 281. Theodor. lib. 1. hær. fabul. cap. ult. Leo ſerm. 4. quadrag. Aug. tom. 6. de hær. c. 46. 4. *Tritheitæ* tres Deos introducentes. Niceph. lib. 18. Hiſt. c. 47. & Suid. col. 410. de Johanne Philopono cognomento Gramatico referunt, quòd ſtatuerit *tres divinas perſonas eſſe modo verum Deum, quo tres homines ſunt unus homo, ut ergò in tribus hominib. ponimus tres ſubſtantias, ita idem in Deo ſtatuit.* Idem de Peratis hæreticis commemorat Theodoret. lib. 1. hæret. fabul. c. 19. Eundem errorem Porphyrio tribuit Cyrill. lib. 1. cont. Julian. ubi dicit, *eundem ſenſiſſe quod Arius, eſſe ſcil. in Trinitate tres Deos.* Cum n. diceret Ariani, *Filium eſſe minorem Patre, & S. S. Patre & Filio*, tres etiam neceſſariò ſubſtantias diverſas in Trinitate aſſerebant, unde Ariani etiã dicti ſunt Porphyriani, Conſtantinus

apud

apud Socrat. lib. 1. cap. 6. & Theodoſius lib. ult. C. de hær. Aug. de agone Chriſti c. 15. itidem meminit quorundam, qui dixerunt, *Deum eſſe unum eſſentia eo modo quo multi homines dicuntur unum ratione eſſentiæ.* Sed tres perſonę non ſolum eſſentia, ſed etiam numero ſunt unus verus Deus, non tres Dii inter ſe diviſi. Superiori ſeculo Valentinus Gentilis proth. 20. & 23. ſtatuit tres Spiritus æternos eſſentiali numero differentes. 2. Obliquè unitatem Dei labefactant, qui divinum honorem creaturis deferunt. Vid. Loc. §. 46.

An unitas divinæ eſſentiæ tollat perſonarum Trinitatem.

98. Ad hunc Theoreticum uſum etiam pertinct ἐκδίκησις ſive vindicatio abuſus. Ex unitate enim divinæ eſſentiæ Photiniani argumentum ducunt contra perſonarum Trinitatem, ut cōſtat ex Catech. Rac. p. 57. & ex omnium Photinian. ſcriptis contra myſterium Trinit. editis, in quib. primo ſemper loco proponitur hoc argumentū: *Una eſt divina eſſentia. E. non ſunt in ea tres diſtinctæ perſonæ.* Reſp. 1. Simplicitas Chriſtiana reſpōdet, quia utrumque in verbo proponitur, verum Deum eſſe unum, & Deum illum verum & unum eſſe Patrem, Filium & S. S. h. e. tres perſonas diſtinctas, ideò utrumq; fide amplectendum, & rationem in hoc myſterio fidei eſſe captivandam. 2. Oſtendimus enim ſuo loco regulam fidei acceptandam eſſe integram, nec partes illius ſibi invicem opponendas eſſe. Fidei regula docet, Deum eſſe unum. Eadem fidei regula docet, Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, Spir. S. eſſe Deum. Hæ ergò diſtinctæ partes in fidei regula non ſunt ſibi invicem opponendę, nec ex perverſo rationis judicio una alteri eſt opponenda. 3. Quemadmodum ergò peccant Tritheitæ, qui ex dictis illis Scripturæ, quæ teſtantur Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, Spiritum ſanct. eſſe Deum, oppugnant divinæ eſſentiæ unitatem: ita quoque pari ratione Photiniani peccant, quando ex dictis illis Scripturæ, quæ teſtātur, verū Deum eſſe unum, oppugnant perſonarum in divinitatis Trinitatem. Commune erroris principium eſt, quod de illis, quæ in regula fidei proponuntur, ex dictamine humanę rationis judicant, & quia ratio ſtatuit, ea eſſe invicem oppoſita & contraria, ideò in uno à ſenſu verborum literali diſcedendum arbitrantur, ut alterum ſtabiliant. Simile erroris exemplum occurrit in eo, quod ut olim Manichęi ex dictis, quæ divinam in Chriſto Naturam ponunt, humanæ Naturæ veritatem labefactabant, ita Photiniani ex dictis, quę humanam in Chriſto Naturam agnoſcendam eſſe docent, divinā ejus Naturam oppugnant, contra quos pulcrè Vigil. lib. 2. contra Eutych. p. 34. *Manichæus dum tantarum virtutum miracula reſpicit, quæ Dei Filius operatus eſt, non vult eum hominem confiteri. Photinus dum in eo Naturam noſtri corporis attendit, Deum non judicat. Iſte nos ſemet virtutes, iſte nos infirmitates repleat. Ille Deitatis præconia, ille humanitatis allegat. Illum majeſtas tanti nominis ab humanitatis profeſſione revocat. Iſtum humilitas injuriarum, quas Deo cernit indignas in hominis eandem confeſſione retractat. Illum miracula avocant, iſtum paſſiones retardant. Ille Deitate fallitur, iſte humanitate offenditur. Ille dicit, Deus eſt, iſte dicit, homo eſt. Grande miraculum, ut expugnatione ſui veritas confirmetur, & verum uterque dicat, dum uterq; mentiatur. Audi ergò Manichæe, quòd Deus ſit, verum dicis, quòd & homo non ſit, falleris. Audi Photine, verè homo eſt, ut aſſeris, licet non ſicut aſſeris, ſed idem & Deus eſt, quod impiè refugis, in tantum Deus, ut Manichæus hominem neget, in tantum homo, ut ea Deum eſſe non credas.* Idem omninò reſpondemus, Photinianæ iſti unitatis eſſentiæ & pluralitatis perſonarum in divinis oppoſitioni. 4. Ad omnes igitur exceptiones Photinianorum, quas in hoc argumento proferunt, ſufficit unica diſtinctio inter eſſentiam creatricem infinitam, & eſſentiam creatam finitam. De finita & creata eſſentia veriſſimum eſt, quòd eadem numero una non poſſit ſimul eſſe tota in perſonis pluribus, ſicut etiam veriſſimum, quòd quælibet perſona finita & creata ſuam habeat peculiarem eſſentiam, ſed de increata, ſimpliciſſima, infinita & omnium creatrice eſſentia divina veriſſimè dicitur, quod propter ſummam ſimplicitatem & infinitam abſque ulla ſui vel multiplicatione vel diviſione poſſit eſſe in pluribus diſtinctis perſonis. 5. Quando proindè urgent. Eſt una non ſpecie, ſed numero divina eſſentia, ergò ea non poteſt eſſe pluribus perſonis communis, vel ſi incipit eſſe pluribus communis, non amplius eſt una numero. Reſp. in rebus creatis multiplicatis perſonis, ac individuis multiplicantur numero eſſentiæ, quia nulla eſſentia creata eſt ſuum eſſe, nulla etiam eſſentia creata eſt infinita, at eſſentia divina eſt ſuum eſſe, & eſt infinita, ergò ob ſummam ſimplicitatem, perfectionem & infinitatem ſuam poteſt eſſe in pluribus perſonis. Ambroſius lib. 1. de fide cap. 5. *Eccleſia mediam quodammodo viam tenet inter gentiles & Judæos. Gentiles multiplicant & dividunt divinam Naturam, aliam in Saturno, aliam in Jove Naturam conſtituentes. Judæi contrà non modo faciunt unam Naturam divinam, ſed etiam unam perſonam. At Eccleſia plures perſonas confitetur contra Judæos, & unicam tantùm divinam Naturam in his perſonis contra Gentiles.* Pulcrè Bernhard. lib. 5. de conſid. ad Eugen. *Deſtruimus ne, quod dictum eſt de unitate, cùm inducimus Trinitatem? non, ſed ſtatuimus unitatem. Dicimus Patrem, dicimus Filium, dicimus Spiritum ſanctum, non tres Deos, ſed unum. Quid ſibi vult iſte, ut ita loquar, ſine numero numerus? ſi eſt ita, quomodo non numerus, ſi unum, ubi numerus? &c. Dicamus tres, ſed non ad præjudicium unitatis, dicamus unum, ſed non ad confuſionem Trinitatis. Neque enim nomina vacua ſunt, nec abſque ſignificantia caſſa voces. Sabellianum hoc eſt. Quæris quis, quomodo illud, quod Catholicum eſſe dicimus, poſſit eſſe? ſufficiat ei tenere ſic eſſe. Atque hoc non rationi perſpicuum, nec tamen opinioni ambiguum, ſed fidei perſuaſum. Sacramentum hoc magnum eſt, & quidem venerandum, non ſcrutandum. Quomodo pluralitas in unitate & hac unitate, aut ipſa in pluralitate. Scrutari hoc temeritas, credere pietas, noſſe vita, & vita æterna eſt.* Et poſteà: *Cùm dico unum, non me Trinitatis numerus turbat, qui eſſentiam non multiplicat, nec variat, nec partitur. Rurſum cùm dico tria, non me arguit intuitu Unitatis, quia illa quæcunque tria ſeu illos tres nec in confuſionem cogit, nec in ſingularitatem redigit.* Afferunt qualiſcunq; illuſtrationis gratia *facultates animæ*, quæ ſunt inter ſe diſtinctę, & tamē cum anima realiter unum, ſed humana curioſitas ſemper invenit, quid regerat. 6. Si dicāt, *hypoſtaſis & perſona nihil eſt aliud, quā Natura & ſubſtantia ſingularis, cùm ergò una in divinis ſit Natura, Ergò etiā una erit perſona.* Reſp. Scholaſtici per negationē majoris reſpōdent, quia hypoſtaſis

ſtaſis Naturæ & ſubſtantiæ intellectuali addit incommunicabilem ſubſiſtentiam. Quod autem in rebus creatis non multiplicentur hypoſtaſes, niſi multiplicentur etiam Naturæ, ejus (inquiũt) ratio pendet ex eo, *quia hypoſtaſis in humanis eſt aliquid abſolutum, ſed in divinis proprietas hypoſtatica eſt relatio, ideò multiplicari poſſunt proprietates hypoſtaticæ & hypoſtaſes, non multiplicatu Natura ſive eſſentia, quæ eſt abſolutum quid.* Nullam ergò involvi contradictionem, quando in una atque eadem numero eſſentia divina plures ſubſiſtentiæ ſive perſonæ ſtatuuntur. Probant illud hac ratiocinatione: *Cùm aliqua duo ratione aut definitione à ſe diſtinguuntur, nulla involvitur contradictio, ſi multiplicato uno aliud non multiplicetur, tunc enim multiplicari & non multiplicari, eſſe unum, & non eſſe unum, quæ videntur eſſe contradictoria non in unam rationem, quod ad contradictionem requiritur, ſed in aliam atque aliam cadit, neque enim contradictoria ſunt, quæ rei uni ſecundùm diverſas rationes tribuuntur, ſed ſolum, cùm ſecundùm eandem prorſus rationem eſſe & non eſſe res illa dicitur. Cùm igitur eſſentia & ſubſiſtentia ratione diſtinguantur, veluti res & modus, eſt enim ſubſiſtentia modus quidam per ſe exiſtendi, eſſentia verò eſt Natura ipſa illo modo exiſtens, inde fit, ut nullam contradictionem implicet, multiplicari ſubſiſtentias, non multiplicata Natura, & è converſo multiplicari Naturas, non multiplicata ſubſiſtentia, quorum alterum in Deo fide agnoſcimus, in quo Natura una numero tribus diverſis ſubſiſtentiis ſubſiſtit: alterum in Chriſto, in quo duas Naturas, divinam ſcilicet & humanam unâ Verbi ſubſiſtentiâ ſubſiſtere pari fide credimus.* Hæc illi. Vide etiam Smiglec. lib. 1. de error. nov. Arian. cap. 18. Florav. lib. 3. cap. 3. Nos facilè concedimus in ſe & per ſe hæc non eſſe contradictoria, Deum eſſe unum in eſſentia & trinum in perſonis, vera enim contradictio eſt falſitatis index, cùm duo contradictoria nunquam poſſint eſſe ſimul vera, interim tamen ratio noſtra, ſi judicium illi de hoc myſterio committatur, meras contradictiones ſibi ſomniat, neque enim comprehendere ullâ ratione poteſt, quomodo proprietas hypoſtatica Patris ſit realiſſimè unum cum eſſentia divina in Patre, & tamen realiter diſtinguatur à proprietate hypoſtatica Filii, quæ realiſſimè unum cum eſſentia divina in Filio, tutiſſimum igitur eſt ex ſolis Scripturis de hoc myſterio ſapere ac diſſerere.

Argumentu Photinianorum. 1. Matt. 19. v. 7. Nemo bonus niſi ſolus, Deus.

99. Prætermiſſis igitur ratiocinationibus humanis, quæ in hoc myſterio omnem non ſolùm humanam, ſed etiam Angelicam rationem excedente audiri non debent, videamus Scripturæ dicta, ex quibus probare volunt, ut una in Deo eſſentia eſt, ita quoque perſonam duntaxat eſſe unam. 1. Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18. cùm *quidam legiſperitus ad Chriſtum dixiſſet: Magiſter bone, quid boni faciam, ut vitam æt. habeam? Chriſtus ipſi reſpondet: Cur me vocas bonum, nemo bonus niſi unus Deus, ubi notant, Chriſtum loqui de Deitate in ſe conſiderata, quia loquitur de bonitate, quæ eſt eſſentiale Deitatis attributum, inde ergò utique ideò ſe negat bonum, quia non ſit Deus, ac ſibi opponit unum & ſolum bonum.* Reſp. 1. Photiniani non poſſunt ſimpliciter & abſolutè Filio bonitatem denegare, Joh. 10. v. 11. ego ſum paſtor bonus. Sap. 7. v. 26. ſpeculum eſt ſine macula claritatis Dei & imago bonitatis illius, coguntur igitur agnoſcere, certâ duntaxat ratione & reſpectu Chriſtum hîc loqui. 2. illum certum reſpectum non quærendum eſſe in eo, quòd ideò Chriſtus ſe nolit vocari bonum, quia non ſit unus verus cum Patre Deus, colligitur ex evidentiſſimis locis, in quibus Deus dicitur. Quid clariùs illo Apoſtolico 1. Joh. 5. v. 20. *hic eſt verus Deus & vita æterna,* quod teſtimonium Athanaſ. in diſp. cum Ario *ſcriptam demonſtrationem* vocat. 3. ut ergo in aliis quamplurimis, ita etiã h. l. Chriſtus ſe accommodat ad opinionem illius, qui cum ipſo loquebatur. Duplici enim ratione cum aliis inſtituimus ſermonem. 1. *in ſenſu abſoluto* ſecundùm mentem noſtram. 2. *in ſenſu relativo* ſecundùm mentem alienam. Chriſtus h. in l. non ſecundùm mentem ſuam, ſed ioterrogantis reſpondet, is enim non alio ſenſu Chriſtum appellaverat bonũ, quàm appellaſſet quemvis alium Magiſtrum, undè Chriſtus eum redarguit, quòd ſe *bonum* appellaret, ſi Deum, qui eſt *αὐτάγαθον, ὑπερτάτως καὶ οὐσιώδως ἀγαθὸν*, non eſſe crederet. Nazianz. orat. 5. de Theol. Baſil. lib. 4. contra Sunom. Epiph. hæreſ. 69. Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 1. Chryſoſt. in illum loc. Matth. &c. Vide plura dicta Patrum apud Joh. de lahaya in Evang. diſp. c. 133. ad v. 2.

100. 2. Johan. 17. verſ. 3. *Hæc eſt vita æterna, ut agnoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Filium ejus Ieſum Chriſtum. Si ſolus Pater eſt verus Deus. Ergò non Filius.* Socin. io tract. de Deo. Chriſto & Spir. S. pag. 6. Catech. Racov. pag. 32. Transſylvani Miniſtri lib. 2. cap. 5. Reſp. 1. Quidam reſpondent eſſe fallaciam compoſitionis & diviſionis. Particula enim *Solus* non debere referri *ad ſubjectum*, quaſi ſolus Pater dicatur verus DEUS, ſed *ad prædicatum*, quòd Pater ſit ſolus ille verus DEUS, extra quem noo eſt alius. Nam articulus τὸν & particula excluſiva μόνον non ſubjecto σε, ſed prædicato ἀληθινὸν θεὸν præfiguntur. (Excluſiva ſubejecti eſt, quæ excludit omnia alia ſubjecta à participatione prædicati. Excluſiva prædicati eſt, quæ ſigno excluſionis inter ſub. & præd. poſito excludit omnia alia prædicata ab eodem ſubjecto; inde regula: Excluſiva ſubjecti non excludit ea, quæ cum ſubjecto in individuali eſſentia idem ſunt:) quod confirmant ex ſeriè textus Græci, & ex paraphraſi Syriaca, ut agnoſcant te, qui es DEUS veritatis ſolus בִּלְחוּדָךְ id eſt, præter quem nullus eſt verus DEUS. 2. quidam verba ſic conſtruenda eſſe monent: *ἵνα γινώσκωσί σε μόνον ἀληθινὸν θεὸν, δηλονότι σε καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστὸν*, ut agnoſcant ſolum verum Deum, qui δοξαστοῖς & falſis Diis opponitur, nimirùm te & eum, quem miſiſti Jeſum CHRISTUM, id quod articulo τὸν confirmari poſſe cenſent. 3. Reſpondemus ex regula, quam tradunt pii veteres. Particulam excluſivam Solus non opponi reliquis in divinitate perſonis, ſed creaturis & fictitiis Numinibus. Cùm ſermo eſt de re, quæ alicui perſonæ divinæ ſecundùm eſſentiam convenit, non excludi, ſed includi alias perſonas divinas, quæ ſunt ejuſdem eſſentiæ divinæ. Auguſt. lib. 3. contra Max. c. 13. *Particula Solus non excludit eas perſonas, quæ ſunt ejuſdem cum Patre Natura, ſed res creatas.* Cyrill. lib. 10. theſauri cap. 6. *Quod dicitur ut cognoſcant te ſolum verum Deum, adverſus falſos gentilium Deos neceſſario accipiendum eſt.* Hanc regulam probamus. 1. *ex generali excluſivæ ſignificatione.*

2. Joh 17. v. 3. Hæc eſt vita æterna &c.

Particula

Particula *Solus* non ſemper ἁπλῶς & abſolutè accipitur, ut omnia omninò excludat, etiam ea quę ſunt perſonæ vel rei, cui additur, certâ ratione conjuncta, ſed tantùm certa quædam 1. Reg. 12. v. 20. *Non fuit poſt domum David, niſi tribus Iuda ſola, ubi tamen non excluditur tribus Benjamin, quæ ſe tribui Iuda conjunxerat.* Joh. 8. v. 9 *Ieſus remanebat ſolus in templo,* ubi non mulier, ſed accuſatores excluduntur. Marc. 6. v. 47. *Chriſtus erat ſolus in terra,* ubi tantùm diſcipuli removentur. 1. Cor. 9. v. 6. *aut ſolus ego & Barnabas nõ habemus poteſtatem,* ubi particula excluſiva Solus de Paulo uſurpatur, neq; tamen Barnabas excluditur, quippè qui in opere Evangelicæ prædicationis erat Paulo conjunctus. Quod ſi ergò propter unitatem in opere per particulam Solus de Paulo uſurpatam Barnabas non excluditur, quantò magis propter unitatem in eſſendo, per particulam Solus de Patre uſurpatam Filius non excludi intelligendus. Sed propiùs accedendum, dicimus ergò 2. Filium à divinitate h. l. non excludi, conſtare poſſe *ex ſubjuncta ejuſdem expreſſâ mentione. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Filium ejus Ieſum Chriſtum.* In cujus cognitione pari & eadem ratione vita æterna conſiſtere dicitur, quâ in Patris cognitione eadem conſiſtit, is eſt verus cum Patre Deus. (Quorum eſt una πνευματικὴ καὶ θεϊκὴ γνῶσις, illorum eſt una θεϊκὴ φύσις) Sed in Chriſti cognitione pari & eadem ratione vita æterna conſiſtere dicitur, quà in Patris cognitione conſiſtit. Ergò. Major probatur ex 1. Joh. 5. v. 20. ubi Filii divinitas ex eo probatur, *quòd in ipſo ſit vita æterna.* v. 11. *vitam æternã dedit nobis Deus, & hæc vita eſt in Filio ejus.* v. 12. *qui habet Filium, habet vitam.* v. 20. *hic eſt verus Deus & vita æterna.* Minor ex ipſis Chriſti verbis elucet. 3. *ex diverſa particulæ excluſivæ uſurpatione.* Scriptura de Deitate loquitur dupliciter. 1. conſiderata κατ' ἔξω, quando ſcilicet eam ſoli Deo tribuit, & opponit fictitiorum Deorum multitudini. 2. κατ' ἔσω, quando ſcil. tribus Deitatis perſonis communem aſſerit. Ubicunque Scriptura dicit Deum eſſe unum, eſſe ſolum Deum, non eſſe alium præter ipſum & extra ipſum, ibi Deitas conſideratur κατ' ἔξω, & excluduntur à Deitate omnes creaturæ & omnia fictitia Numina, atque ea eſt propriè vis excluſivæ de Deo uſurpatæ Deut. 32. v. 12. 1. Cor. 8. v. 45. &c. quando verò Deitas κατ' ἔσω ſive ad intra conſideratur, ibi excluſiva disertè rejicitur. Joh. 16. v. 32. *non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt.* cap. 8. v. 16. *ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater,* quia Pater non eſt eâ ratione ſolus Deus, ut Filius & Spiritus S. non ſint unus cum ipſo Deus, quia etiam Filius eſt verus Deus 1. Joh. 5. v. 20. & omnia habet quæcunque Pater. Joh. 16. verſ. 15. Quando ergò ſolus Pater dicitur verus Deus, ſenſus eſt, quòd extra Deitatem Patris nõ ſit quærendus alius Deus, atqui Filius & S. S. non ſunt extra Deitatem Patris, ſed *Filius eſt in Patre* Joh. 14. v. 10. & *unum cum Patre* Joh. 10. v. 30. nimirùm quia Deitatem per æternam à Patre generationem communicatam habet. 4. *ex Patris definitione.* Pater hic dicitur ſolus verus Deus. Jam verò Pater in Scripturis ſic definitur, quòd ſit prima perſona divinitatis, quæ ab æterno genuit Filium imaginem ſuam, & cum Filio ſpirat Spir. S. Tolle divinitatem Filii, & ſuſtuliſti definitionem Patris in Scripturis traditam, quia Pater æternus non eſt, qui non habet Filium æternum. Tantùm igitur abeſt, ut per particulam *Solo* exclodatur Filius, ut in ipſius Patris appellatione potius includatur tanquam unius & ejuſdem divinitatis cum Patre particeps. Pater eſt Deus propter Deitatem, quâ habet in ſeipſo & à ſeipſo. Filius eandem numero Deitatem habet à Patre per æternam generationem. Ergò etiam Filius eſt Deus. Inde disertè Chriſtus pronunciat Joh. 5. v. 23. *Qui non honorat Filium, is nec Patrem honorat,* nimir. quia Filius eſt unius & ejuſdem cum Patre eſſentiæ. 5. *ex paritatis ratione.* Si particula *Solus* de Patre prima perſona uſurpata excluderet Filium à divinitatis communione, utiq; eadem de Filio uſurpata Patrẽ ab eadem excluderet. Sed abſurdum eſt conſequens. Ergò & antecedens. Excluſivam 2. illam de Filio uſurpari probat Baſil. l. 4. contra Eunomium ex Baruch. 3. v. 36. *hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eũ.* v. 37. *hic adinvenit omnem viam diſciplinæ* v. 38. *poſthac in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt.* Sed quia liber Baruch eſt extra Canonem, ideò aliud adducimus exemplum, quod urget Cyprian. lib. 2. ad Quirinum cap. 6. Eſa. 41. v. 10. *Ego ipſe ſum, & ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.* v. 11. *ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſq; me Salvator.* Hæc verba Chriſto convenire evidenter colligitur ex c. 45. v. 21. *Nunquid non ego Dominus, & non eſt ultra Deus abſq; me? Deus juſtus & ſalvans nõ eſt præter me.* v. 22. *Convertimini ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ, quia ego Deus, & non eſt aliq.* verſ. 23. *In memetipſo juravi, egredietur de ore meo verbum juſtitiæ, & non revertetur, quia mihi curvabitur omne genu,* quem locum Apoſtolus disertis verbis ad Chriſtum refert Rom. 14. v. 12. & res ipſa oſtendit, de Chriſto eum eſſe intelligendum, qui eſt *ſalutare* Gen. 49. v. 18. Eſa. 52. v. 10. *Salvator* Zachar. 9. v. 9. Luc. 2. v. 11. imò *extra quem non eſt ſalus.* Act. 4. v. 12. *in quo noſtra eſt juſtitia* 2. Cor. 5. v. ult. Epiſt. Judæ v. 4. τὸν μόνον δεσπότην θεὸν καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ἀρνούμενοι, v. 25. μόνῳ σοφῷ θεῷ σωτῆρι ἡμῶν δόξα &c. ubi de Chriſto ſermonem eſſe manifeſtum eſt. 1. Cor. 2. v. 2. *Non putavi inter vos me quicquã ſcire, εἰ μὴ, niſi Ieſum Chriſtum,* ubi non excluditur cognitio Patris & S. S. ideò a. ſolius Chriſti facit mentiooem, quia extra Chriſtum nõ eſt ulla ad ſalutem via. Quemadmodum igitur particula excluſiva de Chriſto uſurpata, quod abſque eum non ſit Salvator nec Deus, i. e. quòd ſit ſolùs Salvator & Deus, nequaquam excludit Patrem & Spiritum S. ſed oppoſita eſt gentiliũ Diis Eſa. 45. v. 15. 16. ita quoq; eadem de Patre uſurpata non excludit Filium. Matt. 11. v. 26. *nemo novit Filium niſi Pater,* i. e. ſolus Pater, neque Patrem quis novit, niſi Filius, i. e. ſolus Filius, nec tamen excloditur Spir. S. quippè *qui ſcrutatur profunditates Dei* 1. Corinth. 2. v. 10. Sic Marc. 13. v. 32. *De die illa nemo novit, nec Angeli in cœlo, nec Filius* (ſc. juxta humanam Naturam & in ſtatu exinanitionis) *niſi Pater,* ubi non excluditur Filius ſecundũ divinã Naturã & in ſtatu exaltationis, ut alibi monſtratur, nec Spir. S. unus cum Patre & Filio Deus, 1. Cor. 2. v. 11. *nemo novit quæ Dei ſunt, niſi Spiritus Dei.* Apoc. 19. v. 12. *nomen nemo novit niſi ipſe,* nec tamẽ excluditur Pater nec S. S. Orig. c. 8. ad Rom. profert dictũ 1. Cor. 8. v. 6 ubi Chriſtus dicitur εἷς κύριος, *unus Dominus,* nec tamẽ excluditur Pater, qui & ipſe eſt Domin' omniũ 1. Tim 6. v. 15. *Pater eſt ſolus potens, Rex Regum & Dominus*

Dominus dominantium. v.16. *qui ſolus habet immortalitatem &c.* nec tameo excluditur Filius, qui & ipſe dicitur *Rex Regum & Dominus dominantium.* Apoc.17.v.14. cap.19.v.16. Hiſce reſponſionis noſtræ fundamentis lucem aliquam conciliare poſſunt dicta veterum. Hilar. lib.3. de Trin. p.27. *Debitus Patri à Filio honor redditus, cùm dicitur te ſolum verum Deum, non tamen ſe Filius à Dei veritate ſecernit, cùm adjungit, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Non habet intervallum confeſſio credentium, quia in utroque ſpes vita eſt, nec DEUS verus ab eo defecit, qui in conjunctione ſuccedit. Cùm ergò dicitur, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, ſub hac ſignificatione, id eſt, mittentis & miſſi, non Patris & Filii veritas & divinitas ſub aliqua aut ſignificationis aut dilationis diverſitate diſcernitur, ſed ad gignentis & geniti confeſſionem fides religionis inſtruitur.* lib.9. de Trinit. *Non intelligo, quo modo nobis à vero Deo ſeparandus ad fidem ſit, qui non ſit ſeparabilis ad ſalutem &c. ſi unus Deus Pater Chriſto non adimit, ut unus ſit Dominus, ita ſolus Deus Pater verus Chriſto non aufert, ut verus Deus ſit, cùm ad vita æterna meritum hoc proficiat, ut cum credatur ſolus verus Deus, credatur & Chriſtus. Cùm in fide & confeſſione veri Dei Patris Chriſtus unitus ſit, rogo, quâ fide verus Deus negatus creatura eſſe dicitur, cùm fides nulla ſit in ſolum verum Deum credidiſſe ſine Chriſto.* Epiphanius hæreſ. 42. pag.233. *Hæc dicta ſunt, non quod non ſint Filius & Spiritus ſanctus verus Deus, ſed ut ad unam unitatem reduceretur mens hominum à multitudine Deorum ad unam Deitatem.* Baſilius Epiſt.141. tom. 2. pag.107. *Cùm Deus in Scriptura unus ac ſolus dicitur, non ad diſtinctionem Filii aut Spiritus ſancti dicitur, ſed contra eos, qui cùm Dii non ſint, falsò Dii nominantur.* Cyrill. libr.10. theſauri cap.6. *Non poteſt excludi Filius, quando ſolus Pater eſſe vel facere aliquid dicitur, qui ſolus extendit cœlum, de Patre à Prophetà ſcribitur, & ipſius Patris vox fertur: Ego ſolus cœlum extendi. Et tamen apertè de Filio quoque dicitur: Verbo Domini cœli firmati ſunt. Si ergo quamvis Pater dicat ſe ſolum cœlos feciſſe, Filius tamen feciſſe invenitur, perſpicuum eſt, quia quando & ſolus Pater verus Deus appellatur, una cum eo ſemper Filium, per quem omnia fecit per quem loquitur, intelligi neceſſe eſt.* Athanaſ. in diſp. contra Arium in Conc. Niceno affert hoc exemplum ſi quis dicat, *Certò cognoſcas ſolum Conſtantinum Imperatorem terræ & maris, ac Conſtantium ejus Filium eſſe, ibi à conſortio imperii filius non ſeparatur, ſed potius conjungitur.* Baſil. libr.6. contra Eunom. hoc urget: *Sicut ex eo, quòd Filius dicitur Deus benedictus ſuper omnia, non licet colligere, quòd etiam Patre major ſit, ita quando Pater dicitur ſolus verus Deus, id non accipiendum eo ſenſu, quaſi Filius excludatur.* Nazianz. orat. 5. de Theol. *Iſthæc verba, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, proferuntur ad everſionem Deorum, qui reipſâ cùm Dii non eſſent, Dii tamen appellantur. Non enim adjicerentur & illa: Et quem miſiſti J. C. ſiquidem ad diſcrimen Filii ponerentur hæc verba, ſolum verum, ac non communiter de divinitate proferrentur.* Aug.6. de Trin. cap.9. μόνον exponit per ἕνα. *Patrem unum verum Deum dicimus & Filium unum verum Deum, & S. S. unum verum Deum, & ſimul Patrem & Filium & S. S. i. e. ſimul ipſam Trinitatem non tres veros Deos, ſed unũ Deum verum.* Poſtea ſubjungit, *poſſe hunc eſſe verborum ordinem, ut te & quem miſiſti J. C. cognoſcant unum verum DEUM.* 6. *ex adverſariorum confeſſione.* Quamvis o. adverſarii non agnoſcant unitatem eſſentiæ in Patre & Filio, tamen quia Filium Patri ſubordinatum docent, ideò excluſivam de Deo Patre uſurpatam Chriſto non eſſe oppoſitam docent. Soc. in miſcell. p.273. *Nomen Solus & particulæ idem ſignificantes, cùm de Deo dicuntur, nunquã eos excludũt, qui illi ſũt ſubordinati.* Schmaltz. reſp. ad 1. part. Smigl. c.2. p.14. de dicto Matt.4. v.10. ſic ſcribit: *Non ſeipſum excludit Chriſtus, cùm hæc verba Deo ſoli ſervies, ex lege citaret.* Soc. Epiſt. ad Radecc. p.149. *Nomen Solus & particula idem ſignificantes, cùm de Deo dicuntur, nunquam eos excludunt, qui illi ſunt ſubordinati.*

101. 3. 1. Cor.8.v.6. *Nobis unus Deus, Pater ex quo omnia, & nos in illum, & unꝰ Dominꝰ Ieſus, per quem omnia & nos per illum.* Reſp. 1. Apoſtolus Chriſtum expreſſè vocat κύριον, quod LXX. ponunt pro nomine tetragrammato Jehovah, ergò quando Pater dicitur *unꝰ Deus*, per id non excluditur Filius; ſicut nec S. S. excluditur, quando Pater dicitur *unus Deus*, Chriſtus *unꝰ Dominꝰ*, cùm ipſe 1. Cor.12. v. 11. & Deus & Dominus appelletur. Sumus & abſolutus Dominus eſt etiam verus Deus, Chriſtus eſt ſumus & abſolutus Dominus, quia opponitur omnib. reliquis dominis, i. e. ipſe eſt Dominus dominantium, id quod ſoli v. Deo competit. 2. vocula εἷς non excludit reliquas divinitatis perſonas, ſed creaturas & fictitia numina ut colligitur ex verbis antecedentibus: *Etſi ſint λεγόμενοι θεοὶ, ſive in cœlo, ſivè in terra, ſicut ſunt Dii multi & Domini multi, nobis tamẽ unꝰ Deꝰ.* 3. particulæ ἐξ οὗ, ἐν, δι' οὗ nullam inferunt inter Patrem & Filium inæqualitatem, quia de Patre etiã dicitur. Heb.2.v.10. *Decebat enim propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, autorem ſalutis eorum per paſſionem confirmare.* 1. Cor.1.v.9. quòd *per ipſum vocati ſimꝰ ad communionem Filii*, Gal.1.v.1. quòd *per illũ Paulus vocatur Apoſtolus.* Non ergò vel actionis, vel operũ vel modi in agendo inæqualitas hiſce particulis deſignatur, contrarium enim patet ex Johan.5.v.19. ſed ordo & diſtinctio perſonarum, ut multis docet Baſil. lib. de S. S. cap.8. Photiniani ipſi dictũ Apoſtolicum Rom.11.v.35. *ab ipſo, per ipſum & in ipſum ſunt omnia*, de uno vero Deo interpretantur. (Zeno apud Laërtium Δία φασι, δι' ὃν τὰ πάντα Jovem vocant Δία. quòd per ipſum ſint omnia.) 4. Si ex eo, quòd Pater dicitur *unꝰ Deus*, rectè colligi poſſet, Filium non eſſe Deum, utiq; pari ratione ex eo, ꝙ Filius dicitur *unus Dominus*, rectè colligi poſſet, Patrem non eſſe Dominum.

3. 1. Cor 8. v.9. Vnus Deus Pater, ex quo omnia.

102. 4. Eph.4.v.6. *Unus Deus & Pater omniũ, qui eſt ſuper omnes & per omnes.* Reſp. 1. nomen Patris hic non accipitur relativè ſivè perſonaliter pro prima Trinitatis perſona, ſed eſſẽtialiter pro omnib. tribus perſonis. Mal.2.v.10. *Nunquid nõ Pater unus omniũ noſtrûm, nunquid non Deus unꝰ creavit nos?* Matt.23.v.9. *unus eſt Pater veſter, qui in cœlis eſt.* 2. Perſona prima Trinitatis dicitur Pater duplici reſpectu, 1. *ratione operis ad intra*, quia ab æterno genuit Filium imaginem ſuã, hoc ſenſu nomẽ Patris Filio & Spir. S. nõ tribuitur, 2. *ratione operis ad extra*, quia ex paterna bonitate per Filium in Spir. S. omnes res condidit & conſervat, hoc ſenſu etiam Filio tribuitur nomen Patris, Eſa.9.v.6. *Pater æternus*, & Spirit. S. in hymno

4. Eph 4. v 6. Vnus Deus & Pater omnium.

Eccle.

Eccleſiaſtico dicitur *Pater pauperum.* 3. Tantùm abeſt, ut ex unitate divinæ eſſentiæ perſonarum Trinitatem Apoſtolus oppugnet, ut potiùs diſtinctas tres perſonas hoc ipſo in loco deſignet, cùm enim dixiſſet, *unus eſt Deus & Pater*, quibus verbis eſſentiæ divinæ unitatem exprimit, poſteà ſubjungit: ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ διὰ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν ὑμῖν, quibus verbis diſtinctas Deitatis perſonas deſignat, perindè ut Rom. 11. verſ. ult. fecerat. Patri tribuitur, quòd ſit *ſuper omnia*, ſicut Rom. 11. v. ult. dicuntur *ab ipſo omnia*, Filio quòd ſit per omnia, quia omnia *per ipſum dicuntur facta*, Joh. 1. verſ. 3. Spiritui S. quòd ſit *in omnibus*, Sap. 12. verſ. 1. ἄφθαρτόν σου πνεῦμα ἐν πᾶσιν.

Uſus practicus doctrinæ de unitate divinæ eſſentiæ.

103. *Uſum practicum* oſtendit Chriſtus in oratione ἀρχιερατικῇ Joh. 17. v. 21. ubi Patrem his compellat verbis: *Rogo ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* v. 22. *ego claritatem, quam dediſti mihi dedi eis, ut ſint unum. ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Quamvis enim ad unitiſſimam illam unitatem eſſentialem, quæ eſt inter Patrem & Filium, aſpirare non poſſimus, tamen ad exemplum illius unitatis nobis quoque unitati animorum ſtudere convenit. Athanaſ. orat. 4. contra Arian. p. 237. *Quemadmodum Pater & Filius ſunt unum eſſentia, ita nos aliquâ ſimilitudine & rudi formulâ, dum in eum reſpicimus, efficimur unum, unà inter nos & mutuâ concordiâ animi & Spiritus unitate.* Et poſtea: *Quapropter illud quidem* (Verbum unigenitum) *Naturâ & ex vero unum eſt cum ſuo Patre, nos autem invicem inter nos cognati, & ex uno omnes progeniti, & una omnium hominum Natura, unum inter nos affectu & animo efficimur, habentes pro archetypo exemplari Filii ac Patris unitatem naturalem.* Cyrill. lib. 11. in Joh. c. 26. *Quis eſt iſte modus petitionis, ut unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi unum in nobis ſint? Charitatis, pacis & concordiæ vinculum petit, quod ad tantam ſpiritualem credentes unionem perducat, ut naturalis conſubſtantialisq; in Patre, Filio ac Spiritu ſancto unionis ſimilitudinem imitetur.* Ad hanc unitatem τῆς ὁμονοίας & ὁμοψυχίας graviſſimis verbis nos hortatur Apoſtolus Eph. 4 v. 4. 5. & 6. ubi varias unitatis ſpecies recenſet, quæ omnes ad ſpiritualem illam in Chriſto unitatem nos invitare debent. Prima eſt *unitas σώματος*. Potuiſſet Apoſtolus ordiri ab illa unitate & conſanguinitate naturali, quâ ex uno primo parente omnes originem ducimus, cujus reſpectu omnes ſumus unius familiæ membra, de qua Actor. 17. v. 26. inquit: *Fecit DEUS ex uno ſanguine omne genus hominum habitare ſuper terram*, ſed quia de ſpirituali in Chriſto unitate agere ipſi propoſitum, ideò prætermiſſâ illâ naturali conſanguinitate primo loco unitatem corporis collocat. Ea verò ἑνότης σώματος non ſolùm in eo conſiſtit, quod ex duobus populis Judæis & gentibus *unum corpus* atque una Eccleſia à Chriſto facta Eph. 2. v. 14. cap. 3. v. 3. ibi dicuntur σύσσωμα καὶ συμμέτοχα τῆς ἐπαγγελίας, ſed etiam ac præcipuè in eo, quod omnes verè credentes ſint membra unius corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus, ut hac ratione non ſolùm inter ſe, ſed etiam cum Chriſto, tanquam capite ſint unita, ſicut v. 15. additur explicatio. *Creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate.* Quam arcta igitur inter membra vivi corporis & caput eſt unio, tàm arcta quoque unio eſt inter Chriſtum & credentes qui ſunt myſtici corporis membra. Epheſ. 1. verſ. 22. cap. 5. v. 25. Col. 1. v. 18. &c. Unius autem corporis membra non eſt æquum invicem diſſidere. Secunda eſt *unitas πνεύματος*. Illa enim credentium unio inter ſe & cum Chriſto, per quam fiunt membra unius corporis myſtici, cujus caput eſt Chriſtus, efficitur à S. S. qui eſt σύνδεσμος & vinculum credentium inter ſe & cum Chriſto. 1. Joh. 4. v. 13. *In hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* Ut enim S. S. eſt vinculum amoris inter Patrem & Filium, ita quoque eſt vinculum amoris inter Deum & omnes, in quibus velut in templo ſuo S. S. habitat. 1. Cor. 6. v. 16. *Qui adhæret Deo, eſt unus Spiritus.* Sicut maritus & conjux propter unitatem conjugalis vinculi ſunt una caro, ita Deus & anima fidelis, in qua S. S. habitat, ſunt unus Spiritus. Cyrill. l. d. *Spiritu S. recepto & inter nos quodammodo & cum Deo unimur. Nam quamvis unicuique noſtrum Patris & ſuum Chriſtus Spiritum diſtribuit, indiviſibilis tamen Spiritus eſt & diſtributus ſingulis Spiritus in ſeipſo unit, & omnes, quibus diſtributio facta eſt, unum in ſeipſo efficit.* Quorum unus eſt Spiritus, eorum etiam unus ſit animus. 3. *unitas* ἐλπίδος, *ſpei.* Quamvis in hac vita diſtinctæ ſint vocationes & munia piorum 1. Cor. 7. v. 17. tamen una eſt omnium generalis vocatio ad pietatem & ſervitiū Dei, *una etiam ſpes vocationis* in Chriſto omnibus propoſita, vita ſcil. æt. ſiquidem omnibus in Chriſtum credentibus & in vera fide ac ſtudio pietatis perſeverantibus promiſit Deus futuræ vitæ præmia. 2. Tim. 4. v. 8. *non mihi ſolum, ſed omnibus qui diligunt adventum ejus.* Non convenit, ut diſſideant in terris, qui unà victuri ſunt in cœlis. 4. *unitas* Κυρίου. *Unum omnes habemus Dominum.* Quis verò ille? Salvator noſter J. C. qui peculiari Scripturæ N. T. phraſi dicitur *Dominus*, is unus omnium noſtrum Dominus tùm *reſpectu incarnationis*, quia reſpectu aſſumtæ carnis nobis omnibus eſt conſubſtantialis, Epheſ. 5. v. 30. *ſumus membra corporis ejus, de carne ejus & de oſſibus ejus.* Quemadmodum Chriſtus ſecundùm divinam Naturam eſt conſubſtantialis Patri, ita ſecundùm humanam Naturam eſt conſubſtantialis nobis, quo ſenſu ac reſpectu Naturæ quædam communio & unitas nobiſcum Chriſto intercedit. Quinimò quia Naturam humanam à nobis aſſumtam ὁ Λόγος perſonaliter ſibi univit, ideò propter incarnationis myſterium rectè Deo uniti dicimur, non quòd omnis & tota humana Natura Λόγῳ perſonaliter ſit unita, ſed quia illa ſingularis & ex Maria aſſumta, inque ipſam θεότητα evecta caro naturalis cognitionis vinculo noſtram attingit; tùm *reſpectu redemtionis*, quia non paucos duntaxat homines abſoluto decreto electos, ſed totum genus humanum ſuâ paſſione ac morte redemit, eſt ergò omnium noſtrûm Dominus, quia omnes in populum ſibi peculiarem redemit, quāvis ſalutaris hujus redemtionis fructus tantùm credentes attingat. Matt. 1. v. 21. Tit. 2. v. 4. &c. Cùm ergò ſimus unius Domini,

mini ſervi, non eſt æquum, ut invicem diſſideamus. 5. *unitas πίστεως.* Ut unum eſt Evangelium, quo ad ſpem vitæ æternæ omnes vocantur, ita quoque una fides per Spiritum ſanctum ex prædicatione Evangelii accenſa omnes credentes invicem unit & conjungit. Cùm ergò mentes fidei unitate ſint conjunctæ, voluntates non convenit invicem diſſidere. 6. *unitas μυστηρίων ſivè Sacramentorum. Unum Baptiſma,* inquit Apoſtolus 1. Cor. 12. verſ. 13. *uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati ſumus.* Per Baptiſmum unum inſerimur corpori Chriſti myſtico, & unum accipimus Spiritum ſanctum. In ſacra etiam cœna altero Novi Teſtamenti Sacramento per participationem corporis & ſanguinis Chriſti communicantes & inter ſe invicem & cum Chriſto uniuntur. 1. Corinth. 10. v. 17. *unus panis, unum corpus multi ſumus, nam omnes de uno pane participamus.* Ex quo principio pii veteres etiam corporum noſtrorum reſurrectionem concludunt. Qui iiſdem participant Sacramentis, unitatem uti inter ſe foveant, convenit. 7. *unitas τ̃ Θεῦ.* Ut unum Deum verè pii colunt, ita quoque unitatem animorum conſenſu & ipſo facto ipſos exprimere convenit. *Unus eſt omnium Pater,* unius patris in una domo filios diſſidere minimè convenit.

CAP. VII.

De attributis divinis in genere.

Attributa divina ſunt unum cum divina eſſentia.

104. Egimus hactenùs de unitate divinæ eſſentiæ, conſequens eſt, ut de attributis divinis in poſterùm agamus, de quibus duo formamus theoremata. 1. *Attributa divina in ſe ac per ſe conſiderata ſunt realiter & ſimpliciſſimè unum cum divina eſſentia,* ut latè oſtendimus in art. de Natura Dei §. 47. & ſeqq. Ratio dependet 1. *a ſimplicitate divinæ eſſentiæ,* quæ omnem omninò compoſitionem eſſentiæ & accidentium includit. Rabbenu Haccados in gale razeia referente Weidnero in locis fid. tract. 1. pag. 119. *nihil invenitur in Deo, quod non ſit ipſe Deus.* Auguſtinus l. 8. de civitate Dei cap. 6. *Non aliud eſt illi eſſe aliud vivere, quaſi poſſit eſſe non vivens, nec aliud illi eſt vivere, aliud intelligere, quaſi poſſit vivere non intelligens, nec aliud eſt illi intelligere, aliud beatum eſſe, quaſi poſſit intelligere, & non beatus eſſe, ſed quod eſt illi vivere, intelligere, beatum eſſe, hoc eſt illi eſſe. Quicquid de Deo dignè dicitur, non qualitas eſt, ſed eſſentia.* Leo Epiſt. 91. 2. *ab incommutabilitate divinæ eſſentiæ.* Si attributa per modum qualitatum Deo ineſſent, Deus conſtitueretur mutabilis, quia omnis qualitas, omne accidens ineſt mutabiliter. Alcuin. lib. 1. de Trinit. cap. 11. *Æternitas & incommutabilitas negat alicujus accidentis in DEO inſtabilitatem, quia omne accidens ſecundum tempus vel eſſe non eſſe poteſt vel potuit, vel etiam poterit.* 3. *ab æternitate.* Omne accidens ſupervenit ſubjecto, cùm ſit præter eſſentiam ſubjecti. Jam verò de Deo dici vel cogitari nequit, quod aliquid ipſi ſuperveniat, eſt enim æternus, & omnia habet à ſeipſo & ab æterno. Aug. tr. 20. in Joh. *Deo eſt conſubſtantiale quicquid ejus eſt, & quod eſt.* Confer Bernh. ſerm. 80. in Cant. Poriſmata hujus theorematis ſunt 1. omnia attributa æqualiter Deo ineſſe, ſunt enim ipſa Dei eſſentia, reſpectu noſtri & reſpectu ope-

Exegeſis.

rationum dicitur *miſericordia ſuperexaltare judicium* Jac. 2. v. 13. 2. ineſſe Deo incommutabiliter, adeò ut non intendantur nec remittantur, nec magis & minus recipiant. Sic Deus non eſt hodiè juſtior, ſapientior &c. quia eſt ipſa juſtitia, ſapientia. 3. ineſſe Deo inſeparabiliter, ut enim ἀδύνατον eſt eſſentiam rei ab ipſa re ſeparari, ita quoque attributa à Deo ſeparari nequeunt, cùm ſint ipſa Dei eſſentia. ** Quod Juſtinus in qq. & reſp. ad Græcos p. 135. *liberas Dei actiones accidentia* nominat, *cõtingẽter Deo inhærentia,* illud de prædicatis accidentalibus, non de accidentib. ſeu qualitatibus inhæſivis & propriè ſic dictis intelligit. Deus enim liberè vult, decernit & operatur; & hæ volitiones, decreta & operationes ab ejus eſſentia ratione ſunt diſtincta, contingenter autem de ea prædicantur, quia habẽt relationem ad creaturas contingenter ſe habentes.** 4. ineſſe abſque ulla ſui contrarietate, quia eſſentia non contrariatur ſibiipſi. Quamvis ergò juſtitia & miſericordia tùm *objectorum,* tùm *effectorum* ratione diſtinguantur, tamen non ſunt ſibi invicem contrariæ.

Attributa divina propter conceptus noſtri infirmitatem variis modis diſtinguuntur.

105. 2. *Attributa divina docendi causâ & propter conceptus noſtri infirmitatem variis modis diſtinguuntur.* Scal. ex. 365. ſect. 6. *Bonitas, ſapientia, omnipotentia ita in ipſo ſunt, ut ſint ipſum. ita inſunt, ut nihil antecedat, nihil ſubſequatur, ex captu atque intellectione noſtra, quæ perquam umbratilis eſt, alius alia prius animo concipiuntur.* In Locis propoſuimus has diviſiones. 1. quædam attributa prædicantur *de Deo & creaturis ſimul,* qualia ſunt, quibus res, quæ in creaturis accidentia ſunt, in Deo autem ſubſtantiæ, ſignificantur, ut quando Deus dicitur bonus, ſapiens: quædam verò *de ſolo Deo* prædicantur, qualia ſunt, quibus res, quæ ſoli Deo competunt, explicantur, ut quando Deus dicitur æternus, infinitus. 2. Quædam dicuntur de Deo *abſolutè,* h. e. ſine ulla relatione ad creaturas, ut quando Deus dicitur æternus, immenſus: quædam verò *relativè,* ut quando Deus dicitur creator, Rex, judex. 3. Quædam dicuntur ἀποφατικῶς, *negativè,* ut quando dicitur Deus inviſibilis, im̃ortalis, incorporeus; quædam καταφατικῶς *affirmativè,* quando dicitur bonus, juſtus. 4. Quædam attributa de Deo dicuntur *propriè,* ut quòd ſit bonus, ſapiens &c. quædam *impropriè & figuratè,* quando per ἀνθρωποπάθειας membra & affect' humani illi tribuuntur. Metaphorica attributa Deo tribuuntur non θεολογικῶς, ſed οἰκονομικῶς. Theod. Dial. 2. per quandam συγκατάβασιν. Dicuntur de ipſo ἀνθρωποπαθῶς, ſed intelligẽda ſunt θεοπρεπῶς. 5. Quædam dicuntur de Deo *in abſtracto,* ut quando dicitur Vita, bonitas, Veritas: quædam *in concreto,* ut quando dicitur vivens, bonus, verax. 6. Quædam attributa *in ſimplici divinitate* conſiderantur, quæ nec per externas operationes ſeſe exerunt, nec ullum ad creaturas reſpectum habent, utpotè quòd Deus ſit primò *eſſentia ſpiritualis ac inviſibilis,* ſecundò *ſimpliciſſima,* tertiò *æterna,* ac proindè *immutabilis & immortalis,* quartò *infinita.* Quædam verò operationes ſuas *externas* in creaturis exerunt, & ad eas relationem quandam habent, utpotè quòd Deus ſit primò *omnipotens,* ſecundò *ſummè bonus,* tertiò *juſtus,* quartò *ſapiens,* quintò *liberrimum agens,* ſextò *verax.* Illa dicuntur ἀκοινώνητα, hæc verò κοινωνητά, quorum ſcil. ex parte & per ſimilitudinem rationales crea-

turæ fieri poſſunt participes. Ex utriuſque generis attributis conjunctim ſumtis exurgit primò Dei *perfectio*, ſecundò *majeſtas & gloria*, tertiò *beatitudo*. Quid circa ſingulas haſce attributorum diviſiones notandum ſit, ibidem latè fuit expoſitum. 7. Attributa Dei quædam ſunt *interna*, ut infinitas, æternitas, ſpiritualitas: quędam *externa*, eaq́ue vel *immutabilia*, ut omnipotẽtia, omniſcientia, omnipræſentia, vel *mutabilia*, ut bonitas, juſtitia. 8. Attributa quædam conveniunt Deo *ab æterno*, ut quòd ſit infinitus, immenſus, quædam *in tempore*, quòd ſit creator & conſervator, quæ omnia σχετικὰ & relativa non aliquã in Deo ipſo mutationem in tempore factam arguunt, ſed novum opus ab ipſo productum, & in creaturis mutationem factam eſſe denotant. Scholaſtici dicunt, per inhærentiam nihil prædicatur de Deo temporale, ſed *vel per modum cauſæ*, ut creator, vel *per modum unionis*, ut Verbum caro factum eſt, & tũc mutatio accidit circa creaturam. 9. Quædam attributa ſunt toti Trinitati cõmunia, quæ ob id vocantur *eſſentialia*, de quib. propriè h. l. agitur, ut quòd Deus ſit bonus, ſapiens, juſtus, creator: quædam verò ſunt *ſingularum perſonarum propria*, ut quòd Pater dicitur ingenitus, Filius genitus à Patre, Spiritus S. procedens ab utroq;. Rabini attributa vocant ✠ שְׁכִינָה divinitatis ſeu ✠ הֲוָיָה eſſentiæ מִּדּוֹת *proprietates*. Antith. Gilbertus Porretanus Pictavienſ. Epiſc. attributa Deitatis ab ipſa Deitate velut accidentia à ſubjecto differre docuit, teſte Bernardo ſerm. 80. in Cant. eum poſteà damnavit Eugenius in Concilio Remenſi.

Q. 1. An attributa eodem modo de Deo & creaturis prædicentur.

106. Quæritur h. l. 1. *An attributa συνωνύμως eodem modo prædicentur de Deo & creaturis?* Reſp. minimè verò ſed de Deo prædicantur *eſſentialiter* ἐξοχικῶς adeoq́; planè ſingulariter, de creaturis quib. duntaxat *accidentaliter* & per quandam participationem ac ſimilitudinem. Ut n. infinito diſcrimine invicem diſtinguuntur bonitas Dei & bonitas hominis, adeò ut Chriſtus dicat, neminem eſſe bonum, ſc. συνωνύμως καὶ ἀναλλοιώτως, præter ſolum Deum Matth. 19. v. 17. ita quoque modus attributionis ac prædicationis plurimùm variat. De Deo prædicatur *in abſtracto*, de creaturis tantùm *in concreto*. Bonitas Dei non ſolùm eſſentialiter Deo competit, & eſt ipſa Dei eſſentia, ſed etiam eſt cauſa & regula bonitatis in homine, quia jubetur homo in vita ſua exemplar illius bonitatis ſibi perpetuò ob oculos proponere & pro virili illud exprimere. Quantum igitur diſtat umbra à corpore, imperfecta imitatio à perfecta regula, accidens ab Eſſentia, imò finitum ab infinito, tantum quoque diſtat bonitas hominis à Dei bonitate.

Q. 2. An attributa σχετικὰ ſint realia.

107. 2. *An attributa σχετικὰ ſint realia.* Reſp. *prædicata relativa* dupliciter ſumi poſſunt 1. ut ſignificant actualem cauſalitatem & ſic nullam dicunt in Deo perfectionem ſed extrinſecam tantùm relationem, quæ Deo advenit. 2. ut ſignificant potentiam ſeu virtutem creandi, ſalvãdi &c. & ſic dicunt realem perfectiooem. Priori modo notant actionem, poſteriori agendi principium, illa fit in tempore, hoc eſt æternũ. Ex parte creaturæ ad Deum creatorem eſt *relatio realis*, quia creaturæ in eſſendo dependent à Deo, abſq; cujus voluntate uti non potuiſſent exiſtere, ita nec ad momentum conſervari, ſed ex parte creatoris ad creaturam non eſt *relatio realis*, quia ex opere creationis nulla perfectio nova creatori in tempore acceſſit, ſed ipſe idem atque immutabilis in ſeipſo permanens creaturæ perfectionem aliquã, exiſtentiam ſcilicet contulit. Relativa ergo illa attributa non in Deo, ſed in creaturis aliquam mutationem inducunt, nec Deo ſed creaturis aliquid acceſſiſſe inferunt, Deus eſt merus & purus actus in ſeipſo, varians operum effecta, ipſe in ſeipſo invariabilis permanens.

3. An attributa in concreto de Deo prædicari poſſint?

108. 3. *An attributa in concreto de Deo prædicari poſſint?* Neg. Scalig. exerc. 365. ſect. 6. *Quoniam* (inquit) *Deo multa attribuuntur ut omnipotens, omniſciens, miſericors, pius, juſtus, vindex, ſanctus, fortis, immortalis, bonus, primum Ens, haud rectè extorſit uſus, ut ſic loqueremur. Si enim denominativè de eo quippiam prædicaretur, abſtractum eſſet tum aliud ab ipſo, tum ipſo prius, quod ſane impium eſt, quare neque ens eſt, ſed eſſentia, neq; bonus ſed bonitas.* Atqui Scriptura ſæpiſſimè in concreto de Deo loquitur, quod ſit bonus, ſapiens, juſtus, in quibus locis omnibus improprietatem loquendi vix poſſumus agnoſcere. Repetimus ergo regulam: Quæcunq; à creaturis transferuntur ad Deum, repurganda prius ſunt ab omnibus imperfectionib⁹ & tum demum id quod perfectum eſt, Deo attribuendum. Sic concretum in humanis denotat ſubjectum cum accidentali vel ſubſtantiali forma verè ſubſiſtens, remove compoſitionem ſubjecti & accidentis tanquã imperfectionem aliquam & remanebit Ens per ſe ſubſiſtens, id per uſum concretarum appellationum perfectiſſimo modo Deo tribuitur. Ex eodem principio poſſet aliquis concludere, nec abſtractis nominibus de Deo eſſe utendum. Abſtracta nomina denotant formas nuſpiam per ſe ſubſiſtentes ſed ἐπινοίᾳ mentis à ſubjectis & individuis diſtinguendas, abſtracta per ſe non ſubſiſtũt, ſed ut ſunt in ſuis ſubjectis. At Deus nõ eſt talis quædam forma nuſpiã ſeparatim ſubſiſtens. Quid ergo? ſepara omnem ab abſtractis nominibus imperfectionem, & id quod perfectiſſimum eſt, Deo tribue. Abſtractæ formæ ſunt ſimpliciſſimæ & perfectiſſimæ, ſic albedo τῇ ἐπινοίᾳ ſecreta à pariete, licet ſeparata nunquam exiſtat, eſt ſimpliciſſima & perfectiſſima, nihil diſſimilis, nihil contrarii admixtum habens. Perfectiones, h. e. in abſtractis, id ergo Deo tribuendum, qui ideo dicitur non ſolum bonus, ſed etiam bonitas, quia perfectiſſimo modo & per eſſentiam bonus eſt, imò & cauſa bonitatis eſt ſicut concreta denominantur ab abſtractis. Imperfectionis eſt, quod abſtracta ſeorſim & per ſe nõ exiſtunt, hanc à Deo remove, qui eſt non ſolùm Ens per ſe ſubſiſtens, ſed etiam omnibus Entibus eſſentiam præbens.

Q. 1. An attributa divina rectè dicantur propria?

109. Q. 4. *An attributa divina rectè vocentur propria?* Reſp. Terminus *proprii* accipitur dupliciter, 1. *Phyſicè*, ſic notat accidens quoddam ſubſtantiæ inhærens & realiter à ſuo ſubjecto diſtinctum. 2. *Logicè*, ſicq́; propria dicuntur non tantùm quæ inhærent ſubſtantiæ, & cum ſuo ſubjecto reciprocantur, ſed etiam ipſa eſſentialis ratio ſubjecti. Sic Philoſophus 1. Top. *definitionem* vocat proprium, quia definito uni ſoli & ſemper tribuitur, licet inhærentia excludatur, definitio dicitur proprium non per inhærentiam, ſed per ſimplicem identitatem. Hoc ſenſu attributa poſſunt dici propria.

110. Q. 5. *An intellectus noſter rectè concipiat attri-*

Q. 5. An attributa divina diſtincta poſſint concipi?

attributa divina, diſtinctè ea concipiendo, quæ realiter ſunt cum eſſentia divina & inter ſe unum? Quidam ex Scholaſticis ita concludunt: Conceptus formalis, quem de aliqua re intellecta formamus, non poteſt eſſe verus, niſi ipſa re correſpondeat illi conceptus objectivus. Quod ſi ergo in Deo non eſt niſi unus conceptus objectivus, idemque ſimpliciſſimus, non ſine falſitate diſtinctos conceptus formales de Deo formare poſſumus. Scotiſtæ propterea ſtatuunt, attributa divina formaliter diſtingui inter ſe & ab eſſentia. Sed reſp. Quamvis attributa divina nec ab eſſentia nec inter ſe *actu ex Natura rei* diſtinguantur, tamen diſtinguuntur *eminenter & virtute*, quia eſſentia divina per ſeipſam propter infinitatem, ſimplicitatem & perfectionem ſuam ea omnia præſtat, quæ eſſentia creata per multas & diſtinctas qualitates præſtat, undè fit, ut de eadem divina eſſentia poſſimus formare diverſos cōceptus. *Conceptus objectivus formaliter in Deo eſt unus, virtute & eminenter multi.* Idem patet ex divinis operationibus, quamvis enim in operibus miſericordiæ juſtitia divina non ſit realiter à miſericordia divina in ipſo Deo ſeparata, tamen in operibus miſericordiæ adæquatè non agit Deus ſecundùm ſuam juſtitiam, ſed ſecundùm miſericordiam, ſicut calor & lux idem ſunt in Sole, & tamen in calefaciendo Sol non agit adæquatè ſecundùm lucem, ſed ſecundùm calorem. Inde nata eſt regula: *Attributa divina prædicantur de ſe mutuo & de eſſentia in ſenſu identico* (quia ex parte rei nullum hîc diſcrimen actuale) *non autē in ſenſu formali* (q. a noſtris eō cōceptib. diſtingūūtur.)

Q. 6. An ex communicatione idiomatum Chriſto homini facta rectè inferatur, quod proprietates eſſentiales ab ipſa eſſentia ſeparemus?

III. Q. 6. *An ex eo, quod communicationem idiomatum Chriſto ſecundùm humanam Naturam factam docemus, rectè inferatur, nos proprietates eſſentiales ab ipſa eſſentia & à ſe invicem ſeparare?* Reos hujus criminis nos agit Polanus lib. 2. Syntagm. cap. 7. pag. 141. *Ubiquitarii* (inquit) *à Gilberti Porretani errore non longè abſunt, dum eſſentiales Deitatis proprietates hum. Chriſti Naturæ reali transfuſione communicari contendunt, interim eſſentiam Deitatis communem factam eſſe aſſeverare non audent, q. aliud eſſet proprietas eſſentialis, aliud eſſentia Deitatis. Item dum quaſdam proprietates nimirum omnipotentiam, omniſcientiam & omnipræſentiam humanæ Chriſti Naturæ communicatas dicunt, ſimplicitatem, infinitatem, æternitatem communicari negant, quaſi verò proprietates DEI eſſentiales inter ſe reipſa differrent & ſeparari poſſent. Atqui fieri non poteſt, ut unâ eſſentiali proprietate Dei communicata, aliæ cæteræ non communicentur, nec poteſt aliqua proprietas Dei eſſentialis communicari citra communicationem eſſentiæ.* Reſp. 1. non docemus idiomatum divinorum in humanam Chriſti Naturam *transfuſionem*, ſed *communicationem*, niſi quis transfuſionis voce utatur non pro phyſica idiomatum è ſubjecto in ſubjectum immigratione, ſed pro reali collatione, quemadmodū Spiritus S. in pios & credentes dicitur *effuſus* Tit. 3. v. 6. & charitas Dei dicitur in cordibus noſtris *diffuſa* Rom. 5. v. 5. 2. non idiomatum tantùm ſed ipſius divinæ eſſentię communicationem humanæ Naturæ in Chriſto factam contendimus, ne eum Samoſateno, qui τὰς δύο φύσεις παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι docuit, damnemur. Si enim nulla divinæ & humanæ Naturæ in Chriſto eſt communio, utique nec duarum Naturarum perſonalis unio, cùm unio abſque communione ſit mera παράστασις, nec locum amplius habebunt propoſitiones perſonales, *hic homo eſt Deus, Sanctum quod ex Maria naſcitur, eſt* Dei Filius Luc. 1. verſ. 36. 3. Si de piis rectè dicitur, quod ſint θείας κοινωνοὶ φύσεως γενόμενοι 2. Pet. 1. v. 4. quanta erit protervia negare humanam Chriſti Naturam in ipſam Λόγου ὑπόστασιν aſſumtam & evectam divinæ Naturæ per hanc unionem & communicationem perſonalem participem eſſe factam? 4. Ut abſq; ulla eſſentialium proprietatum abolitione humana Chriſti Natura divinorum idiomatum verè particeps eſt facta, ſic abſq; ulla eſſentiæ ſuæ abolitione divina τοῦ Λόγου Natura aſſumtæ humanitati per unionem eſt communicata. Ut gloria, ita quoque unio & communicatio carnem non tollit, ſed extollit; non interficit, ſed perficit. 5. Non quædam tantùm, ſed omnia omninò idiomata divina humanæ Chriſti Naturæ communicata eſſe dicimus, quid enim tota plenitudo Deitatis in aſſumto corpore habitans Coloſſ. 2. verſ. 9. aliud eſt, quàm divina τοῦ Λόγου eſſentia tota & indiviſa cum omnibus ſuis attributis, ſed diſtinguimus inter communicationem *mediatam & immediatam*, immediatè ea tantùm attributa ſunt communicata, quæ operationes ſuas per aſſumtam Naturam exerunt, mediatè, quæ in ipſa Deitatis eſſentia & complexu interno conſiderantur, nec exerunt ſuas operationes per aſſumtam Naturam. Sic licet carni Chriſti non ſit immediatè communicata infinitas, æternitas &c. tamen mediatè eidem communicata eſt, quia omnipotentia, omniſcientia &c. carni communicata eſt infinita & æterna omnipotentia. Quidam communicationem mediatam vocant ἰδιοποίησιν, communicationem immediatam κοινωνίαν ſpecialiter ſic dictam. 6. Ac ſi noſtris λογισμοῖς hîc potiùs velimus indulgere, quàm Scripturæ veſtigiis inſiſtere explicet nobis Polanus, quomodo ipſa Λόγου ὑπόστασις ſit carni communicata, & tamen hypoſtatica proprietas non ſit eidem communicata. Prius negare nequit, niſi ipſam unionem negatū eat. Poſterius affirmare nequit, niſi etiam humanam Chriſti Naturam ab æterno à Patre genitam aſſerere velit. Ut ergo infinita Dei ſapientia & potentia potuit invenire modum ac medium, quo per unionem carni communicata fuerit Λόγου ὑπόστασις non communicatâ, immediatè ſcil. hypoſtaticâ proprietate, ita quoque modum invenire potuit, quo communicata omnipotentia, omniſcientia & aliis attributis ad officii Chriſti executionem pertinentibus non communicata fuerit immediatè æternitas, infinitas &c. An ex eadem idiomatum cōmunicatione quam Chriſti carni factam eſſe conſtanter docemus, firmiter concludi poſſit, nos duas omnipotentias divinas, duas omniſcientias divinas, ſtatuere, ut Calviniani nobis impingunt, eâ de re latè egimus in diſp. 9. de glor. Dei §. 2.

Uſus practicus doctrinæ de attributis divinis.

112. *Uſus practicus* eſt 1. *conſolationis*. Quia attributa Dei non ſunt aliquod accidens mutabile in Deo, ſed ipſa ejus eſſentia, ideò amorem & dilectionem ejus quâ pios complectitur, oportet eſſe quiddam longè ardentius, quàm nos cogitatione complecti poſſumus. Eccleſ. 2. verſ. 23. *Quantus eſt Deus, tanta miſericordia ejus.* At ipſe infinitus, immenſus, invariabilis, æternus. Ergo etiam talis eſt ipſius miſericordia. *prævaluit ſuper nos in æternum.* Pſal. 117. verſ. 2. ipſa non variatur

nec mutatur, niſi nos mutemur, ſicut Sol manet idem, ſed homines ab ejus luce & calore ſe avertentes beneficiis Solis ſeipſos privant. Num. 23. v. 19. *Non eſt Deus qui homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis, ut pœniteat eum, dixit & non faciet? locutus eſt & non implebit?* q. d. homines ſunt admodum mutabiles, quod hodiè promittunt, cras revocant, quem hodie amore complectuntur, cum cras odio proſequuntur, ſed non ita mutabilis eſt Deus in ſua erga homines dilectione & in ſuis promiſſionibus. Conjunge. Jerem. 31. v. 20. Oſeæ 13. v. 9. *Non faciam furorem iræ meæ, Deus ego & non homo.* 2. *hortatoriis.* Mutabilis noſtra bonitas immutabilem Dei bonitatem ſibi proponat imitandam, ut ab illa immutabilitate, noſtræ bonitatis mutabilitas ac inſtabilitas quaſi abſorbeatur: *Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, clamat Salvator Matth. 5. verſ. 48. *Eſtote ſancti, quia & ego ſanctus ſum*, hortatur Deus Levit. 11. v. 44. At nulla ſanctitatis, bonitatis, ac dilectionis perfectio niſi immutabilitas ei ſit conjuncta, ad illam igitur in hac vita aſpiremus, ad quam in altera vita ὁλοκλήρως evehemur.

CAP. VIII.

De attributis divinis in ſpecie.

Attributa divina primæ claſſis.

113. Rectè dixit Scaliger exerc. 365. ſect. 6. *Bonitas, ſapientia, omnipotentia &c. ita ſunt in Deo, ut ſint ipſum Dei eſſe, ita inſunt, ut nihil antecedat, nihil ſubſequatur* (cujus aſſertionis ratio pendet ex eo, quod attributa divina ſint realiſſimè & ſimpliciſſimè unum quid cum ipſa Dei eſſentia) *ſed ex captu atque intellectione noſtra, quæ perquam umbratilis eſt, aliis alia prius animo concipiuntur.* Ut ergò ordine attributa divina explicemus, ſequemur eorum diviſionem ſexto loco propoſitam & diſtinctas eorum claſſes conſtituemus. Primæ claſſis attributa ſunt, quod Deus ſit 1. *eſſentia ſpiritualis, incorporea, invisibilis.* 2. *ſummè ſimplex.* 3. *æterna, immutabilis, immortalis.* 4. *infinita, ubique præſens.* Sit ergo.

SECT. I.

De ſpirituali & incorporea Dei eſſentia.

Deum eſſe Spiritum probatur.

114. Theſis. *Deus eſt eſſentia ſpiritualis & incorporea*, ſive Spiritus ἀσώματος. Probatur hoc 1. *Scripturæ dictis* tùm *affirmativis* Joh. 4. v. 24. *Deus eſt Spiritus.* Quidam addunt 2. Cor. 3. verſ. 17. *Dominus Spiritus eſt*, ſed articulus additus voci πνεύματος & ſeries contextus oſtendunt ad Spiritus Sanct. divinitatem rectius applicari; tùm *negativis*, quæ Deum incorporeum à creaturis corporeis diſtinguunt, & in claſſem earum referendum negant. Eſa. 46. v. 5. *Cui me aſſimilabitis & adæquabitis & comparabitis me?* Alloquitur Deus εἰκονοπλάστας, qui incorporeum Deum figuris corporeis exprimere nitebantur. Rom. 1. verſ. 23. de idololatris dicitur, *quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis & volucrum & quadrupedum & ſerpentium.* Confer Pſal. 106. verſ. 20. Jer. 2. verſ. 11. 2. *rationibus*, quarum potiores explicat Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 4. 1. *à Dei ſimplicitate.* Nullum corpus eſt ſimpliciſſimum, & Ens ſimpliciſſimum non poteſt eſſe corporeum, quia omne corpus eſt compoſitum, eſt in potentia paſſiva ac dividuum. Deus eſt Ens ſimpliciſſimum, non eſt in potentia paſſiva. Ergo non eſt corporeus. 2. *à Dei dignitate.* Ens nobiliſſimum non poteſt eſſe corpus. Corpus enim aut eſt vivum aut non vivum. Vivum corpus nobilius eſt corpore non vivo, ſiquidem quod vivit nobilius Ens eſt non vivente. Corpus autem vivum non vivit quatenus eſt corpus, ſic enim omne corpus viveret. Illud per quod vivit, eſt corpore nobilius. Quare cùm Deus ſit vivens nobiliſſimum, non poteſt eſſe corpus. Savan. lib. 1. de verit. fid. cap. 7. *Spiritus eſt nobilior corpore, ſi ergo Deus eſſet corpus, non eſſet in Entibus nobiliſſimum.* 3. *ab eſſendi primitate.* Ens primum non poteſt eſſe corporeum. Si ergo Deus eſſet corpus, eſſet Ens in potentia & ſic non eſſet primum Ens. Actus ſimpliciter ex Natura eſt prior potentiâ, quia nihil poteſt educi in actum niſi per Ens actu. Nec etiam Deus eſt alicujus corporis forma. Id enim quod per ſe habet eſſe, nobilius eſt eo, quod habet eſſe in alio. Omnis autem forma corporis exiſtit in alio. Cùm ergò Deus ſit Ens primum ac prima eſſendi cauſa, non poteſt eſſe alicujus corporis forma. Plures rationes vide in loc. §. 69. 3. *Patrum ſuffragio.* Juſtin. de Monarch. Dei pag. 81. ex Æſchylo adducit hos verſiculos:

> χώριζε θνητῶν θεὸν, καὶ μὴ δόκει
> ὅμοιον σαυτῷ σάρκινον καθεστάναι.

Idem in confut. Græcar. qq. q. 2. Deum non ſolum eſſe incorporeum, ſed & omni incorporeo ſuperiorem. Orig. lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 1. tom. 1. pag. 668. *Non corpus aliquod aut in corpore putandus eſt Deus, ſed intellectualis Natura ſimplex, nihil omninò in ſe adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid & inferius eſſe credatur, ſed ut ſit omnis ex parte μονάς, & ut ita dicam, totus mens ac fons, ex quo initium totius Naturæ intellectualis vel mentis eſt.* Idem homil. 1. in Geneſ. pag. 6. *Sentire de Deo, quod ſit corporeus & humana forma manifeſtè impium eſt.* Arnob. lib. 3. adverſ. gent. p. 107. *Noſtra ſententia talis eſt, Naturam omnem divinam, quia neque eſſe cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum ſit aliquando ventura lineamentis carere corporis, neque ullas formarum effigies poſſidere quibus extima circumſcriptio membrorum ſolet coagmentata finire. Quicquid enim tale eſt, mortale eſſe arbitramur & labile, nec obtinere perpetuam poſſe credimus ævitatem, quod extremis coërcitum finibus neceſſaria circumcludit extremitas.* Hilar. lib. 3. de Trinit. fol. 3. *Conclusum palmo cœlum rurſum Deo thronus eſt & terra, quæ pugillo continetur eadem & ſcabellum pedum ejus eſt, ne in throno & ſcabello ſecundum habitum conſidentis protenſio ſpeciei corporea poſſit intelligi, cùm id quod ſibi thronus & ſcabellum eſt, rurſum ipſa illa infinitas potens palmo ac pugillo apprehendente concluderet.* Baſil. homil. 10. hexaem. *Rejice de corde indecoras imaginationes*

nes, ejice à te cogitationem minimè decentem, figura expers eſt Deus, ſimplex, magnitudine carens, quantitatis exors, ne imagineris formã circa ipſum. Nazianz. orat. 2. de Theol. pag. 26. *Anne corpus Deum eſſe ſtatues? quo pacto igitur ejus Natura infinita eſt, nullis deſcripta terminis, omnis expers figura, contactus, aſpectus? an verò & hæc corporibus conveniunt? O licentiam. Non enim cadere certè talia in corporum Naturam poſſunt. An corpus eſſe dices & hæc ei competere negabis? O mentis ſtuporem craſſiſſimum. Conſequetur enim DEI Naturam nulla re noſtra potiorem eſſe. Nam cur ei venerationis religioſa cultum præſtabimus, ſi loco certo circumſcribi poteſt? aut quid impedit, quò minùs ex Elementis eſſe compoſitus, inque ea viciſſim aliquando redigi vel prorſus etiam interire credi debeat. Nam ipſa rerum compoſitio pugna initiũ eſt, pugna diſſidii, diſſidium interitus. At hic prorſus nequit in Deum principemq́; Naturam illam cadere.* Auguſt. lib. 8. de civit. Dei cap. 5. *Si noſter animus corpus non eſt, quomodo Deus creator animi corpus eſt.* Damaſc. lib. 2. de orth. fid. cap. 3. *Deus ſua eſſentiâ ut longè eſt ſupra corpus, ita & ſuper quodvis incorporeum. Omne ad Deum collatum, craſſum & materiale comperitur ſolus Deus verè immaterialis & incorporeus.*

115. Antitheſis. Opponenda hæc ſunt, 1. *Priſcis quibuſdam Philoſophis*, de quibus Juſtin. in Epiſt. ad Diogn. pag. 385. *Aliqui Philoſophi ignem eſſe Deum dixerunt, id ad quod profecturi ſunt ipſi Deum vocantes, alii aquam, alii aliud ex Elementis, quæ à Deo ſunt creata.* 2. *Rabinis*, de quibus idem in Dial. cum Tryph. pag. 267. *Magiſtri veſtri autumant manus & pedes & digitos, & animam velut creato & compoſito animanti eſſe parenti rerum cunctarum & ingenito Deo, qui propterea etiam Patrem ipſum apparuiſſe Abrahæ & Jacobo docent.* Orig. homil. 3. in Gen. tom. 1. pag. 17. *Judæi Deum quaſi hominem intelligendum putaverunt, hoc eſt, humanis membris habituq́; diſtinctum.* Alii ex Rabinis contrarium ſtatuunt. Galat. lib. 2. de arc. cap. 2. *ex libro formationis* adducit locum, quod Deum vocent *Spiritum ſummum ac primam inter 10. unitates incorporeas.* 3. *Tertulliano*, qui in lib. adv. Prax. pag. 409. contendit, *Deum eſſe corporeum.* Auguſt. tamen in lib. de hæreſ. ad Quodvultd. hæreſ. 86. eum ſic excuſat, quod impropriè locutus voce corporis utatur pro *ſubſtantia*, cùm in lib. de carne Chriſti pag. 14. etiam Angelis & animabus corpus tribuat. 4. *Audianus ſive Anthropomorphitis*, circ. ann. 370. (Auguſtin. de hæreſ. ad Quodvultd. hęreſ. 86. vocat eos *Vadianos*. Theodor. vocat *Audæanos*. Fuerunt Monachi Ægyptii in eremo Syriæ ab Audæo Syro ſic dicti Luther. in Geneſ. eos quodammodo excuſare conatur. Anno 939. in Italia hæreſis eorum renovata eſt, contra quos recentiores Anthropom. multum ſudavit Raherius Veronenſis teſte Sigeb. Gembl. in Chron.) qui Deo formam & partes humani corporis tribuerunt. Epiphan. hæreſ. 70. Tripart. lib. 10. cap. 7. Nicephor. lib. 11. cap. 14. lib. 13. cap. 10. 5. *Conr. Vorſtio*, qui in lib. de Deo & attrib. pag. 201. *Deo verè corpus attribui poſſe diſputat*, ſi per corpus *vera & ſolida ſubſtantia intelligatur.* pag. 251. *Deus ex ſententia Tertull. ſuum corpus, hoc eſt, ſuam veram & ſolidam ſubſtantiam habet.* At hac ratione & rerum & verborum confuſionem introducit.

Exegeſis.

Spiritus & corpus ſunt ſpecies contradiſtinctæ, cum ergo Deus ſit Spiritus, non poterit eſſe corporeus. Et cauſæ igitur elenchus & σχῆμα λέξεως eſt in Vorſtii argumentulo. Per ſolidam ſubſtantiam aut intelligitur *veritas eſſentiæ*, aut *proprietas quantitatis dimenſiva.* Si priore modo falſum eſt, quod omnis ſubſtantia ſolida, h. e. verè exiſtens ſit corpus. Si poſteriore, falſum eſt, quod Deus ſit ſolida ſubſtantia. Per ſolidum intelligitur *vel denſitas*, vel perfectio, firmitas & immutabilitas. Priori modo negamus Deum eſſe ſolidam ſubſtantiam, poſteriori concedimus. Ibid. pag. 239. & 240. diſputat: *Deum habere magnitudinem quandam intelligibilem ac dici magnum, non ſolùm ratione qualitatis, ſed etiam reſpectu quantitatis, ſed divina & ſpiritualis, hoc eſt, quæ ſubſtantia divina conveniat.* Reſp. magnus Deus eſt non quantitate corporea, ſed potentiâ, virtute, operatione non σωματικῶς: ſed θεικῶς. Ipſorum quoque hominum ſapientia magna dicitur non mole, ſed virtute. Vide Diſp. 5. de gloria Dei theſ. 12. valeat proinde commentum Vorſtii, ex cujus hypotheſibus Englinſemius in diſcept. contra Vorſt. deducit, quod ſtatuat Deum quendam *corporeum, viſibilem, longum, latum & profundum in certo quodam loco affixum, non omni, ſed multipotentem, non omni, ſed multiſcium, adeoque Deum non Deum.* 6. *Photinianorũ ſomnio*, quod exponit Schmaltz. in exam. 157. error. err. 18. pag. 8. *Tam ex ſanguine Mariæ, quam ex materia à Deo ad Chriſti corpus gignendum allata Chriſtum genitum eſſe dicimus, nec enim Filius Dei nominari ab ipſa conceptione poſſet, niſi aliquid ex parte Dei ad eum conſtituendum acceſſiſſet, ſed eſſet tantùm Mariæ Filius.* Atqui illa materia à Deo ad Chriſti corpus allata, aut eſt ex ipſa Dei eſſentia, quâ ratione Deus ſtatuitur corporeus, aut extra eam, & ſic illius reſpectu Chriſtus non poterit dici Dei Filius ex Deo genitus.

Argumenta contra ſpiritualem Dei eſſentiam. 1. ab hominis formatione.

116. Argumenta eorum, qui Deo corpus tribuunt, potiora hæc ſunt: 1. *ab hominis formatione.* Geneſ. 1. verſ. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam. At ſi Deus incorporeus, quomodo ad ejus imaginem homo corporeus conditus.* Hoc argumento Anthropomorphitas fuiſſe uſos refert Baſil. homil. 10. hexaëm. & Niceph. d. l. Reſp. quamvis in corpore primi hominis utpote immortalitatis participe ſuo modo imago Dei rectè ſtatuatur, ut oſtenſum fuit in tract. de imag. Dei §. 104. (contra Polanum, qui part. 2. Syll. theſ. Th. pag. 56. Subjectum ἐν τῷ ſive ſedem, in qua imago Dei locata eſt, ſolam animam eſſe ſtatuit) tamen non corporis nec corporeæ figuræ, ſed juſtitiæ, ſanctitatis, immortalitatis &c. in anima & corpore relucentis reſpectu homo ad imaginem Dei conditus, ut ex Epheſ. 4. verſ. 23. Coloſſ. 3. verſ. 10. §. 31. & ſeqq. fuit demonſtratum. Orig. homil. 1. in Geneſ in tom. 1. pag. 6. *Non corporis figmentum Dei imaginem continet. Is autem qui ad imaginem Dei factus eſt, interior homo noſter, eſt inviſibilis & incorporalis & incorruptus atque immortalis. In his enim talibus Dei imago rectius intelligitur.* Auguſtin. lib. 6. de Geneſ. ad lit. cap. 12. *Quod homo dicitur factus ad imaginem Dei, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm intellectum mentis accipiendum eſt, quanquam & in ipſo corpore habeat quandam proprietatem, quæ hoc indicet, nimirum quod erectâ*

ſtaturâ factus eſt. lib. 17. de civit. Dei cap. 5. *Ne ſecundùm corpus credatur homo in carnis hujus effigie factus ad imaginem DEI, adduntur & alæ, quas utique non habet homo & dicitur Deo, ſub umbra alarum tuarum protege me, ut intelligant homines de illa ineffabili Natura, non propriis ſed translatis rerum vocabulis iſta dici.* Vide Bernh. ſerm. 24. in Cant. col. 464.

2. à membrorum corporeorum attributione.

117. 2. *A membrorum corporeorũ attributione. In Scripturis ſæpius tribuuntur Deo membra & organa corporea.* Reſp. 1. ſi hæc propriè accipienda eſſent, monſtroſa corporis figura ipſi tribuenda foret, tribuuntur enim illi *ſeptem oculi* Zach. 3. verſ. 9. *alæ* Pſal. 17. verſ. 8. vocatur *leo, urſus, &c.* 2. proindè κατ' ἀνθρωποπάθειαν καὶ συγκατάβασιν utpote συμβολικῶς dicta, ea ſunt accipienda. Vide loc. §. 71. 72. Juſt. in qq. & reſp. ad orthod. q. 10. p. 311. τὰ ἀλληγορικῶς παρὰ τῶν προφητῶν περὶ τοῦ θεοῦ λεχθέντα κατ' ἀναφορὰν ἐλέχθη ἐκ τῆς φύσεως εἰς τὸ ὑπὲρ φύσιν, οἷον ὡς τὸ ὠσφράνθη κύριος ὀσμὴν εὐωδίας, ἐπὶ μὲν τῶν ἀνθρώπων ὠσφράνθη κατὰ φύσιν ἐπὶ δὲ τοῦ θεοῦ καταχρηστικῶς καὶ ὑπὲρ φύσιν. ** Chryſoſt. orat. 18. tom. 5. fol. 104. μὴ πρόσεχε τῇ εὐτελείᾳ τῆς λέξεων, ἀλλὰ λάβε θεοπρεπῆ τὰ νοήματα. *Ne attende vilitati verborum, ſed ſenſus Deo dignos inde collige.* ** Gregor. lib. 32. moral. cap. 4. *Deus non ſolùm ab humanis membris ſimilitudinem in ſe recipit, ſed aliquando etiam ab avibus, aliquando ab inſenſatis rebus diſſimiles quaſdam ſimilitudines trahit.* ** Aug. lib. de ſpeculo cap. 12. *Humana tu Deus noſter nimis bonus & pius conſulens infirmitati dignaris te nobis inſinuare non tuâ proprietate, ſed aliquâ ſaltem ſimilitudine. Unde & noſtrorum qualitatem membrorum habere deſcriberis, volens paſſionum indigna de te ipſo adhuc perferre, ut quia ſicuti es, tenequimus ſcire in præſenti miſeria, per noſtram nos ad tua trahas & nos, dum condeſcendis nobis, facilius conſurgamus tibi.* ** Theoph. in cap. 22. Matth. *Deus ſeipſum comparat animalibus non quod talis ipſe, ſed quod nos tales,* ὅταν γὰρ ὡς θηρία ζῶμεν γίνεται καὶ ἐκεῖνος ἡμῖν πάρδαλις καὶ ἄρκτος καὶ λέων. Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 14. πολλὰ τὰ σωματικῶς εἰρημένα περὶ θεοῦ κεκρυμμένην ἔχει τινὰ ἔννοιαν ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσαν, εἰ μή τι περὶ τῆς σωματικῆς τοῦ θεοῦ λόγου ἐπιδημίας εἴρηται, (quod poſterius probè notandum, quia dubium nullum ad Λόγου ἐνανθρωπήσεως καὶ σαρκώσεως hîc haberi reſpectum.) Niceph. libr. 11. Hiſt. cap. 14. *Divini Numinis operibus humanarum partium vocabula tribuit Scriptura ſacra, quandoquidem eo modo, qui res ſubtiliores percipere nequeunt, facilius Dei conſilium intelligunt.* ** Suidas συγκατάβασιν ſic deſcribit ὅταν μὴ ὡς ὁ θεὸς φαίνηται, ἀλλ' ὡς ὁ δυνάμενος (al. βουλόμενος) αὐτὸν θεωρεῖν οἷός τε ἐστὶν, οὕτως ἑαυτὸν δεικνύει ἐπιμετρῶν τῇ τῶν ὁρώντων ἀσθενείᾳ τῆς ὄψεως τὴν ἐπίδειξιν, *Cùm Deus non ut eſt apparet, ſed ut is qui eum ſpectare vult, cernere poteſt, ita ſeſe oſtendit, accommodata ſui demonſtratione ad videntium imbecillitatem.* 3. ut quædam εἰρωνικῶς Geneſ. 3. verſ. 22. quædam μιμητικῶς Pſal. 73. verſ. 11. quædam μετωνυμικῶς Pſal. 18. verſ. 2. de Deo dicuntur, ita quoque μεταφορικῶς καὶ οἰκονομικῶς (ut loquitur Theod. dial. 2.) quædam ipſi tribuuntur quæ intelligenda ſunt θεοπρεπῶς. 4. Illorum quædam *ab homine*, quædam *ab aliis creaturis* deſumuntur. Ab homine partes hominis, membra corporis, ſenſus, affectus, actiones, ſubjecta & adjuncta humana. Pars hominis ut *anima* Eſa. 1. verſ. 14. Jerem. 5. v. 9. membra corporis ut *caput* Dan. 7. verſ. 9. 1. Corinth. 11. verſ. 3. *oculi* Pſal. 34. verſ. 16. 2. Paral. 6. verſ. 9. *palpebræ* Pſal. 11. verſ. 4. *pupilla* Deuter. 32. verſ. 10. *os* Matth. 4. verſ. 4. *aures* Pſal. 31. verſ. 3. *nuſus* Jerem. 39. verſ. 37. *nares* Geneſ. 8. verſ. 21. *facies* Pſal. 31. verſ. 21. *cervix* Jerem. 18. verſ. 17. *manus* Actor. 4. verſ. 28. *dextra* Pſal. 118. verſ. 15. *brachium* Pſal. 77. verſ. 16. *digitus* Exod. 8. verſ. 19. *cor* Geneſ. 6. verſ. 6. *viſcera*. Eſa. 64. verſ. 1. *pedes* Pſal. 110. verſ. 1. *tergum* ſive *poſteriora* Exod. 33. verſ. 15. quibus omnibus quid ſymbolicè denotetur, ex analogia cum uſu harum partium in humano corpore & ex contextu cujuſque loci facilè intelligitur. Vid. Flac. in clav. Script. ex ſenſibus tribuitur ipſi *memoria* Pſal. 115. verſ. 12. eique oppoſita *oblivio* Pſal. 13. verſ. 2. *viſus* Geneſ. 1. verſ. 4. *auditus* Pſal. 5. verſ. 2. *odoratus* Gen. 8. verſ. 21. ex affectibus *pœnitentia* Geneſ. 6. v. 6. *lætitia* Proverb. 1. verſ. 24. eique oppoſitus *dolor* Geneſ. 6. verſ. 6. *ſpes* Eſa. 5. verſ. 4. *ira* Jerem. 9. verſ. 9. *zelus* Eſa. 9. v. 7. *zelotypia* Numer. 25. verſ. 11. *odium* Eſa. 1. verſ. 14. quæ omnia abſque ulla perturbatione, ἀταξίᾳ, rationis repugnantia temporis mora, adeoque omni imperfectione θεοπρεπῶς Deo tribui intelligenda ſunt, unde regula Scholaſticorum: *Affectus in DEO notant effectus*, quin & moderationes illorum affectuum itidem ἀνθρωποπαθῶς DEO tribuuntur ut *patientia* Eſa. 5. v. 4. *longanimitas* Exod. 34. verſ. 6. *manſuetudo* Pſal. 103. verſ. 10. &c. ex actionibus humanis tribuitur ipſi *cogitatio*. Jerem. 4. verſ. 28. *cognitio* Geneſ. 22. verſ. 12. *faciei abſconſio* Pſal. 30. verſ. 2. *elevatio faciei* Pſal. 4. verſ. 7. *locutio, riſus, deſcenſus &c.* Ex ſubjectis humanis tribuitur ipſi *thronus regius* Pſal. 9. verſ. 8. *ſcabellum pedum* Eſa. 66. verſ. 1. *habitatio &c.* Ex adjunctis vocatur *paſtor, ſignifer, bellator &c.* Ex aliis creaturis petita attributa ferè ſunt innumera, vocatur enim *Sol, lux, ſcutum, cornu, ignis, rupes &c.* quæ etiam per μετωνυμίαν quandam explicari poſſunt.

3. à Dei locutione.

118. 3. *A Dei locutione. Si Deus non habet verè corporea membra, quomodo loquitur Angelis & hominibus?* Reſp. Auguſt. lib. 16. de civitate Dei cap. 6. circa med. *Veritas incommutabilis aut per ſeipſam ineffabiliter loquitur rationalis creaturæ mentibus, aut per mutabilem creaturam loquitur, ſive ſpiritualibus imaginibus noſtro Spiritus ſive corporalibus vocibus corporis ſenſui.* Orig. homil. 3. in Geneſ. tom. 1. pag. 17. *Hoc ipſum, quod vel aſpiras in corde uniuscujusque ſanctorum vel ſonum vocis pervenire ad aures ejus facit, locutus homini Deus dicitur, ſicut & cùm nota ſibi eſſe indicat, quæ unusquisque vel loquitur vel legit, audiſſe ſe dicit &c. Si vox humana aer, ictus, hoc eſt, linguâ repercuſſus dicitur, poteſt & vox Dei dici aër, ictus vel vi vel voluntate divina. Et inde eſt, quod ſi quando vox divinitus datur, non ad omnium aures, ſed ad quorum intereſt, auditus allabitur, ut agnoſcas ſonitum non linguæ pulſu redditum, alioquin ſieret*

commu-

communis auditus, ſed ſuperni nutus moderamine gubernatum, quanquam Prophetis ſæpe & Patriarchis, cæterisq; Sanctorum etiam ſine vocis ſono verbum Dei factum eſſe referatur, in quo illuminata mens per Spiritum Dei formatur in verba. Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 17. Quamvis præco verba referat judicis, non ſcribitur in geſtis præco dixit vel fecit, ſed judex dixit vel fecit.

4. à Dei locatione. 119. 4. *A Dei locatione. Deo tribuitur locus, qui eſt proprium corporis accidens.* Pſal. 68. v. 17. *ac ſedes & ſolium* Pſal. 9. v. 8. Reſp. ex regula ſuperiùs propoſita. Non propriè ſed figuratè per quandam ἰδιοποιΐαν talia Deo tribui: locus ipſi tribuitur propter externam aliquam apparitionem vel peculiarem actionem, ſedes propter majeſtatem, autoritatem, ſublimitatem. Cyrill. lib. duodec. theſauri cap. dec. quart. *Quando de Deo ſedere, & ſedes aut ſolium dicitur, nihil aliud intelligitur niſi principatus & regia poteſtas, quam naturaliter ſuper omnes habet creaturas. Magna enim amentia eſt ſeſſionem & ſedem, aut omninò ſitum aliquem Deo tribuere, ſed quæ corporaliter noſtro more de ipſo ſcribuntur, convenienter intelligenda ſunt.* Epiphan. in ancorat. p. 504. τὸ καθῆσθαι μὴ πάλιν ὑπολάμβανε ἀνθρωπίνως ἀλλ' ἀνεκδιηγήτως καὶ ἀκαταλήπτως. *Sedet, ne accipias humano ſenſu, ſed ineffabili & incomprehenſibili.*

Q. 1. An ſpiritualitas rectè referatur inter Dei attributa. 120. Q. 1. *An ſpiritualitas & ἀσωματία rectè referantur inter Dei attributa?* Reſp. *ratione noſtri conceptus* τὸ eſſe Spiritum ipſam Dei eſſentiam nō attributum aliquod eſſentiæ exprimere, ac prædicari de Deo in quid rectè aſſeritur, unde generis locum in definitione Dei obtinet, idem enim eſt, ſive dicas, Deus eſt eſſentia ſpiritualis, incorporea, ſive dicas, Deus eſt Spiritus incorporeus, nec tamen ex eo inferendum, ſpiritualitatem & ἀσωματίαν minus rectè inter attributa referri, 1. quia etiam reliqua attributa non ſunt accidentia eſſentiæ Dei ſuperaddita, ſed ipſa Dei eſſentia, quamvis igitur docendi causâ quædam attributa dicantur eſſentiam divinam exprimere, *per modum quidditatis*, ut hoc ipſum de quo agimus, quædam *per modum qualitatis*, ut reliqua, nemo tamen cogitare debet, in Deo dari accidens prædicamentale eſſentiæ ſuperadditum, id enim cum ſimpliciſſima ejus Naturâ pugnaret. Quod ſi ergo ſpiritualitas ideo non eſt attributum, quia ipſam eſſentiam Dei notat, utiq; nec reliqua attributa diſtinctè ab eſſentia conſiderari & in peculiares claſſes redigi poterunt. 2. quando Deus dicitur Spiritus tùm per vocem Spiritus eſſentia divina nequaquam limitatur, reſtringitur, & in certam Entium categoriam includitur, ſed juxta Scripturæ ductum duntaxat quodammodo explicatur. Ut enim Deus eſt eſſentia infinita, omnes Entium claſſes tranſcendens, ſic quoq; eſt Spiritus infinitus, omnes ſpirituum ſpecies Angelos & animas humanas infinitis modis tranſcendens, ac proinde nomen Spiritus non analogicè, multò minus συνωνύμως, ſed planè ſingulariter καὶ μοναδικῶς de Deo prædicari intelligendum ac diverſiſſima eſt vocis hujus ſignificatio, quando Deo tribuitur ab ea, in qua Angelis tribuitur, ut nulla generis analogi communio hîc cogitari debeat.

Q. 2. An pugnet cum Dei ἀσωματίᾳ Deum 121. Q. 2. *An pugnat cum Dei ἀσωματίᾳ conari Deum depingere?* Aventinus lib. 7. annal. p. 462. refert, quod Johan. XXII. Pontif. Rom. *illos, qui ſupremam majeſtatem divinam ſenis, adoleſcentis, columbæ imagine pingebant, læſæ religionis accerſiverit eosq; Anthropomorphitas eſſe renunciaverit, quin & quoſdam eorum ad ignem condemnaverit,* *velle depingere?* cum quo Pontificis judicio ex Papali cathedra prolato, quomodo Jeſuitæ conciliare velint ejuſmodi picturas in Papatu frequentiſſimas; ipſi viderint. Calviniani graviter nos accuſant, quòd parùm memores præcepti divini Deut. 4. v. 15. & ſeqq. Deum pingere annitamur, & hac ratione Anthropomorphitarum hæreſin animis rudiorū inſtillemus. Sed ſalva res eſt 1. diſtinguendum inter ipſam Dei eſſentiam ſive οὐσίαν, & Dei revelationem ſive θεοφάνειαν. Eſſentia Dei utpote ſpiritualis ἀσώματος, infinita, inviſibilis &c. depingi nec poteſt nec debet, ſed apparitiones divinæ in ſacris literis propoſitæ abſq; ullo omninò peccato depingi poſſunt. 2. Quod ſi enim animo concipere licet interiùs tales imagines, quæ ex lectione Hiſtorica divinarum revelationum in eo formantur, quidni etiam penicillo licebit eaſdem, exprimere exteriùs & oculis contuendum offerrē illud, quod in animo eſt depictum? Ut Geometra idem deſcribit lineis, quod Arithmeticus deſcribit numeris, ſic pictor idipſum penicillo format exteriùs, quod in mente concipitur interiùs. 3. Quinimò quādo tales divinæ revelationes verbis & ſermone efferuntur, mediante aurium ſensū εἰκόνες & imagines earum in animo formantur, quidni ergo licitum fuerit figuris ac picturis idipſum oculis objicere, quod per verba aurib. fuit oblatum? Apoſtolus Gal. 3. v. 1. ante oculos Galatarum Chriſtum crucifixum *præſcriptum*, vel ut Luth. vertit, *depictum fuiſſe* aſſerit, h. e. tàm clarè & perſpicuè doctrinam de Chriſto crucifixo fuiſſe ipſis propoſitam, ac ſi corā ante oculos ſuos vidiſſent ipſum crucifigi. Vide tract. de lege Dei §. 67.

122. *Uſus practicus* eſt ἀνθρωπικὸς & quidem duplex 1. *ad Deum ſummum illum Spiritum amādum.* *Uſus practicus.* Deus ſummus ille increatus Spiritus nobis hominibus corporeis dedit *Spiritum viventem*, vel ut in Hebræo eſt חַיִּים *vitarum* Gen. 2. v. 7. animam puta rationalem, cui Spiritus nomen in Scripturis tribui infrequens non eſt Pſ. 31, 6. Pſ. 146, 4 Eccl. 3, 21. c. 8, 8. &c. (quā ideo Spiritum vel ſpiraculum vitarum dici exiſtimant, quia non ad tēporalem tantùm & corporalem, ſed etiam æternā & ſpiritualem vitam homo per eam conſervari debuit. Sed Hebr. חַיִּים eſt plur. tantûm, quia vita plures annos aut gradus complectitur.) Hic Spiritus noſter creatus fide & amore adhæreat Spiritui increato. Nihil quod eſt corporeum & viſibile animæ noſtræ deſiderium poteſt ſatiare & explere, eſt enim Spiritus omnibus rebus corporeis nobilior ac præſtantior. Nihil quod eſt mortale, corruptibile, tranſitorium animæ quietem largiri poteſt, ſiquidem hic Spiritus noſter ad æternitatem creatus eſt, in æterno igitur incorporeo & increato Spiritu quietem ſuam unicè quærat, unde 2. Cor. 4. v. 18. verè pios Apoſtolos ſic deſcribit, q non contemplentur σκοπούντων τὰ βλεπόμενα, ἀλλὰ τὰ μὴ βλεπόμενα, τὰ γὰρ βλεπόμενα πρόσκαιρα, τὰ δὲ μὴ βλεπόμενα αἰώνια. Quæcunq; in hexaëmero Moſaico à Deo creata deſcribūtur ſunt corporea & tranſitoria (Angelos intra illud hexaëmeri ſpacium conditos eſſe facilè concedimus, ſed eorum utpote inviſibiliū creationē Moſes Hiſtoriographus prætermittit) ſolus homo ex omnib. creaturis reſpectu animæ eſt ſpiritualis, incorporeus & æternus, ergo in reliquis creaturis non quærat deſi-

derij ſui finem & animæ ſuæ quietem. Condito homine Deus quievit, quia in homine quieſcere & habitare voluit. ergo & homo in Deo unicè deſiderij ſui finem & ſpiritus ſui quietem quærat. Summus ille Spiritus eſt creator noſtri Spiritus ejusq; principium & finis, non ergo quieſcit Spiritus noſter niſi in ſuo principio. *Unaquæque res ſecundum id vivat, unde vivit. Unde vivit caro tua? de anima tua* (de Spiritu tuo) *nam illâ ſeparatâ curo moritur, Unde vivit anima tua* (Spiritus tuus) *de Deo tuo. Unaquæque harum ſecundum vitam ſuam vivat. Caro ſibi non eſt vita ſed anima carnis eſt vita. Anima ſibi non eſt vita, ſed Deus eſt animæ vita, debet ergo ſecundum Deum vivere.* Auguſt. ſerm. 13. de verb. Apoſt. *Feciſti ô Pater Spirituum univerſæ carnis Spiritum noſtrum ad te, ideo irrequietus eſt Spiritus noſter, niſi quieſcat in te,* Idem Aug. 1. conf. cap. 1. Qui infra ſe ac dignitatem ſuam aliquid amat, ſibiipſi injuriam facit. Jam verò anima noſtra, utpote Spiritus ad æternitatem conditus eſt omnibus creaturis corporeis præſtantior, ac ſolo Deo inferior, ergo non adhæreat amore rebus corporeis ac tranſitoriis, ſed ſummo Spiritui ad quem proximè accedit. 1. Cor. 6 v. 17. *Qui adhæret Domino, eſt unus Spiritus.* Quò plures corporei Spiritus, h. e. aerea & tenuiſſima corpuſcula in re creata, eò magis actuoſa & operoſa eſt, eoq; magis ſurſum tendit, ut apparet ex Natura ignis, halituum, vaporum &c. eccur igitur noſtra anima, noſter Spiritus, qui eſt verè Spiritus planè ſpiritualis & incorporeus non eſt actuoſus & operoſus per deſiderium conjunctionis cum ſumma & increato Spiritu, in quo omnis ejus beatitudo conſiſtit? eccur non ſurſum tendit, cœleſtia & ſpiritualia unicè cogitando, deſiderando, amando?

123. 2. *Ad Deum in Spiritu invocandum.* Hunc practicum uſum monſtrat nobis Chriſtus Joh. 4. v. 24. *Spiritus eſt Deus, & qui adorant eum in Spiritu & veritate oportet adorare.* Infert Salvator hoc modo: Qui eſt Spiritus, ille in Spiritu & veritate eſt invocandus. Deus eſt Spiritus. Ergo. Samaritana de loco orationis quæſtionem propoſuerat v. 20. cui Chriſtus reſpondet, diſcrimen locorum in N. Teſt. eſſe penitus ſublatum, cùm enim Deus ſit Spiritus incorporeus, ideò ad preces audiendas non eſt certo cuidam loco aſtrictus, *non habitat in templis manufactis* Actor. 17, v. 24. *cœli cœlorum non capiunt eum* 1. Reg. 8. v. 27. quod autem in V. T. cultum adorationis & oblationem ſacrificiorum in templo Hieroſolymitano fieri voluit, id factum eſt propter typum Chriſti, in cujus aſſumta carne *habitat tota plenitudo Deitatis* Coloſſ. 2. v. 9. In Spiritu igitur & veritate adorare eſt 1. abſq; diſcrimine locorum Deum ubiq; præſentem invocare, *in omni loco puras manus tollere* 1. Tim. 2. v. 8. 2. vero & ſerio cordis affectu non hypocriticâ externarum Ceremoniarum & circumſtantiarum obſervatione Deum invocare. 3. in vera fide à Spiritu ſancto accenſa ipſum invocare. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Et Samaritanorum & Judæorum præſumtio aut colliſe dito, aut extructa domus concavo Deum, intra quem omnia & extra quem nihil ejus capax eſt, continebat. Ergo quia Deus inviſibilis, incomprehenſibilis, immenſus eſt ait Dominus veniſſe tempus, ut non in monte vel in templo Deus ſit adorandus, quia Deus Spiritus eſt, & Spiritus nec circumſcribitur nec tenetur, quia per Naturæ ſuæ virtutem ubique eſt, neque uſquam abeſt in omnibus omnia exuberans.* Ambroſ. lib. 3. de Sp. S. cap. 12. *Spiritus plerunque ponitur pro gratia ſpirituali, ergo & hic adoratur Deus, non in malitia cordis, ſed gratia ſpirituali, Spiritus S. donum gratiæ ſpiritualis infundit, in quo adoratur Deus, ſicut adoratur etiam in veritate. Non enim adorat, niſi qui veritatem divinitatis ejus pio hauriat affectu.*

SECT. II.

De divinæ eſſentiæ inviſibilitate.

124. Theſ. *Deus in ſe & ſua Natura eſt inviſibilis.* *Deum eſſe inviſibilem probatur.* Conſequens ἀσώματος: eſt ἀόρατος. Quia enim Deus eſt incorporeus & inmateriatus, ideo etiam eſt indiviſibilis. Exod. 33. v. 20. *Non videbit me homo & vivet,* quod accipiendum non *in ſenſu diviſo,* quaſi poſſit Deus oculis corporeis videri, licet interim homo moriatur, *ſed in ſenſu conjuncto,* nullus homo vivus me videre poteſt, 1. Tim. 1. v. 17. *Regi ſeculorum inviſibili ſit gloria.* Vide loc. §. 76. Juſtinus in lib. de Monarch. p. 81. ex Philemone citat: θεὸν δὲ ποῖον εἰπέ μοι νόμιζε ἐκ, τὸν πάνθ' ὁρῶντα καὐτὸν οὐχ ὁρώμενον. Et ex Orphæo p. 82. οὐδέ τις αὐτὸν εἰσοράᾳ θνητῶν, αὐτὸς δέ γε πάντας ὁρᾶται. Itαὐτὸν δ' οὐχ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται, πᾶσιν γὰρ θνητοῖς θνηταὶ κόραι εἰσὶν ἐν ὄσσοις. Ἀθρήσας δ' ἴδον Δία τὸν πάντων μεδέοντα. Orig. lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 1. tom. 1. p. 669. multis argumentis *Deum inviſibilem eſſe* demonſtrat. Agnoverunt idipſum ſaniores gentiles. Xenoph. lib. 4. de dict. & fact. Socrat. p. 467. in Græc. p. 342. in Lat. Deum qui hoc totum gubernat, eſſe ἀόρατον. Diſtinguendum tamen 1. inter viſionem corporalem & mentalem, illius non hujus reſpectu Deus inviſibilis dicitur. 2. inter ſtatum hujus & futuræ vitæ 1. Tim. 6. v. 16. Auguſt. Epiſt. 112.

125. Quæritur 1. *An cum inviſibilitate Dei pugnent apparitiones ejus in V. Teſt?* Reſp. apparitiones illæ, quæ ἐνανθρωπήσεως præludia fuere, non in nuda divinitate, ſed in aſſumta forma externa hominis, viri vel alia factæ ſunt. Auguſt. lib. 10. de civ. Dei cap. 13. *Sicut ſonus, quo auditur ſententia in ſilentio intelligentiæ conſtituta non eſt hoc, quod ipſa: ita & ſpecies, quâ viſus eſt Deus in Naturâ inviſibili conſtitutus, non erat quod ipſe. Veruntamen ipſe in eadem ſpecie corporali videbatur, ſicut illa ſententia in ipſo ſono vocis auditur, nec illi ignorabant inviſibilem Deum in ſpecie corporali nequaquam ſe poſſe videre.* lib. 3. contra Maxim. cap. 26. latè probat, *Divinitatem non per ſubſtantiam ſuam, in qua inviſibilis & immutabilis, ſed per creaturam ſibi ſubjectam mortalium oculis apparuiſſe, cùm voluit* Nullâ ergo neceſſitate cogimur, ut Alcuini opinionem Photinianis faventem amplectamur, quâ lib. 2. de Trinit. cap. 17. ſtatuit, *viſiones illas quæ in V. Teſt. Patribus facta leguntur, per Angelicas adminiſtrationes eſſe factas,* quod ex collatione Exod. 3. & Actor. 7. demonſtrare fruſtrà conatur. Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 17. *Nimis eſt temerarium dicere, Deum Patrem nunquam Patribus aut Prophetis, per aliquas viſibiles formas apparuiſſe.*

126. Q. 2. *An beati in vita æterna clare & intuitivè Deum ſint viſuri?* Armeni putant, eos non immediatè Deum viſuros, ſed fulgorē quendam

dam ab eſſentia divina emanantem. Contrarium teſtantur 1. *Scriptura dicta* Matth. 5. v. 8. Matth. 18. v. 11. 1. Cor. 13. v. 12. 1. Johan. 3. v. 2. 2. *rationes.* Thom. p. 1. q. 12. art. 1. affert duas. Beatitudo hominis conſiſtit in clara Dei viſione. At poteſt homo conſequi ſuam beatitudinem ad quam conditus. Homo naturaliter deſiderat Deum videre, viſis enim creaturis, optat videre creatorem. Ergo deſiderium illud non eſt fruſtra. Interim diſtinguendum *in proportionem quantitatis & habitudinis*, qua eſt inter intellectum & intelligibile.

127. Q. 3. *An Dei eſſentiam oculis corporeis ſed glorificatis, beati ſint viſuri?* Vorſtius p. 237. affirmat (quamvis ſibi contradicat p. 199. *Spiritus externis ſenſibus non eſt perceptibilis.*) Aug. libr. 22. de civ. Dei cap. 29. & in Epiſt. ad Paulinam in dubio relinquit, quò reſpiciens Schmaltz in exam. 157. errorum err. 129. p. 35. ſcribit: *In cœlo eſſentiã Dei videri poſſe nondum conſtat inter Theologos.* Scholaſtici pleriq; ut & Jeſuitæ præciſè negant 4. ſent. diſt. 49. Thom. 1. q. 12. art. 3. *implicat contradictionem Deum videri oculo corporeo, ergo ne quidem abſol. potentia illud fieri poteſt.* Valent. Diſput. 1. q. 13. punct. 8. rationib. hiſce nixi. 1. Nullus Spiritus eadit ſub ſenſum corporis. Deus eſt Spiritus. 2. Infinitum non poteſt corporeo ſenſu finito comprehendi. Deus eſt infinitus. 3. Nulla potentia poteſt ferri extra ſuum objectum. Sed objectum viſus corporalis eſt viſibile corporeum. 4. Viſionis objectum eſt color Ariſt. 2. de anim. text. 66. *qui eſt extremitas perſpicui in corpore terminato vel qualitas ex lucido & opaco congregatis exurgens.* At Deo non convenit color, quia non eſt corporeus. Scholaſticorum ſententiam etiam amplectitur Martyr claſs. 1. loc. c. 4. §. 2. ubi diſputat, *errare eos, qui Dei eſſentiam beatorum oculis videri exiſtimant. Etſi* (inquit) *oculi noſtri cùm in patria erimus, confirmandi ſunt, oculi tamen manebunt & corporei oculi erunt, quare ſuorum objectorum genus & latitudinem non excedent.* Ad dicta Scripturæ 1. Cor. 13. v. 12. *videbimus Deũ à facie ad faciem.* 1. Joh. 3. v. 2. *videbimus eum ſicut eſt*, reſpondet, *de viſione mentali hac eſſe accipienda, cùm animæ quoque ſua ſit facies, ſicut Angeli faciem Dei vident.* Matth. 18. v. 10. *quibus in vita æterna ſimiles erimus.* Matth. 22. v. 13. probari hoc poſſet hiſce rationibus, 1. Scriptura loquitur de illa viſione; quæ ſuccedit fidei 1. Cor. 13. v. 12. at viſio quæ ſuccedit fidei, eſt intellectualis. 2. quæ eſt ejuſdem rationis in Angelis & beatis animabus, at hæc eſt intellectualis. 3. quam homines ex hac vita decedentes ſtatim conſequuntur. Confer Becan. p. 1. Theol. cap. 9. q. 6. Nos mediam ingredimur viam. Deum in vita æterna à beatis conſpiciendum eſſe in Scripturis revelatũ, ſed quis futurus ſit [illegible] modus, an *mentalis tantùm*, [illegible] *& corporalis*, vix invenietur definitum, proinde non poteſt præciſè definiri nec moroſè urgeri, corporeis oculis Dei eſſentiam viſam iri. 1. Cor. 2. v. 9. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit:* ſed nec pertinaciter debet negari, per potentiam Dei ita illuminari ac clarificari poſſe beatorum oculos, ut ipſam Dei eſſentiam videant, quia ob rationes phyſicas ex communi & ordinario Naturæ curſu petitas infinita Dei potentia limitari ac coarctari neutiquam debet Scalig. exerc. 368. ſect. 9. Dicta Scripturæ valdè ſunt emphatica; *Videbimus eum ſicut eſt, hic in ſpeculo & ænigmate, tunc à facie ad faciem eum videbi*[illegible]*. Erit Deus omnia in omnibus* 1. Corint. 15. v. 28. ac ſumma illa beatitudo in viſione Dei conſiſtens non videtur glorificatis oculis deneganda. Deus non minùs diſtat infinitè ab intellectu creato, quàm à viſu corporeo. Sed poteſt intellectus creatus elevari ad Deum intuitivè cognoſcendum. Ergo poteſt etiam viſus corporeus elevari ad eum videndum. Excipiunt Scholaſt. in proportione objecti & potentiæ plus diſtare Deum à viſu corporeo quàm ab intellectu creato, quia Deus extra totam latitudinem objecti viſus eſt, non eſt autem extra objectum adæquatum intellectus creati. Reſp. *Deus poteſt plura præſtare quàm nos intelligimus*, Si poteſt ſalvâ infinitate elevare intellectum ad intuitivam ſui cognitionem, utiq; etiam glorificatum oculum ſalvâ inviſibilitate ſuâ poteſt elevare ad claram ſui viſionem.

128. *Vſus practicus.* Agnoſcamus grato corde & ore, quod inviſibilis Deus ex arcana majeſtatis ſuæ ſede prodiens non ſolùm in mundi creatione Rom. 1. v. 20. ſed etiam ac vel maximè in Filij miſſione Johan. 1. v. 18. & in verbi prædicatione ſeſe nobis revelavit. De patefactione in creatione mundi ſic loquitur Ambroſ. in comm. Rom. 1. *Vt Deus, qui Naturâ inviſibilis eſt, etiam viſibilibus poſſet ſciri, opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret.* De patefactione in miſſione Filij loquitur Ipſe Salvator: Johan. 14. v. 9. *Qui videt me, vidit Patrem.* Iren. lib. 4. adv. hæreſ. cap. 4. p. 241. *Agnitio Patris eſt Filij manifeſtatio. Inviſibile Filij Pater, viſibile autem Patris Filius.* Pater ſe manifeſtat in Filio, Filius in verbo, quotquot illud verâ fide amplectuntur, *in lumine Dei vident lumen* Pſal. 36. v. 10. & à facie ad faciem aliquando in vita æterna Deum videbunt. Videbunt & amabunt, amabunt, & laudabunt in ſeculum.

Vſus practicus.

SECT. III.

De divinæ eſſentiæ ſimplicitate.

119. Theſis. *Eſſentia divina, eſt ſimpliciſſima* expers omnis compoſitionis, admixtionis ac diviſionis adeoq; omnium accidentium. Probatur hoc 1. *ex remotione omnium compoſitionis ſpecierum.* Modi compoſitionis ſunt ſeptem: Primò ex partibus quantitativis, ut corpus. Secundò ex materia & forma, ut compoſitum eſſentiale. Tertiò ex genere & differentia, ut quælibet Species. Quartò ex ſubjecto & accidente, ut quælibet ſubſtantia creata. Quintò ex actu & potentia. Sextò ex ſuppoſito & Natura. Septimò ex eſſe & eſſentia. At Deus nullo hoc modo compoſitus. 2. *ex Dei infinitate.* 3. *ex Dei perfectione.* 4. *ex Dei æternitate.* Omne compoſitum eſt principiatum, componentia enim non poſſunt eſſe poſt compoſitum, ſed de eo priora. Schol. dicunt: In Deo non poſſe requiri duo: extrema ſubſtantialia cõponentia, quæ tamen ſe actu diſtinguantur ex Natura rei. Quæ n. actu ex Natura rei inter ſe diſtinguũtur, nõ poſſunt inter ſe uniri & coaleſcere, niſi per actionẽ alicujus cauſæ efficientis, quæ ſemper eſt prior. 5. *ex attributorum cũ eſſentia divina identitate.* 6. *ex Dei immutabilitate.* Auguſt. libr. 5. de Trinit. 16. Vide loc. §. 80. 81. 82. Juſtin. in qq. & reſp. ad orthod. q. 144. pagin. 379. *Non ad*

Deus eſt ſimpliciſſimum Ens.

inſtar

inſtar creata Natura Deus eſt, ut id quod ſit & quod habeat per compoſitionem intelligatur, ſicut Natura creata, verùm pro eo atq; Naturam obtinet, ita etiam intelligendus eſt id quod ſit & quod habeat, obtinere ſupra compoſitionem. Orig. libr. 1. patriarchon. cap. 1. tom. 1. p. 668. *Deum qui eſt omnium principium compoſitum eſſe non eſt putandum, ne fortè priora ipſo principia inveniantur, Elementa eſſe; ex quibus compoſitum eſt omne, quicquid illud eſt, quod compoſitum dicitur.* Ruffin. in expoſ. Symb. *Deum cum audis ſubſtantiam intellige ſine initio, ſine fine ſimplicem, ſine ulla admixtione, inviſibilem, incorpoream, ineffabilem, ineſtimabilem, in qua nihil adjunctum, nihil creatum ſit, ſine autore, eſt enim ille, qui autor eſt omnium.* Damaſc. lib. 1. orthod. fidei c. 12. τὸ θεῖον ἁπλοῦν, ἀσύνθετον.

130. Cæterum Deus ea ratione ſimplex: 1. ut ſit ſimplex abſolutè, Angeli & animæ dicuntur ſimplices in ſenſu comparato, quia non ſunt ita compoſita, ut corpora, ſed Deus dicitur ſimplex in ſenſu abſoluto, quia nullam admittit compoſitionem. Virtus quantò unitior, tantò fortior, quantò autem unitior, tantò ſimplicior, quantò igitur fortior ſeu potentior, tantò ſimplicior, cum ergò divina eſſentia ſit omnipotens, erit ſimpliciſſima. 2. ut non ſolùm ipſe in ſe & ſua eſſentia ſit omnis compoſitionis expers, (cùm in eo realiter non diſtinguantur, id quod eſt & quo eſt, qui habet & quod habet,) ſed etiam ut in alicujus rei compoſitionem venire nequeat. Quod enim venit in alicujus compoſitionem, non eſt primò & per ſe agens. Non enim manus agit, ſed homo per manum. Si ergo Deus eſſet corporis forma, non eſſet prima & per ſe agens cauſa & per conſequentiam non eſſet prima cauſa. Savan. lib. 1. de verit. fidei cap. 7. Venire in compoſitionem alterius eſt Entis incompleti, quod ex ſua Natura aptum eſt cum alio Ente incompleto conſtituere aliquod perfectius utroq; componente. At Deus eſt ens completum & perfectiſſimum. Vide loc. §. 86.

Antitheſis 131. Antitheſis. Simplicitatem Dei labefactat. 1. Vorſtius tract. de Deo p. 247. *Videtur aliquid in Deo diverſitatis ineſſe, ut aliud ſit ipſa Dei ſubſtantia vivens, aliud vita ſeu vis illa, per quam vivit,* Ibid. p. 209. *Non ſunt* (inquit) *axiomata vulgo quidem recepta, ſimpliciter & omni modo vera in Deo non cadere ullam diverſitatem aut compoſitionem. Item nullum omninò in Deo, accidens eſſe, ſed quicquid in ipſo eſt, Deum ipſum eſſe. Annon enim diverſa ſunt in Deo perſonæ? annon diverſæ relationes? an idem eſt generatio Dei, quod ipſe Deus, aut generatio activa idem quod paſſiva? aut idem eſt agere quod pati? & ſi hæc omnia Deus ipſe ſunt, quomodo igitur inter ſe differunt?* (Quò hæc ſpectent, quilibet facili negotio animadvertit, nimirum ut myſterium Trinitatis. Tanquam repugnans divinæ eſſentiæ ſimplicitati convellatur. Sed de hoc objecto paulò pòſt dicetur.) p. 210. ſcribit, *in Deo eſſe quaſi materiam, eſſentiam ſcilicet ſpiritualem inſtar generis, & quaſi formam nempe proprietates eſſentiales inſtar differentiæ.* Ibid. *Nihil vetat generatim aſſerere aliud atque aliud in Deo, ſive etiam in Dei eſſentia eſſe, idq; per Naturæ neceſſitatem ab æterno. Accedunt variæ Scripturæ teſtimonia, quibus aſſeritur aliud & aliud in Deo eſſe videl. ſubjectum & accidens, ſive agens & actionem v. g. cum jurat Deus per animam ſuam* Jer. 51. v. 14. Amos 6. v. 8. *cùm dicitur Spiritus in ipſo eſſe* 1. Cor. 2. v. 11. Item: *aliud eſt ipſum vivens ſubjectum, aliud vita ipſa, ſicut alius eſt qui habet, aliud quod habetur.* Atqui 1. ex eo, quod mens noſtra eſſentiam & divinæ eſſentiæ attributa diſtinctè concipit & conſiderat, ἀπαιδεύτως infertur, in Deo hæc eſſe realiter diſtincta. 2. Differentia realiter differt à genere, cùm ſit extra generis eſſentiam. At proprietates Dei eſſentiales non differunt realiter ab eſſentia Dei, nec ſunt extra eſſentiam Dei, nec ſunt accidentia eſſentiæ, ut in Loc. §. 48. latiſſimè fuit demonſtratum. 3. Eſſentia divina pluſquam toto genere differt ab eſſentia rerum creaturarũ, cùm illa ſit infinita, hæc finita, quando igitur attributa divina de eſſentia divina prædicantur, non ut differentiæ generis latitudinem coarctant, ſed ut realiter idem cum divina eſſentia de eadem prædicantur. 4. Ipſum vivens & vita in Deo non differunt realiter, quia Deus non vivit per aliud eſſentiæ ſuperadditum, ſed vitam habet in ſeipſo Joh. 5. v. 26. & eſt ipſa vita, vivit à ſeipſo & per ſeipſum. 5. Vorſtius ſibiipſi contradicit: *Quicquid bonitatis & perfectionis eſt in creaturis, hoc totum dicit eſſe in Deo per modum ſimplicis formæ.* At ſimplex illa forma non poteſt eſſe compoſita, aliàs ſimplex non eſſet nec accidentalis, alioqui Deus non eſſet ſubſtantia. 6. diſtinguendum accidens prædicamentale ab accidente prædicabili. In Deum non cadit accidens prædicamentale, ſed propter libertatem voluntatis in agendo quædam accidentaliter & contingenter de Deo prædicantur, utpote, quod in hoc momento mundi deſtruat. Aliud eſt accidentaliter aliquid Deo inhærere, aliud accidentaliter de Deo enunciari prædicatione extrinſeca. Vide Diſp. 5. de gloria Dei th. 13. 2. *Quidam Calviniani* incommodis locutionibus uſi. Zanch. lib. 2. de trib. Elohim c. 7. p. 529. ſcribit, *tres perſonas poſſe verè & religioſè vocari Dei partes, nempe eſſentiales,* ideò dici poſſe, *Deum ſeu divinam eſſentiam conſtare iis tribus tanquam ſuis partibus eſſentialibus.* Piſcator eſſentiam tribus Deitatis perſonis communem dicit eſſe *quaſi genus,* perſonas *quaſi ſpecies.* Nobis placet illud Auguſtini: *Eſſentia divina prædicatur de tribus perſonis non ut totum de partibus, nec ut genus de ſpecieb., nec ut ſpecies de individuis, ſed alio ineffabili & incomprehenſibili modo.* Totum n. non eſt in una ſui parte, genus non eſt in una ſpecie, ſed divina eſſentia & indiviſa eſt in Patre, tota & indiviſa in Filio, tota & indiviſa in Spir. S. Vid. Diſp. de gloria Dei. d. l. Quidam Calviniani docent, τὸν Λόγον *ratione perſonæ non eſſe extra carnem aſſumtam, ſed tamen quia eſſentia τοῦ Λόγου eſt infinita, proinde hujus reſpectu τὸν Λόγον infinitis locis eſſe extra carnem.* Sohnius, Pezelius. 3. *Abſoluti decreti architecti.* Qui contrarias voluntates De[illegible]ribuunt, ſimplicitatem divinæ eſſe[illegible]nt, ubi enim eſt voluntatum repugn[illegible] habet locum ſimplicitas ſumma & perfect[illegible]. Atqui architecti abſoluti decreti contrarias voluntates Deo tribuunt. Beza part. 2. reſp. ad Coll. pag. 173. *id quod in Deo occultum latet, interdum ab eo, quod patefacit, diſſentire, adeoque voluntatem ſigni ſeu patefactam alteri arcanæ repugnare.* Zanch. de Natura Dei. cap. 2. pagin. 697. *Licet homo, cùm peccat, faciat quod vult Deus, voluntate ſua arcana, eaq; juſtiſſimâ, homo tamen excuſari non poteſt, cùm faciat contra illam Dei voluntatem, ex qua novit ſibi omnia eſſe agenda.* Piſcat. vol. ſecund. loc. 12. pagin. 171. inter problemata ponit etiam hoc, *an Deus*

velit

velit quadam voluntate revelata, quæ non vult arcana? quod affirmat Keckerm.lib.1.Syſt.Theol. cap.7.pag.140. *Volitionem beneplaciti & ſigni* directè opponit. 4. *Marcelliani* in Deo extenſionem quandam tanquam ceræ finxerunt. *Arnaldiſtæ* circa Ann. Chriſti 1140. in Deo dixerunt aliquid etiam præter Deum eſſe æternum. Idem error fuit *Petri Abelardi*, contra quem egit Bernh. lib.3.c.6.in ipſius vita 5. Socinus in defenſ.animadv.pag.44. *Cùm S. literæ nuſquam quod ſciamus Dei eſſentiam ſimpliciſſimã eſſe teſtentur & de Deo præter id, quod in S.literis expreſſum eſt, quicquam aſſerere periculi plenum cenſeri debeat, quam maximè poſſumus, & ab iſta & ab aliis ejuſmodi enunciationibus abſtinemus, quamvis alioqui & veriſſima & certiſſima eſſe videantur.* Et poſtea. *Etſi de Dei eſſentia, quod ſimpliciſſima ſit, nihil à nobis affirmatur.*

Quæſtiones de divina eſſentia ſimplicitate.

132. Quæritur 1. *An pugnet cum Dei ſimplicitate uti vocabulis concretivis?* Reſp. Deus non ſolùm dicitur ipſa *vita*, ſed etiam *vivens*, non ſolùm ipſa *bonitas* & caritas, ſed etiam *bonus*, ergò licebit uti concretivis vocabulis, quæ tamen nullam in Deo, ut in creaturis compoſitionem inferunt, cùm vita & bonitas non accidentaliter, ſed eſſentialiter de Deo prædicentur. Thom.p.1.q.3. art.4. *De ſimplicibus loquimur per modum compoſitorum, à quibus cognitionem accepimus, & ideo de Deo loquentes concretis nominibus utimur, ut ſignificemus ejus ſubſiſtentiam, quia apud nos non ſubſiſtunt niſi compoſita, & utimur nominibus abſtractivis, ut ſignificemus ipſius ſimplicitatem. Quod ergò dicitur Deitas vel vita, vel aliud hujuſmodi etiam in Deo, referendum eſt ad diverſitatem, quæ eſt in acceptione intellectus noſtri, & non ad aliquam diverſitatem rei.* Sic Chriſtus Joh.5.v.26. dicens: *Patrem habere vitam in ſeipſo*, non diſtinguit vitam Patris ab eſſentia Patris tanquam accidens à ſuo ſubjecto, ſed noſtro ſe accommodans captui, Deum vitæ indeficientem & inexhauſtum fontem conſtituit. Pſ.36.v.10.

133. 2. *An cum ſimplicitate divinæ eſſentiæ pugnet aſſerere, quod Deus ſit eſſe omnium Entium, vita omnium viventium, &c.* Reſp. Bernh. ſerm.4. in Cant. *Sanè eſſe omnium dixerim Deum, non quia illa ſunt, quod eſt ille, ſed quia ex ipſo & per ipſum & in ipſo ſunt omnia. Eſſe autem eſt omnium quæ facta ſunt ipſe factor eorum ſed cauſale, non materiale.* Deus ergò dicitur eſſentia omnium rerum creatarum non ratione *informationis ac compoſitionis*, ſed reſpectu *creationis, conſervationis, gubernationis ac directionis*, quod cum ſimpliciſſima ejus eſſentia minimè pugnat. Aug.lib.4. de civ. Dei c.12. refellit opinionem illorum, qui Deum *mundi animam & mundum corpus Dei eſſe* putaverunt. *Conſequetur* (inquit) *ut quod calcaverit quiſque partem Dei calcet, & in omni animante occidendo pars Dei trucidetur.*

134. 3. *An Trinitas perſonarum cum ſimplicitate Dei pugnet?* Ita videtur Photinianis, unde Deum *triformem, triperſonatum & compoſitum* à nobis introduci clamitant. Photinianis frigidam ſuffundit Vorſt. de Deo p.208. *Sunt tres ſaltem, ſi non plures diverſæ res in Deo. Et contradictio quædam videtur eſſe rem ullam verè exiſtere, quæ non habeat ſuam quandam propriam eſſentiam.* Reſp. Juſt. in qq.& reſp. ad orth. q. 129. reſpondet, *Deum eſſe trinum non συνθέσει compoſitione partium, ſed συνυπάρξει coëxiſtentia perſonarum.* Nos ſic progredimur 1. articuli fidei non ſunt ſibi invicem opponendi. Et *ſimplicitas divinæ eſſentiæ* & *Trinitas perſonarum* in verbo nobis proponitur, utrumq; igitur fidei obœdientiâ acceptandum. 2. Non ſtatuimus eſſentiam divinam à perſonis realiter diſtingui, ut per calumniam nobis tribuit Sommerus in refutat. P. Carolini pag. 25. ſed eſſentiam divinam & tres perſonas Deitatis eſſe realiſſimè ac ſimpliciſſimè unum aſſerimus, nulla ergò hîc compoſitio. 3. Propietates perſonales divinam eſſentiam non multiplicant nec componuntur, cum una atq; eadem eſſentia divina ſit in Patre, Filio & Spiritu ſancto, in Patre ἀγεννήτως, in Filio γεννητῶς, in S.S. ἐκπορευτῶς. Scholaſtici ſic reſp. Non quæritur, an in Deo ſit aliqua diſtinctio realis, quæ efficit realem multitudinem ſeu pluralitatem, ſed an in Deo ſint aliqua componentia realia, quæ realem compoſitionem efficiunt. Perſonæ divinæ diſtinguuntur quidem realiter, ſed tamen non ſunt extrema componentia, quæ concurrant ad alicujus rei compoſitionẽ. 4. Quando igitur Photiniani urgent. *Ubi tres verè & realiter diſtinctæ perſonæ, ibi non eſt mera & ſumma ſimplicitas.* At in divina eſſentia ſecundùm noſtram hypotheſin ſunt tres verè & realiter diſtinctæ perſonæ, ibi majorem limitamus, ubi tres verè & realiter diſtinctæ perſonæ, quarum non eſt una & indiviſa eſſentia, ibi non eſt mera & ſumma ſimplicitas. Jam verò trium divinarũ perſonarũ eſt una atq; indiviſa eſſentia. 5. Perſona Patris non eſt compoſita ex eſſentia & proprietate perſonali tãquam duob. realiter diverſis ſed eſſentia & ἀγεννησία ſunt realiter unũ in Patre. Aug.l.7. de Trin. c.6. *Non aliud eſt Deo eſſe, aliud perſonam eſſe, ſed omninò idem.* Scholaſtici dicunt, hypoſtaſis non addit ad eſſentiam aliquem gradum Naturæ aut actum, ſed ſolum modum eſſendi. Vide in loc.§. 85. ac diſp.10. de glor. Dei theſ.36.

135. Q. 4. An *per diſtinctionem inter voluntatem antecedentem & conſequentem divinæ eſſentiæ ſimplicitas labefactetur?* Aff. Piſcator in not. ad tract. Vorſt. de Deo ad pag.62.theſſ.27. Contrarium oſtendimus diſp.9. de glor. Dei.§.7. Nõ cõſtituimus duplicẽ realiter diſtinctam in Deo voluntatem, quę una eſt & indiviſa, ſed geminum unius & indiviſæ voluntatis explicamus reſpectũ. Q. 5. *An ſimplicitas aliquam importet perfectionẽ?* Cajetanus negat, quia ſimplicitas non addat aliquam entitatem aut modum poſitivum, ſed tantum negationem compoſitionis (ſicut unitas negationem multitudinis) monendum tamẽ, quod hæc negatio fundetur in aliqua perfectione. In unoquoq; enim genere id quod ſimplicius, eſt etiam perfectiùs Thom.1.contr.gent.cap.18.

136. *Uſus practicus.* Deus ut eſſentiâ ita quoq; voluntate eſt ſimpliciſſimus, nihil hîc diſſonum, nihil repugnans, nihil ſibi contrarium & adverſum. Jac.1.v.5. *dat omnibus ἁπλῶς.* Candida illa ſimplicitas etiam noſtros ornet mores, ut cum David oremus Pſ.25.v.21. *Integritas & rectitudo cuſtodient me. Simplicibus præſens* Deus *eſt, offenditur aſtu.* Viri bilingues, qui *loquuntur corde & corde.* Pſ.12.v.3. hoc eſt, in quibus verba diſcrepant à ſenſu cordis, Deo ſunt abominationi. Prov.11.v. 20. Columbina ſimplicitas, non ſerpentina calliditas ſit nobis commendata. Matth.10.v.16. Eph. 6.v.5. 2. Cor.1.v.12. ubi vocatur εἰλικρινεία Θεοῦ, quam Deus operatur, quæq; ipſi grata eſt.

Uſus practicus.

SECT. IV.

De DEI æternitate.

Dei æternitas.

137. Theſis. *Deus eſt æternus verâ, propriè dictâ & infinitâ æternitate.* Æternitatem definit Boëtius libr. 5. de conſol. proſ. 6. quod ſit *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Scholaſtici definiunt, quod ſit *duratio interminabilis, indiviſibilis & independens. Interminabilis,* quia excludit terminum à quo & ad quem, *indiviſibilis,* quia excludit omnem ſucceſſionem temporis, *independens,* quia excludit omnem imperfectionem ac mutationem. Intelligendum autem hoc de æternitate, verè propriè & abſolutè ſic dicta. Æternitas enim עוֹלָם dupliciter in Scripturis dicitur 1. impropriè pro tempore diuturno, interim tamen finito, & quidem ſimpliciter 1. pro re longæ durationis. 2. pro re cui nullus terminus præfigitur. 3. pro tota ſerie & ſucceſſione hujus temporis. Geneſ. 17. v. 13. *erit pactum in carne veſtra, in pactum* עוֹלָם *ſeculi,* quamdiu ſcilicet lex duraverit. Exod. 21. v. 6. *ſerviet ei* לְעֹלָם *in ſeculum,* uſq; ad jubilæum. 2. Propriè pro duratione interminabili & infinita, idq; iterum dupliciter vel *limitatè* pro duratione ex una duntaxat parte interminabili ratione ſcilicet finis ac *termini ad quem, à poſteriori* ut loquuntur, quo ſenſu Angeli & animæ humanæ dicuntur æternæ, vel *abſolutè* pro duratione ex utraque parte interminabili ratione ſcilicet principij ac finis, ratione *termini à quo ac termini ad quem, à priori & à poſteriori* ex parte *ante & poſt,* quo ſenſu ſolus Deus dicitur æternus, utpote qui nec principium, nec ſucceſſionem, nec finem habet, qui non *gratiâ* ut res creatæ in æternum duraturæ, ſed *Naturâ* æternus eſt, qui merus & perfectus actus eſt omnis potentiæ paſſivæ, omnis ſucceſſionis, omnis compoſitionis expers, cujus eſſe eſt ens ſemper ſtans, quod nunquam progreditur in ens fluens, cujus ſimplex eſſentia omnem ſucceſſionem prioris & poſterioris, præteriti & futuri excludit. Aug. 11. de Civ. Dei. cap. 6. *Tempus ſine aliqua mobili mutabilitate non eſt, in æternitate autem nulla mutatio eſt.* Boëtius: *Nunc fluens facit tempus, nunc ſtans facit æternitatem.*

Probatur.

138. Confirmat hanc Dei æternitatem. *1. Scriptura ſacra* variis modis 1. *ſimplici & planâ aſſeveratione.* Gen. 21. v. 33. *Abraham invocavit nomen Dei* עוֹלָם *æterni,* perpetuò durantis & exiſtentis. Pſ. 55. v. 20. יֹשֵׁב קֶדֶם *ſedens quondam,* id eſt, habitans ab initio. Luth. der ewiglich bleibet. Eſa. 40. v. 28. יְהוָה אֱלֹהֵי עוֹלָם *Deus ſeculi Dominus,* i. e. æternus Dominus Eſa. 57. v. 15. *Sic dixit excelſus & ſublimis.* שֹׁכֵן עַד *habitans perpetuò,* in ſeculum, habitator æternitatis. Dan. 6. v. 26. *Deus vivens* קַיָּם לְעָלְמִין *permanens in ſecula.* Roman. 16. v. 26. præceptum αἰωνίου Θεοῦ. 2. *Temporis & ſucceſſionis negatione.* Job. 36. v. 26. *numeri annorum ejus non eſt inveſtigatio.* Eſa. 43. v. 10. *ante me non eſt formatus Deus & poſt me non erit.* Pſal. 90. v. 5. 2. Petr. 3. v. 8. *mille anni coram Deo ut dies unus.* 3. *Æternarum proprietatum & operationum attributione.* Miſericordia ejus dicitur, *manere ab æterno in æternum.* Pſal. 103. v. decim. ſept. tribuitur ei *conſilium æternum.* Pſal. 33. v. 11. *regnum æternum.* Exo. 15. v. 18. *poteſtas æterna.* Dan. 6. v. 26. *gloria æterna.* 1. Petr. 5. v. 10. &c. 4. *Metaphoricâ deſcriptione,* tribuuntur illi dies & anni, ſed à noſtris diebus & annis diſtinctiſſimi. Dan. 7. v. 9. 22. vocatur *Antiquus dierum.* Pſal. 102. v. 28. *anni tui non conſumuntur.* Job. 10. v. 5. *Nunquid ſicut dies hominis dies tui, an anni tui ſicut dies viri.* Eſa. 43. v. 13. *Etiam a die* מִיּוֹם *ego ipſe,* id eſt, ab æterno, antequam eſſet dies. Vide loc. §. 90.

139. 2. *Ratio manifeſta:* Qui eſt omnium rerum ac temporum creator, ante quem nihil eſt, apud quem nihil præteritum aut futurum, nihil prius aut poſterius, qui eſt ſimpliciſſimus & immutabilis, qui extra omnem temporis ſucceſſionem & extra omnem motum immobilis permanet, qui in æternum vivit & regnat, is etiam verè & propriè eſt æternus. Sed hæc omnia Deo competunt. Ergò. Cui conveniunt omnia requiſita æternitatis propriè ſic dictæ, is etiam verè & propriè eſt æternus, At Deo conveniunt omnia requiſita. Philoſophus docet, quod duo ſint æternitatis requiſita. Unum quod ſit συνεχὴς *continua ſimul tota,* nullam habens in ſe ſucceſſionem & interruptionem, alterum quod ſit ἀΐδιος *carens principio & fine.* At hæc propriè & maximè propriè Deo conveniunt. Vid. Thom. p. 1. q. 10. art. 2. & com. in loc. §. 91.

140. 3. Accedunt *Patrum* ſuffragia. Iren. lib. 2. cap. 64. pag. 164. *Sine initio & fine ſine verè & ſemper idem eodem modo ſe habens ſolus eſt Deus, qui eſt omnium Dominus.* ** Juſtin. in qq. & reſp. ad Græc. f. 29. οὐδὲν ἔγχρονον ἐστι παρὰ τῷ Θεῷ *nihil eſt temporaneum apud Deum.* Et poſtea. ὁ αὐτὸς μόνων οὐδὲν ἔχει ἔγχρονον. ** Hilar. lib. 2. de Trinit. pag. 15. *Curre ſenſu, ſi quid ei putas ultimum eſſe eum ſemper invenies, quia cùm ſemper intendas, ſemper eſt quò intendas. Iterum revolve tempora eſſe ſemper inveniet & cùm calculi numerus in ſermone defecerit, Deo tamen ſemper eſſe non deficit. Intelligentiam commove & totam mente complectere, nihil tenes, quia totum hoc habet reliquum, reliquum autem hoc ſemper in toto eſt.* Auguſt. lib. 4. de Trin. cap. 21. *Eſt ſine ullo temporali motu ſuper omnem creaturam, ſine ullis temporum & locorum intervallis & ſimul unum atq; idem ab æternitate in æternitatem tanquam ipſa æternitas.* in Pſal. 101. *Non aliud anni Dei & aliud ipſe Deus, ſed anni Dei æternitas Dei eſt. Æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile, ibi nihil eſt præteritum, quaſi jam non ſit, nihil futurum quaſi jam nondum ſit, ſed non eſt ibi niſi eſt, non eſt ibi fuit & erit, quia & quod fuit, jam non eſt & quod erit, nondum eſt, ſed quicquid ibi eſt, non niſi eſt.* Damaſc. 1. de orth. fid. cap. 8. Deum vocat αἰώνιον, ἄναρχον, ἄκτιστον, ἀγέννητον ἀνώλεθρον τε καὶ ἀθάνατον. Quin & gentilibus de Dei æternitate aliquid innotuit. Roman. 1. v. 20. Thales Philoſophus interrogatus, *quidnam in tota rerum Natura eſſet vetuſtiſſimum?* reſpondit, *Deus quia nunquam eſſe cœpit.* Laërt. Idem interrogatus quid eſſet Deus, reſp. ὁ μήτ᾽ ἀρχὴν ἔχων, μήτε τέλος. Plato in Tim. *Deo nihil præteriti nihil futuri abſq; blaſphemia tribui poteſt.*

141. Opponenda hæc ſunt 1. *Manichæis,* qui duo principia & coæterna poſuerunt, duas ſcilic. Naturas boni & mali. Aug. de hæreſ. cap. 46. 2. *Arnaldiſtis,* qui circa annum Chriſti 1140. *in Deo* dixerunt, aliquid *etiam præter Deum eſſe* æternum. 3. Ann. 1226. inter alios errores & hic publicè damnatus eſt Lutetiæ, *quod omnia ſeparata primo principio coæterna.* Cent. Magdæb. 13. f. 575.

Antitheſis

ex quo

ex quo intelligitur, viguiſſe tunc errorem de æternitate Angelorum. (At ſolus Deus æternus Pſal. 90. verſ. 2. Pſal. 102. verſ. 26.) 4. *Vorſtio*, *qui* multis modis doctrinam de æternitate Dei labefactat 1. Negat *ex illis locis, in quibus Deus ante creaturas fuiſſe dicitur, æternitatem Dei demonſtrari poſſe*. de attrib. div. pag. 224. *Ex Pſalmi nonageſimi verſ. 2. Tu es Deus à ſeculo, non ſolidè probatur abſoluta Dei æternitas, cum non continuò ab æterno ſit, quicquid ante hunc mundum fuit*. Pag. 310, idem repetit, Reſp. Scholaſtici quidem diſputant de quadam æternitate *participata*, quàm ſic deſcribunt, *quod æternitas accipiatur pro re, quæ actu nec principium habet nec finem, et tamen principium & finis non repugnat, ut ſi Deus Angelum aliquem ab æterno produxiſſet aut aliam creaturam, quæ nunquam eſſet deſitura*. Sed hanc participatam æternitatem ignorat Scriptura Sacra, quæ æternitatem omnis principii & finis expertem ſoli Deo tribuit & inter attrita ἀκοινώνητα refert. Ante initium creationis à Moſe deſcriptæ nihil niſi mera æteroitas, & nihil niſi eſſe divinum & increatum nobis deſcribitur, unde etiam *eſſe ante creaturas & ante jacta mundi fundamēta* æquipollent phraſi *eſſe ab æterno*, ut evidenter colligitur ex Pſ. 90. v. 2. Eph. 1. v. 4. Matth. 25. v. 34. Ioh. 17. v. 5. &c. Ut inter Deum creatorem & creaturas nullū eſt medium, ita inter æternitatem & tempus, quod cum creatione mundi cœpit, nullum eſt medium. Vide diſp. 5. de glor. Dei §. 14.

142. Cùm hoc oppoſitum fuiſſet Vorſtio, reſpondet in Exeg. Apolog. c. 13. *æternitatem Dei aliquatenus per accidens hinc* (ex Pſal. 102. verſ. 2.) *demonſtrari poſſe, nō apodicticè. Moſis enim ſcopum fuiſſe, non demonſtrare abſolutam Dei æternitatem. ſed antiquiſſimum & conſtantem Dei erga ſuos affectum ſeu paternam æternamq́; Dei erga nos benevolentiam*. Et propoſitionem vocat infirmam, *ſi quis dicat, quicquid ante terram & montes creatos exiſtit, id ſimpliciter ac neceſſariò æternum eſt, cùm non ſit improbabilis eorum ſententia, qui dixerunt, Angelos diu conditos ante æternum mundum*. Hier. in Epiſt. tit. 1. Idem c. 14. p. 66. *ex rei alicujus ante mundum creatum exiſtentia æternitatem ejuſdem propriè dictam, id eſt, illimitatam & abſolutam apodicticè non poſſe concludi, cùm poſſit Deus potentiſſimam aliquam creaturam ante mundum producere*. Reſp. 1. non noſtris hîc indulgendum ſpeculationibus nec nudis Patrum quorundam aſſertionibus. Angelos ante hexaëmeron Moſaicum conditos eſſe ſuſpicantibus nitendum, ſed Scriptura unicè audienda eſt. quæ τὸ eſſe ante conditum mundum, antequam eſſent terra & montes proponit, ut propriam æternitatis deſcriptionem & ut attributum Deo uoicè conveniens. Sic ergò concludimus. Quicquid eſt deſcriptio æterni Dei propria, de nulla creatura prædicari poteſt, aliàs propria non eſſet. Sed eſſè ante jacta mundi fundamenta eſt deſcriptio æterni Dei propria. Ergò. Quicquid in tempore non cœpit, illud eſt æternum. Quicquid fuit antequam eſſent terra & montes, illud non cœpit in tempore. Ergò quicquid fuit antequam eſſent terra & montes, illud eſt æternum. Major nititur immediatâ oppoſitione æterni ac temporarii. 2. Quemadmodum Scriptura opus creationis Deo unicè tribuit tanquam ipſius proprium. Job. 9. verſ. 8. Pſal. 134. verſ. 5. Eſa. 45. v. 6. Jerem. 10. verſ. 11. &c. Sic eſſe ante res conditas tanquam attributum ſolius æterni proprium nóbis proponit. Ut igitur rectè colligo. Qui creavit cœlum & terram eſt verus Deus: Sic rectè etiam infero. Qui eſt ante omnes res cooditas, ille eſt æternus Deus. Ac velut in priore non licet cogitare de Aogelis in miniſterium creationis adhibitis, ſic nec in poſteriore licet cogitare de Angelis ante conditum mundum exiſtentibus. 3. Invertimus Vorſtii argumentum. Si enim in Pſal. 90. deſcribitur antiquiſſimus & conſtans Dei erga ſuos affectus, utique etiam τὸ *eſſe ante montes & terram* eſt deſcriptio æternitatis, ratio eſt, quia miſericordia Dei ab æterno in æternum manet. 2. Tim. 1. v. 9. *gratia data eſt nobis in Christo ante tempora ſecularia*. 4. meritò autem cum hoc loco Pſalmi conferimus Prov. 8. v. 22. & ſeqq. ubi hæc deſcriptio æternitatis à Salomone latiùs explicatur ac clariſſimè tanquam ἰσοδυναμοῦντα ponuntur *eſſe ab æterno & eſſe antequam abyſſi, fontes aquarum, montes &c. formarentur*. 5. tempus ante conditum mundum ſtatuere eſt ἀντικείμενον ἐν προσκειμένῳ ſtatuere, quia tempus cum mundo cœpit, nec alius *terminus à quo* ſeo principium temporis ſtatui poteſt, ſi Scripturam ſequi velimus, quàm ipſum creationis printipium, quò pertinet illud Moſaicum Gen. 1. verſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*. 6. Negato proprio ſubjecto oegatur adjunctum. Domicilium Angelorum cœlum non fuit ante conditum mundum. Ergò nec Angeli fuerunt ante conditum mundum. 7. Omnis creatura utpote finita terminatur ſuo Ubi. Ante mundum conditum non fuit certum ubi. Ergò nec aliqua creatura & per conſ. nec Angeli.

143. 2. Negat *æternitatem Dei eſſe omninò infinitam & totam ſimul præſentem, ſed dari in ea dici ſucceſſionem præſentis, præteriti & futuri*. de attrib. pag. 266. Sed contradicit & ſibiipſi & veritati fortiſſimè. Priùs probatur ex eo, quod p. 12. æternitatem *inter attributa Dei* recenſet pag. 27. *proprietates Dei eſſe ipſam Dei eſſentiam* aſſerit, ex quo ſponte ſequitur æternitatem non eſſe accidens ſed ipſam, Dei eſſentiam quomodo igitur non erit infinita? Poſterius ex eo colligitur, Æternitas Dei nihil aliud eſt quàm duratio Dei. Duratio Dei nihil aliud quàm durans exiſtentia, exiſtentia Dei eſt ipſa Dei eſſentia. Ergò æternitas eſt ipſa Dei eſſentia. Non poteſt hoc ſalvis ſuis hypotheſibus Vorſtius negare. Ulterius igitur ſic colligimus. Eſſentia Dei eſt indiviſibilis, infinita, tota ſimul præſens, omnem temporis ſucceſsionem excludens. Æternitas eſt ipſa Dei eſſentia. Ergò æternitas erit indiviſibilis, infinita, tota ſimul præſens, omnem temporis ſucceſsionem excludens & per conſeq. omnibus temporum differentiis tota coexiſtit. Excipit Vorſtius in Apol. exeg. cap. 12. pag. 50. *Sacras literas teſtari Deum nunc eſſe & olim fuiſſe & deinceps perpetuo fore*. Apoc. 1. v. 4. *Deo tribuere annos & dies*. Pſal. 102. v. 28 Dan. 7. v. 13. *ejuſdem operationes diſtinguere juxta tres temporis differentias*. Eſa. 44. v. 6. *tribuere ei recordationem præteritorum & prænotionem prædictionem q́; futurorum, denique Deum ipſum de ſeipſo in Prophetis loquentem diſcernere præteritum & futurum in ſuis actionibus. Ego eduxi vos ex Ægypto, ego recordor fœderis mei olim cum Patribus initi. Ego viſitabo aut erigam Jeruſalem*. Reſp. hæc omnia per συγκατάβασιν dici Procopius in c. 3. Eſ. ἀνθρώποις οὖσιν ἀνθρωπίνως ἡ γραφὴ διαλέγεται. Cum enim intellectus noſter

ſit finitus, ac æternitatem non niſi ſub imagine temporis perpetuâ ſucceſſione partium durantis concipere poſſit (unde Plato in Timæo tempus vocat εἰκόνα αἰῶνος, & Pindarus τῦ ἀϊδίου εἴδωλον) ideò æternitas Dei vocabulis ſucceſſionem temporis denotantibus ἀνθρωπίνως deſcribitur, quæ tamen θεοπρεπῶς ſunt intelligenda. Thom. part. 1. q. 10. art. 2. *Verba diverſorum temporum tribuuntur Deo, in quantum ejus æternitas omnia tempora includit, non quod ipſe varietur per præſ. præt. & futur.* Si Vorſtius velit dicere, hanc eſſe petitionem principii, opponimus illi dicta Scripturæ, in quibus membra corporea & affectus humani Deo tribuuntur, quæ per ἀνθρωποπαθείας & οἰκονομίαν accipienda eſſe ipſemet inficiari nequit, cumprimis verò illud quod Scriptura ipſa exponat, non propriè, ſed metaphoricè dies & annos Deo tribui, quodque ſimplicem immutabilitatem ſucceſſionis omnis expertem ei aſſignat. Exod. 3. verſ. 14. Pſal. 2. v. 7. Diſcrimen præteriti, præſentis & futuri non eſt propriè in Deo æterno & infinito creatore, ſed in rebus creatis & finitis, quarum quædam fuerunt, quædam ſunt, quædam futuræ ſunt, Deus autem propriè non fuit, nec erit, ſed perpetuò eſt, non in τῷ νῦν fluxo ſed fixo. Quæ vocabula tempus denotantia de Deo uſurpantur, prius ab omnibus imperfectionibus ſunt liberanda, ac illud quod perfectiſſimum remanet, Deo tribuendum, *ipſe enim idem ſemper eſt*. Pſal. 102. verſ. 28. *apud ipſum nulla tranſmutatio*. Jac. 1. v. 17. Nec eſt, quod Vorſtius metuat, *ſi æternitas Dei dicatur tota coëxiſtere omnibus temporum differentiis, ne & ipſæ res creatæ ſtatuantur æternæ.* Neq; enim ſenſus eſt, quod omnib. partibus & differentiis temporis ſimul ſumtis & ſimul exiſtentib. æternitas coëxiſtat, ſed quod coëxiſtat temporis partibus diviſim ſumtis ac ſibi invicem ſuccedentibus. Ut ergò diſtinctio temporum in creaturis non tollit æternitatem Dei, ſic æternitas Dei non tollit diſtinctionem temporum in creaturis, nec efficit, ut creaturæ non ſint temporum ſucceſſioni & mutationi obnoxiæ. Ut omnia finita Entia ſuam habent dependentiam à Deo infinito, nec tamen ob id redduntur infinita, ſic partes temporis in creaturis coëxiſtunt æternitati, nec tamen creaturæ ob id redduntur æternæ. Ut circa polum immobilem cœleſtis machina perpetuò circumgyratur motu, ita ut nec poli immobilitas per motũ machinæ cœleſtis turbetur, nec motus machinæ per poli immobilitatem ſiſtatur: Sic æternitas coëxiſtit partibus temporis ſibi invicem ſuccedentibus, ut nec fixa æternitatis immobilitas, & immobilitas per continuam temporum fluentium ſucceſſionem turbetur, nec temporum ſucceſſio per fixam æternitatis immobilitatem aboleatur." "Benè Aug. tract. 99. Joh. *Quamvis Natura illa immutabilis & ineffabilis non recipiat fuit & erit, ſed tantum eſt &c. tamen per mutabilitatem temporum, in quibus verſatur noſtra mutabilitas non mendaciter dicimus & fuit & erit & eſt. Fuit quia nunquam defuit, erit quia nunquam deerit, eſt quia ſemper eſt. Vide locum integrum*".

144. 5. *Photinianis*, qui & ipſi æternitatem Dei labefactant 1. negando cum Vorſtio eſſe deſcriptionem æternitatis propriè & abſolutè ſic dictæ, quod Deus dicatur fuiſſe ante mundum conditum. Enied. in cap. 8. Prov. *poteſt eſſe aliquid ante mundi creationẽ, quod non eſt æternũ* Schmaltz. contr. Frantz. diſp. 1. pag. 12. *Eum qui eſt ante initium conditi orbis ab æterno eſſe, Frantz. inde probat, quia quando de Patre dicitur, eum fuiſſe antequam terra fieret, cùm nondum eſſent abyſſi, nec fontes, nec colles, per id ſignificatur, eum eſſe ab æterno. At totum hoc elumbe eſſe quis non videt? Primùm enim planè incertum eſt, æternitatem Dei ita deſcribi. Poſſunt quidem iſta de Deo prædicari, qui æternus eſt, ſed non ſtatim ideò prædicantur de eo, quia æternitatis ipſius ſunt argumenta. Nam niſi aliunde conſtaret, Deum eſſe æternum vel ab æterno, nunquam iſtiusmodi loquendi modis id evinceretur. Deinde manifeſta eſt conſequentiæ fallacia. Non enim ut de eo qui æternus, jure dici poteſt, eum fuiſſe antequam terra fieret, ſic viciſſim de eo qui fuit antequam terra fieret, dici poteſt, eum fuiſſe ab æterno. Nonne enim Angeli fuerunt, antequam terra fieret, & mundus crearetur, nec tamen æterni ſunt.* Hæc ille, quæ oſtendunt, Vorſtium & Schmaltzium iiſdem Præceptoribus uſos fuiſſe; diſputantur a. fine eo, ut argumentum, quod pro vera Chriſti Deitate ex Prov. 8. & locis parallelis deducitur, labefactetur. 2. *temporis ſucceſſionem & differentias in æternitate ſtatuendo.* Goslav. contra Keck. p. 2. cap. 8. Sed illi rectè contradicunt. Catech. Rac. p. 66. 67. Schmaltz. in exa. 157. errorum p. 39. ubi rectè negatur differentias temporis cadere in æternitatem. 3. negando *κατὰ ῥητὸν Dei æternitatem in Scripturis doceri*, ex quo conſequens fuerit, non eſſe ſimpliciter ad ſalutem neceſſarium, Deum æternum eſſe credere, quæ enim ad ſalutem ſcitu ſimpliciter neceſſaria, ea κατὰ ῥητὸν in ſacris literis extare ſtatuunt, ut alibi oſtendimus. Schmaltz. contra 1. diſput. Frantz. quæſt. 12. *Deum ab æterno eſſe, etiãſi quoad literam nuſquam fortaſsè ſcriptum extet, ita docet ratio ipſa, ut niſi æternus ſit, Deus etiam eſſe nequeat, nempè ſummus.* Sic ergò lumini rationis in Dei æternitate aſſerenda major vis tribuitur quàm lumini revelationis, cùm tamen rationi noſtræ æternitas divinæ eſſentiæ ſit incomprehenſibilis. Luther. in comm. cap. 1. Geneſ. pag. 2. b. *Inſania eſt diſputare multa de Deo extra & ante tempus, quia id eſt velle comprehendere nudam divinitatem ſeu nudam eſſentiam divinam. Hoc quia impoſſibile eſt, ideò involvit ſe Deus in opera & certas ſpecies, ſicut hodiè ſe involvit in Baptiſmum, abſolutionem, &c. ab his ſi diſcedas, tunc abis extra menſuram, locum, tempus & in merẽſſimum nihil, de quo ſecundùm Philoſophum non poteſt eſſe ſcientia.* Sed benè habet, Schmaltzius ipſe videtur corrigere voluiſſe ſuam aſſertionem audaciſſimam, ſubjungit enim. *Quanquam ibid,* (Deũ ſcil. eſſe æternum) *expreſſe dictum eſſe jure cenſeri poteſt, cùm Deus dicitur æternus.* 4. Negando æternitatem eſſe attributum Dei proprium. Schmaltz. contra diſp. Frantz. de extr. judicio. p. 414. *non negarim fuiſſe & eſſe inter doctores, qui diverſum ab aliis in hac re* (de materia Deo ab æterno coëxiſtente) *ſentiant.* Pag. 415. refert hanc quæſtionem in numerum earum, *quæ nec ad ſalutem, nec ad religionem verè pertinent.* Fons erroris eſt negatio infinitæ potentiæ divinæ, quæ requiritur, ut aliquid ex nihilo producatur. Vide diſp. 10. de glor. Dei §. 7. 5. Negando æternitatem Dei deſcribi verbis illis Eſa. 41. v. 4. *Ego ſum primus & noviſſimus*, ut ex Socino & Oſtorodo ibidem oſtendimus.

145 Q. 1. *An æternitas ſit attributum Dei ſolius proprium?* Aff. quia Scriptura Sacra æternita- *Quæſtiones de Dei æternitate.*

tem

tem unicè Deo tribuit & per eam à creaturis in tempore factis eum diſtinguit. Quod eſt verè, abſolutè & ſimpliciter æternum, illud eſt ſimpliciter immutabile. Sed nulla creatura eſt ſimpliciter immutabilis, quia à non eſſe ad eſſe proceſſit, & ab eſſe ad non eſſe procedere poteſt. Solus autem Deus utpote ſimpliciſſimus & infinitus actus eſt ſimpliciter immutabilis. E. ſolus Deus eſt verè, abſolutè & ſimpliciter æternus. Nulla alia res eſt ſua duratio, quia non eſt ſuum eſſe, Deus autem eſt ſuum eſſe uniforme. E. etiam ſua æternitas. Th. p. 1. q. 10. art. 2. Quod eſt ab eſſentia Dei diverſum, non poteſt eſſe æternum, quia æternitas eſt ipſa Dei eſſentia. Sed omnes creaturæ ab eſſentia Dei ſunt diverſæ. Ergò nulla creatura eſt æterna. Ut nihil æternum eſt creatum ita nihil creatum eſt æternum & proindè implicat contradictionem ſtatuere aliquam creaturam æternam.

146. Q. 2. *An æternitas eo modo ſit abſolutum Dei attributum, quo omnipotentia, ſapientia, bonitas?* Quidam negant hoc perſuaſi argumento. Æternitas ſine temporis conceptu intelligi nequit, ergò relativè de Deo dicitur, quatenus ſc. ſignificat privationem principii & finis, quæ non niſi reſpectivè dicuntur Item: Cùm quæro, an Deus ſit æternus, non ſimpliciter quæro de eſſentia Dei, ſed de duratione eſſentiæ. Similiter cùm reſpondeo, Dei eſſentiam eſſe æternam, nec principium nec finem habere, ſed extra tempus, tunc aliquid de Deo cum certo reſpectu pronuncio. Th. p. 1. q. 10. art. 1. *In cognitionem æternitatis oportet nos venire per tempus, ſicut ratio temporis conſiſtit in numeratione prioris & poſterioris in motu: ita in apprehenſione uniformitatis ejus, quod eſt omninò extra motum, conſiſtit ratio æternitatis.* Atqui formale æternitatis non eſt privatio principii & finis, ſed immutabilitas omnem ſucceſſionem excludens, ac duratio eſſentiæ divinæ nihil aliud eſt, quàm eſſentia divina ſemper durans, unde cùm æternitatem ei tribuo, non menſurationem aliquam ei aſſigno, ſed omnem potiùs temporis menſurationem excludo. Thom. 1. p. 1. quæſt. 10. art. 2. *Deus non ſolum eſt æternus, ſed etiam ſua æternitas, cùm tamen nulla alia res ſit ſua duratio, quia non eſt ſuum eſſe. Deus autem eſt ſuum eſſe uniforme, unde ſicut eſt ſua eſſentia, ita eſt ſua æternitas.*

147. Q. 3. *An ut in eſſentia ita quoque in actibus divinis non eſt ſucceſſio ſecundum prius & poſterius.* Reſp. diſtinguendum inter *actus æternos*, quos vocant *perſonales & notionales*, quales ſunt generatio Filii & ſpiratio Spiritus ſancti, & inter *actus externos*, ſive *opera ad extra*. (Philoſophi diſtinguunt inter actionem immanentem & emanentem.) In prioribus non datur prius & poſterius, neque enim temporis prioritas ac poſterioritas datur inter generationem Filii, & ſpirationem S. S. cùm utraque ſit æterna, ſed in poſterioribus datur priùs & poſteriùs. Sic Deus priùs creavit mundum, quàm redemit genus humanum, priùs vocat quàm juſtificat, & priùs juſtificat quàm glorificat.

148. Q. 4. *Quomodo differat æternitas à tempore & ævo?* Thom. part. 1. quæſt. 10. art. 5. *Secundùm quod aliquid recedit à permanendi eſſentia, ita etiam ab æternitate. Quædã ita recedunt, quod eſſe eorum eſt ſubjectum tranſmutationis, vel in tranſmutatione conſiſtit, hæc menſurantur tempore: quædam ita recedunt, quod eſſe eorum, nec ſubjectum eſt tranſmutationis, nec in tranſmutatione conſiſtit, tamen habent tranſmutationem adjunctã, vel in actu vel in potentia, hæc ævo competit. Secundariò & per accidens æternitas à tempore & ævo ſic diſtinguitur, quod æternitas careat principio & fine, ævum habeat principium, ſed careat fine, tempus habeat principium & finem.*

149. *Uſus practicus.* 1. παρακλητικὸς. Spes noſtra eſt in Deo æterno, cujus *veritas & miſericordia manet in æternum.* Pſal. 117. v. 2. *qui veritatem cuſtodit in ſeculum.* Pſal. 146. v. 6. *Ergò non confundet.* Rom. 5. v. 5. *Montes ſe movebunt, & colles nutabunt, ſed miſericordia divina à nobis non recedet, & fœdus pacis non movebit ſe, dixit miſerator Dominus.* Eſa. 54. v. 10. Eſt enim æterna miſericordia & fœdus pacis æternum. Dominus Rex *eſt in ſeculum*, & in æternum. Pſal. 10. v. 16. Ergò ſubditos regni ſui in æternum cuſtodiet. Pſal. 37. verſ. 28. *Verbum Domini manet in æternum.* Eſa. 40. v. 8 Ergò qui credunt verbo, manent in æternum. Iſte Deus *eſt Deus noſter in ſeculum & ultra, ipſe ducet nos ſuper mortem.* Pſal. 148. v. 15. *Deſponſavit ſe nobis in ſeculum.* Oſe. 2. v. 19. Ergò non relinquet Sponſam ſuam. 2. παραινετικὸς. O anima ad æternitatem condita exue amorem terrenorum & tranſitoriorum, ac cœleſtia, utpotè ſempiterna unicè deſidera. Nihil temporale ac caducum poteſt quietem animæ conferre ac deſiderium illius implere, ſiquidem à Deo ad æternitatem eſt condita. Amore igitur adhæreamus æterno Deo, qui eſt finis deſideriorum noſtrorum. *Nos heſterni ſumus & neſcimus, quia umbra dies noſtri ſuper terram.* Job. 8. verſ. 9. Ad æternum igitur toto cordis deſiderio feramur, ne cum mundo tranſeunte ac pereunte tranſeamus. Tranſit mundus, perit terra, pereunt omnia, quæ ſunt in ea, ſed deteriùs perit, qui corde adhæret terrenis & tranſitoriis. Deus res viſibiles ac terrenas in ſumma varietate, atque in conſtantia verſari voluit, ut earum fugacitate perſpectâ ad ſuperna & æterna cor noſtrum eveheremus dicentes cum Davide Pſal. 142. verſ. 6. *Tu Domine portio mea in terra viventium.* Pſal. 73. verſ. 25. *Quid mihi in cœlo, & tecum nolui in terra.* Verſ. 26. *Defecit caro mea, & cor meum, rupes cordis mei, & pars mea Deus in ſeculum.*

Usus practicus.

Sectio V.

De DEI immutabilitate.

150. Theſis. *Deus eſt in ſe & ſuâ Natura immutabilis.* Immutabilitatem Dei probat 1. *Scriptura* tùm *affirmativè.* Exod. 3. v. 6. *Sum qui ſum.* Pſal. 102 v. 29. *Tu idem ipſe es.* Sap. 7. v. 27. De ſapientia, μένουσα ἐν ἑαυτῇ τὰ πάντα καινίζει. tùm *negativè.* Mal. 3. verſ. 6. *Ego Deus & non mutor.* Jac. 1. v. 17. *Apud Deum non eſt commutatio nec viciſſitudo lucis & tenebrarum* τροπῆς ἀποσκίασμα. (Deus Sol ille ſupercœleſtis diſtinguitur à Sole corporeo & viſibili, qui in occaſu ſuo ad oppoſitum hæmiſphærium ſe convertens obumbrat hæmiſphærium quod relinquit, ſed talis obumbratio in æterna illa & inconvertibili luce non habet locum) Vide loc. §. 94. 2. *Ratio.* 1. Actus purus nullam recipit nec recipere poteſt mutationem, oportet enim id, quod mutatur aliquo modo, eſſe in potentia, quia motus eſt actus Entis in potentia in

Dei immutabilitas.

quantum hujuſmodi. Atqui Deus eſt actus purus, nec in eo potentia paſſiva datur. E. 2. Natura rationalis quinque modis mutari poteſt. Primò *quoad exiſtentiam*, ut ſi aliquando exiſtat, aliquando non exiſtat. Secundò *quoad locum*, ſi ex uno loco in alium moveatur. Tertiò *quoad accidentia*, ſi mutetur in quantitate vel qualitate. Quartò *quoad cognitionem intellectus*, ut ſi nunc putet eſſe verum, quod ante judicabat falſum. Quintò *quoad propoſitum voluntatis*. Si nunc decernat aliquid facere, quod antea decreverat non facere. At nullo horum modorum Deus mutatur *non primo*, quia eſt æternus nec exiſtere incipiens, nec exiſtere unquam deſinens, *non ſecundo*, quia eſt ubique præſens, in uno aliquo loco exiſtere de novo non incipiens, *non tertio*, quia ob ſummam eſſentiæ ſimplicitatem non cadit accidens in Deum, *non quarto*, quia eſt omniſcius, qui in ſua ſcientia falli nequit, *non quinto*, quia decreta ſua non mutat, cùm ſapientiſſimè omnia decernat. Numer. 23. v. 19. *Non eſt Deus quaſi homo, ut mentiatur, & filius hominis, ut pœniteat eum, ipſe dixit, & non faciet, locutus eſt, & non ſtabiliet?* Job. 33. v. 14. *Quia in uno loquitur Deus & in duobus non intuebitur eum.* Luther. Wenn Gott einmal etwas beſchleuſt/ ſo bedencket ers nicht erſt hernach. In marg. addit, *ſicut homo poſt factum conſulit, pœnitet & cogitur mutare. Triumphatorem in Iſrael*, inquit Samuel, *non pœnitet aliquid nec ipſe quicquam mutat.* 1. Sam. 15. v. 29. Vid. loc. §. 95.

151. 3. Accedunt Patrum ſuffragia. Juſt. in Dial. cum Tryph. pag. 279. οὐ κινεῖται ὁ τόπῳ τε ἀχώρητος καὶ τῷ κόσμῳ ὅλῳ. *Non movetur, qui nec loco nec univerſo mundo comprehendi poteſt.* Id in qq. & reſp. ad orth. q. 51. pag. 328. μένει ὁ Θεὸς ἐν τῇ οἰκείᾳ αἰσθήσει τε καὶ δικαιοσύνῃ ἀτρέπτως. *Deus in ſuo ſenſu ac juſtitia manet immutabiliter.* Theoph. Antioch. orat. 1. ad Autolyc. pag. 245. ἀναλλοίωτος ὁ Θεὸς. Proclus in ſerm. de fide ad Armenos pag. 18. μένει ἡ θεότης ἀλλοιώσεως ἀνωτέρα, ἐπείπερ τὸ τρεπτὸν ῥεούσης φύσεως πάθος, τὸ γὰρ ἀΐδιον καὶ ἀεὶ ὡσαύτως ἐχούσης τὸ ἄτρεπτον ἴδιον. *Manet divinitas omni mutabilitate ſuperior. Mutatio Naturæ fluentis eſt paſſio, ſed perennis illius ac ſemper eodem modo ſe habentis Naturæ incommunicabilitas eſt propria.* Hilarius lib. 3. de Trinit. *Non opinor demutabilis eſt Deus neque in æternum cadit aut vitium, aut emundatio, aut profectus aut damnum, ſed quod eſt, ſemper eſt, hoc enim Deo eſt peculiare, quod ſemper eſt, habere aliquando in Natura non poterit, ut non ſit.* Auguſt. in procem. libr. 4. de Trinit. *Eſſentia divina nihil habet mutabile, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate.* lib. 5. de Trinit. cap. 2. *Quod mutatur, non ſervat ipſum verum eſſe, & quod mutari poteſt, etiamſi non mutetur, poteſt, quod fuerat, non eſſe, ideoque illud ſolùm, quod non tantùm non mutatur, verùm etiam quod mutari omninò non poteſt, veriſſimè dicitur eſſe. Deus autem ſolus eſt incommutabilis.* Ibid. *Aliæ ſubſtantiæ omnes capiunt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantulacunque mutatio, Deo autem aliquid hujusmodi accidere non poteſt, & ideò ſola ſubſtantia vel eſſentia, quæ Deus eſt, incommutabilis eſt.* Conjunge lib. 22. de civ. Dei cap. 1. lib. 9. cap. 22. lib. 11. cap. 4. Damaſcen. lib. 2. de orth. fide cap. 3. πᾶν κτιστὸν καὶ τρεπτὸν μόνον δὲ τὸ ἄκτιστον ἄτρεπτον. Et poſtea: πᾶν τὸ ἀρξάμενον καὶ τελευτᾷ κατὰ φύσιν μόνος δὲ ὁ Θεὸς ἀεὶ ὢν, μᾶλλον δὲ καὶ ὑπὲρ τὸ ἀεί. Arnob. lib. 1. adv. gentes. pag. 22. *Deus qualitatis expers ac quantitatis ſine ſitu, motu & habitu, de quo nihil dici & exprimi poteſt mortalium ſignificatione verborum.* Similia vide apud Athanaſ. tom. 1. de incarn. Verbi pag. 480. de Deitate Chriſti. pag. 339. contra Arianos diſp. 3. pag. 193. Epiſt. ad Serap. p. 365. tom. 2. Dial. de Trinit. pag. 155. Ambroſium in cap. 4. Geneſ. libr. 3. Epiſt. ad Vercell. Eccleſ. pag. 249. lib. 1. de vocat. gentium. cap. 3. lib. 2. cap. ult. lib. de Parad. cap. 14. Iſidor. Peluſiot. lib. 1. Epiſt. 241. Euthym. in Pſal. 32. Apud Philonem extat libellus, cui titulum fecit, ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον, in quo vehementer invehitur in τινῶν τῶν ἐνηχησάντων ἀθεότητα (ſic enim eos appellat) in *impietatem execrandiſſimorum quorundam, qui pœnitentiam propriè dictam à Moſe Deo tribui fortè imaginarentur.* τί γὰρ ἂν (φησι) ἀσέβημα μεῖζον γένοιτο τοῦ ὑπολαμβάνειν τὸ ἄτρεπτον τρέπεσθαι. Ramban (Abbreviatè ſic dicitur, ideſt, R. Moſes Bar Maimoni, de quo tritum apud Judæos Proverb. A Moſe Amramide ad Moſen Maimonidem non fuit huic Moſi par.) in libro, cui titulus: Doctor perplexorum; multis confirmat, nec motum localem, nec mutationem ullam, nec ullum accidens Deo rectè tribui.

152. Antitheſis. Opponenda hæc ſunt: 1. *Secundino* Manichæi diſcipulo, qui *Deum dixit eſſe mutabilem*, quem propterea refellit Auguſtinus tom. 6. col. 529. 2. *Vorſtio*, qui immutabilitatem Dei evertit in lib. de Deo & attrib. pagin. 65. *Non quicquid Deus vult ab æterno in æternum vult. Quædam in tempore reipſa vult, quæ antea ſic nominatim atque in ſpecie noluit.* Pagin. 212. *Quarta ſpecies mutationis* (alteratio) *eatenus in Deo locum habere poteſt, quatenus ipſe actiones quaſdam immanentes exercet juxta liberam voluntatem. Voluntas Dei eſt principium cujuſdam mutabilitatis in Deo.* Et poſtea. *Non ſatis circumſpectè loquuntur, qui Deum ut eſſentiâ, ſic etiam voluntate prorſus immutabilem eſſe affirmant.* p. 307. *Non ſatis accuratè loqui videtur, qui ſimpliciter & ſine limitatione docent, Deũ quicquid unquã voluit, aut vult, aut volet, id ab omni æternitate uno conſtanteq; actu in perpetuum voluiſſe aut velle.* p. 451. *Moſes Deum à propoſito perdendi populi revocaſſe dicitur argumento metuendi mali eventus, quod ſcil. hoſtes Deum eſſent calumniaturi. Videtur enim Deus hunc eventum, utpote ſuâ Naturâ poſſibilem ſuo modo metuiſſe, & propterea à propoſito ſuo receſſiſſe.* Reſp. Confundit Vorſtius voluntatis divinæ *objecta & effecta* cum objectorum & effectorum illorum *principio*. Vid. diſp. 5. de glor. Dei. §. 14. Idem pag. 270. negat *Dei ſcientiam eſſe ipſius eſſentiam*, quâ de re ſuo loco. Accuſatus de hoc Atheiſmo in Apol. exeg. cap. 9. pag. 38. affirmare non dubitat, *plures in Deo res diverſas eſſe nempè decreta diverſa.* Differentiã inter eſſentiam & voluntatẽ Dei demonſtrat ex eo, quod *eſſentia Dei ſit abſolutè & ſimpliciter neceſſaria, decreta verò voluntatis divinæ libera & contingentia*, quin eò progreditur, ut ſtatuat *decreta Dei eſſe vera accidentia, quæ in Deo ab æterno non fuerunt, ſed in tempore ſunt producta.* Cui errori opponimus ſententiam in Scripturis fundatiſſimam, & à tota Eccleſia receptam, quod voluntas Dei nihil aliud ſit quàm Deus volens, hoc eſt, ipſa Dei eſſentia, Deus enim ab æterno in æternum in ſe & ſua Naturá immutabilis exiſtens uno ac ſimplici

volun-

voluntatis actu abſque ulla mutatione vult & exequitur ea, quæ ab æterno decrevit. Decretum ſeu conſilium Dei tripſiciter accipitur: 1. *ἀρτιολογικῶς pro principio decernente*, & ſic decretum Dei nihil aliud eſt, quàm ipſe Deus decernens ſeu voluntas Dei decretoria. 2. *ἐνεργητικῶς pro actu decernendi* ſeu ſententia decretoria, dum eſt à Deo propriè, & in Deo metaphoricè, hoc eſt, per *ἀνθρωποπάθειαν*, quæ non infert compoſitionem veram & realem ſubjecti & accidentis. 3. *ἀντικειμένως* ſive *objectivè pro re decreta*. Sic decretum non eſt in Deo *ὑπαρκτικῶς*, hoc eſt, ſubjectivè, ſed *ἀντικειμένως*, id eſt, objectivè abhinc inferri nequit, quod conſilia & decreta Dei ſint accidentia, quia omnes creaturæ ſunt in Deo objectivè, quæ tamen non ſunt accidentia. Fons erroris eſt, quod Vorſtius temporum ſpacia in Deo æterno conſtituit, & quia in homine libertas arbitrii non habet locum abſque eſſentiæ & voluntatis mutabilitate, exiſtimat in Deo etiam voluntatis libertatem inferre eſſentiæ ac voluntatis mutabilitatem. Atqui ſicut eſſentiæ divinæ unitati ac ſimplicitati ex eo nihil decedit, quod in tribus diſtinctis perſonis ſubſiſtat, quia ſcilicet eſt infinita, ſic voluntatis divinæ ſimplicitatem & immutabilitatem minimè labefactat, quod verſatur circa diſtincta objecta, quia non multis realiter diſtinctis, ſed uno ac ſimplice voluntatis actu Deus omnia vult & decernit. Sicut unâ ac ſimplici ſcientiâ Deus cognoſcit omnia, non autem multis realiter diſtinctis intellectus ſui actibus: ſic una ac ſimplici volitione Deus vult quæcunque decernit ac facit, non multis realiter diſtinctis voluntatis ſuæ actibus. Quemadmodum Deus æternus manens, creat & gubernat temporalia, ſic Deus immutabilis manens vult & facit mutabilia abſque ullo æternitatis & immutabilitatis ſuæ detrimento. Tria enim hic ſpectanda ſunt 1. Voluntas ipſa ſeu decretum ſecundùm ſe ſumtum. 2. Objectum voluntatis, id eſt, res quæ decernitur. 3. Reſpectus ſeu relatio decreti ad rem quæ decernitur. Voluntas ipſa eſt, & manet immutabilis, quia nihil aliud eſt; quàm Dei eſſentia per modum actionis ſignificata. Objectum mutari poteſt voluntate immutabili permanente. Reſpectus ſeu relatio ex parte Dei non mutatur, perinde ut ex opere creationis orta relatio non attulit mutationem aliquam in Deo, ſed tantùm in creaturis. 3. *Photinians*, qui cùm Deum futurorum contingentium à libera hominis voluntate pendentium præſcium eſſe negent, neceſſariò coguntur ſtatuere Dei ſcientiam, & ſic etiam eſſentiam eſſe mutabilem. Item quando electionem Dei mutabilem faciunt. Socin. in lib. quod Evang. ſe Phot. p. 13. *Poſſe perire eos, quos Deus saluti deſtinaverat, idq́ʒ ipſorum culpa & viciſſim ſervari poſſe, quos Deus perdere decreverat, idq́ʒ ob ipſorum pœnitentiam.* Contrarium oſtendimus loc. de elect. §. 215. 4. *Calviniani* abſoluti decreti patronis. 1. Qui Deum alio modo in tempore agere ſtatuũt, quàm ab æterno decrevit agere, illi voluntatem Dei mutabilem ſtatuunt. Patroni abſoluti decreti id faciunt. Ergò. Majorem probatam vide diſput. 5. de glor. Dei. §. 15. Ut Deus in tempore non niſi perſeveranter credentes juſtificat & glorificat, ſic ab æterno non niſi perſeveranter crediturus juſtificare & glorificare conſtituit, hoc eſt, elegit. Ut in tempore non niſi pertinaciter incredulos & impœnitentes damnat, ſic ab æterno non niſi pertinaciter incredulos & impœnitentes damnare conſtituit, hoc eſt, reprobavit. Si fingas Deum abſolutè quoſdam elegiſſe, hoc eſt, glorificare conſtituiſſe, & abſolutè quoſdam reprobaſſe, hoc eſt, damnare conſtituiſſe, cùm tamen in tempore non niſi fidei intuitu ſalvet, & non niſi incredulitatis intuitu damnet, mutabilem conſtituit divinam voluntatem. 2. Qui contrarias voluntates Deo tribuunt, immutabilitatem divinæ voluntatis labefactant. Sed hoc faciunt Patroni abſoluti decreti per diſtinctionem *inter voluntatem ſigni & beneplaciti, inter voluntatem arcanam & revelatam.* Ergò.

153. Q. 1. *An immutabilitas divina voluntatis labefactetur per diſtinctionem inter voluntatem antecedentem & conſequentem, abſolutam & conditionatam?* Aff. Calviniani, Piſcat. in not. ad coll. Vorſt. pag. 26. Contrarium demonſtratum fuit. diſp. 9. de glor. Dei. §. 8. hîc repetimus illud Auguſtin. in Ench. cap. 100. *Voluntas Dei ſemper impletur, aut de nobis, aut a nobis.* Item illud Tertull. lib. de reſurr. carn. *Deus de ſuo optimus, de noſtro juſtus.*** Objiciat quis hîc locum Jobi. 30. v. 21. *mutatus es mihi in crudelem.* Reſp. Lyra in h.l. *In Deum neq́ʒ crudelitas neque mutabilitas venit, ſed adjunxit mihi, ut ipſa crudelitas atq́ʒ mutatio non ſit in qualitate judicis, ſed in mente patientis.*** *Quæſtiones de Dei æternitate.*

154. 2. *An creationis opus Deum fecerit mutabilem?* Neg. Vide loc. §. 100. Juſtinus in qq. & reſp. ad orth. q. 113. pag. 361. ſic reſpondet: *Aliud eſt idem ipſum eſſe & aliud, alterius eſſe, idem eſſe habitum non admittit, alterius autem eſſe habitum admittit. Cùm perfectio Dei in eo ſit, quod idem ipſum eſt, propterea non auget eum id quod alterius eſt. Et quemadmodum unitati id nihil confertur, quod principium ſit numeri (nam etiamſi numeri principium non eſſet, perfecta tamen eſſet. & cùm principium ejus facta ſit, non aucta tamen eſt) ſic Deus quoque ante creationem perfectus erat, & poſt creationem auctus non eſt. Non igitur quicquam eorum, quæ per creationem ſunt, Deum adauget, tu enim, inquit, idem es, ſed habitum ipſum, quem ad creaturam obtinet multifariam. Nimis, inquit, exaltatus es ſuper omnes Deos tanquam Pater ſc. & judex. & paſtor, & quæ his ſunt ſimilia. Et quemadmodum eo, quod Deus non plures condidit mundos, cùm id ipſum etiam præſtare poſſet, imperfecta eſſe probata non eſt ejus perfectio, quâ ſuper omnes Deos exaltatus eſt, ita neq́ʒ ex eo, quod unum condidit mundũ, incrementũ aliquod cepit. Quod ſi propterea quod plures mundos Deus non fecerit, imminutus non eſt, eo certè quod unum mundum fecerit, auctus quoq́ʒ non eſt.* Cyrill. lib. 11. theſauri c. 2. ſic reſpondet: *Sapienter & verè dicitur, nihil accidere ſubſtantiæ Dei, quoniam in ſeipſa perfecta eſt, ſed tamen cogimur nonnunquam quaſi accidentia, etiamſi non omninò accidant Deo, hæc dicere & mente accidentium concipere. Quid enim dicimus intelligentes ante mundi hujus productionem Deum creatorem fuiſſe, ſed non actu? Creato autem mundo actu quoq́ʒ creatorem eſſe, id quoq́ʒ modo quodam ſibi accidiſſe, quamvis nullâ mutatione ſui, ſed productione totius à nihilo ad eſſe actu creator factus eſſe videatur, qui æterna incommutabiliq́ʒ tunc creandi voluntate, quando æternaliter voluit, omnia produxit? multa hujuſmodi ſunt, quæ quaſi accidiſſe, Deo videantur &c.* Aug. lib. 12. de Civ. Dei c. 17. poteſt ad opus novũ non novũ, ſed ſempiter-

num adhibere conſilium. Cap. 21. Deus creat nova ſine novitate aliqua voluntatis. Scholaſtici reſpondent, creationem dupliciter accipi, ſcilicet *activè & paſſivè*. Activè nihil aliud eſt, quàm ipſa actio divina & ſic eſt ipſa eſſentia divina, non quidem ſimpliciter, ſed cum relatione ad creaturam, quæ relatio cùm ex parte Dei nō ſit realis, ſed tantùm rationis & quidem ad extra, nullam in Deo infert mutationem. Paſſivè accepta eſt quædam relatio in ipſa creatura ad creatorem tanquam ad principium ſui eſſe, & quia eſt actio ſine motu, ideò non neceſſe fuit, eam per aliam creationem produci. In creatione duo conſideranda: 1. agendi principium. 2. effectum productum. Agendi principium eſt ipſa Dei eſſentia, cui per creationem nulla acceſſit mutatio, quia non novo voluntatis motu Deus in creatione aliquid voluit, quod prius ab æterno voluit, ſed in tempore id fecit, quod ab æterno immutabili ſuâ voluntate decreverat. In effecto producto eſt mutatio à non eſſe ad eſſe, ſed hoc Deum ipſum non fecit mutabilem. Idem eſto judicium de quæſtione: *An incarnationis opus Deum ſtatuit mutabilem?* Aff. Socinus in defenſ. animadv. Poſn. pagin. 66. *Quis negare poterit, ſi Deus tunc revera incarnatus eſt, & homo factus cùm C. J. de S. S. in Maria virginis utero conceptus eſt, exq; ea natus ipſi Deo ejusq; ſubſtantiæ adventitium aliquid & novum idq; maximi momenti accidiſſe?* Atqui manſit eadem verbi ὑπόστασις licet alterius Naturæ cœperit eſſe ὑπόστασις.

155. Q. 3. *An pœnitentia vox de Deo uſurpata* Geneſ. 6. v. 6. 1. Sam. 15. v. 11. *mutabilitatem voluntatis inferat?* Neg. quia non propriè, ſed ἀνθρωποπαθῶς Deus dicitur pœnitere. Auguſt. lib. 15. de Civ. Dei c. 25. *Non ſicut hominem ita Deum cujusquam facti ſui pœnitet, cujus eſt de omnibus omninò rebus tam fixa ſententia, quam certa præſcientia, ſed cogitatio & recogitatio ejus eſt mutandarum rerum immutabilis diſpoſitio.* lib. 17. de Civit. Dei cap. 7. *Ubi legitur, quod Deum pœniteat, mutatio rerum ſignificatur immutabili præſcientiâ manente divina*, quod ut plura alia ex Auguſtino repetit Beda in com. 1. Sam. 11. ** Idem Aug. lib 22. de C. D. cap. 1. *Cùm Deus dicitur mutare voluntatem ſuam, ut quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur iratus, illi potius quam ipſe mutatur & eum quodammodo mutatum, in his quæ patiuntur, inveniunt.* ** Pœnitentia ſumitur: 1. κυρίως 2. μεταφορικῶς. Priori modo accepta non competit Deo. 1. *ex definitionis negatione*. Pœnitentia propriè dicta eſt dolor de factis propriis ex errore mentis, vel infirmitate & inconſtantia voluntatis, vel ex affectuum mutabilitate editis proveniens. At talis dolor in Deū nun cadit. 2. *ex cauſarum remotione*, quia omnes cauſæ pœnitentiæ Deo denegantur. Eæ ſunt 1. *mentis ignorantia*, quia enim mens noſtra eſt finita, ideò non omnium eventuum humanorum eſt præſcientia & ſic ſæpè ex errore aliquid facit, cujus poſtea eum pœnitet. 2. *Voluntatis inconſtantia*. Voluntas hominis eſt ambulatoria modò ad hoc, modò ad illud objectum inclinans. 3. *Virium impotentia* ſæpè homines conſilia ſua etiam optimè deliberata ob impotentiam in actum deducere non poſſunt. Poſteriori ergò tantùm modo Deo tribuitur, videlicet μεταφορικῶς. Duo ſunt in pœnitentia. 1. *affectus* internus ſcilicet dolor ortus ex eo, quod voluntas deteſtatur ſuum factum, 2. *effectus* mutatio ſcilicet facti prioris, prius in Deo non habet locum, ſed tantùm poſterius. Mutat enim facta ſua immutabili manente ipſius voluntate. Internus dolor oritur in nobis ex eo, quod in prioribus factis aberravimus, aberravim⁹ verò ex eo, q̃a intellectus noſter omnes evētus futuros nequit proſpicere, q̃a voluntas noſtra labilis eſt & infirma, ſed nec error, nec ignorātia, nec infirmitas in Deo locum habet, ergò etiam pœnitentia propriè dicta in ipſo non habet locum. Juſtin. in qq. & reſp. ad orth. q. 36. pag. 322. ſic reſpondet: *Dominus Deus tùm eo, quod exiſtit, tùm eo, quod actiones ſe decentes agit, immutabilis eſt. Proſpiciens autem mutationi obnoxius, utilitati eorum, quibus proſpicit. conſulit & res ipſas mutat. Proinde & cùm ignoſcit & cùm non ignoſcit, immutabilitatem retinet, ſiquidem his, qui delicta ſua corrigunt, ita ut non mutetur, ignoſcit, his autem, qui in vitiis ſuis abſque emendatione perſeverant, ita ut non mutetur non ignoſcit. Itaque illud, pœnitentia ducor, immutabilitatem ejus eò, quod non ignoſcit, deſignat: & illud, aliud ſtatuit Dominus, immutabilitatē ejus eò quod ignoſcit, ſignificat, immutabilis namque eſt Deus & ſemper in eis, quæ ſe decent, faciendis perdurat mutabilitatemq; ad id, quod ſe non decet, faciendum nunquam admittit.* Theodor. qq. in Geneſ. *Pœnitentia Dei nihil aliud eſt quàm mutatio diſpoſitionis ejus. Pœnitet me, inquit, quod conſtituerim Saul Regem, pro eo quod eſt ſtatui eum deponere & alium eligere. Sic pœnitet me feciſſe hominem, id eſt, decrevi, perdere genus humanum.* Lyra. *Pœnitentia, dolor, cæteraq; paſſiones ſunt in Deo non ſecundum rem, ſed ſecundùm modum, & ideò dicitur pœnituiſſe; quia ad modum pœnitentis ſe habuit volens diſſipare quod prius fecerat.*

156. Q. 4. *An ex eo, quod prædictiones divinæ non ſemper eveniant, mutabilitas Deo afferatur?* 2. Reg. 20. verſ. 1. Jon. 3. verſ. 4. Reſp. ut promiſſiones divinæ intelliguntur cum *conditione perſeverantiæ*, ſic comminationes divinæ intelligendæ ſunt cum *exceptione pœnitentiæ*. Prædixerat Jonas Niniven everſam iri, ſed cum conditione, (tacita vel expreſsâ) niſi egerint pœnitentiam. Hanc reſponſionem monſtrat Deus ipſe. Jerem. 18. verſ. 7. *Repentè loquor adverſus gentem & adverſus regnum, ut eradicem & deſtruam illud* Verſ. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem ei.* Diſtinguendæ igitur hæ prædictiones divinæ *conditionatæ ab abſolutis*, illæ non niſi poſitâ conditione, hæ abſolutè & ſemper eveniunt.

157. Q. 5. *An libertas voluntatis cum Dei immutabilitate pugnet?* Attributa divina cum inter ſe & cum eſſentia divina ſint ſimpliciſſimè eadem, non poſſunt inter ſe pugnare, jam verò immutabilitas & agendi libertas ſunt divina attributa. Ergò. Ne quidem in Angelis & beatis in bono confirmatis immutabilitas voluntatis bonum ſemper appetentis tollit ejuſdem libertatem. quantò minùs in Deo, cujus eſſentia eſt puriſſima ac ſimpliciſſima. Formale & definitio libertatis non pugnat cum formali ac definitione immutabilitatis. Libertas in eo formaliter conſiſtit. quod Deus poſſit liberè agere, ac pro arbitrio ſuo hoc vel illud decernere. Immutabilitas formaliter in eo conſiſtit, quod quæ abſolutè decreta ſint, non mutentur voluntatis variatione. Q. 6. *An in Deum cadant affectus?* Scalig. Exercit. 16. diſtinguit inter *affe-*

ter *affectum paſſivum & activum.* Omnis affectus paſſivus cum alteratione eſt conjunctus, quæ à Deo ἀμεταβλήτῳ ſimpliciter abeſt, ac proindè affectus Dei accidens non eſt. Ira in hominibus eſt animi quædam perturbatio, quia eſt affectus paſſivus, ſed ira Dei non eſt perturbatio, quia eſt affectus activus. Eſt enim nihil aliud quàm juſta averſatio peccari & voluntas majeſtatis ſuæ vindicandæ.

Vſus practicus. 158. *Vſus practicus 1. Conſolatorius.* Illum monſtrat Apoſtolus Rom. 11. verſ. 29. ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα καὶ ἡ κλῆσις τοῦ Θεοῦ. Dona quæ Deus ex gratuita miſericordia hominibus promittit ac donat, gratuitæ ipſius promiſſiones & gratuita Dei vocatio ſunt ejuſmodi, ut eorum ipſum nunquam pœniteat. Ergò ex ſe non mutat benevolum ſuum erga pios affectum, modò ipſi in filiali obœdientia perſeverent. Præbet hoc nobis efficaciſſimam conſolationem, quâ firmiter ſtatuere poſſumus, cùm Deus per Spiritum S. veram in Chriſtum fidem in cordibus noſtris accenderit noſque in filios ſuos receperit ipſum inpoſterum nequaquam nos ſuâ gratiâ deſtituturum, modò ipſi non deſimus gratiæ ejus. Ex gratia nos elegit, ex gratia nos vocavit, ex gratia juſtificavit, ergò etiam nos olim ex gratia glorificabit, quia ipſius bonitas & gratia eſt immutabilis. Peccatorum noſtrorum obliviſcitur, ſi pœnitentiam ſeriam agamus, ſed gratiæ ſuæ non poteſt obliviſci. Jer. 31. verſ. 3. *Caritate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te miſericordiâ.* Luth. Jch habe dich je vnd je geliebet/ darumb habe ich dich zu mir gezogen aus lauter Güte. 2. *Exhortatorius.* Mutabilis noſtra voluntas immutabili voluntati divinæ adhæreat, ut in bono ſolidetur & confirmetur. *Deus in uno eodemque ſtatu optimo ſemper permanet, ut nihil illi accidere boni poſſit, nihil decedere.* Aug. lib. de Natura boni adv. Manich. c. 24. quo ſenſu Chriſtus eum *ſolum* vocat *bonum.* Matth. 19. verſ. 17. noſtra bonitas, voluntas noſtra labilis eſt ac fragilis, requiritur igitur, ut immutabili bonitati ac voluntati per amorem adhæreat. Suſpiremus ad immutabilem Deum, ut Naturam noſtram per peccatum depravatam immutet ac ſecundùm interiorem hominem quotidiè nos renovet, donec ad immutabilis boni ſtatum in vita æterna perveniamus.

Sectio VI.

De DEI immortalitate.

Dei immortalitas 159. Theſis. *Deus eſt immortalis & incorruptibilis.* Confirmat hoc. 1. *Scriptura ſacra*, tùm *negativè*, quando mortalitatem & corruptionem à Deo removet. Rom. 1. verſ. 23. *mutaverunt gloriam incorruptibilis &c.* 1. Tim. 1. verſ. 17. *Regi ſeculorum ἀφθάρτῳ ſit honor & gloria.* Cap. 6. verſ. 16. *Rex Regum & Dominus dominantium ſolus habet ἀθανασίαν*, tùm *affirmativè*, quando *vitam* Deo tribuit. Gen. 16. verſ. 14. Deut. 5. verſ. 26. Jerem. 2. verſ. 13. &c. Hæc enim vita eſt æterna, incorruptibilis, & nunquam interitura. Deut. 32. verſ. 40. *Vivo ego in æternum.* Deus ex ſe & ſuâ Naturâ vivit, unde vita eſt Deo eſſentialis, imò Deus eſt ipſa vita, ſed reliquorum viventium vita eſt accidentalis & participata. Vide loc. §. 101. Deo tribuitur vita 1. *abſolutè* non ἐξοχικῶς tantùm, ſed planè ἐξαιρέτως, ipſe enim ſolus propriè vivit, eſt ipſa eſſentialis vita. 2. *comparatè* συγκριτικῶς, reſpectu idolorum, quæ non ſunt Dii viventes, ſed mortua idola, nec vitam nec ſigna vitæ ſenſum & motum habentia. Pſal. 106. verſ. 28. 3. *effectivè* ἐνεργητικῶς, quia dat omnibus viventibus vitam. 1. Tim. 6. verſ. 13. *in ipſo vivimus, movemur & ſumus.* Act. 17. verſ. 28. *Vitam & miſericordiam feciſti meam & viſitatio tua cuſtodivit Spiritum meum*, ideſt, vitam meam, cujus ſignum eſt reſpiratio. Job. 10. verſ. 12. II. *Ratio 1. ab æternitate.* Quod ex ſe & ſua Natura eſt æternum, illud ex ſe & abſolutè eſt immortale & incorruptibile. Atqui Deus ex ſe & ſua Natura eſt æternus. Ergò. Sicut aqua viva idem eſt quod perennis & perpetuò ſcaturiens, ſicut Poëta canit, *Perpetui fontes, vitæq; perennis imago* : Sic Deus vivens eſt æternus & incorruptibilis. 2. *à ſimplicitate.* Quicquid omnis compoſitionis expers, illud etiam non admittit reſolutionem ac corruptionem. Deus ob ſummam eſſentiæ ſimplicitatem eſt omnis compoſitionis expers. Ergò. 3. *ab immutabilitate.* Quicquid eſt ſimpliciter & omni modo immutabile, illud etiam eſt incorruptibile. Deus eſt ſimpliciter & omni modo immutabilis, ſemper manens idem. Ergò. Quinimò quia ſolus Deus abſolutè ac ſimpliciter immutabilis, ideò quoque *ſolus immortalitatem habere* dicitur. 1. Tim. 6. verſ. 16. Elegantiſſimè id demonſtrat Auguſt lib. 3. contra Maximin. cap. 12. *In omni* (inquit) *mutabili Natura nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe quod antea erat. Proinde & ipſa anima humana, quæ propterea dicitur immortalis, quoniam qualitercunque ſecundùm modum ſuum nunquam deſinit vivere, habet tamen pro ipſo modo ſuo quandam mortem ſuam, quia ſi juſtè vivebat & peccat, moritur juſtitiæ: Si peccatrix erat & juſtificatur, moritur peccato. Et creaturarum Natura cœleſtium mori potuit, quia peccare potuit. Nam & Angeli peccaverunt, & Dæmones facti ſunt & qui non peccaverunt, peccare potuerunt.* 4. *à remotione omnium cauſarum* mortis & corruptionis, tùm externarum, tùm internarum. Deus enim cùm ſit puriſſimus actus ipſa vita, per ſeipſum vivens, cumque nihil ſit Deo potentius, ideò eſt ſimpliciter immortalis. 5. *à divinæ eſſentiæ nobilitate & perfectione.* Viventia perfectiora & digniora ſunt non viventibus At Deus eſt Ens perfectiſſimum & nobiliſſimum. Ergò eſt Ens vivens, atque ita quidem vivens, ut per ſe & ex ſe vivat, ſit αὐτόζωος καὶ ἀείζωος *vitam habens* ἐν ἑαυτῷ Joh. 5. verſ. 26. unde ſolus verè dicere poteſt: *Vivo ego.* Deut. 32. v. 40 &c. Vide loc. §. 104. 105. 6. *à Dei beatitudine.* Si Deus immortalis non eſſet, beatus eſſe non poſſet, unde vivere quandoque eſt idem quod beatam vit. agere. Ezech. 37. verſ. 1. 4. III. *Omnium hominum conſenſus.* Omnium enim mentibus inſculpta eſt anticipata illa notio, quod Deus ſit Ens vivens & immortale. Græci Deum vocant ζῆνα à vivendo, quoniam ſolus verè vivit & omnia vivificat, ut meritò ſicut vocatur ὁ ὤν, ita appellari poſſit ὁ ζῶν.

160. Quæritur 1. *An vita Dei ab eſſentia Dei differat?* Reſp. Deus, ut eſt ſuum ipſius eſſe, ita quoque eſt ſuum ipſius vivere, proinde eſſentia & vita ex Natura rei actu in Deo non differunt, interim ratione noſtri conceptus hæc duo diſtinguuntur, aliter n. Deum concipimus ut eſt, aliter ut vivit. Duo in Natura inveniuntur, quibus omnis *Quæſtiones de Dei immortalitate.*

Google

rerum perfectio continetur, *eſſentia & vita*, illa eſt omnium creaturarum exiſtentium, hæc quarundam tantùm vi viventium. Pſal. 104. verſ. 29. Actor. 17. verſ. 28. hæc duo vocantur *duo Naturæ momenta*, quæ in Deo ponenda ſunt cum modo ſupereminentiæ ſuper omnium creatarum rerum eſſentiam ac vitam. Pſal. 107. verſ. 27. 1. Tim. 6. verſ. 16. hinc Deus non ſolùm dicitur eſſe ac tribuitur ipſi nomen Jehovah, ſed etiam vivere ac dicitur ipſa vita, quorum neutrum eo modo creaturis competit. Q. 2. *Quot modis vita Dei manifeſtetur?* Reſp. Vita Dei eſt actus, quo eſſentia divina ſe actuoſam eſſe demonſtrat; tribus autem modis, ut Scholaſtici docent, eſſentia divina ſe actuoſam eſſe oſtendit, *intellectu, voluntate & potentiâ agendi*, hæc ergo tria ad vitam Dei pertinent, intellectus, voluntas, & agendi potentia. Q. 3. *An Deus rectè dicatur omnium viventium vita?* Reſp. non formaliter ſed cauſaliter, Auguſtin. lib. 7. de Civ. Dei cap. 5. *Anima non eſt Dei portio, ſed conditio, qui non eſt omnium anima, ſed qui fecit omnem animam, quo ſolo illuſtrante anima fit beata, ſi ejus gratia non ſit ingrata.* Q. 4. *An Deus ἀπαθὴς & impatibilis?* Reſp. Deus ut ſolus eſt ſimpliciter immutabilis & immortalis, ſic etiam ſolus abſolutè & ſimpliciter eſt impatibilis. Eſt ens infinitum. Ergò propter hanc infinitatem nihil poteſt in eum agere, cùm omnia præter Deum ſint finita, quæ non poſſunt agere in infinitum. Eſt ens ſimpliciſſimum & merus actus Ergò propter hanc eſſentiæ ſimplicitatem non poteſt ullius recipere actionem. Eſt ens independens. Ergò propter independentiam nihil eum poteſt cogere vel mutare. Si dicas: *Deus à piis honoratur, ab impiis ignominiâ afficitur, ergo recipit actionem & paſſionem*, diſtinguendum eſt inter paſſiones *reales & intentionales, ſubjectivas & terminativas, tranſmutativas ac χετικάς.* Quando Deus ab impiis blaſphematur, hæc non eſt paſſio realis, ſubjectiva & tranſmutativa, ſicut aqua calefit ab igne, ſed intentionalis, terminativa ac χετικὴ, ſicut aqua videtur ab oculo humano.

Uſus practicus. 161. *Uſus practicus exhortatorius.* Nos miſeri homunculi propter peccatum morti omnes ſumus obnoxii, *omnes morimur & quaſi aqua dilabimur in terram, quæ non colliguntur.* 2. Sam. 14. verſ. 14. *Dies noſtri ſicut umbra prætereunt.* Pſal. 144. verſ. 4. decurrunt *inſtar torrentis*, qui tantùm ex imbribus conſtat & paulò poſt non amplius fluit, *inſtar floris*, qui mane floret, veſperi autem decerptus areſcit. Pſal. 90. verſ. 6. *Homo natus de muliere brevi vivit tempore, repletur multis miſeriis, quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Job. 14. v. 1. in quæ verba ſic commentatur Bernh. lib. 2. ad Eugen. col. 1024. *Homo natus ad laborem non ad honorem, homo natus de muliere, & ob hoc cum reatu, brevi vivens tempore, ideoque cum metu, repletus multis miſeriis & non propterea cum fletu, & verè multis, quia animæ & corporis ſimul*; deſcribitur enim in his Jobi verbis vitæ humanæ *brevitas, fragilitas, fugacitas, inſtabilitas ac multiplex adverſitas*, quam quotidiè ad animum nobis revocantes cor noſtrum à rebus corruptibilibus avertamus, & in Deo immortali ac incorruptibili omnem noſtram fiduciam, omnem ſpē, deſiderium omne fixum habeamus. Qui tranſitoria amat, cum tranſitoriis interit: qui Deo immortali & incorruptibili per fidem & amorem adhæret, fit unus Spiritus & cum ipſo in æternum vivit. Immortalis eſt anima noſtra, & ad immortalitatem condita, non ſatiatur, non quieſcit, niſi in Deo immortali & incorruptibili. Pſal. 17. verſ. 15.

Sectio VII.

De DEI infinitate.

Dei infinitas. 162 Theſis. *Deus verè eſt infinitus.* Per infinitatē intelligitur talis proprietas, quod Deus nec tempore, nec loco, nec ullâ re aliâ finiri poſſit, ſed ſuâ Naturâ & eſſentiâ, actu, ſimpliciter, per ſe & abſolutè ſit infinitus. Intelligitur 1. non infinitas corporeæ quantitatis nec extenſionis, ſed eſſentiæ & perfectionis. 2. Non infinitas privativa, ſed negativa. Privativè. Non finitum eſt, quod nondum eſt aſſecutum ultimam ſuam perfectionem, ſicut fœtus in utero. Non-finitum negativè eſt, quod ita caret termino & limitatione, ut finiri & limitari nec debeat nec poſſit. Item privativè infinitum dicitur id, quod etſi finem actu jam non habet, habere tamen poteſt, ut quantitas; negativè quod ſimpliciter non habet finem. 3. Quamvis etymon infiniti tantùm reſpiciat finem, intelligitur tamen eſſe terminus à quo, ut infinitus ſit ac dicatur Deus, quia nec principium nec finem habet. 4. Infinitum Philoſophia eſt triplex ſecundum ſubſtantiam, quantitatem, continuam ſc. vel diſcretam, & ſecundùm qualitatem. In rebus creatis non datur actu infinitum nec ſecundùm ſubſtantiam, quia omnis creata ſubſtantia eſt compoſita, nec ſecundùm quantitatem, nec ſecundùm qualitatem, quia quantitas & qualitas infinita in ſubſtantia finita eſſe nequit. Deus ſolus infinitus eſt non quidem ſecundum quantitatem vel qualitatem, ſed ſubſtantiam.

163. Infinitatem illam Dei demonſtrat 1. *Scriptura* & quidem tripliciter 1. *affirmativè.* Pſal. 145. verſ. 3. *Magnus Dominus & laudabilis nimis.* Baruch. 3. verſ. 27. Μέγας καὶ ὐκ ἔχει τελευτὴν, ὑψηλὸς καὶ ἀμέτρητος. 2. *negativè.* Pſal. 145. verſ. 3. *Magnitudinis ejus non eſt* חקר *inveſtigatio ad fundum*, finis. 3. *comparativè.* Job. 11. verſ. 8. *Num inveſtigatione Deum invenies, num ad uſque perfectionem Schaddai invenies? In altis cœlorum quid operaberis, profundiorem inferno unquid cognoſces? Longior eſt terra menſura ejus & latitudo præ mari.* Eſa. 40. verſ. 12. *Quis menſus eſt pugillo aquas & quis cœlos palmo menſus eſt? quis appendit tribus digitis molem terræ? quis libravit in pondere montes & colles in ſtatera.* verſ. 15. *Ecce gentes coram ipſo quaſi ſitula ſtilla & quaſi pulviſculus ſtateræ reputata ſunt, ecce inſulaſ quaſi pulvis exiguus* v. 17. *Omnes gentes quaſi nihil coram eo & minus quàm nihilum & vacuum æſtimata ſunt ab eo.* Sap. 11. verſ. 23. &c. Dan. 4. verſ. 32. *Omnes habitatores terræ tanquam nihil reputati.* Vide loc. §. 109.

164. II. *Ratio* 1. ab *infinita Natura & conditione.* Infinitum dicitur aliquid ex eo, quod non eſt finitum. Unaquaque a. forma in ſe conſiderata ad multa communis eſt & per hoc dicitur infinita ſcilicet potentiâ. Cùm verò recipitur in materia, fit forma hujus rei determinata, & ſic dicitur finiri ſcilicet actu. Cùm igitur Deus ſit merus ac purus actus & eſſe ejus non ſit in aliquo receptum, ſed ſit per ſe ſubſiſtens, manifeſtum eſt, quod Deus non

ſit fini-

ſit finitus, ſed maximè formalis & infinitus. Savan. 1. de verit. fid. cap. 8. (At ſi Deus formam ab omni materia ſeparatam conſervaret, ea adhuc eſſet finita & limitata, rectius igitur ab ipſa eſſentiæ finitate, quàm à receptione in materiam forma finiri dicitur.) 2. *à Dei perfectione.* Quicquid non habet finem ac terminum ſuæ perfectionis ac virtutis, illud verè & abſolutè eſt infinitum. Ut enim illud eſt finitum in perfectione & virtute, quod habet finem ſeu terminum ſuæ perfectionis & virtutis, ſic è contrario illud eſt infinitum, quod in virtute & perfectione non habet finem ſeu terminum. Jam verò Deus virtutis ac perfectionis ſuæ non habet terminos, aliàs non eſſet abſolutè perfectus ac ſummus. E. 3. *Ab eorum, propter quæ creaturæ ſunt finitæ, à Deo remotione.* Creaturæ inde atque ideò ſunt finitæ, quia deeſt illis aliqua perfectio vel gradus perfectionis in genere entis. Sic elementa ſunt finita, quia deeſt illis gradus perfectionis, qui eſt in creaturis viventibus, videl. vita. Plantæ ſunt finitæ, quia deeſt illis gradus perfectionis, qui eſt in ſentientibus, videlicet ſenſus & motus. Bruta animantia ſunt finita, quia deeſt illis gradus perfectionis, qui eſt in creaturis intelligentibus Angelis & hominibus videlicet intelligentia, Angeli & homines ſunt finiti, quia deeſt illis gradus perfectionis, qui eſt in Deo, qui eſt Ens increatum, independens, omnium rerum cauſa. Sed Deo nulla deeſt perfectio vel gradus perfectionis in tota Entis latitudine, ſed ipſe continet actu omnes perfectiones in genere Entis poſſibiles. Vide loc. §. 107. Item eſſentiæ rerum multis modis finiuntur ac terminantur. 1. *cognitione.* 2. *duratione.* 3. *loco.* 4. *productione effectus*, quando ſcilicet ita aliquo horum determinatur, ut ultra proferre ſe non poſſit. 5. *receptione ſui eſſe ab alio.* Cùm enim omnis effectus intra cauſæ ſuæ potentiam & efficaciam contineatur, inde fit ut eo ipſo, quod à cauſâ ſuum eſſe recipit, virtute & efficacia cauſæ contineatur ac limitetur. At Deus nullo horum modorum finitus eſt. Non primo, quia à finito intellectu ita cognoſcitur, ut tamen non comprehendatur, ergò eſt infinitus ratione cognitionis. Non ſecundo, quia duratione eſt æternus, nec principium, nec finem habens ergò eſt infinitus ratione durationis. Non tertio, quia non circumſcribitur, nec definitur loco, ergò eſt infinitus ratione negatæ in certo loco incluſionis. Non quarto, quia nullius effectus productione ita determinatur, ut ultrà agere nequeat, ergò eſt infinitus ratione potentiæ. Non quinto, quia à nullo recipit ſuum eſſe, nec ab ullo ineſſe vel conſervari dependet, ſed ex ſe eſt id quod eſt, ergò eſt infinitus ſecundùm eſſentiam, quæ infinitas eſt eſſentialis, & quaſi radix priorum infinitatis modorum.

165. III. *Patrum ſuffragia.* Iren. lib. 1. adv. hæreſ. cap. 12. pag. 58. ὁ πατὴρ πάντα χωρεῖ ἀχώρητος δὲ ὑπάρχει. Ambroſius in comm. cap. 3. Epheſ. *Sicut in Sphæra tanta eſt longitudo, quanta latitudo & tanta altitudo, quantum & profundum, ita & in Deo omnia æqualia ſunt immenſitate infinitatis. Sphæra enim de finito modo clauditur, Deus autem non ſolùm implet omnia, ſed etiam excedit, nec enim clauditur, ſed omnia intra ſe habet, ut ſolus ineffabilis & infinitus habeatur.* Damaſcen. lib. 1. orthod. fidei cap. 4. Deum vocat ἄπειρον, ἀόριστον, ἀσχημάτιστον, ἀπερίγραπτον. Et poſtea: ἄπειρον τὸ θεῖον καὶ ἀκατάληπτον καὶ τοῦτο μόνον αὐτοῦ καταληπτὸν ἡ ἀπειρία καὶ ἡ ἀκαταληψία.

166. Opponenda hæc ſunt: 1. *Vorſtio*, qui infinitatem Dei multis modis labefactat. lib. de Deo & attrib. div. pag. 234. *Deus non eſt actu ſimpliciter infinitus neque eſſendo neque operando, tametſi reſpectu noſtri ſic dicitur utrumque.* Pag. 235. *eſt quidem Deus purus actus, ſed hoc non vetat, quin ſimul in ſeſe ſit finitus.* Pagin. 237. *Nihil poteſt actu infinitum eſſe in tota Natura. Ergo nec Deus. Et ſubſtantia Dei videtur ab Angelo, ergò non prorſus & ſimpliciter infinita.* Pag. 235. *Eſt quidem infinitus diuturnitate, quia ſic ordo & neceſſitas Naturæ poſtulat, ſed propterea non eſt immenſa eſſentia, quia hoc Natura potiùs averſatur.* Pag. 238. *Potentia Dei non prorſus infinita eſt, ergò nec eſſentia Dei infinita eſt, ut enim potentia infinita requirit infinitam eſſentiam, ita finita finitam.* Ibid. *Sacræ literæ Deum quidem magnum, excelſum, elevatum vocant, ſed nunquam abſolutè infinitum, aut ſimpliciter immenſum appellant. Nam ſecundùm quid & comparative dici poſſe infinitum non negamus, ſicut reſpectu noſtri infinitus eſt numerus ſtellarum & arena maris.* De quo Atheiſmo accuſatus in Apologetica exegeſi cap. 16. & tribus ſequentibus variis ſtrophis & diſtinctionibus ſe excuſare nititur, ſed quæ lucem veritatis ferre non poſſunt & glaucoma duntaxat rudioribus objiciunt, cum nervum ſui erroris ſemper retineat. Pag. 90. *Non minùs potentia quam eſſentia divina infinitudinem cum aliqua pia cautione ſemper nobis accipiendam eſſe ſcribit.* Pag. 91. *Omnipotentiam Dei habere aliquatenus ſuos limites & non poſſe quolibet modo ſive quovis illimitato ſenſu infinitam appellari, ſed noſtri quidem intuitu & ſpeciali objectorum reſpectu rectiſſimè ſic dici, ita ut non minùs potentia quàm eſſentia divina infinitudo aliquam ſemper piam reſtrictionem ac limitationem deſideret.* Pagin. 96. *Reſponſurus ad id, quod finitudinem quandam Deo aſcripſerat, affirmat non male in Deum in ſeipſo finitum aut ſuâ Naturâ definitum appellari poſſe & eſſentiam Dei negat omninò eſſe ἀόριστον ſive prorſus indefinitam, indiſtinctam & ſic quolibet modo infinitam.* Pag. 94. ſcribit, *ſe Deum vocare finitum non verbaliter ſeu participialiter, ſed tantùm nominaliter pro definito, certo, diſtincto, proprio.* (quaſi verò de vocabulis & non de reipſa potiùs quæſtio ſit, quaſi finitum dici poſſit nominaliter, quod non eſt finitum verbaliter) Pag. 95. concludit, *Deum in ſeipſo eus finitum ſeu reſpectu propria Natura definitum non injuria vocari poſſe.* Pag. 97. *Rationabilius longeq́; tutius eſſe exiſtimat Deo eſſentialem quandam finitudinem ſimpliciter attribuere quam paradoxa* (quæ in ipſius Vorſtii cerebro talia) *admittere.* cap. 19. ſcribit, *Deo veram quandam magnitudinem ac quantitatem in Scripturis ex parte aſſignari.* pag. 99. *veram magnitudinem verumq́; locum & habitationem. Deo in ſacris aſcribi &c.* Quò profanæ iſtæ diſputationes ſpectent, non ita cuivis primo intuitu patet, reverà autem eò directæ ſunt, ut myſterium Trinitatis & incarnationis ſubruatur. Si enim eſſentia Dei eſt finita, non poteſt tota & indiviſa in tribus diſtinctis perſonis ſubſiſtere. In omni enim finita eſſentia tot ſunt eſſentiæ, quot perſonæ. Si tres in Deo eſſentiæ Pater, Filius & S. S. non erunt ὁμοούσιοι. Item ſi eſſentia divina τοῦ Λόγου eſt finita, utique ſecundùm eſſentiam non in terra, ſed tantùm in cœlo erit, & per conſeq. humana Natura aſſumta non erit Λόγῳ perſonaliter unita, quippè cùm

Antitheſis

cùm ſecundùm ſuam eſſentiam nunc in cœlo ſit, ſed in terra.

167. Argumenta, quibus eſſentiæ divinæ finitatem comprobare nititur, facilem habent explicationem. 1. *à probationis efficacis negatione. Scriptura non aſſerit Deum eſſe infinitum.* E. Sed contrarium modò oſtendimus. 2. *a Dei viſione. Angeli & beati vident Dei eſſentiam, ergò ea non eſt infinita.* Matth. 18. verſ. 10. 1. Cor. 13. v. 12. 1. Joh. 3. verſ. 2. Reſp. diſting. inter *viſionem* & *comprehenſionem*. Deus ab Angelis & beatis videtur, ſed non comprehenditur. Si dicas, *inter finitum & infinitum nulla eſt proportio. Ergò intellectus creatus utpotè finitus non poterit videre Deum ſimpliciter & abſolutè infinitum.* Reſp. diſtinguendum inter *proportionem quantitatis*, quæ non datur inter finitum & infinitum, ſic quotiescunque repetitur binarius, non tamen exæquat numerum infinitum; & *habitudinis*, quæ eſt inter potentiam cognoſcentem & objectum cognoſcibile, talis proportio eſt inter intellectum finitum & Deum, qui eſt in numero cognoſcendorum ab intellectu. Addendum tamen, quòd intellectus finitus Deum beatificè cognoſcat, non per vires Naturæ, ſed per illuminationem ſupernaturalem S. S. & beneficium gratiæ. 3. *ab abſurdi conſecutione. Si Deus eſſet infinitus, creatura etiam eſſent infinita.* Reſp. invertimus argumentum, ut ex ſuperioribus conſtare poteſt. Deus eâ ratione dicitur infinitus, ut ſolus ſit infinitus, ac proindè eo ipſo à cenſu omnium rerum eximitur, quando infinitus ſtatuitur. Creaturæ omnes ſunt à Deo & finitos eſſentiæ ac potentiæ ſuæ ſortitæ ſunt terminos. Deus ſolus ut eſt à ſeipſo & per ſeipſum, ſic ipſius eſſentia ac potentia eſt indeterminata & infinita. Quàm abſurdum eſt ſtatuere Deum propterea negare velle increatum & omnipotentem eſſe, quia creaturæ non ſunt increatæ & omnipotentes, tàm quoque abſurdum eſt, Deum negare eſſe infinitum, quia creaturæ non ſunt actu infinitæ. 4. *a potentia divina limitatione. Potentia Dei non extenditur ad impoſſibilia, ergò non eſt infinita. Quod ſi potentia Dei infinita non eſt, ergo nec eſſentia.* Reſp. hac de re dicetur inferius, hoc loco breviter dicimus, Deo nihil eſt impoſſibile, niſi quod non vult, hoc eſt, quod voluntati ejus eſt adverſum. 5. *a Dei definitione. Quicquid definitur, & eſt hoc aliquid, non eſt infinitum. Deus definitur & eſt hoc aliquid. Ergò non eſt infinitus.* Reſp. aliud eſt definiri per λόγον οὐσίας, aliud finiri ac circumſcribi per limites ὁριστικάς. DEUS aliquo modo poteſt definiri & deſcribi, imperfectâ ſcilicet definitione, non autem finitur ac circumſcribitur eſſentiæ terminatione. Deindè DEUS formaliter eſt hoc aliquid, ſed eminenter eſt omnia, continet enim in ſe omnes perfectiones poſſibiles in genere Entis.

168. 2. Quibuſdam *Calvinianis*, qui eſſentialem Dei omnipræſentiam negant, ut in ſequenti capite videbimus, quâ ratione infinitatem Dei labefactant. 3. *Photinianis* eſſentiæ, potentiæ & ſcientiæ divinæ infinitatem negantibus. Vid. diſput. 10. de gloria Dei §. 8. Socinus in defenſ. animadv. pag. 46. *Tres perſonas in una eſſentia indiviſa ſubſiſtere non poſſe, adverſarii in eſſentiis finitis hic eſſe contendunt, ſed in eſſentia Dei, quæ infinita eſt, nequaquam. In qua reſponſione non uno modo principium petunt, eaq; dicunt, quæ ex parte manifeſtè ſunt falſa ſimul atque ridicula.*

169. Quæritur 1. *An ſolus Deus infinitus?* Reſp. DEUS ſolus actu & eſſentiâ infinitus eſt, cùm ſolus ſit à ſeipſo, per ſeipſum, & ipſum ſuum eſſe; reliqua quæ dicuntur infinita, potentiâ & ſecundùm quid talia dicuntur. Vid. loc. §. 108. Thom. part. 1. q. 7. art. 3. & 4. probat, nec ſecundùm magnitudinem, nec ſecundùm multitudinem in rebus dari poſſe actu infinitum, multò minùs ergò ſecundùm eſſentiam. 2. *An infinitas ſit attributum merè negativum?* Reſp. Infinitas formaliter & quoad quid nominis notat ſolam negationem finis ac termini, fundamentaliter tamen & quoad rem ipſam includit aliquid affirmativum, videlicet ſummam illam perfectionem, quòd DEUS ſit Ens à ſeipſo & per ſeipſum exiſtens, ab alio prorſus independens & proindè eſſentiæ proprietate nequaquam finitum. 3. *An DEUS prorſus & omnimodè ſit infinitus?* Reſpond. Omninò, eſt enim omnis limitationis, termini & finis prorſus expers. Eſt infinitus *inferius*, quia omnia ſunt Deo minora & inferiora, adeoque infinito intervallo ab ipſo diſtant. Eſt infinitus *ſuperius*, quia à nullo ſuum eſſe accepit neque quicquam ſuperius agnoſcit. Eſt infinitus *ante*, quia non eſt à causâ efficiente, *ante eum non eſt formatum quicquam* Eſa. 43. v. 10. Eſt infinitus *poſt*, quia poſt eum non formabitur quicquam. Eſt infinitus *extra*, quia nihil extra ipſum eſt ipſo ſuperius. Eſt infinitus *intra*, quia eſt ſuum eſſe à ſe & per ſe ſubſiſtens.

Quæſtiones de Dei infinitate.

170. *Uſus practicus* eſt παραινετικός. Infinitus eſt Deus, infinita ejus eſſentia, infinita ipſius potentia, nos miſeri homunciones coram ipſo ſumus *quaſi locuſta* Eſai. 40. verſ. 22. imò *minus quam nihilum & vacuum æſtimati ſumus ab eo.* v. 17. humiliemus ergò nos coram DEO, agnoſcamus noſtram οὐδενότητα, dicamus cum Abrahamo omnium verè credentium parte Geneſ. 18. verſ. 27. *Auſus ſum loqui ad DOMINUM, cùm ſim cinis & pulvis.* Etiam Seraphin clamantes *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, obvelant facies ſuas ob infinitam & incomprehenſibilem DEI majeſtatem Eſai. 6. verſ. 2. quid nobis miſellis faciendum, qui ſumus σκιᾶς ὄναρ, ἡμερόβιοι, imò momentanei? Tota rerum univerſitas ac vaſta illa cœli terræque moles ad infinitum DEUM comparata eſt inſtar puncti ac minor inter infinitam DEI eſſentiam, & totum cœli terræque ſyſtema eſt comparatio, quam inter magnum Oceanum & exiguam aquæ guttulam. Obſtupeſcamus ergò ad infinitatis hujus meditationem, & ex intimo cordis fundo dicamus: O infinitum bonum, *quid eſt homo*, momentaneum illud plaſma, *quod recordaris ejus?* Pſalm. 8. verſ. 5. Eadem infinitas divinæ eſſentiæ temeritatem ingenii noſtri coërceat, ne noſtris ſenſibus ac noſtri intellectus decempeda eum metiamur. DEUS enim eſt ſumma longitudo propter æternitatem, ſumma altitudo propter majeſtatem, ſumma latitudo propter miſericordiam, ſumma profunditas propter ſapientiam incomprehenſibilem. Caveamus ergò, ne infiniti DEI potentiam, ſapientiam, eſſentiam finitâ noſtrâ ratione circumſcribamus.

Uſus doctrinæ de infinitate Dei.

SECTIO

Sectio IIX.

De Dei immenſitate.

Dei immenſitas.

171. Theſis. Deus ut ſuâ Naturâ & eſſentia, actu, per ſe, ſimpliciter & abſolutè eſt infinitus, ita quoque immenſus. Immenſitas quandoque accipitur latè, quandoque ſtrictè. *Latè* accepta omnibus modis, idem eſt quod infinitas, ſignificans Deum nec loco, nec tempore, nec ullâ re aliâ finiri & menſurari per ſe, ſed eſſe ſuâ Naturâ & eſſentiâ infinitum ac immenſum. *Strictè* accepta differt ab infinitate, velut ſpeciea à genere. Infinitatis enim duæ quaſi ſpecies ſtatuuntur: *Æternitas & immenſitas.* Æternitas eſt talis Dei proprietas, per quam nullo tempore finiri, nec principium nec finem exiſtendi habere, ſed citra omnem temporis ſucceſſionem ſemper totus ſimul eſſe ſignificatur. Immenſitas eſt talis Dei proprietas, per quam nullo loco menſurari ac circumſcribi, ſed omnia & ſingula loca citra eſſentiæ ſuæ multiplicationem, extenſionem, incluſionem ac diviſionem penetrare ac replere ſignificatur.

172. Hæc immenſitas & eſſentialis Dei omnipræſentia ita intelligenda eſt. 1. quòd Deus non tantùm virtute & efficaciâ, nec tantùm viſione & ſcientiâ, ſed etiam totâ & individuâ ſuâ eſſentiâ ſit omnibus rebus præſens, neque enim tantùm potentiâ & ſcientiâ, ſed etiam eſſentiâ eſt immenſus & infinitus.

Enter præſenter, Deus hic & ubiq; potenter.

Th.p.1.q.8.art.3. *Deus ubiq; eſt per eſſentiã, præſentiam & potentiam.* 2. quòd Deus ſit ubiq; præſens, non συνεκτῶς, ut comprehendatur ſed συνεκτικῶς, ut comprehendat & contineat omnia, non περιεκτῶς & περιγραπτῶς, ſed περιεκτικῶς. Schulaſtici dicunt, Deum eſſe ubique non *localiter ſeu circumſcriptivè*, quo modo corpus eſt in loco, quod à loco ſuo corporeo per partes quantas diviſibili capitur ac circumſcribitur, *nec definitivè*, quo modo formæ intelligentes, Angeli ſcilicet & animæ ſunt in loco, vel potiùs in certo ποῦ, quia ſunt eſſentiæ finitate definitæ, ſed *repletivè*, quod tamen non intelligendum eſt craſſo & corporeo modo, quòd Deus ita repleat omnia loca, ſicut corpus, quod locum ſuum eo modo replet, ut impediat ne in loco, quem occupat, aliud corpus locetur, ſed *modo divino*, quòd Deus nullo loco cõcluſus omnia loca propter eſſentiæ ſuæ immenſitatem contineat. 3. quòd Deus ubique præſens ſit non *per eſſentiæ ſuæ multiplicationem*, eſt enim ὅλως ὅλον τι, Ens ſimpliciſſimum, ac proinde ubicunque eſt, totus eſt; nec *per eſſentiæ ſuæ diviſionem*, quia non eſt in dimidia mundi parte dimidius, ſed ubique totus; nec *per extenſionem & rarefactionem*, quia non eſt corporea quædam moles, ſed infinita eſſentia, incomprehenſibilis virtus & ineñarrabilis efficacia; nec *per commixtionem*, quia eſt eſſentia ſimpliciſſima & indiviſibilis, in nullius rei compoſitionem veniens. 4. quòd Deus ubique præſens ſit ſuâ eſſentiâ *non ſubjectivè*, ſicut accidens inhæret ſubjecto, quia Deus nec compoſitus eſt, nec in compoſitionem venire poteſt, & ut æternitatis notione tempus, ſic immenſitatis notione locus tanquam ſubjectum occupans excluditur; *ſed effectivè*, ut principium & cauſa præſtò eſt rei quam efficit, Deus enim loco non continetur, ſed ipſe potiùs dat loco & rebus quæ ſunt in loco ſuum eſſe. ** Deus eſt præſens creaturis. 1. *ſine expanſione*, diffuſione aut multiplicatione eſſentiæ, ſed ſimplici eſſentiæ infinitate. 2. *ſine incluſione*. Aug. de div. quæſtion. q. 20. *In illo potius omnia quam ipſe alicubi, nec tamẽ ita in illo, ut ipſe ſit locus*. 3. *ſine emanatione* aut evagatione à ſeipſo ut & ſine emiſſione corporea alicujus virtutis, quæ ab ipſo foràs effluat. ** Eſt præſentia 1. illocalis. 2. impartibilis. 3. rationi noſtræ incomprehenſibilis. 4. efficax & operoſa. 5. omnia inſtar minutiſſimi puncti in ſe continens. Vide loc. §. 284. & ſeqq.

Argumenta Dei immenſitatem aſtruentia.

173. Probatur illa divinæ eſſentiæ immenſitas & omnipræſentia DEI eſſentialis 1. *ex Scriptura*, & quidem 1. *affirmativè*, quando ubique præſens eſſe dicitur. Joſ. 2. verſ. 11. *Jehovah Deus veſter eſt Deus in cœlis ſupra, & in terra infra.* Pſalm. 139. verſ. 7. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò fugiam à facie tua?* verſ. 8. *Si aſcendero cœlos*, שָׁם אָתָּה: *ibi tu, ſi ſtratum fecero in inferno*, הִנֶּךָּ *ecce tu.* verſ. 9. *Si aſſumſero pennas auroræ, & habitavero in noviſſimo maris* (occidentis) verſ. 10. *etiam ibi manus tua me ducet, & tenebit me dextera tua.* (Pſaltes Regius loca ſibi invicem maximè oppoſita confert, & in iis præſentem Deum ſtatuens, in intermediis etiam ipſum præſentem adeſſe intelligendum relinquit.) Jer. 23. verſ. 24. *Num occultabit ſe quisquam in occultis, & ego non videbo eum, dixit Dominus.* (hæc eſt præſentia viſionis ac ſcientiæ, juxta quam *omnia nuda & aperta ſunt Dei oculis*. Heb. 4. v. 13. ne quis verò exiſtimet, Deum ſolius ſcientiæ & viſionis reſpectu omnipræſentem ſtatui. ideò additur) *nonne cœlos & terram* אֲנִי *ego implens, dixit Jehovah.* Amos 9. verſ. 2. *Si penetrarint in infernum inde manus mea tollet eos, & ſi aſcenderint in cœlos, inde faciam eos deſcendere.* verſ. 3. *Si abſconderint ſe in vertice Carmel, inde ſcrutabor & tollam eos, ſi celaverint ſe à coram oculis meis in pavimento maris, inde mandabo ſerpenti, & mordebit eos.* Actor. 17. verſ. 28. *in DEO vivimus, movemur & ſumus.* 2. *negativè*, quando loco certo concludi & comprehendi negatur. 1. Regum 8. verſ. 27. *Num verè DEUS habitabit ſuper terram*, (ut ſcilicet contineatur mundu, ſicut homo continetur domus ſuæ habitaculo) *ecce cœli & cœli cœlorum non continent te* (in Hebræo eſt verbum כּוּל in Piel כִּלְכֵּל comprehendit) *quantò minus domus hæc, quam ædificavi.* Idem repetitur 2. Paralip. 2. verſ. 6. c. 6. verſ. 18. Jerem. 23. verſ. 23. *Nunquid Deus de propinquo ego* מִקָּרֹב *dixit Dominus; & non Deus de longinquo* מֵרָחוֹק Actor. 7. verſ. 48. cap. 17. v. 24. *excelſiſſimus non habitat in templis* χειροποιήτοις. cap. 17. verſ. 27. *non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm.* 3. *ſymbolicè* Eſai. 66. verſ. 1. Actor. 7. v. 49. *Cœlum ipſum ſolium meum eſt, & terra ſcabellum pedum meorum, ubi domus, quam ædificetis mihi, & ubi locus quietis meæ?*

174. 2. *Ex rationibus.* 1. *ab eſſentia divinæ ſimplicitate.* Quicquid eſt abſolutè ſimpliciſſimum, illud non habet partem extra partem. Quicquid partem extra partem non habet, ubique totum eſt. Quicquid ubique totum, illud omnipræſens. Deus ergò cùm ſit ſimpliciſſimus, erit ubique totus. Deus eſt purus actus, ergò omninò indiviſibilis, ergò eſt in qualibet re & in qualibet cujuſque rei parte totus & indiviſus. 2. *ab infinitate*, Quicquid eſſentiâ ſuâ eſt infinitum & immenſum,

menſum, illud etiam ubique præſens eſt, aliàs loco terminaretur ac finiretur. Deus eſſentiâ ſuâ eſt infinitus. Ergò. 3. *ex operandi poteſtate.* Thom. p. 1. q. 8. art. 1. Omne agens debet eſſe conjunctum ei, in quod immediatè agit (intellige de tali agente, quod operatur immediatè immediatione virtutis & ſuppoſiti. Operari immediatione virtutis dicitur illud agens, quod propriâ nec aliundè emendicatâ virtute agit; immediatione ſuppoſiti, quod ſine alia cauſa inter agens & id in quod agit, interjecta operatur) At Deus eſt cauſa immediata ipſius intimi eſſe omnium rerum creatarum, non tantùm dùm eſſe incipiunt, ſed etiam quamdiu in eſſe conſervantur. Ergò eſt omnibus rebus intimè præſens. Savanar. lib. 1. de verit. fidei cap. 8. *Cùm Deus ſit prima & Univerſalis omnium cauſa, & ſit actus purus & ſuum ipſius eſſe oportet, quod omne aliud eſſe productum ſit proprius ejus effectus, ſicut ignire eſt proprius ignis effectus. Et cùm Deus ſit omnium cauſa non ſolùm in fieri, ſed etiam in eſſe ipſum Deum adeſſe rebus, oportet non ſolùm prima inchoatione, ſed quamdiu in eſſe conſervantur, & cùm eſſe unicuique rei ſit maxime intimum, eſt enim formale reſpectu omnium, quæ ſunt in re, affirmare oportet Deum omnibus in rebus valdè intimum eſſe.*

175. Accedunt 3. *Patrum ſuffragia.* Juſtin. Martyr. lib. de Monarch. pag. 82. adducit Orphei verſiculos: οὗτος γὰρ χάλκειον ἐπ' οὐρανὸν ἐστήρικται χρυσείῳ εἰνὶ θρόνῳ, γαίης δ' ἐπὶ ποσσὶ βέβηκε, χεῖρα δὲ δεξιτερὴν ἐπὶ τέρματος ὠκεανοῖο, Πάντοθεν ἐκτέτακεν. Athenag. in orat. pro Chriſt. ἐπεὶ δὲ ἐφεστῶτος μὲν οἷς ἐννοοῦμεν, οἷς λαλοῦμεν καὶ νύκτωρ καὶ μεθ' ἡμέραν τὸν Θεὸν οἴδαμεν, πάντα δὲ φῶς αὐτὸν ὄντα καὶ τὰ ἐν τῇ καρδίᾳ ἡμῶν ὁρᾶν. *Nos verò omnibus* (non modo factis, ſed etiam) *cogitationibus & ſermonibus noſtris tùm noctu, tùm interdiu Deum adeſſe ſcimus, eumq́; & totum eſſe lumen & quæ in cordibus noſtris latent videre.* Cyprianus lib. de vanit. idol. *Dei templum totus eſt mundus.* Item: *Deus totus eſt ubique diffuſus.* Hilar. lib. 1. de Trin. f. 3. *Nullus ſine, neque ullus non in Deo locus eſt. In cælis eſt, in inferno eſt, ultra maria eſt, ineſt interior, excedit exterior. Ita enim habet atque habetur, neque in aliquo ipſe neque non in omnibus eſt.* fol. 4. *Deus totus ipſe intra & extra ſe omnia continet, ut neque infinitus abſit à cunctis, neque cuncta ei, qui infinitus eſt, non inſint.* In Pſal. 138. *Mirabile eſt Deum ubique eſſe, & nuſquam abeſſe, in omnibus eſſe & totum eſſe, extra locos & tempora pro infinitate & æternitate ſua ſemper eſſe* Hieron. in c. 66. Eſa. *Quomodo parvo concludetur loco, qui omnia implet.* Chryſoſt. homil. 5. in cap. 2. Coloſſ. *certâ fide credendum eſſe,* docet, *quòd Deus ſit ubique.* Idem homil. 1. de incompr. Dei Nat. *Deum eſſe ubique, totumq́; eſſe quaque in parte orbis terrarum novi, ſed quemadmodum ſit, neſcio,* hom. 3. *Ubique Deus eſſe dicitur, quia nulli parti rerum abſens eſt. Dicitur ubiq; totus, quia non parti rerum partem ſuam præſentem præbet, & alteri partem alteram partem, æqualem æqualibus, ſed non ſolùm univerſitati creaturæ, verùm etiam cuilibet parti ejus totus pariter adeſt.* Ambroſ. in c. 3. Eph. *Sphæra definito modo concluditur, Deus autem non ſolùm implet omnia, ſed & excedit, nec enim clauditur, ſed omnia in ſe habet, ut ſolus ineffabilis & infinitus habeatur.* Autor lib. de cogn. veræ vitæ cap. 7. pag. 403. *Deus eſt ipſa æternitas omnem creaturam inſtar puncti in ſe continens.* Auguſtin. l. 7. de civit. Dei cap. 30. *Idem Deus ubique totus nullis incluſus locis, nullis vinculis alligatus, in nullas partes ſectilis, ex nulla parte mutabilis, implens cælum & terram præſente potentiâ, non abſente Naturâ* lib. 10. de civit. Dei cap. 4. *Deus non in omnibus quàm in ſingulis major, quoniam nec mole diſtenditur, nec partitione minuitur.* In manual. c. 2. *Non ideò te Domine implere omnia dicimus, ut te contineant, ſed ipſa potiùs à te continentur, nec particulatim imples omnia, nec ullatenus ita putandum eſt, ut unaquaque res pro magnitudine portionis ſuæ te capiat, id eſt, maxima magis, minima minus, dum ſis ipſe potiùs in omnibus, & omnia in te.* lib. 8. de Geneſ. ad lit. cap. 26. p. 251. *Deus eſt interior omni re, quia in ipſo ſunt omnia, & exterior omni re, quia ipſe eſt ſuper omnia.* Plura ex Aug. adducta ſunt in locis §. 111. Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 16. ὁ Θεὸς ἄυλος ὢν καὶ ἀπερίγραπτος ἐν τόπῳ οὐκ ἔστιν, αὐτὸς γὰρ ἑαυτοῦ τόπος ἐστὶν τὰ πάντα πληρῶν, καὶ ὑπὲρ τὰ πάντα ὤν, καὶ αὐτὸς συνέχων τὰ πάντα, λέγεται δὲ καὶ ἐν τόπῳ εἶναι, καὶ λέγεται τόπος Θεοῦ ἔνθα ἔκδηλος ἡ ἐνέργεια αὐτοῦ γίνεται. cap. 18. πάντα ἐπέχει Θεοῦ οὐ τοπικῶς ἀλλὰ φύσει. Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 4. *Nec ideò Deum omnia implere dicimus, ut eum contineant, ſed ut ipſa potiùs contineantur ab eo. Nec particulatim Deus implet omnia, nec ullatenus ita putandum eſt in omnibus eſſe Deum, ut unaquaque res per magnitudinem poſitionis ſuæ capiat eum, maxima majus, minima minus, dum ſit potius ipſe totus in omnibus ſive omnia in ipſo, cujus omnipotentia omnia concludit.* Et poſtea: *Immenſitas divinæ magnitudinis iſta eſt, ut intelligamus eum intra omnia, ſed non incluſum, & ideo interiorem, ut omnia contineat, ideo exteriorem, ut incircumſcriptæ magnitudinis ſuæ immenſitate omnia excludat, per id ergò, quod exterior eſt, oſtenditur eſſe creator, per id quod interior gubernare omnia demonſtratur.* lib. ejuſd. cap. 7. quendam Chriſtianum Philoſopho interroganti, *ubi eſt Deus?* acutiſſimè reſpondiſſe memorat: *Dic prius, ô Philoſophe. ubi non ſit.* Vide plura hujuſmodi apud Athanaſium orat. contra idola poſt med. & contra gregales Sabellii p. 94. Nazianz. orat. 34. quæ eſt ſecunda de Theol. &c. Macarium homil. 12. p. 156. Auguſtin. lib. 1. de civit. Dei cap. 29 Sed & Rabini ac ſaniores Philoſophi omnipræſentiam divinam ſtatuunt. Citatur dictum R. Moſe: *Si poſſibile eſſet, ut aliquis homo conſtitueretur in ſummo noni cæli, non propinquior aut remotior eſſet Deo quàm ille, qui in centro terræ poneretur.* Hermes Triſmegiſtus dicit, *Deum eſſe ſphæram intellectualem, cujus centrum eſt ubique, περιφέρεια verò nuſquam.* Rittershuſius in analectis ad Oppiani ἁλιευτ. lib. 2. verſ. 8. p. 222. demonſtrat, doctrinam de omnipræſentia Dei etiam cæcos gentilium oculos radioſo luminis fulgore præſtinguere potuiſſe. Vide omninò Stephanum Theupolum lib. 1. Academic. contemplat. cap. 8.

176. Antitheſis. Errant hoc loco 1. *Manichæi, qui Naturam boni, Deum ſcilicet cum Natura mali ipſi coæterna dicunt fuiſſe commixtam, ac univerſo mundo Dei ſubſtantiam perhibent eſſe commixtam &c.* Auguſt. de hæreſ. ad Quodvultd. c. 46. h. e. Deum eo modo omnipræſentem eſſe opinati ſunt, ut in compoſitionem rerum creatarum venerit, cui errori opponenda eſt abſoluta Dei ſimplicitas & immutabilitas. Epiphan. contra Dimeritas; *Deus non commiſcetur cum ulla re* Antitheſis

diſq; ullà

ὅϑ᾽ τὴν αὐτῆ ἀεὐχηκοινώντον καὶ ἀεὐχηκριτον ὑπαρ. 2. *Judæis*, de quibus ſcribit Hierõ. in c. 66. Eſ. quòd putent, *inviſibilem & incorporalem & incomprehenſibilem Deum temple Hieruſalem poſſe concludi*. 3. *Vorſtius*, qui modis compluribus im̃enſitatem & eſſentialem Dei omnipræſentiam labefactat. 1. eſſentiæ immenſitatem inter ea, quæ ſimpliciter ἀδύνατα dicuntur, referri, ac proindè nullam perfectionem denotare aſſerit. lib. de Deo & attribut. p. 214. *Non caret controverſia id, quod hic aſſumitur pro certo, videl. eſſentiam Dei prorſus & ſimpliciter immenſam eſſe*. p. 232. *Nusquã disertè in Scriptura docetur, Deũ ſubſtantialiter ubiq; præſentẽ, adeoq; ſimpliciter infinitum eſſe. Nusquam ſcriptũ legimus, Deum ſubſtantiam ſimpliciter immenſam & totam reipsâ in omnib. locis præſentem eſſe, imò non pauca, quæ contrariũ ſenſum habere videntur, paſſim occurrunt*. p. 234. ac præced. p. 233. poſtquã Scripturæ dicta, quæ à Theologis pro aſtruenda infinitate & omnipræſentia Dei ſubſtantiali afferri ſolent, examinavit, concludit: *Unde jam patet, ex Scripturis immenſitatẽ aut Ubiquitatem eſſentiæ divinæ ſolidè probari nõ poſſe, niſi alia teſtimonia proferantur, aut ex iis, quæ prolata ſunt, aliter quàm hactenus factũ eſt, argumenta formentur*. Nec tamen ipſe affert alia teſtimonia, neq; oſtendit, quomodo ex allatis aliter formanda ſint argumenta, ex quo ſpontè ſequitur, ex Vorſtii ſententiâ divinæ eſſentiæ immẽſitatem non poſſe ex Scripturis probari. 2. DEUM non eſſentiâ, ſed virtute tantùm ac efficacia ubique præſentem eſſe aſſerit libr. de attribut. pag. 235. *Verum quidem eſt, Deum omnia in omnibus operari, non tamen ſequitur, Deum immediatè illic ſuâ ſubſtantiâ adeſſe ubicunque operatur, quia per cauſas medias ſivè phyſicas, ſivè hyperphyſicas operari poteſt, ut Rex aliquis per ſuos miniſtros*. 3. Deum ſecundùm ſubſtantiam non niſi in cœlo eſſe ſtatuit. libr. de attrib. p. 233. *Subſtantialiter in illo altiſſimo cœlo tanquam in ſolio aut palatio ſuo reſidet, ſic tamen ut virtualiter etiam ſit κατ᾽ ἐνέργειαν ſuam in terra verſetur*. p. 235. *In Scripturis affirmari omninè videtur, DEUM ratione ſubſtantiæ ſuæ tantùm in cœlo eſſe*. p. 237. allegatis aliquot Scripturæ locis ſubjungit: *Simpliciter credamus, quòd ſacræ literæ toties inculcant DEUM reverâ ſuâ eſſentiâ (quæ ut ampliſſima & maxima, noſtriq; reſpectu immenſa, ita ſummè ſimul glorioſa eſt) in cœlo altiſſimo, eodẽq; capaciſſimo habitare, in terra verò ubiq; virtute & ſapientiâ ſuâ ſive efficaci operatione & providentiâ ſuâ nobis adeſſe*. 4. Negat eſſentiam Dei eſſe totam in qualibet re minima, ſed ſecundùm aliquam ſui partem in ea eſſe aſſerit, ac proindè eſſentiam Dei facit diviſibilem. p. 240. *Mirum videtur eſſe paradoxum, DEUM ſic omnis quantitatis expertem eſſe, ut totus ſubſtantialiter ſit in re qualibet, etiam minima*, unde etiam de anima rationali p. 241. diſputat, eam virtute quidem & operatione per omnes corporis partes diffuſam eſſe, ſed eſſentiam ejus uno aliquo certo loco, puta vel in corde, vel in cerebro contineri. *Si tota anima*, inquit, *eſſet in capite, tota in pedibus, eſſet extra ſeipſam, cum caput & pedes à ſe invicem diſtent*. Reſp. non hoc ſequitur, quòd ſit extra ſeipſam, quia eſt ὅλως ὅλον, ſed quòd ſit in partibus, quarum una eſt extra alteram. Vide Brôkerum in antidot. c. 8. pag. 24. 5. *indignum divinâ majeſtate ipſi videtur eſſe in antro formicæ aut locis ſordidis totâ ſuâ eſſentiâ adeſſe dicatur*. p. 237. Atqui ſi Deo non fuit indignum, res minimas & abjectiſſimas creare, utique nec indignum ipſo erit, iiſdem adeſſe, & eas conſervare. Si Sol viſibilis & corporeus radios ſuos in loca ſordida ſpargit, nec ab illis inquinatur, quomodo metuendum eſt, ne Sol inviſibilis, incorporeus & increatus aliquid labis ex eſſentiali in locis ſordidis præſentia contrahat. Vide Auguſtinum de Natura bon. cap. 29. Hugonem de S. Vict. lib. 1. de Sacrament. part. 3. cap. 17. ubi hoc declarat exemplo animæ rationalis, *quæ unita corpori leproſo & morbido non inficitur ex eo*. Atque ex his atheiſmi de negata omnipræſentiâ DEI eſſentiali efficaciter convinci poteſt Vorſt. In Conſeſſu ordinum Hollandiæ in orat. Apologet. p. 18. ſolenniter juravit, *ſe eſſentialem DEI omnipræſentiam nunquam negaſſe*, ſed in eodem momento dixit. *DEUM ſuâ eſſentiâ non eſſe in Sterquilinio, cloacis, aut locis ſordidis præſentem*. At qui ſuâ eſſentiâ in ſterquiliniis, cloacis aut locis ſordidis præſens non eſt, ille ſuâ eſſentiâ alicubi præſens non eſt. Qui eſſentiâ ſuâ alicubi præſens non eſt, ille ſuâ eſſentiâ non eſt ubiq; præſens. Item ſi Deus non eſt eſſentiâ ſuâ præſens in locis ſordidis, nulli humano corpori eſſentialiter erit præſens, quid enim aliud eſt corpus humanum, quàm ſordidum ſterquilinium? Vide Sibrand. Lubb. in præfat. comment. ad 99. err. Vorſt. 6. hinc locum & localem præſentiam Deo tribuit. tr. de Deo p. 235. p. 239. *Sanè de loco & locali præſentia quin Deo verè & rectè attribui poſſit, minimè dubitandum videtur*. in Apolog. exeg. cap. 19. p. 99. 103. Quæ omnia eò ſpectant, ut myſterium unionis perſonalis duarum in Chriſto Naturarum negatur. Si n. Deus ſecundùm ſuam ſubſtantiam non eſt alibi quàm in cœlo, ergò Chriſtus, quando in terris in aſſumta carne verſatus eſt, non fuit verus & eſſentialis Deus. Si Deus ſecundùm ſuam eſſentiam non eſt in locis ſordidis, non aderit infanti in utero materno, quippè qui inter ſtercora & urinam in ventre fœmineo deliteſcit. Si nulli infanti, quamdiu in utero materno fovetur, eſſentialiter adeſt, ergò nec CHRISTO in utero Mariæ. Si eſſentia Dei tota non eſt in qualibet re minima, utiq; etiam non erit in aſſumta humanitate tota, cùm illa reſpectu totius univerſi ſit res minima. Videt hoc Vorſtius ideò in Apol. exeg. c. 17. p. 87. eò abit, *quod unio duarum Naturarum in Chriſto formaliter non in eſſentiali duarum Naturarum indiſtantia, ſed in arcano quodam & ineffabili Deitatis τȣ̃ Λόγου in humanitatem influxu, h. e. ſingulari quadam illius in hanc operatione ſive gratioſa hujus ad illam aſſumtione aut peculiari appropriatione (cujus modus nobis in hoc ſeculo incõprehenſibilis ſit) reverâ conſiſtere*. p. 88. *Non immeritò aliquis collegerit, etiam divinam τȣ̃ Λόγου ὑπόςασιν per arcanum aliquem influxum aſſumtæ humanitati cõmunicari potuiſſe, & hanc perpetuò per illius intimam virtutẽ adhuc ſuſtentari, etiamſi fortè localis aliqua inter utramq; ſubſtantiã conjunctio non intercedat* p. 89. concludit, *in dubio aliquatenùs relinqui poſſe, an Deus ſuâ ſubſtantiâ in Chriſto homine dum in terris verſaretur, habitaverit*. Quẽ Neſtorianum errorem unionem perſonalem in nuda geſtatione ſtatuentem, & ex actu primo in actum ſecundum transformantem jampridem nervosè confutavit B. Luth. tom. 2. Wit. p. 228. Pii veteres dicunt, unionem factam eſſe ἀδιαςάτως καὶ ἀχωρίςως, quâ de re ſuo loco pleniùs diſputabitur.

177. Si quæras, quibus argumentis novis hiſce paradoxis fidem facere tentet Vorſtius, nihil audis aliud quàm humanæ rationis ſomnia, qui-

bus dicis gratiâ quædam Scripturæ dicta malè accommodantur. 1. *Deus dicitur habitare in cœlis* Pſal. 122. v. 1. Pſal. 103. v. 19. *quò etiam homines oraturi animum, oculos & manus elevant. Ergò non eſt eſſentialiter ubiq; præſens.* Quidam ſic diſtinguunt, quòd cœlum accipiatur 1. *pro throno creato.* 2. *pro throno increato.* Deus nõ habitat in throno creato *ſimpliciter & abſolutè*, quaſi eidem includatur, ſed *comparativè* 1. ratione *manifeſtationis* ſeu *φανερώσεως*, quia majeſtatẽ ſuam excellentius in eo exerit. 2. ratione *συγκαταβάσεως*, *noſtræ informationis*, quia cœlum omnib. creaturis terrenis ſublimius. Simpliciſſimè reſpondetur, plus inferri inconſequente, quàm antecedens permittit. Deum *in cœlis eſſe & habitare*, Scriptura aſſerit, ſed *tantùm* in cœlis habitare nuſpiam addit, ſed potiùs contrariũ teſtatur, proindè propter eſſentiam Dei in cœlis non neganda eſt ipſius præſentia in terris, ſed diſtinguendi ſunt præſentiæ gradus ac modi. Deus eſt *in cœlo* per majeſtatem & gloriam, *in inferno* per juſtitiam & vindicem iram, *in Eccleſia* per præſentiam gratiæ, *in mundo* per præſentiam potentiæ, *in Chriſto* per hypoſtaticam unionem &c. Deus eſt ubiq; ratione eſſentiæ; in cœlo habitare dicitur ratione amplioris majeſtatis & gloriæ. Sic anima eſt in toto corpore tota, in corde tamen *radicaliter*, in capite *effectivè*, quia excellentiores effectus edit. ** Athanaſ. cõtra gregales Sabellii tõ. 1. f. 517. *Quando Pſaltes dicit, Cœli cœlorum Domino Pſ. 115. v. 16. non pro loco domicilii cœlum adſortitur Domino & hominibus terram, ſed excellentiam Dei magnificentiamq; oculis ſubjicit.* ** Bernh. in medit. c. 11. col. 1189. *Deus in ſeipſo eſt incomprehenſibilis, quia principium & finis, principium ſine principio, finis ſine fine. In Angelis deſiderabilis, quia in eum deſiderant proſpicere. In Sanctis delectabilis, quia in eo aſſiduè felices lætantur. In creaturis admirabilis, quia omnia potenter creat, ſapienter gubernat, benignè diſpenſat. In hominibus amabilis, quia eſt eorũ Deus, & ipſi ſunt populus ejus.* Ad cœlum igitur oraturi oculos levamus, non quòd Deũ cœleſti regioni incluſum ſtatuamus, ſed quia Deum ab omnib. rebus ſublunaribus, viſibilibus, corporeis & creatis eſſentiâ diſtinctum agnoſcimus, quia divinã ſuam majeſtatem in cœlo peculiariter manifeſtat, quia in cœlo manſionem nobis præparavit, ad quã toto cordis deſiderio aſpiramus. Qui Regis faciem inter loquendum intuetur, non propterea ſolos oculos aut ſolum caput alloquitur, ſed ipſum Regem: ſic in oratione oculos ad cœlum extollimus, nec tamen Deũ ſolo incluſum ſtatuimus, cùm à Propheta didicerimus, *cœlum eſſe Dei ſolium, ſed terrã ſcabellũ pedum ejus.* Alcuin. lib. 2. de Trinit. c. 5. *Quemadmodum terra appellatus eſt peccator, cùm ei dictum eſt, terra es, & in terram ibis, ſic cœlum juſtus è contrario dici poteſt, juſtis enim dicitur. Templum Dei ſanctũ eſt. quod eſtis vos. Quapropter ſi in templo ſuo habitat Deus, quia ſancti templũ ejus ſunt, rectè dicitur, qui es in cœlis, i. e. in ſanctis, & accommodatiſſima eſt iſta ſimilitudo, ut ſpiritualiter tantùm intereſſe videatur inter juſtos & peccatores, quantũ corporaliter inter cœlũ & terram.* Et poſteà: *Ideo dicitur Deus in cœlis habitare, quia major cognitio eſt in cœlis illius ſumma majeſtatis & eſſentiæ, in Angelis vel in ſanctis animab. ſanctorũ, quam in terra habitãtib. ſanctis propter gravitatem carnalis habitationis.* Vide loc. §. 120. 2. *Deus dicitur aſcendere & deſcendere* Gen. 11. v. 7. &c. Reſponſ. vide in loc. §. 118. Deus non diſcedit vel redit mutatione loci, nec ſuæ eſſentiæ, ſed declaratione miſericordiæ & juſtitiæ. Orig. hom. 4. in Gen. tom. 1. p. 22. *Deſcendere dicitur Deus, quando curam hũanæ fragilitatis habere dignatur.* Chryſoſt. homil. 40. in c. 35. Geneſ. *Deſcendere & aſcendere Deo indignũ eſt, ſed maximum eſt ineffabilis miſericordiæ ſuæ indiciũ, quod propter noſtram eruditionem talibus verbis uti dignatur.* Auguſtin. Epiſt. 3. ad Voluſian. *Novit ubiq; totus eſſe, & nullo contineri loco, novit venire nõ recedendo ubi erat: novit abire non deſerendo, quò venerit, miratur hoc mens humana, & quia non capit fortaſſe non credit.* libr. 16. de civitat. Dei c. 5. *Non loco movetur Deus, qui ſemper ubiq; eſt totus, ſed deſcendere dicitur, cùm aliquid facit in terra. quod præter uſitatum Naturæ curſum mirabiliter factũ præſentiam quodammodo ejus oſtendat. Ore Domini, poteſtas mandandi; brachio potentia; oculis omniſcia ejus providentia notatur. Sedere propter autoritatem, ſtare propter invictam fortitudinem, deſcendere propter manifeſtationem præſentiæ ſuæ dicitur.* Idẽ in Pſalm. 136. Luth. in c. 11. Geneſ. *Deſcendit Deus non re ſeu ſubſtantiâ, eſt enim ubique, ſed actione. deſinit diſſimulare, deſinit eſſe longanimis, & incipit revelare peccatũ, punire & arguere.* 3. *Deus non eſt cum impiis Num. 14. v. 42. Ergò non eſt ubiq;.* Reſp. negatur eſſe cum impiis non *ἁπλῶς*, nec ratione eſſentiæ, ſed *κατά τι* reſpectu favoris & gratiæ in victoria ab hoſtibus & aliis beneficiis concedendis. Suſtentat & conſervat impios & pios per ſuam omnipotentẽ eſſentiam, ſed in ſolis piis habitat per ſalvificã gratiam, qui proindè dicuntur ipſius templa.

178. Dicta Scripturæ eſſentialem Dei omnipræſentiam probantia peſſimè detorquet Vorſtius. Ad locum 1. Reg. 8. v. 23. excipit, *non de Dei ſubſtantia, ſed de virtute & exertione providentiæ eũ videri accipi debere.* Sed contrarium teſtatur ipſe verborũ ſonus & integer contextus. *Cœli cœlorũ*, inquit, *non te capiũt, quantò minus domus iſta, quam ædificavi?* Argumentum Regis ſapientiſſimi hoc eſt: Quem cœli cœlorum non capiunt, non judicandus eſt in domo χειροποιήτῳ ſuper terram eo modo habitare, ut in eadem concludatur. Sed Deum cœli cœlorũ non capiunt. E. Finge de virtute & exertione providentiæ Salomoni eſſe ſermonem & peribit omnis vis connexionis in majore propoſitione. Cujus enim providẽtia tantùm ad omnia ſe extendit abſq; ulla eſſentiæ infinitate & immenſitate, eum domo aliquâ ceu loco concludi nihil impedit, ſicut Regis alicujus terreni potentia & regimen per totũ ſe extendit regnum, ipſe tamen aula quadã regiâ continetur. Ad dictum Jerẽ. 23. v. 24. excipit 1. *ex impletione illa cœli & terræ non poſſe colligi eſſentiæ immenſitatem, cùm cœlũ & terra ſint corpora finita.* Reſp. non ſimpliciter dicitur Deus eſſe in cœlo & in terra, multò minùs dicitur eſſe tantùm in cœlo & in terra, ſed emphaticè dicitur cœlũ & terram implere, majeſtate ſc. ſuæ divinitatis & præſẽtiæ. Ne quis verò exiſtimet, Deum ita implere cœlum & terrã, ut cœli ac terræ limitibus ejus eſſentia finiatur, ideò addendum eſt ex Iob. 11 v. 8. quòd *altior ſit cœlo, profundior inferno, longior terrâ & maris latior,* & ex 1. Reg. 8. v. 23. quòd *cœli cœlorũ eum non capiũt.* At caperent utiq;, ſi cœli terræq; terminis ejus eſſẽtialis præſentia concluderetur. 2. *Si omnipræſentia divinæ eſſentiæ ex loco illo Prophetico colligeretur, utiq; etiam ex dicto Epheſ. 4. v. 8. colligi poſſet omnipræſẽtia CHRISTI ſecundùm humanam Naturam,* quod ipſi videtur abſurdum. Reſp. collectio hæc veriſſima eſt, nec ullam conjunctam habet abſurditatem,

ſurditatem, niſi in circulo humanæ rationis. Ut enim apud Prophetam ex eo, quòd Deus cœlum & terram impleat, colligitur, ipſum non eſſe Deum è longinquo, nec quicquam ab oculis ejus eſſe abſconditum, ſic ex eo, quòd Chriſtus ad dextram Patris evectus omnia implet, apud Apoſtolum infertur, quòd Eccleſiæ ſuæ det paſtores, doctores eamq́ue regat, defendat ac tueatur. Ad locum Act. 17. verſ. 27. excipit, *non eſſe conſequens, Deum immediatè illic ſuâ ſubſtantiâ adeſſe, ubicunque operatur, quia per cauſas phyſicas ſive hyperphyſicas putà Angelos, operari poteſt, ut Rex aliquis per ſuos miniſtros.* Reſp. docet Apoſtolus ex operibus creationis, conſervationis & gubernationis Deum poſſe inveſtigari, inveniri & tantùm non manibus palpari, rationem addit eam, *quia non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm, in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*, id eſt, Deus non diſceſſit ab opificio ſuo poſt creationem, ſicut architectus diſcedit ab extructa domo, ſed idem quod primiùs condidit, adhuc conſervat & gubernat, eſtq; opificio ſuo perpetuò præſens. Si ſtatuas ab illa gubernatione univerſi remotam ſubſtantialem DEI propinquitatem, non conſtabit argumento Apoſtolico ſua connexio. Quamvis ergò DEUS in conſervatione & gubernatione uoiverſi utatur cauſis mediis, tamen illæ ipſæ cauſæ in eſſendo & agendo ſuam à DEO habent dependentiam, abſque cujus potenti ſuſtentatione nec eſſent, nec agerent, ſed in nihilum reciderent, Heb. 1. v. 3. Deus igitur ut immediatè illis præſens fuit *in creatione*, ita quoque immediatè ipſis præſens eſt *in conſervatione*, cùm conſervatio nihil aliud ſit quàm *eſſendi continuatio*. Sic per parentes Deus confert nobis vitam naturalem, per miniſtros verbi vitam ſpiritualem, & tamen ipſi tùm hominis in utero formatio Job. 10. v. 8. tùm ejuſdem regeneratio tribuuntur 1. Petr. 1. v. 3. 23. Quid quod Deus non operatur per aliquod eſſentiæ ſuæ ſuperadditum, ſed per ſuam potentiam, quæ eſt ipſa ejus eſſentia. Ergò non operatur in creaturis abſens, ſed verè & eſſentialiter præſens.

179. 4. *Calviniani*. 1. dum quidam ex ipſis negant, Deum ſuâ eſſentiâ creaturis omnibus præſentem eſſe. Crocius part. 2. conv. Prutenicæ p. 497. Per calumniam Calvinianis tribui aſſerit, quòd immenſitatem divinæ eſſentiæ negent. Sed negant eam Beza volum. 1. oper. p. 589. volum. 3. p. 120. Danæus de Elench. hæret. f. 119. in explic. orat. Domin. f. 96. Joh. Pincier tract. 4 de Sacr. lib. 2. de cœn. Domin. p. 370. & pag. 371. Verba ipſorum adduximus diſp. 5. de glor. Dei §. 16. Episcop. diſp. priv. de Deo th. 10 *Non credimus abſolutè ſcitu neceſſaria eſſe. quæ de immenſitate divinæ modis & omnipræſentia eſſentiæ controvertuntur.* Slatius in Epiſt. 9. Mart. & 30. Iũ. 608. *video perfectionẽ crũmundanarũ in hoc eſſe, ut potẽtia ſua ulterius quã eſſentia extendantur, quã perfectionẽ procul dubio à Deo habent, qui iſtas ad imaginẽ ſuã creavit. Atqui ego exiſtimo Deum perfectiorem fieri, quando dicitur operari poſſe, videre, audire, ubi ſuâ eſſentiâ non eſt, quam cum dicitur eſſentia ſua præſentiam requiri ad operandum, videndum aut audiendum.* 2. dùm dextram Dei, ad quam Chriſtus in ſua exaltatione evectus eſt, ſtatuunt eſſe certum in cœlis locũ, Beza vol. 1. oper. p. 601. Bulling. in tract. de verb. Cœnæ. Piſc. in ſch. 1. Pet. 3. v. 22 Verba ipſorum videantur d. l. ex quo ſic inferimus: Qui docent, Deum in cœlo habitare tanquam certo loco, & dextram Dei notare certum in cœlo locum, & Chriſtum ſedere ad dextram Dei tanquam in loco, qui eſt ad dextram Dei, & thronum Dei eſſe in cœlo tanquã in loco, & domicilium DEI eſſe certũ in cœlo locum, non poſſunt rectè ſentire de Dei immenſitate. Calviniani id faciunt. Ergò. Cui errori opponimus deſcriptionem dextræ divinæ in Scripturis traditam, quòd ſit *dextra majeſtatis* Hebr. 1. v. 3. *thronus μεγαλοσύνης in cœlis* Hebr. 8. verſ. 1. *dextra ſedis Dei* Hebr. 12. v. 2. *thronus δόξης* Matth. 25. v. 31. *dextra δυνάμεως* Matth. 26. v. 64. Luc. 22. v. 69. *faciens virtutẽ* Pſ. 118. v. 16. *omnia potens mutare* Pſalm. 77. v. 11. *ubique præſens* Pſalm. 139. v. 10. &c ex quibus ſimilibus locis talis definitio dextræ divinæ colligitur, quòd ſit infinita Dei potentia & præſentiſſima ejus majeſtas in cœlo & terra omnia gubernantis ac moderantis. Pulcrè Baſilius de SS. ad Amphiloch. fol. 206. *Vox dextrum non ſignificat locum aliquem inferiorem, ſed tantùm æqualitatis, eò quod dextrum de Deo nõ accipitur corporaliter, ad iſtum enim modum fortaſſis & ſiniſtrũ aliquid in DEO poſſit eſſe.* 3. omnipræſentiam Dei definiunt per nudam indiſtantiam abſque operatione. Ph. Cæſar diſput. 2. apolog. theſ. 70. *Omnipræſentiam Dei præciſè, ut non tantùm ab infinitate, ſed etiam ab omnipotentia diſtinguitur, eſt quâ omnibus ſuis creaturis indiſtanter adeſt.* th. 74. per præſentiam non denotatur actio, ſed connotatur. Idem ſtatuit Steinius Caſſellanus. At omnes præſẽtiæ divinæ gradus includunt operationem ac diſtractionem operationis à divina præſentia improbat ipſe Muſculus L. C. p. 820. & Zanch. lib. 2 de Nat. Dei c. 6. p. 116. lib. 5. de Nat. Dei c. 1. p. 531.

180. 5. *Photiniani*, qui itidem negant Deum eſſentialiter ubiq; præſentem eſſe. Schmaltz. contra diſp. 1. D. Frantz. pag. 4. *Eſſentia & præſentia Dei in locis omnibus, qualẽ ſibi Frantzius fingit, nulla datur, nec enim fruſtrà in cœlis Deus eſſe dicitur.* contra diſp. 3. ejuſd. pag. 75. *Deus ubiq; eſſe dicitur, quatenùs omnibus ſuo favore adeſt.* p. 339. *Omnipræſentiam Dei ſtatuimus. & Chriſti etiam, ſed talem, qualẽ Scriptura perhibet, nempè quoad ipſorũ virtutem, favorem & auxilium.* Pilec. reſp. ad 2. rationem Camp. p. 24. *Virtutem Dei infinitam permeare omnia Scriptura teſtatur, non eſſentiã, cujus infinitate conceſſâ univerſa orbis machina, quã cernimus, corpus quoddam divinũ eſſet, ſicq; juxta Lucanũ lib. 8. Jupiter eſt quodcunq; vides, quocunq; moveris.* At ſi licet ſic inferre: Deus eſt in omnib. reb. præſens. Ergò omnes res ſunt Deus, licebit etiã ex Phoriniaнorũ hypotheſi ſic inferre: Deus in cœlo eſt eſſentialiter præſens. Ergò cœlum eſt Deus. Sequuntur hac in re anteſignanum ſuũ Socinum, qui in prælect. c. 2. p. 6. ſcribit, *Verba Apoſtoli, non longè abeſt ab unoquoq; noſtrûm, ad ſolos ſanctè viventes pertinere, nosq; in Deo vivere ſic explicat, quòd vitã à Deo habeamus* (ſed repugnat ſcopus & ſeries Apoſtolici contextus. Scopus eſt, quod Apoſtolus demonſtrare cupit, etiã gentiles extra Eccleſiã conſtitutos ex opere creationis Deum quodamodò cognoſcere poſſe, argumẽti loco affert illud, quòd Deus non longè abſit ab unoquoque noſtrûm. Quod ſi hæc verba ad ſolos ſanctè viventes in Eccle[illegible] reſtringas, perit vis argumenti Apoſtolici. Si in D[illegible] vives eaſſeritur nihil eſt alind quam vitam à Deo habere confunduntur beneficia Dei omnipræſentis v. 26. enumerata cum ipſa omnipræſentia v. 27. & 28. aſſerta, h. e. effectus loco cauſæ ponitur) Idem adv. Franc. Dav. de invoc. Chriſti c. 14.

Deus non eſt nobiſcum per divinam ſuam Naturam aut eſſentiam. ſed per virtutem, favorem & auxilium ſuum, alioqui non magis cum piis quàm cum impiis eſſet (ſed diſtincti præſentiæ gradus non debent confundi, adeſt Deus piis & impiis per conſervationem, ſed piis peculiariter adeſt per gratioſam inhabitationem) Quo fine talia à Photinianis diſputentur, patet ex dictis ſuperiùs, videl. ut Trinitatis & incarnationis myſterium evertatur.

Quæſtiones de Dei omnipræſentia. 181. Q. 1. *An omnipræſentia ſit omninò idem cum divina eſſentia immenſitate* Reſpond. Omnipræſentia accipitur dupliciter. 1. *radicaliter*, prout reſpectum habet ad ipſum DEUM eſſentiâ infinitum & immenſum. 2. *relativè*, prout reſpectum habet ad creaturas, quibus ita præſens eſt DEUS, ut eas conſervet & gubernet, præſentia Dei nunquam eſt otioſa, ſed ut Deus eſt efficaciſſimus actus, ita quoque ipſius præſentia ſemper conjunctam habet operationem quandam. Priore modo omnipræſentia eſt omninò unum cum divinæ eſſentiæ immenſitate. Deus enim inde atque ideò omnipræſens eſt, quia eſt infinitus & immenſus, tùm eſſentiæ, tùm potentiæ reſpectu. Poſteriore modo ab eſſentiæ immenſitate diſtinguitur, ac efficacem potius DEI actionem cum illa adeſſentia conjunctam, quàm abſolutum Dei attributum notat. Omne attributum Dei eſſentiale eſt. 1. abſolutum, ut ipſa Dei eſſentia. 2. eſt æternum 3. per illud Deus ſibi eſt id quod eſt. 4. eſt immutabile non habens gradus. Sed omnipræſentia non eſt tale eſſentiale DEI attributum. 1. quia non eſt abſolutè ipſa Dei eſſentia, ſed potiùs potentiſſima actio, quâ DEUS omnibus creaturis præſens potentiſſimè eas conſervat & gubernat. 2. non competit DEO ab æterno, quia reſpicit creaturas in tempore productas. 3. per eam DEUS non eſt id quod eſt, quia relatio illa, quâ Deus dicitur omnipræſens, id eſt, omnibus rebus præſens, non minùs quàm ipſa creatio in tempore cœpit, antequam enim res creatæ producerentur, non potuit DEUS dici omnipræſens. 4. non eſt eo modo immobilis ac immutabilis ſicut eſſentiæ divinæ immenſitas, id eſt, ipſa immenſa DEI eſſentia, ſed in tempore cœpit, & certos ſuos gradus obtinet.

182. Q. 2. *An cauſa omnipræſentiæ ſit ſola & unica divinæ eſſentiæ immenſitas?* Affirmant Calviniani, ut obtinere poſſint, CHRISTUM ſecundùm humanam Naturam non eſſe omnipræſentem, quia humana Natura non eſt infinita vel immenſa. Polanus libr. 2. Syſtem. cap. 12. pagin. 146. *Cauſa Ubique præſentiæ & Ubiquitatis ſola atque unica eſt eſſentiæ immenſitas & infinitas. Quicquid igitur ubique eſt, adeò ubique eſt, quia eſt immenſa & infinita eſſentia, nec quicquam ubique eſt aut dici poteſt eſſe, niſi ſit immenſum. Hoc* (inquit) *tenendum eſt contra Ubiquitarios, contendentes corpus CHRISTI eſſe ubique At nequaquam illud ubique eſt, quia non eſt eſſentia immenſa & infinita.* Idem urgent Jeſuitæ. Becanus part. 1. Theol. Schol. cap. 6. quæſt. 3. *Nulla creatura poteſt eſſe ubiq; per ipſam Dei immenſitatem, quod eſt contra Ubiquitiſtas, qui putant humanitatem Chriſti eſſe ubiq; per immenſitatem divinam formaliter ipſi communicatã.* Reſp. Quicquid naturaliter & eſſentialiter, id eſt, per ſuam Naturam & eſſentiam eſt omnipræſens, illud eſt immenſæ & infinitæ eſſentiæ. Jam verò Chriſtum ut hominem non dicimus naturaliter & eſſentialiter ſive per Naturam & eſſentiam ſuam eſſe omnipræſentem, ſed perſonaliter, h. e. quatenùs ipſius aſſumta humana Natura in infinitã Λόγου ὑπόστασιν eſt evecta, & in exaltatione ad dextram Patris cœleſtis collocata. Ergò ad omnipræſentiam Chriſti hominis non requiritur humanæ Naturæ immenſitas & infinitas. Si dicas eſſe hoc τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, producenda erunt omnia Scripturæ dicta & rationum momenta, quibus CHRISTUM ſecundùm utramque Naturam in cœlo ac terra præſentem omnia gubernare demonſtramus, utpotè 1. *à divina promiſſione.* Matth. 18. verſ. 20. cap. 28. v. 20. 2. *à perſonali divinæ & humanæ Naturæ unione*, quæ facta eſt ἀδιαιρέτως καὶ ἀδιαστάτως, nec locorum διαστήμασι ac intercapedinibus ſolvi poteſt. 3. *ab inhabitatione totius plenitudinis* τοῦ Λόγου in aſſumpta carne. Coloſſenſ. 2. v. 9. 4. *ex aſcenſione*, per quam CHRISTUS ut homo, *cœlis excelſior factus* Hebr. 7. v. 26 *& ſuper omnes cœlos aſcendit* Epheſ. 4. v. 10. eamque 5. proximè inſecuta *ad dextram Patris ſeſſione*, quæ dextra Dei cùm ſit ubiq; præſens nullo loco concluſa, nulli incluſa, à nullo excluſa, utique etiam Chriſtus ad eam evectus erit omnipræſens. 6. *ex invocatione. Prope eſt Dominus invocantibus eum.* Pſ. 145. v. 15. jam verò Chriſtus ſecundùm utramque Nat. à nobis eſt invocandus & glorificandus. 7. *ex omniũ ſubjectione* Chriſto facta. 1. Cor. 15. v. 27. Eph. 1. v. 22. Heb. 2. v. 8. utiq; ergò & omnia loca ipſi ſubjecta. 8. *ex omnium impletione* aſcenſionem & ſeſſionem ad dextram Dei inſecuta Eph. 4. v. 10. 9. *ex dominatione.* Chriſtus ut Deus & homo dominatur omnib. creaturis, non abſens. quia unum eſt dominium, quo ut Deus & homo dominatur. Iam v. ſecundùm div. Naturam non abſens, ſed præſens dominatur. 10. *ex proportione.* Chriſtus *eſt caput corporis Eccleſiæ* Eph. 1. v. 22. c. 5. v. 16. Col. 1. v. 18. jam verò caput à membris non eſt per locorũ ſpacia avulſum ac ſeparatum, ſed arctiſſimè illis unitum. 11. *ab Euchariſtiæ inſtitutione & adminiſtratione.* In ea enim Chriſtus ſuum corpus & ſuum ſanguinẽ mediante benedicto pane & vino diſtribuit, & ſic ſuã in terris ſecundùm humanam Naturam præſentiam manifeſto teſtimonio comprobat. 12. *ab officij executione.* Nomina officii competunt Chriſto ſecundùm hũ. Nat. Adeſſe Ecc. eam regere, dominari in medio inimicorum eſt nomen officii, ſcilicet Regii. Ergò. 13. *à Chriſti in terris apparitione.* Paulus in via ad Damaſcum videt Chriſtum Actor. 9. v. 27. *Dominus ipſi affuit* Actor. 23. v. 11. 2. Tim. 4. v. 17. ex quibus apparitionibus reſurrectionem Chriſti probat. 1. Cor. 15. v. 8. 14. *à typi præfiguratione.* Typo reſpondere debet antitypus. Iã verò Chriſt9 *ambulat in medio candelabrorũ aureorum*, i. e. Eccleſiarum Apoc. 1. v. 13. ac deſcribuntur ipſius mẽbra, *oculi, caput, capilli, pedes, dextra &c.* ne quis ad ſolius divinæ Nat. præſentiã hoc referat. Hiſce fundamentis noſtris (quæ nõ ſunt divellanda, ſed omnia conjungẽda τὸ poſſe enim præſentẽ adeſſe omnib. creaturis ex perſonali unione & totius plẽitudinis τοῦ Λόγου in aſſumta carne inhabitatione, τὸ velle ex reliquis fundamentis demonſtramus) hiſce inquam fundamentis noſtris prius ordine & ſolidè reſpondeat Polanus, anteqnã Ubiquetarios, quos ita vocat, erroris in hoc doctrinæ cœleſtis capite accuſet. Quæ in contrarium afferuntur, eorum explicatio ad alium pertinet locum, ac facilè ſolvuntur, ſi conſideretur illud, nos nequaquam

ſtatuere,

ſtatuere, Chriſtum ut hominem eſſentialiter eſſe omnipræſentem, ſed perſonaliter, hoc eſt, non per & propter quandam eſſentiæ humanæ immenſitatem, ſed propter puriſſimam cum Λόγῳ unionem & exaltationem ad Dei dextram, quæ nullo locorum complexu continetur. Quemadmodum igitur Λόγος ex divinitatis ſuæ immenſitate & infinitate eſt omnipræſens, & omnia non abſens, ſed præſens potenter ſuſtentat & gubernat: ſic idem Λόγος in & cum humana Natura, ac per aſſumtam humanam Naturam in infinita Λόγου ὑποστάσει illocaliter ſubſiſtentem ex beneficio perſonalis unionis & ad dextram Dei collocationis omnes creaturas in cœlo ac terra potenter regit non abſens, ſed præſens nihil quicquam obſtante cœleſtis ac terreſtris machinæ altitudine, longitudine, latitudine ac profunditate, quippè quæ in comparatione ad Λόγου ejuſq; hypoſtaſin, in qua aſſumpta caro illocaliter & indiſtanter ſubſiſtit, eſt inſtar minutiſſimi puncti, *imò tanquam nihilum* Eſ. 40. verſ. 12. Sap. 11. verſ. 23. Proindè ut rectè concludo. Quicunque eſt omnipotens & adorari jubetur, ille eſt verus Deus. Chriſtus eſt omnipotens, & adorari jubetur. Ergò eſt verus Deus, nec tamen quiſquam ex eo ulterius debet inferre, Chriſtum, cùm ſecundùm aſſumtam humanam Naturam non ſit eſſentialiter ac naturaliter Deus, non eſſe ſecundòm humanam Naturam omnipræſentem nec adorandum, teſtatur enim Scriptura omnipotentiam & adorationis cultum ipſi ut homini etiam propter unionem perſonalem cum Λόγῳ, & exaltationem competere: ſic rectè quidem concluditur: Quicunque eſt omnipræſens, ille eſt verus Deus. Chriſtus eſt omnipræſens. E. nec tamen rectè infertur, Chriſtum, cùm ſecundùm humanam Naturam non ſit eſſentialiter ac naturaliter omnipræſens aut infinitæ eſſentiæ, ideò prorſus ac nullo alio modo eſſe omnipræſentem. Quid quod Polan. ipſe præc. c. 9. rectè ſtatuit, *Chriſti meritum eſſe infinitæ virtutis & efficaciæ non propter humanitatē, ſed per & propter infinitam Deitatem, cui humanitas Chriſti eſt hypoſtaticè unita.* Atqui ſi infinita virtus Chriſti merito ex hypoſtatica illa cum Λόγῳ unione rectè tribuitur, quidni etiam humanæ Chriſti Naturæ omnipræſentia ex eadem cum Λόγῳ omnipræſente unione & ad dextram Patris collocatione tribueretur? certè infinitæ virtutis eſſe participem longè plus eſt quàm omnipræſentem eſſe.

183. Q. 3. *An rectè dicatur Deus in omnibus locis præſens?* Reſp. Rectè quidem dicitur, quòd Deus ſit in locis omnibus, quia adverbium *Ubiq;* notat omnia loca, ſi ergò Deus ob eſſentiæ ſuæ immenſitatem eſt ubiq; præſens, utique etiam eſt in omnibus locis præſens, ſed tamen addēdum eſt, Deum eſſe in locis omnibus præſentem, non locali, ſed illocali præſentiâ, Deus enim ita eſt in locis omnibus, ut tamen nullo loco contineatur, circumſcribatur, concludatur vel definiatur. Hinc utrumque apud pios veteres occurrit: *Deus ubique eſt & Deus nuſquam eſt*. Ubique eſt, quatenùs præſentiſſimâ ſuâ potentiâ omnia continet, nuſquam eſt, quatenùs à nullo continetur, nec loco circumſcribitur. *Deus eſt intra cuncta non inclusus*, eſt extra cuncta non excluſus. Auguſt. tom. 4. de div. qq. q. 20. p. 232. *Deus alicubi eſt. Quod enim alicubi eſt, continetur loco, quod continetur loco, corpus eſt. Deus autem non eſt corpus. Non igitur alicubi eſt, & tamen quia eſt, & in loco non eſt, in illo potiùs ſunt omnia, quàm ipſe alicubi, nec tamen ita in illo, ut ipſe ſit locus.* Quæ verba Lombard. lib. 1. ſent. diſt. 37. lit. O. adducens ſic ſcribit: *Auguſtinus volens præſcindere a DEI puritate omnem localem motum & localem circumſcriptionem potiùs dicit omnia eſſe in illo, quàm ipſum eſſe alicubi, nec tamen ipſum eſſe locum, qui non eſt in loco.* Quin imò ob intimam illam Dei in omnibus locis præſentiam Deus non tàm eſt ubiq;, quam ipſum illud, quod à nobis appellari ſolet ubique, eſt in omni loco ſine dimenſione, in omni tempore ſine ſucceſſione, totus in omnibus, totus in ſingulis, totus in ſeipſo, eſt ubiq; per præſentiam utpotè omnia cognoſcens, eſt ubiq; per potentiam, utpotè omnia conſervans, eſt ubiq; per eſſentiam, utpotè infinitus, ac res aliæ nihil aliud ſunt quàm quædam umbra; cunctis rebus adeſt ad eas non accedens, abeſt non recedens, ſed res ad eum potiùs accedere, & ab eo recedere dicuntur. Cùm dicitur quoſdam deſerere, non Naturæ illius terminus ponitur, ſed eorum opera deſcribuntur, apud quos eſſe vel non eſſe deſignatur. Hieronym. Epiſt. ad Marc.

184. Q. 4. *An ex operatione Dei in rebus omnibus rectè inferatur ejus omnipræſentia?* Reſpond. formaliter & directè ex operatione Dei in rebus omnibus non poſſe inferri ejus omnipræſentiam, cùm operatio Dei in rebus non ſit cauſa & ratio formalis exiſtentiæ in illis ſiquidem remotâ per intellectum quacunque operatione per ſolam eſſentiæ immenſitatem & infinitatem Deus eſt omnibus intimè præſens: materialiter autem & indirectè ex operatione Dei in rebus omnibus inferri ejus omnipræſentiam, quia potentia, quâ Deus in omnibus operatur, eſt ipſa ejus eſſentia, ac Deus agit in res creatas, immediatione virtutis & ſuppoſiti, id quod non oritur ex quadam imperfectione & limitatione potentiæ, ſicut Ariſtoteles 7. phyſic. text 10. diſputat, agens naturale & corporeum debere eſſe conjunctum paſſo, ſed ex infinitate & immenſitate divinæ eſſentiæ, & ex rerum creatarum imperfectione, quæ ſe habent ad divinam eſſentiam, ut umbra ad corpus ſolidum. Addendum tamen & illud, quòd Immenſitas eſſentiæ non ſit totalis & unica ſeu ſolitaria cauſa omnipræſentiæ divinæ apud creaturas, ſed præter eam cauſa proxima illius operoſæ omnipræſentiæ eſt libera Dei voluntas. Si enim ſola immenſitas divinæ eſſentiæ eſſet cauſa tū n actualis apud creaturas omnipræſentia foret æterna, ſicut immenſitas eſſentiæ divinæ fuit ab æterno.

185. Quær. 5. *An Deo propriè competat locus?* Affirmat Vorſtius libr. de attribut. divin. pag. 235. 239. ita tamen ut locus generatim, abſtractè & Metaphyſicè conſideretur ac definiatur *non ſuperficies corporis ambientis*, ſed *vacua quadam regio, ſeu quodvis inane ſpacium cujusvis rei verè ſubſiſtentis.* Non longè abit ab hac ſententia Polanus libr. 2. Syntagm. c. 12. p. 146. *Loci appellatione non tantùm intelligimus ſpacium corporale & phyſicum, ſed etiam ſpirituale & ſupernaturale &c. non minùs ſupra cœlum ſupremum locus eſt, quàm in cœlo & ſub cœlo.* Nos non niſi *impropriè ac metaphoricè* Deo locum tribui aſſerimus, cùm Deus utpotè incorporeus ac ſimpliciſſimus Spiritus loco non ambiatur nec circumſcribatur. Inane illud ſpacium rei ſubſiſtentis eſt inane Vorſtii figmentum. Aut enim eſt creatum, aut increatum, aut ſubſtantia, aut accidens. Si creatū, Deus increatus

à creatura continebitur. Si increatum, erit aliquid præter Deum increatum. Si ſubſtantia, erit vel corporea, vel incorporea. Corporea ſubſtantia eſſe nequit, quia ea non eſt locus, ſed res locata. Incorporea itidem eſſe nequit, quia non menſurare poteſt Ens corporeum. Si accidens, tribuendum erit Deo accidens aliquod ipſi inhærens, imò ipſum circumſcribens & continens. Athanaſius tom 1. contra greg. Sabell. p. 514. *Aufer mihi τοπικοὺς χωρισμοὺς, cùm de Deo, Verbo & Spiritu ſancto agitur. ἀσεβὲς καὶ ζητεῖν καὶ ἐννοεῖν τόπου ποῦ ἐστιν ὁ Θεός.* Lombardus. ſent. diſt. 37. lit. I. *Cùm divina Natura veraciter & eſſentialiter ſit in omni loco & in omni tempore, non tamen movetur per loca vel per tempora, nec localis, nec temporalis eſt.*

186. Q. 6. *An rectè dicatur Deus realiter exiſtere extra mundum in ſpacio imaginario?* Quidam ex Scholaſticis negant, uſi hoc argumento: *Spacium illud imaginarium extra mundum eſt nihil. Sed Deus non eſt in nihilo. Ergo non eſt extra mundum in ſpacio imaginario.* Quidã contrà affirmaur: *Si enim cœli cœlor. Deũ non capiunt, ergò De⁹ erit extra cœlum, jã verò extra cœlũ nihil aliud eſt quàm ſpacium imaginarium.* Si Deus ita eſſet in hoc mundo, ut non eſſet extra illum, conſequens foret, ipſum definitivè eſſe in hoc mundo, ita enim in illo erit, ut non ſit in alio. Atqui abſurdum eſt, divinam eſſentiam utpotè immenſam & infinitatem definire hujus mundi limitibus ac terminis, hûc afferunt illud Nazianz. lib. 2. de Theol. ubi Deum *nec in mundo tantùm, nec extra mundum tantùm, ſed utrobique conſtituendum eſſe* concludit. Auguſtinus libr. 11. de civitate Dei cap. 5. Philoſophis quærentibus quid fecerit Deus ante mundi creationem, reponit hanc quæſtionem: *Quid nunc faciat extra cœlum in ſpaciis illis imaginariis, ubi plures mundos creare poſſit?* Reſpondendum eſt per diſtinctionem. Præſentia Dei ſumitur vel *radicaliter*, vel *relativè* ad creaturas. Priori modo Deus eſt extra mundum, quia eſſentia ejus eſt excelſior cœlo ac terra profundior: poſteriore modo non eſt extra mundum, qui extra eum non adſunt res, quibus præſens adeſt. Scriptura non proponit nobis ſpacia imaginaria, ſed ſimpliciter pronunciat, DEUM eſſe excelſiorem cœlo, cœlos cœlorum non capere Deum, magnitudinis Dei non eſſe inveſtigationem. Deus eſt in mundo per eſſentiæ ſuæ immenſitatem & per efficacem operationem, quâ res omnes ſuſtentat & conſervat, extra mundum non eſt per operationem exteriorem, quia extra mundum non ſunt rea verè exiſtentes divinæ conſervationis & gubernationis indigæ, ſed tantùm per immenſitatem ſuæ eſſentiæ. Becanus part. 1. Theol. cap. 6. quæſt. 2. num. 3. & ex eo Hackerus tom. 1. commentat. tract. 2. quæſt. 8. num. 10. *Duo ſpectari poſſunt, cùm dicimus rem eſſe alicubi, ſeu in aliquo loco & ſpacio. Unum eſt intrinſeca & abſoluta præſentia, quam res ibi habet in ſe. Alterum eſt habitudo ſeu relatio ad ipſum ſpacium in quo eſt. Priori modo dici poteſt, Deum realiter exiſtere in ſpacio extra hunc mundum, non autem poſteriori, quia habet ibi intrinſecam & abſolutam præſentiam, quâ in ſeipſo realiter exiſtit, non tamen accipit realem habitudinem aut denominationem à ſpacio in quo exiſtit, quia illud ſpacium non eſt aliquid reale.* Breviter, Deus ut ante mundum conditum, ſic hodie extra mundum conditum eſt *in ſeipſo*, ipſe ſibi & mundus & locus & omnia, ut inquit Tertullianus adv. Praxeam cap. 5.

Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſſet,
Tunc ubi nunc, in ſe, quoniam ſibi ſufficit ipſe.

Dionyſ. Carth. lib. 1. ſent. diſt. 37. lit. C.

187. Q. 7. *Quâ ratione diverſi præſentia divinæ modi ac gradus ſint diſtinguendi?* Lombardus 1. ſent. diſt. 37 & commentatores haud inconcinnè numerant tres præſentiæ divinæ gradus. Prima eſt *præſentia generalis*, quâ DEUS omnibus creaturis adeſt, eaſque conſervat ac gubernat Jerem. 23. verſ. 24. Actor. 17. verſ. 27. Altera eſt *ſpecialis*, quâ gratioſè in Sanctis habitat in hac vita, eoſque glorificat in futura vita, undè ſpecialis DEI præſentia in *præſentiam gratiæ & gloriæ* ſubdiſtinguitur. Tertia *ſingularis*, quâ tota & omnis plenitudo Deitatis in aſſumpta humana Natura Chriſti habitat. Coloſſenſ. 2. verſ. 9. hos gradus ſic efferunt Scholaſtici: *DEUS eſt ubique ineffabiliter, in Sanctis miſericorditer, in CHRISTO excellenter.* Sed rectiùs dicitur *ſingulariter*, quàm excellenter DEUS eſſe præſens in aſſumpta humana CHRISTI Natura, quia modus ille præſentiæ hypoſtaticæ non tantùm gradu aut ſecundùm plus & minus, ſed toto genere à reliquis præſentiæ modis differt, perindè ut ipſa unio eſt μονότροπος καὶ ἐξαίρετος. Qui διχοτομίαις delectantur, ſic poſſunt progredi: Graduum præſentiæ Dei cum creaturis ſunt duo: Unus χωριστὸς, *ſeparabilis*, alter ἀχώριστος, ἀδιαίρετος, ἀδιάστατος. Poſteriori modo aſſumptæ humanæ Naturæ λόγος præſens eſt. χωριστὸς diſtinguitur εἰς γενικὸν καὶ καθολικὸν, *generalem ſeu realem*, & εἰδικὸν, ſeu *ſpecialem*. Priori modo adeſt Deus creaturis omnibus, eas conſervando & gubernando. Poſterior diſtinguitur in αὐτοπτικὸν, quô adeſt Deus beatis Angelis & hominibus in vita æterna, ac μυστικὸν, quô adeſt Eccleſiæ & piis in hac vita. Hieronymus ſuper 2. Corinth. 5. in fin. *Tribus modis ineſſe Deum legimus. Secundùm infinitatem omni creaturæ, ſicut ipſe dicit per Prophetam: Nonne cœlum & terram ego impleo? Secundùm ſanctificationem & peculiarem habitationem in Sanctis juxta illud: Et habitabo in illis. Secundùm plenitudinem divinitatis in Chriſto, dicente Apoſtolo: Quia in ipſo habitat omnis plenitudo.* *Specialis præſentia in Sanctis*, ut jam antè monuimus, dividitur in *gratioſam*, quæ eſt apud Sanctos in hac vita, in quorum cordibus Deus habitat Johan. 14. verſ. 23. 2. Corinth. 6. verſ. 16. Eph. 3. verſ. 17. & *glorioſam*, quæ eſt apud Sanctos in cœlo, quibus ſe perfectè & intuitivè cognoſcendum præbet 1. Corinth. 13. verſ. 12. 1. Johan. 3. verſ. 2. Hi duo præſentiæ modi non differunt *toto genere*, ſed duntaxat *gradu*, quia majorem divinæ cognitionis lucem & uberiorem divinæ inhabitationis gratiam percipient Sancti in cœlis quàm in terris. Sed & in gratioſa illa Dei apud Sanctos in terris præſentia diſtincti gradus ac modi inveniuntur. 1. Deus in ſymbolo viſibili externo ſanctis hominibus in Veteri Teſtamento quandoque apparuit, & circa Jordanem in Baptiſmo Chriſti Pater voce audibili, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ viſibili ſe manifeſtavit, hæc poteſt dici *præſentia Symbolica*. 2. Deus per verbum & Sacramenta in hominibus ad converſionem eſt efficax, ac in Baptiſmo quidem per aquam in nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti affuſam operatur regenerationem ac renovationem, in Euchariſtia mediante benedicto pane & vino corpus & ſanguinem CHRISTI communican-

municantibus diſtribuit ad fidei confirmationem & ſpiritualem alimoniam ad vitam æternam, hæc dici poteſt *præſentia myſtica & Sacramentalis.* 3. In quorum cordibus per verbi auditum & Sacramentorum uſum Spiritus ſanctus fidem accendit, in illis tota SS. Trinitas glorioſè habitat, & manſionem apud eos facit, hæc poteſt dici præſentia ſpiritualis.

188. Q. 8. *An gradus divinæ præſentiæ tantùm operationibus diſtinguantur?* Certum hoc eſto, præſentiam Dei ad creaturas non nudam indiſtantiam abſque operatione, nec nudam operationem abſq; eſſentiali propinquitate, ſed utrumque ſimul complecti, ut ex ſuperioribus conſtat. Quæſtio verò eſt, an ſpecialis illa Dei in Sanctis habitatio & propinquitas præter ſpecialem operationem gratioſam etiam ipſius eſſentiæ ſpecialem approximationem inferat. Quidam negant hoc argumento perſuaſi. Qui per eſſentiam infinitus eſt, eſſentialiter ubique præſens, à nulla re creata per eſſentiam ſuam localiter diſtans, is cùm Sanctis ſpecialiter præſens eſſe incipit, non poteſt per eſſentialem quandam propinquitatem ipſis magis appropinquare. Sed DEUS per eſſentiam ſuam infinitus eſt, eſſentialiter ubique præſens, & à nulla re creata per eſſentiam ſuam localiter diſtat. Ergò quando Sanctis per gratiam ſpecialiter præſens eſſe incipit, non per quandam ipſius eſſentiæ propinquitatem, ſed tantùm peculiaris illius operationis reſpectu ipſis appropinquat. Quidam verò τὸ ῥητὸν ſacrarum literarum arctè tenentes illud affirmant. Sacra enim Scriptura ſic loquitur, *DEUM ipſum ad pios venire, manſionem apud illos facere, illis appropinquare, in illis habitare.* Quamvis ergò finitus noſter intellectus non poſſit percipere, quomodo infinitus DEUS eſſentiâ ſuâ utpotè immenſâ non diſtans à Sanctis ſpeciali quadam eſſentiæ apprnximatione ad ipſos veniat, & in illis habitare incipiat: tamen à litera minimè diſcedendum eſſe rati fide illud tenendum & complectendum eſſe exiſtimant. Eſſe autem non tantùm operationis, ſed etiam ipſius eſſentialis propinquitatis ratione diſcrimen ſtatuendum inter generalem & ſpecialem, ſive gratioſam Dei præſentiam. 1. *probant.* 1. *à Dei Natura.* Deus eſt merus & purus actus, eſſentia ejus non differt à potentia, quia agit in ſeipſo & per ſeipſum, ergò nova operatio eſt nova eſſentiæ approximatio. 2. *ab exemplis reliquorum præſentiæ modorum.* Præſentia Λόγου in carne non eſt nuda aliqua operatio, geſtatio ſcilicet carnis vel quicunque alius ſecundus actus, ſed potiùs ſpecialis quædam ipſius eſſentiæ τοῦ Λόγου, vel ut Apoſtolus loquitur, totius plenitudinis Deitatis propinquitas cum intima περιχωρήσει conjuncta. Columbæ, in qua Spiritus ſanctus deſcendit, idem ipſe præſens fuit, non nudâ tantùm operatione novâ, ſed ſingulari quodam modo & ipſius eſſentiæ arctiore unione. Spiritus ſanctus mittitur ipſe cum ſuis donis, quē cùm excutiunt homines per peccata contra conſcientiam, non tantùm amittitur gratia, ſed ipſe etiam Spiritus ſanctus hoſpes ille divinus relinquit ſuum templum. In Euchariſtia ante unionem Sacramentalem Chriſtus ſecundùm humanam Naturam non diſtat localiter à pane & vino, interim tamen nnvo quodam modo. Sacramentali ſcilicet, eiſdem in ipſa conſecratione, diſtributione & ſumptione externorum Symbolorum unitus, qui modus non nudæ operationis, ſed ipſius ſubſtantialis propinquitatis reſpectu Sacramentalis vocatur. Chriſtus adeſt corporis ſui myſtici membris tanquam caput non per nudam operationem, ſed per ſpecialem ipſius eſſentiæ approximationem & ſpiritualem agglutinationem Chriſtus adſtitit Paulo pró libera ſua voluntate, illud aſtare non pertinet ad eſſentiæ immenſitatem per ſe, neque ad neceſſariam indiſtantiam, ſed ad liberum Chriſti actum, quô ipſe verè & ſubſtantialiter adſtitit Paulo, ut ipſius Rex & Dominus, eumque conſolatus eſt. 2. *declarant* quibuſdam ſimilitudinibus. Anima eſt tota in toto corpore & in qualibet parte tota, nihilò tamen minùs ſpeciali quadam ratione & arctiori ipſius eſſentiæ propinquitate cordi utpotè vitæ fonti præſens eſt. Sic Deus eſſentiæ infinitate omnibus creaturis præſens eſt, interim peculiari quadam ipſius etiam eſſentiæ approximatione piis ſe aſſociat, in quibus propterea dicitur habitare & vivere. Hilarius in Pſalm. 118. *Nihil a Deo vacat, nihil indiget. Ubique eſt modo animæ incorporalis, quæ in membris omnibus diviſa à ſingulis quibusque partibus non abeſt, etiamſi privata quadam regia in toto corpore ſedes eſt, tamen in medullis, digitis, artubus infunditur.* Radii Solares & pellucido corpori, videlicet vitro & opaco præſentes ſunt, utrumque enim tangunt, interim vitro ſpeciali quodam modo non tantùm quoad operationem, ſed etiam quoad ſuum eſſe appropinquant, quia in illud ſe penitùs inſinuant, illudque lucidum reddunt, ſic Deus eſſentiâ ſuâ omnibus, & ſic etiam impiis præſens eſt, ſed corda ipſorum peccatorum tenebris obſcurata & oppleta per illam divinæ eſſentiæ præſentiam non efficiuntur lucida, nec DEUS eo modo illis ſe peculiari eſſentiæ approximatione inſinuat. Juſtin. de rect. confeſſ. *Sicut Sol, quamvis ſuâ vi attingat pariter omnia, tamen non ab omnibus ſimiliter capitur: Sic verbum illud juxta eſſentiam præſens omnibus, non ſimiliter adeſt cæteris, ut in proprio templo.* Addunt etiam ſimilitudinem ferri in ignem quidem poſiti, ſed tamen nondum igniti ſurculi ad truncum arboris poſiti, nondum tamen eidem inſerti &c. ubi per ferri ignitionem & ſurculi inſitionem ſpecialiter & arctior ipſarum ſubſtantiarum fit conjunctio & propinquitas. Nobis hic probatur illud Chryſoſtomi homil. 1. de incompr. Dei Natur. *Deum eſſe ubique, totumq; eſſe in quavis parte orbis terrarum novi, ſed quemadmodum fit, neſcio,* Itemque illud ejuſdem homil. 2. in Epiſt. Hebr. *Quod ubiq; ſit Deus, ſcimus & dicimus, quomodo autem ubiq; ſit, intellectu non capimus,* quæ verba allegans Lomb. 1. ſent. diſt. 37. G. ſubjungit: *In illis verbis, in quibus dicitur, Deus ubique eſſe per eſſentiam, plus contineri credendum eſt, quod homo vivens capere non valet.* Luth. tom. 3. Germ. p. 352. docet, *ſubſtantialem Dei omnipræſentiam eſſe incomprehenſibilem.*

189. Uſus practicus 1. παρακλητικῶς. Si Deus ubique præſens nobis gratioſè adeſt, ex vera cordis fiducia cum Davide poſſumus dicere Pſ. 46. verſ. 2. *Deus noſter refugium & virtus, adjutor in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis.* verſ. 3. *propterea non timebimus, ſi terra loco ſuo moveretur, & montes in cor maris præcipitarentur.* verſ 12. *Dominus exercituum nobiſcum, inſuperabilis munitio eſt nobis Deus Jacob.* Pſal. 118. verſ. 6. יהוה לי *Dominus mihi* vel mecum, *non timebo quid faciat mihi homo?* Quid omnis hoſtium potentia

tentia ad illius potentiam comparata? ſi vel maximè omnes homines in caput noſtrum conjuraſſent, tamen ſi Deum nobiſcum habemus protectorem & adjutorem, ne capillum quidem nobis evellere poterunt. Conſtituti igitur in ſummis periculis dicamus. Dominus nobiſcum, qui ut eſt potentiſſimus, ita adverſus hoſtes nos protegere poterit fortiſſimè. 2. Paral. 20. verſ. 12. *Cum ignorimus quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros dirigamus ad te.* Circumvallati à mediis hoſtibus, dicamus, Dominus nobiſcum eſt, qui poterit invenire ac demonſtrare ἔκβασιν. 1. Cor. 10. verſ. 13. *Dominus ſuſtentat me, non timebo myriades populi circumdantis me* Pſal. 3. verſ. 6. 7. Conjecti in ſqualorem & caliginem carceris ob nominis Chriſti confeſſionem, dicamus Dominus mecum eſt, qui eſt *illuminatio & ſalus mea.* Pſal. 27. verſ. 1. Ambulantes per obſcuram mortis vallem, dicamus cum Davide Pſalm. 23. verſ. 4. *Etſi ambularem in valle umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Deus eſt mera lux, mera lætitia, mera beatitudo, qui ergò Deum gratioſè ſibi præſentem habet, is lucem, lætitiam & vitam habet. Chryſoſtomus in homil. anteq. iret in exil. *Nemo vos conturbet fratres, orate tantùm. Non ego propria virtuti confido, habeo Scripturam Domini mei, manum ipſius teneo, illa mihi cautio ſatis tuta eſt, illa me ſecurum reddit & intrepidum. Etiamſi orbis terrarum commoveatur, ego cautionem Domini mei teneo. Vultis ut velit recitem Domini mei cautionem? Ecce* (inquit) *ego vobiſcum ſum omnibus diebus ſeculi.* Huc pertinent ſuaviſſimæ conſolationes, quas ex præſentia Dei petitas Deus ipſe piis proponit. Geneſ. 46. verſ. 4. *Ego deſcendam tecum in Ægyptum.* Exod. 3. v. 12. ad Moſen: *Ego ero tecum* Joſ. 1. verſ. 9. *Confirmare & fortis eſto, ne expaveſcito, quia tecum eſt Jehovah Deus tuus quocunque ieris.* Eſai 43. verſ. 1. *Sic ait creator tuus ô Jacob, & formator tuus ô Iſrael, ne timeas.* v. 2. *cum tranſieris per aquam, tibi adſum & per flumina, ne inundent te, cùm ambulas per ignem, non accendet te flamma.* 2. παιδευτικῶς. Si Deus ubique nobis præſens, caveamus, ne coram mundiſſimis & ſanctiſſimis ipſius oculis, qui infinitis modis Sole clariores μυριοπλασίως ἡλίου φωτεινότεροί εἰσιν καὶ ἐπιβλέποντες πάσας ὁδοὺς ἀνθρώπων καὶ κατανοοῦντες εἰς ἀπόκρυφα μέρη. Eccleſ. 23. verſ. 27. 28. peccata utpotè tenebrarum opera committamus. Non tecta, non parietes, non ſubterranei ſpecus præſentiam ejus excludunt, intimiùs nobis præſens eſt quàm nos ipſi ſumus, cur igitur ipſius præſentiam non reveremur, ejuſdemque meditatione à peccato retrahimur? *Ambula* לְפָנַי *coram me*, in conſpectu meo, inquit Deus ad Abrahamum Geneſ. 17. verſ. 1. *& eſto perfectus*, cogita me tibi ubique præſentem eſſe, vitam, actiones, adeoque cogitationes tuas omnes intueri, eſto igitur perfectus, ab omni hypocriſi alienus &c. *An delitеſcere poteſt quiſquam in latebris, ut ego non videam ipſum, inquit Jehovah.* Jerem. 23. verſ. 23. *annon cœlos & terram ego impleo, ac ſum Deus è propinquo, non è longinquo.* Sæpiùs in tenebris ea committuntur, quæ in præſentia honeſti alicujus viri facere reformidaremus, at Deus ubique præſens eſt, quem nec latere quicquam, nec fallere quiſquam poteſt, qui ergò fit, quòd illius præſentia non incutit nobis timorem & cautam ſolicitudinem delicta vitandi. *Ipſe totus oculus eſt, quia omnia videt: totus auris eſt, quia omnia audit: totus manus eſt, quia omnia operatur: totus pes eſt, quia ubique præſens eſt.* Auguſt. in Pſal. 136.

SECTIO IX.

De Dei omnipotentia.

190. Expoſuimus hactenùs octo primæ claſſis attributa, ſequuntur ea, quæ ſecundam claſſem complent, utpotè 1. *divina omnipotentia* 2. *bonitas & miſericordia.* 3. *juſtitia.* 4. *omniſapientia & omniſcientia.* 5. *agendi libertas.* 6. *Veracitas*, de quibus pari filo ac ſtylo agemus. Sit ergò theſis, *Deus non tantùm potens eſt, nec tantùm multipotens, ſed verè omnipotens.* Confirmat Dei omnipotentiam. 1. *Scriptura.* 1. *affirmativè*, quando Deum vocat אַבִּיר *fortem* Job. 34. verſ. 20. שַׁדַּי *omnipotentem*, vaſtatorem, qui omnia vaſtare, & in nihilum redigere poteſt, ſicut ex nihilo omnia fecit. Geneſ. 17. verſ. 1. cap. 49. verſ. 25. &c. גִּבּוֹר *potentem.* Deuteronom. 10. verſ. 17. אַמִּיץ כֹּחַ *fortem robore* Job. 9. verſ. 4. כַּבִּיר *fortem* Job. 36. verſ. 5. עִזּוּז *robuſtum* Pſalm. 24. v. 7. חֲסִין *fortem* Pſalm. 89. verſ. 8. hæc enim potentia, hoc robur eſt infinitum, cùm ſit ipſa DEI eſſentia, παντοκράτωρ. 2. Corinth. 6. verſ. 18. Apoc. 1. verſ. 8. 2. *effectivè*, quando teſtatur, Deum poſſe omnia. Matth. 3. verſ. 9 *poteſt ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ.* Matth. 19. verſ. 26. *apud Deum omnia poſſibilia ſunt.* Marc. 14. verſ. 36. *Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt.* Luc. 18. v. 26. *quæ apud homines ſunt impoſſibilia, ea apud Deum poſſibilia.* Epheſ. 3. verſ. 20. *potens eſt* ὑπὲρ πάντα ποιῆσαι, ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ νοοῦμεν κατὰ δύναμιν. Huc pertinent omnia divinæ potentiæ opera & miracula ſupernaturalia. 3. *negativè*, quando negat Deo quicquam eſſe difficile, nedum ἀδύνατον Gen. 18 v. 14. *Num à Jehovah* הֲיִפָּלֵא דָבָר, num ſeparatum à DEI actione, *mirabile*, arduum & factu difficile *quicquam ipſi erit.* Targ. *num occultabitur.* LXX. ἀδυνατεῖ. Jerem. 32. verſ. 17. & 27. interrogationis illius vis per negativam explicatur. לֹא יִפָּלֵא *non mirificabitur à te omne verbum.* verſ. 27. in forma interrogandi id repetitur: *Ego Dominus Deus univerſæ carnis nunquid à me mirificabitur omne verbum?* Zachar. 8. verſ. 6. *Si hoc* יִפָּלֵא *mirum ac difficile in oculis populi illius, etiam in meis oculis erit mirum?* Sap. 11. v. οὐ γὰρ ἠπόρει ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ non impotens erat omnipotens tua manus. Luc. 1. verſ. 37. *apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum.* Rom. 9. verſ. 19. *voluntati ejus quis reſiſtet?* 4. *ſymbolicè*, quando fortem dextram, extenſum & robuſtum brachium Deo tribuit. 1. Paral. 29. verſ. 12. *in manu tua virtus & fortitudo* כֹּחַ וּגְבוּרָה Jer. 32 verſ. 17. *Feciſti cœlos & terram in potentia tua magna & in brachio tuo extenſo*, eſt n. hæc dextra roboris, brachium potentiæ &c. Eph. 1. verſ. 19. ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως Θεοῦ vocatur Sap. 11. verſ. 22. τὸ μεγάλως ἰσχύειν σοι πάρεστι πάντοτε, καὶ κράτει βραχίονός σου τίς ἀντιστήσεται &c. Vide loc. §. 122. 2. *ratio.* 1. *ab eſſentiæ infinitate.* Divina potentia eſt ipſa Dei eſſentia, quia attributa ſunt ipſa eſſentia. Atqui eſſentia divina eſt infinita. Ergò etiam potentia Dei eſt infinita, jam verò infinita potentia nihil aliud eſt quàm omnipotentia. 2. *à divinæ eſſentiæ ſimplicitate.* Deus eſt puriſſimus actus, ergò

Dei omnipotentia.

Digitized by Google

ergò maximè ei competit principium activum, & potentia infinita, ipſe enim agit per ſeipſum non per aliquam potentiam eſſentiæ ſuæ ſuperadditam, ipſe ita agit, ut nihil repatiatur, quia nihil habet potentiæ paſſivæ. 3. *à Dei perfectione.* Quò in creaturis Ens unumquodque eſt perfectius, eò majore agendi potentiâ eſt præditum, unde materia prima, quia purè paſſiva in infima Entium claſſe conſtituitur. Jam Deus eſt Ens perfectiſſimum & ſummum. Ergò perfectiſſima agendi potentia ipſi competit. 4. *ab omnium rerum creatione & conſervatione,* quæ infinitam Dei potentiam arguit Vide loc. §. 123.

191. 3. Accedunt *Patrum ſuffragia.* Iren. lib. 5. cap. 7. p. 322. *Neque igitur Natura alicujus eorum quæ facta ſunt, neque infirmitas carnis fortior erit ſuper voluntatem Dei. Non enim Deus* (ſubjectus eſt) *his quæ facta ſunt & ſubjecta ſunt Deo & omnia ſerviunt voluntati ejus,* lib. 2. cap. 52. *Deus melior quam Natura habens apud ſemetipſū velle &c. quoniam bonus eſt & poſſe, quoniam potens eſt & perficere, quoniam dives & perfectus eſt.* Juſtin. in everſ. dogm. Ariſt. p. 86. ὁ Θεὸς ἄφθαρτον ἔχει τὴν ἐξουσίαν καὶ ἀνεμπόδιστον τὴν ἐνέργειαν talem operandi efficaciam, cui nihil prorſus intercedat impedimenti. p. 87. μὴ νόμῳ φύσεως δουλεύει ἀλλὰ αὐθεντίᾳ βουλήσεως ἐργάζεται. Greg Nyſſ. de reſurr. Chriſti orat. 3. fol. 163. *Omnipotens & eſt & dicitur Deus. At ei qui omnia poteſt, nihil eſt perplexum, nihil quod explicari aut expediri perficivè non poſſit.* Maximus de charitate lib. 4. num. 4. *Abſurdum eſt de Deo Omnipotente haſitare, num poſſit aliquid in eſſentiam perducere, quando illi viſum eſt.*** Baſilius homil. 1. hexaëm. τὸν τοῦ παντὸς τούτου δημιουργὸν οὐχ ἑνὶ κόσμῳ σύμμετρον ἔχειν τὴν ποιητικὴν τὴν δύναμιν, ἀλλ' εἰς τὸ ἀπειροπλάσιον ὑπερβαλοῦσαν, *univerſi hujus opificem ſuam illam effectricem potentiam non habuiſſe commenſuratam uni mundo, ſed in infinitum excedentem.*** Auguſt. lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. *De omnipotentia & juſtitia Dei dubitare dementia eſt.*** In Enchir. cap. 96. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*** ſerm. 119. de temp. *Omnipotens eſt ad facienda majora & minora. Omnipotens eſt ad cœleſtia & terreſtria. Omnipotens eſt ad facienda immortalia & mortalia. Omnipotens eſt ad facienda corporalia & ſpiritualia. Omnipotens eſt ad facienda inviſibilia & viſibilia. Poſtremò omnipotens eſt ad facienda omnia, quæ voluerit.* ſerm. 139. de temp. *Non dico, da mihi Chriſtianum, da mihi Judæum, ſed da mihi paganum multorum idolorum cultorem, Dæmonum ſervum, qui non dicat, Deum eſſe omnipotentem. Negare Chriſtum poteſt, negare Deum omnipotentem non poteſt.* Damaſc. lib. 1. de orth. fid. cap. 8. Deum vocat ἀπειροδύναμον, δύναμιν οὐδὲν μέτρῳ γνωριζομένην μόνῳ δὲ τῷ οἰκείῳ θελήματι μετρουμένην, πάντα γὰρ ὅσα θέλει, δύναται. Philo lib. 1. alleg. legis. *Sicut ignis proprium eſt urere, & nivis refrigerare: ita Dei quoque operari, idq; multò magis eo quod ipſe aliis etiam rebus omnibus operandi autor eſt.* Dicta *Philoſophorum gentilium* vide apud Stobæum ſerm. 109. de ſpe, & in loc. §. 124. quibus addendum illud Epicharmi, ἀδύνατον οὐδὲν Θεῷ. Et illud Homeri odyſſ. ἱ Θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Antitheſis 192. Antitheſis. Opponenda hæc ſunt 1. *Gentilibus* de Omnipotentia Dei dubitantibus ac nimis abjectè ſentientibus. Galen. lib. 11. de uſu part. cap. 14. tom. 1. p. 378. *Non ſatis erat Deo ad producendos in corpore pilos eos duntaxat velle tales eſſe. Neque enim ſi lapidem repentè velit facere hominem, efficere id poterit. Atque id eſt, in quo opinio noſtra ac Platonis tum aliorum, qui apud Græcos de rerum Natura rectè conſcripſerunt, à Moſis diſſidet, ſatis enim habet is, ſi Deus materiam exornare velit, ea autem repentè eſt exornata. Omnia enim Deum facere poſſe arbitratur, etiamſi ex cinere equum aut bovem facere velit. Nos autem non ita ſentimus, ſed confirmamus, quædam naturam facere non poſſe, eaq; Deum ne aggredi quidem omninò, ſed ex iis, quæ facere poteſt, quod melius eſt, eligere.* Plin. lib. 2. Natur. Hiſt. cap. 7. Deum omnipotentem eſſe negat ex eo, *quia mori & fallere non poteſt, nec factum infectum reddere &c.* quam puerilem argutiam tantæ eruditionis virum urgere meritò miratur Ludov. Vives in comm. lib. 5. Auguſt. de civit. Dei cap. 10. *Miror* (inquit) *Plinium ſecundum hominem & ingenio & eruditione tantum ſic contra omnipotentiam Dei cavillari.* Cyrill. Alexand. adv. Anthropomorph. lib. 3. cap. 13. quæſtionem illam, *an Deus ſit omnipotens, cum præſtare non poſſit, ut ipſe non ſit Deus, non poſſit ſeipſum facere peccati capacem, non poſſit facere, ut ipſe non ſit bonus aut vita aut juſtitia &c.* vocat πολὺ τὸ ἄτοπον ἔχουσαν, ac proinde παντὶ τρόπῳ φευκτέαν vitandam. Jobius Monachus eandem argutiolam vocat παίγνιον καὶ σοφιστικῆς ἀθυρμα λόγου *Indicium quoddam & Sophiſticæ negationis ludibrium,* illoſque qui ea utuntur aut κακουργίᾳ aut ἀγνοίᾳ *nequitiâ vel inſcitiâ laborare dicit.* lib. 3. de incarn. verbi cap. 13. apud Photium in Biblioth. p. 302. Ut enim eruditè diſputat Auguſt. lib. 5. de civit. Dei cap. 10. ante med. *Poteſtas Dei non minuitur, cùm dicitur mori fallíq; non poſſe. Sic enim hoc non poteſt, ut potiùs ſi poſſet, minoris eſſet utique poteſtatis. Rectè quippe omnipotens dicitur, qui tamen mori falliq, non poteſt. Dicitur enim omnipotēs faciendo quod vult, non patiendo, quod nō vult, quod ſi ei accideret nequaquā omnipot. eſſet, unde propterea quædā non poteſt, quia eſt omnipotēs.* lib. 15. de Trin. c. 15. *Magna Dei potētia eſt, non poſſe mentiri, quia non poteſt illic eſſe, eſt & non eſt, ſed eſt & eſt, non & non.* lib. de Spir. & lit. cap. ult. *Sicut impoſſibilitas, ita & iniquitas non eſt apud Deum.* Contra Arianos cap. 14. *Hoc* (mutari) *quia non poteſt, non deficienter non poteſt, ſed potenter tanquam laudabile eſt omnipotentem non poſſe mutari, quàm laudabile quod omnipotens non poteſt mori.*** Alcuinus de divinis officiis c. 41. *Omnipotens dicitur, eo quod omnia poteſt. Et quare dicitur Omnipotens, cùm omnia non poſſit? mentiri non poteſt, quia immutabilis eſt. Sed ſciendum, quia quicquid illum decet, poteſt.* Vid. loc. §. 133. 2. *Bar Jeſu* infami illo Mago Elyma dicto Act. 13. verſ. 10. de eo n. refert. Dionyſ. Areopag. de div. nomin. cap. 8. p. 375. quod dixerit: εἰ παντοδύναμός ἐστιν ὁ Θεὸς, πῶς λέγεταί τι μὴ δύνασθαι πρὸς τῆς καθ' ἡμᾶς θεολογίας, *Si omnipotens eſt Deus, quomodo aliquid non poſſe à Theol. veſtro dicitur,* λοιδορεῖται δὲ addit Dionyſ. τῷ θείῳ Παύλῳ φήσαντι, μὴ δύνασθαι τὸν Θεὸν αὐτὸν ἀρνήσασθαι. 3. veteribus hæreticis, ut Carpocratianis, qui negabant Dei omnipotentiam. Meſſalianis, qui hominem ſub poteſtate non Dei, ſed Angelorum malorum collocabant &c. *Hæreticorum filii neſciunt omnipotentem,* ait Cyrillus Hieroſolym. in Catech.

in Catech. 4. Petro Abailardo, qui ut apparet ex Epiſt. 190. Bernh. ſtatuit, *Deum non poſſe ſimpliciter aliquid facere, præter illa quæ facit*, hoc eſt, negavit abſolutam Dei potentiam conceſsâ duntaxat ordinariâ, Argum. fuit tale: *DEVS ſolum poteſt facere, quod ab æterno præſcivit & decrevit ſe aliquando facturum. Sed illa ſolum quæ aliquando facit, præſcivit & decrevit ſe facturum. Ergo.* Reſp. *ex hypotheſi* non poteſt facere niſi quæ præſcivit & decrevit ſe facturum, eſt enim immutabilis, interim *abſolutè & ſimpliciter* etiam illa quæ non decrevit facere, poteſt facere.

193. 5. *Vorſtio*, qui multis modis divinam potentiam labefactat. 1. *non activam ſolùm ſed etiam paſſivam potentiam in Deo ſtatuit, quia nova accidentia realia videlicet nova decreta in ſe recipiat.* Atqui potentia paſſiva non cadit in merum & purum actum, qualis eſt Deus; potentia paſſiva eſt imperfectionis, quæ non cadit in Deum Ens ſummum & perfectiſſimum &c. potentia paſſiva eſt principium mutabilitatis, quæ non cadit in immutabilem divinam eſſentiam, potentia paſſiva oritur ex materia, at Deus eſt ab omni materia ſecretus & penitùs incorporeus, Potentia paſſiva ſtatuitur reſpectu formæ vel ſubſtantialis vel accidentalis recipiendæ, atqui divina eſſentia utpote immutabilis & perfecta nullam recipit formam. 2. *negat potentiam Dei eſſe infinitam & immenſam, cùm non extendat ſe ad impoſſibilia.* Reſp. *ἀδύνατα* dicuntur duplici modo: primò *ſecundùm quid*, quæ reſpectu hominum ſunt talia; Secundò *abſolutè*, quæ ſimpliciter ſunt impoſſibilia. Si de impoſſibilibus priori modo acceptis Vorſtius loquitur, falſum eſt divinam potentiam ſe non extendere ad impoſſibilia. Clariſſimum enim eſt effatum Chriſti Matth. 19. verſ. 26. *Apud homines hoc impoſſibile, ſed apud Deũ omnia poſſibilia* Luc. 18. verſ. 26. *τὰ ἀδύνατα παρὰ ἀνθρώποις, δυνατὰ ἐστι παρὰ τῷ θεῷ.* Si de impoſsibilibus poſteriore modo acceptis loquitur, falſum eſt divinam potentiam propterea non eſſe infinitam, quia ad talia impoſsibilia ſe non extendit. Quamvis enim quoad externum verborum ſonum aliqua nonpotentia (ut ſic loquar) Deo tribuatur, quando *non poſſe mentiri, non poſſe ſeipſum negare* aſſeritur 2. Tim. 2. v. 13. tamen quoad rem verbis ſignificatam eo ipſo potiùs potentia quædam Deo tribuitur, quod talibus mutationibus & imperfectionibus non ſit ſubjectus, ſicut eleganter diſputat Auguſt. lib. 1. de Symb. cap. 1. *Deus omnipotens eſt, & cùm ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt. Quàm multa non poteſt, & tamen omnipotens eſt, & ideò omnipotens eſt, quia iſta non poteſt, nam ſi mori poſſet, non eſſet omnipotens, ſi mentiri, ſi falli, ſi fallere, ſi iniquè agere, non eſſet omnipotens, quia ſi hoc in eo eſſet, non fuiſſet dignus, quia omnipotens eſſet.* Proindè cùm verbis illis, quantum talia Deus poſſe negatur, quæ Naturæ ejus repugnant, non impotentia ſed potiùs perfectio & potentia Deo tribuatur, inde Scriptura abſolutè & ſimpliciter pronunciat, Deum poſſe omnia & nihil illi eſſe impoſsibile. Scholaſtici ſic reſpondent: Sicut ſcientia dicitur reſpectu ſcibilium, ſic potentia dicitur reſpectu poſsibilium. Impoſsibilia ergo non cadunt ſub potentiam, ac proinde potentiæ infinitatem nequaquam limitant aut reſtringunt, ſi enim ſub potentiam caderent, impoſsibilia non eſſent.

194. 6. *Calvinianis*, qui infinitam Dei potentiam itidem reſtringunt. Luth. tom. 1. Jen. Germ. fol. 463. f. a. ſcribit, *præcipuam eſſe baſin Calvinianæ doctrinæ, quòd cenſeant pleraque ejus propugnatores, Deum non poſſe facere id, quod in verbo ſuo promittit.* ** Lambert. Danæus in Elench. hæret. pag. 167. *Deus non poteſt omnia.* Abdias Liberinus in ſyotagm. p. 13. *Eſt planè impoſſibile, Deum omnia poſſe.* Valent. Hellopæus de re Sacrament. fol. 598. *Fatemur, Deum omnipotentem eſſe, ita tamen ut nec omnia poſſit facere.* Vide prodromum Darmſtatinorum cap. 3. §. 4. ** Crocius quidem p. 2. Converſat. Pruten. p. 494. *calumniam vocat*, quod divina omnipotentia à Calvinianis negari dicitur. Contrà 1. Qui negat Deum ſuâ potentiâ efficere poſſe id, quod expreſſo verbo ſe facturum aſſerit, is negat divinam omnipotentiam. Calviniani id faciunt, ut patet ex articulo de Cœna, de præſentia Chriſti in Eccleſia. 2. aſſerunt Deum non poſſe facere ea, quæ noſtræ rationis judicio contradictionem involvunt. 3. ad ſimpliciter impoſsibilia, referunt ea, quæ Deo ſunt poſſibilia. Vide loc. §. 126. Diſp. 5. de glor. Dei ſ. 17. 18. 19. 4. negant Deũ aliquid efficere poſſe, quod ſit ſupra Naturam & rationem, ſicque ea menſura faciunt menſuratum. Dei enim potentia eſt menſura, menſurans & cauſa efficiens Naturæ, rationis humanæ, ac omnium rerum creatarum.

195. 7. *Photinianis*, qui itidem 1. ea Naturæ principiis & captu noſtræ rationis audacter determinant, quid Deus poſsit, quidvè non poſsit. Theod. Schimberg. in præfat. refut. Carolii præmiſſa fol. 12. *Quantum attinet impoſſibilia mentis, tanta in Deo poteſtas non eſt, ut ea faciat reipsâ exiſtere.* Schmaltz. contra Frantz. Diſp. 1. p. 3. *Quæ Naturâ ſunt impoſſibilia, ea nec ipſum Deum facere poſſe aſſerit.* Intelligit autem per *impoſsibilia Naturâ ea*, quæ juxta Naturæ leges æſtimata fieri non poſſe noſtræ rationi videntur, unde in exam. 157. errorum err. 155. p. 41. ſcribit: *Sanguinem poſſe ita mutari, ut non ſit corruptibilis, dicere eſt rerum Naturam invertere, quod nec Deus facit unquam.* Catech. Racov. p. 65. *Sciat generationem Filii ex eſſentia Dei eſſe prorſus impoſsibilem*, quia ſcilicet ratio noſtra non intelligit, quomodo Deus ab æterno potuerit filium coæternum ſibi gignere. Vide prælect. in Meth. Theol. part. 2. cap. 2. & Diſp. 10. de Glor. Dei §. 9. ubi oſtendimus hanc hypotheſin, quod noſtræ rationi committendum ſit judicium de iis, quæ ſint ſimpliciter impoſsibilia ac contradictoria, eſſe totius Photinianiſmi & omnium ferè errorum principium, ſed extremè falſum atque impium. 2. *Deum ideo eſſe omnipotentem dicunt, quia poteſt omnia quæ vult* Oſtor. in Inſtit. cap. 3. p. 27. Catech. Racov. p. 32. Reſp. rectè quidam dicitur ab Auguſtino in Enchir. cap. 96. *Neque enim veraciter ob aliud vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* & lib. 21. de civit. Dei cap. 7. *Non ob aliud vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult poteſt*, ſed hoc non eſt accipiendum *excluſivè*, quaſi Deus non poſsit plura quàm velit & reipsâ faciat. quia etiam illa poteſt efficere, quæ certis ex cauſis non vult nec facit. Matth. 3. verſ. 9. *poteſt Deus ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare*, unde ipſe Auguſt. lib. de Natur. & grat. cap. 7. *Quia Dominus Lazarum ſuſcitavit, ſine dubio potuit. Quia verò Judam non ſuſcitavit, nunquid dicendum eſt non potuit?*

Digitized by Google

tuit? potuit ergo, ſed noluit. Nam ſi voluiſſet, eâdem poteſtate hoc feciſſet. Diſtinguendum igitur inter *ſignum* omnipotentiæ & *rationem formalem* omnipotentiæ. Signum omnipotentiæ eſt poſſe facere abſolutè quicquid velit, ratio formalis omnipotentiæ eſt poſſe facere omnia poſſibilia. Vide loc. §. 129. 3. Deum Patrem poteſtate ac dominio ſuo privant. Eniedinus in explic. Loc. p. 279. *Affirmandum clarè eſt excludi Patrem non quidem ab omni, ſed ab illo dominio quod* 1. Cor 8. v. 6. *Apoſtolus Chriſto Jeſu attribuit.* Schmaltz. in exam. 157. errorum pag. 55. *Deus in ſua perſona neminem nunc regit, ſed omne judicium in Chriſti perſona adminiſtrat.* In refut. eorum, quæ exam. 100. error. Smiglec. objecerat p. 55. diſputat, *Chriſtum hominem in cœlo regnantem non eſſe ſubjectum Patri uſque ad diem judicii. Quod Chriſti caput dicitur* Deus 1. Cor. 11. verſ. 3. id *dici poſſe* ſcribit *reſpectu ejus, quod dedit ei poteſtatem quam nunc habet, rurſum reſpectu ejus, quod Deus Chriſto eſt ſuperior, etiamſi Chriſtus ei non eſt ſubjectus, reſpectu denique ejus, quod hæc Chriſti poteſtas non eſt talis futura perpetuò.* Si dicas, *rem creatam ſubeſſe creatori & ab eo in eſſe dependere*, reſpondet, *rem creatam, quâ creata eſt, non poſſe non ſubjectam eſſe creatori, ſed rem creatam non poſſe talem ad tempus ſaltem à Deo fieri, quæ à Deo non dependeat, nihil impedire.* Cui inſano furori hæc theoremata opponimus: 1. Una eſt poteſtas Patris & Filii, unum regnum, quòd uterque adminiſtrat. Ut ergo poteſtas & regnum Patris eſt æternum, ita quoque poteſtas & regnum Filii eſt æternum & vice versâ. 2. Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eandem quidem poteſtatem cum Patre habet atque idem cum Patre regnum adminiſtrat, interim tamen cùm gloria Naturæ humanæ veritatem non tollat, ideo eſt & manet ſecundùm humanam Naturam Patre inferior ac minor Joh. 14. verſ. 28. 1. Cor. 11. verſ. 3. cap. 15. v. 27. 3. Quod in extremo demum judicio Filius dicitur Patri ſubjiciendus, illud Nazianz. orat. 4. de Theol. & Cyrill. lib. 1. theſauri cap. 18. exponunt de Chriſti corpore myſtico, quod eſt Eccleſia, ut ſit ſenſus, tunc cum tradiderit regnum Deo Patri, futurum eſt, ut Eccleſia planè ſit Deo ſubjecta, ſublatis ex feliciſſimo illo regno omnibus culpis, ratione quarum Eccleſia militans non videbatur illi perfectè ſubjecta. Duplici enim ratione Chriſtus conſiderandus nobis in textu Apoſtolico proponitur, 1. ratione perſonæ, 2. quatenus unum corpus cum fidelibus & electis conſtituit. Epiphan. hæreſ. 69. ſtatuit, Apoſtolum non loqui de vera aliqua ſubjectione, ſed ſubjectionis declaratione, dicit enim tunc eſſe ſubjiciendum, cùm tamen jamdum ſecundùm humanitatem ſit ſubjectus, quia tunc deſinet repræſentare perſonam gubernatoris ac Regis.

196. 8. Dominico Soto, qui lib. 3. Phyſ. q. 4. dicit, *illud non poſſe à Deo fieri, quod ſtatim atque propoſitum fuerit, intellectus noſter reſpuit, etiamſi non implicet contradictionem, & id ſolum poſſe à Deo fieri, quod intellectus noſter poſſit concipere.* At hac ratione finitus noſter intellectus norma divinæ infinitæ potentiæ ſtatuetur ac neganda erunt pleraque fidei myſteria, quæ intellectus noſter reſpuit, niſi divinitùs illuminetur. Urget Sotus dictum Luc. 1. verſ. 37. Reſp. per verbum intelligitur quodcunque Dei promiſſum, non autem coarctatur potentia Dei ad noſtrum conceptum Epheſ. 3. verſ. 20.

Quæſtiones de Dei omnipotentia.

197. Q. 1. *An potentia Dei rectè dicatur infinita?* Reſp. Quicquid Vorſtius vel alii regerant, potentiam Dei rectè dicimus infinitam. At quomodo *eſſentia Dei infinita, cum non producat infinitum effectum.* Reſp. Scal exerc. 365. ſect. 8. *quia finitos effectus non producit finita ſed infinitâ poteſtate. Non ergo ſequitur. Actio finita eſt, ideo & poteſtas, propterea quod æterna eſſentia & potentia continuatio ſupereſt ipſi jam facta opera.* Infinita ergò dicitur Dei potentia. 1. *reſpectu intrinſeca ſuæ entitatis*, eſt enim ipſa Dei eſſentia, quæ infinita. 2. *ratione extrinſecorum objectorum*, quia poteſt omnia poſſibilia, unde etiam dicitur omnipotentia, q. d. omnium poſſibilium potentia. At ejuſmodi poſſibilia ſunt innumera, neque enim tot numerari poſſunt, quin adhuc plura dentur.** Infinita eſt. 1. *in ſe & per ſe ſeu Naturâ ſuâ*, ſicut Deus ipſe, cujus eſſentiale idioma eſt, quod infinitus appellatur. 2. *reſpectu objectorum*, quæ non tantum jam facta varia ſunt & innumera, ſed etiam infinita adhuc alia ab ipſo fieri poſſent, ſi ſapientiæ ejus placeret. 3. *ratione modi agendi.* quia nunquam tam intenſivè & efficaciter agit Deus, ut non intenſius & efficacius agere poſſit. 4. *reſpectu materiæ*, in quam agit, quæ Deo nunquam deeſſe poteſt quia præparata materia opus non habet & ſi velit, facili negotio comparare poſſet.** 3. *ratione effectorum extrinſecorum*, quia illa poſſunt intendi uſque ad extremum paſſionis punctum, quamdiu in ipſis potentia paſſiva manet. 4. *ratione actionis*, quia nunquam operatur tàm perfectè quin poſſit operari perfectius. 5. *ratione durationis*, quia Deus non incipit aliquid poſſe, quod antea non poteſt, nec jam aliquid poteſt, quod poſtea non poſſit, ſed potentia ejus ſemper æquali modo ſe habet & eſt interminabilis ac indefectibilis. Thomas de pot. q. 1. art. 2. *Potentia divina eſt infinita intrinſecè & extrinſecè, extenſivè ratione objecti, intenſivè ratione actionis.* At quomodo eſt infinita, cùm excedatur à ſcientia? Reſp. Potentia *intrinſecè* ſecundùm entitatem conſiderata non exceditur à ſcientia. *Extrinſecè* ratione objecti conſiderata exceditur *quoad numerum*, quia plura cadunt ſub ſcientiam Dei, quàm ſub potentiam, non exceditur *quoad proportionem*, quia ut ſcientia Dei ſe extendit ad omnia ſcibilia, ſic potentia Dei ſe extendit ad omnia poſſibilia. **Iſidorus Peluſiota lib. 2. Epiſt. 117. *εἰ ἔρα πυθοίμεθα, εἰ πάντα τῷ Θεῷ δυνατὰ, ἀποκρινόμεθα, τὰ πρέποντα αὐτῷ· καὶ πᾶσα λύεται ἀνωφελὴς ζήτησις, δύναται μὲν γὰρ πάντα, βούλεται δὲ τὰ ἄριστα. Si quæratur à nobis, an ſint omnia Deo poſſibilia, reſpondeamus, conſentanea ei, & ita ſoluta erit omnis inutilis quæſtio. Poteſt quidem omnia, vult autem optima.***

198. Q. 2. *An potentia Dei diſtinguatur à voluntate Dei?* Reſp. *realiter* non diſtingui manifeſtum eſt ex eſſentiæ divinæ ſimplicitate, quæſtio verò eſt, an *ratione* diſtinguatur? Durandus 1. ſent. 38. q. 1. & alii affirmant, tum quia potentiæ diſtinguuntur per actus, jam verò ſcire, velle, producere ſunt actus diſtincti; tum quia etiam in creatura intellectuali potentia, ſive vis executiva diſtincta eſt ab intellectu & voluntate. Sed rectiùs ſtatuitur, ne quidem *ratione* potentiam à voluntate in Deo diſtingui, 1. quia Scriptura ſacra voluntatem Dei nobis proponit, ut cauſam omnium rerum. Pſal. 115. verſ. 3. *Dominus noſter in cœlo,*

quæcunq;

quæcunque voluit, fecit. Pſal. 148. verſ. 5. *Ipſe dixit & facta ſunt, mandavit & creata ſunt.* Eſa 46. v. 10. *Omnis voluntas mea fiet.* Eph. 1. verſ. 11. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* 2. Imperfectionis eſt, quod in creatura intellectuali diſtinguitur potentia executiva à voluntate, ſed à Deo removenda omnis imperfectio. Hominis quidem voluntas non ita efficax eſt, ut eo ipſo quod velit aliquid eſſe ex ſe, ſtatim illud eſſe incipiat, unde præter voluntatem indiget potentiâ exequente, ſed Dei voluntas, utpote quæ eſt ipſa infinita Dei eſſentia, tam operoſa & actuoſa eſt, ut eo ipſo, quo aliquid vult eſſe, ſtatim fiat atque adſit, unde præter voluntatem non indiget aliquâ potentiâ. Notandum tamen, voluntatem Dei hîc accipi *non abſolutè & intrinſecè*, ut eſt in ipſa Dei eſſentia, ſed *relativè & extrinſecè*, ut habet rationem principii producentis creaturas 2. non agi hîc de *potentia perſonali* naturaliter, & ad intra agente qualis eſt potentia generandi & ſpirandi, ſed de *potentia extrinſecus liberè agente*, quid, quãdo & quantum Deo operari viſum.

199. Q. 3. *An rectè dicatur, Deum non poſſe contradictoria?* Omnibus hoc in ore & corde eſt. quod etiam Scholaſtici probant hac ratiocinatione: *Deus ideo & inde dicitur omnipotens, quia poteſt omnia poſſibilia, quæcunque ſcilicet abſolute ſunt poſſibilia non creatæ tantùm Naturæ, ſed ſuæ ipſius divinæ Naturæ reſpectu. At quæ contradictionem implicant, non ſunt ullo modo poſſibilia, quia contradictio ponit eſſe & non eſſe ſimul. Solùm autẽ non eſſe non poteſt à Deo fieri. Quod enim fit, debet ex parte ſimile eſſe ei, à quo fit. Quod autem nihil eſt ſive non Ens, id ſimilitudinem cum Deo non habet, ſed ei repugnat, idcirco facere non Ens, non eſt potentia ſed impotentia.* Thom. p. 1. q. 24. art. 3. Implicatio contradictionis nihil aliud eſt, quàm repugnantia, ſed quod repugnat fieri *hoc impoſſibile eſt fieri.* Nos concedimus, Deum non facere ea, quæ contradictionem implicant, & quæ ſunt ſimpliciter impoſsibilia, ſed addimus, diſtinguendum eſſe inter *impoſsibilia Naturæ & impoſsibilia Naturâ.* Impoſsibilia Naturæ ſunt, quæ uſitatum Naturæ curſum ſuperant, ut Solem ſtare, ignem non urere &c. Impoſsibilia Naturâ ſunt, quæ rei definitioni & Naturæ repugnant ac implicant in ſe eſſe & non eſſe ſimul. Priora πῇ τι, poſteriora ἁπλῶς καὶ ὅλως dicunt impoſſibilia, priora igitur Deum poſſe dicimus, poſteriora non poſſe. Socinus in def. animad. p. 53. *Impoſſibile dupliciter dicitur. reſpectivè & abſolutè. Impoſſibile enim id appellatur, quod fieri ab aliquo ſeu ab aliquibus non poteſt, ipſorum videlicet reſpectu, qui id non poſſunt facere. Impoſſibile etiam dicitur id quod per ſe nulla ratione fieri aut eſſe poteſt.* Negamus verò ex noſtræ rationis principiis æſtimandum eſſe, quænam ſint verè contradictoria in fidei myſteriis, proinde urgemus hæc theoremata. 1. *Quæ Deus in Scripturis ſacris ſe facere poſſe aſſerit, ſeq; facturum promittit, ea non ſunt verè contradictoria, ſi vel maximè rationi noſtræ talia videantur.* Ratio eſt manifeſta. Quæ verè abſolutè & ſimpliciter ſunt contradictoria, ea etiam ſunt abſolutè & ſimpliciter impoſſibilia. Atqui quæ Deus in Scripturis ſacris ſe facere poſſe aſſerit, ſeque facturum promittit, ea non ſunt impoſsibilia, aliàs periclitaretur Dei veritas. Si enim eſſent abſolutè impoſſibilia, quomodo verè Deus promitteret, ſe illa præſtiturum? Ergo etiam non ſunt abſolutè & ſimpliciter contradictoria. Sic rationi noſtræ contradictorium videtur, Chriſti corpus eſſe ſimul & ſemel in pluribus locis præſens ac nihilo tamen minus eſſe verum & naturale corpus, ſed quia in inſtitutione Euchariſtiæ Deus promiſit ſe corpus Chriſti mediante benedicto pane nobis præſens exhibiturum, ideo pro abſolutè & ſimpliciter contradictorio id non eſt habendum. Vide loc. §. 127. Diſp. 10. de gloria Dei §. 9. 2. *Quæ potentia vel ſcientia humana reſpectu contradictionem implicant ac fieri non poſſunt, ea non ſtatim divinæ potentiæ reſpectu contradictionem implicare ac impoſſibilia eſſe ſtatuendum.* Ratio prioris eſt manifeſta, quia potentia humana eſt finita, ergo quæ humanæ potentiæ reſpectu contradictionem implicant & impoſsibilia ſunt, ut mortuos reſuſcitare, ea non ſtatim etiam divinæ potentiæ reſpectu contradictionem implicant ac Deo impoſsibilia ſunt, cùm ipſius potentia ſit infinita. Luc. 18. verſ. 27. *Quæ impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud DEUM.* Socinus in defenſ. animadv. p. 54. *Si apud homines idem ſignificat, quod ut hominibus videtur tunc apud Deum ſimiliter idem ſignificabit, quod ut Deo videtur, id verò impiè diceretur.* Ergo per impoſsibilia apud homines intelliguntur ea, quæ ab hominibus fieri non poſſunt, ea tamen apud Deum ſunt poſsibilia, h. e. à Deo fieri poſſunt. Ratio poſterioris peti poteſt ex Epheſ. 3. verſ. 20. Ut noſtra potentia, ita quoque noſtra ſcientia eſt finita, ergo non poteſt eſſe menſura infinitæ Dei potentiæ, fateamur igitur Deum aliquid poſſe, quod nos fieri poſſe, ſcire & inveſtigare non poſsimus. 3. *Quæ rei Naturæ & eſſentiæ non repugnant, nec partem aliquam definitionis eſſentialis tollunt, ea non ſunt inter abſolutè impoſſibilia & ſimpliciter contradictoria referenda.* Ratio eſt, quia illa tantùm implicant contradictionem, quæ cum ipſa Natura & eſſentia rei pugnant. Implicare contradictionem eſt negare & evertere eſſentiam, ac proinde in hac materia de potentia Dei circa res ad extra id implicat contradictionem quod evertit eſſentiam, vel *potentiæ divinæ*, vel *objecti*, circa quod potentia verſatur vel utriusque. Sic implicat contradictionem Deum mẽtiri, quia hoc pugnat cum ipſa Natura & eſſentia Dei veracis. Ergo à contrario ſenſu, quæ non pugnant cum ipſa rei Natura & eſſentia nec tollunt partem definitionis eſſentialem, ea non ſunt pro abſolutè impoſſibilibus, ac ſimpliciter contradictoriis habenda. Sic eſſe aliquod verum corpus & non eſſe loco externo actu circumſcriptum non ſunt contradictoria, quia locus nec eſt de eſſentia corporis nec accidens ejus neceſſarium, ut ex Ariſt. lib. 2. de cœl. c. 4. Zabarell. de Nat. ſcient. conſtit. c. 12. Scal. exerc. 5. demõſtrari poteſt. Ergo negandum non eſt Deum facere poſſe, ut ſit aliquod corpus, quod loco externo non circumſcribatur. Externo loco circumſcribi eſt corporis adjunctũ. Omne adjunctum accedit ad ſuum ſubjectum præter ejus eſſentiam. Negatâ igitur locali circumſcriptione non negatur ipſa corporis eſſentia, ſed id quod præter ejus eſſentiam accedit, h. e. ejus adjunctum Sublato autem eo, quod eſt præter eſſentiam non ſtatim tollitur ipſa eſſentia. Non ergo implicat contradictionem eſſe verum corpus & loco non circumſcribi, non enim affirmatur & negatur idem. 4. *Evidenter & apodictice demonſtrari nequit aliquid implicare contradictionem, niſi plena & perfecta cognitio illius rei, cum cujus*

Naturæ pugnare dicitur, antecedat. Ratio eſt, quia illud demum contradictionem implicat, quod cum Natura rei pugnat. Jam verò ſi vel maximè rerum creatarum aliquam (non plenā & perfectam) cognitionem nobis polliceri poſſumus, divinæ tamen eſſentiæ longè adhuc minorem & inferiorem notitiam obtinemus, ergo non debemus temerè affirmare, cum Natura rei creatæ vel etiam eum ipſa divina eſſentia aliquid pugnare, ſicque contradictionem implicare & ſimpliciter impoſſibile eſſe. Ulterius cùm longè perfectior, firmior ac certior ſit notitia, quam ex verbo revelato petimus, quàm quæ ex naturalibus principiis & rationis noſtræ ductu deſcendit, ergo quæ in verbo revelato credenda nobis proponuntur, non debent dici implicare contradictionem, quāvis ad normam principiorum naturalium & noſtræ rationis exacta talia videantur. Calv. lib. 3. Inſt. cap. 23. §. 5. *Velime* (Cœleſtinus) *Dei potentiam ſic limitatam eſſe, ut ne quid plus ad agendum valeat, quam mens ſua capiat.* Polanus in Syſt. lib. 2. cap. 29. p. 187. *Divina potentia non eſt coarctanda ad anguſtias noſtri intellectus. Multa poteſt Deus facere, quæ hominis ratio nequit comprehendere, cujusmodi eſt incarnatio Λόγου & alia fidei myſteria.* Cur ergo (malum) ex rationis ductu & conceptu tàm audacter pronunciant, Deum non poſſe facere, ut corpus unum ſit in pluribus locis? Atque ex his facilè apparet, quanta ſit protervia, quod Photiniani Calvinianorum veſtigiis inſiſtentes dicunt, *contradictionem implicare ac ſimpliciter impoſſibile eſſe, Deum eſſe in eſſentia unum, in perſonis trinum, Deum ab æterno ex ſua eſſentia generare Filium; divinam & humanam Naturam in Chriſto perſonaliter uniri &c.*

200. Q. 4. *An probanda ſit diſtinctio inter potentiam Dei abſolutam & ordinariam.* Negat Calvinus comm. in cap. 23. Eſai. lib. 1. Inſtit. cap. 16. ſect. 3. 2. Inſtit. c. 7. §. 5. *Non ingerimus* (inquit) *commentum abſolutæ potentiæ, quod ſicut profanum eſt, ita meritò deteſtabile nobis eſſe debet.* Sed ex manifeſtis Scripturæ dictis Matth. 3. v. 9. cap. 26. v. 13. extructa & ad multas quæſtiones de potentia Dei ſolvendas neceſſaria eſt hæc diſtinctio, abſolutâ enim potentiâ Deus multa poteſt facere, quæ tamen potentiâ ſuâ ordinariâ non facit. Vide loc. §. 130. 131. 132. ubi oſtendimus, quòd ordinaria Dei potentia talis dicatur, *vel reſpectu ordinis in Natura inſtituti*, vel reſpectu *reliquorum attributorum divinorum*, bonitatis ſcilicet juſtitiæ, veritatis, miſericordiæ &c. ** Armandus de Bellovifu tract. 2. cap. 9. *Potentia Dei abſoluta dicitur poſſe ſuum vel poteſtas ſua abſolutè cõſiderata ſine reſpectu habito ad aliquod attributū divinū. Potentia autē ordinata dicitur potentia Dei ordinata ad aliquod attributum vel juſtitiam, vel ſapientiam vel clementiam & ejusmodi.*** unde quidam ex ipſis Calvinianis hanc diſtinctionem amplectuntur. Polan. lib. 2. Syſtem Theol. cap. 29. p. 186. *Una tantùm eſt omnipotentia reipsâ, quia una tantùm eſt divina eſſentia, ſed tamen propter diverſos reſpectus eſt vel abſoluta vel actualis, utraque tamen activa. Abſoluta omnipotentia Dei eſt, quâ quicquid eſſe poteſt, hoc etiam facere poteſt. Dicitur abſoluta, quia non eſt limitata univerſali lege Naturæ, quaſi præter & ſupra illam Deus non poſſet Deus quicquam facere. Vocatur etiam extraordinaria, quia per illam poteſt Deus agere præter conſuetum ordinem Naturæ producendo ſe ſolo tàm effecta ſecundorum agentium quam alia, ad quæ res creatæ pertingere non poſſunt, hæc ſimpliciter eſſentialis eſt, hac abſolutè & ſimpliciter poteſt omnia, quæ abſolutè & ſimpliciter ſunt poſſibilia, h. e. quæ non implicant contradictionem & Naturæ voluntatiq; Dei non repugnant, etiamſi ea nunquam futura ſint, hac poteſt Deus pauciora quidem quàm intelligit, inter quæ & mala ſunt, ſed tamen multò plura, quam fecit vel etiam facere vult.* Alſted. in Theol. Scholaſt. ſect. 1. c. 23. reg. 5. *Diſtinctio potentiæ Dei in abſolutam & ordinariam ſive actualem ſit reſpectu voluntatis Dei. Nam voluntas Dei utitur* (*liceat ſic loqui*) *potentiâ ad nonnulla facienda, cùm ea vult: non utitur, quando non vult, licet eâ uti poſſet, ſi vellet & ſi illâ uteretur, multò plura faceret per illam quam facit.* Hæc illi. In eo tamen à veritatis tramite adhuc quidam Calviniani aberrant, quod indiſtinctè negant, Deum juxta potentiam abſolutam & extraordinariam quædam facere, ut enim duplici reſpectu dicitur potentia Dei ordinaria, ita quoque abſoluta. Si ordinaria potentia accipitur *reſpectu ordinis in Natura inſtituti*, Deus omninò agit quandoque juxta abſolutam & extraordinariam ſuam potentiam. Si verò ordinaria potentia accipiatur *reſpectu reliquorum divinorum attributorum*, Deus non agit ſecundùm abſolutam potentiam.

201. Q. 5. *An ex Dei omnipotentia in articulis fidei argumentum ſit ducendum?* Reſp. Hæretici cùm dogmata ſua ex Scriptura probare non poſſent, ad potentiam Dei abſolutam confugerunt, quod de *Sabellianis* Tertull. lib. contra Praxeam cap. 10. de *Manichæis* Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. & de *Eutychianis* Theodor. Dial. 3. cont. Eutychen memorarunt, ſed in fidei myſteriis primò omnium *de Dei voluntate* ex verbo revelato cognoſcēda ſoliciti eſſe debem⁹, quādo jam de voluntate Dei ex verbo revelato conſtat, tunc adverſarius caput illud doctrinæ cœleſtis ex verbo Dei petitum & extructum oppugnantibus rectè opponitur argumentum *à Dei omnipotentia*, unde notanter dicit Angelus Luc. 1. v. 37. *Deo non eſſe impoſſibile omne verbum*, quicquid ſcilicet ſe facturum in verbo ſuo promiſit. Si verò de voluntate Dei ex verbo nondum conſtat, ex ſola & nuda Dei omnipotentia in fidei articulis non debet quidvis colligi, unde veteres piè dicunt, ut aliquid fieri poſſe dicatur ad id ſufficere, ut Dei omnipotentia proferatur, ut autem aliquid actu fieri aſſeratur, neceſſe eſſe σύνδρομον εἶναι τῇ δυνάμει τὴν τοῦ Θεοῦ βούλησιν. Tertull. lib. adv. Praxean. c. 10. *Planè nihil Deo difficile. Sed ſi tam abruptè in præſumtionibus noſtris hac ſententiâ utamur, quidvis de Deo confingere poterimus, quaſi fecerit, quia facere potuerit. Non autem quia omnia poteſt facere, ideo credendum eſt illum feciſſe, etiam quod non fecerit. Sed an fecerit, requirendum. Potuit, ſi voluiſſet, ita ſalvus ſim, Deus pennis hominem ad volandum inſtruxiſſe, quod & milvis præſtitit, non tamen quia potuit, ſtatim & fecit. Potuit & Praxean & omnes pariter hæreticos ſtatim extinxiſſe, non tamen quia potuit, extinxit. Oportebat enim & milvos eſſe & hæreticos &c.* Sic *Apollinariſtæ* teſte Nazianzeno orat. 51. ἐπὶ τῶν λογισμῶν ἐξελεγχόμενοι καταφεύγειν ἐπὶ τὸ δυνατὸν εἶναι τῷ Θεῷ *directis rationibus confugiebant ad Dei potentiam. Ariani* contendebant, Chriſtum non eſſe Filium Dei per generationem & nativitatem, ſed per

facturam, convicti erroris ab homouſianis eò cõfugiebant, ut dicerent *per omnipotentiam Dei hoc Chriſto præſtare potuiſſe facturam, quod generatio erat datura*, ſic enim contra illos & de illo diſſerit Auguſt. in qq. Vet. ac N.T. q. 97. tom. 4. p. 769. *non voluntas verum Filium facit ſed nativitas. At*, inquiunt, *potentia Dei hoc ſubeſt, ut falſa faciat vera.* Reſpondet Auguſt. *imò potentia Dei hæc eſt, unde & omni laude dignus eſt, quia verum apud illum verum eſt, & falſum apud illum falſum eſt, nam iſtud mendacis eſt, ut falſum dicat verum, quod Deo non competit. Nam omnia quidem poteſt Deus, ſed non facit, niſi quod conveniat ejus veritati & juſtitiæ.* Pulcrè Humbert. Sylv. Candid. Epiſc. in Diſputatione adv. Græcos: *Hi*, inquit, *non invenientes quoniam ſactarum Scripturarum funiculo Scapham aſſertionis ſuæ pertrahant ad alicujus ſtabilitatis littus proluctantes pertrahuntur, in illud omnipotentiæ divinæ pelagus.* Confer Caſaub. exercit. 7. ad annal. Baron. cap. 1. Opponenda hæc ſunt *Pontificiis*, qui transſubſtantiationis figmentum probant ex eo, *quod Deus poſſit accidẽtia ſine ſubjecto conſervare*, quiq; abſurdiſſimas fabulas & aniles Monachorũ nugas de miraculis Sanctorum in Lombard. Hiſt. annotatis unicè tuentur argumento ab omnipotentia divina petito. Baron. in Hiſtoria ann. 9. idololatricum *Mariæ Lauretanæ* cultum defenſurus ac fabulam de multivaria cameræ illius translatione aſſerturus, ad omnipotentiæ aſylum unicè confugit. *Nec eſt* (inquit) *quod quis de re geſta dubitet, qui memoriâ repetat illic dictum eſſe ab Angelo: Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum.* Idem profert Turſellinus lib. 1. Hiſtor. Lauret. c. 3. Calviniani nobis tribuunt quod eodem utamur paralogiſmo, ſed inſigni nos afficiunt injuriâ. Veram n. realem ac ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam unicè ex Inſtitutionis divinæ verbis demonſtramus, ſed cùm ipſi hoc *ἀδύνατον* & contradictoriũ eſſe clamitant, tum demũ argumentum ab infinita Dei potentia ductũ illis opponimus, ac proinde non inter κατασκευαστικὰ ſententiæ noſtræ argumẽta id referimus, ſed in reſponſione ad ipſorum argumenta locũ illi damus.

202. Q. 6. *An omnipotentia Deo ita ſit propria, ut nec aſſumtæ humanæ Naturæ Chriſti communicetur?* Affirm. Calviniani, contrarium oſtẽdimus ex manifeſtis Scripturæ dictis Matth. 28. v. 18. Pſal. 8. v. 7. Dan. 7. v. 14. Johan. 17. v. 12. Epheſ. 1. v. 20. Heb. 2. v 5. Apoc. 5. v. 12. Vide Harm. de reſurr. cap. 12. Urget Polanus quatuor ratiunculas: 1. *Nulla res creata eſt Deus.* Reſp. *eſſentialiter*, interim Chriſtus ſecũdùm hum. Nat. eſt verè Deus ac Dei Filius *perſonaliter*. 2. *Nulla res creata eſt infinita.* Reſp. humana Chriſti Nat. in infinitam Λόγου hypoſtaſin eſt aſſumta & ad infinitam Dei dextrã evecta. 3. *Nulla res creata capax eſt infinitæ virtutis, quicquid enim recipitur, recipitur per modum recipientis non per modum recepti.* Reſp. Diſtinguendum inter *capacitatem unionis & quantitativæ ac phyſicæ comprehenſionis.* Ut humana Chriſti Natura per unionem capax eſt infinitæ ὑποστάσεως τοῦ Λόγου, ſic etiam per communicationem capax eſt infinitæ virtutis, non phyſicè, non quantitativè, ſed hypoſtaticè, myſticè, hyperphyſicè &c. 4. *Nulla eſt creata ſubſtantia, quæ in ſuis actionibus impediri, & ſuâ etiam agendi virtute privari non poſſit.* Reſp quamdiu durat perſonalis unio, tamdiu humana Chriſti Natura agendi virtute privari nequit, non enim ſeorſim & ſola operatur, ſed Λόγος in ea, cum ea & per eam operationes edit, ac virtus illa agendi non eſt ſeparata & propria humanæ Naturæ virtus, ſed ipſa τοῦ Λόγου omnipotentia per aſſumtam carnem ſeſe efficaciter exercens. Atqui unio eſt perpetua & indiſſolubilis. Ergo.

203. Q. 7. *An Dei omnipotentia poſſit agere in non Ens?* Scal. exerc. 365. ſect. 8. ſcribit: *Supra humanum ingenium eſſe illam quæſtionem, ac tanta ſubtilitatis ut humani captus ambitum & faſtigium excedere videatur.* Reſpondet autem ad eam affirmatè: *Si providet cognitionis anticipatione ea, quæ non ſunt, ſi iſta ipſa ſibi vendicat non minùs quam ea quæ ſunt, in ea quoq; agit. In ipſa quoque creatione cùm terminus à quo nullus ſit, ſubjectum enim ſubeſt nullum, videtur omnipotentia Dei agere in non ens, quando facit ut ſit Ens.* Sic ergo procedimus, agit Deus in non ens *objectivè* per præſcientiam, quia præſcit futura contingentia quæ nondum ſunt, agit in non Ens *effectivè*, tùm ratione termini à quo, per creatricem potentiam; ex non ente enim, ſive ex nihilo producit ens, tùm *ratione termini ad quem*, quia totum hoc univerſum exceptis rationalibus creaturis, in nihilum rediget.

204. Q. 8. *An Deus poſſit melius facere quod fecit, quam quomodo fecit?* Diſting. 1. inter potentiam Dei *abſolutam & ordinariam*. 2. inter melius facere *eſſentialiter* & *accidentaliter*. Vide Gregor. de Valent. comment. in Thom. tom. 1. Diſp. 1. q. 25. punct. 3. Scal. exerc. 249. ſect. 3. ſic progreditur: *Deus quidem poteſt facere ſemper aliquid melius, ſed res ipſa non poteſt ſuſcipere illam infinitatem. Eſſentia enim cujusque rei conſiſtit in indiviſibili, nec ex parte Dei agentis, ſed ex parte objecti quærenda eſt cauſa, cur res creata non poſſit ſemper melior fieri eſſentialiter. Neque tamen propterea Deo potentia infinita otioſè ac fruſtra tribuitur, quamvis non producat infinitum effectum. Non enim* (inquit Scalig.) *hic eſt, ut in rebus noſtratibus. Fruſtra namq; hic apud nos eſt potentia, quæ non habet, in quod exerceatur, nam potentia hic & actus ſunt relativa, at Dei potentia, ad nihil refertur, ſed ſua ſolius eſt & ipſa ſibi & hoc, quod eſt, & hoc omne, quod ſunt omnia. Adde quod licet Deus non producat effectum actu infinitum, tamen infinitâ poteſtate in producendo effecto finito agit, quia ex nihilo omnia producit.*

205. Q. 9. *An Deus poſſit facere, ut præterita contingentia non fuerint.* Reſpondent Scholaſtici: Poteſt à Deo fieri ut præterita contingentia ſimpliciter *& in ſenſu diviſo* non fuerint, v.g. ut Cain nunquam vixerit, non tamen *in ſenſu compoſito*, h.e. poſito quod fuerint. Nam præterita contingentia ſimpliciter non fuiſſe, abſolutè eſt poſſibile, cùm fuerint contingentia, at poſito quod fuerint, ea fuiſſe & non fuiſſe, implicat contradictionem, ac proinde fit impoſſibile. Auguſt. lib. 26. contra Fauſtum cap. 5. *Quisquis ita dicit, ſi omnipotens eſt Deus, faciat, ut quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt ſe hoc dicere. Si omnipotens eſt Deus, faciat ut ea quæ vera ſunt, eo ipſo, quo vera ſunt, falſa ſint.* Anshelm. lib. 2. Cur Deus homo c. 12. *Cùm Deus fecit aliquid poſtquam factum eſt, jam non poteſt non eſſe factum, ſed ſemper verum eſt factum eſſe.*

206. Uſus hujus doctrinæ eſt παρακλητικός. *Uſus doctrinæ de Dei omnipotentia.*
Cum Deus verè ſit omnipotens, ideò ex omnibus periculis

periculis & adverſis nos eripere, adverſus quosvis infenſiſſimos hoſtes tueri, preces noſtras exaudire, ad hanc & futuram vitam neceſſaria conferre, viribus nos inſtruere, ex ipſa morte eripere & fruſtrà tenitentibus Diabolis omnibus ad vitam introducere poterit. Johan. 10. verſ. 29. *Nemo poteſt oves de manu Patris cæleſtis eripere.* Rom. 8. v. 38. *Certus ſum, quod neque mors, neque vita &c. nec ulla creatura ſeparare nos poſſit a charitate Dei.* 2. Tim. 1. verſ. 12. *Certus ſum, quia potens, eſt depoſitum meum ſervare in diem illum.* Pulcrè Philo: *Ubi deſinit humanum auxilium, ibi incipit divinum.* Fulgent. lib. 1. ad Monim. *Nulla eſt in promiſſis Dei falſitas, quia nulla eſt in faciendis difficultas aut impoſſibilitas.* Hæc ergo ſunt duo ſolidæ fiduciæ & omnis conſolationis fulcra. Dei paterna benevolentia & ejuſdem omnipotentia.

207. 3. νυθετικῶς. Cùm Deus ſit omnipotens, caveamus ne potentiæ ejus limites ac terminos ſtatuamus, quin potiùs grato corde & ore prædicemus nos talem habere in cœlo Patrem, cujus *immenſa eſt finemq; potentia neſcit.* Pſal. 150. v. 2. *Laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.* Eccleſ. 43. verſ. 30. *Glorianies ad quid valebimus? ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua.* verſ. 31. *terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipſius* verſ. 32. *glorificantes Dominum, quantumcunque poteritis, ſupervalebit adhuc & admirabilis magnificentia ejus &c. Humiliemus etiam nos ſub potenti manu Domini* 1. Pet. 5. verſ. 6. in ipſum utpote omnipotentem Patrem omnem cordis fiduciam collocemus, filiali timore nos ei ſubjiciamus, & cum Apoſtolo δοξολογίαν illam quotidiè ingeminemus. Epheſ. 3. verſ. 20. *Ei qui ſumma cum exuperantia poteſt omnia facere ſuper ea quæ petimus aut cogitamus pro vi illa in nobis agente.* verſ. 21. *illi ſit gloria in Eccleſia per Chriſtum Jeſum in omnes ætates ſeculi ſeculorum.* Et 1. Pet. 5. verſ. 10. *Deus omnis gratiæ qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in CHRISTO Jeſu modicum paſſos integros nos reddet, ſtabiliet, roborabit, fundabit,* verſ. 11. *ipſi ſit gloria & robur in ſecula ſeculorum.*

Sectio X.

De DEI bonitate.

De bonitate Dei. 208. Theſis. *Deus & verè bonus & ſolus bonus & omnis bonitatis cauſa.* Verè bonus eſt, quia eſt ſummum bonum, nihil mali admixtum habens. Solus bonus eſt teſte Chriſto Matth. 19. verſ. 17. quia eſſentialiter, immutabiliter, ſingulariter, originaliter, perfectè à ſeipſo bonus eſt. Omnis boni cauſa eſt, quia ut ſummum Ens reliquis entibus dat eſſe, ita ſummi illius participatione bonum eſt quicquid in creaturis bonum. Vide loc. §. 136. Probat hoc 1. *Scriptura* 1. *affirmativè*, quando Deum eſſe bonum prædicat & bonitatem ejus commendat. Pſal. 25. verſ. 8. טוב וישר *bonus & rectus eſt Dominus.* 2. *negativè*, quando negat in ipſo quicquam eſſe mali. Pſal. 92. v. 16. *Rectus Dominus & non iniquitas in eo.* Deut. 32. v. 4. הַצּוּר *petra, perfectum eſt opus* (תָּמִים integrum & abſque macula) *nam omnes viæ ejus judicium, Deus veritas eſt & non iniquitas, juſtus & rectus ipſe.* 3. *ſymbolicè*, quando celebrat πλοῦτον divitias bonitatis divinæ Rom. 2. v. 4. Sic 1. Joh. 1. v. 5. *lux eſt & tenebræ non ſunt in eo ullæ.* 4. *effectivè*, quando omnia Dei opera eſſe bona prædicat, Gen. 1. verſ. 31. &c. Vide loc. §. 137. & ſeqq. 2. *Ratio.* 1. *à ſumma Entitate.* 2. *a creaturarum bonitate.* 3. *a perfectione.* Bonitas à qua unumquodque dicitur bonum nihil aliud eſt, quàm cujusque rei perfectio Thom. p. 1. q. 6. art. 3. tantum ergo quæque res habet bonitatis, quantum perfectionis. Vide loc. §. 140. 3. Accedunt *Patrum dicta.* Dionyſ. de div. nomin. cap. 4. *Deus omnium bonum, ſicut ex quo omnia ſubſiſtunt.* Nazianz. orat. 2. de filio τὸ ἄκρως ἀγαθὸν μόνῳ τῷ Θεῷ August. de Natur. boni cap. 1. *Solus Deus eſt ipſa bonitas, ſolus eſt immutabiliter bonus, ſolus eſt omnis boni bonum, ſolus eſt bonitatis cauſa omnibus quæ ſunt bona.* lib. 8. de Trinit. cap 3. commemoratis variis bonitatis ſpeciebus in creaturis ſubjungit; *Tolle hoc & illud, & vide ipſum bonum ſi potes, ita Deum videbis non alio bono bonũ, ſed bonũ omnis boni &c. Nulla eſſent commutabilia bona, niſi eſſet incommutabile bonum. Cùm itaque audis bonum hoc & bonum illud, quæ poſſunt alias dici etiam non bona, ſi potueris ſine illis, quæ participatione boni bona ſunt, perſpicere ipſum bonum, cujus participatione bona ſunt, ſimul enim & ipſum intelliges, cùm audis hoc aut illud bonum. Si ergo potueris illis detractis per ſeipſum perſpicere bonum perſpexeris Deum.* in comm. Pſal. 134. *Bonus Dominus ſed bonus non ut ſunt bona, quæ fecit cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt, bona fecit, ipſe propriè bonum a quo ſunt cætera bona, omnia enim ipſe fecit, ipſe eſt bonus quem nemo fecit. Ille bono ſuo bonus eſt, non aliunde participato bono, ipſe non eguit, a quo fieret bonus, ſed eguerunt illo cætera, ut fierent bona.* Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 1 ἀγαθὸς ὢν ὁ Θεὸς, παντὸς ἀγαθοῦ παρεκτικός ἐστιν· ὁ φθόνῳ οὐδὲ πάθει τινὶ ὑποκείμενος· μακρὰν γὰρ τῆς θείας φύσεως τῆς ἀπαθοῦς καὶ μόνης ἀγαθῆς φθόνος. lib. περὶ τοῦ τρισαγίου fol. 510. Deum vocat τὸν ἀορίστως καὶ ἀπεριγράπτως ἀγαθὸν καὶ ὑπεράγαθον. Priſcorum Philoſophorum dicta, quibus bonitatem Dei extollunt, vide in loc. §. 141. Juſt. de Monarch. Dei p. 82. ex Orpheo adducit dictum, οὗτος δ' ἐξ ἀγαθοῖο κακὸν θνητοῖσι δίδωσι: *Hic bonus exundansq; bonis generi mala noſtro immittit &c.* p. 84. ex Euripidis Bellerophonte: εἰ θεοὶ δρῶσι κακὸν οὐκ εἰσὶ θεοί.

Antitheſis 209. Antitheſis. Bonitatem Dei labefactant 1. *Cerdoniani* à Cerdone denominati, *qui duo principia ſibi adverſantia dogmatizarunt, Deumq; legis ac Prophetarum non eſſe Patrem Chriſti, nec bonum Deum eſſe nec juſtum, Patrem verò Chriſti bonum. Quidam verò in duobus principiis ſuis duos Deos, ita eos dixiſſe perhibent, ut unus eorum eſſet bonus, alter autem malus.* Auguſt. de hæreſib. ad Quodvultd. hæreſ. 21. 2. *Marcionitæ*, qui Cerdonis dogmata de duobus principiis ſunt ſecuti, quamvis Epiphan. referat Cerdonẽ tria aſſeruiſſe principia: *bonũ, juſtum, pravũ*, idem hæreſ. 22. 3. *Manichæi*, qui *duo principia* inter ſe diverſa atq; adverſa eadẽq; æterna & coæterna ſtatuerunt, *duasq; Naturas atq; ſubſtantias boni ſcil. & mali*, earumq; inter ſe pugnã & commixtionem introduxerunt. Idẽ hæreſ. 46. 4. *Calviniani*, per varias hypotheſes: 1. de abſoluto reprobationis decreto abſq; ullo ad incredulitatẽ intuitu. 2. de abſoluto electionis decreto, p quod bona & beneficia Dei ſalutẽ hõinũ ſeriò expetẽtis volũtas ad paucos reſtrĩgitur.

Exegeſis 3. de ab-

3. de abſoluto lapſus Adamici decreto. 4. de abſoluta & fatali omnium rerum & actionum neceſſitate. 5. de cauſa peccati ad Deum relata, Vide Diſp. 5. de gloria Dei §. 20. uſque ad 29. 5. *Pontificii* per ſuã hypotheſin, quod concupiſcentia prava in primo homine ex materiæ conditione ortum ducat. Quod enim ex materiæ conditione oritur, illud Deo Naturæ autori rectè tribuitur. Si ergo concupiſcentia prava oritur in homine ex materiæ conditione, utique erit à Deo humanæ Naturæ autore, qui mali alicujus autor hac ratione ſtatuitur. Vide Diſp. 2. de glor. Dei th. 1. & 2. 6. *Photiniani*, quando Deum peccati cauſam ſtatuunt, quicquid tandem prætexant. Catech. Racov. p. 306. *Deum ipſum fuiſſe, qui in peſſimis actionibus Pharaone & Juda hoc ipſo, quidem ſine uti voluerit.* Schmaltz. contra D. Frantz. p. 426. *Deum per diabolum compellere homines ad ſcelera perpetranda.* Vid. omnino locum & p. 430.

Quæſtiones de Dei bonitate. 210. Q. 1. *An ſolus Deus per eſſentiam bonus?* Aliud eſt rei eſſentiam eſſe bonam, aliud verò rem per ſuam eſſentiam eſſe bonam. Cujuſlibet rei creatæ eſſẽtia eſt bona. unde de ipſo Diabolo omnis mali autore Auguſtinus dicit, *Diabolus in quantũ eſt, bonus eſt, omnis Natura in quantum eſt, bona eſt.* de Nat. bona cap. 1. ſed nulla res creata per ſuam eſſentiam, h. e. per ſeipſam & à ſeipſa eſt bona. Si enim per ſuam eſſentiam eſſet bona, tunc eſſet bona eſſentialiter, ſi eſſentialiter eſſet bona, vi ſuæ Naturæ & eſſentiæ eſſet bona, nec aliunde participatam haberet bonitatem, nec poſſet perfici per accidentia, quorum nihil de creatura accidentaliter, mutabiliter, imperfectè & participativè bona dici poteſt, unde rectè concludunt Scholaſtici: *Solum Deum per eſſentiam eſſe bonum.* Hackerus tom. 1. tract. 2. comm. in Thom. q. 6. num. 7. ſic diſtinguit: *Aliquid per eſſentiam eſſe bonum duplici modo intelligi poteſt. 1. ita ut bonitas non ſit accidens aliquod rei extrinſecus adveniens, ſed ſit ipſi intrinſeca & eſſentialis. 2. ut res non tantum ſit bona bonitate ſibi intrinſeca & eſſentiali, ſed etiam ut ſit talis virtute ſolius eſſentiæ & ſine ullo ordine dependentiæ ab aliqua cauſa extrinſeca.* Modo priore creaturæ ſunt per eſſentiam bonæ, non autem poſteriore.

211. Q. 2. *An omnia ſint bona bonitate divina?* Reſp. Thom. p. 1. q. 6. art. 4. res creatas appellari bonas à bonitate propria *intrinſecè & formaliter*, à bonitate Dei tanquam *cauſâ efficiente, exemplari & finali* totius bonitatis *extrinſecè & cauſaliter.* Hackerus ex eo colligit, *ut aliquid ſit & dicatur bonum neceſſe eſſe, ut habeat bonitatem ſibi formaliter convenientem & intimam, quod obſervandum dicit contra ſectarios, qui fingunt, hominem bonum, ſanctum & juſtum bonitate tantùm extrinſecâ, ſanctitate & juſtitiâ Chriſti.* Eodem modo progreditur Greg. de Valent. tom. 1. Diſp. 1. q. 20. punct. 3. *Fieri non poteſt, ut quis pro aliquo tempore dicatur de novo à Deo diligi, niſi pro eodem tempore incipiat donum habere ſibi a Deo communicatum, quia hujus novitatis oportet eſſe aliquam cauſam, ea verò in Deo non eſt, ipſe enim immutabilis, ergo in homine dilectionis illius objecto, ergo juſti non niſi qui donum aliquod ipſis inhærens formaliter ſunt juſti.* Reſp. 1. agnoſcimus etiam in piis intrinſecam quandam bonitatem & juſtitiam, ſed imperfectam. 2. quæ cùm judicio Dei opponi nequeat, requiritur omninò perfecta bonitas & juſtitia ipſius ſcilic. Chriſti. 3. quam cum per fidem nobis imputari Scriptura aſſerit, nequaquam cogitandum eſt, hanc imputationem eſſe extrinſecam duntaxat & inefficacem relationem, proficiſcitur enim â Deo qui vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα Rom. 4. v. 17. correſpondet imputationi peccatorum noſtrorum factæ Chriſto 2. Cor. 5. v. 21. & effectus reales ac poſitivos ſecum affert tranquillitatem ſcilicet conſcientiæ, renovationem interiorem & vitam ac ſalutem æternam. Vide loc. de Juſtif. §. 234.

212. Q. 3. *Quomodo creaturarum bonitas ſit in Deo?* Reſp. 1. *formaliter*, ſi conſideretur ratio communiſſima boni, quæ eſt ſimplex & abſoluta perfectio, 2. *eminenter*, ſi conſideretur bonum creatum in ſpecie, h. e. ad certam Entis ſpeciem reſtrictum, 3. *efficienter*, quatenus Deus eſt omnis boni cauſa & totam boni latitudinem complectitur, 4. *exemplariter*, quatenus norma ac regula bonitatis in ſumma illa divina bonitate proponitur. 5. *finaliter* quatenus Deus ut ſummum bonum creaturas rationales ad ſui appetitum ac deſiderium allicit *& omnia fecit propter ſeipſum.* Proverb. 16. v. 4.

213. Q. 4. *An Filius per eſſentiam bonus?* Reſp. omninò, quia per eſſentiam ſive eſſentialiter eſt unus verus cum Patre Deus. Contra Photin. ſic inferunt: Quod per participationem bonum eſt, non eſt bonum per eſſentiam, ut patet in creaturis. At Filius per participationem bonus eſt, quia Pater per æternam generationem ut eſſentiam ita quoque bonitatem Filio communicat. Ergo. Ad majorem reſp. diſtinguendo inter participationem ſive communicationem *ad intra*, quæ eſt æterna ipſius eſſentialis bonitatis communicatio facta ineffabili & incomprehenſibili modo per generationem alteri ſecundùm Naturam & eſſentiam non diverſo, ſed eidem & inter participationem ſeu cõmunicationem *ad extra*, quâ Deus in tempore rivos bonitatis ſuæ in creaturas ſecundum Naturam & eſſentiam à ſe diverſas per creationem dimanare fecit. Priori communicationis modo Filius habet participatam bonitatem, non autẽ poſteriore. Jam verò ex priore modo nequaquam poteſt inferri Filium per eſſentiam non eſſe bonum. Ut enim in humanis Filius eſt per eſſentiã homo, licet humanitatem à Patre communicatam habeat: ſic multò magis in divinis Filius eſt per eſſentiam bonus, licet bonitatem à Patre per generationem communicatam habeat.

214. Q. 5. *Quomodo cum bonitate Dei conveniat, quòd cum perverſo dicitur perverti?* Pſal. 18. verſ. 27. Reſp. pervertitur cum perverſo non mutando eſſentialem ſuam bonitatem, ſed vindicando ac puniendo impiorum perverſitatem eosq́ue ſic tractando, ut pro perverſo ab ipſis habeatur. Hieron. in c. 6. Eccleſ. *Deus perverſus eſt apud eum, qui ſuâ voluntate fuerit ante perverſus, juxta illud quod ſcriptum* in Levit. c. 26. *Si ambulaverint ad me perverſi, & ego ambulabo ad eos perverſus in furore meo.* Declarat id exemplo Solis, cujus operatio liquefacit ceram, lutum exiccat. Deſumſit hoc ex Orig. homil. 2. in Cant. ibi latius illa ſimilitudo explicatur: *Sol juſtitiæ quos rectis cordis invenerit, illuminat, & cum fulgere circumdat, eos autem qui obliquè incedunt cum eo, neceſſario etiam ipſe non tam obliquè reſpicit, quâm deſpicit, hoc eis præſtatur inſtabilitate ſua.* Auguſt. in Pſal. 72. *Perverſum ſe putabit perverſus, non quod ullo modo pervertatur Deus.*

215. *Uſus*

Uſus practicus doctrinæ de Dei bonitate.

215. *Uſus practicus.* 1. *Conſolatorius.* Bonus eſt Deus & per eſſentiam bonus, ergo non obliviſcetur ſuæ bonitatis. Peccatorum noſtrorum obliviſcitur, ſed bonitatis ſuæ non poteſt obliviſci, quia eſt ipſa ejus eſſentia. Bonus eſt Deus & fons omnis boni, quicquid ergo à Deo ad nos deſcendit, non poteſt non eſſe bonum. Diligentibus Deum, omnia ètiam ipſa adverſa à bono Deo immiſſa *cooperantur in bonum* Rom. 8. v. 28. Eccur igitur in adverſis divinitùs immiſſis non agnoſcimus ex Pſal. 119. verſ. 71. *bonum nobis eſſe, quod Dominus corripiat nos?* Thren. 3. verſ. 25. *Bonus Dominus expectantibus eum, animæ quæ quæſiverit eum* Nah. 1. verſ. 7. *Bonus eſt Dominus fortitudo in die anguſtiæ, ſciens (cognoſcent & paternè curant, quia verba notitiæ connotant affectum) ſperantes in eum. Deus eſt omne bonum* Exod. 33. verſ. 19. *& ſummum bonum,* ergo *timentibus Deum non deerit omne bonum.* Pſal 34. verſ. 11. *Quærentes Dominum, non deficient omni bono.* 2. *Exhortatorius* 1. *ad hoc ſummum bonum amandum.* Deus eſt omne bonum, extra illum igitur fruſtra quæritur bonum, cui amore inhæreas. Si radium exiguum divinæ bonitatis in creatura amas, ſi guttulam hujus fontis cupidè deſideras, quare Solem ipſum & fontem perennem bonitatis non amabis? Omne creaturarum bonum eſt imperfectum, eſt mutabile, eſt particulare, Deus eſt bonum perfectum, immutabile & univerſale, neglecto igitur imperfecto, mutabili & particulari bono ama perfectum, immutabile & univerſale bonum, in cujus amore nec tædium, nec ſatietas, nec pœnitentia locum habere poſſunt. *Ama unum bonum, in quo ſunt omnia bona & ſufficit tibi.* Anſh. in proſol. cap. 25. Invento & percepto ſummo illo bono ceſſat deſiderium aliorum bonorum, quia *veniente perfecto ceſſat imperfectum* 1. Cor. 13. verſ. 10. *Quærendum eſt*, inquit Auguſt. lib. 8. de Trinit. cap. 3. *animæ bonum, non cui ſupervolitet judicando, ſed cui inhæreat amando, & quid hoc niſi Deus &c. ſi potueris detractis illis, quæ participatione boni bona ſunt, per ſeipſum perſpicere bonum, perſpexeris Deum, cui ſi amore inhæſeris, continuo beatificaberis. Pudeat autem cùm alia non amantur, niſi quia bona ſunt eis inhærendo non amare bonum ipſum unde bona ſunt.* Si ſingula bona delectabilia ſunt & amabilia, quàm ſuave quàm delectabile erit illud bonum, quod continet ſuavitatem omnium bonorum? *Guſtate igitur & videte,* טוב *bonus quam ſit Dominus, Beatus vir, qui ſperat in eo* Pſal. 34. verſ 9. Cur per creaturas oberramus, ut aliquot guttulas bonitatis colligamus, quibus oblectemur, quibus animæ deſiderium ſatiemus, cùm in Deo ſit inexhauſtum pelagus omnis boni, quod ſolum animæ noſtræ ſitim reſtinguere poteſt: qui hoc bono fruitur, illi nullum bonum deerit, illius anima in bono ſatiabitur Pſal. 17. v. ult. ille cum gaudio exclamabit Pſal. 73. verſ. 1. *Quàm bonus Iſraeli Deus his qui recto ſunt corde.* Breviter ex Auguſt. lib. 1. de morib. Eccleſ. Cathol. cap. 8. concludimus: *Bonorum ſumma Deus nobis eſt, Deus eſt nobis ſummum bonum. Neque infra nobis remanendum, neque ultra quærendum, alterum enim periculoſum, alterum nullum.* 2. *ad ſummum illud bonum laudandum.* Ex amore & deſiderio ſummi boni naſcitur ejus prædicatio, quod enim corde amatur, illud ore prædicatur. Dicamus ergo cum omnibus ſanctis 2. Paral, 5. verſ. 13. Eſd. 3. verſ. 11. Pſal. 106. verſ. 1. *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Pſal. 135. verſ. 3. *Laudate Dominum, quia bonus eſt Dominus, cantate nomini ejus, quia jucundum,* in quæ verba ſic commentatur Auguſtinus: *Cùm Deus bonus ſit & bona omnia fecerit, multoq; ſit melior, qui fecit quam iſta, quæ fecit, non invenies meliùs, quod de illo dicas, niſi quia bonus eſt Dominus, ſi tamen intelligas propriè bonum, à quo ſunt cætera bona &c. Ineffabili dulcedine teneor, cùm audio bonus Dominus, colluſtratisq; omnibus & conſideratis, quæ forinſecus ſunt, iſta non laudo ſine illo, illum autem ſine iſtis perfectum, non indigum, incommutabilem, nullius bonum quærentem, quo augeatur, nullius malum timentem, quo minuatur, invenio. Si ergo quicquid aliud laudamus, ideo laudamus, quia bonum eſt, nulla tibi major cauſa & melior & firmior dari potuit, quare laudes Deum, niſi quia bonus eſt.* In omnibus creaturis poſuit Deus bonitatis ſuæ veſtigia, ut omnes ad decantandam Deo laudem nos excitarent. In hac vita ut Deum nondum perfectè agnoſcimus, ſic nec perfectè amamus. Ut non perfectè amamus, ſic nec perfectè laudamus, ſed in æterna vita ſummi hujus boni erit perfecta agnitio, perfecta dilectio, perfecta laudatio. Auguſt. lib. 22. de civit. Dei cap. 30. *Præmium virtutis erit, qui virtutem dedit, eiq; ſeipſum, quo melius & majus nihil poſſit eſſe, promiſit. Quid enim aliud eſt, quod per Prophetam dixit, Ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi plebs, niſi ego ero, unde ſatientur, ego ergo ero, quæcunque ab hominibus honeſtè deſiderantur & vita, & ſalus, & victus, & copia, & gloria, & honor, & pax, & omnia bona, ſic enim & illud rectè intelligitur, quod ait Apoſtolus, ut ſit Deus omnia in omnibus ipſe erit finis deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine defatigatione laudabitur.* 3. *ad peccatum vitandum.* Deus eſt ſummum bonum, caveamus igitur illud peccatis offendere. Iniquiſſimum profectò eſt, illi à quo omne ad te deſcendit bonum, referre malum, cùm ipſa lex Naturæ doceat, gratiam gratiæ & bonum bono cōpenſandum. Damnati in inferno graviſſimos ex eo cordis angores ſentient, quòd bonum illum Deum, à quo omne bonum acceperunt, peccatis ſuis tàm protervè ac pervicaciter offenderint. Ut autem conſideratio ſummæ bonitatis in DEO ad peccatum quodvis vitandum nos commoveat, ſic peculiariter ab invidia nos revocet. A Deo omnia in nos & proximum noſtrum deſcendunt bona, qui proximo invidet, Deo ipſi donorum largitori adverſatur ac verè eſt θεομάχος Matth. 20. verſ. 5. Denique non ſolùm ad malum vitandum, ſed etiam ad bonum imitandum per divinæ bonitatis meditationem excitemur. Bonus Deus eſt & regula atque exemplar omnis boni, ad illum non niſi bonis actionibus appropinquamus. Bonum eſt ſui diffuſivum & communicativum, ſi bono Deo ſimiles eſſe cupimus, noſtrum quoque bonum aliis communicemus: *Fac bonum de bono, unde non es verè bonus, ut vera bona acquiras,* inquit Auguſtinus ſerm. 5. de verb. Dom.

Exegeſis

Sectio XI.

DE DEI miſericordia.

De Dei miſericordia.

216. Theſis. *DEUS ut eſt ſummè bonus ita & ſummè miſericors.* Bonitas & miſericordia Dei ex Natura rei non differunt, ſed ratione noſtri conceptus bonitas tanquam cauſa à miſericordia tanquam effectu diſtinguitur. Anshelm. proſol. cap. 9. *Verè in altiſſimo & ſecretiſſimo bonitatis tuæ latet fons, unde manat fluvius miſericordiæ tuæ.* Bonitas eſt attributum abſolutum, miſericordia relativum, reſpectum enim habet ad miſeriam in creaturis quam ſublevat. Deus non ſolùm in ſe bonus eſt, ſed etiam bonitatem ſuam extra ſe diffundit & communicat, quæ reſpectu hujus communicationis dicitur *Benignitas.* Ea eſt vel *generalis* vel *ſpecialis.* Generalis eſt, quæ ad omnes creaturas ſe extendit, quas ex gratia & bonitate condidit & adhuc conſervat, confert illis neceſſaria ad finem obtinendum, dirigit eas in ſuis actionibus &c. Pſal. 33. verſ. 5. חסד *benignitate Domini plena eſt terra.* Pſal. 36. verſ. 7. *hominem & animal ſervabis Domine.* Specialis eſt quâ creaturas rationales amore ſibi adhærentes, ſanctos ſcilicet Angelos & homines pios. Homines conſiderantur vel *ante lapſum* in ſtatu innocentiæ, vel *poſt lapſum* in ſtatu corruptionis. In priore ſtatu paterno favore eos complexus eſt Deus & dilectos ſuos liberos ac cœleſtem hæreditatem illis promiſit, ſed ſub conditione filialis obœdientiæ, & in bono perſeverantiæ. In poſteriore ſtatu miſericordiâ Deus erga miſerum genus humanum ductus fuit, neque penitus à facie ſua illud, utpote plaſma ſuum projecit, ſed ex ineffabili dilectione Filium redemtorem hominibus ab æterno mittere decrevit, eundem in temporis plenitudine miſit, ejusq; beneficia in verbo & Sacramentis omnibus offert. Quotquot igitur verbum audiunt & mediante Spiritus ſancti operatione veram in Chriſtum fidem ex eo concipiunt, illos ſpeciali amore & favore complectitur. à malis eos liberat, omnis generis bonis cumulat, & tandem vitæ æternæ heredes ſcribit. Auguſtin. tract. 110 in Johan. *Omnia diligit Deus quæ fecit, & inter ea magis diligit creaturas rationales, & in illis eas amplius, quæ ſunt membra unigeniti ſui & multò magis ipſum unigenitum ſuum.* Ab hoc ſpeciali amore quamvis impii & impœnitentes ſint excluſi, tamen fores gratiæ in hac vita ipſis adhuc patent, donec in extremo judicio *janua ipſis claudetur* Matth. 25. verſ. 10. à facie Domini cum omnibus Diabolis in foveam infernalem ipſis projectis verſ. 41. Ut autem benignitas ita quoque gratia, miſericordia, amor Dei in generalem & ſpecialem diſtinguenda ſunt.

Probatur Dei miſericordia.

217. De miſericordia Dei teſtantur 1. dicta *Scripturæ,* 1. in quibus dicitur *miſerator & miſericors* Exod. 34. verſ. 6. *ac miſericordia ejus magna* 2. Sam. 24. verſ. 14. *æterna.* 2. Paral. 5. verſ. 13. *ardens & accenſa* dicitur Oſe. 11. verſ 8. &c. Jac. 5. v. 11. dicitur πολύσπλαγχνος καὶ οἰκτίρμων. 2. in quibus *gratia* ipſius celebratur Geneſ. 6. v. 9. Exod. 33. verſ 19. &c. 3. ipſius *clementia* 2. Paral 36. verſ. 10. &c. 4. ipſius χρηστότης ac φιλανθρωπία Tit 3. verſ. 4. 5. ipſius *amor & caritas* Deut. 33. verſ. 3. 6. ipſius *patientia & longanimitas* propter quam dicitur ארך אפים *longus iræ tardus naribus* Exod. 34. verſ. 6. (Qui anguſtis ſunt naribus citiùs fumos concipiunt ex cordis æſtu aſcendentes & cum impetu efflant propter meatuum anguſtias, at quo latiora ſunt narium foramina, eò plus frigidi aëris concipitur ad refrigerandum cor & tales homines ſunt Naturâ placidiores ac manſuetiores ad quam metaphoram in hac appellatione reſpectus habetur.) 7. in quibus vocatur noſter *pater.* 7. denique omnia *Dei opera* de ipſius benignitate & miſericordia teſtantur. Vide loc. §. 137. Docendi causâ hæc omnia ſic diſtinguuntur ratione *effectorum* & *objectorum* cùm ratione *principii agendi* in Deo ſint omnia ταὐτὸ τὶ. *Gratia Dei* eſt benigniſſima ejus voluntas, quâ gratis favet & benefacit ſuæ creaturæ. *Miſericordia Dei* eſt propenſiſſima ejus voluntas, quâ cordi ipſi eſt miſeria hominis, quam benevolè ſublevat. *Clementia Dei* eſt paterna ejus voluntas, quâ in ira miſericordiæ ſuæ recordatur, ac parcit homini etiamſi aliter ſit meritus. φιλανθρωπία DEI eſt amica ipſius voluntas, quâ præ creaturis reliquis hominem diligit, ipſi favet & delicias ſuas in eo habet. *Amor Dei* eſt benefica voluntas, quâ creaturas à ſe conditas complectitur, in illis ſe oblectat & bona illis confert. *Patientia* eſt; quâ Deus creaturas rationales adverſus ſe peccantes ſuffert, iram moderatur, pœnam differt, converſionem earum expectat, nec iram ſuam totam effundit &c. 2. Quamvis verò de miſericordia & gratia Dei generali *ratio* ex effectis aliquid colligere poſſit, tamen myſterium illud de ſpeciali miſericordia in Chriſto & propter Chriſtum Mediatorem hominibus oblatâ penitus ignorat, unde vocatur *ſecretum Domini* Pſal. 25. verſ. 14. *ſtupenda juſtitia* Pſal. 65. verſ. 6. *myſterium æternis temporibus tacitum* Rom. 16. verſ. 25. &c.

218. 3. *Patres* ſuaviſſimè de miſericordia Dei θεολογοῦσι. Ignatius Epiſt. 3. ad Magneſ. μὴ ἀναισθητοῖμεν τῆς χρηστότητος· ἐὰν μιμήσηται ἡμᾶς καθὰ πράσσομεν, οὐκ ἔτι ἐσμέν, ἐὰν γὰρ ἀνομίας παρατηρήσῃ κύριε τίς ὑποστήσεται. Juſtin. in Epiſt. ad Diognet. p. 386. *Deus benignitate ſuâ nos fidem habere voluit, ipſum exiſtimare altorem, patrem, Magiſtrum, Conſiliarium, Medicum, mentem, lucem, honorem, gloriam, robur, vitam.* Chryſoſtom. in Pſal 14. *Deus ſuum nobis amorem ſignificaturus gallinarum charitatem, Patrum curam, matrum miſericordiam, ſponſorum amorem profert, non quia tantum duntaxat amet, ſed quia his exemplis non alia apud nos majoris amoris ſigna vel argumenta. Quod enim magis nos deamet, docet* Eſa. 49. *Etſi mater filiorum obliviſcatur &c.* Idem homil. 46. oper. imperſ. *Quemadmodum in nobis alienū eſt benefacere, ſic & Deo contra Naturam eſt malefacere, aut perdere.* lib. de provid. tom. 5. *Nulla clementia humana divinæ bonitati conferri poteſt, quippe quæ omnes affectus naturales ſuperat.* Et poſteà: *Cujus non eſt finita intelligentia, ejus miſericordiam quoque & clementiam ſine ullo termino eſſe neceſſe eſt.* In orat. de Philogonio: *Quemadmodum parturiens cupit eniti fœtum, ita & Deus cupit effundere miſericordiam.* Ambroſ. lib. 1. de pœnit c. 2. tom. 1. p 153. *Deus miſericordiæ magis indulgens quam ſeveritatis tenax.* Auguſt. de Nat & grat. cap. 32. *Miſericordia Dei prævenit ut ſanemur, ſubſequitur ut ſanati vegetemur; prævenit ut vocemur, ſubſequitur ut glorificēmur, prævenit ut piè vivamus, ſubſequitur ut cum illo ſemper vivamus*

vamus, quia ſine illo nihil poſſumus facere, lib. de Spiritu & anim. cap. 6. *Major eſt Dei miſericordia, quàm omnium hominum miſeria*. Caſſiodor. in Pſal. 23. *Miſericordia ſubſequitur ad cuſtodiam, ſed præcedit ad conferendam gratiam. nam ſi ſolùm ſubſequeretur, nemo donatam perciperet, ſi tantum præcederet, nullus poterit collatam ſervare. Graviores enim ſunt inſidiæ, quas à tergo Diabolus parat & niſi miſericordia ſubſequatur, facillimè fragilitas humana decipitur*. Bernh. ſerm. 5. in die nat. col. 60. *Rectè non Pater judiciorum vel ultionum, ſed Pater miſericordiarum dicitur, non modo quod Pater videatur miſereri potiùs, quàm indignari, & quemadmodum Pater filiorum ſic miſeretur timentium ſe, ſed eò magis quod miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio judicandi vel ulciſcendi magis ex noſtro*. Confer. eundem ſerm. 2. de ſept. panib. col. 181. Niceph. lib. 17. cap. 3. *Deus vindictæ gladium miſerationis oleo ſemper exacuit*. Gerſon de remed. puſillan. *Miſericordia Dei tanta eſt, ut ſi homo haberet omnia peccata mundi ſuper ſe & doleret, quod illis tam bonum Dominum Deum ſuum ſuperbè offendiſſet, & firmiter proponeret, in poſterum abſtinere, Deus talem hominem nunquam damnaret ſecundùm veriſſimam Chryſoſtomi ſententiam, Deus quaſi dolet, cùm hominem per ſuam juſtitiam damnare debet propter hominis injuſtitiam, ex quo homo eſt imago Dei tam nobiliter creatus, & tàm precioſè redemtus*. Savanar. in Pſal. 31. *Ut infinitum non poteſt finiri, ſic nec terminus miſericordiæ divinæ ſtatui*. Turcæ in Alkorano Deum καὶ [illegible] vocant Kachamani miſericordem. *Vovi Miſericordi*, h. e. *Deo jejunium*.

Antitheſis 219. Antitheſis. Miſericordiam, gratiam & dilectionem Dei labefactant. 1. *Stoici*, qui negarunt Deo miſericordiam tribuendam, cùm ſit *ægritudo animi ex alterius miſeria concepta*, Auguſt. lib. 9. de civit. Dei cap. 5. ex eo ſic dicta, quod *miſerum cor faciat condoleſcentis alieno malo*. Idem lib. de mor. Eccleſ. Cathol. cap. 27. *At in Deo nec ægritudo nec miſeria locum habere poteſt*. Reſp. definitio hæc humanæ duntaxat miſericordiæ competit, non in genere omni miſericordiæ, quæ minùs rectè ex eo ſic dicta judicatur, quod miſerum cor faciat, & ægritudinem animi conciliet, cùm talis potiùs miſer quàm miſericors ſit dicendus, ſed quòd alterius miſeriam cordi ſibi eſſe faciat, eamq; ſublevare laboret, unde Hebræi eam vocant רחמים q. d. *uterina miſericordia* σπλάγχνα ἐλέους Luc. 1. verſ. 78. à rad. רחם *dilexit, vehementer amavit*, amore complexus eſt, ſicut uterus fœtum diligit & fovet. Græci eam vocant ἔλεος, quod nullam animi ægritudinem ſignificat.

220. 2. *Pontificii*, dum ſtatuunt 1. gratiam Dei juſtificantem & glorificantem non eſſe merè gratuitam, ſed illam ex parte noſtra requirere meritum de congruo, hanc verò meritum de condigno. Contra Rom. 11. verſ. 6. 2. noſtras ſatisfactiones ad gratuitam Dei gratiam & peccatorum remiſſionem requiri. Contra Rom. 3. verſ. 24. 3. indulgentias pecuniæ interventu poſſe comparari. Contra quod pecuniis emitur, non contingit nobis gratis ex gratia Eſa. 55. verſ. 1. Actor. 8. verſ. 26. 4. electionem ex prævilis meritis eſſe factam, reprobationem ex parte eſſe abſolutam. Contra Epheſ. 1. verſ. 4. 5. infantes ante Baptiſmum decedentes indiſtinctè omnes damnari. Contra Marc. 10. v. 14. Quibus hypotheſibus omnibus ac ſingulis divinam miſericordiam labefactari oſtenſum fuit in Diſp. 1. de glor. Dei §. 30. uſque ad 36. 6. gratiam Dei, quâ nos juſtificat & ſalvat non eſſe gratuitum Dei favorem ſed infuſam qualitatem. Contra 2. Tim. 2. verſ. 9. Vide loc. de Juſtif. §. 18. 7. miſericordiam & gratiam Dei peccata remittentem etiam poſt hanc vitam locum habere, in purgatorio ſcilicet. Contra Act. 10. verſ. 43. Miſericordia Dei eſt æterna, ſed effectus ille divinæ miſericordiæ remiſſio peccatorum tantùm in hac vita nobis promiſſus.

221. *Calviniani*, dum ſtatuunt 1. Deum abſoluto decreto quoſdam homines & quidem maximam humani generis partem ex mero odio abſque ullo impœnitentiæ & incredulitatis intuitu reprobaſſe, quorum nunquam miſereri velit. 2. Deum voluiſſe hominem eſſe miſerum, h. e. voluiſſe ut Adamus laberetur, & hac ratione ſe & omnes poſteros æternæ miſeriæ involveret, ut haberet exercendæ miſericordiæ occaſionem, atque ut eſſent, quorum miſereri poſſet. Cui commento opponimus illud Auguſtini lib. 3. Confeſſ. cap. 2. *Malevola eſt benevolentia, ſi quis miſerum aliquem eſſe velit, ut ejus miſereatur*. Et in expoſ. Pſal. 125. *Qui ut faciat miſericordiam optat eſſe miſeros, crudelem habet miſericordiam, quomodo ſi Medicus, ut exerceat artem ſuam, optat eſſe multos ægrotos, crudelis eſt medicina*. 3 promiſſiones univerſales de gratia & miſericordia Dei, quæ in Evangelio omnibus offeruntur, ad paucos duntaxat pertinere, cùm tamen Deus dicatur *dives in miſericordia* Epheſ. 2. v. 4. *atque omnia in incredulitatem concluſiſſe, ut omnium miſereatur* Rom. 11. v. 32. Vide Diſp. 5. de gloria Dei §. 20. 4. *Photiniani*, dum 1. negant miſericordiam eſſe proprietatem Dei eſſentialem. Socin. part. 1. de Chriſto cap. 1. Catech. Racov. p. 266. Vide tract. de Juſt. §. 48. Diſp. 10. de gloria Dei §. 10. 2. multa eſſe peccata ad mortem, quæ committentes in gratiam non recipiantur, quâ ratione miſericordiam Dei in promiſſionibus Evangelicis propoſitam reſtringunt. Vide Diſp. dict.

222. Q. 1. *Quâ ratione miſericordia, amor, patientia &c. Deo tribui poſſit, cum non ſit affectuum mutabilitati obnoxius?* Reſp. hæc omnia ſunt eſſentiales Dei proprietates, ſi agendi principium non effecta ſpectentur, quæ non paſſionem, alterationem, mutationem, perturbationem aliquam ſimpliciſſimæ Dei eſſentiæ inferunt, ſed actus bonitatis divinæ explicant. (Gratia Dei eſſentialis dicitur prima gratia, quæ nihil aliud eſt quam paternus Dei favor, beneficia, quæ Deus ex gratia in nos confert dicuntur gratiæ ſecundæ χαρίσματα dona per gratiam.) Anshelm. in profol. cap. 8. *Es miſericors, ô Deus, ſecundùm nos & non ſecundùm te, ſecundùm ſenſum noſtrum & non ſecundùm tuum, cùm tu reſpicis nos miſeros, nos ſentimus miſerationis effectum, tu non ſentis miſeriæ affectum*. Repurganda igitur hæc omnia ab imperfectionibus & id quod remanet purum ac perfectum Deo tribuendum. Sic miſericordia notat tum compaſſionem cordis ob alterius miſeriam contriſtati, tum promtiſſimam voluntatem verbis & reipsâ eam ſublevandi, tolle compaſſionis mutationem & cordis ægritudinem ex ea ortam, ac quod remanet purum & perfectum, videlicet promtam illam voluntatem miſeriam alterius ſublevandi Deo relinque. Quamvis proinde miſericordia, longanimitas, caritas &c. non ſint in *Quæſtiones de Dei miſericordia.*

Deo talis affectus, quales in nobis, tamen verè & realiter Deo, quam in nobis. Scholaſtici dicunt: Affectus illos tribui Deo non, *ut fiunt cum transmutatione aliqua*, quo reſpectu dicuntur paſſiones & pertinent ad appetitum ſentientem, ſed ut ſunt *actus voluntatis*.

223. Q. 2. *An Deus amet ſe & omnia extra ſe?* Reſp. Deus cùm ſit ſummum bonum, ideo amat ſeipſum ut ſummum bonum. In homine amor ſuiipſius eſt vitioſus & damnabilis, quia homo non eſt ſummum bonum, ſed in Deo debet quærere ſummum bonum, eiq; unicè adhærere. Deus autem ſeipſum amat, non tamen ut eſt ipſe, ſed ut eſt ſummum honum, ſi enim aliud eſſet majus & præſtantius bonum, tùm illud, non ſe diligeret, ſicut Theol. Germanica hac de re latè diſſerit. Pater in divinis diligit Filium, ut ſubſtantialem ſuam imaginem Matth. 3. verſ. 7. cap. 17. verſ. 5. Joh. 3. v. 35. cap. 5. verſ. 20. cap. 17. verſ. 24. Filius diligit Patrem, utpote ex cujus corde ante ſecula natus 1. Joh. 14. verſ. 31. Spiritus ſanctus eſt ſubſtantialis Patris & Filii amor, quia procedit ab utroq;. Amat autem Deus non ſolùm ſe, ſed omnes etiam creaturas exiſtentes. Sap. 11. verſ. 25. *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, neq; enim odiens aliquid conſtituiſti*. verſ. 26. *Quomodo autem permanſiſſet aliquid niſi tu voluiſſet aut non vocatum à te conſervaretur?* Thom. p. 1. q. 20. art. 2. id probat hac ratiocinatione: *Amare eſt alicui velle bonum. Sed Deus omnibus creaturis exiſtentibus vult aliquod bonum, actualem ſcilicet exiſtentiam, ideo omnes amat.* Unde porrò infert, Deum magis diligere meliora, quia vult illis majus bonum, *ex parte actus* amoris divini Deus omnia diligit æqualiter, ſed ex *parte objecti* meliora magis diligere dicitur. Quia verò hoc bonum, exiſtentiam ſcilicet creaturis reliquis Deus voluit in ordine ad hominem ſive propter hominem, cui omnia debent inſervire, ideo Scholaſtici diſtinguunt inter *amorem benevolentiæ* & *amorem concupiſcentiæ* priorem definiunt, quod ſit *amor, quo alicui volo bonum propter ipſummet amatum ſine relatione ejus in aliud*, & hoc amore dicunt Deum complecti creaturas rationales, Angelos & homines, poſteriorem definiunt, quod ſit *amor, quo aliquid amatur propter aliud dilectum*, hoc eſt, quo alicui optatur bonum propter alterum cui proficere poteſt ad delectationem & utilitatem, & hoc amore dicunt Deum complecti creaturas irrationales. Biel 3. diſt. 27. q. un. Quando autem ex parte creaturarum rationalium reciprocus & mutuus amor accedit, tunc ex amore benevolentiæ dicunt fieri *amorem amicitiæ*, de quo accipiunt illud Chriſti Johan. 14. verſ. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum.* Diſtinguunt etiam inter amorem *communicationis & complacentiæ*. Amorem communicationis vocant, quo Deus confert bona Naturæ, gratiæ & gloriæ. Amorem complacentiæ, quo amat ſuum bonum, quod cum creatura communicavit. Poſſunt hæc omnia ſano ſenſu tolerari, modò amor ille in creaturis rationalibus non ſtatuatur aliquod meritum dilectionis divinæ, quæ merè eſt gratuita, certum enim eſt, ſpecialem illum Dei amorem, quo complectitur credentes in Chriſtum & vero amore ſibi adhærentes, diſtinctum eſſe à generali illo amore, quo omnes homines complectitur. Ut autem duplicem amorem, ita quoque duplex *odium* in Deo ſtatuunt, alterum *abominationis*, alterum *inimicitiæ*. Odium abominationis dicitur, quo quis abominatur malum, jam verò Deus abominatur peccatum, utpote ſuæ Naturæ & bonitati directè oppoſitum, odium inimicitiæ dicitur, quo quis agenti malum culpæ vult malum pœnæ ex diſplicentia peccatoris, quatenus eſt peccator, jam verò Deus tali odio proſequitur peccatores, *quatenus tales* propter ſuam juſtitiam. Sap. 14. v. 9. ἐν ἴσῳ μισητὰ τῷ Θεῷ καὶ ὁ ἀσεβῶν καὶ ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ. Dico *quatenus tales*, quia in ipſis peccatoribus Deus amat Naturam à ſe conditam, ſicut artifex ſuum opificium. Auguſt. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *Deus non odit Eſau hominem, ſed Eſau peccatorem.*

224. Q. 3. *An miſericordia divina detrahatur per id, quod ſtatuimus, legem non poſſe à renatis perfectè impleri?* Affirm. Pontificii, ſed contrarium oſtendimus in tract. de Lege Dei §. 198. & Diſp. 4. de glor. Dei §. 3. *An per hypotheſin de neceſſitate Baptiſmi.* Affirm. Calviniani, contrarium demonſtratum fuit in tract. de Bapt. §. 237. & Diſp. 9. de glor. Dei §. 10. *An per hypotheſin de neceſſaria ſatisfactione Chriſti pro peccatis noſtris?* Affirm. Photiniani, contrarium oſtendimus in tract. de Juſtif. §. 49. Diſp. 10. de glor. Dei §. 38.

225. Q. 4. *An amor Dei ſit merè gratuitus?* Affirm. quia eſt indebitus ac gratuitus Dei favor, omnem noſtrum amorem præveniens, jam verò gratia non eſt gratia ullo modo, niſi ſit gratuita omni modo, unde diſertis verbis pronunciat Apoſtolus 1. Johan. 4. verſ. 10. *In hoc eſt caritas, non quod nos dilexerimus Deum, ſed quod ipſe dilexerit nos*, verſ. 19. *ipſe prior dilexit nos*. Rom. 5 verſ. 8. *commendat Deus caritatem ſuam, quod Chriſtus pro nobis mortuus, cùm adhuc peccatores eſſemus.* Auguſt. tract. 102. in Johan. *Num ideo nos ille amat, quia nos amamus, an potius quia ille amat, ideo nos amamus? ex Epiſtola ſua idem Evangeliſta reſpondeat. Nos diligimus, quia ipſe prior dilexit. Hinc ergo factum eſt, ut diligeremus, quia dilecti ſumus. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, quoniam ipſe ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Diſplicentes amati ſumus, ut eſſet in nobis, unde placeremus, non enim amaremus Filium, niſi amaremus & Patrē. Amat nos Pater, quia nos amā Filiū, cùm à Patre & Filio acceperimus, ut Patrē & Filiū amemus. Diffundit enim caritatem in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, per quem Spiritum & Patrem amamus, & Filium & quem Spiritum amamus cum Patre & Filio &c.* Quæ in contrarium affert Bellarm. lib. 1. de gratia & lib. arbit. cap. 6. ex Prov. 8. verſ. 17. Joh 14. verſ. 21. cap. 11. verſ. 27. ut probet noſtram dilectionem facere nos Deo dilectos, ad illa reſpondemus, non deſcribi in illis *cauſam meritoriam* divinæ dilectionis ſed illius 1. *ſignum & indicium*, qui enim Deum diligunt, illi internum habent teſtimonium ſe à Deo diligi, cùm enim Deus ſit *ipſa caritas* 1. Joh. 4. verſ. 8. ideo non poteſt non diligere ſe diligentes. 2. *objectum*, qui enim Deum diligunt, illi dilectione Dei ſalutariter fruuntur. 3. *effectum*, qui Deum diligunt, majora in dies beneficia ex Dei dilectione ad ſe deſcendentia percipiunt & ipſo facto experiuntur ſe à Deo propter Chriſtum diligi. 4. *gradus* juxta ordinem divinitùs conſtitutum. Specialis enim illa dilectio, quâ Deus verè in Chriſtum credentes, & ex fide ſe diligentes cōplectitur, nemini contingit, niſi priùs Spiritus ſanctus per verbum veram in eo fidem, quæ per caritatem

ritatem efficax eſt, accendat.

226. Q. 5. *An amor, gratia & miſericordia Dei prorſus ſint abſoluta?* affirmant Calviniani, eoque applicant dictum Apoſtolicum Rom. 9. v. 18. *Miſereor cujus miſereor*, ſed reſp. miſericordia Dei eſt *libera*, ſed non *ſimpliciter abſoluta.* Diſtinguendum igitur inter gratiam ſive amorem *generalem* & *ſpecialem*. Generalis dilectio eſt abſoluta, ideò Deus eâ ex æquo omnes complectitur, ſed ſpecialis Dei dilectio fundatur in Chriſti merito, ideo Deus eâ non niſi verè in Chriſtum credentes, h. e. meritum Chriſti fide ſibi applicantes complectitur, id quod contra Calvinianos & Photinianos alibi latiùs demonſtratur.

Vſus practicus doctrinæ de Dei miſericordia.

227. *Vſus practicus* 1. παρακλητικός. Conſideratio divinæ miſericordiæ opponenda eſt, 1. *peccatorum noſtrorum magnitudini.* Miſericordia Dei eſt infinita, ergo præponderat magnitudini peccatorum noſtrorum. Chryſ. homil. 2. in Pſal. 50. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Dixiſti magnam edicito quantam. Quanta ſit neſcio, quod grandis eſt novi. Quantum a. non valeo apprehendere, neſcio magnitudinis quantitatem, non comprehenditur verbo. Video namq; fructum miſericordiæ grandem, niſi enim in immenſum extenderetur, admodùm pauci ſalvarentur &c. Quid eſt peccatum ad Domini miſericordiam? tela aranea quæ vento flante nuſquam comparet.* Mich. 7. verſ. 19. comparatur divina miſericordia *profundo mari*, in quod peccata noſtra projiciuntur, ut nuſquam in conſpectum Dei iterum veniant. *Dei Clementia* inquit, idem Chryſoſt. hom. 3. de pœnit. *hominis malitiam ſuperat. Cogita ſcintillam ſi in mare ceciderit, num poterit ſtare aut apparere? quantum ſcintilla ad mare ſe habet, tantum hominis malitia ad Dei pietatem & clementiam, imò enim non tantummodo, ſed longè ſupra. Nam & pelagus tametſi magnum ſit, menſuram recipit, Dei verò clementia menſuram non habet.* Intuêre ſpeculum miſericordiæ divinæ Luc. 15. propoſitum 1. Pater *occurrit*, hæc eſt miſericordia *præveniens*. 2. *amplexatur* hæc eſt miſericordia *recipiens*. 3. *oſculatur* hæc eſt miſericordia *uniens*. 4. proferte *veſtimenta*, hæc eſt miſericordia *veſtiens*, Chriſti ſcilicet juſtitia. 5. date *annulum*, hæc eſt miſericordia *ornans*, chariſmate Spiritus S. 6. date *calceamenta*, hæc eſt miſericordia *muniens*. 7. adducite *vitulum*, hæc eſt miſericordia *paſcens* bonis ſpiritualibus &c. 2. *miſeriarum noſtrarum multitudini*. Miſeriæ noſtræ multæ, ſed miſericordia Dei immenſa eſt & infinita. Pſal. 103. verſ. 8. *Miſericors & miſerator Dominus, longanimis & multus benignitate.* verſ. 9. *non in æternum litigabit, neque in ſeculum iram ſuam aſſervabit.* Pſal. 55. v. 23. *Non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Quando adverſitatũ fluctibus ac ventis in mari hujus mundi circumagimur, recipiamus nos ad tranquilliſſimum & pacatiſſimum divinæ miſericordiæ portum omni tempeſtate carentem, quando ab hoſtibus fugamur & terremur, confugiamus ad ſinum divinæ gratiæ, quæ nos fovet & complectitur, *ut mater filios ſuos* Eſa. 66. verſ. 13. 3. *perſeverantiæ incertitudini*. Roborata *& confirmata* eſt *ſuper nos Dei miſericordia in ſeculum* Pſal. 117. v. 2. ergo non deſtituet nec deſeret nos. Gratia & miſericordia Dei, quâ nos complectitur eſt æterna, *nihil* igitur *ab eâ nos ſeparare poterit* Rom. 8. verſ. 25. Ut ex gratia merè gratuita nos elegit, vocavit & juſtificavit, ſic ex gratia merè gratuita nos glorificabit, ipſe eſt, qui *operatur in nobis velle & perficere ſecundum bonam voluntatem* Philip. 2. verſ. 13. 4. *mortis amaritudini*. Suavis Dei miſericordia ipſam etiam mortem ſuavem poterit reddere, quia enim eſt æterna miſericordia, ideo non relinquet nos in terræ pulvere, ſed revocabit iterum ad vitam, exaudiet in omnibus anguſtiis, in ipſa etiam morte preces noſtras, gemitus noſtros, eripiet nos, ſalvabit nos &c. Jer. 31. verſ. 3. *caritate perpetuâ dilexi te, ideò attraxi te.* In hoc miſericordiæ & caritatis divinæ quietiſſimè in morte obdormiſcimus, ſicut infans *in ſinu matris* Eſa. 46. verſ. 1.

228. 2. παραινετικὸς 1. *ad Deum glorificandum.* Pſal. 106. verſ. 1. *Cantate Domino, quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Luc. 1. verſ. 46. *Magnificat anima mea Dominum.* verſ. 50. *cujus miſericordia à progenie in progeniem.* Sicut nullum eſt momentum, quo homo non fruitur Dei miſericordiâ, ſic nullum debet eſſe momentum, quo eum non habeat in memoria & pro benignitate ejus debitas agat gratias. 2. *ad benigniſſimum illum Patrem amandum.* Caritas eſt, ergo caritas noſtra in eum feratur. Pater eſt, ergo filiali amore eum complectamur. Deus meus, amor meus, da ut deſiderem te & amem te, à quo tantopere amatus ſum, ut non ſolùm tua, verùm etiam teipſum pro me impendens, qui amore tuo me prævenisti, qui es cauſa mei amoris! O amor, qui ſemper ardes & nunquam extingueris, ô ſubſtantialis caritas, accende me igne tuo, amore tuo, dulcedine tua, deſiderio tuo, ut totus dulcedine amoris plenus, tot⁹ flãmâ caritatis ardens diligã te &c. *O duri & indurati & obdurati filii Adam, quos non emollit tãta benignitas, tanta flãma, tam ingens ardor amoris.* Bernh. ſerm. 2. pent. col. 163. 3 *ad miſericordiam Dei imitandam.* Luc. 6. verſ. 36. *Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter miſericors eſt.* Miſericordis Patris filios non convenit eſſe duros & immiſericordes. Miſericordia Dei noſtræ debet eſſe & cauſa & exemplar; eſt ſincera, ſeria, gratuita, actuoſa; talis etiam debet eſſe noſtra miſericordia. 4. *ad fiduciam in nobis excitandam & confirmandam* in cruce. 2. Sam. 24. verſ. 14. *Melius eſt ut incidam in manus Domini, multa enim miſericordia ejus, quam in manibus hominum*, in precibus. Pſal. 25. verſ. 6. *Recordare miſerationum tuarum Jehova & benignitatum tuarum, quæ ſunt a ſeculo.* Pſal. 51. verſ. 3. *Miſerere mei Deus ſecundùm magnitudinẽ miſericordiæ divinæ.* Hebr. 4. verſ. 16. in converſione Joel. 2. verſ. 13. *Revertimini ad Deum veſtrum, quia gratioſus eſt & miſericors*, in tentationibus Job. 10. verſ. 12. *Vitam & miſericordiam feciſti mecum, quamvis hæc abſcondiſti in corde tuo, novi tamen quod hoc tecum.* Pſal. 77. verſ. 8. *Nunquid in ſecula elongabit ſe Dominus?* v. 9. *nunquid defiit miſericordia ejus.* v. 10. *Nunquid oblitus eſt miſereri?* v. 12. *Recordabor à principio mirabilium tuorum & meditabor in omnibus operibus tuis.* 5. *ad dilectionem erga proximum accendendam.* 1. Johan. 4. verſ. 11. *Si nos Deus ita dilexit, debemus & nos alii alios diligere.* Deus ex amore ſe totum nobis donat, & nos ex dilectione debemus nos totos proximo impendere. Quod homini tribueris, Deo tribues, quia *homo Dei ſimulachrum.* Lact. lib. 6. Inſtit. c. 10. Si verò Deum diligimus, etiam eum diligere debemus, quem Deus nobis diligendum propoſuit.

SECTIO

SECTIO XII.

DE DEI juſtitia.

De Dei juſtitia.

229. Theſis. *Deus ut eſt ſummè miſericors, ita quoque ſummè juſtus, imò ipſa juſtitia.* 1. Juſtitia hic accipitur prout eſt *in Deo*, eſſentialis ſcilicet Dei proprietas, per quam ipſe juſtus eſt & omnis juſtitiæ autor, non autem prout eſt *a Deo*, quâ nos juſtos facit, quæ duplex eſt. *Evangelica*, quæ conſiſtit in remiſſione peccatorum & imputatione juſtitiæ Chriſti Rom. 3. verſ. 22. & *Legalis*, quæ conſiſtit in conformitate cum lege, eaq; in hac vita eſt *inchoata*, in futura verò *perfecta*. 2. Juſtitia in Deo, hîc non accipitur, ut ſignificat *Dei bonitatem* & clementiam, quâ miſeris juxta promiſſionem ſuam per Chriſtum auxilium præſtat Pſal. 31. verſ. 2. Pſal. 51. verſ. 16. Rom. 3. verſ 25. Ambroſ. in cap. 3. Rom. *Juſtitia Dei dicitur, quæ videtur miſericordia, quia de promiſſione habet originem. & cùm promiſſum redditur juſtitia Dei dicitur. Juſtitia enim Dei eſt, quia redditum eſt quod promiſſum eſt. & cùm ſuſcipit confugientes ad ſe, juſtitia dicitur, quia non ſuſcipere confugientem iniquitas eſt.* Hanc quidam vocant *juſtitiam gratiæ* & *juſtitiam promiſſionis*, quâ Deus ex gratia propter Chriſti meritum & ſatisfactionem reſipiſcentibus juxta ſuam promiſſionem peccata condonat ac fidem datam ſervando juſtum ſe probat, ſed ut ſignificat proprietatem eſſentialem à miſericordia & veracitate diſtinctam non quidem ex Natura rei ſed ratione noſtræ ἐπινοίᾳ. 3. Hoc modo accepta diſtinguitur in *univerſalem* & *particularem*. Univerſalis Dei juſtitia eſt rectitudo voluntatis, quâ immutabiliter vult & approbat omnia, quæ in lege ſua præcepit, ſpeculum enim illius univerſalis juſtitiæ proponitur in lege omnis juſtitiæ norma. Particularis eſt æterna, conſtans & immota voluntas ſuum cuique tribuendi. 4. Eâ eſt tum *erga ſe* tum *erga creaturas* juſtus. Erga ſe juſtus eſt, quia tribuit ſibi ipſi atque à creaturis etiam tribui jubet ſummam illam gloriam, quæ ipſi ut ſummo Enti ac ſummo bono unicè debetur Eſa. 42 verſ. 8. 5. Erga creaturas juſtus eſt tum *diſpoſitivè*, quatenus omnes actiones ſuas, omnia opera ſua ad extra juxta normam æquitatis & juſtitiæ diſponit, eſtque juſtiſſimus totius univerſi gubernator ac Dominus, tùm *diſtributivè*, quatenus unicuique creaturæ reddit ſecundùm opus ſuum. 6. Ea eſt vel *remunerativa*, quâ bonos præmiis afficit, vel *punitiva*, quâ malos pœnis afficit. Quidam ſic progrediuntur, juſtitia Dei conſideratur κατ' ἔσω & κατ' ἔξω. κατ' ἔσω ſignificat univerſalem in Deo rectitudinem omni iniquitati oppoſitam Pſal. 48. verſ. 11. κατ' ἔξω eſt ea, quam Deus erga creaturas exercet, eaque eſt quadruplex: 1. *architectonica*, quæ eſt ipſa Dei omnipotentia, quam tanquam mundi architectus in mundi fabrica exeruit Pſal. 97. verſ. 6. 2. νομικὴ reſpectu ſubjectorum tripliciter conſideratur. 1. *in Deo*, 2. *in Decalogo*, 3. *in hominibus* in mundo. Cùm in Deo conſideratur, dicitur juſtitia *archetypa*. eſtque duplex: *Univerſalis & particularis*. Univerſalis eſt, quæ pertinet ad voluntatem Dei antecedentem omneſque homines dirigit, ut piè & juſtè vivant, dicitur aliàs *diſpoſitiva, regulatrix ac directrix*. Particularis pertinet ad voluntatem Dei conſequentem, ac reſpicit vel pios, & dicitur *remuneratrix*, quia piis præmia confert, vel reſpicit impios, & dicitur *vindicatrix*, quia impiis pœnas infligit. Juſtitia Dei in Decalogo comprehenſa dicitur *ectypa*, quæ eſt index voluntatis divinæ tùm de Deo colendo, tùm de proximo diligendo. Juſtitia *nomica* in hominibus in mundo ſignificat beneficia ex gratia & benignitate Dei profecta. 3. *Evangelica*, quæ in Evangelio revelata, eſtque duplex: *Activa* & *paſſiva*. Activa, quâ ipſe Deus juſtus eſt, & ſignificat miſericordiam, quâ ipſe miſeretur peccatorum & in gratiam eos recipit Pſ. 31. v. 2. Rom. 1. v. 17. Paſſiva à Chriſto parta eſt, quâ Deus nos juſtificat. 4. *Mixta* eſt veritas & conſtantia divinarum promiſſionum, & hæc tùm ad legem pertinet, tùm ad Evangelium. Juſtitia Dei legalis elucet ex comminatione Gen. 2. Evangelica ex Luc. 1. verſ. 72. Confer. Loc. §. 149.

230. Juſtitiam Dei comprobat *Scriptura* 1. *affirmativè*, quando Deum vocat *juſtum, vindicem, ſanctum, rectum* ac *juſtitiam* ejus prædicat Exod. 9. verſ. 27. Pſal. 11. verſ. 7. Jerem. 12. verſ. 1. 2. *negativè*, quando *injuſtitiam & iniquitatem*, προσωποληψίαν & munerum acceptionem, adeoque omnes cauſas, adjuncta & effecta injuſtitiæ ab ipſo removet Deut. 32. verſ. 4. Dan. 9. v. 14. Deut. 10. verſ. 17. &c. Job. 8. verſ. 3. Nunquid Deus corrumpit judicium aut omnipotens ſubvertit, quod juſtum eſt. 3. *affectivè*, quando ipſi tribuit *zelum, iram, furorem* Exod. 20. verſ. 5. cap. 32. v. 10. Num. 11. verſ. 10. quæ in Deo non ſunt tales paſſiones, quales in nobis, ſed immutabilis juſtitiæ actus. 4. *ſymbolicè*, quando ipſum vocat *ignem conſumentem* Deut. 4. verſ. 24. confert irato *leoni*, armato *militi* Eſa. 38. verſ. 13. 5. *effectivè*, quando ipſum unicuique ſecundùm opus ſuum reddere aſſerit 1. Sam. 26. verſ. 23. Job. 34. verſ. 11. quando illius ſeveras comminationes & exempla iræ ac pœnarum in impios ſtatuta deſcribit, hæc enim omnia ſunt divinæ juſtitiæ effecta atque indicia. Vide loc. § 150. An ex ratione divina juſtitia poſſit cognoſci, diſpicietur inferius. Dicta ſaniorum Philoſophorum adducta ſunt in Locis §. 151. quibus addendum illud Philemonis apud Juſtin. in lib. de Mon. Dei p. 82. ἔστιν Δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ Itemque illud Eurip. apud eund. p. 83. εἰ δ' ὅτις πράσσει κακῶς κακὸς πεφυκὼς τὸν χρόνον κερδαινέτω, χρόνος γὰρ οὗτος ὕστερος δώσει δίκην.

Probatur Dei juſtitia.

231. *Patres* pulcerrimas de juſtitia divinâ ſententias habent. Lactant. lib. 1. Inſt. cap. 1. *Deus ut erga pios indulgentiſſimus Pater, ſic adverſus impios rectiſſimus judex.* Auguſt. lib. 2. de lib. arbit. c. 1. *Deus non ſolùm eſt in præſtando benigniſſimus, ſed etiã in vindicando juſtiſſimus.* lib. 2. de civit. Dei c. 23. *Judicia Dei plenè nemo cõprehendit, juſtè nemo reprehendit.* lib. 18. ejuſd. c. 18. *Judicia Dei occulta ſunt multa, injuſta nulla.* in enarr. Pſal. 32. conc. 1. *Ne puteus, quod miſericordia & judicium à ſe in Deo poſſint aliquo ſeparari modo. Videntur enim ſibi aliquando contraria, ut qui miſericors eſt, non ſervet judicium, & qui judicii tenax eſt, obliviſcatur miſericordiam. Omnipotens eſt Deus, nec in miſericordia amittit judicium, nec in judicio miſericordiam.* Gerſon: *Cum miſereri voluerit, nihil Deo clementius, cùm juſtitiam tribuere, nihil eo terribilius &c.*

232. Antitheſis. Juſtitiam Dei labefactant:

1. *Collnthiani*, qui referente Philaſtrio Epiſcopo, negabant Deum eſſe juſtum. 2. *Vorſtiu* Photinianis erroribus viam ſternens. Diſp. de Deo p. 399. *Falſum eſt quod nullum omninò peccatum per juſtitiam Dei poſſit impunitum dimitti.* Paraſc. ad Piſcat. pag. 25. *Naturalis juſtitia in Deo revera non eſt, ſive extra hypotheſin decreti nulla uſpiam in Deo eſſe apparet.* tract. de ſatisf. pag. 36. *Quæritur an in Deo ſit eſſentialis aliqua juſtitia, quæ omninò peccata puniri dictet ac proinde plenam pro iis ſatisfactionem, ſiquidem ab iis liberandi ſumus, exigat?* reſpondeo *nullam eſſe ejuſmodi juſtitiam.* Plura ejuſmodi ex Epiſcopio, Voſſio & Slatio Vorſtii aſſeclis adducit Feſtus Hommius in Specim. controv. Belgic. art. 20. pag. 68. 3. *Calviniani* 1. per abſolutum reprobationis decretum. 2. per ſuam de cauſa peccati doctrinam. Vide Diſp. 5. de gloria Dei §. 30. & 31. 4. *Photiniani*, qui 1. negant, juſtitiam eſſe proprietatem Dei eſſentialem. 2. nullam Chriſti ſatisfactionem pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ reſpectu neceſſariam fuiſſe ſtatuunt. 3. damnationem impiorum per totalem eorum deletionem non per æterni ſupplicii irrogationem definiunt. Vide tract. de Juſtif. §. 37. 47. Diſp. 10. de glor. Dei §. 11. 5. *Pontificii*, qui 1. opera noſtra imperfecta & immunda juſtitiæ Dei opponi poſſe ſtatuunt, 2. ſatisfactiones proprias exigunt, 3. peccata quædam ſuâ Naturâ venalia eſſe exiſtimant. Vide Diſp. 1. de gloria Dei §. 36. 37. 38.

Quæſtiones de Dei juſtitia.

233. Q. 1. *An ratio humana ex nativis ſuis viribus juſtitiam divinam cognoſcere poſſit?* Quãvis tùm ex naturaliter inſito juſti & injuſti diſcrimine, tùm ex pœnis graviora delicta comitantibus ratio humana quodammodo agnoſcat Deum eſſe juſtum, quòd teſtantur dicta gentilium de Dei juſtitia: tamẽ cognitio illa eſt imperfecta & languida. Imperfecta, 1. quia plenã & integrã legis divinæ, quæ eſt juſtitiæ divin. ſpeculum lucidiſſimum notitiam haudquaquã obtinet. 2. quia ignorat mirabile illud temperamentum juſtitiæ & miſericordiæ divinæ in miſſione Filii, redemtione generis humani & peccatorum remiſsione propter Chriſtum nobis in Evangelio revelatum. 3. quia de æternis peccatorum pœnis nihil novit. Languida eſt, quia turbatur 1. inæqualitate illa, quod bonis malè & malis videt benè eſſe in hac vita, quam tentationem ſanctiſsimi in Eccleſia homines Job. 12. verſ. 6. c. 21. verſ. 7. David Pſal. 73. verſ. 3. Jeremias. c. 12. verſ. 1. Habac. c. 3. verſ. 4. experti non niſi ex verbo revelato reſponſionem ad eam peti poſſe ſuo exemplo docuerunt. 2. cogitationibus illis, quare Deus peccata permittat, imò peccata peccatis puniat, cum tamen per ſuam omnipotentiam efficere poſsit. ne ullum omnino peccatum committatur, cujus permiſsionis cauſas ratio inveſtigare nequit, Scriptura verò nobis eas explicat.

234. Q. 2. *An in Deo ſit juſtitia commutativa?* Thom. p. 1. q. 21. art. 1. rectè negat, quia quicquid nos Deo dare poſſumus, id totum ab eo accipimus, unde ipſi nullus eſt debitor Rom. 11. verſ. 34. *Quis prior dedit ei ut retribuatur ei.* Quia verò hæc Thomæ reſponſio evertit hypotheſin Pontificiam *de merito condigni*, quod ſcilicet *opera noſtra ex condigno ſint vitæ æternæ meritoria* ideo Gregor. de Valent. in comm. Thom. tom. 1. p. 456. eam limitat diſtinctione: *Ad rationem formalem juſtitiæ commutativæ* (inquit) *duo pertinent 1. ut ultrò citroque accipiatur & detur æquale ſecundùm æſtimationem. 2. ne per id verè & propriè exequentur is qui dat & is qui accipit. Ratione poſterioris concedit non eſſe juſtitiam commutativam inter Deum & creaturas, cùm quicquid eſt aut agit, aut habet creatura, pendeat a Deo in fieri & eſſe & conſervari: ratione prioris propriè & formaliter juſtitiam commutativam in Deo reſpectu hominis juſti eſſe aſſerit, quatenus mercede vitæ æternæ ejus merita remunerat.* Quia verò huic æqualitati noſtrorum operum obſtare videt illud Apoſtolicum Solis radio ſcriptum Rom. 8. verſ. 18. *Non ſunt condigna paſſiones noſtræ ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. &* 2. Cor. 4. v. 17. *quod momentaneum eſt & leve tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum pondus gloriæ in nobis operatur*, ideo aliud diſtinctionis malagma adhibet: *Obſequia noſtra* (inquit) *conſiderantur vel ſecundùm valorem, quem ex conditione ſua per ſe habent etiã ut proficiſcũtur ex habituali dono gratiæ vel ut procedunt ex gratia & ut ſubſunt divinæ promiſsioni & legi, quâ ex certa ordinatione Dei debetur ipſis gloria*, priore reſpectu concedit non eſſe æqualitatem dati & accepti in opera noſtra & gloriam æternam, poſteriore autem reſpectu & illam æqualitatem & juſtitiæ commutativæ rationem inter illa & gloriam eſſe aſſerit, *quatenus enim certò nobis pariunt gloriam, ſi in gratia moriamur, tanti à nobis poſſunt æſtimari quanti ipſa gloria, ſicut pecunia tanti æſtimatur, quanti res ipſa, etiamſi ex ſola ſuâ materiâ tantum fortè non valeat, quia lege publicâ fulcitur.* Reſp. ne quidem in poſteriore reſpectu eſt æqualitas dati & accepti inter opera piorum & vitam æternam talis, quæ ad juſtitiam commutativam requiritur: 1. quia opera bona non ſunt noſtra, ſed ad Dei per Spiritum ſuum in nobis efficaciter agentis, ergo per ea Deus non redditur noſter debitor, ſed nos per eadem Deo obſtringimur. 2. non ſunt ſervitia indebita, ſed multis nominibus jam antè Deo debita jure creationis, conſervationis, dominii, redemtionis, ſanctificationis, paternitatis. 3. non Deo ſed nobis utilitatem afferunt Job. 22. v. 2. cap. 35. verſ. 7. 4. non ſunt perfecta, modis omnibus divinæ legi conformia, ab omni peccati labe libera. 5. non reſpondent exactiſſimæ normæ divinæ juſtitiæ, ſed Deus ex gratia eadem præmiis temporalibus & æternis remuneratur. *Rigor juſtitiæ* (inquit Becanus part. 2. Theol. Schol. p. 491.) *requirit talem contractum, ut inter contrahentes nulla intercedat liberalitas & gratia.* Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 12. *Meritum ex condigno ſive ex juſtitia opponitur gratiæ.* Atqui in hac operum remuneratione intercedit liberalitas & gratia, unde vita æterna vocatur χάρισμα Rom. 6. v. ult. 6. non eâ ratione merentur vitam æternam, ut nos ad gratiarum actionem hoc nomine non obſtringamur, jam verò quicquid in juſtitia commutativa ex merito datur, pro eo nulla debetur gratia Luc. 17. verſ. 7. Vide tract. de bonis operibus. §. 102.

235. Q. 3. *An juſtitia & miſericordia Deo æqualiter inſint?* Reſpond. juſtitia Dei conſideratur dupliciter: 1. πρὸς ἔσω quatenus eſt interna & eſſentialis Dei proprietas, quã Deus ab æterno in æternum juſtus, ſanctus & rectus eſt. 2. πρὸς ἔξω quatenus ſeſe in operibus externis vindictæ ac pœnæ exerit. Priori reſpectu juſtitia & miſericordia Deo æqualiter inſunt, quia ſunt ipſa Dei eſſentia. Eccleſ. 2. verſ. 23. ὡς ἡ μεγαλωσύνη αὐτοῦ, οὕτως καὶ

τὸ ἔλεος

ϑὶ ἀλεῶ αὐτῶ cap. 5. verſ. 7. *Miſericordia & ira apud ipſum properabit & in peccatores requieſcet ira illius.* cap. 16. verſ. 12. *Miſericordia & ira apud illum.* Poſteriori reſpectu diſtinguendum inter hujus vitæ curſum, ejusque in extremo judicio terminum. In hac vita eſt tempus gratiæ & miſerationis, ac proinde ſe magis exerit Dei miſericordia quàm juſtitia. Jac. 2. verſ. 13. κατακαυχᾶται *ſuperexultat miſericordia judicio.* In extremo judicio erit tempus retributionis, ac proinde tunc magis ſe exeret Dei juſtitia quàm miſericordia. Jac. 2. v. 13. *Judicium ſine miſericordia erit illi, qui non fecerit miſericordiam,* inde Rainerius de Piſis in ſumma in verb. *Abſolutio,* dicit, quod Deus habeat *duplex forum: 1. in præſenti vita eſt forum miſericordiæ, quia miſericordia modo audit cauſas & juſtitia exercet ferias. 2. in futuro judicio erit forum juſtitiæ, ibi enim juſtitia audiet cauſas & miſericordia exercebit ferias.* Addit 3. Rainerius forum tertium videlicet *in purgatorio,* quod dicit eſſe *miſericordiâ & juſtitiâ temperatum.* Sed tertiũ illud forum Scriptura penitùs ignorat, meritò igitur à nobis repudiatur, perinde ut illud quoque improbandum, quod Rainerius *excluſivè* videtur loqui ac foro hujus vitæ tantùm miſericordiam foro judicii futuri tantùm juſtitiam tribuere, quia in omnibus Dei operibus miſericordia & juſtitia ſimul elucent. Pſal. 25. verſ. 10. *Univerſa via Domini miſericordia & veritas.* Caſſiodor. in Pſalmo 100. explicans illud: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Nec miſericordia Dei ſine judicio, nec judicium ſine miſericordia reperitur, utraque n. ſe mutua ſocietate conjungunt.* Thom. p. 1. q. 21. art. 1. idem probat. Scholaſtici dicunt: *Deus remunerat ultra condignum, & punit infra condignum.* Vide loc. §. 153.

236. Q. 4. *An rectè dicatur, quod juſtitia Dei ſit penitùs* ἄνομος *ac quod Dei voluntas ſit perfectiſſima & ſumma juſtitiæ regula?* Reſp. duplex poteſt eſſe hujus aſſertionis ſenſus, 1. quod juſtitia Dei non habeat normã aliquam ſuperiorem, juxta quam conformari debeat, ſed ſit ſibiipſi lex & norma æquitatis. 2. quod juſtitia Dei agat contra normam æquitatis in lege divina nobis propoſitam. Priori ſenſu concedimus, poſteriore negamus. Quamvis enim Deus non accipiat legem à quodam ſuperiore, tamen ſibiipſi lex eſt, nec agit contra naturalem ſuam juſtitiam, cujus ἐκτύπωμα in lege proponitur. Vide loc. de provid. §. 114. Seriò proinde damnamus, quod Cinglius lib. de provid. cap. 6. ſcribit: *Unum atque idem facinus puta adulterium aut homicidium, quantum eſt Dei motoris ac impulſoris opus, crimen non eſt, quantum autem eſt hominis, crimen ac ſcelus eſt, ille enim lege non agitur, hic autem lege damnatur, ſicuti taurus omnes vaccas heri ſui implens absque adulterio, quia ipſi lex non eſt poſita, cùm herus taxari ſi præter unam uxorem plures habeat, id licitè facere queat: ſic homines mala committendo peccant, quia legi ſubjacent, Deus implendo non peccat, quia exlex eſt.*

237. Q. 5. *An ad juſtitiam & ſanctitatem Dei rectè referatur caſtitas?* Reſp. Caſtitas in homine moderatur ac refrenat voluptates corporeas ac concupiſcentias pravas, quo ſenſu ac reſpectu non tribuitur Deo caſtitas, ſed ea ratione ac reſpectu 1. quia eſt Naturâ puriſſimus & mundiſſimus. 2. quia eſt autor & amator caſtitatis, deteſtatur ac punit omnem immunditiem ac vagas libidines cum caſtitate pugnantes 1. Theſſ. 4. v. 3. 3. diſcerni vult hac notâ *a Spiritibus immundis* & impuris, qui ad prodigioſas libidines homines impellunt Matth. 12. v. 43. Luc. 11. v. 24.

238. Q. 6. *An propter juſtitiam Deo rectè tribuatur ira?* Scriptura ἀνθρωποπαθῶς tantum Deo iram tribuit, notatur enim *vindicta divinæ effectus, non autem turbulentus Dei affectus.* August. lib. 9. de civit. Dei cap. 5. ** Lactant. lib de ira Dei cap. 17. ſtatuit, *iram eſſe in Deo commotionem.* August. in Pſal. 6. *Non cadit in Deum judicem perturbatio, ſed quod in eius miniſtris fit, quia per leges ejus fit, ira ejus dicitur.* Adrianus *furorem & iram* exponit τὴν πρὸς κακίαν ἐναντιότητα τῆς τοῦ θεοῦ βουλῆς. *Voluntatis Dei adverſus malitiam contrarietatem:* Iſag. p. 5. Chryſoſt. ad Stelech. ſive de compunct. tom. 6. f. 155. iram exponit τὴν ἐπίτασιν τῆς τιμωρίας *vehementiam aut gravitatem pœnæ, quoniam* πάντος πάθους τὸ θεῖον ἀπηλλαγμένον *divinitas ab omni paſſione immunis.* ** Propriè Deo non competere iram, Scholaſtici probant hoc modo. Ira dupliciter conſiderari poteſt; 1. *materialiter,* quo reſpectu definitur ſanguinis aut caloris ejus, qui circa cor eſt, fervor & ebullitio. 2. *formaliter,* quo reſpectu definitur appetitus doloris viciſſim adverſario inferendi. Neutro autem modo Deo propriè tribui poteſt ira. Non priore, quia corporalis illa motio in incorporea Dei eſſentia locum non habet. Non poſteriore, quia Deus utpote immutabilis & ἀπαθὴς dolorem aut triſtitiam pati nequit, ac proinde appetitus doloris viciſſim inferendi in eo non habet locum.

239. Q. 7. *An juſtitiam divinam labefactet illa inæqualitas, quod bonis malè, ac malis in hac vita benè eſt?* Vide loc §. 165. Conjunge Juſt. in qq. & reſp. q. 124. p. 367. *Sicut pii dicuntur non eſſe de hoc mundo, ſic & gloria & opes eorum non ſunt terrena. Itaque cùm viderimus piis adeſſe etiam ea, quæ impiis adſunt, reputabimus nobiſcum ex eo non eſſe præſentia bona digna laborum virtutis præmia. Nequaquam pii ab impiis fluxis & corporalibus hiſce rebus interſunt, utriſque enim adſunt omnia & læta & triſtia, alteri autem alteris differunt inprimis ſpe futurorum, & quæ in pietate vera tolerantur paſſionibus, deinde verò etiam auxilio divino, quo ſæpenumero Deus ſuos reddidit conſpicuos &c. atque in his quidem Dei providentia oſtenditur, in illis autem præparat inſtruitq́ue Deus pios, ut ad aliam reſpiciant vitam, in qua per gloriam & ignominiam diſcernentur.* Auguſt. lib. 1. de civit. Dei cap. 8. *Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, ſicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemq́ue miſericordia Dei fovendos amplectitur bonos, ſicut ſeveritas Dei puniendos corripit malos. Placuit quippe divinæ providentiæ præparare inpoſterum bona juſtis, quibus non fruentur injuſti, & mala impiis, quibus non excruciabuntur boni. Iſta verò temporalia bona & mala utriſque voluit etiam communia, ut nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur; nec mala turpiter evitentur, quibus & boni plerunque afficiuntur &c. oſtendit tamen Deus ſæpe etiam in his diſtribuendis evidentius operationem ſuam. Nam ſi nunc omne peccatum manifeſtà plecteretur pœnâ, nihil ultimo judicio reſervari putaretur. Rurſus ſi nullum peccatum nunc puniret apertè divinitas, nulla eſſe providentia divina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus*

quibusdam

quibusdam petentib. evidentiſſimâ largiente conferret, non ad eum iſta pertinere diceremus. Itemq; ſi omnibus ea petentib. daret, nõ niſi propter talia præmia ſerviendum ipſi eſſe arbitraremur &c. lib. 20. de civit. Dei c. 2. *Quamvis neſciamus, quo judicio Deus iſta vel faciat vel fieri ſinat, quod non ſolùm in malo ſint boni & in bono mali, apud quem ſumma virtus eſt & ſumma ſapientia, ſummaq; juſtitia, nulla infirmitas, nulla temeritas, nulla iniquitas, ſalubriter tamen diſcimus non magni pendere ſeu bona ſeu mala, quæ videmus eſſe bonis malisq; communia & illa bona quærere, quæ bonorum ac illa mala maximè fugere, quæ propria ſunt malorum.* Breviter, ut de Comœdia, ſic de Dei providentia & operibus non eſt judicandum ante ultimum actum, bonis enim tandem benè, malis erit malè, ſi non in hac, tamen in alterâ vita.

240. Q. 8. *An juſtitiam divinam labefactet, quod parentum peccata in liberis puniuntur.* Vide loc. §. 157. Q. 9. *An labefactetur divina juſtitia: 1. quando negatur propriarũ ſatisfactionum neceſſitas. 2. quãdo negantur operum merita. 3. quando negantur diſtincta aureola?* Vid. diſp. 4. de glor. Dei §. 45. 6. Q. 10. *An labefactetur 1. per doctrinam de propagatione peccati originalis. 2. per aſſertionẽ quod primi & involuntarÿ pravæ concupiſcentiæ motus ſint peccata. 3 per hypotheſin de* ἀδυναμίᾳ *virium ad implendam legem.* Vide Diſp. 10. de glor. Dei §. 39. 40. 41.

Uſus practicus doctrina de Dei juſtitia.

241. *Uſus practicus 1. Conſolatorius 1. in violentis hoſtium perſecutionibus.* Iuſtus eſt Deus, ergò in juſta cauſa contra injuſtas hoſtium oppugnationes ac perſecutiones nobis ſuo auxilio præſtò erit. Pſ. 35. v. 24. *Judica me Domine ſecundum juſtitiam tuam*, ubi intelligitur juſtitia *cauſæ*, nõ *perſonæ*. Pſ. 94. v. 14. *Non deſeret Iehova populum ſuum.* v. 15. *ſed uſq; ad juſtitiam reverſurum eſt judicium.* 2. *in omnis generis afflictionibus.* Juſtus eſt Deus, ergo non obliviſcetur noſtræ pietatis, noſtræq; obœdientiæ, ſed tandem præmiis eam afficiet. *Nil impune mali malis futurum. Nil immune boni bonis futurum.* 2. Theſſ. 1. v. 6. *Juſtum eſt apud Deum viciſſim reddere iis qui affligunt vos, afflictionem, vobis verò qui premimini relaxationem nobiſcum, cùm pateſiet Dominus Ieſus de cœlo.* Heb. 6. v. 10. *Non eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & laborioſæ caritatis &c.* 3. *in graviſſimis* de peccatorum noſtrorum & iræ divinæ magnitudine *tentationibus.* Juſtus eſt Deus, ergo peccata noſtra, quæ in Chriſto puniit, non denuò in nobis puniet, nec ſatisfactionem, quam Chriſtus pro nobis præſtitit, à nobis denuò exiget, inde Rom. 3. v. 26. in peccatorum remiſſione *Dei juſtitiam* demonſtrari Apoſtolus aſſerit.

242. 2. *Exhortatorius 1. ad Deum glorificandum.* Sive juſtitiam promiſſa implentem, ſive juſtitiam diſponentem, ſive juſtitiam impios punientẽ conſideremus, ubiq; nobis ſuppetit div. laudis materia. Pſ. 7. v. 18. *Celebrabo Jehovam ſecundùm juſtitiam ejus.* Pſ. 51. v. 16. *Cantabit cum jubilo lingua mea juſtitiam tuam.* Apoc. 19. v. 1. *Halleluja, ſalus & honor & gloria & virtus Domino Deo noſtro eſto, quia vera & juſta ſunt judicia ejus.* 2. *ad timorem filialẽ in cordibus excitandum.* Iuſtus eſt Deus & juſtè judicat, ergò à facie ejus timeamus. Iob. 37. v. 23. *Deus magnus eſt fortitudine & judicio, magnus juſtitia, adeo timebunt eum viri.* Malach. 1. v. 6. *Si Pater ego ſum* (benignus & miſericors) *ubi honor meus, & ſi Dominus ego ſum* (juſtus & terribilis) *ubi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum.* Tertull. lib. 2. adv. Marc. p. 180. *Deus eſt Pater clementiâ, Dominus diſciplinâ. Pater poteſtate blandâ, Dominus ſeverâ, Pater diligendus piè, Dominus timendus neceſſariè.* 3. *ad peccati odium* in nobis accendendum. Iuſtus eſt Deus ac ſeverè iraſcitur peccatis, ergo ſedulò caveamus, ne iram ejus peccatis adverſus nos provocemus. Exod. 20. v. 5. *Ego Deus zelotes viſitans iniquitatem Patrum in filiis &c.* Sirac. 7. v. 17. *Ne computes teipſum in multitudine peccatorũ. Memento, quoniam ira non tardabit* ὀργὴ οὐ χρονιεῖ. Quandocunq; igitur à Diabolo ad peccatum ſollicitamur, cogitemus *divinam juſtitiam*, quando in peccatum prolapſi ad deſperationem impellimur, cogitemus *divinam miſericordiam*. Bernh. ſerm. 6. in Cant. col. 506. *Pedes Dei alterum juſtitiam, alterum miſericordiã nominemus &c. curato ut neutro fraudaris illorum. Si dolore peccati & judicii timore compungeris veritatis judiciiq; veſtigio labia impreſſiſti. Si timorem doloremq; divinæ intuitu bonitatis & ſpe conſequendæ indulgentiæ temperas, etiam miſericordiæ pedem te amplecti noveris, alioquin alterum ſine altero oſculari non expedit, quia & recordatio ſolius judicii in barathrum deſperationis præcipitat & miſericordiæ fallax aſſentatio peſſimã generat ſecuritatem.* 4. *ad temeritatem judicii de divinis operibus refrenandam.* Juſtus eſt Deus, imò ipſa juſtitia. Ergò omnia juſtè agit, quamvis ratio juſtitiæ à nobis non ſemper conſpiciatur. Jerem. 12. v. 1. *Juſtus es Jehova ſi velim tecum contendere.* Job. 40. v. 3. dicit Deus ad Jobum: *Nunquid irritum facies judicium meum & condemnabis me ut juſtificeris?* 5. *ad humilitatem & patientiam in nobis plantandam.* Iuſtus eſt Deus, ergo quando nos caſtigat & corripit, agnoſcamus juſtum ipſius judicium, ac ponamus os noſtrum in pulverem. 2. Paral. 12. v. 5. cùm Schemahia Propheta Iſraelitis denunciaret pœnam, deprimentes ſe Principes Iſraelis & Rex dixerunt: *Juſtus eſt Jehova.* Nehem. 9. v. 33. *Juſtus es Domine in omnibus, quæ obvenerunt nobis, nam veritatem exercuiſti, quia improbè egimus* Pſal. 119. v. 137. *Juſtus eſt Jehova, & rectum unumquodq; judiciorum ſuorum.* Dan. 9. v. 7. *Penes te Domine eſt juſtitia, nobis autem confuſio faciei.*

SECTIO XIII.

De Dei omniſcientia.

243. Theſis. *Deus ſuâ Naturâ eſt omniſciens ac ſcientia ejus eſt infinita.* Deus cùm creaturas intelligendi ac ſciendi facultate præditas condiderit, ideo ipſe quoque eſt Ens intelligens Pſal. 94. verſ. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet? qui finxit oculum, nonne videbit?* verſ. 10. *Qui docet hominem omnem ſcientiam.* verſ. 11. *Dominus ſcit cogitationes hominum*, q. d. Pſaltes, cùm Deus hominem ſcientem & intelligentem condiderit, ideò ipſum quoque oportet eſſe ſcientem & intelligentem. Scientia illa Dei non ineſt ipſi per modum *habitus* eſſentiæ ſuperadditi, ſed tribuitur ei ut puriſſimus *actus*, Deus enim ſuâ eſſentiâ, non autem habitu quodam ſcientiæ omnia cognoſcit. Sed nec in ſciendi actu indiget ſpeciebus intelligibilibus ſed ſeipſo, per ſeipſum, in ſeipſo cognoſcit ac videt omnia, unde etiam non *diſcurſive* ratiocinando aliud ex alio colligens, nec *ſucceſſive* unum poſt alterum cognoſcens, ſed una ſimplici

De Dei omniſcientia

intellectione;nec in tempore & cum motu, ſed uno æterno & immutabili intelligendi actu & uno momento omnia intuetur. Quod ergò præſciĕtia Deo tribuitur, id ſit reſpectu noſtri, ipſi n. omnia ſunt præſentia quæ nobis adhuc futura & reſpectu rerum, quæ in tempore fiunt, cùm ab æterno Deo ſint nota. Proinde ut Deus 1. eſt infinitus, 2. æternus. 3. ſimpliciſſimus, 4. immutabilis, 5. incomprehenſibilis. Sic Dei omniſcientia eſt 1. infinita. 2. æterna. 3. ſimpliciſſima. 4. invariabilis & 5. rationi noſtræ incomprehenſibilis. Ut Deus eſt Ens perfectiſſimum, ita quoq; perfectiſſimè novit omnia, non per incertam conjecturam, ſed per certam & infallibilem ſcientiam, non confusè & generaliter, ſed diſtinctè & particulariter.

244. Diſtinguitur Dei ſcientia. 1. *in generalē & ſpecialem*. Generalis Dei ſcientia extendit ſe ad omnia, novit n. omnes res & rerum cauſas, cognoſcit univerſalia & particularia, bona & mala, univerſa & ſingula. Specialis Dei ſcientia pertinet tantùm ad electos, novit enim ab æterno qui finaliter ac perſeverāter in Chriſtum eſſent credituri, quos etiam ad vitam æternā elegit. Rom. 8. v. 29. 1. Pet. 1. v. 2. 2. *in theoreticam & practicā*. Theoretica eſt, quâ Deus ſimpliciter & abſolutè omnia cognoſcit. Practica eſt, quâ Deus quædam eâ ratione ſcit, ut etiam eadē operetur. Vocatur aliàs ſcientia beneplaciti & approbationis. Prior extendit ſe ad omnia, poſterior tantùm ad bona. Prior diſtincta eſt à voluntate, poſterior cū voluntate juncta eſt, prior agit in ſeipſa, poſterior agit in alio. Prior non eſt cauſa rerum, poſterior verò eſt cauſa rerum. Prioris exemplum proponitur in Medico, qui præſcit ægrum craſtino die moriturū, poſterior in latrone, qui præſcit altero die occiſum iri eum, cui ipſe violentas manus infert. Affinis eſt huic diſtinctioni illa altera, quâ ſcientia Dei tripliciter diſtinguitur. 1. eſt *nuda Dei notitia*. 2. *ſcientia approbationis* Pſ. 1. v. 6. Matth. 7. v. 23. *non novi*. 3. *cognitio judicialis*, quâ impietatem punit, vel pietatem remuneratur. 3. in *ſcientiā viſionis & ſimplicis intelligentia*. Scientia viſionis eſt quâ Deus ea, quæ ſunt, & ſunt verè futura, novit & videt tanquam præſentia, vocatur aliàs *intuitiva ac definita*, hac Deus videt & ſeipſum, & res omnes exiſtentes; ſeipſum videt in ſeipſo, res alias videt primò in ſeipſo, tanquā ſumma omnium rerum cauſa & univerſali principio, ſecundò in proximis cauſis à quibus proficiſcuntur, tertiò in ſeipſis, quatenùs omnia, quæ Deus hac ſciĕtiâ videt, vel fuerunt, vel ſunt vel futura ſunt. Sciĕtia ſimplicis intelligĕtiæ eſt, qua Deꝰ ea, quæ poſſūt fieri & eſſe, ſed nunquā fient, nunquā erūt, novit in ſua omnipotente eſſentia, non autem ut in principio actuali, & ut involente, quia ea non vult actu fieri & exiſtere, nec in ſecundis eorū cauſis, quia nullas habent, nec in ſeipſis, quia nunquam ſunt futura. Vocatur aliàs notitia *abſtractiva & indefinita*. 4. *in notitiam præteritorum & præſentium, ac præſcientiam futurorum*. Sed hæc diſtinctio non eſt accipienda reſpectu Dei, is enim propriè loquendo ut præteritorum non recordatur, ſic futura non præſcit. Ut res temporales ſcientiâ æternâ, res finitas ſcientiâ infinitâ, res mutabiles ſcientiâ immutabili, res fluxas & mobiles ſcientiâ fixâ & immobili, res diſtinctas ſcientiâ ſimpliciſſimâ, ſic res futuras ſciĕtiâ præſente novit ac complectitur. Noſtri autem & ipſarum rerū (quæ in ſe conſideratæ ſunt præteritæ, præſentes, futuræ) reſpectu præſcientia Deo tribuitur. 5. in ſcientiā *naturalem ſeu neceſſariam, liberā & mediam*. Scientia Dei naturalis eſt, quâ ſeipſum & omnia poſſibilia novit. Libera eſt, quâ novit alia omnia Entia. Media eſt, quâ novit, ſi hoc ſit, illud futurum. Scientia Dei neceſſaria præcedit omnē liberum div. voluntatis actum. Libera ſequitur actum voluntatis. Media præcedit illa quidem actū voluntatis, ſed ex hypotheſi illius aliquid futurū videt. Beca. p. 1. Theol. Schol. c. 10. quæſt. 1. *Naturalis eſt, quâ Deus ab æterno ante omne liberū decretū voluntatis cognovit res omnes poſſibiles. Libera quâ poſt decretū ſua voluntatis abſolutè & determinavit, cognovit res omnes futuras. Media, quâ ab æterno non abſolutè, ſed ſub conditione cognovit, quid homines & Angeli facturi eſſent pro ſua libertate ſi cum his vel illis circumſtantiis in tali vel tali rerum ordine collocarentur*.

245. Probat Dei omniſcientiā. 1. *Scriptura*, idq; 1. *affirmativè* καταφατικῶς. Iob. 28. v. 24. *Ipſe fines mūdi intuetur, & omnia, quæ ſub cœlo ſunt, reſpicit*. 1. Sam. 2. v. 3. vocatur אֵל דֵּעוֹת *Deus ſcientiarum*. 1. Sam. 16. v. 7. *Non ſicut homo videt* (ſic Deus) *nam homo videt ad oculos*, id eſt, quæ ſūt præ oculis, *Deus autē videt ad cor*, id eſt, quæ ſunt in corde. 1. Reg. 8 v. 39. *Tu ſolus noſti corda omnium filiorum hominū*. Pſ. 94. v. 11. *Dominus ſcit cogitationes hominum*. Pſ. 139. v. 1. *Domine inveſtigaſti me & cognoviſti me*. v. 2. *tu cognoviſti ſeſſionem meā & reſurrectionem meam, intellexiſti cogitationem meam* מֵרָחוֹק *à longè*, (ab æterno ſc. uno ſimplici intuitu) v. 3. *ſemitā meam & accubitum meū ventilaſti, & omnes vias meas intellexiſti*. הִסְכַּנְתָּה v. 4. *quia nō eſt ſermo in lingua mea, ecce Domine tu noſti totum ipſū*. v. 6 *mirabilis ſcientia à me, excelſa eſt & non potero ei* (eā attingere) v. 12. *Etiam tenebræ non occultabunt me, & nox ſicut dies lucebit, ſicut tenebroſitas, ſicut lux* (tenebræ coram te ſicut lux, & lux ſicut tenebræ) Actor. 15. v. 18. *nota ſunt à ſeculo omnia opera ejus* ἀπ' αἰῶνος 1. Ioh. 3. v. 20. *Deus novit omnia*. 2. ἀποφατικῶς, *negativè*. Iob. 42. v. 2. *non prohibetur* (ſive abſcondita eſt) *à te cogitatio*. Pſ. 139. v. 45. *Non occultū fuit corpus meū à te, quando factus ſum in occulto*. Hebr. 4. v. 13. *Nō eſt ulla creatura* ἀφανής, *inviſibilis & inconſpicua coram ipſo*. 3. συμβολικῶς, *metaphoricè ac figuratè*. Quando enim *oculi* Deo tribuuntur, ipſius omniſcientia ſignificatur, quod omnia corām intueatur, ac ſi oculis ſuis omnia contempletur. 2. Paral. 16. v. 9. *Oculi Domini perluſtrant totam terram*. Pſ. 11. v. 7. *Oculi ejus videbunt, palpebræ ejus probabunt filios hominum*. Eccl. 23. v. 28. ὀφθαλμοὶ Κυρίυ τῦ ὑψίςυ μυριοπλασίως ἡλίυ φωτεινότεροι εἰσιν, οἱ καταβλέποντες πάσας ὁδὺς ἀνθρώπων ϗ κατανοῦντες εἰς ἀπόκρυφα μέρη. Item quando Deus vocatur *lux*, inter cætera etiam ipſius omniſcientia denotatur, tunc enim res dicitur clara & lucida, quando cognoſcitur 1. Ioh. 1. v. 5. *Deus lux eſt & tenebræ in eo non ſunt ulla*. Luc. 12. v. 7. *omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt*, id eſt, Deus tàm certò, diſtinctè & infallibiliter novit vos & omnia veſtra ac ſi omnia, etiam capillos veſtros in numerato habeat. Hûc pertinet dictum Apoſtolicum Hebr. 4. v. 13. πάντα γυμνὰ ϗ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῦ, quod ſic exponit Iſidorus Peluſiota libr. 1. Ep. 94. p. 25. *Hæc verba translatione ductà à victimis, quæ ad ſacrificium adhibentur, à Paulo inſigni ſapientiâ prædito viro ſcripta ſunt. Quemadmodū enim illa, cùm pelles detrahuntur, omni conſpicuo indumento ſpoliantur, abditarumq; internè partiū ſtatū & affectionē indicant, atq; ad oſſium omnium & membrorū indagationem diſſecantur: Sic corā Deo nihil latet*. Quidā vertunt *reſupinata*, ut metaphora ſumta ſit ab iis, quorum facies reſupinata oculis exponitur.

exponitur. Vid. loc. §. 159.

246. 2. *Ratio. 1. per viam negationis.* Ignorantia eſt quidam defectus & imperfectio. Atqui v. Deus eſt perfectiſſimus & ſibi ſufficiens. E. omnis ab eo ignorantia removenda. *2. per viã cauſalitatis.* Deus in toto univerſo omnia regit, & ad convenientes fines dirigit, etiam ea, quæ cognitione & ratione deſtituuntur. Ergò omnia præſcit ac videt. Cùm omnia, quæ ſunt, eſſe ſuum à Deo habeant, quomodo ſcientia Dei non pertingeret ad omnia à ſe producta, num artifici ignotum erit ejus opus? 3. *per viam eminentiæ.* Deus fecit creaturas intelligentes ac ſcientes, Angelos ſc. & homines, ergò longè perfectiore & eminentiore modo ſcit & intelligit. Pſal. 94. v. 10. Vid. loc. §. 160.

247. 3. *Patrum dicta.* In Hiſtoria Procheri tom. 1. Orthodoxogr. p. 87. Deus vocatur παντεπόπτης. Polycarpus in Epiſt. ad Philippenſes tom. 1. Orth. part. 2. p. 3. *Omnia Deus proſpicit, & nihil eum latet, neq; cogitatio, neq; conſcientia, neq; aliquod abditum cordis.* Iuſt. in Apolog. 1. pro Chriſt. p. 39. θεὸν πάντων ἐπόπτην δίκαιον οἴδαμεν. Apol. 2. p. 46. ἀδύνατον θεὸν λαθεῖν τι, ἢ μόνον πραττόμενον, ἀλλὰ καὶ βουλόμενον. in Dial. cum Tryph. p. 279. ὁ θεὸς ὢν τῷ αὐτῷ σχήματι, ὅπως ποτὲ μὲν ὀξὺ ὁρῶν καὶ ὀξὺ ἀκούων οὐκ ὀφθαλμοῖς οὐδὲ ὠσίν, ἀλλὰ δυνάμει ἀλέκτῳ καὶ πάντα ἐφορᾷ καὶ πάντα γινώσκει, καὶ οὐδεὶς ἡμῶν λέληθεν αὐτόν. Tert. lib. 2. adv. Marcion. *Præſcientia Dei tot habet teſtes, quot fecit Prophetas.* Orig. lib. 1. Epiſt. Rom. *Valde impius eſt, qui hoc non credit in Deo, ut quod nos in præterito videmus, hoc ille videat in futuris.** ** Lactant. lib. 6. c. 24. *Scit ille omnia, in cujus conſpectu vivimus, nec ſi univerſos homines celare poſſimus, Deum poſſumus, cui nihil abſconditũ, nihil poteſt eſſe ſecretum.* ** Hilar. in Pſal. 129. *Ubique & in omnibus totus omnia audit, totus omnia videt, totus omnia novit.* Auguſt. lib. 5. de civit. Dei cap. 9. *Confiteri Deum eſſe, & negare præſcium futurorũ, apertiſſima eſt inſania.* in expoſ. Pſ. 7. *Scrutari renes & corda Deus dicitur videns omniũ cogitationes, quæ nomine cordis ſignificata & delectationes, quæ nomine renũ intelliguntur.* In Pſ. 93. *Oculũ in te non intendet ſuũ, qui fecit tuum? Velis, nolis, videt te & ab ejus oculis non eſt ubi abſcondas te.* In Pſ. 136. *Deus totus oculus eſt, quia omnia videt.*** Idẽ Ep. 111. Parietib. oculi hominum ſubmoventur, Dei autẽ divinitas nec viſcerib. ſubmoveri poteſt, quò minùs totum hominem perſpiciat & norit.**

248. Antitheſis. 1. *Gentiles extra Eccleſiam,* cùm libertatem humanæ voluntatis cum immutabilitate div. præſcientiæ conciliare non poſſent, Dei præſcientiam negarunt. Aug. lib. 5. de civ. Dei c. 9. *Stoicos ita redarguit Cicero in libr. de divinat. ut neget eſſe ſcientiam futurorum eamq; omnibus viribus nullam eſſe contendat vel in Deo, vel in homine, nullamq; rerum prædictionem. Ita & Dei præſcientiam negat & omnem Prophetiam luce clariorem conatur evertere vanis argumentationibus.* Huc pertinet, quod Averroës negat *Deũ cognoſcere ſingularia.* in 12. Metaph. 2. In Eccleſia, *Agnoetæ* Chriſto omniſcientiã derogabant. Fuerunt autem duo genera Agnoetarum. Quidã Phtartolatræ non divinitati, ſed *animæ Chriſti* ignorantiam noviſſimæ diei tribuebãt; de quib. agit Nicephor. lib. 18. Hiſt. Eccl. c. 50. Quidã verò ipſi *divinitati* illã ignorantiã tribuebant, de quibus agit Rabanus lib. 2. de Inſt. Cleric. c. ult. Confer. Greg. lib. 8. Epiſt. 24.

249. 4. Multis modis *Vorſtius* omniſcientiã divinã labefactat. Diſp. de Deo p. 311. *Sapientia Dei per ſe minimè requirit, ut Deus omnia & ſingula, quæcunq; nunc in mundo ſunt, ab æterno ſcientiâ viſionis abſolutâ prænoverit.* Ibid. *Nihil vetat in Deo generatim loquendo aliquem talem eſſe diſcurſũ, quo unũ poſt aliud, & rurſus unũ propter aliud aut eſſe aut fieri velit, imo ſana ratio exigit, ut quia vera proæreſis in Deo locũ habet, reſpectu eorum omnium, quæ ſunt aut ſiunt extra ipſam, etiã διάνοια quædã, ſed divina & ab omni defectu liberrima locum in ipſo inveniat.* p. 270. negat ſcientiã Dei eſſe ipſam ejus eſſentiã. *Actus ſciendi* (inquit) *quo Deus extra ſe res creatas, puta ſigulas ſpeciatim & diſtinctè cognoſcit, ſive quo res corã intuendo intelligit, ad eſſentiã Dei minimè pertinet, h. e. nõ eſt ipſe Deus, ſed ejuſmodi operatio divinitatis, quæ non niſi mediãte liberæ voluntatis actione in Deo locũ habere poteſt.* p. 441. *Plenius reſpondere videntur, qui certã quidẽ in genere univerſam Dei ſcientiã eſſe docent, ſed ita tamen, ut plures certitudinis cauſas in viſione præſentium ac præteritorũ, quam in viſione futurorũ contingentiũ agnoſcant, atq; ita horum ſpẽ atq; expectationẽ comparativè loquendo aliquatenus incertum eſſe ſtatuunt.* p. 451. *Deus ſuo modo aliquãdo metuit, h. e. meritò ſuſpicatur, & prudenter conjicit, hoc vel illud malũ oriturum.* p. 266. *Abſit, ut Deo vel hypocriſin, vel temeritatẽ atq; imprudentiam ejuſmodi tribuamus, cujuſmodi per infallibilẽ omnium futurorũ prænotionem omnino induci videtur.* p. 275. *Qui præſcientiã Dei univerſaliter ſimul & æqualiter, ſive prorſus eo modo ad omnia quæcunq; ſiunt, tàm neceſſaria, quàm contingentia, tam mala, quam bona ſine delectu extendunt, illi arbitrij noſtri libertatem, omnemq; rerum contingẽtiam evertunt, imò Deum ipſum peccati autorẽ tandem manifeſtè conſtituunt,* Vide etiam Apol. exeg. c. 23. ſtylo planè Photiniano informatum.

250. 5. *Photiniani* dum negant, *Deum præſcire futura hominum peccata,* ſecuti hac in parte Albanenſes, qui circ. A. C. 796. contendebant, *Deũ non præſcire ex ſe aliquod malum, ſed per adverſariũ ſuum videl. Dæmonẽ.* Soc. in præl. Theol. c. 8. 9. 10. & 11. *Nulla ratio, nullii Scripturæ teſtimonium proferri poteſt, ex quo aperte colligitur, Deũ mala ex voluntatib. hominũ dependentia ſciviſſe antequam fierẽt.* (At hac ratione Deum mutabilem conſtituit. Si n. Deus in tempore aliquid actu cognoſcit, quod ab æterno non novit, mutatur ab ignorãtia ad ſcientiam, & ſic cadit in eum accidens) c. 10. p. 38. proponit hanc regulã: *Si teſtimonium aliquod Scripturæ ſive de bonis, ſive de malis operib. loquatur, fieri poteſt, ut prædictio ſit ex planè veriſimilib. tantùm, ob idq; nõ certa neq; ex prænotiõe.* Similia habet Schmalz. in refut. diſp. poſt 12. D. Frãtz. p. 427. 432. 437. (At veriſimilium & contingentium non eſt certa ac determinata veritas, ergò ſi Deus ex veriſimilibus tantùm futura novit, ſcientia ejus non erit certa & infallibilis, ſed fallax. Contra Scriptura disertè pronunciet. Eſ. 41. v. 22. *Accedant & nuncient vobis* אֵת אֲשֶׁר תִּקְרֶינָה *accidentia futura* (ita enim uſurpatur Gen. 42 v. 29. c. 44. v. 29. Eſa. 26. v. 13.) *Priora quæ fuerũt* (quid ipſa) *nunciate, & ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſſima eorum, & quæ ventura* הַבָּאוֹת *facite nos audire.* v. 23. *annunciate ventura in poſterũ, & ſciemus quod Dij,* ex quo loco ſic colligimus. Talis futurorum præſcientia Deo tribuẽda, per quã à creaturis & fictitiis Diis diſtinguatur. Sed præſcientia futurorum ex veriſimilib. tantùm non diſtinguit Deum à creaturis & fictitiis Diis. E. Item. Quæ futurorum præſcientia certitudinem divinarum prædictionum tollit, infallibilitatem earum & Scripturæ ſacræ veritatem labefactat, majeſtatem divinam ſolius veri Dei propriam

in accidens Diabolo & hominibus commune transformat, ea non eſt Deo tribuenda. Sed præſcientia futurorum ex veriſimilibus talis eſt. Deniq; quæ futurorum præſcientia ipſo eventu comprobatur, quòd ſit certa & infallibilis, ea non eſt tantùm ex veriſimilibus. Sed divina præſcientia ex eventu comprobatur, quòd ſit certa & infallibilis. E. Sic prædixit oppreſſionem Iſraëlitarum in Ægypto Gen. 15. v. 13. eorum idololatriam Deut. 31. v. 16. prædixit omnia, quæ in paſſione Chriſto obtigerunt, quæ omnia & ſimilia ipſo eventu ſunt comprobata. Cives Cegilæ tradituros Davidem in manus Saulis, erat merè contingens, & tamen præſcit Deus, ſi David in urbe manſiſſet, Cegilatanos cives Davidem tradituros 1. Sam. 23. verſ. 12. Vide diſp. 10. de glor. Dei §. 16.

251. Q. 1. *An ex eo, quòd Deus peccatorum noſtrorum oblviſci dicitur Ez. 18. v. 22. omniſcientia divina labefactetur.* Reſp. Minimè verò, quia oblivio illa non opponitur nudæ ſcientiæ, ſed cognitioni judiciali, quâ Deus ita novit peccata, ut meritis pœnis in ea animadvertat. Obliviſcitur Deus peccatorum non παθητικῶς, *affectivè*, ut nullã ampliùs eorum ſcientiam habeat, ſed ἐνεργητικῶς *effectivè*, quatenùs pœnas peccatorum non immittit. Idem judicium eſto de illis Sanctorum querelis, in quibus Deus ipſorum dicitur oblitus, h. e. non ſentiunt divinum auxilium.

Quæſtiones de Dei omniſcientia.

252. *An pugnet cum omniſcientia divina, quod Gen. 18. v. 21. dicitur, Deſcendam, & videbo, an Sodomitæ compleverint iniquitates ſuas?* Reſp. per ἀνθρωποπαθείας figuram hæc accipienda, tunc videre peccata hominum dicitur, quando ipſo facto pœnarũ ſc. irrogatione oſtendit, ſe peccata nec ignorare, nec approbare. Quòd enim non fuerint Sodomitarum ſcelera Deo ignota, patet ex eo, quòd in colloquio cum Abrahamo innuit, ne quidẽ decem juſtos in illis urbibus ſupereſſe. Gen. 18. v. 32. Pii veteres etiam hoc addunt, Deum ideò dicere ſe deſcenſurum, ut videat, an compleverint Sodomitæ iniquitates, ut Magiſtratus ac judices doceantur, non niſi re probè cognitâ & perſpectâ de pœnis eſſe ſtatuendum.

253. Q. 3. *Quomodo ſcientia Dei infinita, cùm non cognoſcat actu infinita?* Reſp. imò v. Deus non ſolũ Entia creata finita; ſed etiam ipſum Ens infinitum, videl. ſeipſum perfectiſſimè cognoſcit, utiq; ergò objectum infinitum cognoſcit. Prætereà Deus finita novit non finitâ, ſed infinitâ ſcientiâ, ſicut finita efficit non finitâ, ſed infinitâ potentiâ. Ut n. ipſius potentia non finitur nec terminatur finitorũ productione, quia non agit ſecundùm totam potentiæ ſuæ activitatem, ſed facto operi ſemper ſupereſt major potentia, ſic ipſius ſcientia non finitur nec terminatur finitorum cognitione, quia ſcientia ipſius ſemper latiùs ſe extendit, cùm noverit non ſolùm quæ ſunt, ſed etiam quæ non ſunt, eſſe tamen per divinam potentiam poſſunt, quæ ſunt infinita. Vid. loc. de provid. §. 30.

254. Q. 4. *An cum certa & infallibili futurorum contingentiũ præſcientia pugnet uſus particulæ dubitativa forte, forſã?* Ier. 26. v. 3. Matt. 11. v. 23. Reſp. particulæ illæ non reſpiciunt præſcientiæ divinæ infallibilitatem, ſed humanæ voluntatis libertatẽ. Hieron. in c. 2. Ezech. *Loquitur hæc Deus* (ſi fortè vel ipſi audiant) *ambigentis affectu, ut liberum hominis monſtret arbitrium, ne præſcientia futurorũ immutab. faciat quod Deus futurũ noverit. Nõ enim quia ille futura cognoſcit, neceſſe eſt nos facere, quod ille præſcivit, ſed quod nos propriâ voluntate ſumus facturi, ille novit futurũ.* Greg. homil. 18. in Ezech. *effectus difficultatũ indicari* aſſerit. Adde quod Hebræũ אולי & Græcũ ἄρα, ἄν nõ tàm dubitãtis, quàm benè ſperãtis & confirmantis animum exprimant.

255. Q. 5. *An præſcientia Dei tollat arbitrii humani libertatem?* Cajetanus referente Pererio cõment. in c. 9. Rõ. num. 79. *Si quis rogaret me, ut oſtenderem connexionẽ eorum inter ſe, equidẽ reſponderem ſcire me, quod verũ vero non eſt contrarium, ſed neſcire quomadmodũ iſta duo inter ſe ſocientur, ſicut neſcio myſterium Trinitatis, quod tamen credo, & ſicut credo alia fidei myſteria.* Ut tamen quodammodò explicetur, quâ ratione certitudo & immutabilitas divinæ præſcientiæ non tollat rerum contingentiã & libertatis humanæ voluntatem, diſtinguendum eſt inter *neceſſitatẽ conſequentis* (quam aliàs vocant *abſolutã, præcedentem ſimplicem*) quæ oritur ex neceſſaria cauſæ cum effectu ac intrinſeca terminorum connexione: & inter *neceſſitatẽ conſequentiæ* (quã vocant *hypotheticam, ſequentẽ, comitantem conditionalẽ, ex ſuppoſitione*) quæ oritur ex actu exiſtentiæ ab ipſa poſitione effectus, quia omne quod eſt eo ipſo quod eſt, neceſſe eſt eſſe. Hac poſteriori neceſſitatis ſpecie reſpectu divinæ præſcientiæ neceſſaria ſunt, quæ ex cauſis contingenter & liberè agentib. fiunt, atq; hæc neceſſitas non tollit libertatẽ, ſed potiùs præſupponit, quod Auguſt. lib. 5. de civ. Dei c. 9. ſic declarat: *Non eſt conſequens ut ſi Deo certus eſt cauſarum omniũ ordo ideò nihil ſit in noſtra voluntatis arbitrio & ipſa quippè noſtræ voluntates in cauſarũ ordine ſunt, qui certus eſt Deo ejusq; præſcientia continetur, quoniam & humanæ volũtates humanorũ operũ cauſa ſunt, atq; ita qui omnes rerum cauſas præſcivit, profectò in eis cauſis etiam noſtras voluntates ignorare non potuit, quas noſtrorũ operum cauſas eſſe præſcivit, quomodo ergò ordo cauſarũ, qui præſcienti Deo certus eſt, id efficit, ut nihil ſit in noſtra voluntate, cùm in ipſo cauſarũ ordine magnum habeant locũ noſtræ voluntates?* lib. 3. de lib. arbitr. c. 4. *Sicut tu tuâ memoriâ nõ cogis facta eſſe, quæ præterierunt: ſic Deus præſciẽtiâ ſua non cogit faciẽda, quæ futura ſunt.* Boëtius utitur hac ratiocinatione: *Non repugnat aliquid eſſe futurũ contingenter. E. non repugnat illud ſciri, & per cõſeq. ſciẽtia futuri contingentis non tollit ejus contingentiã.* Antecedẽs probatur, quia eſſe futurũ contingenter duo tantũ dicit, nempè futurũ eſſe & poſſe non eſſe. Sed hæc duo inter ſe nõ pugnãt, quia ſicut multa poſſunt fieri, quę non fiẽt, ſic multa fiẽt, quę poſſent non fieri, ergò multa contingenter fient. Quod a. contingẽter futurũ eſt, hoc verè futurũ eſt, præſciri ergò poteſt. Omne enim quod verũ eſt, ſcibile eſt. Ergò ſciẽtia non tollit contingentiã. Vid. loc. de Provid. §. 35. De reliquis quæſtionib. utpotè 1. *An Deus omnia extra ſe cognoſcat diſtinctè? 2. An ea cognoſcat per ideas? 3. An præſcientiam habeat nõ Entiũ? 4. An præſciẽtia Dei ſit rerũ cauſa? 5. An & quomodo Deus cognoſcat mala culpæ? 6. An præſciẽtia Dei ſit invariabilis?* in art. de provid. actũ fuit, ac latè de illis diſputant cõment. Th. p. 1. q. 14.

256. *Uſus practicus. 1. conſolatorius. 1. in adverſis.* Deus eſt omniſcius. E. videt noſtras afflictiões, noſtras anguſtias, nec videt ſolũ ſed etiam miſeratione tangitur, cùm ſit benigniſſimus Pater noſter. Pſ. 10. v. 13. *Vides, quoniam tu laborem & afflictionẽ conſideras. v. 14. tibi derelictus eſt pauper.* Ex. 3. v. 7. dicit Iehova: *Vidi afflictionẽ populi mei. 2. in periculis.* Deus πανεπόπτης videt inſidias ab hoſtib. Eccle-

Uſus practicus doctrina de Dei omniſcientia.

ſiæ &

ſiæ & enivis verè pio ſtructas. E. non nimiùm animo angamur in periculis conſtituti. Pſal. 142. verſ. 4. *Cùm defecerit in me Spiritus meus, & tu cognoviſti ſemitam meam, in via quâ ambulabā, abſconderunt mihi laqueum.* 3. *in calumniis.* Deo nota eſt *via juſtorum* Pſ. 1. v. ult. ergò ſi vel maximè expoſiti ſint variis obtrectationibus & calumniis erigant ſe hac conſolatione, quòd Deo cor ipſorū ſit notum.

257. *Exhortatorius. 1. ad vitandum peccatum.* Oculi Domini aperti ſunt ſuper omnes filios hominum, omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus, ergò caveamus à peccatis, quæ non poſſunt in loco tàm occulto perpetrari, ut effugiant ejus intuitū & conſpectū. Thales interrogatus, *an facta hominū Deū laterent? ne cogitata quidem* reſpondit, *ut non ſolùm manus, ſed etiā mentes puras habere vellemus, cùm ſecretis cogitationibus noſtris cœleſte Numē adeſſe credimus.* Val. Max. lib. 7. c. 2. Eccl. 23. v. 25. *Adulter ſecū ita cogitat, quis me videt? tenebræ & parietes occultant me, ut nemo videre queat? quē verear? nec cogitat, oculos Domini eſſe lucidiores Sole, & videre omnia quæ homines agunt etiā in occultiſſimis angulis.* Iob. 34. v. 21. *Oculi Domini ſunt ſuper vias hominū, & omnes greſſus eorum videt.* v. 22. *non ſunt tenebræ, & non eſt umbra mortis, ut abſcondantur ibi, qui operantur iniquitatē.* 2. *ad hypocriſin fugiendā.* Omniſciꝰ Deus penitiſſimos atq; occultiſſimos cordis receſſus intuetur, cavenda igitur hypocriſis malitiam cordis occultam externâ honeſtatis facie obvelans. Ier. 17. v. 10. *Pravū eſt cor hominis & inſcrutabile, quis cognoſcet illud? ego Dominus ſcrutās cor, & probans renes, qui do unicuiq; juxta viā ſuam, juxta fructū adinventionum ſuarum.* 3. *ad iniquitatē Deo confitendā.* Pſ. 32. v. 2. *Quoniam tacui, inveteraverunt oſſa &c.* Prov. 24. v. 12. *Qui ponderat corda intelligit.* Aug. lib. 10 conf. c. 2. *Tibi Domine, cujus oculis nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, quid occultum eſſet in me, etiamſi nollem confiteri tibi? te enim mihi abſconderem, non me tibi. Nunc autem quod gemitus meus teſtis eſt diſplicere me tibi, tu refulges & places, & amaris & deſideraris, ut erubeſcam de me, & abjiciam me, atq; eligam te, & nec tibi, nec mihi placeam niſi de te.*

Sectio XIV.

De divina omniſapientia.

De Dei ſapientia.

258. Theſis. *Deus eſt omniſciens, ita quoq; ſapientiſſimus, imò ipſa ſapientia.* Sapientia Dei diſtinguitur ab omniſcientia Rom. 11. v. 34. 2. Omniſapientia eſt attributum eſſentiale abſolutum, omniſcientia relativum. 3. Omniſapientia complectitur ſcientiam, artem, intelligentiam. 4. omniſapientia à nobis concipitur per modum habitus, omniſciētia per modum actus: cæterùm ſapientia Dei dupliciter dicitur. 1. quæ eſt *à Deo.* 2. quæ *in Deo.* Sapientia à Deo ſpectatur tùm in *mundi fabrica* ſapientiſſimè extructa 1. Corin. 1. v. 21. tùm *in doctrina cœleſti* divinitus revelata. Deut. 4. v. 6. cumprimis verò in Evangelio 1. Cor. 2. v. 7. Sapientia in Deo accipitur tùm *perſonaliter*, quâ ratione Filius Dei dicitur Sapientia Prov. 8. v. 1. Matth. 11. v. 18. in quo *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi.* Col. 2. v. 3. tùm *eſſentialiter*, quatenùs ut ipſa divina eſſentia eſt tribus Deitatis perſonis cōmunis. Quidā illud ſic efferunt. Sapientia divina eſt vel *κατ' οὐσίαν*, vel *κατ' ἐνέργειαν.* Illa conſideratur vel abſolutè, vel relatè.

De Dei ſapientia.

259. Hæc eſſentialis Dei ſapientia 1. non eſt aliquis *habitus* eſſentiæ divinæ ſuperadditus, ſicut ſapientia hūana, ſed eſt ipſa Dei eſſentia, quod probat tùm eſſentiæ divinæ *ſimplicitas*, quæ identificat ſibi realiter omnia quæ ſunt in ea, tùm ſapientiæ *æternitas.* Act. 15. v. 18. jam verò nihil eſt ab æterno, niſi divina eſſentia. Ratione noſtri conceptus ſapientia diſtinguitur ut principium agendi dirigens *à voluntate*, quæ eſt principium imperans & *potentia*, quæ eſt principium in actum & effectum exteriorē procedēs. 2. non eſt *ſucceſſiva vel diſcurſiva* ac ratiocinativa, ſed ſimpliciſſima & perfectiſſima uno ſimplici intellectionis actu omnia ſimul apprehendens. 3. non eſt *mutabilis*, variabilis, oppoſitum recipiens, incremento & decremento obnoxia, ſicut ſapientia humana, ſed ſimpliciter & abſolutè invariabilis ac ſui ſemper ſimilis, imò perpetuò eadem. 4. non pendet à rebus extra Deum, nec aliundè eſt petita, ſed eſt ipſa DEI eſſentia principio & fine carens, ab æterno in æternum immota perſiſtens, ideò etiam non utitur ſpeciebus intelligibilibus ut ſapientia humana, nec differt in ea actus ſecundus à primo, ſed eſt ſimpliciſſimus & individuus actus. 5. non eſt *finita*, ſed prorſus infinita ac interminabilis non potentiâ ſolùm, ſed actu. 6. non eſt *otioſa* & *ἄεργος*, ſed actuoſa & operoſa. Deus enim ab æterno ſapientiſſimum fecit decretum de generis humani, quod in peccatum prolapſum prævideràt, redēptione per Filium Mediatorem, in tempore ſapientiſſimè omnia condidit, regit, conſervat, dirigit.

Probatur Dei ſapientia.

260. Sapientiam Dei probat. 1. *Scriptura*, idq; 1. *affirmativè*, quando Deum ſapientem, & quidem *ſolum ſapientem* appellat Roman. 16. v. 27. 1. Timoth. 1. v. 17. puta eſſentialiter, iūmutabiliter, à ſeipſo & perfectè, Eſai. 40. v. 13. Rom. 11. v. 34. *magnū conſilio* Ier. 32. v. 19. Iob. 12. v. 13. *cum ipſo ſapientia & fortitudo illi conſilium & intelligentia.* Dan. 2. v. 20. *ſapientia & fortitudo ei.* 2. *negativè*, quando ſapientia ejus inveſtigari poſſe negatur. Job. 11. v. 7. *num inveſtigatione Deum invenies.* Pſ. 147. v. 5. *ſapientiæ ejus non eſt numerus.* Eſa. 40. v 28. *DEUS ſeculi Dominus, non eſt inveſtigatio* לִתְבוּנָתוֹ *intelligentiæ ejus* Pſalm. 139. v. 18. Item quando alterius conſilio indigere negatur. Eſa. 40. v. 13. *Quis inſtruxit Spiritum Domini, & vir conſilium ejus ſcire fecit eū. v. 14. cum quo conſiliatus eſt, & inſtruxit eū, & docuit eū in ſemitâ judiciū, & erudivit eū ſcientiâ, & viam intelligentiarum ſcire fecit eum.* Rom. 11. v. 35. 1. Corinth. 2 v. 16. 3. *ſymbolicè*, quando ſapientia divina imperſcrutabili abyſſo confertur. Pſ. 36. v. 7. *Iudicia Domini* תְּהוֹם רַבָּא *abyſſus multa* ſive magna id eſt, ſapientia & juſtitia Dei, quam in gubernatione mundi & exercendis adverſus impios judiciis ſuis exerit, eſt imperſcrutabilis. Pſalm 92. v. 6. *Quàm magnificata ſunt opera tua Domine, valdè profunda ſunt cogitationes tuæ!* Roman. 11. v. 33. *O profunditatem divitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia Dei, & imperveſtigabiles viæ ejus!* 1. Corinth. 2. v. 10. *Spiritus omnia ſcrutatur etiam profunda Dei.* 4. *effectivè*, quando in operibus ad extra ſapiētia divina ſe exerere dicitur. Pſalm. 104. v. 24. *Quam multiplicata ſunt opera tua Domine! omnia in ſapiētia* בְּחָכְמָה *feciſti.* Pſalm. 136. v. 5. *feciſti cælos* בִּתְבוּנָה *in intelligentia.* Prov. 3. v. 19. *Dominus* בְּחָכְמָה *in ſapiētia fūdavit terrā, ſtabilivit cælos* בִּתְבוּנָה *in intelligĕtia.* v. 20. *in ſciĕtia ejus* בְּדַעְתּוֹ *abyſſi ruptæ ſūt.* Pr. 8. v. 30. inqt ſapiētia: *Cū fūndaret Deus*

terram,

terram, erant apud eum אָמוֹן *nutritius*, τεχνίτης. Jerem. 10. verſ. 12. *Deus eſt qui fecit terram in potentia, & ſtabilivit orbem in ſapientia ſua, & in intelligentia ſua extendit cœlos.* Cumprimis verò in opere redemtionis conſideranda nobis proponitur divina ſapientia. 1. Cor. 2. verſ. 7. Epheſ. 1. verſ. 8. &c. 2. *Ratio* ab effectis. Elucet divina ſapientia in diſpoſitione totius univerſi, in ordinatione partium, in conformatione humani corporis. Gal. 3. de uſ. part. cap. 10. ab ipſo eſt omnis hominum ſapientia, utique & ergò etiam ipſe ſapiens, imò omniſapiens eſt & ipſa ſapientia. Vid. loc. §. 160. 3. *Patrum dicta.* Auguſt. lib. 3. contra Maxim. cap. 13. *Deus propterea ſolus ſapiens dicitur, quia ſolus ſecundùm ſubſtantiam ſuam ſapiens eſt, non ſecundùm accidentem vel accedentem participationem ſapientiæ, ſicut ſapiens eſt quæcunque rationalis creatura.* lib. 83. qq. q. 16. *Omnium quæ ſunt, cauſa eſt Deus. Qui autem omnium rerum cauſa eſt, etiam ſapientiæ ſuæ cauſa eſt. Nec unquam Deus ſine ſapientia ſua, igitur ſempiternæ ſuæ ſapientiæ cauſa eſt ſempiterna, nec tempore prior eſt quàm ſua ſapientia.* Ambr. lib. 1. de interpellat. cap. 9. *Non tibi licet ſcire ô homo alta ſapientiæ, ideò tibi ſcriptum: Noli altum ſapere, ſed time. Quid curioſe quæris inveſtigare, quod tibi non expedit ſcire, nec datur cognoſcere? &c. Imperatoris hujus in terris non licet tibi ſcire conſilia, & vis ſcire divina? non licet tibi curioſius inveſtigare, quæ in terra geruntur & curioſius requiris, quid ſupra cœlum agatur &c. Abyſſum ſcire non potes, abyſſum non potes comprehendere, quomodo altitudinem ſapientiæ comprehendes?*

261. *Antitheſis.* Sapientiam Dei labefactat
Antitheſis 1. *Vorſtius*, quando in lib. de Deo p. 441. *veram & propriè dictam ſpem* ſive expectationem Deo tribui poſſe ſtatuit, & addit: *Quod de ſpe ſive expectatione diximus, idem ſuo modo de operatione ſeu deſiderio Dei ſtatuendum.* p. 451. *Quatenùs & quo ſenſu ſpes in Deum cadit, eatenus & eodem ſenſu metus ſeu timor eidem tribui poteſt.* (Atqui ne quidem cùm humana ſapientia ad ἀκμὴν perducta ſpes incerta & anxius timor probè conveniunt. Qui ſperat, habet aliquem ſuperiorem & potentiorem, qui poſſit præſtare id quod ſperatur. At Deus nullum habet ſuperiorem. Qui ſperat, ille aliquid futurum ſperat. At Deo nihil eſt futurum, ſed omnia præſentia. Timor & triſtitia verſantur circa malum proprium, timor circa futurum, triſtitia circa præſens, ſed Deus non habet malum proprium ſive præſens, ſive futurum. Quamvis v. Deo diſpliceat malum noſtrum, tamen illud non apprehendit ut proprium, ac proindè nec timor, nec triſtitia per illud in eo generatur) 2. *Calviniani*, dùm humanas ratiocinationes divinæ ſapientiæ præferunt, ac rationi in divinis myſteriis judicium deferunt. Vid. diſp. 5. de glor. Dei §. 32. 33. 3. *Photiniani*, dùm in ſummis fidei myſteriis ratiocinationes humanas contra literam Scripturæ urgent, ac negant quicquam credendum, quod rationi adverſetur. Vid. diſp. 10. de glor. Dei §. 12. 13. 14. 15. 4. *Pontificii*, dùm 1. Scripturam obſcuritatis arguunt. 2. ratiocinationes humanas divinis inſtitutis ac doctrinæ in verbo traditæ præferunt. Vid. diſp. 1. de glor. Dei §. 43. 44. 45.

Quæſtiones de Dei ſapientia. 262. Q. 1. *An Deo propriè competat ſapientia?* Quidam ſtatuunt, ſapientiam, prudentiam, intelligentiam &c. Deo non competere propriè, cùm non utatur ratiocinatione, diſcurſu ac conſultatione, exiſtimant igitur Deo tribui talia *metonymicè*, quia alios faciat ſapere & intelligere ac *metaphoricè*, quia talia faciat, quæ homo verâ ſapientiâ præditus ſolet præſtare. At removendæ omnes imperfectiones à ſapientia & prudentia humana, atque id quod remanet purum & perfectum verè & propriè Deo tribuendum. Decernit *& agit omnia ex conſilio voluntatis ſuæ.* Epheſ. 1. verſ. 11. quod eſt omninò ſapientiſſimum, ordinat omnia ſapientiſſimè, agit propoſito certo fine, ergò ſi vel principia, vel media, vel fines actionum ſpectentur, prudentia & ſapientia propriè DEO competere intelligitur.

263. Q. 2. *An ſapientia divina ulli rei creatæ competat?* Neg. Calviniani ut realem idiomatum divinorum communicationem carni Chriſti factam impugnent. Contra eos ſic concludimus. Qui eſt πληρούμενος σοφίας, & Spiritum ſapientiæ & ſcientiæ accepit non ad menſuram, & in quo omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſunt reconditi, illi verè & realiter competit omniſcientia. Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt πληρούμενος σοφίας Luc. 2. verſ. 40. & *Spiritum* ſapientiæ ac ſcientiæ accepit *non ad menſuram* Eſa. 11. verſ. 1. Joh. 3. verſ. 34. & *in ipſo reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ* Col. 2. verſ. 3. E. Polan. lib. 2. ſyſt. cap. 18. excipit. 1. *Quod verum Deum diſcernit à creaturis & falſis Diis, id nequaquam reali transfuſione humanæ Chriſti Naturæ eſſe communicatum. Jam vero talis eſt omniſcientia & omniſapientia divina.* Reſp. aliud eſt phyſica transfuſio è ſubjecto in ſubjectum, aliud perſonalis communicatio. 2. *à perſona ad Naturam non eſſe procedendum.* Reſp. Quicquid perſonæ tribuitur, id ſecundùm alterutram vel utramque Naturam illi tribuitur. In tempore participem fieri divinæ ſapientiæ non ſecundùm utramque nec ſecundùm divinam Naturam Chriſto competit. E. ſecundùm humanam. 3. *ſenſum dicti Apoſtolici eſſe, quòd omnis vera & ſalutaris Chriſti cognitio non niſi à ſolo Chriſto petenda ſit.* Reſp. vera hæc eſt explicatio, ſed non plena. Apoſtolus enim conjungit cauſam hujus rei, ideò à ſolo Chriſto omnis divina ſapientia petenda, quia in ipſo tota plenitudo Deitatis, & ſic etiam divinæ ſapientiæ habitat. Eccur vero omniſcientiam & omniſapientiam Chriſto homini ſecundo Adæ derogant, cùm ipſorum aſſecla Rod. Gualtherus hom. 3. in Evangelio Dominic. Oculi, *primum hominem omniſcium à Deo creatum ſtatuat.* Q. 3. *An ſapientiæ divinæ adverſetur, quòd leges forenſes à Deo ipſo promulgatas in Veteri Teſtamento abrogatas ſtatuimus?* Aff. quidam ex Calvinianis, contrarium oſtendimus in tract. de ll. Cerem. §. 39. diſp. 9. de glor. Dei §. 11.

264. *Uſus practicus.* 1. *Conſolatorius in ad-* *Uſus practicus doctrinæ de Dei ſapientia.*
verſis & periculis. Deus eſt ſapientiſſimus, ergò novit viam ac modum nos liberandi, quamvis nobis id videatur ἀδύνατον. 2. *exhortatorius* 3. *ad temeritatem noſtram coercendam.* DEUS eſt ipſa ſapientia, ergò de ipſius verbis & operibus reverenter cogitemus, exclamantes cum Davide Pſalm. 139. verſ. 17. *Quàm precioſa mihi fuerunt cogitationes tuæ DEUS, quam invaluerunt ſummæ earum! verſ. 18. Si dinumerare eas velim, præ arena multiplicabuntur.* 2. *ad fiduciam in precibus concipiendam.* Deus eſt ſapientiſſimus, ergò non præſcribamus ei modum, quô in adverſis nobis auxiliari debeat, ſed de exauditione certi modum au-

dum auxilii ipſius ſapientiæ permittamus. Judith. 8. verſ. 10. & ſeqq. 3. *Ad ſapientiam a Deo petendam.* Deus eſt indeficiens fons omnis ſapientiæ, ab ipſo igitur petenda eſt omnis ſapientia. Iac. 1. verſ. 5. *Si quis veſtrûm indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.* Pſalm. 94. v. 10. *ipſe docet hominem omnem ſcientiam.* 4. *ad laudem divinæ ſapientiæ in omnibus Dei operibus relucentis extollendam.* Expeditiſſima via ad Deum cognoſcendum eſt piè meditari opera ipſius, quàm mirabili & ſtupendâ ſapientiâ omnia in cœlo & terra fecerit, quàm ſapienti conſilio opus redemptionis decreverit ac perfecerit, quanta in gubernatione totius univerſi, cumprimis verò Eccleſiæ eluceat ſapientia &c. hæc meditatio in nobis efficit, ut dicamus cum Davide Pſalm. 139. v. 14. *Confitebor tibi Domine, eò quod terribilibus multis mirificatus ſum mirabilibus operibus tuis, & anima mea cognoſcet valdè,* & cum Paulo Rom. 16. verſ. 27. *Soli ſapienti Deo gloria per Jeſum Chriſtum in ſecula.* Amen.

SECTIO XV.

De divina voluntate & agendi libertate.

265. Theſis. *Deus eſt eſſentia liberrimè agens.* Ut Deo tribuitur *intellectus,* ita quoque *voluntas,* quæ eſt liberè agendi facultas & principium actionum imperans. Quando autem Deo tribuitur voluntas, non intelligitur facultas quædam volendi ab ipſa Dei eſſentia realiter diſtincta, quæ per actum volendi, quem volitionem vocant, itidem diſtinctum ab eſſentia ſeſe exerat, ſed voluntas Dei eſt ipſa Dei eſſentia vel Deus volens. Ut enim Deus non intelligit per aliquid eſſentiæ ſuæ ſuperadditum, ſed per ſeipſum, ac per ſuam eſſentiam, ita quoque non vult per aliquid eſſentiæ ſuæ ſuperadditum, ſed per ſeipſum, nos autem diſtinctè conſideramus voluntatem divinam ab ipſius eſſentia propter intellectus noſtri infirmitatem. Cùm ergò voluntas Dei ſit ipſa Dei eſſentia, ex eo conſequitur, ut Deus 1. eſt juſtiſſimus & ipſa juſtitia. 2. eſt optimus & ipſa bonitas. 3. eſt immutabilis. 4. nullam habet cauſam efficientem. ſed eſt omnium rerum cauſa. 5. eſt merus & purus actus: ita quoque divinam voluntatem 1. eſſe ſemper juſtam, imò omnis juſtitiæ regulam, adeò ut quicquid Deus vult, eo ipſo quod vult, ſit juſtum. 2. eſſe ſemper optimam, imò omnis bonitatis regulam, adeò ut quicquid Deus vult, eo ipſo quod vult ſit bonum. 3. eſſe immutabilem & invariabilem, Deus enim ut uno, indiviſo ac ſimpliciſſimo actu intelligit, ita quoque uno, indiviſo ac ſimplici actu vult, nec mutatur ejus voluntas novis volitionis actibus. 4. nullam habere cauſam efficientem extra ſe, ſed eſſe omnium rerum cauſam. 5. non eſſe otioſam & inefficacem, ſed operoſam & actuoſam, adeò ut quicquid vult, eo ipſo, quia vult & quomodo vult. ſtatim fiat. Vide loc. §. 163.

Deus eſt agens liberrimum.

266. Voluntatem illam ac liberè agendi facultatem Deo competere probat 1. *Scriptura,* idque 1. *affirmativè,* quando Deo tribuit voluntatem. Gen. 45. verſ. 8. *Dei voluntate huc miſſus ſum.* 2. *negativè,* quando voluntati divinæ reſiſti poſſe negat Rom. 9. verſ. 19. quando aliquem ſuperiorem Deo eſſe negat, à quo cogi poſſit. ut aliter velit ac velle debeat. Matt. 20. verſ. 15. Job. 9. verſ. 12. *Quis dicere poteſt. Cur ita facis?* 3. *effectivè,* quando Deum omnia liberè agere aſſerit. Pſal. 115. verſ. 3. *Dominus noſter in cœlo eſt, quæcunque voluit, fecit in cœlo, terra, mari & omnibus abyſſis.* 1. Cor. 12. v. 11. *Diſtribuit bona ſua prout vult.* Jac. 1. v. 18. *voluntarie nos genuit verbo veritatis.* 2. *ratio.* 1. *à divina ſapientia.* Omnis Natura intelligens & ſapiens eſt voluntate prædita. At DEUS eſt Naturâ intelligens. 2. *a perfectione.* Ens liberè agendi facultati præditum perfectius eſt eo, quod tali facultate deſtitutum. At Deus eſt Ens ſummum & perfectiſſimum. 3. *à divina beatitudine.* Qui verè beatus, hic liber eſt & actionum ſuarum dominus, nemini obſtrictus. Sed Deus verè beatus. Vide loc. §. 165. Adde Patrum dicta. Auguſt. lib. 12. Conf. cap. 15. *Voluntas Dei non eſt extra ejus eſſentiam, unde non eum modo velle hoc, modo velle illud ſed ſemel & ſimul & ſemper velle omnia, quæ vult, non iterum & iterum, neque nunc iſta, nunc illa, nec velle poſtea quod nolebat, aut nolle quod prius volebat, quia talis voluntas mutabilis eſt & omne mutabile æternum non eſt.* Damaſc. lib. 2. orth. fid. cap. 22. χρὴ γινώσκειν ὅτι ἐπὶ Θεοῦ βούλησιν μὲν λέγομεν, προαίρεσιν δὲ κυρίως οὐ λέγομεν. οὐ γὰρ βουλεύεται Θεός, ἀγνοίας γὰρ ἐστὶ τὸ βουλεύεσθαι.

Probatur agendi libertas in Deo.

267. Antequam ad antitheſin deſcendamus, examinandæ erunt variæ diviſiones voluntatis divinæ: Una eſt Dei voluntas, ſed variis modis diſtinguitur, tùm propter rerum, quas vult genera diverſa. tùm propter diverſos modos, quibus videtur velle, ea quæ vult. 1. Voluntas Dei à Polano lib. 2. ſyſt. cap. 19. dicitur alia *eſſentialis,* alia *perſonalis.* Eſſentialem voluntatem dicit eſſe eſſentialem ejus proprietatem per quam vult bonum ut finem, & ad bonum omnia ab omni æternitate à ſeipſo & independenter uno conſtantiq; actu. Perſonalem voluntatem dicit eſſe quidem numero unam in eſſentia, ſed duobus modis conſiderari in perſona communiter ſecundùm eſſentiam, ſingulariter ſecundùm perſonam & relationem ad intra quò refert dicta Scripturæ, in quibus de voluntate Patris ſui Chriſtus loquitur. At propter perſonarum Trinitatem in divinis non eſt ſtatuenda triplex voluntas. ſed ut trium illarum perſonarum eſt una, indiviſa & ſimpliciſſima eſſentia, ita quoque una, indiviſa & ſimpliciſsima voluntas. Ut Nazianzenus dicit, *id quod agit in divinis, eſſe unam communem tribus eſſentiam,* ſic rectè dicimus, id quod vult eſſe unam & comunem tribus voluntatem. Damaſcen. dict. l. ἡ γνώμη συνδιαιρεῖται ταῖς ὑποστάσεσι, πλὴν τῆς ἁγίας καὶ ἁπλῆς καὶ ἀσυνθέτου καὶ ἀδιαιρέτου θεότητος. ἐκεῖ γὰρ τῶν ὑποστάσεων μὴ οὐσῶν διῃρημένων, διεσταμένων, οὐδὲ τὸ θελητὸν διαιρεῖται, κἀκεῖ μὲν ἐπειδὴ μία φύσις, μία καὶ ἡ φυσικὴ θέλησις, ἐπειδὴ δὲ καὶ αἱ ὑποστάσεις ἀδιάστατοί εἰσιν, ἓν καὶ τὸ θελητόν, καὶ μία ἡ κίνησις τῶν τριῶν ὑποστάσεων. *Sententia dividitur cum hypoſtaſibus, ipſiſq; ſuppoſitis, niſi in ſancta & ſimplici & incompoſita & indiviſibili Deitate. Ibi enim hypoſtaſeon non omnino diviſarum & differentium, neque voluntas dirimitur, & ibi quia una Natura, una quoque eſt naturalis voluntas. Quia igitur hypoſtaſes inſeparabiles ſunt, una voluntas & unus motus eſt trium hypoſtaſeon.* Dicta in quibus Chriſtus voluntatem Patris cœleſtis à ſua diſtinguit, vel de humana ejus voluntate accipienda ſunt, vel de objecto voluntatis τοῦ θελητοῦ, non autem θελητικοῦ vel θελήσεως.

Diſtinctiones voluntatis divinæ.

1. in eſſentialem & perſonalẽ.

268. 2. Vo-

2. in voluntatem ſigni & beneplaciti.

268. 2. Voluntas alia *ſigni*, alia *beneplaciti*. Hac diſtinctione & Scholaſtici & Calviniani utuntur, ſed ſenſu diverſo. Scholaſtici *voluntatem ſigni* definiunt effectum Dei, quando ipſe foràs progreditur, nobiſcum agens per aliquod involucrum, vel per externas res quas poſſumus apprehendere, ut ſunt Verbum & Sacramenta ab ipſo inſtituta. *Voluntatem beneplaciti* vocant eſſentialem Dei voluntatem ſeu nudam majeſtatem divinam, quæ eſt ipſe Deus. Lomb. 1. ſent. diſt. 45. Suarez. in comm. ſuper primam Thom. lib. 3. de attrib. div. cap. 2. p. 148. *Voluntas beneplaciti eſt internus actus divinæ voluntatis quo aliquid vult, voluntas ſigni non eſt internus actus, ſed externum ſignum divinæ voluntatis, quo ſignificat ſe aliquid velle*. Talia ſigna numerant quinque: *præceptum, prohibitionem, permiſſionem, conſilium, operationem*, unde Verſiculus: *Præcipit ac prohibet, permittit, conſulit, implet*. Hoc Scholaſticorum ſenſu Lutherus tom. 6. Witeb. pag. 98. in com. cap. 6. Geneſ. diſtinctionem illam repetit atque approbat: *Nos* (inquit) *in N. T. habemus Baptiſmum, Cœnam Domini, Abſolutionem & Miniſterium Verbi, hæc ſunt ut Scholaſtici vocarunt voluntas ſigni in quâ intuendum eſt, cùm Dei voluntatem ſcire volumus: alia eſt voluntas beneplaciti ſubſtantialis Dei voluntas ſeu nuda ipſius majeſtas quæ eſt Deus, ab hac removendi ſunt oculi*. Calviniani eâ diſtinctione abutuntur, dum ad unum, idemque objectum contrario modo ſe habere ſigni ac beneplaciti voluntatem ſtatuunt, unde voluntatem ſigni voluntati beneplaciti repugnare aſſerunt. Beza p. 2. reſp. ad act. Coll. p. 173. Piſc. contra Schaffm. th. 76. At hac ratione: 1. duas contradictorias voluntates in Deo ſtatuunt, quod ſimpliciſſimæ ipſius Naturæ & immutabili veritati repugnat. 2. Scholaſticam illam diſtinctionem in peregrinum ſenſum detorquent. Scholaſtici enim dicunt, omnem voluntatem ſigni eſſe etiam voluntatem beneplaciti non quidem ſemper reſpectu ejus, quod nos primo aſpectu concipimus, ſed tamen reſpectu ejus, quod Deus reverâ intendit. ipſi verò voluntatem ſigni & voluntatem beneplaciti ſibi invicem opponunt. 3. Voluntatem ſigni vel nihil vel falſum ſignantem ac ſignificantem introducunt. Voluntas ſigni ideò ſic dicitur, quia aliquid ſignat & eſt ſignum voluntatis in Deo. Illud ergò quod ſignat, aut conſentiet cum voluntate ſigni, aut non conſentiet. Si prius, ſequetur, quod Deus vult voluntate ſigni, illud etiam ipſum velle voluntate beneplaciti. Si poſteriùs, falsò ſignificabit & falſum ſignum erit. 4. Deo hypocriſin & ſimulationem tribuunt. 5. à propriis gregalibus diſcedunt. Remonſtrantes in Belgio hanc diſtinctionem penitùs rejiciunt. Danæus in operib. p. 1293. ibidem eam improbat ac docet perperam vocari voluntatem beneplaciti, quæ nobis ignota eſt, cum quæ in verbo patefacta, ſit θέλημα εὐάρεστον καὶ τέλειον. Maccov. diſp. 2. Voluntas ſigni non eſt voluntas Dei, ſed effectus ejus potius. Item: Non poteſt dici Deum velle omnibus & ſingulis ſalutem voluntate ſigni, ſed ideò reprobis offert, ut reddantur inexcuſabiles. Vide loc. de provid. §. 113. de prædeſt. §. 130. diſp. 6. de glor. Dei §. 3.

3. in arcanam & revelatam.

269. 3. Voluntas *alia arcana, alia revelata*. De revelata. Joh. 6. verſ. 40. Eph. 1. verſ. 13. de occulta ſive arcaoa. Pſal. 36. verſ. 7. Rom. 11. v. 33. Calviniani itidem ſenſu peſſimo hac diſtinctione utuntur, opponunt enim ſibi invicem arcanam & revelatam voluntatem, ac Deum in negotio ſalutis contrarium illius velle interiùs, quod in verbo ſe velle manifeſtavit exteriùs, impiè aſſerunt Calv. lib. 1. Inſt. cap. 17. §. 2. lib. 3. cap. 20. §. 43. Beza p. 2. reſp. ad act. Coll. p. 173. &c. Nos facilè concedimus judicia Domini eſſe abyſſum multam ac cum Apoſtolo dicimus Rom. 11. v. 33. τὰ κρίματα Θεοῦ εἶναι ἀνεξερεύνητα καὶ τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ ἀνεξιχνιάστους, ſed in illis, quæ negotium ſalutis concernunt voluntatem quandam arcanam à revelata in verbo non ſolùm diverſam, ſed eidem etiam adverſam ſtatuendam eſſe totis viribus negamus, imò idipſum impium ac blaſphemum eſſe pronuociamus. Vid. diſp. 6. de glor. Dei. §. 1. & ſeqq.

4. in abſolutam & conditionalem.

270. 4. Voluntas alia *abſoluta*, alia *conditionalis*. Abſoluta voluntas eſt, quâ quædam vult ſimpliciter & abſolutè circa ullam conditionem, quæ eſt aut futura eſt in creaturis. Conditionalis eſt, quâ Deus quædam vult cum adjuncta conditione. Piſcat. in not. ad Vorſt. de Deo tract. ad pag. 58. not. 4. hanc diſtinctionem repudiat, Macovius diſp. 3. Conditionata voluntas Dei nulla eſt, ſed occeſſaria illa eſt ad dicta Scripturæ rectè explicanda. De voluntate Dei abſoluta dicitur Eſa. 46. verſ. 10. *Conſilium meum ſtabit & omnis voluntas mea fiet*. Rom. 9. verſ. 19. *Voluntati ejus quis reſiſtet?* Eſth. 13. verſ. 9. *Non eſt qui tuæ reſiſtere poſſit voluntati*. Hæc ergò Dei voluntas ſemper impletur. Sed de voluntate conditionali dicitur Matth. 23. verſ. 36. *volui vos congregare & noluiſtis*. Luc. 7. verſ. 30. Phariſæi & Legiſperiti *ſpreverunt conſilium Dei adverſus ſeipſos*. Act. 7. verſ. 51. *Vos ſemper reſiſtitis Spiritui ſancto*. Polanus lib. 2. ſyſt. cap. 19. diſtinctionem admittit, ſed peſſimè applicat, abſolutâ voluntate, dicit, *Deum velle ſervari ſolos electos ad vitam æternam. conditionali voluntate velle omnes etiam reprobos ſervari, nempe ſi faciant omnia, quæ in lege non mandat, aut ſi in Chriſtum credant*. At Deus non vult abſolutâ voluntate ſolos electos ſervari ſenſu eo, quo Polanus aſſerit, quaſi ſcilicet abſoluto quodam decreto, abſque ullo ad fidei perſeverantiam intuitu eos ad ſalutem elegerit, nec conditionatâ tantùm voluntate vult omnes ſervari ſenſu eo, quo Polanus aſſerit, quaſi ſcilicet ἀδυναμία illius conditionis requiſitæ cauſam habeat in Deo, non in homine. Quod enim reprobi non credunt in Chriſtum, ejus rei cauſam Calviniani arceſſunt ab abſoluto reprobationis decreto, quo à ſalute & mediis ſalutis reprobos abſoluto odio excluſerit. Contra verò pronunciat Scriptura Deum velle & ſeriò velle *omnes ſalvari, & ad veritatis agnitionem venire*. 1. Tim. 2. verſ. 4. utrumq; igitur vult & converſionem reproborum & eorum ſalutem, unde etiam media converſionis & fidei illis offert, per quæ vult eſſe in cordibus eorum efficax, niſi Spiritui ſancto reſiſtant.

5. in antecedentem & conſequentem.

271. 5. Voluntas alia *antecedens* alia *conſequens*. Calviniani hanc diſtinctionem rejiciunt, Macov. diſp. 4. 1. Dum vult omnes ſalvos fieri, aut præſcit ſe hoc non aſſecuturum, aut non. Si non, ergò non eſt omniſcius. Si ita, ergò non vult. 2. Statuuntur in Deo contrariæ voluntates. 3. Ponit noſtræ ſalutis cauſas in nobis, ſed approbatur & probatur à Chryſoſtomo hom. 1. in Epiſt. ad Epheſ. cap. 954. ubi illam vocat, *primam*,

Digitized by Google

mam, hanc *ſecundam*, Damaſceno lib. 2. orth. fid. cap. 29. lib. 1. contra hæreſ. Manich. pag. 563. ubi illud vocat θέλημα προηγούμενον, hoc verò ἑπόμενον, Anſhelmo qui in lib. de volunt. illam vocat *voluntatem miſericordiæ*, hanc *juſtitiæ*, imò ab Huberto Sturmio in lib. de prædeſt. pag. 181. & Polano lib. 2. ſyſt. cap. 19 *Antecedens voluntas eſt*, quâ Deus ut benigniſſimus Pater omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; *Conſequens voluntas eſt*, quâ Deus ut juſtiſſimus judex finaliter impœnitentes & incredulos vult damnari. Comp. Theol. veritat. libr. 1. c. 30. *Voluntate primâ Deus vult hominem ſalvum fieri in quantum homo eſt, voluntate autem ſecundâ non vult juſtum hominem reprobum in quantum ipſe talis eſt.* Fundamentum igitur habet hæc diſtinctio in mirabili temperamento juſtitiæ & miſericordiæ divinæ, quod brevibus ſed emphaticis verbis exprimit Tertul. lib. de reſur. carnis. *Deus de ſuo optimus, de noſtro juſtus.* Macov. diſp. 1. pervertit noſtram ſententiam. *Statuunt* (inquit) *Deum ab æterno cùm prævidiſſet genus humanum lapſurum, miſertum eſſe omnium, & decreviſſe Chriſtum in mundum mittere, ut quicunque in eum crederent, non perirent &c. Sed poſtea tamen prævidiſſe aliquot, imo majorem partem hominum Chriſtum rejecturos, proinde etiam voluntatem hanc immutaſſe & decreviſſe ſaltem illis vitam dare, qui in Chriſtum eſſent credituri, & in fide hac perſeveraturi. Hinc ergò deducunt diſtinctionem voluntatis divinæ in anteced. & conſeq.* At nemo noſtrûm mutationem voluntatis in Deo ſtatuit, ſed conſequentem voluntatem antecedenti ſubordinatam eſſe dicimus. Declarari poteſt hæc diſtinctio variis exemplis. 1. *Patris*, qui ex æquo omnibus liberis favet, & omnes vult hæredes ſuorum bonorum fieri, ſed præfractè contumaces & degeneres ab hæreditate excludit. 2. *Magiſtratus*, qui vult omnes ſubditos eſſe ſalvos & incolumes, ſed ſi qui enormibus ſceleribus ſocietatem civilem turbant, illos vult è medio ſublatos. 3. *Hortulani*, qui omnes ſurculos curat, & ut adoleſcant ſedulò laborat. ſi qui verò exareſcunt, eos excindit. 4. *Medici*, qui omnibus peſte infectis offert precioſam medicinam, & eorum expetit ſanitatem, ſi qui verò oblata media aſpernantur, illos ſuâ culpa interire patitur. 5. *Figuli*, qui ex omni maſſa formare cupit vaſculum aliquod utile, ſi quod verò inter manus ejus corrumpitur, illud projicit. 6. *Miniſtri verbi*, qui omnium auditorum ſalutem quærit, ſi qui verò in peccatis contumaciter pergunt, illos Satanæ tradit. 7. *Patrisfamilias* parantis cœnam magnam & ſeriò volentis, ut omnes compareant ac ipſius bonis perfruantur, ſed eorum, qui hanc vocationem reſpuunt ac venire renuunt, excluſionem decernentis. Vid. loc. de elect. §. 75. & ſeqq.

6. in efficacem & inefficacem. 272. 6. Voluntas alia *efficax*, alia *inefficax*, Aug. in Enchir. cap. 100. *efficacem ſeu invictam* & omnium potentiſſimam *Dei voluntatem* vocat eam, quâ ſtatuit benè agentes remunerare & peccantes punire, quam ſemper impleri aſſerit. *Inefficacem* vocat, quâ vult omnes benè vivere & neminem peccare. Calviniani hanc diſtinctionem peſſimè applicant. Cauſam enim illius, ut ſic loquar, inefficaciæ, quod non omnes in Chriſtum credunt, piè vivunt & ſalutem conſequuntur, quæſunt in abſoluto reprobationis decreto, cùm in hominum vitio unicè ſit quærenda.

273. 7. Voluntas Dei alia *erga nos*, quam vult facere de nobis & aliis creaturis, alia quâ vult fieri *à nobis* patefacta in verbo. Aug. d. l. *Voluntas Dei ſemper impletur, aut de nobis aut à nobis. De nobis impletur, ſed non implemus eam, quando peccamus. A nobis impletur, quando bonum facimus. Sed de homine ſemper Deus implet voluntatem ſuam, quia nihil facit homo, de quo Deus non operatur, quod vult. Non enim vult Deus, ut homo peccet, ſi autem peccaverit, pœnitenti vult parcere, ut vivat: in peccatis vero perſeverantem vult punire, ut juſtitiæ potentiã contumax non evadat.* *7. in voluntatem erga nos & à nobis præſtandã.*

274. 8. Voluntas Dei revelata alia *legalis*, alia *Evangelica*. Legalis eſt quæ in lege morali revelatur, cujus ſumma proponitur in Decalogo. Evangelica eſt, quæ in Evangelio revelatur, cujus ſumma proponitur. Joh. 3. v. 16. de qua diſtinctione alibi pleniùs agitur. *8. in legalem & Evangelicam*

275. 9. Alia voluntas Dei *efficiens* alia *permittens*. Voluntas *efficiens* eſt ſecundùm quàm Deus efficit tantùm bona ſive per ſe ſive per alios. Eph. v. 11. Tertull. in exhort. ad caſtit. vocat *voluntatem puram, majorem, potiorem*. Voluntas *permittens* eſt, quâ Deus permittit à creaturis fieri malum nec impedit illud, cùm impedire poſſit. Tertullianus vocat *voluntatem indulgentiæ & minoris*, aliis dicitur *voluntas permiſſiva*, improbamus ergò quod ſcribit Danæus in Ench. Aug. p. 878. in vol. *Illa quæ reprobi & impii agunt, Deus fieri vult non voluntate tantùm permiſſiva, ſed effectiva, nec tantùm ut alii volunt, voluntate ſequente, ſed & antecedente, ut ipſorum improborum ortum & mundi creationem.* Sed accuratè notandum Deum quidem non coactè, ſed liberè permittere peccatum, quia ſcilicet novit ex eo elicere bonum, atque hoc ſenſu voluntariam permiſſionem, ſive permiſſivam voluntatem circa peccatum concedi poſſe, interim tamen peccatum ipſum quatenus tale non velle, nec approbare, nec ad illud impellere, proinde voluntas & permiſſio ad diverſa referuntur objecta, permiſſio refertur ad ipſum peccatum, voluntas ad finem utilem, quem pro ſua ſententia ex illo novit elicere. Inde eſt, quod noſtrates dicunt. Peccata non fieri ſimpliciter *Deo volente vel invito*, nemo enim Deum poteſt cogere, nec quidquam Deo impediente & repugnante poteſt fieri, nec tamen fieri *Deo ſimpliciter volente*, quia Deus non vult nec approbat peccatum, ſed fieri *Deo non volente*, ea verò inter nolens & non volens eſt differentia, quod illud habet *privationem voluntatis & principii activi unà cum repugnantia & actione contraria*, hoc autem tantum habet στέργον *illam abſque violenta reluctatione*. Vide Lombard. 1. ſentent. diſt. 45. Ne quis igitur hac diſtinctione ad labefactandam orthodoxiam de cauſa peccati abutatur, ideò malumus ſic loqui, Deus quædam vult, ut bona, quædam permittit, ut mala. Macov. diſp. 9. *Diſtinctio inter voluntatem Dei permiſſivam & effectivam eſt bona, nec enim Deus omne, quod vult efficit, ſed quædam fieri permittit ut peccatum.* Sed malè applicat. Paulò pòſt enim conatur probare *Deum velle voluntate permiſſiva non permiſſionem, ſed ipſum peccatum, tribus argumentis: 1. ſine quo Dominus non poterat juſtitiam ſuam punientem declarare & miſericordiam, illud ipſum decrevit & voluit ſcilicet voluntate permiſſiva. At ſine peccato non poterat hoc facere. 2. Quæcunque Deus præſcit fore, illa voluit & decrevit. At peccatum* *9. in efficientem & permittentem.*

præſcit

Præſcit fore. Ergo peccatum voluit & decrevit. 3. *Aut Deus peccatum voluit aut noluit, aut neque noluit neque voluit. Non poteſt dici noluiſſe, quia illo nolente nihil fit. Non poteſt dici nec noluiſſe nec voluiſſe, quia neque vult, neque non vult illa non curat, ergo extra providentiam Dei peccatum eſſet. Ergo voluit.* Sed duo prima argumenta falſis nituntur hypotheſibus; ad tertium jamdum reſponſum.

276. 10. Deus quædam vult *ex neceſſitate Naturæ*, quædam *liberè*. Ex *neceſſitate Naturæ* vult, quæ de ſeipſo vult, nullâ re ſive extra ſive intra ſe permotus, hoc modo vult ſeipſum, ſuam bonitatem & gloriam. *Liberè* vult quæ de creaturis vult ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, quæ poterat & velle & nolle, vult autem ea ſine ulla neceſſitate, præterquam hypotheſeos quæ eſt propria immutabilitatis. Thom. lib. 1. contr. gent. cap. 83. *Deus non neceſſario vult, quicquid vult, poſito autem quod aliquid velit, eſt neceſſarium, quia voluntas Dei eſt immutabilis.*

Antitheſis 277. *Antitheſis.* Orthodoxian hanc labefactat 1. *Vorſtius*. 1. quando in Apol. exeg. cap. 10. pag. 41. *Aliquid eſſe in Deo aſſerit, quod non ſit Deus, cum eſſentia Dei ſimpliciter & abſolutè ſit neceſſaria, decreta vero ſint libera ac contingentia.* Pag. 42. *Niſi verum ac reale diſcrimen inter eſſentiam & voluntatem Dei in ipſo Deo ſtatuatur, nullam arbitrii libertatem Deo relinqui.* in lib. de attrib. div. pag. 207. *decreta Dei dicit eſſe quædam accidentia ab ipſius ſubſtantia longè diverſa.* Reſp. actus voluntatis quo Deus aliquid circa creaturas liberè decernit, dupliciter conſideratur, *abſolutè & relatè. ad intra & ad extra reſpectu principii & effectus.* Priori modo conſideratus eſt ipſa Dei eſſentia, ut enim ſcientia Dei eſt ipſa Dei eſſentia, cùm Deus cognoſcat per ſeipſum, ſic voluntas Dei eſt ipſa Dei eſſentia, cùm Deus velit per ſeipſum, poſteriori modo conſideratus voluntatis actus reſpectu diverſorum objectorum diſtinguitur abſque ulla divinæ eſſentiæ mutatione vel multiplicatione. Decreta Dei conſiderantur: 1. *objectivè* & ſic ſunt varia & multiplicia, quia objecta ſunt varia. 2. *activè* & ſic non ſunt multa & varia, quia voluntas decretoria ſeu actus decernens ſubſtantialis in Deo non eſt multiplex, ſed unicus. Scholaſtici dicunt, in decreto Dei libero tria eſſe ſpectanda. 1. *Eſſentiam Dei per modum actionis vitalis ſignificatam*, quæ eſt ſimpliciter neceſſaria & neceſſariò terminatur ad increatam Dei bonitatem. 2. *terminationem illius eſſentiæ ad creaturas producendas & gubernandas*, quæ eſt ſimpliciter libera. 3. *relationem rationis ex illa terminatione reſultantem*, quæ eſt partim neceſſaria, partim libera, neceſſariò enim reſultat poſitâ terminatione, poteſt tamen non reſultare, ſi non præcedat terminatiò. 2. Negat Dei decreta eſſe ſimpliciter æterna in tract. de Deo pag. 27. *Libera Dei decreta ante mundi creationem ſunt producta.* Pag. 207. *hæc eadem decreta non ſunt ſimpliciter æterna.* Rationem affert eam, *Omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum ordine temporis ſeu durationis. Nam libera actio voluntatis neceſſariò præſupponit deliberationem in intellectu, qui enim liberè decernit aliquid facere, prius deliberat, antequâ decernat. At Deus eſt cauſa libera reſpectu liberorum decretorum. Ergo tempore ſeu duratione antecedit ſua decreta, & per conſeq. non poſſunt eſſe Deo coæterna.* Reſp. confundit Vorſtius intellectionem & voluntatem divinam cum intellectione & voluntate humana. Deus non intelligit *ſucceſſivè*, nec vult *deliberativè*, ſed uno, ſimpliciſſimo & indiviſo intellectus & voluntatis actu intelligit, & vult abſque ratiocinatione & deliberatione, proinde non producit in ſe novas actiones intellectus & voluntatis, ut homines & Angeli, quæ ſint accidentia ab ipſius eſſentia diſtincta, ſed actus intellectus & voluntatis eſt ipſa Dei eſſentia. Falſum igitur eſt, quod omnis cauſa libera antecedat ſuum effectum ordine temporis ſeu durationis, ſi ad cauſam æternam & infinitam applicetur, quia æternitas & infinitas omnem temporis ac durationis ſucceſſionem excludunt, cogitare igitur, quod cauſa libera æterna effectus immanentes ordine temporis antecedat, eſt in æternitate temporis ſucceſſionem ſtatuere & hac ratione definitionem æternitatis negare. Quid quod ipſe Vorſtius p. 66. ſcribit: *Certum eſt, decretum Dei de rebus omnibus ad finem ſuum ordinandis, deq; bonis efficiendis, malis autem permittendis, jam inde ab æterno factum eſſe, idemq; in æternum permanere, & hoc ſenſu nec originem ullam, nec finem unquam invenire.* At ſi illud decretum potuit ſimul eſſe liberum & æternum, quidni idem de reliquis decretis, quatenus conſiderantur, ut ſunt in ipſo Deo, dici poſſit? 3. Dei decreta ſtatuit mutabilia. tract. de Deo pag. 112. *Voluntas Dei eſt principium cujuſdam mutabilitatis in Deo.* Pag. 65. *Deus in tempore quædam reipsâ vult, quæ antea noluit.* At hoc repugnat immutabilitati eſſentiæ divinæ ſuperius confirmatæ. Cùm enim Deus velit per ſuam eſſentiam, ſi in voluntate Dei ſtatuitur mutabilitas, etiam in eſſentia Dei mutabilitas quædam ſtatuetur. Voluntas ſeu decretum Dei in ſe & ſecundùm ſe conſideratum non mutatur, etiamſi objectum ſive res, quæ decernitur, mutetur.

278. 2. *Calviniani*, qui libertatem agendi ſive liberam Dei voluntatem reliquis attributis divinis opponunt, id eſt, propter libertatem agendi Deo talia tribuunt, quæ cum ipſius bonitate, juſtitia & ſapientia pugnant. Sic dicunt, *Deum impellere ad peccatum, Deum ſet. ſe abſolutum reprobationis decretum, &c.* quod ſi cum Dei juſtitia & ſanctitate hoc pugnare dicimus, eò confugiunt, *quod Deus ſit agens liberrimum, nullis legibus obnoxium.* Atqui Deus eo modo liberè agit, ut tamen non agat contra naturalem ſuam juſtitiam & bonitatem.

279. Q. 1. *An voluntas divina eodem modo ſe habeat ad omnia objecta?* Objectum divinæ voluntatis eſt bonum, id verò duplex: *Increatum* quod eſt Deus ipſe, *creatum* quod ſunt creaturæ. Circa hoc duplex objectum non eodem modo ſe habet voluntas divina. Deus enim vult ſeipſum *ut finem*, creaturas autem *ut media*. Prov. 16. verſ. 4. Seipſum vult *neceſſario* neceſſitate Naturæ, cum ſit ſummum bonum, (neceſſitatem illam ſtatuunt tùm *quoad ſpecificationem*, cùm enim Deus ſit ſummum bonum, non poteſt ſeipſum odiſſe, ergò neceſſariò ſe amat, tùm *quoad exercitium*, quia non poteſt ab hoc actu ceſſare.) *liberè* autem vult omnia alia. Proinde voluntas Dei fertur in ſuum objectum, *vel ſecundùm modum Naturæ, vel ſecundùm modum libertatis.* Secundum modum Naturæ tendit in objectum primum ἀιχειὸν & Naturæ adæquatum, ſecundum modum libertatis in reliqua omnia, ubi tamen diſtinguunt inter duplicem creatæ bonitatis conſiderationem. 1. *quoad eſſe* Quæſtiones de Dei voluntate.

poſſibile,

poſſibile, & ſic amatur à Deo neceſſariò *amore ſimplicis complacentiæ*. 2. *quoad eſſe actuale*, & ſic amatur liberè *voluntate efficaci*.

280. Q. 2. *An immutabilitas divinæ voluntatis cum ejusdem libertate pugnet?* Ita videtur Vorſtio, cum immutabilitas ſit quædam neceſſitas, quæ cum libertate videtur pugnare. Sed fallitur, nam neutra immutabilitatis ſpecies, nec quæ *à priore*, nec quæ *à poſteriore* pugnat cum libertate voluntatis. Deus ſeipſum, ut ſummum bonum vult immutabiliter, immutabilitate *à priore*, bonum in creaturis vult immutabiliter immutabilitate *à poſteriore*, non enim erat ſimpliciter neceſſarium, in creaturis hoc bonum eſſe vel creaturas eſſe, ſed ex neceſſitate hypotheſeos, præſuppoſitâ ſcilicet Dei voluntate bonum illud creaturis decernentis. Hæc immutabilitas non pugnat cum libertate, quia non eſt quædam neceſſitas extrinſeca & violenta, ſed naturalis, intrinſeca & ſummè voluntaria, quæ non eſt imperfectio quædam ſed ſumma perfectio; Sic Angeli poſt confirmationem in bono & beati in vita æterna immutabiliter, volunt bonum, iidem tamen liberè volunt bonum. Longè perfectior libertas eſt non poſſe velle malum, quàm poſſe velle bonum & malum. Vide Loc. §. 168.

281. Q. 3. *An malum ſit objectum divinæ voluntatis?* Diſtinguendum inter *malum pœnæ* & *malum culpæ*. Malum pœnæ, id eſt, pœnam peccati Deus vult ex ordine juſtitiæ, ſed illud propriè & per ſe non eſt malum, cùm ſit opus divinæ juſtitiæ punientis peccata, & ſic malo potiùs oppoſitum. Amos 3. verſ. 6. *Num erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus?* Malum culpæ *quatenus tale* Deus non vult, quia ipſius juſtitiæ & bonitati adverſatur. Pſal. 5. verſ. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.* (Dionyſ. de div. nom. cap. 4. *Nemo intendens ad malum operatur.* Thom. part. 1. q. 19. art. 9. *Impoſſibile eſt, ut aliqua potentia feratur ad id per ſe & formaliter, quod eſt oppoſitum formalis ſui objecti. Sed malum ut malum eſt oppoſitum rationi formali objecti cujuſcunque potentiæ appetitivæ, atque adeo etiam divinæ voluntatis.* Ergò.) Dico quatenus tale, id eſt, ut malum eſt per ſe conſideratum *formaliter*, quia conſiderari etiam poteſt *materialiter ſeu ſubjectivè & conſequenter*. Materia ſeu ſubjectum peccati eſt bonum videlicet ipſa Natura hominis reſpectu peccati originalis, vel actio hominis, reſpectu peccati actualis, malum enim non eſt, niſi in bono, hoc ſubjectum peccati Deus ſuſtentat, ne in nihilum redigatur, non quod malo delectetur, ſed ut creatura rationalis à malo ad bonum convertatur in hac vita, & ut divinæ juſtitiæ ſatisfiat in altera vita. Conſequens peccati eſt bonum, quod ex eo Deus elicere novit, ac pœna quâ Deus impertinaciter impiis illud punit, hoc bonum Deus vult, nec tamen propterea ipſum peccatum vult, quia inter peccatum velut medium & finem illum bonum non eſt nexus eſſentialis, nec bonum illud peccato, ſed divinæ bonitati unicè tribuendum.

282. Q. 4. *An ob voluntatis divinæ immutabilitatem omnia fiant neceſſariò?* Reſp. quædam Deus vult *abſolutè*, quædam *conditionaliter*. Quæ abſolutè Deus vult, neceſſariò fiunt, quæ verò conditionaliter, non niſi conditione poſitâ. Voluntas ergò Dei non excludit arbitrii libertatem in rebus externis in homine, quia cauſas inferiores, inter quas eſt arbitrii libertas, non excludit, ſed includit, nec prædeterminat voluntatem humanam Phyſicâ quadam neceſſitate ad partem unam, ſed libertatem eidem naturaliter inſitam relinquit, nec affert ejus motui neceſſitatem quandam antecedentem & à priori, ſed generali concurſu ad agendum vires agendi donat & conſervat. Thom. p. 1. q. 19. art. 7. *Quamvis Deus immutabiliter ex parte ſua velit omnia, quæ vult, vult tamen ipſam rerum variabilitatem & mutabilitatem objectivè, ſicut de rebus variabilibus ac mutabilibus eſt invariabilis Dei ſcientia.*

283. Q. 5. *An Deus velit unum propter aliud, vel an dari poſſit cauſa divinæ voluntatis?* Reſp. quando dicimus hominem velle unum propter aliud, poteſt eo dicendi modo ſignificari aliquid ad hominis imperfectionem ſpectans & aliquid quod ad ejus perfectionem pertinet. Ad imperfectionem ſpectat, quod eo dicendi modo indicatur actum unum voluntatis humanæ eſſe cauſam alterius humanæ voluntatis actus erga aliud objectum, quod habeat reſpectum aliquem ad objectum actus prioris, eo quidem modo, quo unus actus intellectus dicitur etiam cauſa alterius, ſicut aſſenſus præmiſſarum dicitur cauſa aſſenſus concluſionum. Ad perfectionem pertinet, quod illo dicendi modo ſignificamus hominem non temerè aut ſine intelligentia, ſed certâ ratione & conſilio velle id, quod vult Gregor. de Val. diſp. 1. in Thom. q. 19. punct. 5. Juxta priorem ſenſum Deus nullo modo vult unum propter aliud, nec poteſt aſſignari aliqua cauſa divinæ voluntatis, quia in æterna & ſimpliciſſima voluntate non datur ſucceſſio nec actuum voluntatis diſtinctio. Auguſt. lib. 1. de Geneſ. contra Manich. cap. 2. *Non datur cauſa voluntatis divinæ, ſed ipſa eſt cauſa omnium quæ ſunt.* Juxta poſteriorem ſenſum dici poteſt, Deum velle unum propter aliud, quia Scriptura utrumque aſſerit, tùm cum omnia, quæ extra ſe vult, generatim velle propter *ſeipſum* tanquam omnium aliorum finem, tùm quia unumquodque ex illis vult propter aliud, ſicut unumquodque eſt cauſa alterius velle. Etſi igitur Deus quæcunque vult, unico actu vult, tamen quia is actus ob infinitam ſui perfectionem pluribus actibus diſtinctis æquivalet, ideò ita ſapienter & convenienter unumquodque vult Deus illo eodem uno actu, quatenus unumquodque habet ordinem ad aliud, atque adeò propter aliud, ſicut intelligimus hominem alio atque alio actu id præſtare. Thom. p. 1. q. 19. art. 5. *Actus divinæ volitionis ſecundum entitatem ſuam increatam non poteſt habere veram cauſam finalem, quia vera cauſalitas finis in eo conſiſtit, quod ſui amore ac deſiderio moveat voluntatem ad electionem mediorum, unde requiruntur duæ diſtinctæ actiones ad cauſalitatem finis, una, qua voluntas amat finem, altera, qua voluntas ex amore finis movetur ad electionem mediorum. At tales diſtinctæ actiones ſive volitiones in Deo non dantur. Noſtro tamen intelligendi modo habet rationem volendi per modum cauſæ finalis, quia propter intellectus infirmitatem concipimus Deum in hac vita per varios conceptus inadæquatos, ideò concipimus illum uno actu velle media, alio finem.* Becan. part. 1. Theol. Schol. cap. 11. quæſt. 9.

Uſus practicus doctrinæ de libertate divinæ voluntatis.

284. *Uſus practicus.* 1. *Conſolatorius.* 1. *in adverſitatibus & periculis.* Deus eſt agens liberrimum, ergò non alligatus ad cauſas ſecundas, quò minus poſſit nobis auxilium ferre. *Non Deus eſt Numen Parcarum carcere clauſum.* Autor Na-

turæ

turæ non eſt aſtrictus legibus Naturæ. Pſal. 115. v. 3. *Deus noſter eſt in cælo*, id eſt, non eſt ſubjectus legibus Naturæ ſublunarium, *quæcunque voluit, fecit*. 2. *in tentationibus ob peccati reliquias* in carne adhuc hærentes. Omnes verè pii cum D. Apoſtolo quotidiè ingemiſcunt. Roman. 7. verſ. 24. *Miſer ego, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ibi verò hanc conſolationem debent ſibi proponere. Deus eſt agens liberrimum, ergò quandoad imaginem ſuam in vita æterna nos perfectè renovabit, in plenam etiam & perfectam libertatem non vindicabit, *habentes ergò primitias Spiritus intra nos gemimus redemtionem corporis noſtri expectantes, &c.* Rom. 8. verſ. 23. 2. *Exhortatorius*. 1. *ad temeritatem coercendam*. Deus eſt agens liberrimum, ergò ipſius opera non revocemus ad noſtræ rationis calculos nec factorum rationem temerè ab ipſo exigamus. Matth. 20. v. 15. *An non licet mihi, quod volo facere in meis rebus?* Jer. 18. verſ. 6. *Nunquid ſicut figulus non potero vobis facere, domus Iſrael, erit Dominus, ecce ut argilla in manu figuli, ita vos eſtis in manu mea.* Eſa. 45. verſ. 9. *Væ litiganti cum fictore ſuo, an dicturum eſt lutum fictori ſuo, quid facturus es?* 2. *ad veram & ſeriam humilitatem accendendam*. Deus eſt agens liberrimum, ergò voluntati ejus in vera & ſeria humilitate nos ſubjiciamus. Sic fecerunt ſancti Dei homines. Eli 1. Sam. 3. verſ. 18. *Dominus eſt, quod bonum eſt, in oculis ſuis, faciat.* Joab. 2. Sam. 10. verſ. 12. *Dominus faciat quod bonum eſt in conſpectu ſuo.* David. 2. Sam. 15. verſ. 26. *Si dixerit mihi Dominus, non places, præſto ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe.* Judas Maccabæus 1. Macc. 3. verſ. 60. *Sicut voluntas fuerit in cælo, ſic fiat.* Chriſtus ipſe Matth. 26. verſ. 42. *non quod ego volo, ſed quod tu vis*, quæ verba adducens Cyprianus in tractat. de orat. Dominic. *ſi filius*, inquit, *obaudivit, ut faceret Patris voluntatem, quanto magis ſervus obaudire debet, ut faciat domini voluntatem?* Simus Deo ſicut manus, ut per nos operetur, quicquid vult. 3. *ad ſervitutem peccati fugiendam*. Deus liberè & immutabiliter agit bonum. E. & nos, ſi filii ejus audire cupimus, abdicatâ peccati ſervitute adhæreamus bono. Rom. 6. verſ. 18. Vera libertas eſt Deo ſervire, eumque imitari, miſera ſervitus eſt ad malum agendum velle eſſe liberum.

SECTIO XVI.

De DEI veritate.

285. Theſis. *Deus in verbis, promiſſionibus ac minis eſt verax, imò eſt ipſa veritas.* Veritatem Dei quidam referunt *ad juſtitiam*, quia Deus juſtitiam ſuam exhibet, quando promiſſa fideliter implet pœnitentibus peccata remittendo, impœnitentes pœnis ſubjiciendo, ſed rectiùs peculiare Dei attributum ſtatuitur, cùm non ſolùm veritas Dei exerat ſe per fidelitatem & conſtantiam in verbis exterius, ſed ſit etiam eſſentiale attributum Dei interius. Deus enim eſt verus 1. *in ſeipſo*. 2. *Extra ſe* erga creaturas. In ſeipſo verus eſt. 1. quatenus eſt ſummum Ens & proinde etiam veriſſimum Ens, ipſum eſſe & proinde ipſa veritas, quâ notâ diſtinguitur à falſis & fictis gentilium Diis. 2. quatenus eſt prima veritas, exemplar omnium rerum verarum, quæ eatenus & eo ſenſu dicuntur veræ, quatenus cum archetypo in mente divina

De Dei veritate.

conſentiunt. 3. quatenus omnes proprietates ejus tàm perſonales quàm eſſentiales ſunt veræ Extra ſe erga creaturas Deus ſe verum eſſe oſtendit. 1. *in operibus*, quatenus res veras, vera entia, producit, vera judicia exercet, veram liberationem præſtat. 2. *in verbis*, quatenus abſque ulla hypocriſi, ſimulatione, mendacio veritatem profert & promiſſa ſua fideliter implet. Verus eſt in promittendo, verus in prædicendo, verus in comminando, verus in conſolando. Vid. loc. §. 170.

286. Veritatem Dei probat 1. *Scriptura* 1. *eſſentialiter*, quando Deum in ſeipſo verum eſſe aſſerit. Jerem 10. verſ. 10. Deus Iſraelis vocatur *Deus verus, Deus vivens*. 1. Theſſ. 1. verſ. 9. *Converſi eſtis ad Deum relictis idolis, ut ſerviretis Deo vero & vivo.* 1. Joh. 5. verſ. 20. *ut cognoſcamus illum qui verax eſt.* verſ. 21. *hic eſt verus Deus & vita æterna.* 2. *effectivè*, quando Deum veracem eſſe aſſerit. 1. *in ſuis operibus*. Deut. 23. verſ. 4. *Rupis illius opus perfectum, omnes viæ ejus ſunt jus.* Pſal. 25. verſ. 10. *Univerſa via Domini miſericordia & veritas.* Apoc. 15. verſ. 3. *Magna & mirabilia ſunt opera tua Domine Deus omnipotens, juſta & vera ſunt viæ tuæ.* Cap. 16. verſ. 7. *Etiam Dominus Deus omnipotens vera ſunt & juſta judicia tua.* 2. *in ſuis verbis*, quod probatur tùm *affirmativè*. Johan. 17. verſ. 17. *Sermo tuus veritas eſt.* 2. Sam. 7. verſ. 28. *Verba tua erunt veritas, &c.* tùm *negativè*. Numer. 23. verſ. 19. *Non eſt Deus quaſi homo ut mentiatur.* 1. Sam. 15. v. 29. *Triũphator in Iſrael non fallet.* Heb. 6. v. 18. *Impoſſibile eſt Deum mentiri &c.* Vid. Loc. § 171. 2. *Ratio* 1. *per viã eminentiæ*. Veritas tùm Metaphyſica tùm Ethica eſt quædam perfectio, ergò non deneganda Deo. 2 *per viam cauſalitatis* Deꝰ eſt prima veritas, & cauſa omnis veritatis. *Veritas formalis* eſt propriè in intellectu, eſt enim conformitas intellectus ad rem cognitam. *Veritas fundamentalis* eſt in rebus ipſis, & nihil aliud eſt quàm quod res ipſæ ſic ſe habeant, ſicut ab intellectu judicantur ſe habere. Veritas in verbis eſt exæquatio orationis cum mente intelligente & re intellecta. Veritas in intellectu creato eſt exæquatio mentis intelligentis cũ re intellecta. Veritas in reb. eſt exæquatio rerũ ad mentẽ div., nõ enim res ſunt cauſa veritatis in Deo, ſed veritas in Deo eſt cauſa, norma ac regula veritatis in rebus. 3. *per viam negationis*. Non verè eſſe vel non veracem eſſe eſt quidam defectus, hic ergò à Deo removendus. 3. *Patres*: Deus eſt *veritas ſine fallacia, bonitas ſine malitia, felicitas ſine miſeria.* Fulgent. lib. 1. ad Monim. *in promiſſis Dei nulla falſitas, quia nulla in præſtando difficultas.* Proſper. in ſent. *Quod Deus omnipotens promittit, perficit ipſe. Nec proprium externis viribus implet opus.* Philo dixit: *Singula Dei verba ſunt juramenta*, id quod rectè colligitur ex Num. 14. verſ. 23. collato cum Pſal. 95. verſ. 11. ibi enim ſimpliciter memoratur, quod Deus dixerit: *nullus eorum videbit terram*, hic verò additur, *quod Deus juraverit in ſua ira.*

Probatur Dei veritas.

287. *Antitheſis*. 1. *Jacobitæ Armeni* circa ann. 640. negarunt Dei veritatem, teſte Niceph. lib. 18. cap. 53. 2. *Calviniani* variis modis eam labefactant. 1. malè diſtinguendo inter voluntatem abſconditam & revelatam, inter voluntatem ſigni & beneplaciti, 2. Promiſſiones Evangelii reſtringendo. 3. dolum bonum & ſanctam ſimulationem Deo tribuendo. 4. errores varios cum revelata in verbo veritate divina pugnantes defendendo.

Antitheſis

dendo. Vide diſp. 6. de glor. Dei §. 1. & ſeqq. 3. *Photiniani*, itidem errores varios propugnando, & Evangeliſtas Dei verſcis amanuenſes in quibusdam memoriâ laplos ſtatuendo. Vid. diſp. 10. de glor. Dei. §. 17. Hûc pertinet quod Socin. in miſc. pag. 20. diſputat, *Patribus Veteris Teſtamenti tantum temporales promiſſiones à Deo factas eſſe, Deum autem plus praſtitiſſe eis quàm promiſit.* Sed hac ratione Deus & mutabilis & mendax ſtatuitur, utpotè quem pœnituerit præcedentis promiſſionis ac decreti, ut illud in melius commutare neceſſe fuerit. 4. *Pontificii* 1. dubitationis dogma propugnando 1. Joh. 5. v. 10. *Qui non credit Deo, facit illum mendacem.* 2. varios errores cum ſacris literis divinæ veritatis tabulis pugnãtes amplectendo & pertinaciter defendendo. 3. diſcrimen librorum Canonicorum & apocryphorum tollendo 4. antiquas conſuetudines verbo divino præferendo. Vide Diſp. 1. de glor. Dei § 39. 40. 41. 42.

Quaſtiones de Dei veritate.

288. Q. 1. *An veritas Dei ſit æterna?* Veritas divina increata, quæ eſt in Deo à veritate creata in rebus conditis diſtinguitur inter cætera etiam per id, quod veritas divina eſt æterna ac ſemper eadem ſine ulla temporis ſucceſſione, ſed veritas creata non eſt æterna à priori, poteſt tamen eſſe æterna à poſteriore. Pſalm 118. verſ. 2. *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia & veritas in æternum.* Pſalm. 146. verſ. 6. *ſervat fidem in æternum.* Thomas part. 1. quæſt. 16. artic. 7. monet *utroq; modo veritatem DEI eſſe æternam, ſivè ſumatur tranſcendentaliter, quatenùs Deus eſt objectum intellectus veri, ſive ſumatur pro conformitate notitia divinæ cum rebus ab ipſo intellectis.*

289. Q. 2. *An veritas Dei ſit immutabilis?* Veritas in DEO eſt Deus ipſe, qui cùm ſit immutabilis eſſentiâ, utique etiam veritas ejus immobilis ſtatuenda. Roman. 3. v. 3. *infidelitas hominum Dei fidem non reddit inanem.* 2. Timoth. 2. v. 13. *Si infideles ſumus, ille tamen manet fidelis ſeipſum negare non poteſt.* Veritas creata quomodocunque ſumatur, mutabilis eſt. Quamvis enim veritas tranſcendentaliter rei non habeat contrariam falſitatem tranſcendentalem, cùm omnis res ſit vera tranſcendentaliter, & proindè non poſſit mutari in falſitatem, tamen ut res ipſa creata, ita quoque veritas rei poteſt ceſſare eſſe, & ſic mutatur in non veritatem. Veritas intellectus mutari poteſt non tantùm in non-veritatem, ſed etiam in falſitatem, quando ſcilicet mutato objecto ceſſat prior conceptus, qui erat ei conformis, & eficitur ei difformis, vel quando objecto mutato prior conceptus adhuc de illo retinetur. Sic ante Chriſti adventum verus erat hic conceptus. Filius Dei de cœlo veniet, & carnem aſſumet, nunc poſtquam Filius Dei in carne manifeſtatus eſt, falſus eſt in animis Judæorum ille conceptus, quòd Meſſias adhuc venturus ſit. Q. 3. *An veritatem Dei labefactet, quod Deo tribuitur pœnitentia?* quodq; *everſionem prædixit Ninivitis, quæ non eſt ſecuta?* Neg. vide loc. §. 174. 175. Q. 4. *An veritatem Dei labefactet aſſertio illa, quod Eccleſia poſſit deficere?* Vide diſp. 4. de glor. Dei §. 7. Q. 5. *An eandem labefactet ſtatuere, quod verum aliquid ſit in Theologia, quod in Philoſophia falſum?* Vid. diſp. 10. de glor. Dei §. 42.

Uſus practicus doctrinæ de Dei veritate.

290. *Uſus practicus* 1. *Conſolatorius.* Verus eſt Deus in verbis ſuis, ergò fideliter implebit promiſſiones. Pſalm. 89. v. 34. *benignitatem meam non faciam irritam ab eo, neque mentiar contra fidem meam.* Cyprianus ſerm. 4. de mort. *Deus verax eſt, cujus ſermo credentibus æternus & firmus eſt. Si tibi vir gravis & laudabilis aliquid polliceretur, haberes utique pollicenti fidem, nec te falli ac decipi ab eo crederes, quem ſtare in ſermonibus atq; actibus ſuis ſcires, nunc Deus tecum loquitur, & tu mente incredulâ perfidus fluctuas.* Verus eſt Deus, ergò veritas tandem vincet & prævalebit. 2. *exhortatorius.* 1. *ad firmam fidem verbis Dei adhibendam.* Verax eſt Deus, ergò immotâ fide verbo ejus adhæreamus. Hebr. 10. v. 23. *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem ἀκλινῆ, fidelis enim eſt, qui repromiſit.* Hominum veracitas eſt mutabilis, Dei autẽ veritas æterna & im̃utabilis, quæ nec fallit, nec fallitur, adeoq; eſt abſolutè authentica. 2 *ad laudem Dei extollendam.* Pſ. 57. v. 10. *Celebrabo te in populis Domine. pſallam tibi in nationibus.* v. 11. *magna eſt uſque ad cœlos benignitas tua. & ad ſuperiores nubes veritas tua.* Pſal. 71. v. 22. *celebraturus ſum te inſtrumento nablij, fidemq; tuam Deus, pſallam tibi cytharâ* &c. Tunc Deus verè à nobis agnoſcitur, colitur & glorificatur, quando ipſum verè juſtum, verè bonum, verè ſapientem, verè omnipotentem, adeoque omnia ejus attributa, omnia opera, omnia verba eſſe vera agnoſcimus & prædicamus. 3 *ad veritatem ſectandam.* Sicut Chriſtus nos hortatur, ut exemplo Patris cœleſtis *ſimus miſericordes* Luc. 6. v. 36. ſic exemplo veracis Dei veritatem ſectemur. Zachar. 8. v. 16. *Loquimini veritatem unusquiſque cum proximo ſuo.* Diabolus eſt *mendax & pater mendacii* Joh. 8. verſ 44. quotquot ergò mendacium amant, non ſunt Filii Patris cœleſtis, ſed Diaboli, cujus opera faciunt.

Sectio XVII.

De Dei perfectione.

De Dei perfectione.

291. Egimus hactenùs de *prima & ſecunda* Attributorum claſſe, ſuccedit *tertia*, quæ complectitur. 1. *Dei perfectionem.* 2. *Majeſtatem.* 3. *Beatitatem.* Sit ergò Theſis: *Deus ut eſt ſummum Ens, ita quoque perfectiſſimum Ens.* Perfectio tribuitur DEO 1. *ὁλικῶς*, & quidem 1. *καταφατικῶς*, quòd ſit perfectus in ſeipſo & per ſeipſum, omnes perfectiones in ſe continens non quidem formaliter, ſed eminenter, non diviſim, ſed conjunctim, non accidentaliter, ſed eſſentialiter. Job. 37. v. 16. *Nunqu. diſces mirabilia* תְּמִים דֵּעִים *perfecti ſcientiis.* Matth. 5. v. 48. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter perfectus eſt?* Ut autem ipſe perfectus, ita perfecta eſt ejus bonitas perfecta eſt ejus ſapientia, perfecta ejus potentia, quia hæc omnia nihil aliud ſunt quàm ipſa ejus eſſentia. Ut ipſe non cœpit eſſe, ſed eſt ab æterno, ita quoque perfectus eſt ab æterno in æternum. Ut ipſius eſſentia eſt immutabilis, ita quoq; perfectio ejus im̃utabilis 2. *ἀποφατικῶς*, quod nihil illi deſit, quòd nullâ aliâ re extra ſe opus habeat, quòd nec conſilio, nec auxilio, nec ſapientiâ, nec potentiâ in agendo indigeat, nec in eſſendo, nec in operando ab alio dependeat. Job. 22. v. 2. *Nunquid proderit Deo fortis, num proderit ipſi prudenter agens?* v. 3. *nunquid utilitas ei, quod perficias vias ejus?* Eſ. 40. v. 13. *Quis inſtruxit Spiritum Domini, & quis conſilium ejus ſciri fecit eum?* Pſ. 16. v. 2. *bonorum meorum non eges.* Eccleſ. 15. v. 12. Act. 17. v. 25. &c. 2. *ἐνεργητικῶς*, quòd *omnia opera ejus perfecta.* Deut. 32. verſ. 4. Jac. 1. verſ. 17. Rom. 12. verſ. 2. quòd

Ee nihil

nihil illis deſit, qui Deum habent propitium Gen. 15.v.2.Pſ.23.v.1.Pſ.34.v.10.Pſ.73.v.25.2.Cor.6. verſ. 10.

292. Cæterùm cùm perfectio Deo tribuatur κυρίως, ideò competit ei ἁπλῶς. Perfecta quædã dicuntur *comparatè*, reſpectu ſc. *ſuæ Naturæ*, quam ex Dei voluntate & ordinatione obtinent, & *reſpectu finis*, propter quem condita ſunt, vocatur aliàs *perfectio in ſuo genere*. Sic perfectus eſt equus, quia obtinet perfectionem Naturæ ſuæ debitam & fini convenientem. Deus ſolus ut non habet eſſe finitum & determinatum, ſed infinitum, imò eſt ipſum eſſe & omne eſſe, ideò etiam *abſolutè & ſimpliciter* ſolus eſt perfectus. Conformis eſt huic diſtinctioni illa altera. Nihil alicui deeſſe, in quo perfectio conſiſtit, poteſt intelligi dupliciter, *Privativè & Negativè*. Priori modo perfectum dicitur, cui nihil deeſt, quod ei debitum ſit ſuâ Naturâ ad integritatem. Poſteriori modo perfectum dicitur, cui abſolutè nihil perfectionis deeſt, & ſic ſolus Deus eſt perfectus. Vide loc. §.177.178.

293. 2. *Rationes* perfectionem DEI comprobantes ducuntur 1. *a ſumma Entitate*. Quod eſt ſummum Ens & independens illud etiam ſummè perfectum. 2. *ab infinitate*. Quod eſt infinitum ſuâ eſſentiâ, illi nihil deeſſe poteſt. 3. *à ſimplicitate*. Quò quid ſimpliciùs, eò perfectius. 4. *à perfectionis omnis cauſalitate*. Qui omnium perfectionum, tùm naturalium, tùm moralium, in regno Naturæ, gratiæ & gloriæ eſt cauſa, ille ſimpliciter & abſolutè eſt perfectus. 3. Dicta *Patrum*. Quidam ex veteribus dicit: *DEUS eſt ſplendor nunquam deficiens, vita indefeſſa non moriens, fons ſemper ſcaturiens, ſeminale vitæ ſeminarium, ſapientiæ principale principium, initiale bonitatis initium*. Juſtin. in qq. & reſp. ad orthod. fid. quæſt. 113. pag. 361. *Cùm perfectio Dei in eo ſit, quod idem ipſum eſt, propterea non auget eum id quod alterius eſt. Et quemadmodum unitati id nihil confert ad ejus perfectionem, quod principium ſit numeri, nam etiamſi numeri principium non eſſet perfecta, tamen eſſet & cùm principium ejus facta ſit, non aucta tamen eſt, ſic Deus quoq; ante creationem perfectus erat, & poſt creationem auctus non eſt*. Theoph. lib. 2. ad Autolyc. *Ut Sol ſemper plenus conſpicitur, nec unquam minuitur, ſic Deus perpetuo perfectus exiſtit, plenus potentiâ, ſapientia, immortalitate & reliquis bonis omnibus*. Iren. lib. 4. c. 28. p. 254. *Initio non quaſi indigens Deus hominem plaſmavit ſed ut haberet, in quem ſua beneficia collocaret, nec noſtro miniſterio indigens juſſit, ut eum ſequeremur, ſed ut nobis ipſis attribueret ſalutem. Sequi enim Salvatorem participare eſt ſalutem, & ſequi lumen participare eſt lumen, qui autem in lumine ſunt, non ipſi lumen illuminant, ſed illuminantur & illuſtrantur ab eo, ipſi quidem nihil ei præſtant, beneficium autem percipientes illuminantur à lumine. Sic & ſervitus erga Deum, Deo quidem nihil præſtat, nec opus eſt Deo humano obſequio, ipſe autem ſequentibus & ſervientibus ei vitam & incorruptelam & gloriam æternam attribuit, beneficium præſtans ſervientibus ſibi, ſed non beneficium ipſo ab eis percipiente. Eſt enim dives perfectus & ſine indigentia. Propter hoc autem exquirit ab hominibus ſervitutem, ut quia eſt bonus & miſericors, benefaciat eis, qui perſeverant in ejus ſervitute. Quantum enim Deus nullius indiget, in tantum homo indiget Dei communione*. c. 31. p. 258. *Non indigebat Deus dilectione hominis, deerat autem homini gloria Dei, quam nullo modo poterat percipere, niſi per eam obſequentiam, quæ eſt erga Deum* Aug. lib. 10. de C. D. c. 5. *Ne ipſa quidem juſtitia hominis Deum egere credendum, totumq; quod rectè colitur Deus, homini prodeſſe non Deo, neq; enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe, ſi biberit aut luci ſi viderit*. Damaſc. lib. 1. orth. fid c. 5. θεὸν vocat nõ ſolùm τέλειον, ſed etiam ὑπερτελῆ καὶ προτέλειον, *ſuper perfectum & ante perfectum*.

294. *Antitheſis*. Perfectionem Dei labefactat 1. Servetus, qui in Epiſt. 6. ad Calv. dicit, *Deum in lapide eſſe vere & propriè lapidem, & in trunco trũcum, & ſic in aliis*. At creatura propriè non eſt illud eſſe divinum, quod habet in mente divina, ſed id quod ipſa in ſe continet à Deo diſtinctum. 2. *Vorſtius*, quando tract. de Deo p. 441. *veram & propriè dictam ſpem ſeu expectationem*, Item, *optationem ac deſiderium Deo tribui poſſe* contendit. At quid ſperet, deſideret atque expectet, cui omnia præſentia, qui eſſentiæ ſuæ perfectione omnia continet? 3. *Calviniani*, quando diſputant, *neceſſarium fuiſſe, ut homo laberetur, ut Deus haberet occaſionem exercendæ ſuæ miſer. & juſtitiæ*. Beza in Colloq. Momp. p. 428. Piſc. in reſp. ad Apol. Vorſt. p. 83. At non perficitur Deus operibus ad extra, quæ ſunt perfectionis eſſentialis & interioris quædam documenta ac veſtigia. Vid. diſp. 6. de glor. Dei §. 8. loc. de pecc. orig. §. 21. *Antitheſis*

295. Q. 1. *Si Deus eſt perfectus, cur omnia dicitur feciſſe propter ſeipſũ?* Prov. 16. v. 4. Reſp. non propter ſui indigentiam, ſed bonitatis ſuæ κοινωνίαν & manifeſtandam ſuam gloriam. Scal. ex. 250. ſect. 1. *Omne quod eſt, propter aliud eſt, quam propter ſe excepto uno ſolo Deo. Igitur omnia propter illud unum ſunt, quod non eſt propter aliud. E. erunt omnia propter Deum, qui Deus non eſt propter aliquid aliud præter ſe. Cæterum quia dicimus omnia quæcunque propter aliud ſunt, eſſe aliquid bonum illi propter quod ſunt, viderentur omnia hæc, quia ſunt propter Deum, afferre Deo bonũ aliquid. Hoc a. nefas. Quare ambiguâ ſignificatione ſumitur illa propoſitio. Omnia propter hominẽ, homo a. propter Deum. Quia homo ut eſſet & ut bene eſſet, opus his habuit. Deus a. non ita, imo Deo opus habet homo, ut ſit & ut bene ſit.* *Quæſtiones de Dei perfectione.*

296. 2. *Si Deus perfectus, cur ab homine requirit obædientiam?* Reſp. non ut ipſius bonitati & perfectioni aliquid accedat, ſed ut à nobis ipſius bonitas agnoſcatur, & per eandem agnitionem cum fide & dilectione conjunctam ſalus & vita nobis communicetur. Deus eſſentialiter & immutabiliter ſuam obtinet gloriam ab æterno in æternũ Joh. 17. v. 5. ſi vel maximè à creaturis ea non agnoſcatur nec celebretur, ergò quod gloriari à nobis, id eſt, gloriam ſuam agnoſci ac celebrari expetit, non in ſuum commodum vel augmentum, ſed in noſtram utilitatem unicè expetit.

297. Q. 3. *Si Deus perfectus, cur aliorum operâ utitur*. Reſp. nõ *ex neceſſitate*, ſed *ex libertate*. Prima cauſa omnium ſecundarum cauſarum defectũ facile poteſt ſupplere ob ſummam in eſſendo & agendo perfectionem. Ergò non ex activitatis imperfectione vel ex quadam indigentia & neceſſitate utitur cauſis ſecundis, ſed ut eas honoret non ſolùm ratione exiſtentiæ, ſed etiam ratione efficientiæ.

298. Q. 4. *Quomodo perfectiones creatæ ſunt in Deo, cum ab illis nõ denominetur, cumq; eædem non ſolùm ſint diverſæ, ſeu etiam quandoq; adverſa, utpote eſſe Spiritum, & eſſe corpus?* Scholaſtici reſpondent.

dent. Perfectiones creatas eſſe in Deo, *non formaliter*, ſed 1. *eminenter*, ut in cauſa efficiente. 2. *objectivè*, ut in intelligente. 3. *repræſentativè*, ut in idea ſeu exemplari. Diſtinguunt etiam inter duplicem conſiderationem perfectionum creatarum. Quatenùs enim perfectiones creatæ conſiderantur *ut accidentia*, & ut creatæ ac finitæ perfectiones, eatenùs non ſunt in Deo formaliter: quatenùs vero conſiderantur *ut formæ abſtractæ* perfectæ, & ut in communi quodam conceptu nullam imperfectionem includente, eatenùs formaliter ſunt in Deo, ut intellectus, voluntas, ſapientia. Eas vocant *perfectiones ſimpliciter ſimplices*. Eſſe 2. omnes creatas perfectiones in Deo probant ex Pſ. 94. v. 9. *Qui plantavit aurem, non audiat, aut qui finxit oculum, non conſideret?* Pſ. 50. v. 11. *pulcritudo agri mecum eſt*. in Hebr. beſtia Eſ. 66. v. 9. *Qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero*. Rom. 11. v. ult. *Ex ipſo & in ipſo ſunt omnia*, & ex ratiocinatione. Fieri non poteſt, ut aliqua perfectio ſit in effectu, quæ non aliquo modo præexiſtat in cauſa efficiente. Atqui Deus eſt cauſa efficiens omnium perfectionum creatarum.

Uſus doctrinæ de Dei perfectione.

299. *Uſus practicus*. 1. *Conſolatorius*. Perfectus Deus imperfectionem noſtram, cui in hac vita ſumus obnoxii, abolebit, nosque ad imaginem ſuam perfectè renovatos in vita æterna perfectos reddet 1. Cor. 13. verſ. 10. *erit tunc omnia in omnibus*. 1. Cor. 15. verſ. 28. erit perfecta lux intellectui, erit perfecta bonitas noſtræ voluntati, erit perfecta juſtitia affectui perfecta lætitia noſtro cordi, perfecta ſanitas, claritas, immortalitas noſtro corpori &c. *quicquid amabitur, aderit; nec deſiderabitur, quod non aderit* Aug. 13. de Trin. cap. 7. 2. *exhortatorius*. 1. *ad Deum amandum*. Quicquid in creaturis bonum amatur & deſideratur, illud eſt imperfectum & diviſum, nulla enim creatura obtinet perfectum bonum & omne bonum, ſolus Deus eſt perfectum bonum, & *omne bonum*. Ex. 33. v. 19. Cur ergò imperfectè bonum prætermiſſo bono perfecto amare velimus? Ama illud ſummum bonum, quod eſt perfectum ac ſibi ſufficiens bonum, & nihil tibi deerit? 2. *ad Deum glorificandum*. Perfectus eſt Deus, & quidem ſolus perfectus eſt, ipſi igitur omnis gloria unicè debetur. Quò quidq; perfectiùs, eò majori honore & gloriâ dignum. Deus eſt perfectiſſimus & ſolus ſummè perfectus. Ergò ipſi ſumma, imò omnis gloria debetur Pſ. 18. v. 2. *Deus fortitudo mea petra mea, arx mea, liberator meus, rupes mea, protector meus, aſylum meum, cornu ſalutis meæ*. 3. *ad imperfectionem noſtram agnoſcendam*. Perfecti nobis ſemper videmur, ſed ſi ad ſummam Dei perfectionem, quæ noſtræ perfectionis exemplar ac norma eſſe debet, oculos reſpicimus, tunc imperfectionem noſtram agnoſcimus. Iob. 4. v. 17 *Nunquid homo Dei comparatione juſtificabitur?* v. 18. *ecce inter ſervos ejus non manſerunt fideles, & in Angelis ſuis deprehenſa eſt ſtultitia*. verſ. 19. *quantò magis hi, qui habitant domos luteas*. Greg. in cap. 7. Jobi. *Ipſa juſtitia noſtra ad examen juſtitiæ divinæ deducta injuſtitia eſt, ſordet in diſcretione judicis, quod in æſtimatione fulget operantis*. 4. *ad perfectionem Dei imitandam*. Matth. 5. v. 48. *Eſtote perfecti ſicut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, perfectus eſt*. Non poſſumus quidem ſummam illam divinæ bonitatis ac miſericordiæ perfectionem in vitæ hujus infirmitate aſſequi, interim tamen debemus eam tanquam exemplar & regulam imitari ac ſequi. Sicut diſcipulus non poteſt ὑπογραμμὸν ſibi propoſitum exactè & ad amuſſim exprimere, interim perpetuò ad illud in pingendis literis reſpicit, ac conatur juxta illud ſcriptionem ſuam dirigere: ſic perfectio Dei ſit vitæ atque actionum noſtrarum regula. quamvis noſtra ad eam conformitas hic ſit tantùm inchoata, in futura demùm vita conſummata & perfecta.

SECTIO XIIX.

De Dei majeſtate & gloria.

De majeſtate Dei.

300. Theſis. *Deus ut eſt perfectiſſimus, ita altiſſimus, ſumma majeſtate præditus*. Ut perfectio, ita majeſtas & gloria Dei eſſentialis complectitur reliqua attributa, & juxta noſtrum concipiendi modum ex illis oritur, quia enim Deus ſimpliciſſimus, æternus, infinitus, omnipotens, omniſapiens, ideò etiam ſummè perfectus & ſummâ majeſtate præditus intelligitur. Quando ergò Deum agnoſcimus, qualis eſt, & qualem ſe in verbo revelavit. videl. Ens ſummum, increatum, ſimpliciſſimum, infinitum &c. tunc ipſius majeſtatem & gloriam agnoſcimus, quippè quæ nihil aliud eſt, quàm Dei eſſentia & eſſentiales ejus proprietates, ſic quando Moſes ipſiſſimam Dei eſſentiam citra externam aliquam & creatam imaginem videre expetit; gloriam Dei ſibi oſtendi petit Ex. 33. v. 18. ſed Deus ipſi reſpondet, non potes videre faciem meam, id eſt, eſſentiam meam nudam citra externum aliquod viſibile ſymbolum, ergò majeſtas & gloria Dei eſt facies Dei, i.e. ipſe Deus & ipſa Dei eſſentia.

301. Majeſtatem & gloriam Dei Scriptura prædicat. 1. οὐσιωδῶς, quando Deum vocat *magnum, altiſſimum, glorioſum &c.* Act. 7. v. 2. *Deus gloriæ*. 2. ἐνεργητικῶς, quando *gloriâ Dei omnem terram plenam eſſe* aſſerit Eſa. 6. v. 3. ac glorioſa & mirabilia Dei opera conſideranda nobis proponit. 3. προτρεπτικῶς, quando jubet, ut Deum glorificemus, celebremus, extollamus, magnificemus. Thalaſſ. ad Paulin. Presbyt. *Ut Deus nobis ſecundum eſſentiam eſt incognitus, ſic ſecundùm majeſtatem eſt immenſus*. Ambr. lib. 2. hexaem. c. 3. *Deus eſt venerabilis Natura, inæſtimabilis magnitudine, incomprehenſibilis in operibus. In Deo eſt longitudo per æternitatem, altitudo propter majeſtatem, latitudo propter miſericordiam. profunditas propter ſapientiam*. Baſil. hom. 15. de fide. *Naturæ divinæ magnitudinis triumphum contra omnem ſermonis facultatem concedemus. Nam nec Angelorũ linguæ, qualeſcunq; aut quantacunq; hæ ſunt, neq; etiam ArchAngelorum cum omni rationali Natura congregata, vel minimam illius divinitatis partem ſatis congruè proſequi, nedum totã explicanda pares eſſe valebunt*.

Antitheſis

302. Antitheſis. Majeſtatem & gloriam Dei labefactant. 1. θεωρητικῶς, quotquot. 1. non agnoſcunt eum, ut ſe in verbo revelavit. a potentiæ, ſapientiæ, miſericordiæ ejus derogant. 2. πρακτικῶς. 1. qui vitæ impietate occaſionem hoſtibus exhibent, Dei nomen blaſphemandi. Eſ. 52. v. 5. Rom. 2. v. 24. *Nomen Dei propter vos blaſphematur inter gentes* 2. qui Dei gloriam carnalibus ſuis cupiditatibus & affectibus prætexunt. 3. *qui gloriam hominũ magis diligũt quam Dei gloriã*. Ioh. 12. v. 43. &c.

Quæſtiones de Dei majeſtate.

303. Q. 1. *An gloria Dei ſit aliquid à Dei eſſentia diſtinctum?* Gloria Dei dupliciter accipitur. 1. οὐσιωδῶς, ut notat proprietates Dei eſſentiales, vir-

tutem, majeſtatem & ſublimitatem Dei. 2 *χριτικῶς*, ut notat celebrationem & agnitionem illius majeſtatis, quæ *ſubjectivè* eſt in creaturis rationalib. Deum agnoſcentibus ac prædicantibus. Priori modo accepta gloria DEI nihil aliud eſt, quàm ipſa Dei eſſentia, poſteriori modo accepta diſtinguitur à Dei eſſentia, ac dicitur propriè glorificatio, quo ſenſu etiam accipiendum eſt, quod Deo in tempore gloria dicitur dari, quod jubemur Dei gloriam extollere, augere, propagare.

304. Q. 2. *An gloria verè divina & infinita Chriſto ſecundùm hum. Natur. ſit communicata?* Neg. Calviniani abuſi ad id probandum dicto Eſa. 42. v. 8. *Gloriam meam alteri non dabo*, unde diſtinguũt *inter gloriam purè div. & Mediatoriam*, quam dicunt *divinæ proximam, omnium creatarum rerum gloriâ ſublimiorem*. Polanus lib. 2. Syſtem. c. 31. Sed contrarium ſuo loco pleniſſimè demonſtrabimus, hic notamus duntaxat evidens dictum Ioh. 17. v. 5. *Glorifica me Pater apud temetipſum eâ gloriâ, quam habui apud te priusquam mundus eſſet.* Hîc certè talem gloriam Chriſtus ſibi dari petit, quæ non eſt divinâ inferior, ſed quam ſecundùm div. Naturam apud Patrem ab æterno habuit, quæ ſi non eſt verè & purè divina, Chriſtus non erit verus Deus. Regerit Polanus, *intelligi gloriam Mediatoriam, quã habuit Chriſtus priusquam mundus eſſet in prædeſtinatione*. At unde probat hanc ſuam gloſſã? Chriſtus abſolutè pronunciat, ſe gloriam illam habuiſſe, Polanus addit, *quod in prædeſtinatione habuerit*, Chriſtus dicit, quòd gloriam illam habuerit *παρὰ τῷ πατρὶ*, utnirũ, quia ab æterno erat *μονογενὴς παρὰ πατρὸς* Joh. 1. v. 14. Polanus dicit, *quòd nõ apud Patrem, ſed in Patre, videlicet in decreto Patris, in prædeſtinatione habuerit*. In prædeſtinatione ſimul ſũt *creatio mundi & glorificatio Chriſti*. At Chriſtus petit illam ſibi dari gloriam, quam habuit *antequam eſſet mundus*. Si admittimus Polani reſponſionem, labefactantur omnia fundamenta, quæ pro aſtruenda Chriſti Deitate ex ipſius æternitate deducimus. Addo autem evidens argumentum. Quo ſenſu Chriſtus petit ſibi dari gloriam in tempore, eo etiam ſenſu aſſerit, ſe gloriam habuiſſe apud Patrem, antequam mundus eſſet. Ratio eſt, quia utrobiq; eſt eadem phraſis. *δόξασόν με παρὰ σεαυτῷ τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον παρὰ σοί*. At Chriſtus petit ſibi dari gloriam per realem communicationem. Ergò etiam ab æterno habuit illam gloriam per realem communicationem. Communicationis modus variat, quia ſecundùm divinam Naturam communicata eſt à Patre Chriſto gloria *per æternam generationem*, ſecundùm humanam Naturam illi eadem communicata eſt *per hypoſtaticam unionem & ad dextram Patris exaltationem*. Regerit Polanus 1. *Chriſtum petere hanc gloriam paulò ante paſſionem, eamq; accepiſſe demum poſt reſurrectionem. ergò non poſſe per eam intelligi proprietates Dei eſſentiales, quippe quas actu ab æterno habuit.* Reſp. quæ hæc conſequentia? Chriſtus eam petit in tempore ſecundùm hum. Nat. ſibi dari. Ergò non habuit eam ab æterno ſecundùm divinam Naturam? 2. *multa ſequi abſurda. videl. ipſam quoq; Deitatis eſſentiam realiter communicatam humanitati Chriſti*; Item, *non fuiſſe communicatas proprietates illas eſſentiales per unionem perſonalem*. Reſp. ad prius nullum ex eo abſurdum ſequi, ſed potiùs ex illius negatione perſonalem duarum Naturarum unionem labefactari, ad poſterius diſting. inter ipſam gloriæ cõmunicationem & cõmunicatæ plenarium uſum. 3. *Chriſtũ non carni, ſed ſibi petere illam gloriã*. Reſp. Quæcunq; perſonæ tribuuntur, aut ſecundùm utrãq; aut ſecundùm alterutram tantùm, div. ſc. vel hum. Nat. Chriſto competunt. Sed datio illa gloriæ in tempore non ſecundùm divinam Nat. Chriſto competit, alias non erit ab æterno ejuſdem eſſentiæ & gloriæ cum Patre. 4. *Chriſtum petere illam gloriam tanquam conſequens ac præmium obœdientiæ*. Reſp. ratione plenarii uſus. Firmiſſimè autem ex eo evincimus non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam tantùm Naturam gloriam illam Chriſto in tempore datam, in qua ſcil. paſſionem & mortem ſuſtinuit. *Mediatoriam gloriam Chriſto datam eſſe*, Polanus aſſerit, tùm *per gratiam unionis perſonalis*, tùm *per exaltationem ſupra omne nomen*. At Chriſtus fuit Mediator ante exaltationem, utiq; ergò etiam gloriam illam Mediatoriam ante eam habuit. Quod ſi ſtante illâ hypotheſi, nihilominùs rectè dicitur gloriam illam tanquam præmium & conſequens obœdientiæ accepiſſe, quidni etiam per unionem perſonalem ſtante eadem hypotheſi verè infinitam & divinam gloriam accepiſſe credendus.

305. *Vſus practicus. 1. conſolatorius. 1. in contemtu mundi.* Si ab hominibus contemnimur, ſufficiat nobis, quòd Deus, qui eſt ſumma noſtra gloria, nos honoret 1. Sam. 2. v. 30. huc reſpiciens Apoſtolus dicit. 1. Cor. 4. v. 3. *mihi pro minimo eſt, ut à vobis judicer, aut ab humano die. v. 4. qui me judicat, Dominus eſt. 2. in mortis ignominia. Seminatur corpus noſtrum ἐν ἀτιμίᾳ, ſurget in gloria.* 1. Cor. 15. v. 44. Deus ignominiam illam, cui propter peccatum corpus noſtrum putredini ex vermibus deſtinatum eſt obnoxium, à nobis aufert, glorioſè è ſepulcro corpora noſtra educit, *conformabit ea corpori Chriſti glorioſo* Phil. 3. v. 21. ac in vita æterna nos *glorificabit* Rom. 8. v. 30. 2. *exhortatorius. 1. ad Deum glorificandum.* 1. Par. 16. v. 24. Eſ. 6. v. 3. Deo omnis debetur gloria, ergo per glorificationem & gratiarum actionem ad eum unicè eſt referenda. Qui ſibi gloriã arrogat, id quod Dei proprium eſt, ad ſe rapit, & idololatriam committit. 2. *ad faſtum noſtrum deprimendũ.* Majeſtas & gloria Dei eſt incomprehenſibilis & ineffabilis. Ergò coram eo ſincerè & ſeriò nos humiliemus. Gen. 18. v. 27. *Auſus ſum ad Deum loqui, cùm ſim cinis & pulvis*, in quem locum ſic commentatur Cyrill. Hieroſolymit. catech. 6. *Cùm ad Deum reſpexerit, tunc inquit ingenuè confitens. Ego ſum terra & cinis. Non dixit, terra, & tacuit, ne ſeipſum magnum Elementum terram appellare videretur, ſed addit cinerem ſe eſſe, ut vilitatem, fragilitatem & imbecillitatem ſuam oſtenderet. Eſtne autẽ quicquam cinere levius aut exilius? accipit comparationem cineris ad domum, & domus ad civitatem, & civitatis ad provinciam, & provinciæ ad Rom. Imperium, & Imperii Rom. ad univerſam terram, & omnes terminos rurſus terræ totius ad circumdans illud cœlum, cujus tanta eſt comparatio ad cœlum, quantùm eſt punctum circuli ad circumferentiam totam. Tanta enim eſt cœli ad terram comparatio.*

Vſus doctrinæ de majeſtate Dei.

SECTIO XIX. ET VLTIMA.

De Dei beatitate.

306. Theſis. *Deus ut eſt perfectiſſimus, ita beatiſſimus, imò ipſa beatitudo.* Beatitudo definitur, quod

Dei beatitudo.

quòd ſit *ſtatus vitæ omni bonorũ aggregatione perfectus*. Thom. p. 1. q. 26. art. 1 *beatitudo nihil aliud eſt, quam bonum perfectum intellectualis Naturæ*. Quando ergò Deus dicitur beatus intelligitur 1. quod bonis omnibus affluat. 2. & quia perfecta affluentia omnis boni locum non habet, niſi malum bono oppoſitum penitùs removeatur, ideò intelligitur etiam beatitudinis nomine, quòd ſit ab omnibus malis liber. 3. & quia perfectè beatus non eſt niſi qui ſemper talis, ideò intelligitur beatitudinis nomine Deo attributo, quòd ſit immutabiliter beatus. 4. & quia immutabiliter beatus nemo eſt, niſi qui eſſentialiter talis, cùm accidens ſubjecto inſit ſeparabiliter ac mutabiliter, ideò etiam beatitudinis nomine intelligitur, quòd eſſentialiter ac ſuâ Naturâ beatus ſit, imò ipſa beatitudo. 5. & quia eſſentialiter nemo beatus eſt, niſi qui à ſeipſo & per ſeipſum talis, cùm dependens ab alio non poſſit eſſe eſſentialiter beatus, ideò beatitudinis nomine Deo attributo intelligitur, quòd à ſeipſo & per ſeipſum beatus ſit, non autem participatam ab alio beatitudinem habeat. 6. & quia beatus nemo dici poteſt, niſi bona, quibus affluit, intelligat, cognoſcat & velit, ideò beatitudinis nomine etiam hoc intelligitur, quòd Deus ſuam perfectionem ac beatitudinem per intellectum plenè cognoſcat. & per voluntatem ſummè amet, inq; ea quietè & pacatè acquieſcat, ex qua acquieſcentia oritur gaudium, quo Deus ſeipſo tanquam ſummo bono ex operibus ſuis omnibus valdè bonis delectatur, ſuprà quam dici poteſt vel cogitari, unde concludit Thomas, *beatitudinem Dei formaliter conſiſtere in operatione, videl. intellectione ipſius, quæ eſt perfectiſſima operatio*. 7. deniq; quia beatitudo omnis boni affluentiam complectitur, ideò quando Deus dicitur beatus, etiam hoc intelligitur, quòd ſit ſibi ſufficiens, nullum externum bonum appetens, nullius boni egens.

Probatur. 307. Beatitudinem Deo tribuit 1. *Scriptura* ὁητῶς, idq; 1. καταφατικῶς. 1. Tim. 1. v. 11. *ſecundum Evangelium gloriæ* τ̃ μακαρίου Θεοῦ. c. 6. v. 15. μακάριος ϗ μόνος δυνάςης. 2. ἀποφατικῶς. Job. 35. v. 6. *Si peccaveris, quid es nocebis? v. 7. ſi juſtè egeris, quid donabis ei?* Pſ. 16. v. 2. *bonum meum non ad te*, ſcil. pervenit, i. e. nec indiges, nec juvaris bono meo. Pſ. 50. v. 12. *Si eſuriero, non dicam tibi, quia orbis mihi & plenitudo ejus*. 3 μεταφορικῶς. 1. Ioh. 1. v. 6. *Deus lux eſt, & tenebræ non ſunt in eo*. Nomine lucis Deo attributo denotatur ipſius ſimplicitas, immutabilitas, majeſtas, virtus, ſinceritas & omniſcientia &c. 2. ἐνεργητικῶς. Pſ. 16. v. 11. *adimplebis me lætitia cum vultu tuo*. Pſ. 25. v. 12. *Credo me videre bona Domini in terra viventium*. Pſ. 36. v. 8. *inebriabũtur ab ubertate domus tuæ &c.* Vide loc. §. 182.

308. 2. *Rationes* 1. *ab etymologiâ*. Hebræi quãdo aliquem beatum dicere volunt, tribuunt ei אַשְׁרֵי *beatitudines* (quod eſt nomen pluralis numeri, ſtatus regiminis tantùm, poteſt verti vel in *abſtracto*, ſicut Chaldæus ubique reddidit beatitudo, vel *in concreto*, beatus. vel etiam *adverbialiter*, quia à nominibus ſolent in hac forma adverbia derivari, benè erit) quia ad perfectam beatitudinem non unum vel alterum, ſed plura, imò omnia bona requiruntur, ut conſtat ex definitione. Jam verò ſolus Deus omnibus bonis affluit, non per quandã aggregationem, ſicut in uno homine multa inſunt bona, ſed per ſimpliciſſimum actum. Græcum μακάριος ac μάκαρ deducũt à ςερητικῷ μορίῳ μα, quod eſt *adverbium jurandi & particula negandi* & nomine κὴρ, quo mors ſignificatur, quæ eſt malorum maximum. At ſolus Deus à ſe & per ſe eſt immortalis, à morte, mutatione & omnib. malis penitùs liber. Ariſtot. 7. Ethic. Nicom. c. 11. μάκαρ dictum cenſet quaſi μάλα, ἀπὸ τ̃ χαίρειν. At gaudium Dei eſt perfectum, incontaminatum, immutabile, independens. Ergò etiam ipſe ſolus perfectè beatus 2. *à ſumma Entitate*. Deus ſolus eſt αὐταυτὸς, αὐτοφυὴς à ſeipſo, ergò ſolus beatus, quæ ſunt ab alio, ea ut ſuum eſſe, ita quoque ſuam beatitudinem habent ab alio & in alio. 3. *à perfecta Dei bonitate*. Deus eſt ſummum bonum, imò ipſum bonum αὐτάγαθον, ergò etiam ſummè beatus, imò ipſa beatitudo. 4. *ab actuitate*. Beatitudo in actu non in habitu conſiſtit, unde Philoſophus per ἐνέργειαν eam definit 1. Eth. 12. At Deus eſt merus & purus actus. 5. *à beatitudinis communicatione*. Quicquid eſt ac dicitur beatum, divinæ beatitudinis communicatione beatum dicitur. E. Deus eminenter & effectivè beatus eſt, fons omnis beatitudinis. Ariſt. 10. Eth. Nic. c. 8. Deum eſſe feliciſſimum ac beatiſſimum ex Naturæ lumine agnovit. Vid. Scal. ex 307. ſect. 26. in loc. §. 183.

309. 3. *Patres*. Greg. Nyſſen. libr. de beatitud. orat. 1. *Quod verè beatum habendum ſit, ipſum divinum Numen eſt*. Auguſt. lib. 9. de civit. Dei cap. 2. *Cum ſolo vero Deo, & in eo ſolo, & de eo ſolo anima humana, i. e. rationalis & intellectualis beata eſt*. lib. 10. de C. D. c. 4. *ipſe eſt fons noſtræ beatitudinis, ipſe omnis appetitionis eſt finis*. lib. 12. de C. D. c. 1. *Non eſt creaturæ rationalis vel intellectualis bonum, quo beata ſit, niſi Deus. Itaq; quamvis non omnis beata poſſit eſſe creatura, neq; n. hoc munus adipiſcuntur, aut capiunt feræ, ligna, ſaxa &c. ea tamen, quæ poteſt, non ex ſeipſa poteſt, quia ex nihilo creata eſt, ſed ex illo, à quo creata eſt, hoc n. adepto beata eſt, quo amiſſo miſera eſt. Ille vero, qui non alio, ſed ſeipſo bono beatus eſt, ideo miſer non poteſt eſſe, quia ſe non poteſt amittere*. lib de Nat. boni contra Manich. c. 40. *Secundùm Catholicam fidem & ſanam doctrinã & intelligentibus perſpicuam veritatem nec Natura Dei nocere poteſt quiſquam, nec Natura Dei nocere injuſtè cuiquam, vel nocere impunè patitur quemquam*. Greg. lib. 32. moral c. 5. *Dum Deus ſeipſo perfruitur, accedentis laudis indigens non eſt.*

Antitheſis. 310. *Antitheſis*. Beatitudinem Dei labefactant, quotquot eum peccati autorem eſſe vel directè, vel indirectè ſtatuunt. Ut enim in luminè beato nihil mali, ita quoque à ſummè beato nihil mali.

Quæſtiones de Dei beatitudine. 311. Q. 1. *An labefactet Dei beatitudinem, quòd voluntas ejus non ſemper ab hominibus impletur?* Reſp. quæcunq; Deus vult, ea fiunt omnia, & quocunque modo ea vult, eodem etiam fiunt. Ergò nihil fit ipſo invito, & per conſeq. beatitudo ejus non labefactatur ex eo, quòd homines non implent ejus voluntatem, quia tales currunt à voluntate jubente ad voluntatem punientem. Vide loc. §. 184. 2. *An beatitudini Dei aliquid ex eo decedat, quod dicitur ab hominibus dolore affici* Eſai. 63. v. 10. *ad amaritudinem concitari* Oſ. 4. v. 1. *exacerbari*. Pſ. 90. v. 3. &c. ? Reſp. hæc non ſunt accipienda *affectivè, ſed effectivè*. Deus non iraſcitur conturbationum paſſiones in ſe recipiendo, ſed peccatores, à quibus offenditur, ſeverè puniendo. Quæcunque enim talia de Deo prædicantur, nequaquam ſignificant immutabilem mutatum, inviolabilem violatum, impaſſibilem aliquid mali paſſum, beatiſſimum miſeria affectum, ſed peccati, quo Deus offenditur, atrocitatem unicè exagge-

Digitized by Google

rant, quòd ſcilicet tanta ſit peccati gravitas & atrocitas, ut quantum in ſe eſt, per id beatiſſimus Deus dolore, triſtitiâ & opprobrio afficiatur, ac quòd Deus tantoperè peccatum deteſtetur, ac ſi eo lædatur, ad dolorem & acerbitatem concitetur, & honori ejus vis inferatur. 3. *Quomodo Deus ſit beatorum beatitudo?* Scholaſtici reſpondent, Deum eſſe beatitudinem beatorum *objectivam, non formalem*, cùm ipſa operatio, quâ attiogunt ſummum illud bonum, quòd Deus eſt & beatitudinis objectum, ſit aliquid creatum. Scriptura aſſerit, *Deum fore omnia in omnibus*. 1. Cor. 15. verſ. 28. ipſe erit beatitudo beatifica electorum *ratione objecti*, & effector actus in objectum tendentis, inque illo acquieſceotis.

Vſus doctrinæ de Dei beatitudine.

312. *Vſus practicus 1. conſolatorius.* Beatus Deus etiam nos beatos io vita æterna efficiet, unde *beati* pronunciantur *mortui, qui in Domino moriuntur*, Apoc. 14. verſ. 13. quia per mortem ad Dominum, id eſt, ad beatitudinem perveniunt, & verè beati eſſe incipiunt. 2. *exhortatorius*, ad beatitudinem noſtram in Deo quæreodam. Solus Deus verè ac perfectè beatus eſt, in ipſo igitur veram beatitudioem quæramus. Nulla creatura omoia bona cumulatè obtinet, ſed partem duntaxat boni, Deus verò omnis boni affluentiâ beatus eſt, *apud ipſum eſt vena vitæ*. Pſalm. 36. verſ. 10. מְקוֹר חַיִּים & fons beatitudinis, qui reficit, nec deficit, communio ergò noſtra & unio cum Deo eſt vera beatitudo. Pſal. 144. verſ. 12. exponitur judicium mundi de beatitudine, quòd ea conſiſtat 1. *in filiorum proſperitate*. 2. *in filiarum formoſitate*. 3. *in divitiarum ubertate*. 4. *in pacata tranquillitate*, ſed Regius vates ei opponit judicium hominis pii & renati de vera beatitudine, quòd ea conſiſtat in agnitione ac perfruitione Dei verſ. 15. *Beatitudines populi*, vel beatus populus, *cujus Dominus Deus ejus*. Huic uni vero DEO, ſoli beato ac bono, Patri ſcilicet, Filio ac Spiritui ſancto, ſit benedictio & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum.

Amen.

LOCUS

LOCUS TERTIUS
DE SANCTISSIMO
τῆς παναγίας καὶ ὑπεραῤῥήτου τριάδος
MYSTERIO.

I.

SAcroſanctum & auguſtum *Trinitatis myſterium* ex æternæ & immotæ veritatis in verbo revelatæ tabulis aſſerturi, ac contra venenatas θεομάχων Photinianorũ linguas propugnaturi div. gratiæ robur intimis gemitib. deſiderãtes ex Alcuini hymno ſic precamur p. 70. edit. Conſtant. Ann. 96. *Adeſto lumen verum, Pater omnipotens Deus. Adeſto lumẽ de lumine verbũ & Filius Dei Deus omnipotens. Adeſto ſancte Spiritus Patris & Filii concordia Deus omnipotens. Adeſto Deus unus omnipotens Pater, Filius & Spiritus S. Hanc fidem in te, per te, de te confitemur. Te unum in ſubſtantia, trinum in perſonis confitemur. Pater Filius & Spiritus ſanctus ô beata Trinitas, Deus, Dominus, paracletus. Caritas, gratia, communicatio. Genitor, genitus, regenerans. Verum lumen, verum lumen ex lumine, illuminatio. Invisibilis inviſibiliter, viſibilis inviſibiliter, inviſibilis viſibiliter. Fons, flumen, irrigatio. A quo, per quem, in quo omnia. Vivens, vita, vita à vivente, viviſicator viventiũ. Verax Pater, veritas Filius, veritatis Spiritus. Una eſſentia, una virtus, una bonitas. Deus ſupra quem nihil, extra quem nihil, ſine quo nihil. Deus ſub quo totum, in quo totum, cum quo totũ. Te invocamus, te adoramus, te laudamus. Doce fidem, excita ſpem, infunde caritatẽ. Amen.* Hiſce ad Deum precib. præmiſſis ad ipſam articuli explicationem progredimur, quam *duabus* abſolvemus *partibus*. Prior continebit *proœmialem de hoc myſterio* προθεωρίαν. *Poſterior ipſam articuli hujus proponet* ἐργασίαν, quæ erit tum ὀνοματολογικὴ, tum πραγματολογική.

CAP. I.

Proœmialẽ προθεωρίαν complectens

Neceſſitas hujus doctrinæ. 2. Proœmialem προθεωρίαν *ſex Theſibus* abſolvemus, quarum ſingulis ἔκθεσιν, ἀντίθεσιν ac ζητημάτων ἐπίλυσιν ſubjungemus, tandem verò omnibus abſolutis generalem ὠφέλειαν πρὸς πρᾶξιν ſubjiciemus. Sit ergo. Theſis 1. *Myſterium Trinitatis ſalvandis omnibus ſcitu ac creditu neceſſarium eſt.* ἔκθεσις. 1. Excludimus ab hominib. ſalvandis non ſolùm Trinitatis *negationem*, ſed etiam *ignorationem*. Quædã in verbo revelata ita comparata ſunt, ut citra ſalutis diſcrimen poſſint ignorari, quamvis ſine ejusdem periculo non poſſint negari, ſed Trinitatis non ſolum negatio, verùm etiam ignoratio eſt damnabilis. 2. Non requirimus ab omnibus Eccleſiæ membris *æqualem cognitionis gradum*, cùm lux notitiæ ſpiritualis ac fidei in quibuſdam ſit illuſtrior, in quibuſdam vero obſcurior. 3. Nec perfectam & plenam hujus myſterii κατάληψιν ac intuitivam notitiam à ſalvandis requirimus, cùm ad eam in hac vita provehi non poſſimus. Exod. 33. v. 20. 1. Cor. 13. v. 9. quo ſenſu Cyprian. ſerm. 1. de Bapt. Chriſti rectè pronunciat, quod ſibi ſoli nota ſit Trinitas, ſed hoc duntaxat aſſerimus, quòd ad fidem Catholicam omnibus ſalvandis neceſſariam *non confuſa & implicita ſed diſtincta & explicita* trium divinitatis perſonarum cognitio & confeſſio requiratur.

3. Demonſtramus hoc 1. *ex tradita in Scripturis Dei definitione.* Qui non agnoſcit Deum, prout in verbo ſuo ſe revelavit, is à vero Deo aberrat; qui definitionem Dei in Scripturis traditam ignorat vel negat, is Deum ipſum ignorat vel negat. At quisquis Trinitatis myſterium ignorat, is non agnoſcit Deum, prout in verbo ſuo ſe revelavit, is definitionem Dei in Scripturis traditam ignorat. Ergo à vero Deo aberrat ac Deum ipſum ignorat. Major eſt manifeſtæ veritatis. Qui enim non agnoſcit Deum, prout in verbo ſe revelavit, is in corde ſuo ſibiipſi idolum aliquod fingit, id quod toties Scriptura teſtatur, quoties idololatrias eus accuſat, qui alium divini cultus excogitant modum, præter & extra illum, quem Deus ipſe in verbo ſuo præſcripſit. Negari etiam nequit, eum qui definitionem rei negat, rem ipſam negare, cùm definitio ſit λόγος οὐσίας. Minoris veritas patebit ex ſequentibus.

4. 2. *Ex arctiſſima & indiſſolubili perſonarum Trinitatis unione.* Quarum perſonarum una non eſt extra aliam, earum una non poteſt agnoſci, coli, invocari, niſi ſimul agnoſcatur, colatur & invocetur etiam altera. Ratio eſt, quia menſura ac norma cognitionis eſt rei cujusq; cognoſcendæ Natura. Jam v. perſonæ Trinitatis ſic ſe habent ad ſe invicem, ut earum una non ſit extra aliam, propter ὁμοουσίαν & mutuam perſonarum περιχώρησιν. Joh. 14. v. 11. *Ego in Patre & Pater in me.* Ergo etiam earum una non poteſt agnoſci, coli, invocari, niſi ſimul agnoſcatur, colatur & invocetur etiam altera.

5. 3. *Ex diſerta Salvatoris aſſeveratione.* Matth. 11. v. 26. *Nemo novit Filium niſi Pater, nec Patrem quis novit niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* E. extra Filii revelationem in verbo traditam non poteſt Pater agnoſci. Cumprimis v. evidens eſt locus Joh. 5. v. 23. *Pater per Filium omnia operatur, ut omnes honorent Filium καθὼς ſicut & Patrem honorant. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem, qui miſit eum,* ex quo promtum eſt colligere. Qui Filium non honorat, is nec Patrem honorat. Qui Filium Dei ignorat, is eum non honorat, qui verum Deum illum eſſe negat, is non honorat eum καθὼς, ſicut Patrem honorat, h. e. non tribuit illi eundem & æqualem cum Patre honorem. E. qui Filium Dei ignorat, is nec Patrem honorat & conſeq. verum Deum non agnoſcit, colit, invocat, honorat. Ex quo fundamento Johannes pronunciat 1. Epiſt. 2. v. 23. *Omnis qui negat Filium, is nec Patrem habet.* 2. Epiſt. v. 9. *Qui non manet in doctrina Chriſti, Deum non habet,*

6. 4. *Ex gentilium extra Eccleſiã deſcriptione.* Gẽtiles ex Naturæ lumine cognoſcere potuerunt, eſſe Deum, eundẽq; eſſe unum, bonum, juſtum, ſcelerum vindicẽ. Sed quia Trinitatis myſterium in verbo & in ſolo gratiæ lumine patefactum per Nat. lumen cognoſcere non potuerunt, ideo ſalutarem

Dei agnitionem Scriptura eis derogat ac merâ *ἀγνωσίας* reſpectu ad ſalvificã notitiam habito illis tribuit. Eph. 2. v. 12. *eratis quondã ἄθεοι ſine Deo*, ratio præmittitur, quia erãt *χωρὶς Χριστοῦ ſine Chriſti cognitione*, ex quo naſcitur hæc propoſitio. Qui cognitione Chriſti Dei Filii ac Mediatoris noſtri deſtitutus eſt, is eſt ſine Deo, h. e. verũ Deum non cognoſcit. Conf. Act. 17. v. 30. Rõ. 10. v. 14. Gal. 4. 8. Ex hoc fundamento infert Joh. 1. Ep. 5. v. 11. *Vitã æternam dedit nobis Deus, & hæc vita eſt in Filio ejus. v. 12. qui non habet Filiũ Dei, non habet vitam.* Subſumo. Qui ignorat Filium, is non habet Filium Ergò non habet vitam & per conſeq. nec ſalutarem & ſalvificam *θεογνωσίαν*, qui ope in qua conſiſtit vita æterna Joh. 17. v. 3.

7. 5. *Ex myſterii hujus conditione.* Ignorato vel negato Trinitatis myſterio tota ſalutis *οἰκονομία* ignoratur vel negatur. Utriq; ergo fides & confeſſio Trinitatis eſt neceſſaria Antecedens probo Poſt lapſum protoplaſton omnes homines naſcuntur ſub jugo peccati & ſervitute Diaboli ac Natura ſũt *filii iræ* Epheſ. 2. v. 3. ab hac Dei ira nemo liberari poteſt niſi per Chriſtũ verâ fide apprehenſum. Io. 3. v. 36. *Qui non credit in Filiũ, ſuper eũ manet Dei ira.* Ratio eſt in aprico, quia nemo poteſt ſufficiẽtem pro peccatis ſatisfactionẽ præſtare, infinitam Dei irã placare & ex Satanæ regno ſeipsũ liberare, niſi ergo Chriſti ſatisfactionem & obœdientiã fide ſibi applicet, ſub peccati, iræ divinæ & damnationis (quæ tria ſeſe mutuò conſequuntur) pondere cogitur manere. At qui ignorat filiũ, is nõ credit, nec poteſt credere in filiũ. Qui Filii divinitatem negat, non poteſt ſatisfactionẽ pro peccatis apud ipſum quærere, cùm ad eã infinita virtus requiratur. Ergo Cõſ. Dn. D. Meiſn in cõſid. Theol. Phot. p. 280

8. 6. *Ex piorum veterum teſtificatione.* Athanaſ. in Symb. *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur. Hanc fidem niſi quis integram inviolatamq; tenuerit, ſalvus eſſe non poterit.* Nazianz. ſub. fin. orat. 2. de pace: *ἡ τριὰς πᾶσι πίστει γνωσθήσεται θεουμένη τοῖς μὲν τῇ ἐλλάμψει τοῖς δὲ πολλάκις.*

Antitheſis 9. Antitheſis Myſterii hujus cognitionem ad ſalutem æternã eſſe neceſſariã, 1. *directè* negant *Photiniani*, Ethnicorum, Turcarum & Judæorum veſtigiis inſiſtẽtes. Soc. in lib. quod Evang. ſe Photin. adjungere debeant p. 28. ut ignorationẽ & negationẽ, ita quoq; confeſſionẽ Trinitatis negat eſſe per ſe damnabilẽ, unde noſtrã de Deo unitrino ſententiã refert inter eos errores, *qui per ſe ipſi æternã ſalutem non adimunt, quamvis facilè impediant, quo minùs quis viã, quæ ad eam ducit, cognitam habeat, perq; eã gradiatur*, Idem Ep. 2. ad Radec. p. 82. *Eſt quidẽ Deus & Chriſtus fundamentũ ſalutis noſtræ, ſed non quatenus eorũ eſſentiã & ſubſtantiã rectè novimus, ſed quatenus Dei voluntatẽ per Chriſtum patefactã tenemus.* Schmaltz contra Ravenſp. p. 60. *Vera in Deum & Chriſtum fides ſine opinione Trinitatis conſiſtere poteſt.* Catech. Racov. p. 25. ad quæſtionẽ: *Quænã ſint, quæ ad eſſentiam Dei pertinent ad ſalutẽ prorſus neceſſaria*, reſpondet: ſũt ea, *quod Deus ſit, quod tantùm unus, quod æternus, quod perfectè juſtus, perfectè ſapiens & perfectè potens.* Plura ergo neceſſaria eſſe negat, aliàs plura addidiſſet. Oſtor. in Inſt. c. 3. p. 28. *Præter hæc* (enumerata ſex capita) *nihil aliud ſcimus cognitu neceſſarium, quantum eſſentiam Dei attinet.*

10. 2. *Indirectè.* 1. *Pontificii* dum quidam ex ipſis 1. negant *ex Scripturis ſacris Trinitatis myſterium ſufficienter demonſtrari poſſe*, ut poſteà videbimus. Atqui ſi Trinitatis myſterium non poteſt ex Scripturis demonſtrari non erit fundamentalis aliquis fidei articulus ad ſalutem ſcitu omnib. neceſſarius, cùm in Script. omnia, quæ ad fidẽ & mores neceſſaria ſunt, contineri, alibi plenè comprobatum fuerit, 2. quidã ex illis *tribuunt gentilib. ſalutem*, ut in tract. proximè præcedenti in c. de naturali Dei notitia fuit oſtenſum. Atqui ſi gentiles ſaniores fuerunt ſalvati, dogma de Trinitate non erit ſcitu ac creditu ad ſalutẽ neceſſarium, cùm gentiles ad ejus cognitionẽ ex Nat. lumine aſpirare non potuerint. 3. dum *fidem implicitã*, quæ eſt mera ignorantia, cõmendant Thom. 22. q. 2. art. 7. Biel. 3. ſcot. diſt. 25. q. un. tria duntaxat numerant, quæ omnes Chriſtiani etiã Laici ac ſimplices *explicitè & in particulari credere teneantur*, videl. *quod Deus ſit, quod remunerator ſit & quod redemtor ſit*, in reliquis *fidem implicitã* illis ſufficere ſtatuunt. Quãvis v. addant, *articulũ Trinitatis itidem explicitè eſſe credendum, cùm incarnationis articulus eundẽ præſupponat*, tamen quod unâ manu conceſsêre, alterâ mox eripiunt, quando addunt *ſufficiens eſſe, ſi Trinitas credatur confusè ſeu generaliter, non a. diſtinctè ut unicuiq; perſonæ proprietas perſonalis cognoſcatur.* Quid quod carbonarius ille cujus fidẽ cõmendãt, & Laicis ad imitandum proponunt, nec diſtinctè nec confusè Trinitatem crediderit, ſed ſimpliciter profeſſus fuerit *ſe credere quod credit Eccleſia. & Eccleſiã credere, quod ipſe credat.* Vid. Pigg. lib. Hierarch. Eccleſ. c. 5. Hoſium de autor. Script. lib. 3. Eſpenſæum in 2. Tim. 3. & c. 3. *quidã ex Calvinianis* illi ſc. qui gentilibus ſanioribus ſalutem tribuunt. Cinglius, & ejus aſſeclæ, ut ſuo loco oſtendimus.

11. Q. 1. *An etiam in V. T. myſterium Trinitatis fuerit ad ſalutem creditu neceſſariũ?* Affirm. ex adductis rationib. quæ planè generales ſunt & omnes verè credentes non ſolùm ſub N. ſed etiã V. T. reſpiciunt. Nec ex N. duntaxat, ſed etiam ex V. T. fundamenta noſtræ de Trinitate confeſſionis poſteà adducemus, interim fatemur, majorem lucem & claritatem hujus doctrinæ eſſe in N. T. quàm in V. ut hîc quoq; locum habeat illud Lutheri, quo ſæpe dicere fuit ſolit⁹ V. T. ſibi videri inſtar Solis à quo, V. T. inſtar Lunæ ſuã lucẽ mutuetur. Urgemus hoc loco oraculũ Davidicum. Pſ. 80. v. 10. *Non erit tibi Deus alienus ſive extraneus.* Græca & vulgata reddiderunt, *Deus recens*, quam explicationem Socinus in defenſ. anim. p. 301. fruſtra inſectatur quia Deus alienus eſt etiã Deus recens, & Deus recens eſt Deus alienus. Iud. 5. v. 8. apertè Dii alieni dicuntur אֱלֹהִים חֲדָשִׁים Dii novi ſeu recẽtes. At cõtra hoc præceptum graviter peccant Photiniani *qui Chriſtũ in N. T. factum eſſe Deũ* ſtatuunt. Sic enim Socin d. l. 302. *Novi fœderis oraculis admoniti Chriſtũ pro Deo noſtro habemus & adoramus, cùm tamen interim non modo dicamus, eũ, quo tempore Pſalmus ille compoſitus fuit, Dei populo non fuiſſe cognitũ, ut Deum, qui tunc coli deberet, ſed ne extitiſſe quidẽ eum reverà. affirmare non dubitamus.* Damnamus igitur 1. illos, qui referente Dn. Chemn. p. 1. Loc. c. 2. de Trin. p. 80. blaſphemarunt, *in Nicena & Conſtãtinopolitana Synodis primùm fabricatã eſſe Trinitatẽ, cùm prius piè credidiſſet Eccleſia unũ eſſe Deum.* Horum blaſphemiã Photiniani jampridẽ fecerunt ſuã, unde in Patres Nicenos tam acerbè debacchãtur. Piſcius cont. Camp. p. 63. ſcribit, *Omnes Nicenæ fidei architectos agreſtes & ſolida eruditione expertes fuiſſe.* Atqui illud eſt repetita antiquæ

Quæſtiones de neceſſitate hujus doctrinæ.

fidei

fidei confeſsio ejuſdemq; adverſus novos adverſarios aſſertio, aliud novorum articulorum fidei in Eccleſiam introductio. 2. Anabaptiſtas πνευματομάχυς, qui doctrinam de divinitate Sp. S. non fuiſſe notam in Eccleſia Patrum ſub V. T. ſed revelatam primùm poſt aſcenſionem Chriſti per Apoſtolos, quod ex Act. 19. v. 2. ſtabilire conantur. Atqui Sp. S. eſt tertia Deitatis perſona, de cujus vera divinitate non minùs quàm de Filii Deitate in V. Teſt. præclara & illuſtria extant teſtimonia.

12. Q. 2. *An Photiniani ſalvis ſuis hypotheſib. aſſerere poſſint, vel ex animo etiam aſſerant, noſtram de divinitate confeſſionem non eſſe errorem damnabilem?* N. 1. quia alibi aſſerunt dogma illud noſtrū eſſe non ſolùm *vehementem errorem*, Socin. quod Evangel. p. 28. ſed etiam *blaſphemum & horrendum dogma* Theod. Schimberg. in præfat. refut. Carol. præfixa fol. 11. Socin. in animad. aſſert. 6. *Antichriſtianum commentū* Schmaltz. cont. Frantz. p. 10. Socin. in animadv. aſſert. 1. 2. quia Pontificios negant eſſe Chriſtianos propterea, *quod perſonam in Chriſto non humanam ſed divin. ſtatuant, quod abſurda credant, Deum immortalem eſſe hominem factum & mortuum eſſe, unam numero eſſentiam in tribus perſonis exiſtere &c.* Schmaltz. in refut. nov. monſt. Smiglecii. At hæc dogmata nobis cū Pontificiis ſint communia. 3. idololatria committitur nō tantùm ratione *modi ac medii*, quando verus Deus colitur non divinè, h. e. juxta modum in verbo divinitùs præſcriptum, ſed etiam ac vel maximè *ratione objecti*, quando is qui non eſt verus Deus, colitur divinè, ex quibus omnib. ſic concludimus. Dogma, quod eſt vehementer erroneum, blaſphemū Antichriſtianum idololatricum, quodq; amplexus deſinit eſſe Chriſtianus, illud meritò pro damnabili errore habetur. Sed juxta Photinianorum hypotheſin noſtram de Trinit. dogma tale eſt. E. Addo & illud. 4. Qui negat Chriſtum eſſe perſonam verè hum., is in Chriſti Salvatoris cognitione turpiter ac damnabiliter errat. Hypotheſis de Trinitate negat Chriſtum eſſe perſonam humanam. E. Utraq; propoſitio eſt Schmaltz. contra Frantz. p. 281.

13. Theſis proœmialis. 2. *De Myſterio Trinitatis non tantùm in Eccleſia θετικῶς docendum, ſed etiam contra ejuſdem impugnatores ἀντιθετικῶς diſputandum.* Prior pars hujus theſeos ſponte ſequitur ex prima hactenus confirmata. Cùm enim fides & Cōfeſſio Trinitatis ad ſalutem ſit neceſſaria & verò nemini poſt lapſum per Naturam inſit ſive innaſcatur, ideò neceſſarium eſt, ut hæc doctrina in Eccleſia ex verbo Dei proponatur, dextrè explicetur & rudiorib. inculcetur, ut ad veram veri Dei cognitionem ac per eandem ad vitam æternā producantur Job. 17. v. 3. c. 20. v. ult. Poſterior theſeos pars non eo ſenſu accipienda. 1. quòd à quibusvis concionatoribus in omnib. ac ſingulis cōcionib. errores Photinianorum perſtringi, argumenta ipſorum recenſenda & inculcanda, etiam illis quibus ne quidem nomen Photinianorum innotuit. 2. vel quod ſcrupuloſè ac temerè extra limites verbi progreſſu facto de hoc myſterio diſſerendum, ſed quod in ſcriptis publicis, in Scholis Chriſtianis ac pro re nata, ſi Eccleſiæ cujuſdā particularis neceſſitas id exigat, in concionib. etiā contra peſtilētiſſimos Anti Trinitariorum errores ipſum fidei fundamentum directè evertentes diſſerendum ſit, id enim requirit: 1. *Summa neceſſitas.* Adverſarii veritatis magno conatu hanc doctrinæ Chriſtianæ acropolin impugnāt, illorum igitur furori obviā eundum, nec permittendum, ut pro veritate aſtruenda inveniamur ſegniores, quā illi in eadē oppugnanda. Caſſian. lib. 1. de Incarn. *Morbo reſurgente nunquā ceſſare debet medicina, ſed quātò major eſt ægritudo tātò cōſtātior requiritur curatio.* 2. *mandati div. autoritas.* Quibus n. docendi munus in Eccleſiis ac Scholis commiſſum, illis divinitùs mandatum non ſolùm docere, ſed etiam τὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. 1. v. 9. τὺς ἀντιδιατιθεμένυς παιδεύειν 2. Tim. 2. v. 25. καὶ τὺς φρεναπάτας ἐπιστομίζειν Tit. 1. v. 11. quod alibi exemplo reparatorum tēpli Hieroſolymitani Neh. 4. v. 17. paſtorum, Medicorum, agricolarum & hortulorum latius fuit confirmatū. 3 *multiplex utilitas.* Eccleſiæ doctores hac ratione muneris ſui partes implēt, ſeductores redduntur αὐτοκατάκριτοι Tit. 3. v. 11. educti in viā veritatis revocātur, perſiſtētes in fidei orthodoxia in eadē confirmantur & adverſus errores corruptæ rationi plauſibiles muniūtur.

Antitheſis

14. *Antitheſis.* Quibuſdam videtur, cum hoc hominum genere non diſputationib. ſed proſcriptionibus, carceribus, librorum exuſtionibus & nudis anathematiſationib. agendum eſſe, cùm eorum blaſphemiæ in antiquiſſimis primitivæ Eccleſiæ Conciliis jam olim ſint damnatæ. Marcianus l. Nemo 4. C. de ſumm. Trinit. & fid. Cathol. *Nemo Clericus vel militaris vel alterius cujuslibet conditionis de fide Chriſtiana publicè turbis coadunatis & audientib. tractare conetur in poſterū, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionē requirens. Nam & injuriam facit judicio reverendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel judicata ac rectè depoſita revolvere & publicè diſputare contenderit.* Eadē conſtitutio extat in actis Concilii Chalcedonenſ. act. 3. Reſp. non imus inficias, ſeveritatē illam adverſus hæreticorum primipilos (quos Luther. noſter *Duxios* vocat) à Chriſtiano Magiſtratu quandoq; non ſolùm utiliter adhiberi, ſed etiā neceſſariò exercendam quando ſcil. venenum doctrinæ ſuæ in Eccleſiis orthodoxis ſuæ curæ & fidei commiſſis ſpargere nituntur, ſed media illa ſola ad hæreſeos extirpationē non videntur ſufficientia, proinde tùm *ad ſeductorū informationē*, tum *ad noſtram & aliorum in veritate confirmationem* neceſſarium eſt, ut fundamenta doctrinæ ex verbo Dei proponantur & contrariorum argumentorū explicatio ſubjungatur. Fides enim non eſt incerta quædā opinio in utramq; partem fluctuans, ſed ἀμετάπτωτος certa ac immota ſcientia, per quā mens pii hominis in veritatis agnitione & confeſſione ita confirmatur, ut nec capitis periculū pro ea recuſet adire. Marciani conſtitutionē quod attinet, ea temeritati novatorum ac ſeditioſis conatibus turbatorum eſt oppoſita, prohibet enim *de fide contendere*, h. e. contentioſè diſputare, *ex diſputatione tumultus & perfidiæ occaſionē quærere*, ut in d. l. diſertè additur, unde gl. addit. *quod hoc ſemper præſumatur, niſi fiat cauſa addiſcendi in Scholis vel cauſā cōvincēdi hæreticos*; hic enim finis optimus eſt, unde ex l. Quoniā. 23. C. de Epiſ. & Cleric. gloſſa colligit, *quod de fide Catholica publicè diſputare ad reprobādam pravam hæreticorum opinionem liceat.* Ergo non ſimpliciter ſed ſecundum quid Imp. ejuſmodi Diſputationes prohibet. Optandū quidem foret, corū quæ ex manifeſtis Scripturis in Conciliis primitivæ Eccleſiæ præſertim œcumenicis orthodoxè definita, tantā apud omnes eſſe autoritatem, ut nihil quicquam in illis in dubium revocaretur, ſed cùm hæretica pravitas & Eccleſiæ Catholicæ conſēſum & Conciliorum etiam antiquiſſimorum autoritatem protervè rejiciat, ideò ex Scripturis quas

ſe reci-

ſe recipere aſſerunt, omninò convinci debent.

Ex verbo Dei myſterium Trinitatis probandũ.

15. Theſis. 3. *Myſterium Trinitatis non ex Patrum rivulis, nec ex turbidis Scholaſticorũ lacunis, ſed ex limpidiſſimis Scripturarũ ſacrarum fontibus probari debet, atq; etiã poteſt.* Poſtquam in prioribus theſibus τὸ ὅτι confirmatum, quod myſteriũ Trinitatis docendum & credendum ſit, ſuccedit quæſtio de τῷ διότι ex quo principio doctrina hujus myſterii petenda ſit, ubi diſertè dicimus ex ſolo & unico Dei verbo. 1. Non negamus Eccleſiæ primitivæ Catholicæ unanimem de hoc myſterio conſenſum, quem confirmant antiquiſſimi ſcriptores Eccleſiaſtici, etiã illi qui ante Nicenũ Concilium vixerunt, magnum pondus apud pios & cordatos obtinere ac obtinere etiã debere, cùm quilibet intelligat quod publica illa & ſolennis Eccleſiæ Apoſtolicis temporib. proximæ perpetuâ ſucceſſione ad hæc uſq; tempora conſervata confeſſio & Anti Trinitariorum, Samoſatenianorũ, Arianorũ &c. in celeberrimis & antiquiſſimis totius Chriſtiani orbis Cõciliis damnatio maximũ adverſus novos damnatarum hæreſium interpolatores præjudiciũ afferat, quâ de re præclarus locus extat apud Baſilium lib. 1. cont. Eunomiũ: *Quid dicis* (inquit) *ne tribuamus plus progreſſui ac revereamur multitudinẽ & eorũ, qui nunc ſunt Chriſtiani & eorũ qui nati ſunt ab eo tẽpore, quo prædicari cœpit Evangelium? ne reputemus dignitatẽ eorum, qui omnigenis donis ſpiritualibus claruerunt? ſed clauſis in totum animi oculis & omnium Sanctorum memoria ex mẽte ejecta otioſum ac purgatũ cor ſuum quisq; inductionibus ac Sophiſmatis tuis ſupponamus?* interim tamen cùm iſti θεομάχοι conſenſum illũ ſusq; deq; habeant. (Schmaltz. cont. Frantz. diſp. 1. p. 1. *Autoritas Eccleſiæ Catholicæ, ad quã Frantzius provocat, ſic comparata eſt, ut nullus error ex illius teſtimonio demonſtrari non poſſit*) inprimis verò cum fides noſtra non debeat ultimò reſolvi in Eccleſiæ autoritatem ſed in Scripturæ ſacræ immotam firmitatem, ideo primarium ac ſumũ fidei fundamentum non poteſt in illo Eccleſiæ conſenſu ſtatui.

16. 2. Neque id inficias imus, quòd conſenſus Eccleſiæ primitivæ opponi poſſit ac debeat inſanis illis adverſariorum clamoribus, quibus noſtram de Trinitate confeſſionem novitatis accuſare, imò *ab Antichriſto Romano in Eccleſiam introductam eſſe* aſſerere non verentur. Catech. Racov. Germ. in præfat. ad Acad. Witeberg. p. 2. fac. b. Pari im prudentiã Miniſtri Tranſſylvani lib. 2. c. 6. Patres qui ante Concilium Nicenum fuerunt. *Ignatium Juſtinum, Irenæum, Tertullianum, Cyprianũ, &c.* ſuos putant; reliquos etſi ſibi contrarios fateantur, tamen teſtimonia *Hilarii, Chryſoſtomi, Ambroſii; Cyrilli, Hieronymi & Auguſtini* citant contra nos, ut oſtendant Patres ſibi ipſis contradixiſſe. Ano. 1568. albæ Juliæ excuſus eſt libell⁹ de Mediato. is J. C. hominis divinitate, in cujus c. 8. initio ab Origene facto recenſentur autores, qui Photiniano dogmati *vel directè vel obliquè vel in totum vel ex parte* in articulo de Trinitate aſſẽſerint. Schmaltz. contra Franta. p. 10. *Propediem exſibilatur iſta abſurdiſſima ſimul & falſiſſima de Dei eſſentia opinio ac ea futura eſt de Trinitatis dogmate exiſtimatio, qualis eſt hodie inter omnes Evangelicos de Miſſa Pontificia, de purgatorio & aliis hujusmodi nugis, unum hæc omnia autorem habent, Antichriſtum ſc.* Theod. Schunbergius in præfat. refutat. Carolij præfixa f. 11. *Manifeſtum eſt, Trinitatis dogma & divinitatem Filii non eſſe veros fidei articulos, quia ſunt impoſſibilia mentis, ideo in rei veritate ſunt blaſphema dogmata ex imo orco, per filium perditionis virtute Satanæ Eccleſiis genuinum obtruſa.* 12. addit, *Trinitatem eſſe idolum Antichriſti.* 2. Theſſ. 2. ſed mendaciſſimam illam blaſphemiam potenter reprimit unanimis antiquiſſimorum Eccleſiæ ſcriptorum in Trinitatis dogmate aſſerendo conſenſus, qui ejus eſt evidentiæ, ut nec ipſe Sorinus ab illis ſuffragium expectare auſus fuerit. Sic enim per quam profectò titubanter ſcribit. adv. Bell. & Wiek. f. 477. *Ex ſcriptis noſtrorum hominum nunquam oſtendetur eos aſſerere aut exiſtimare, ſcriptores ante Conc. Nicenum, qui hodie extant, noſtra ſententia fuiſſe,* (ſicum Photinianis non ſenſerunt nec Trinitatis dogma damnarunt, utique illud approbarunt) *quamvis perſuaſi omnes ſimus, eos non minus imo verò magis adverſariorum ſententiæ repugnare, quam noſtræ. Niſi noſtræ ſententia nomine intelligatur ſimpliciter id quod ſentimus de uno illo Deo, quod videlicet is nullus alius ſit præter Jeſu Chriſti Patrem. Hanc enim eandem iſtorum Patrum fuiſſe ſententiam, ſi non omnium at certè maximæ partis illorum* (vide quàm titubet lingua hæretica) *omnino nobis perſuademus quamvis alioquin a nobis diſſentiant, quatenus Chriſtum ſeu Dei Filium ante orbem conditum ex ipſius Patris ſubſtantia extitiſſe volunt & Patribus illis ſub Vet. Teſtam. ſæpius apparuiſſe, imò illum unum Deum ipſius patrem & ipſum mundum & alia omnia deinceps per eum feciſſe & quæcunque eos ſcire voluerit, hominibus per eum patefeciſſe* (Patres ante Nic. Concilium non ſolùm Photinianis ſed etiam Arianis contradicunt, id eſt, non ſolum teſtantur Filium ante ſuam incarnationem in Vet. Teſt. extitiſſe ac omnia per ipſum eſſe condita, ſed etiam ab æterno ex Patris eſſentia ipſum eſſe genitum & unum cum Patre Deum eſſe aſſerunt, ut in tract. de Deo patre & Filio §. 152. adductis ipſorum teſtimoniis oſtendimus, quib. plura ejuſmodi ex Ignat. Epiſt. ad Trallian. ad Philipp. ad Smyrn. & ad Heronem, Irenæo lib. 3. adv. hæreſ. cap. 6. pag. 176. Juſtin. apol. 2. pro Chriſt. pag. 43. & 47. ut & 75. in Dial. cum Tryph. p. 207. Ιουδ. πις. p. 306. Severo Patriarch. Alexandr. lib. de rit Bapt. & Synaxeos p. 80. Athenag. in Apolog. Clem. Alex. in protrep. ad gent. Cyprian. de idol. vanit. Orig. hom. 8. in Exod. adjungi poſſunt.) Ut autem Patrum qui ante Nicenũ Concilium vixerunt, ſuffragium Socinus ſibi non audet vindicare, ita multò minus ab ijs qui poſt Concilium illud vixerunt, aliquid ſe impetraturum cõfidit, ſic enim addit p. 479. *De Patribus qui poſt fuerunt, non eſt quod quidquam dicamus, cum nos contra ipſos quodammodo perpetuo diſputemus, quanquam ex ipſis præcipue verò ex Hilario multa depromi poſſunt cum opinione de Chriſto & perſonis divinitatis vulgo hodie recepta minimè conſentanea* (audet per intolerabilẽ impudentiam Hilarii ſuffragium ſibi vindicare, cùm tamen 12. libros pro aſtruendo Trinitatis dogmate ex profeſſo ſcripſerit; videt Socinus idipſum ſibi fortiſſimè adverſari, ideò addit) *quæ nullo pacto diluuntur per teſtimonia, quæ ex ipſis adverſarii citãt. Nihil enim vetat, quin ſibi ipſis contradicant, ut illis ferè accidit, qui falſa dogmata tuentur* (at quis patietur ſibi perſuaderi, quod pii veteres illud ipſum aliis in locis everſum voluerint, quod ex profeſſo integris libris adverſus contradicentes confirmare allaborant?) Majori verò audaciã dicam an impu-

dentia

dentia in defenſ. animadv. p. 368. ſcribit. *Ante Conſtantini Magni tempora & aliquanto nihil apertè conſtat de trino Deo à Christianis paſſim adorato & invocato vel potiùs conſtat talem Deum & præcipuis & plerisque Christianis tunc fuiſſe incognitum, id enim ex omnium Christianorum ſcriptis, qui tempora illa anteceſſerunt (quamodo adulterina aut ſuppoſititia non ſint) intelligere licet, in quib. ubiq; unus ille Deus Pater tantùm Domini noſtri J. C. eſſe aſſeritur.* Sed mox pag. 369. huic ſuæ aſſertioni diffidens ſubjungit. *Poſſumus adverſario concedere, omnes Christianos ab Apoſtolorum temporibus trinum Deum coluiſſe, nec tamen inde neceſſario ſequetur, id facere verè Christianorum eſſe &c.* ib. per intolerabilem calumniam addit, *pleroſque ex veteribus fuiſſe Tritheitas.*

17. 3. Neque id negamus, quòd in dictis Scripturæ rectè explicandis, piè conferendis & contra Anti Trinitarios dextrè urgendis Patrum laboribus gratâmente uti poſſimus ac debeamus, cùm ex præcepto Apoſtolico 1. Theſſ. 5. verſ. 20. & 21. *Prophetias haudquaquam ſpernere, ſed omnia probare & quod bonum eſt retinere* piis conveniat. Res ipſa oſtendit, multa ab Photinianis hodie proferri argumenta, quæ ab Arianis & aliis hæreticis olim prolata ante aliquot ſecula ab Epiphanio, Athanaſio, Cyrillo, Auguſtino, & aliis Christi athletis, hæreticorum verò malleis protrita ſunt ac conculcata, ecquis igitur negare velit, nos eadem contra hodiernos adverſarios arma inducere poſſe ac eandem victoriæ ſpem armis illis obtinendam nobis præſtò eſſe. 4. Scholaſtici etiam quandoque utiles quaſdam & nervoſas diſtinctiones ſuppeditant, quas cum fructu in hac diſputatione adhiberi poſſe non negamus, interim cuilibet primo ſtatim intuitu obvium, quod multas curioſas & ſupervacaneas quæſtiones fidei ſimplicitati adjecerint, earum deciſionem ex Philoſophiæ principiis petierint ac rem ipſam ſæpius magis impeditam quàm expeditam reliquerint, ut de mutuis illis, quibus ſe oppugnant, contradictionibus nihil addam. Vid. Eraſm. in Enchir. mil. Chriſt. annot. 1. Tim. 1. Ludov. Viv. in Auguſt. de C. D. lib. 2. capit. 13. lib. 19. c. 12. & alibi paſſim Flacium de diſſ. pag. 103.

18. Hoc verò ſibi vult theſis noſtra, quod ex unico & proprio Theologiæ principio ex Dei ſc. verbo myſterii hujus confirmatio ſit petenda, quod probamus 1. ex *Scripturæ perfectione.* Nullum eſt fidei Christianæ dogma ad ſalutem ſcitu omnibus neceſſarium quod non poſſit ac debeat ex Scriptura ſacra ſufficienter probari ut alibi demonſtratum. Jam verò dogma de Trinitate tale eſt. Ergò. 2. *ex myſterii hujus conditione.* Quæcunque vel ex Patribus, vel ex Scholaſticis, vel ex naturali ratione de hoc myſterio diſſeruntur, ea nondum præbent firmum, ſtabile ac immotum fidei fundamentum, ſed quando Dei vocem in Scripturis ſonantem addimus, tum demum revelationi divinæ acquieſcimus. *Quia mira hæc ſunt* (inquit Chemnit. pag. 1. Locor. pag. 79.) *& longè ſupra omnem creaturarum captum poſita, quæ de Trinitate perſonarum in ſacroſancta divinitate dicuntur, quærenda ſunt teſtimonia divinæ patefactionis, quæ ita ſint firma, certa & perſpicua, ut conſcientia illis in hoc tanto myſterio tuto acquieſcere poſſit. Difficillime enim mens humana aſſentitur illis arcanis tam longe extra conſpectum, imo contra omne judicium rationis poſitis & facilè incipit animus vagari ſpeculationibus, niſi ſemper in conſpectu ſint hujuſmodi teſtimonia, quæ mentes noſtras intra juſtos terminos ac limites à Deo præſcriptos revocent.* 3. *ex divina ordinatione.* Ut in reliquis fidei articulis, ita quoque in hoc ipſo fundamentum ſalutis concernente *ad legem & ad teſtimonium* remittimur Eſa. 8. verſ. 20. Luc. 16. verſ. 29. 2. Petri 1. v. 19. Pater cœleſtis ablegat nos *ad Chriſtum* Filium ſuum audiendum Deut 18. v. 18. Matth. 3. verſ. ult. cap. 17. verſ. 5. Chriſtus remittit nos *ad Scripturas* Johan. 5. verſ. 39. ac per Apoſtolum ſuum teſtatur, quod ſacræ literæ *ſufficienter ad ſalutem nos inſtruere* poſſint 2. Timoth. 3. v. 15. ergo etiam de hoc myſterio ad ſalutem cognitu neceſſariò ſufficienter nos inſtruere poterit. 4. ex *perpetua Eccleſiæ obſervatione.* Quemadmodum enim in doctrina de vita ac moribus perpetua Eccleſiæ ſpiritualis matris vox eſt. Johan. 2. verſ. 5. *Quodcunque dixerit vobis, facite*: ita quoque in doctrina de fide ejuſdem perpetua vox eſt. Quodcunq; dixerit vobis, hoc credite, Juſtin. in cohort. ad Græc. p. 29. *Modis ſcire omnibus convenit, nullo planè pacto aliter aut aliunde de Deo diſci quicquam poſſe, quàm à ſolis Prophetis*, inde in antiquiſſimis illis primitivæ Eccleſiæ Conciliis contra Trinitatis hoſtes habitis non ex proprio arbitrio articulos fidei determinarunt, ſicut in Antichriſtianis Conciliis poſtea factum, ſed concluſiones ſuas ex Scripturis deduxerunt. Athanaſ. in Epiſtol. ad Epict. *Quæ in Synodo à Patribus ſecundùm ſacras Scripturas expoſita eſt fides, ſufficiens eſt ad deſtructionem totius impietatis.* Conſtantinus Imperator ad Patres in Synodo Nicena congregatos dixit. *Extant libri Evangelici & Apoſtolici & priſcorum oracula Prophetarum, quæ nos evidenter docent, quid de re divina ſtatuendum ſit, itaque ex dictis illis divinitùs inſpiratis ſumamus quæſtionum ſolutionem.* Gelaſ. Cyzicen. in act. Conc. Nic. cap. 5. Tripart. lib. 2. cap. 5. unde Nic. Cuſanus lib. 2. de Concord. Cath. verit. c. 6. *In loco cōgregationis in medio ponebantur ſacra Evangelia, & ſecundum teſtimonia Scripturarum decrevit olim Synodus.*

Antitheſis.

19. Antitheſis. 1. *Photiniani* nos accuſant, quòd Eccleſiæ tantùm h. e. humanâ autoritate permoti Trinitatem credamus, cùm divinâ, hoc eſt, Scripturæ autoritate illud dogma deſtituatur. Socin. in defenſ. animadv. contra Eutrop. c. 3. p. 51. *De Trinitatis dogmate nullum prorſus extat divinum teſtimonium, imò innumerabilia divina teſtimonia ei apertiſſime refragantur.* Oſtorod. contra Tradel. part. 2. c. 1. p. 87. *Ne unicus quidem monſtrari poteſt Scripturæ locus, ex quo ſaltem obſcurè Trinitas deprehendi poſſit.* Sed quid de hac accuſatione ſtatuendum ſit patebit ex ſequentibus. 2. Ex *Pontificiis quidam* aſſerunt, *myſterium Trinitatis non poſſe ex ſolis Scripturis ſacris demonſtrari.* Immanuel à Vega in oppugnat. Dei Samoſateniani p. 10. *non niſi admiſsâ Traditione ſtare Trinitatē. It. Credere ſe tres perſonas ejuſdem Naturæ & majeſtatis, non aliunde quam unde nobis compertum, hoc ſcriptum, quod habemus Evangelium Matthæi eſſe vel Marci,* i. e. ut ipſe exponit, ab Eccleſia. Eccius in locis & Piſtorius in Epit. Colloq. Emmerting. *Trinitatem non poſſe probari e ſacris literis, ſed eſſe Eccleſiæ traditionem aſſerunt.* Poſſevinus lib. 8. Biblioth. p. 418. *Lutherani ſi quid de Trinitate uſquam evulgarunt, in vitula noſtra araverunt, nimirum ex noſtris Synodis & Patribus, quos prius blaſpheme accuſaverant, tanquā ex fidei armamentariis tela omnia petere coacti ſunt.*

ſti ſunt. Lind in panopl. lib. 3. c. 5. p. 104. *Sunt quadam dogmatũ genera, quæ in Scriptura aut non ſunt comprehenſa aut ſi comprehenſa ita profectò reconditè illic deliteſcunt incluſa imò abſtruſa, ut niſi ab hominibus acutiſſimi ingenii acutiq; judicii excludi ac erui non poſſint. Poſterioris exemplum eſt. Spiritum à Filio procedere, Filium Patri ὁμοούσιον eſſe, extremæ unctionis Sacramentum à D. Jacobo eſſe commemoratum, &c.* Provocat ad hanc Pontificiorum confeſſionem Oſtorod. contra Tradel. part. 2. cap. 1. p. 86. *Pontificii in publicis ſcriptis ingenuè confeſſi ſunt pluralitatem perſonarum in Deo ex verbo non poſſe demonſtrari.* Schmaltz. diſp. 1. contra Frantz. p. 1. *Faſſi ſunt ipſimet Pontificii Hoſius Card. & VViekus Jeſuita Trinitatis dogma ex ſacris literis ſolis probari non poſſe.* Sed huic quorundam Pontificiorum incogitantiæ opponimus aliorum ſaniorum judicium. Campian. rat. 9. *Num Trinitas perſonarum in Bibliis non fuit, quia vocabula iſta non ſunt?* Bellarm. lib. 1. de Chriſto à cap. 4. uſque ad 9. incluſivè Chriſti divinitatem ex ſacris literis aſtruere laborat. lib. 2. cap. 6. ſex claſſes argumentorum pro Trinitate perſonarum in divinis ex Scriptura adducit. lib. 2. de Concil. cap. 12. §. Sic etiam. *Cùm Nicenum Concilium definivit, Chriſtum eſſe homouſion Patri, deduxit concluſionem ex Scripturis, in quibus diſertè continetur unum eſſe Deum & Patrem eſſe Deum ac Filium eſſe Deum, ex quibus ſequitur neceſſariò, Patrem & Filium eſſe ejusdem ſubſtantia & divinitatis.* Idem ſtatuunt Gregor. de Valent. Becanus, &c.

Etiam ex V. T. Trinitatis myſterium probari poſſe.

20. Theſis. 4. *Myſterium Trinitatis non ſolùm ex N. ſed etiam ex V. T. confirmari poteſt ac debet.* 1. Non hoc dicimus, quod teſtimoniorum de Trinitate in V. ac N. T. ſit eadem claritas & evidentia, quia clarior hujus myſterii revelatio N. T. fuit reſervata. Paul. Weidn. in loc. fid. præcip. p. 82. *Populus Judæorum maximè ad idololatriam pronus erat, ne igitur in eorum errorem, qui plures Deos colebant, incideret, cautè à divina providentia factum eſt, ut ipſum Trinitatis divina arcanum non explicitè ſed implicitè illis traderetur, quia verò per Meſſiam idololatria penitus erat explodenda ac univerſus orbis ad unius Dei cultum reducendus, ideò Sacramentum illud Trinitatis explicitè atque apertè remotis involucris revelandum ad dies Meſſia reſervatum fuit, ut videlicet luce oriente umbra evaneſcerent, quod omnis quoq; Cabaliſtarum Schola planè teſtatur aſſerens ipſius divina Trinitatis arcana tantummodo usque ad Meſſia tempus recondita latere debuiſſe, &c.* 2. Nec hoc volumus, quod in diſceptione contra pertinacem adverſarium ab obſcurioribus V. T. dictis faciendum ſit initium. Sed hoc duntaxat aſſerimus, quod ex V. T. pro aſtruendo Trinitatis dogmate quædam teſtimonia afferri poſſint & debeant, cùm Deus ſemper ab initio ſeſe ſic patefecerit & Eccleſia omnibus temporibus Deum ita agnoverit, invocarit ac celebrarit, quod in una indiviſa eſſentia ſint tres diſtinctæ perſonæ.

21. Hanc theſin probamus 1. *ex theſi prima.* Si enim dogma de Trinitate omnibus ſalvandis ſcitu ac creditu neceſſarium eſt, utique ejus veſtigia in ſacris literis Veteris Teſtament. extare oportet, aliàs Scripturæ perfectio labefactabitur. 2. *ex ipſa rei evidentia.* Oſtendemus ſuo loco doctrinam de Trinitate non in N. tantùm ſed etiam in V. T. certa & illuſtria habere teſtimonia. 3. *ex prohibitione divina.* Pſal. 81. verſ. 10. *Non erit in te Deus alienus* ꝗ vulg. reddidit *Deus recens nec incurvabis te DEO extraneo.* Atqui ſi myſterium Trinitatis in Vet. Teſt. penitus fuiſſet ignotum, utiq; in N. T. per cultum Filii & SS. Deus recens introduceretur. Eſ. 43. v. 10 *Ante me non eſt formatus Deus & poſt me non erit.* Atqui ſi in N. T. Filius Dei eſt factus Deus, ut Photiniani volunt, ac divino cultu in N. T. affici cœpit, utique poſt Deum Patrem alius formatus eſt Deus.

22. *Antitheſis. Photiniani* id protervè negant. Socin. in defenſ. animadv. contra Eutropium cap. 7. p. 216. *ipſi adverſarii myſterium iſtud plurium in Deo perſonarum vulgò in Iſraëlis populo ante Chriſti adventum ignotum fuiſſe paſſim confitentur.* Confundit diſcrimen inter notitiam obſcuriorem & omnimodam ἀγνωσίαν illam populo Iſraëlitico tribuimus, reſpectu ad Nov. T. revelationem habito, hanc ab eo removemus) Johan. Sommerus lib. 1. refutat. Petri Carolini cap. 2. *In Vet. Teſt. libris Trinitatis doctrinam quærendam eſſe putant, qui in coteargenteum invenire poſſe non dubitant. Neq; enim in univerſa illa doctrina jota unum reperietur, quod vel ſuſpicionem ſaltem hujus opinionis apud Judæos ante Chriſtum fuiſſe oſtendat.* Schmaltzius in præfat. refutat. Doct. Frantz. ad Lectorem. *Quis ex Vet. Teſtament. homini ſenſato dogma Trinitatis? quis Filii prææternitatem oſtendet? Certè Judæi antiqui iſtis omnibus Scripturis fidem adhibebant & tamen iſta portenta prorſus ignorabant? Quid quod non pauci viri docti iique inſignes Theologi ſenſerunt dogma Trinitatis & alia in V. T. nullo modo fuiſſe revelata ſed reſervata ad tempus novi fœderis.*

23. Theſis 5. *Myſterium Trinitatis ex naturali ratione à priori cumprimis probari nec poteſt nec debet,* 1. Diſtinguendum eſt inter *confirmationem* alicujus dogmatis & ejuſdem jam confirmati & demonſtrati *illuſtrationem.* Ratiocinationes ex lumine Naturæ petitæ & ad Trinitatis myſteriũ adhibitæ non confirmationum ſed illuſtrationũ qualiumcunque loco ſunt cenſendæ. 2. Scholaſtici diſtinguunt inter rationes *præcedentes & ſequentes,* ſive à priori & à poſteriori. Th. p. 1. q. 32. art. 1. *Ad aliquam rem dupliciter inducitur ratio, primo ad probandum ſufficienter aliquam radicem, ſecundò quæ radici jam poſita oſtendit congruere conſequentes effectus, hoc poſteriori* (inquit) *modo probatur Trinitas ex rationibus, poſitá enim Trinitate congruunt hæ rationes.* Ludov. Viv. lib. 2. de verit. fid. Chriſt. p. 101. *Antequam veritatem eam* (de Trinitate) *Chriſtus retegeret neq; veritatis neq; rationum veniſſet ulli unquam hominum in mentem, ſed poſtquam veritatem a cœleſti ſeu potius Magiſtro Deo accepimus, rationes ſe nobis cœperunt oſtendere atq; aperire.* Sed vix poſſunt illæ qualeſcunque illuſtrationes rationum pondus in hoc myſterio obtinere, ut poſtea apparebit.

24. Confirmatur prior Theſeos pars 1. *ex myſterii hujus conditione.* Quod dogma ſupra omnem humanæ rationis captum eſt poſitum, ad illud cognoſcendum ratio humana ex ſuis principiis provehi nequit, aliàs enim non eſſet ſupra rationem. Sed dogma Trinitatis tale eſt, ut colligitur ex Matth. 11. v. 26. cap. 16. v. 17. Joh. 1. v. 18. 1. Cor. 2. v. 11. &c. 2. *ex viæ cognoſcendi remotione.* Ad cognitionẽ Dei per creaturas ex Naturæ lumine non aliter ducimur, niſi quatenus Deus eſt earum principium & cauſa. Non eſt autem earum principium & cauſa niſi per divinam ſuam virtutem omnibus

tribus

tribus perſonis communem, ideo per creaturas cognitionem conſequi non valemus, niſi eorum quæ Patri, Filio & S.S. ſunt communia, quocircà per creaturas ex lumine Naturæ ad cognoſcendam perſonarum diſtinctionem non poſſumus pertingere. Quæſtio de Deo uno & trino non eſt, an ſit Deus vel quæ attributa Deo competant ſecundum reſpectum ad creaturas, ut eſt illarum cauſa: ſed quid ſecundum ſe ſit Deus, ad illud verò non poteſt homo rationis ſuæ viribus aſſurgere. Baſil. lib. 1. contra Eunom. *Communis notio eſſe Deum, non autem quid ſit, nobis ſuggerit.* Unde etiam nullus ſaniorum gentilium, etiamſi rationem diligenter excoluerit & librum Naturæ diligenter excuſſerit, vel ex principiis nobiſcum natis per ἔμφυτον vel ex creaturarum inſpectione per ἐπίκτητον notitiam Trinitatis myſterium cognoſcere potuit. 3. *ex evidenti à minore ad majus illatione.* Si per lapſum Protoplaſton menti noſtræ tanta caligo eſt inducta, ut ne quidem ad rerum naturalium ac ſublunarium perfectam cognitionem penetrare poſſimus, quantò minùs ad ſummi illius in divinis myſterij, quod Deus in eſſentia unus, in perſonis trinus ſit, cognitionem naturali mentis lumine & acumine penetrare poterimus. Sed illud Eccl. 8. v. 17. *Intellexi quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ ſiunt ſub Sole & quantò plus laboraverit ad quærendum, tantò minus inveniat.* Sap. 9. v. 16. *Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt & quæ in proſpectu ſunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigabit?* 4. *ex ratiocinationum*, quæ afferuntur, *conſideratione.* Potiores, quæ à veteribus vel recentioribus formantur, hæ ſunt: Prima *à Dei perfectione*, quam urgent Scotus 1. ſent. 2. Raymund. de Sabaud. in Theol. nat. cap. 46. & ſeqq. *Summè perfecto attribuendum eſt quicquid dicit perfectionem. Sed generatio dicit perfectionem.* Vid. loc. de trib. Eloh. § 65. Secunda *à Dei intellectione.* Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 6. ὁ Θεὸς οὐκ ἄλογός ἐστι, λόγον δὲ ἔχων, οὐκ ἀνυπόστατον ἕξει, οὐκ ἀρξάμενον τοῦ εἶναι, οὐδὲ παυσόμενον, οὐ γὰρ ἦν, ὅτε οὐκ ἦν ὁ Θεὸς ἄλογος. cap. 7. δεῖ τὸν λόγον καὶ πνεῦμα ἔχειν καὶ γὰρ ὁ ἡμέτερος λόγος οὐκ ἄμοιρος ἐστι πνεύματος &c. Hanc Damaſceni ratiocinationem quidam recentior ſcriptor ſic amplificat. *Deus habet excellentiſſimum intellectum, ergo & objectum ejus oportet eſſe perfectiſſimum, Deo autem nihil perfectius, idcirco divini intellectus objectum nullum erit aliud quàm ipſe Deus, ideoq́; Dei intellectus ab æterno in ſeipſum reflexus eſt. Omnis autem intellectus intelligit per imaginem objecti. Quare & Deus dum ab æterno ſemetipſum perfectiſſimè intellexit, concepit ac peperit in ſeipſo perfectiſſimam imaginem ſui ipſius, quæ eſt ipſius Filius. Cum verò intellectui divinæ eſſentiæ inſit, etiam voluntas inerit, quæ cùm ſit perfectiſſima & ſic objectum requirat perfectiſſimum, ideò in ſeipſum reflectitur & in ipſo Deo tanquam infinito bono acquieſcit & hinc ſummam voluptatem & amorem produci neceſſe eſt. Ergo dum æternus Pater imaginem ſui ipſius Filium videlicet concipit ac perfectiſſima voluntate appetit, neceſſe eſt perfectiſſimum amorem ac voluptatem pleniſſimam à Patre in Filium & à Filio in Patrem tanquam imagine in archetypum procedere atq́; ita per conjunctum intellectum & voluntatem utriuſque tertium modum exiſtendi ſeu perſonam in divina eſſentia poni, quæ vocatur Spiritus ſanctus.* Tertia ex *boni communicatione. Summi & infiniti boni eſt ſe ſummè & infinitè communicare. At Deus eſt ſummum bonum. Ergò ſummè & infinitè ſe communicat. Iam verò in productione non communicavit ſe Deus infinitè & ſummè ſed particulariter reſpectu certorum quorundam bonorum.* Quarta ex *analogica collatione. Invenitur una Natura in una hypoſtaſi, ut in quolibet Angelo, plures in pluribus ut in multis Angelis, plures in una ut in homine, ubi duæ Naturæ, anima & caro, una ſpiritualis, altera corporalis, in unam hypoſtaſin humanam conveniunt: igitur veriſimile eſt, eſſe quoque unam Naturam, divinam ſc: in pluribus hypoſtaſibus in Patre, Filio & Spiritu ſancto.* Quinta ex *continua meri ac puri actus operatione. Deus eſt merus ac purus actus, ergo ab æterno egit, non autem produxit aliquid extra ſe per creationem. Ergo intra ſe per generationem Filium, per ſpirationem Spiritum ſanctum.* Ludov. Vives lib. 2. de verit. relig. p. 102. *Deum Scholæ omnes ſapientum merum eſſe actum confirmarunt, poteſtas enim in quocunque ſit ente, imperfectionem quandam in eo notat, quæ procul abeſt ab excellentia divinæ eſſentiæ. Quòd ſi merus ſit actus, nunquam ceſſavit, egit ergo quamdiu fuit, in otio enim & ceſſatione ſtatim poteſtas locum invenit. Iam inde igitur à tota æternitate, quandoquidem æternus eſt, egit aliquid. In Deo autem eſt Natura nempe vis & virtus, eſt etiam facultas, per quam Naturam agit juxta intimam & propriam vim ac potentiam. Eſt etiam in eodem Deo voluntas libera, per quam agit ubi & quando vult &c.* Sexta *à veſtigij in creaturis impreſſione. Effectum refert Naturam ſuæ cauſæ. Creaturæ ſunt Dei conditoris effectum. Ergo referunt creatoris ſui Naturam. Iam verò in omnibus rebus creatis divinæ Trinitatis effigiem ac imaginem vel certè veſtigium aliquod animadverti poſſe aſſerunt*, quâ de re poſtea. Vide pleniorem harum rationum deductionem apud Scotum Raymundum & Lud. Vivem d. l. Mornæum de verit. relig. Chriſtian. cap. 5. Savanar. lib. 3. de ver. fid. c. 3. p. 181. &c.

Exegeſis.

25. At hæ rationes 1. non potuerunt ex Naturæ lumine ab Ethnicis divinæ revelationis in verbo factæ ignaris formari, ſed à Chriſtianis, quibus Trinitatis myſterium in verbo patefactũ eſt, ſunt excogitatæ. 2. ſi ſolæ ſeorſim ac per ſe, conſiderentur, ſunt infirmæ, quia multas patiuntur ἐνστάσεις, quas largâ manu Photinianorum ſcripta ſuppeditant. 3. ſunt etiam imperfectę, quia nec omnes ſimul ſumtæ, nec ſingulæ ſpeciatim acceptæ illud evidenter probant, ad quod demonſtrandum adhibentur videlicet. 1. Filium à Patre genitum eſſe perſonam per ſe ſubſiſtentem à Patre realiter diſtinctam. 2. eundem eſſe Patri ὁμοούσιον unius indiviſæ eſſentiæ cum Patre. 3. generationem illam Filij ex eſſentia Patris eſſe ſimpliciſſimè æternam. 4. productionem illam, quæ à Patre ſtatuitur ab æterno facta terminari ad Filium & ad Spiritum ſanctum, id eſt, non plures nec pauciores perſonas eſſe à Patre productas quàm duas. 5. Filium à Patre eſſe productum per generationem, Spiritum S. per ſpirationem, i. e. Filium eſſe ab æterno à Patre genitum, Spiritum ſanctum ab eodem & Filio ab æterno proceſſiſſe, hæc myſteria ſimul ſumta, ut in hac doctrina omninò ſimul ſumi debent, omnem humanæ rationis captum excedunt, ac proinde naturali ratione probari non poſſunt. Si ergo quatuor argumentis oſtendimus, myſterium Trinitatis non

poſſe ex ratione probari, quod confirmat etiam illud Athan. in Epiſt. ad Serapion. circa med. *Deitas non demonſtratione rationum traditur, ſed fide & piâ cogitatione cum religione.*

26. Poſterior theſeos pars, quod videlicet *myſterium Trinitatis ex naturali ratione non debeat probari*, ſequitur ex priore. Si enim probari ex ratione nequit, fruſtrà ad rationes naturales oos recipiendo operam ludimus. Thomas p. 1. q. 32. art. 1. idipſum probat ex incommodi conſecutione. *Qui nititur* (inquit) *naturali ratione Trinitatem probare, dupliciter derogat fidei. 1. quia dignitas fidei eſt, ut ſit de rebus inviſibilibus, quæ rationem humanam excedunt. 2. derogat fidei quantum ad utilitatem alios ad eam trahendi, credunt enim infideles, quod hujusmodi rationibus utamur, cùm tamen non ſint cogentes.*

27. *Antitheſis.* 1. Scholaſtici, (de quibus Scotus lib. 3. ſent. diſt. 24. q. 1. prædicat, quod *Philoſophiam cum Theologia maximo cum fructu miſcuerint,*) ratiocinationibus ejuſmodi ut io aliis, ita quoque in hoc articulo plus æquo indulgent, quin & curioſis, otioſis ac ſpinoſis quæſtionibus de boc myſterio motis & agitatis fidei Chriſtianę ſimplicitatem noo mediocriter labefactarunt. Raymundus Lullus exiſtimavit, *ſolâ vi naturali intellectus ſecluſa revelatione hoc myſterium demonſtrari poſſe*, illi favet nonnihil Gerſon alphab. 13. lit. H. Henricus quodlib. 8. q. 24. Rich. Victorin. lib. 1. de Trinit. c. 4. Gregor. de Valent. lib. de unit. & Trin. proleg. cap. 2. *Et ſi ratio veritatem hujus myſterij propter ipſius altitudinem capere nequit, tamen nec ullam in eo falſitatem deprehendere valet, atq; adeo argumenta omnia, quæ contra illud fiunt, tanquam infirma & fallacia diſſolvi poſſunt & quidem evidenter.* 2. Keckermannus rationi in hoc myſterio demonſtrando plus tribuit quàm Scripturæ. Sic enim orditur Trinitatis demonſtrationem lib. 1. Syſt. Theol. cap. 3. *Ante Trinitatis palam faciemus, Trinitatem perſonarum promanare ex ipſa Dei eſſentia & Deum Deum eſſe non poſſe, niſi tres habeat diſtinctos exiſtendi modos ſive perſonas, ſed ubi oſtenderimus, etiam teſtimonia producemus ex ſacris literis.* Sic ergo diſcurſum Philoſophicum ex proprietatibus Naturæ intelligentis petitum præponit divinis Spiritus ſancti oraculis. Quantò rectiùs Juſtin. in ἐκθ. πίς. p. 294. *δεῖ πρὸς τὰς τῆς ἐκκλησίας τροφίμους μὴ λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις ἀπευθύνειν τὰ θεῖα, ἀλλὰ πρὸς τὸ βούλημα τῆς διδασκαλίας τοῦ πνεύματος τῶν λόγων ποιεῖσθαι τὴν ἔκθεσιν.*

28. Q. 1. *Quid ſtatuendum de veſtigiis Trinitatis, quæ in creaturis demonſtrantur? Ea, quæ infra nos ſunt*, ſcribit Auguſtin. lib. 11. de civ. Dei cap. 28. *nec aliquo modo eſſent, nec aliqua ſpecie continerentur, nec aliquem ordinem vel appeterent vel tenerẽt niſi ab illo facta eſſent, qui ſummè eſt, qui ſummè ſapiens eſt, qui ſummè bonus eſt, ergo per omnia quæ fecit mirabili ſtabilitate, currentes quaſi quædam ejus alibi magis alibi minus impreſſa veſtigia colligamus, in nobis autem ipſis ejus imaginem contuentes tanquam minor ille Evangelicus filius ad nosmetipſos converſi ſurgamus.* Statuit ergo Auguſtinus io creatura intellectuali ac rationali *imaginem*, in irrationalibus verò creaturis reliquis *veſtigium* quoddam Trinitatis conſpici, quod diſcrimen, ejuſdemq; rationem latius expoſuimus in loc. de trib. Eloh. §. 69. & 70. Horum veſtigiorum complura à veteribus recenſentur, quorum pleraq; eoumerat Auguſtinus à lib. 9. de Trinitate uſq; ad 15. Utamur in illis recenſendis quodam ordine. 1. Quædam veſtigia ſunt *omnibus creaturis communia*, quædam *certis creaturis propria.* Communia hæc ſunt. Deus omnia fecit *in numero, pondere & menſura.* Quælibet creatura quandam in ſe oſtendit *& unitatem & ſpeciem & ordinem.* Tres ſolæ ſunt *affectiones* Entis omnibus rebus communes, *unum, verum, bonum.* In omnibus creaturis eſt *principium medium & finis; ſubſtantia, virtus & operatio, eſſe, poſſe, agere.* Totum univerſum conſtat triplici creaturarum genere. Unum eſt *ſubſtantiarũ ſpiritualium*, i. e. Angelorum, alterum eſt *ſubſtantiarũ partim ſpiritualium partim corporalium*, ut hominũ; tertium eſt *ſubſtantiarum omninò corporalium*, ut brutorum, arborum, &c. 2. Creaturæ ſunt vel *rationales* vel *irrationales*. Rationales ſunt vel *Angeli* vel *homines.* In rationalib. illis creaturis non tantũ veſtigium ſed etiam imago quædam Trinitatis occurrit. Innumerabilis illa multitudo Angelorum in *tres hierarchias* diſpeſcitur, ſingulis Hierarchiis *tres ordines* aſſignantur, in qua tripartita diſtinctione divinæ Trinitatis veſtigium aliquod conſpici arbitrantur. In ſingulis verò Angelis intellectualib. illis eſſentiis & animabus hominum ratiocinandi facultate præditis imaginem quandam Trinitatis monſtrare ſatagunt. *Mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit, ſe.* Mens eſt quaſi parens, ootitia ejus quaſi proles, amor de ipſa mente & notitia procedit. Tres ſunt humanæ animæ facultates. *Rationalis, ſenſitiva, vegetativa.* Tres ſunt rationalis animæ facultates, *intelligentia, volũtas & memoria.* Et ſumus, & nos eſſe novimus & noſtrum eſſe ac noſſe diligimus. 3. Creaturæ irrationales vel *ſunt animata* vel *inanimata.* In animatis creaturis tam ſenſitivâ quàm vegetativâ tantum anima prędi tis hæc occurrunt veſtigia. Tres ſunt ſenſus interiores, *ſenſus communis, phantaſia & memoria.* Herbę & flores habent *formam, odorem ſeu ſaporẽ ac vim, vires & effectus.* 4. Inanimatæ vel ſunt *cæleſtes* vel *ſublunares.* In earũ pluribus Trioitatis moostrant veſtigium. Tria in Sole conſiderantur, *quod eſt, quod lucet, quod calet*, i. e. ſubſtantia Solis, radius & calor. In Iride ſunt *tres diſtincti colores* ita conjuncti, ut quo modo committantur vel ſeparentur, diſcernere nequeas. In igne eſt *ſpecies ignis, ſplendor, & calor.* Splendor ab igne naſcitur, calor ab igne & ſplendore generatur. *Fons, rivus, flumẽ* tria ſunt ejuſdem Naturæ, &c. Ex *radice* arboris exurgit *truncus*, ex utroq; *ramus.* 5. Nec ſolum in Naturalibus, ſed etiam in artificialibus ac in diſciplinis talia veſtigia quærunt. Tria ſunt quæ in unoquoq; artifice quæruntur, ut aliquid efficiat. *Natura, doctrina, uſus.* Natura ingenio, doctrina ſcientia, uſus fructu dijudicandus. Aug. 11. de civit. Dei c. 25. affert huc tripartitam Philoſophiæ diviſionem *in Phyſicam, Logicam, Ethicam*, per Phyſicam denotari dicit Patrem, qui eſt Naturarum omnium autor, per Logicam Filium intelligentiæ datorem, per Ethicam S. S. amoris, quo bene beateq; vivitur, inſpiratorem. Lutheri noſtri hoc eſt. Pater in divinis eſt *Grammatica*, Filius *Dialectica*, Spiritus S. *Rhetorica.* Alij obſervant radicẽ apud Hebr. eſſe triliteram; oomen Jehovah habere tres literas, ſcribi per tria ' ſubſtrato ' ternarium apud omnes gentes eſſe ſacrum. Quid verò de his veſtigiis & comparationibus ſtatuendum? Reſp. idem quod de rationibus ex lumine Naturæ peti-

ræ petitis. 1. illuſtrant tantum, non probant. 2. plus in illis diſſimilitudinis quã ſimilitudinis Vid. loc. §. 72. 3. à poſteriori petitæ ſunt non à priori, oon ſunt cognitionis parentes ſed ſoboles, non adducunt ad cognoſcendum, ſed adducuntur ad cognitũ repræſentandum. Vid. Meiſn. p. 1. ſobr. Phil. ſect. 4. cap. 9. q. 2. 4. ſobriè ac cautè illis utendum. 5. adverſario opponi nequeunt, credẽtem oblectare poſſunt. Annotabo de his ſimilitudinibus egregium locum ex Hilar. 1. de Trin. p. 7. *Si qua nos de Natura Dei & nativitate tractantes comparationum exempla aſſerimus, nemo ea exiſtimet abſolutè in ſe rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorũ ad Deum nulla eſt, ſed infirmitas intelligentiæ noſtræ coegit ſpirituales quaſdam ex inferioribus tanquam ſuperiorum indices quærere, ut rerum familiarium conſuetudine admonente ex ſenſus noſtri conſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem adduceremur. Omnis igitur comparatio homini potius utilis habeatur quam Deo apta,* quia iotelligentiam magis ſignificat *quàm explicat neq; Naturis carnis & Spiritus aut inviſibilium ac tractabilium coæquandis* præſumta reputetur *proteſtans & infirmitati ſe humanæ intelligentiæ neceſſariam & ab invidia eſſe liberam non ſatis facientis exempli.*

29. Q. 2. *Quid de allegoriis, quæ ad hoc myſterium adhibentur, judicandum?* Etiam in illis veteris Eccleſiæ doctores, præſertim Origenes & ex recentiorib. Berthorius ſatis quãdoq; copiosè. Animi gratiâ quaſdam enumerabimus. Geneſ. 15. Deus volens cum Abrahamo fœdus inire ac promiſſionem de beoedicto ſemine coofirmare juſſit, ut ſibi ſumeret in ſacrificium *vaccam triennem & capram & arietem trium annorum*, per quod Trinitatis myſterium dicũt præfiguratũ. Weidn. in loc. fid. Chriſt. præci. tract. 1. p. 147. Geneſ. 18. trib. occurrit Abraham & unũ adorat. In eo quod tres vidit, Trinitatis myſterium intellexit, quod autem quaſi unum adoravit, in tribus perſonis unum Deum cognovit. Aug. ſerm. 70. de temp. *Cùm tres viri viſi ſunt, nec quiſquam in eis vel forma vel ætate vel poteſtate major cæteris dictus eſt, cur non hic accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam viſibilem Trinitatis æqualitatem atq; in tribus perſonis unam eandemq; ſubſtantiam, &c.* Id. l. 2. de Trin. c. 11. Vid. loc. §. 15. Juſt. in Dial. cũ Tryph. p. 213. *Moſes beatus & fidelis Dei miniſter indicat viſum eſſe* ab Abrahamo ad ſaltum Mamre Deum cum eis, qui ſecum fuêre duobus Angelis ad judicium Sodomitarum miſſis ab alio, qui ſemper in ſupercœleſtibus manet & à nemine viſus neque cum quopiam per ſeipſum collocutus eſt, quem fabricatorem & patrem cunctarum rerum novimus. Tria contenta in arca, *tabula Decalogi, virga Aaron frondens & urna aura habens mãna*, deſignant tria Deo attributa. Nam in virga poteotia ejus; in tabulis, in quibus erat lex magnæ ſapientiæ, ſignatur Dei ſapientia; in mannæ dulcedine bonitas ejus. Poteotia tribuitur Patri, ſapientia Filio, bonitas Spiritui ſãcto. Quod Exod. 23. v. 17. Iſraëlitæ *ter in anno* in trib. ſc. feſtis ſolennioribus coram Deo comparere cogebantur, illud Baſilius in cap. 1. Eſai. ad Trinitatem accommodat. *Fidem,* inquit, *S. S. Trinitatis Deus exigit, nam ut ait gloſſa, in paſchate immolatur Filius, in pentecoſte datur Spir. S. in collecta frugum potentia creatoris Patris ſignificatur.* Num. 15. Iſraëlitæ in angulis paſſiorum ſuorum babebant fimbrias, per quas Dei & mandatorum ejus admonerentur, erant illæ quatuor filiorum ſed duplicatorum. In ſuperiore quidem ſui parte tres nodos habentes, in inferiori verò duos. Per tres nodos ſuperiores Trioitas perſonarum, per duos autem inferiores duo inſinuantur Teſtameota. Dan. 5. Præfiguratur Trinitas Danieli. Tres digiti uoius manus ſcribunt in pariete contra faciem Regis Belſazer coovivantis, tres illi digiti notant tres perſonas Trinitatis, de quibus dicitur: *Qui apprehendit molem terræ tribus digitis.* Eſa. 40. v. 12. *hoc eſt, ſuſtentat mundum virtute trium perſonarum, quæ ſunt unus Deus, una manus in eſſentia & virtus divina, quæ in mentem inſcribit humanam, excitat novos motus, ponderare facit gravitatem peccatorum, &c.* Quid de hiſce allegoriis ſtatuendum? Reſp. idem quod de adductis comparationibus, ut enim illæ ſunt ſimilitudines petitæ ex libro Naturæ, ita & hæ ſunt picturæ ex libro Scripturæ. 1. Si coogruæ ſint, & concinna coornant & illuſtrant, non probant. Luth. in c. 18. Geneſ. p. 216. *Defendamus doctores noſtros contra virulentas linguas, qui occulto ſenſu vidiſſe Abrahamum Trinitatem dicunt, ſiquidem Deus ei apparuit non in paucioribus nec pluribus perſonis quam tribus, rectè ergò hoc loco Patres uſi ſunt, aliud tamen eſt probare aliud ornare.* 2. Sin verò minus aptæ ac decentes, eruditi eas contemnunt, adverſarij derident, infirmi iiſdem offeoduntur.

Exegeſis.

30. Q. 3. *Quid de teſtimoniis, quæ ex gentilibus ſcriptoribus pro aſtruendo Trinitatis myſterio, proferuntur judicandum.* Quædam illorum ex Lud. Vive, Mornæo, Panſa, Ficino, Scaligero, Georgivezio, &c. commemoravimus in loc. §. 73. plura extant apud Cyrillum lib. 8. contra Julianum & Steuchum lib. 2. de peren. Phil. quibus & hæc conjungi poſſunt. Suidas de Triſmegiſto. Mercurius Triſmegiſtus, id eſt, ter maximus, *is fuit ſapiens Ægyptius. Floruit autem ante Pharaonem, Appellatus eſt ter maximus, quoniam de Trinitate edidit oraculum dicens in Trinitate unam eſſe divinitatem, his verbis. Erat lumen intellectuale ante lumen intellectuale & erat ſemper mens mentis luminoſa. Et nihil aliud erat quàm horum unitas & Spiritus omnia continens. Extra hunc non Deus, non Angelus, non ſubſtantia ulla alia. Omnium enim Dominus Pater & Deus & omnia ſub ipſo & in ipſo ſunt. Nam verbum ejus perfectum exiſtens & fœcundum & opifex lapſum in fœcunda Natura & aqua fœcunda prolificam fecit aquam.* Triſmegiſti Philoſophiam ſecutus Plato in Epiſtola ad Dionyſium qui eum de Natura Dei percunctatus fuerat, ſic reſpondet: *De Natura primi loquendum eſt tecum per ænigmata, &c. ſic habet res, circa omnium Regem omnia ſunt & illius gratia exiſtunt omnia. illeq; eſt cauſa omnium bonorum, ſecundum autem circa ſecunda & tertium circa tertia.* Plotinus Philoſophus Platonicus ſcripſit librum *περὶ τριῶν ἀρχικῶν ὑποστάσεων*, cujus libri meminit Auguſt. Damaſcius Platonicus ſcribit, *Ægyptios primo principio ter fuiſſe acclamare ſolitos.* Ariſt. 1. de cœlo & mundo ſcribit, *Pythagoricos in tribus poſuiſſe perfectionem rerum velut principio, medio & fine*, & in Deorum ſacris numerum hunc uſurpari ſolitum colligitur ex illo Maronis: *Numero Deus impare gaudet.* Reuchlin. in annot. ad q. 1. Athanaſ. *Pagani circa unitatem Deitatis laborantes deprehenderunt aliquam pluralitatem exiſtentem ſupra omnes Deos. Fabulantur enim Iovem u-*

num & excellentiſſimum Deum ſine ulla commiſtione ſolum ex capite ſuo Minervam genuiſſe, quæ certè prævaleat diis omnibus. A Iove & Minerva productam poſtea dicunt Bulen, id eſt, conſilium quæ duo æqualem habent cum patre poteſtatem & ab Heſiodo in Theogonia vocantur duo prudentes partus Iovis. Mahumetes in alcorano azoara 24. ſic loquentem Deum introducit. Non eſt quicquam à nobis abſconditum, qui certum modum atque menſuram ubique ſervamus ventis imperantes & imbres ad rerum vegetationem è cœlo demittentes vitam damus & mortem inducimus. Nos hominum de terra & luto plaſmavimus (ſic ergo, qui parem non habet inter Angelos vel creaturas reliquas, de ſeipſo in plurali loquitur, quæ verò illa pluralitas?) azoara 25. Ipſe namque Deus & Spiritus ſuus benedictus hunc librum veraciſſimum compoſuerunt. (habes dualitatem perſonarum in divinis additur autem etiam Verbum) azoara 11. Ieſus Mariæ filius, Dei nuncius, ſuusque Spiritus & Verbum Mariæ cœlitùs miſſum (en igitur mittentem, Spiritum & Verbum, ſed azoara 12. ſtatim ſubjungitur contrarium) Quid ergo de talibus teſtimoniis ſtatuendum. 1. In quibuſdam duntaxat ſimilia habent, non verò eadem cum doctrina Chriſtiana. In verbis nobiſcum conſentiunt, in verborum iſtorum explicatione ac ſenſu diſſentiunt, unde Aug. 10. de civ. Dei cap. 29. de illis pronunciat, quod qualitercunque & per quadam tenuis imaginationis umbracula quo utendum ſit, viderint. 2. In quibus eadem docent, illa hauſerunt 1. partim ex Scripturæ ſacræ lectione (Juſtin. Martyr in paræn. ad gentes, Euſebius in lib. de præparat. Evang. & Theodoret. in libro de Græcorum affect. Platonem ex Hebræorum libris, multa in ſuos tranſtuliſſe probant. Hinc Numenius Philoſophus dicebat τί ἐστι Πλάτων ἢ Μωϋσῆς ἀττικίζων; Et Ariſtobulus Judæus ad Philometora lib. 1. citante Euſeb. Legem, inquit, noſtram in multis Plato ſecutus eſt, apertè namque in multis diligenter examinaſſe ſingula videtur. Moſaica enim volumina ante Alexandrum & ante Perſarum imperia traducta fuerant, unde plurima ſicut & Pythagoras Philoſophus accepit. Aug. lib. 8. de C.D. c. 11. demonſtrat, Platonem ſcripturas Hebræas per interpretem didiciſſe non ut ſcribendo transferret, ſicut Ptolemæus, ſed ut colloquendo quid continerent, quantum capere potuiſſet, addiſceret ut Lud. Viv. in comm. Aug. ibid. Scholiaſtes in Epiſtol. Greg. Nazianz. ad Nemeſium. Chriſtianis olim ab Ethnicis quibusdam objectum eſt, multa in libris divinitùs inſpiratis inveniri, quæ à Platone aliiſque autoribus accepta, imò ſurrepta eſſent. Sed falſum hoc plagii crimine juſtè in eoſdem retorſerunt, cùm alii multi. tum inprimis Clemens Alexand. qui in libris Στρωμ. innumera loca Scripturæ producit, quæ Ethnici Scriptores in ſua volumina tranſtulerunt) partim ex converſatione cum Hebr. (Plato in Ægyptum uſq; perrexit. Aug. d. l. Conf. loc. §. 74.) partim ex oraculorum ac Sibyllarum revelatione. 3. Gentilium de Trinitate teſtimonia plus valent ad convincendos Ethnicos quam ad confirmandos Chriſtianos vel hæreticos refellendos. Aug. lib. 13. cont. Fauſtum c. 15. Si Sibylla & Orpheus & neſcio quis Hermes, vel ſi qui alii vates vel Theologi vel ſapientes vel Philoſophi de Filio Dei aut de Patre Deo vera prædixiſſe aut dixiſſe perhibentur valet quidem aliquid ad paganorum vanitatem revincendam, nō tamen ad iſtorum autoritatem amplexandam, cùm illum Deum nos colere oſtendimus, de quo nec illi tacere potuerunt, qui ſuos congentiles populos idola & Dæmonia colenda partim docere auſi ſunt, partim prohiberi non ſunt auſi. 4. teſtimoniis illis veritas Chriſtianæ fidei per ſe minimè indiget. Aug. lib. 18. de civ. Dei c. 47. Quisquis alienigena, i. e. nec ex Iſraël progenitus, nec ab illo populo in canonem ſacrarum literarum receptus legitur aliquid prophetaſſe de Chriſto ſi ad noſtram notitiam venit aut venerit, ad cumulum à nobis commemorari poteſt, non quod neceſſarius ſit, etiamſi deſit, ſed quia non incongruè creditur fuiſſe & in aliis gentibus homines, quibus hoc myſterium revelatum eſt & qui hoc etiam prædicere impulſi ſunt.

31. Q. 4. Rectène dictum à Thoma Aquinate p. 1. q. 32. art. 1. ex naturali ratione defendi poſſe, non eſſe impoſſibile, quod fides Chriſtiana de Trinitate prædicat? Reſp. apud Chriſtianos ex verbo Dei inſtitutos ac Trinitatis myſterium fide amplectentes per naturales rationes illud obtineri poteſt, ſed apud gentiles Trinitatem ignorantes & apud hæreticos eam præfractè negantes obtineri vix poterit; cùm enim illi ſepoſita verbi cœleſtis luce ex rationis principiis de hoc myſterio judicare præſumant, inde accidit, ut illud abſurdum & impoſſibile pronuncient.

32. Theſ. 6. Myſterium Trinitatis ex ratione naturali oppugnari non debet, expugnari non poteſt. B. Luth. in lib. de votis Monaſticis cap. 5. de lumine rationis & Naturæ ejuſdemq; in divinis uſu ſic diſputat. Natura tametſi lucem & opera Dei non attingat per ſe, ita ut in affirmativis, quod ajunt, fallax ſit ejus judicium, in negativis tamen eſt certum. Non enim capit ratio, quid ſit Deus, certiſſimè tamen capit, quid non ſit Deus. Ita licet non videat quid rectum & bonum ſit coram Deo nempe fidem, ſcit tamen evidenter infidelitatem, homicidia eſſe mala, quâ & Chriſtus utitur, dū dicit: Omne regnū in ſe diviſum deſolari, & Paulus dum dicit, nec Naturam docere, ut mulier velato capite prophetet. Quod ergo huic rationi evidenter adverſatur, certum eſt id multò magis Deo adverſari, quomodo n. cœleſti veritati non repugnabit, quod terrenæ veritati repugnat &c. Ex hoc Lutheri loco quidam evincere conatur, in ſummis fidei myſteriis rationis naturalis judicium conſulendum eſſe, & quicquid illi deprehenditur adverſum, id protinus ut falſum eſſe rejiciendum. Sed committunt fallaciam παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς. Neq; enim abſolutè & ſimpliciter de omnib. quæ in Theologia traduntur, Lutheri dictum accipiendum eſt, ſed de illis duntaxat, quæ lumine Naturæ ſunt nota, non a. quæ ſunt meræ revelationis ac puræ ut vocant fidei, id quod apparet 1. ex ſubjectis à Luthero exemplis, quæ omnia ita comparata ſunt, ut ſphærā rationis non ſupergrediantur. 2. ex aliis ejuſdem locis, in quibus ſeverè ac graviter prohibet, ne ex ratione de ſummis fidei myſteriis judicemus, atq; ea quæ ratio noſtra judicat abſurda, falſa & impoſſibilia, ut talia, repudiemus. In Diſput. de dicto Verbum caro factum eſt, tom. 1. Lat. Wit. f. 413. Sorbona mater errorum peſſime definivit, idem eſſe verum in Philoſophia & Theologia, impieq; damnavit eos, qui contrarium diſſeruerunt. 3. ex conſequētibus abſurdis. Quòd ſi n. hoc Lutheri dictum ad myſteria ſupra omnem rationis captū poſita extendere velimus, conſequetur, rationi committendum eſſe judicium de illis, quæ penitus ignorat, ra-

Ex ratione non eſt oppugnandum Trinitatis myſterium.

rat, rationem eſſe fidei noſtræ Magiſtram, rationem non eſſe ſub fidei obſequium captivandam, quinimò omnia fidei myſteria, quæ Naturæ & rationi ignota ſunt, tanquam abſurda & impoſſibilia erunt neganda & repudianda, id quod ex ſeqq. erit manifeſtius.

33. Demonſtramus igitur theſeos utrumque membrum, cùm poſterius ex priore dependeat. 1. *ex legibus & requiſitis in vera demonſtratione.* Vera & efficax demonſtratio debet peti non ἐξ ἀλλοτρίων ſed ἐκ τῶν οἰκείων, ne committatur μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, ἀνάγκη γὰρ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους τὰ ἄκρα καὶ τὰ μέσα εἶναι Ariſt. 1. analyt. c. 7. cont. 59. Atqui quanto in ſummis fidei articulis omnem humanæ rationis captum tranſcendentibus argumenta ἀνασκευαστικὰ ex naturali ratione proferũtur, ea non ſunt petita ἐξ οἰκείων nec eſt in illis terminorum συγγένεια. Ergo πρῶτος παιδείας & leges veræ demonſtrationis violantur. Qui à Natura ad myſteria, à ſenſu ad fidem, ab oculo ad oraculum argumenta ducunt, ἀπαιδευσίαν committunt. 2. *ex rationis imperfectione.* Intellectus noſter tantâ laborat imperfectione & infirmitate, ut in rebus judicio ejus ſubjectis ſæpius fallatur & aberret, id quod teſtatum reddunt querelæ præſtantiſſimorum Philoſophorũ. Ariſtot. lib. 2. metaph. c. 1. Scal. exer. 1. ſect. 1. exerc. 31. ſect. 1. exerc. 307. ſect. 12. quanto igitur conjunctum erit cum periculo res fidei ejus judicio committere, ita ut veritas articulorum fidei in Scripturis patefacta propterea negetur, quia ratio ad eorum notitiam nequit aſſurgere. 3. *ex rationis corruptione.* Ratio humana non ſolùm laborat infirmitate ſed etiam *cæcitate, tenebris & erroribus* in reb. fidei dijudicandis Rom. 1. v. 21. 1. Cor. 1. v. 19. Eph. 4. v. 17. nec ſolùm deſtituitur δυνάμει divina plenè & perfectè cognoſcendi, ſed etiam contrario habitu errores & vitia ſectandi eſt corrupta. 1. Cor. 2. v. 14. *Animalis homo* οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι καὶ οὐ δύναται γνῶναι ὅτι πνευματικῶς ἀνακρίνεται. Illatio Apoſtoli eſt talis. *Spiritualia oportet ſpiritualiter judicari*, i. e. ad ſpiritualia myſteria percipienda & judicanda requiritur intellectus Sp. S. luce colluſtratus & judicij normam ſolùm ac unicè Scripturas ſacras, in quib. vox & judicium S. S. continetur, conſtituens: Jã verò homo ψυχικὸς, qui nihil in ſe eximium habet, præter animam rationalem, qui ſuis indulget λογισμοῖς, nondũ eſt S. S. luce colluſtratus, ſed hæret adhuc in cõnatis intellectui tenebris, nec ſequitur normam, juxta quam unicè de rebus & myſteriis ſpiritualib. judicandum. E. ad ſpiritualia judicanda planè eſt ineptus. Rõ. 8. v. 6. φρόνημα σαρκὸς, (quo nomine intelliguntur non ſolùm appetitus & affectus ſenſitivi, ſed etiam præclariſſimæ cogitationes & ratiocinationes in non renatis) non ſolùm non ſunt laudabiles, ſed etiam ipſa *adverſus Deũ inimicitia* in quo eſt magna δείνωσις, ut ſubſtantivum pro adjectivo poſitum intelligatur. 4. ex *νοητῶν ac πιστῶν collatione.* Quemadmodum τὰ νοητὰ non ſunt judicanda ex αἰσθήσει ita τὰ πιστὰ nõ ſunt judicanda ex νοήσει. Contra judicium rationis nõ poteſt nec debet urgeri judicium ſenſuum. Ergo etiam contra judicium fidei non debet urgeri judicium rationis πιστεύομεν τῇ τέχνῃ τὰ τεχνικὰ τῇ φύσει τὰ φυσικὰ καὶ τῷ θεῷ τὰ θεῖα. 5. ex Philoſophicorũ axiomatũ conditione. Quando contra Trinitatis myſteriũ proferuntur ratiocinationes humanę, tunc axiomata Philoſophica accipiuntur ut generalia, cùm tamen ſint ſpecialia & in ſua duntaxat ſphæra obtineant veritatem. Sic axioma illud, *quot ſunt perſonæ tot eſſentiæ,* valet quidem in tota rerũ univerſitate, ſed non eſt extendendũ ad ipſum Dominum univerſitatis; valet in eſſentia finita, ſed non eſt applicandum ad eſſentiam Dei infinitam; valet in ſphæra ſublunari, ſed non pertrahendum eſt ad ſphærã ſupercœleſtem. Miſerę a. inſipientiæ ac fraudis ſophiſticæ eſt particulare accipere ut Univerſale, determinatum ut indeterminatum. Omnia argumenta, quæ contra myſterium Trinitatis ex ratione formantur, in majore propoſitione aſſumunt aliquod axioma, quod valet in rerum creatarum Natura, tantum ac proinde eſt particulare, idq; applicant ad increatam & infinitam Dei eſſentiam, i. e. aſſumunt illud tanquam abſolutè & ſimpliciter utile contra ipſius Logicæ leges. E. g. *Una numero eſſentia non poteſt eſſe in tribus numero diſtinctis hypoſtaſibus.* Divina Natura eſt una numero eſſentia. E. Major non poteſt aliter probari quàm ex inductione rerum creatarum finitarum, at ex eo nondum probatur, quod eadem ſit ratio increatæ & infinitæ eſſentiæ, ergo Utilitas axiomatis probari nequit. *6. ex myſteriorum Natura ac ratione.* Myſterij Trinitatis ac reliquorum propriè dictorum myſteriorũ ea eſt Natura ac ratio, ut captum rationis tranſcẽdant, i. e. ut ratio citra verbi revelationem ad eorum notitiam non poſſit pertingere & ut poſitâ verbi revelatione nihilo tamen minus ratio ex ſuis principiis nõ poſſit nec debeat de illis ſtatuere. Eph. 3. v. 8. 1. Cor. 2. v. 7. 1. Tim. 6. v. 16. &c. Ergo etiam non debet ſuos λογισμοὺς veritati cœleſti in illis myſteriis opponere. *7. ex potentia & eſſentia divina collatione.* Quemadmodũ ratio non poteſt nec debet pronunciare quid Deus poſſit, quid nõ poſſit, cùm *plus præſtare Deus poſſit quàm nos intelligimus.* Eph. 3. v. 20. ita quoque non poteſt nec debet pronunciare quid Deus ſit, quid non ſit, ſed in hiſce definiendis lucem verbi unicè debet ſequi. Finitus eſt intellectus noſter, ergo non debet ſibi ſumere judicium, quouſque infinita Dei potentia ſe extendat, & quod in divina eſſentia perſonæ ſint vel non ſint. 8. ex *Apoſtolica juſſione.* 2. Cor. 10. v. 5. *captivantes rationem ſub fidei obſequium.* Si ratio contra fidei myſteria in Scripturis revelata ex ſuis principiis diſputans eſſet audienda, utiq; non foret opus eandem captivare, cui n. liberum permittitur, ut in ſuis logiſmis pro libitu diſcurrat, illi non eſt injiciendũ captivationis vinculum. Sed poſterius requirit Apoſtolus, cum quo congruit illud Salomonis Prov. 3. v. 5. *fide Domino ex toto corde & intelligentiæ tuæ ne innitaris.* 9. *ex multiplici ad abſurdum deductione.* Si ratio contra Trinitatis myſterium ex ſuis principiis diſputans audienda, cõſequens erit. 1. quod ultima fidei noſtræ reſolutio fieri debeat non in Scripturas ſacras, ſed in judicium noſtræ rationis, quippe cui de ipſis Scripturarum aſſertionibus judicium permittitur. 2. rationis judicio plus tribuetur quàm judicio Spir. S. quod in Scripturis revelatum ac propoſitum. 3. diverſa diſciplinarũ genera ac principia peſſima quadã μίξει confundentur. 4. rationi humanæ talis ac tanta prærogativa dabitur, ut ſupra Angelorum intellectum elevetur, quia ipſimet deſiderant παρακύψαι in Evangelij myſteria. 1. Petr. 2. v. 12. 5. omnia fidei myſteria uno ictu atq; impetu ſubruentur, quia par & æqualis eſt omnium ratio in eo, quod captum

humani intellectus tranſcendant, &c. Vid. D.D. Meiſn. in conſid. Theol. Photin. p. 311.

34. 10. *ex unanimi Patrum teſtificatione.* Multa in hanc ſententiam ex Patribus adduximus in loc. de Interp. Script. §. 170. quibus paucula hoc loco addimus. Tatianus contra gentes. τὰ τῆς ἡμετέρας παιδείας ἐστὶν ἀνωτέρω τῆς κοσμικῆς καταλήψεως. Juſtin. in confut. Græcar. quæſt. p. 163. οὐ χρὴ τοῖς ἡμετέροις ἐνθυμήμασι μετρεῖν τοῦ Θεοῦ τὰ ἔργα, ὑπὲρ νοῦν γὰρ καὶ αἴσθησιν καὶ λόγον τοῦ Θεοῦ ἔργα. in ἐκθ. πίστεως p. 304. ὅταν ἐγὼ ζητῶν ἐπαπορήσω τότε τοῦ μυστηρίου τῶν χριστιανῶν ἀνακράζω τὸ θαῦμα, ὅτι ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ κατάληψιν κτιστῆς φύσεως τὰ ἡμέτερα, ὅταν δὲ καὶ σοὶ τὰ τοιαῦτα ζητοῦντι ἀπορίας τις ἐποίει προφέρειν τοῖς ζητουμένοις ἐπισήμων λύσιν τὴν πίστιν. pag. 297. *Quomodo Trinitas in unitate & in Trinitate unitas neque ex aliis percunctari ipſe velim, neque mihi ipſi perſuadere poſſim rerum arcanarum & ineffabilium rationem ut lingua lutea & carne ſqualida proferrre audeam.* Greg. Nazianz. in orat. in laudem Neronis. *Hoc Pater & Filius & S.S. commune habent, quod minimè creati ſunt, quodq́; divinitate junguntur. Hac proprietate inter ſe diſtinguuntur quod Pater ingenitus, Filius genitus, Spiritus S. procedens. Quodſi modum quærere pergis, quid ys relicturus es, quos ſolos mutuo ſe cognoſcere atque à ſe mutuò cognoſci Scriptura teſtatur aut iis etiam noſtrum, quibus in altero ævo divinitus illuſtrari contingit.* Idem in orat. de fide. *Hæc eſt causa erroris, hæc origo hæreſeos Arianæ, dum non intelligunt Dei virtutem neque tanti Sacramenti diſpoſitionem cognoſcunt, ut Deum humanis conditionibus comparent.* Proclus Archiep. Conſtant. ſerm. de fide ad Armenios p. 31. *Syllogiſmos rationis qui fidei articulis ab hæreticis opponuntur,* vocat ἀράχνης ἀσθενεστέρους & addit λημῶν ὀφθαλμὸς ἡλίου ἀκτῖνας καθαρῶς οὐ δέχεται καὶ ἀσθενοῦσα διάνοια πίστεως οὐ προσίεται ὕψος. *Lippus oculus Solis radios non recipit & mens infirma ſublimitatem fidei non comprehendit,* homil. in transfig. Dom. pag. 86. τί λογισμοῖς ἀνθρωπίνοις καθυβρίζεις τὰ θεῖα. *Cur humanis ratiocinationi* [illegible] *res divinas infamas* Chryſoſt. homil. 5. in 1. Tim. *Nihil commune habet humana ratio cum divinis collata, ideoq́; blaſphemia eſt rationibus velle divina diſcutere.* Auguſt. 12. de C. D. cap. 17. *Has argumentationes ſi ratio refutare non poſſet, fides irridere deberet.* in Enchir. cap. 4. Hæc ſunt *defendenda ratione quæ vel à ſenſibus corporeis inchoata vel ab intelligentia mentis inventa. Quæ autem nec corporeo ſenſu experti ſumus, nec mente aſſequi valuimus aut valemus eis ſine ulla dubitatione credenda ſunt teſtibus, à quibus ea quæ divina vocari meruit Scriptura, confecta eſt* Bernh. Epiſt. 190. *Quid magis contra rationē quam ratione rationem conari tranſcendere? & quid magis contra fidem, quam credere nolle, quod non poſſis ratione attingere.*

35. 11. *Ex ipſa adverſariorum confeſſione* Quamvis enim myſterium Trinitatis argumentis ex ratione petitis impugnare non deſinant, tamen multis modis huic ipſorum praxi repugnat theoria 1. quia docent, ſolam Scripturam ſacram eſſe fidei normam ac regulam. Schmaltz. contra Scopper. p. 3. *Sola Scriptura eſt fidei norma & divina tantum autoritate ſtandum quo ad credenda.* Id. in præfat. cont. Frantz. *Suis propriis nititur Chriſti religio principiis, nec aliena operis ullo noſtro indiget.* Piſecius in præfat. reſp. ad rationes Campiani Alij. *Veritas divinorum non à Natura, non à ſenſu, non a theorematis Phyſicis, ſed a Deo, ſed ab oraculis & legibus divinis dependet.* Et poſteà: *Ad legum divinarum firmam & ſolidam autoritatem quicquid eſt controverſiarum, in religione Chriſtiana expendimus.* Atqui ſi ſola Scriptura eſt credendorum regula, ſi in divinis divinâ tantùm autoritate ſtandum, cur igitur rationis judicium in divinis myſteriis ſequuntur? 2. negant Dei judicia ratione diſcutienda eſſe. Socin. in ſolut. ſcrupul. reſp. ad 11. p. 40. *Non ſunt Dei imperſcrutabilia judicia humanæ rationis modulo metienda.* Idem adv. Mennonitas p. 77. *Natura humana ſuâ ſponte fragilis & imbecillis eſt in iis exequendis, quæ bona ſunt & Deo accepta, quippe quibus plerunq; non appetitus modo, qui in homine vehementiſſimus eſt, ſed ex parte etiam ratio ipſa repugnet, cujus rei teſtimonium evidentiſſ. in ipſo Adamo habemus, ejusq́; conjuge, qui antequam peccaſſent & ita antequam labem aliquam ex peccato contraxiſſent, adeò tamen fragiles & imbecilles fuerunt, ut ſpretâ apertâ Dei monitione ex vetita ſibi arbore partim appetitu impubi, partim ratione perſuaſi comederunt, ac graviſſimè peccaverint.* Socin. ad object. Cutteni p. 92. *Nos viribus naturalibus parum in divinis rebus tribuimus, ſcientes teſte Apoſtolo hominem animalem non percipere, quæ ſunt Spiritus Dei.* Sommerus in refut. P. Carolini p. 50. b. *Non ſunt Dei actiones ad hominum regulas examinandæ.* Atqui ſi Dei judicia & actiones non ſunt ad regulas rationis examinanda, quantò minùs ipſa Dei eſſentia rationis modulo erit metienda. 3. rationi judicium in divinis quandoq; derogant. Eniedin. in loc. Script. p. 178. *Nemo alienas & Philoſophicas contemplationes ad ſimplicem Apoſtolorum ſermonem & doctrinam afferat.* Præfator Eniedini: *In re tam ardua non hominis ratiocinationibus, ſed imprimis expreſſo opus eſt verbo juxta illud ad legem & oraculum, in lege quid ſcriptum eſt.* Idem in defenſ. animadv. contra Eutropium p. 49. *Ea Chriſtiano homini de Deo credenda ſunt, licet rationi minùs conſentanea, quæ ab ipſo Deo non quidem patefacta eſſe putantur, ſed revera ſunt patefacta.* Oſtorod. in Inſtit. cap. 29. p. 196. *Nimis periculoſum foret rem tanti momenti* (quod hæretici capitaliter puniendi) *hominis vitam imò æternam ſalutem concernentem humanæ rationi & judicio committere.* Idem contra Tradel. part. 1. cap. 7. p. 53. *in ultimo argumento Doctor paſſus eſt ſe à ratione ſeduci, ſed debuiſſet h. l. phyſica poſtponere.* Schmaltz. de Chriſti divinit. p. 91. 92. *Deſinant in hujusmodi rebus in modos inquirere, quibus Deus uſus eſt & quos ut ignoremus, eum non ſinè causâ voluiſſe ſtatuendum eſt. Diſcant acquieſcere in teſtimoniis ſacrarum literarum manifeſtis,* Idem contra Frantz. p. 165. *Oſtendat nobis Frantzius ex ſacris literis ſuas opiniones & nos eas pro certis recipiemus, etiamſi rationem noſtram ſuperent.* Johan. Lycinius Namislovienſis Polonus in Parænesi Polonica & Latina ad Miniſtros Evangel. pro ineunda Concordia Anno 1597. edita. *Fateor rationem omnibus viribus coercendam, tum videlicet cùm manifeſtiſſimis verbis aliquid in Scriptura dicitur, quod vel ſupra vel contra rationem ſit. Ibi ratio ſubſiſtat oportet & humiliter dictis acquieſcat, nec inquirat, quem id fieri potuerit.* Ibid. id declarat exemplo articuli de creatione omnium ex nihilo.

nihilo. Atqui ſi ea, quæ ex ſacris literis demonſtrari poſſunt, credenda ſunt, licet ratione comprehendi nequeant, utique myſterium Trinitatis, quod ex ſacris literis demonſtrare parati ſumus, non erat argumentis ex ratione petitis oppugnandum. 4. quidam ex ipſis negant naturalem Dei notitiam. Socin. in prælect. cap. 2. p. 3. in reſp. ad object. Cuteni pag. 86. Oſtorod. Inſtit. cap. 1. pag. 10. Atqui ſi ratio non poteſt ad aliqualem Dei notitiam ſuis viribus aſſurgere, ecquis judicium de ſummis fidei myſteriis illi velimus tribuere? 5. negant à naturalibus ad ſupernaturalia, ab humanis ad divina argumentum duci poſſe. Schmaltz. in exam. 157. errorum err. 91. p. 27. *Urget Smiglec. Chriſtum non poſſe appellari filium Dei ſecundùm carnem, h. e. propter conceptionem, quia ad filium conſtituendum requiratur, ut ſit de ſubſtantia Patris. Ego id verum eſſe fateor in curſu quotidiano, cùm quis Pater alicujus eſt naturaliter, dico tamen poſſe etiam eum alicujus filium appellari, qui ab eo generatur & Patre viciſſim dici alicujus poſſe eum, qui ad alicujus generationem aliquid adjicit, licet id quod ad ejus generationem adjicit, non ſit de ejus ſubſtantia.* Hæc omnia nunquam poterunt cum hypotheſi illa, quam in controverſia de Trinitatis myſterio arctè tenent, conciliari.

36. *Antitheſis.* Quod olim Tertullianus lib. de reſurr. carnis cap. 3. p. 315. de omnibus hæreticis dixit: *Aufer illis quæcunque cum Ethnicis ſapiunt, ut de Scripturis ſolis quæſtiones ſuas ſiſtant, & ſtare non poſſunt*: idem de Photinianis jure meritoque dicimus. Aufer illis, quæ cum Ethnicis ſapiunt, quæ ex rationis pharetra contra Trinitatis myſterium tela depromunt, ut ex Scripturis aſſertiones ſuas unicè confirment & ſtare non poterunt. Quæ enim machinæ, qui arietes, quos labeſactando Trinitatis dogmati adhibent? uno verbo judicium corruptæ rationis Socinus in lib. quod Evangelici p. 28. Trinitatem impugnaturus in prima acie collocat hoc argumentũ, quod dogma illud pugnet cum ratione. *Quod attinet* (inquit) *communem ſenſum, nemo eſt tam ſtolidus, qui non videat, pugnare hæc inter ſe illum Deum noſtrum cœli terræq́ creatorem eſſe unum tantùm numero & tamen tres eſſe, quorum unusquisque ſit ille Deus noſter.* p. 29. *Tam Pontificis quàm Evangelici fateri coacti ſunt, myſterium ut ipſi vocant Trinitatis, h. e. trium in uno Deo perſonarum omnem humanum captum excedere. Sed melius dicerent, ſi quemadmodum ex ipſis quidam fortaſſe loquuntur, faterentur non modo ſupra ſed contra omnem humanum captum illud eſſe.* De autor. Script. p. 54 *Nullo modo verum eſſe poteſt, cui ratio prorſus ſenſusq́ communis repugnant.* Catech. Racov. p. 37. *Rationi adverſatur Trinitatis dogma.* Theodoſ. Schimberg. in præfat. refutationi P. Carolini à Joh. Sommero adornatæ & Ann. 1582. Ingolſtadii ut fert titulus excuſæ ** 3. *Fides nunquam amplectitur impoſſibilia mentis, unde manifeſtum eſt, Trinitatem & divinitatem Filii non eſſe articulos fidei veros, quia ſunt impoſſibilia mentis, ideò in rei veritate ſunt dogmata blaſphema & horrenda.* Similia occurrunt apud Schmaltz in refut. Frantz. p. 60. 137. 165. 372. 421. Goslavium in præfat. tract. contra Kecker. Argumenta quæ proferunt in prælect. de Photin. examinavimus Theorema ipſis perquam familiare, *quod myſteria fidei non ſint contra ſed ſupra rationem*, quomodo accipiendum & explicandum ſit, oſtendimus Diſp. 10. de glor. Dei § 13. 14. & 15. hoc loco examinabimus diſtinctionem Socini in defenſ. animad. adverſus Eutropium c. 3. p. 50. quâ omnibus argumentis pro noſtra theſi adductis ſatisfacere conatur. *Longè aliud eſt*, inquit, *quidpiam mente non capere & capere mente quippiam eſſe non poſſe, ſeu aliquid negare, quia id apprehendere nequeas & idcirco aliquid negare, quia id eſſe non poſſe deprehendas. Alterum omninò ſtultum eſt, ubi Dei teſtimonium ea de re non obſcurum profertur. Alterum verò tantam vim habet, ut divina ipſa teſtimonia, quantumvis primâ facie aperta aliter interpretari & permittat & cogat, quàm ipſa verba ſonent.* Reſp. 1. myſteria fidei non ſolùm eo ſenſu ac reſpectu ſunt ſupra rationem, quod ratio citra revelationem verbi ad eorum notitiam non poſſit aſpirare. ſed etiam quod poſitâ verbi revelatione nihilo tamen minùs ratio non poſſit eadem comprehendere, quia 1. Cor. 2. v. 14. non ſolùm τὸ γνῶναι, ſed etiam τὸ δέχεσθαι Spiritualia homini animali denegatur, ac ſi ratio de illis velit judiciũ ferre, judicat ea eſſe μωρίαν. 2. id quod ex Natura myſteriorum apparet, ſunt enim ſupra rationem ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν, proponuntur in lumine gratiæ, non in lumine Naturæ, docentur in Schola Spiritus ſancti, non in Schola Sapientum hujus ſeculi, procedunt ex fonte infinitæ ſapientiæ divinæ, non ex rivulis ſcientiæ humanæ. 3. Proinde ratio non debet de illis judicium ſibi ſumere, nec juxta regulam ſuorum principiorum ea examinare. Quæ enim ignorat de illis nec affirmare nec negare quicquam debet, ſed ad ſuperiorem Scholam Spiritus ſancti in qua traduntur, eadẽ amandare. 4. Quòd ſi judicium ſibi de illis ſumat & ex ſuis principiis quicquam de illis pronunciare præſumat, perverſo & præpoſtero ordine agit, quæ enim ſupra rationem ex rationis legibus non ſunt judicanda quæ ſupra Naturam, ex Naturæ legibus non ſunt æſtimanda. 5. Membra igitur Socinianæ diſtinctionis non ſunt ſibi invicem ἀντιδιαιρουμένως oppoſita, ſed potiùs ſubordinata, ac unum eorum ſequitur ex altero, imò includit alterum. Quia myſteria fidei non ſunt propterea neganda, quod ratione ea apprehendere ac mente eadem capere nequeas (ut Socinus concedit) ergo etiam non ſunt propterea neganda, quia ea eſſe non poſſe deprehendas, h. e. quia ex principiis rationis æſtimata videntur impoſſibilia, quæ enim παράδοξα & ἀδύνατα judicio rationis, ea non ſunt ſtatim coram Deo παράδοξα καὶ ἀδύνατα Geneſ. 18. verſ. 14. Zach. 8. v. 6. Matth. 19. v. 26. Luc. 1. v. 38. cap. 18. v. 26. 6. Breviter, ſi myſteria ſunt ſupra rationem, non poſſunt capi à mente & ratione, ut Socinus concedit. Si non poſſunt capi à ratione, ratio non debet de illis judicium ſumere an talia eſſe poſſint necne? Sin judicium ſibi ſumat ψευδωνύμου γνώσεως ἀντιθέσεις format 1. Tim. 6. v. 20. adeoque ex arena funiculos nectit.

37. Uſus practicus eſt *exhortatorius*, ut pio ſtudio myſterium Trinitatis ex proprio Theologiæ principio ex Scriptura ſcilic. ſacra perdiſcamus, nec plauſibilibus humanæ rationis argumentis ab ejus confeſſione nos dimoveri patiamur.

CAP. II.

ὀνοματολογίαν exponens.

38. Expoſuimus hactenus *priorem hujus tractatꝰ partem* ſex theſes proœmiales complectentem, ſuccedit *pars poſterior*, quæ ipſam hujus articuli ἐργασίαν continet. Conſtat illa tum ὀνοματολογία tum πραγματολογία. ὀνοματολογία eſt vel *generalis* vel *ſpecialis*. Generalem duabus theſibus complectemur. Specialis appellationes *Hebræas, Græcas, Latinas & Germanicas*, quibus Eccleſia in hoc articulo utitur, recenſebit. Sit ergo partis prioris ὀνοματολογικῆς SECTIO I. de ὀνοματολογίᾳ generali. Theſis 1. *Licitum eſt in myſterio Trinitatis explicando uti vocabulis, quæ αὐτολεξεὶ non extant in Scripturis ſacris.* Theſi huic ſubjungemus ἔκθεσιν.

De ὀνοματολογία generali.

39. Eccleſiæ non quidem competit αὐτοκρατορικὴ poteſtas novos fidei articulos condendi, cùm ad vocem Chriſti Sponſi ſui in Scripturis unicè ſonantem divino mandato ſit aſtricta Deut. 4. v. 2. cap. 12. v. ult. Eſa. 8. v. 20. Matth. 17. v. 5. Joh. 10. verſ. 27. interim tamen articulos fidei in Scripturis propoſitos aliis etiam verbis, quàm quæ in illis extant explicare poteſt, quod probamus 1. *à neceſſitate*. Hæretici quamvis in ſenſu ab Eccleſiæ dogmatibus diverſa imò contraria doceant, tamen æmulantur Scripturæ phraſes ὅμοια μὲν λαλοῦντες, ἀνόμοια δὲ φρονοῦντες, ut Irenæus in præfat. lib. 1. de illis loquitur, ſunt inſtar hyænæ, quæ noctu ovium adit ſtabula, redditiſque quas audit vocibus paſtores evocat, egreſſos laniat ac devorat. Ipſa igitur neceſſitas Eccleſiam coëgit, ut talibus in myſterio Trinitatis explicando uteretur vocabulis, quæ ex latibulis hæreticam πανουργίαν protraherent, ac inter orthodoxian Eccleſiæ, & errores hæreticorum manifeſtum diſcrimen facerent. Sic cùm Eccleſia doceret tres eſſe, in quorum nomine baptizamur, qui dant in cœlo teſtimonium &c. Pater ſcil. Filius & Spir. Sanct. mox Sabellius hoc ſic depravavit, *quod illi tres non ſint reali quodam diſcrimine diſtincti, ſed unam eandemque perſonam modò vocari Patrem, modò Filium, modò Spiritum*, quò accommodavit illud, quod Eccleſia dixit, *tria eſſe nomina*, ideò ut à Sabelliana illa depravatione orthodoxia hujus articuli liberaretur, Eccleſia illos tres vocare cœpit *tres diſtinctas perſonas*. Cùm Eccleſia doceret, Patrem & Filium eſſe unum Johan. 10. v. 30. mox Arius illud ſic depravavit, eos eſſe unum conſenſu ac voluntate, ſicut credentium dicitur *cor unum* Actor. 4. v. 32. ideò ut ab Ariana illa depravatione orthodoxia hujus articuli liberaretur, Eccleſia docere cœpit Filium eſſe Patri ὁμοούσιον, unde Ambroſius lib. 3. de fid. cap. 7. dicit: *Patres Nicenos verbum* ὁμοούσιος *in tractatu fidei poſuiſſe, quod viderint adverſariis id eſſe formidini, ut velut evaginato ab ipſis gladio ipſorum nefanda caput hereſeos amputarent.*

40. 2. *Ab utilitate*. Triplex eſt horum vocabulorum utilitas, adhibita enim ſunt partim *uberioris explicationis*, partim *melioris diſtinctionis*, partim *ſolidioris ac plenioris refutationis cauſa*. Quando tres perſonæ Deitatis aſſeruntur ac ὁμοούσια earundem defenditur, quoad rem Scripturis nihil additur, cùm idipſum in eis, ſi non totidem verbis tamen aliis idem ſignificantibus tradatur, interim ex uſu illarum appellationum hæc utilitas ad Eccleſiam redit, quod breviter & nervoſè ſanam de hoc myſterio doctrinam talibus appellationibus complectitur, quæ non poſſunt in peregrinum & hæreticum ſenſum ab adverſariis cœleſtis veritatis pertrahi. Hûc referantur dicta piorum veterum: Athanaſius in Diſputatione cum Ario coram Probo judice gentili tom. 2. p. 374. *Eccleſiaſtica ſemper moris eſt diſciplina, ſi quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contra inſolentes quæſtionum mutationes rebus immutabiliter manentibus nominum vocabula immutare & ſignificantius rerum Naturas exprimere, quæ tamen exiſtentium cauſarum virtutibꝰ congruunt, & quæ magis eaſdem antiquitùs fuiſſe demonſtrent, non ortus novitatem menſurent.* Et poſteà: *Contra inſolentes & furtivas hæreticæ intelligentiæ pravitates quædam confeſſionis nomina non temerè præſumta, ſed ex conſequenti ratione collecta fidei autoritatibus fuerunt inſerta, ita tot novorum verborum religioſo intellectu extiterunt abſolutiones, quot fuerunt quæſita vel ſubminiſtrata perfidiæ occaſiones, licet totidem ſyllabis & literis vocabula non legantur in ſacris literis.* Gregor. Nazianz. orat. in ſancta lumin. *Non eſt de nominibus odioſa contentione certandum, quamdiu ſyllaba ad eandem ſententiam ferent. Fateamur loquendi neceſſitate parta eſſe hæc vocabula, cùm opus eſt copioſâ diſpoſitione adverſum inſidias hæreticorū fateamur &c.* Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 9. *Magnâ prorſus inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum eſt tamen tres perſonæ, non ut illud diceretur, ſed ne taceretur omninò. Non enim rei ineffabilis eminentia hoc vocabulo explicari valet.* lib. 7. de Trinit. cap. 4. *Eſt improbitas quædam, ſi quis vocabula improbet, quæ non aliud explicant, quàm quod Scripturis expoſitum traditur.* Vide ibid. plura tract. 97. in Johan. Apoſtolus 2. Tim. 2. non dicit, *verborum novitates devita, ſed addit prophanas, ſunt enim & doctrinæ religionis congruentes verborum novitates, ſicut ipſum nomen Chriſtianorum, quando dici cœperit, ſcriptum eſt* Actor. 11. &c. *res ipſa, quæ in Eccleſia novis appellantur nominibus, & ante ſua nomina erant, & religionis veritate firmantur, quâ etiam contra improbos defenduntur. Quod ſi omnis novitas prophana eſſet, nec à Domino diceretur mandatum novum do vobis, nec teſtamentum appellaretur novum, nec cantaretur in univerſa terra Canticum novum.* Thom. p. 1. q. 29. art. 3. *Ad inveniendum nova nomina antiquam de Deo fidem ſignificantia coegit neceſſitas diſputandi cum hæreticis.*

41. *Antitheſis. 1. Ariani, Sabelliani & reliqui Anti Trinitarii* contra orthodoxos hoc urgebant, quod nomina οὐσίας, ὁμοουσίας, ὑποστάσεως non extent in ſacris literis. *Magnâ invidiâ* (ait Dn. D. Chemnicius tom. 1. loc. pag. 86.) *prægravabantur orthodoxi Patres ab hæreticis ſpecioſo hoc prætextu, quod ſcilicet Eccleſia de illa inacceſſibili luce divinitatis non aliter deberet ſentire, quam ipſa divinitas prodiens ex arcana majeſtatis ſuæ ſede ſe patefecit, nec aliter deberet loqui, ſed linguam Spiritus ſancti imitari, adeoque ipſa etiam verba totidem ſyllabis & literis exprimere.* Arius in Diſputatione cum Athanaſio pag. 373. *Cur Apoſtolicæ fidei ſuper adjicitur verbum, cujus nec Prophetæ nec Apoſtoli mentionem faciunt?*

42. 2. Veſtigiis iſtorum majorum inſiſtunt Neo-Photiniani. Nicol. Paruta in theſibus hoc primo loco urget, quod *nuſpiam in Scripturis κατὰ ῥητὸν dicatur eſſe tres perſonas ejuſdem divinæ eſſentiæ.* Parutæ ſententiam Socinus in animadv. ad 16. aſſert. Poſnan. num. 1. ſic explicat: *Quod nomen Trinitatis in ſacris literis non extet, hoc tanquam indicium aliquod falſitatis adverſariorum ſententiæ dictum aliquando à noſtris fuit, non autem quod pro ſolido argumento ad eos refutandos id dicerent.* Idem in defenſ. animad. p. 42. *Nomina quibus adverſarii neceſſe habent uti ad ſua dogmata explicanda, nuſquam apud ſacros ſcriptores legi, indicium quoddam eſſe poteſt falſitatis ipſorum dogmatum.* p. 450. *Quod nomina eſſentiæ & Trinitatis in ſacris literis non extent, non ut ſolidum aliquod argumentum ad adverſarios refellendos, ſed ut indicium quoddam falſæ ipſorum ſententiæ à noſtris aliquando commemoratum fuit.* Atqui 1. quomodo poſſunt illud pro indicio falſitatis habere, ex quo argumentum petere non audent? 2. Concedant nobis Patrem, Filium & Spiritum eſſe Deum, & tamen non niſi unum eſſe Deum, nec adigemus eos, ut vocibus illis Eccleſiaſticis utantur. 3. ipſimet Photiniani quædam vocabula uſurpant, quæ in Scripturis non extant, docent enim CHRISTUM eſſe factum DEUM, ac bis in cœlum aſcendiſſe, quorum neutrum in Scripturis vel κατὰ ῥητὸν vel κατὰ πρᾶγμα extat. Socin. in defenſ. animadv. p. 191. Chriſtum eſſe factum Deum dici poteſt, licet id in ſacris literis expreſſe non reperiatur. Confer diſp. 2. ex dicto 1. Joh. 5. §. 1.

43. 3. Non poteſt ſimpliciter & ſine commoda interpretatione addita probari, quod Calv. lib. 1. Inſtit. cap. 13. ſect. 5. ſcribit: *Utinam ſepulta eſſent nomina* (Trinitatis ὁμουσίας &c.) *conſtaret modò hæc inter omnes fides Patrem & Filium & Spiritum Sanctum eſſe unum Deum.* Nimirum de occaſione & origine harum appellationum, quæ fuit hæretica perverſitas, non autem de ipſo appellationum uſu illud accipiendum erit.

44. Quæritur hoc loco: *An vocabula ex communi loquendi conſuetudine deſumta & ad hoc myſterium accommodata eandem per omnia ſignificationem in illa applicatione retineant?* Reſp. minimè verò, ſed Eccleſia donat illa jure ſuæ civitatis & in peculiari ſignificatione illis utitur. Fruſtra igitur hæretici à proprietatibus finitæ eſſentiæ ac perſonæ finitæ argumenta petunt, quibus ſublime illud myſterium de tribus diſtinctis perſonis in una indiviſa Deitatis eſſentia impugnent, fruſtrà etiam urgent vulgarem loquendi modum, cùm ab eo aliquantò abeant, quando ad qualemcunque hujus myſterii explicationem ab Eccleſia adhibentur. Sic confitemur tres Deitatis perſonas, de quibus eſſentia divina velut quiddam commune prædicetur, ſed longè aliter comparata eſt illa eſſentiæ de tribus perſonis prædicatio, quàm ſi de Petro, Paulo & Johanne communis ἀνθρωπότης prædicetur, ut ex ſeqq. erit manifeſtum. Athanaſ. in Epiſt. de Synod. Nicen. decret. *Tametſi eadem dictiones de Deo & hominibus, (& aliis creatis rebus) in Scripturis habeantur, hominum tamen perſpicacium eſt, lectioni attendere, ut rem cum judicio diſcernant & pro Natura rerum vocabula accipiant ſine intellectus confuſione, ne quæ Dei ſunt, humano more intelligant, id enim eſt vinum aqua miſcere, & alienum ignem altari inferre.*

45. Theſis. 2. *Non eſt probanda eorum temeritas, qui novis vocabulis ab Eccleſia nondum receptis in hoc myſterio explicando utuntur.* Rationem petimus 1. *à præcepto Apoſtoli* 1. Tim. 6. v. 20. *Depoſitum cuſtodi devitans τὰς βεβήλους καινοφωνίας profanas vocum novitates.* (Quidam legunt κενοφωνίας, ut inter has voces ita inter res ſignificatas eſt maxima cognatio, nova perſæpe etiam vana Actor. 17. verſ. 21.) 2. *ab incommodo multiplici,* quod illam temeritatem ſequitur, datur enim adverſariis calumniandi occaſio, ſparguntur ſemina diſſenſionum in Eccleſia, ſingularitatis oritur ſuſpicio &c. contrà verò moderati animi eſt, cum Eccleſia non ſolùm reverenter ſentire, ſed etiam loqui ac obſequentium liberorum eſt matris vocem non dedignari. Auguſt. lib. 10. de civitate Dei cap. 23. *Liberis verbis loquuntur Philoſophi, nec in rebus ad intelligendum difficillimis offenſionem religioſarum aurium pertimeſcunt, nobis autem ad certam regulam loqui fas eſt, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his ſignificantur, impiam gignat opinionem. Itaque non dicimus duo vel tria principia cùm de Deo loquimur, ſicut nec duos vel tres Deos nobis licitum eſt dicere.* Confer Baſil. lib. 2. contra Eunom. non longè ab initio Hieron. in Epiſtola ad Damaſum de verbo hypoſt. Damaſc. lib. 1. cap. 2. qui omnes præceptum de cavenda vocum novitate in divinis quàm diligentiſſimè inculcant.

46. *Uſus practicus* occurrit geminus 1. ut ea quæ à veteribus incommodè dicta juxta fidei analogiam explicemus, non autem imitemur. Juſtin. in dial. cum Tryph. p. 209. & 213. Filium vocat ἄλλον καὶ ἕτερον θεὸν, ſed obſerva quod introducat loquentem Tryphonem Judæum, qui de hoc ſummo myſterio non ſatis accuratè loquitur, cujus ſermonem ipſe Juſtinus poſtea ſequitur. Tertull. adverſ. Prax. *Tres ſunt non ſtatu, ſed gradu; nec ſubſiſtentia, ſed forma; nec poteſtate, ſed ſpecie unius ſubſiſtentiæ, unius ſtatus, unius poteſtatis, quia unus Deus.* (Bellarm. lib. 1. de Chriſto cap. 10. ſic excuſat, quod per gradum intelligunt ordinem perſonarum; autor Epiſtolæ ad lectorem Tertull. præfixæ: *Statum voces quod Scholaſtici Subſtantiam, gradū, quod hi notionem, formam, quod hi proprietates, ſpeciem, quod hi habendi modum.*) Hilarius abuſivè dixit *tres ſubſtantias*, ſubſtantias pro perſonis non pro eſſentia accipiens, ut Thom. 1. ſent. diſt. 24. art. 1. monet. 2. ut ab innovandi libidine & nova vocabula confingendi temeritate abſtineamus. Sic probari nequit, quod quidam diſputare cœpit, *unam eſſe Deitatis eſſentiam, tres verò exiſtentias*; quod quidam perſonas Trinitatis *differre* dicunt, cùm differentia propriè ſit eorum, quæ eſſentialiter differunt, quod tres perſonæ in una eſſentia divina dicuntur ſubſiſtere, cùm contra potius eſſentia in perſonis tribus ſubſiſtere dicenda ſit. Damaſc. lib. 3. cap. 6. *Eſſentia per ſe non ſubſiſtit, ſed in ipſis hypoſtaſibus ſervatur.* Confer tract. de Nat. Dei §. 64. ubi plures incommodas locutiones recenſuimus.

47. Expoſitâ ὀνοματολογίᾳ *generali*, tranſitum facimus ad *ſpecialem*, quæ appellationes 1. *Hebræas*, 2. *Græcas*, 3. *Latinas*, 4. *Germanicas* in hujus myſterii explicatione uſitatas explicabit. Sit ergo articulus primus de appellationibus Hebræis. Hebræi myſterium Trinitatis trinâ *Hebrææ appellationes.*

repeti-

repetitione nominis Jehovah & קדש exprimere ſolent, ut in τραγματολογία apparebit. Divinitatem tribus perſonis communem vocant שְׁכִינָה *habitationem*, vel quia *habitavit* ſive manſit Heb. וַיִּשְׁכֹּן *gloria Domini ſuper montem Sinai* Exod. 24 v. 16. vel quia *habitavit ſuper arcam fœderis in medio duorum Cherubim* Exod. 26. v. 8. vel quia in cordibus credentium habitat ad eos *venturus & manſionem apud illos facturus* Joh. 14. v. 23. Eſſentiam vocant הֲוָיָה (Galat. lib. 2. de arcan. c. 3. ſcribit הויה.) à radice הוה *fuit, extitit*, à qua radice etiam nomen Jehovah deſcendit, quod tribus divinitatis perſonis ex æquo tribuitur. Galat. d. l. eſſentiam etiam vocat תּוּשִׁיָּה quæ vox extat Eſa. 28. v. 29. Mich. 6. v. 9. à rad. ישה & per apocopen יֵשׁ *fuit, extitit, eſt*. Perſonam appellant פָּנִים *facies* à rad. פנה *convertit*, quò referri poteſt illud Deut. 4. v. 37. *& eduxit te* בְּפָנָיו *facie ſua in robore magno ex Ægypto*. Targum reddidit מֵימְרֵיהּ *verbo ſuo*, quod eſt proprium nomen Filii, qui eſt ſecundæ Trinitatis perſona. Exod. 33. v. 14. פָּנַי *facies mea ibit & quietem dabo vobis*. Targum שכינתי *divinitas mea, præſentia mea ibit*. LXX. αὐτὸς *ipſemet ego ibo*, quia Filius qui Iſraelitas ex Ægypto per deſertum duxit, eſt verus Deus, unius ejuſdemque cum Patre eſſentiæ. Eſa. 63. v. 8. *Et Angelus* פָּנָיו *faciei ejus ſervavit eos*, cujus emphaticæ appellationis vim ſuo loco expendemus. Veteres Rabini tres Deitatis perſonas vocant tres מִדּוֹת *proprietates* à rad. מָדַד *menſuravit*. Quia enim proprietates diſcrimen perſonarum introducunt, ideò per tres מדות myſterium Trinitatis quandoque exprimunt, quem loquendi modum imitatur Confeſſio Wirtenbergenſis in cap. de Deo: *In hac una æterna divinitate tres eſſe confitemur per ſe ſubſiſtentes proprietates ſive perſonas.*

Vox οὐσίας.

48. 2. *Appellationes Græcæ* ſunt 1. οὐσία, 2. ὁμοούσιος, 3. ὑπόστασις, 4. ὕπαρξις, 5. πρόσωπον. 1. De voce οὐσίας notanda 1. ἐτυμολογία. Dicitur οὐσία ab ὢν quod eſt Dei nomen proprium. Exod. 3. verſ. 14. *Et dicent mihi*, quod eſt שְׁמוֹ *nomen ejus, quid dicam illis? Et dicebat DEUS ad Moſen*: אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה LXX. ἐγώ εἰμι ὁ ὤν *ego ſum qui eſt. Sic dices filiis Iſrael.* אֶהְיֶה *ero*. LXX. ὁ ὢν *miſit me ad vos. Et dicebat amplius* יהוה κύριος *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob miſit me ad vos, h. e.* שְׁמִי *nomen meum in æternum.* Johannes Apoc. 1. v. 4. & cap. 4. v. 8. ſic expreſſit, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui eſt, qui erat, & qui erit*. Confer Cyrill. lib. 1. de Trinit. 2. *Origo*. Nomen οὐσίας extat quidem in Scripturis, Tob. 4. v. 18. ἐκλιγορόμενος τὴν οὐσίαν Luc. 15. v. 12. δός μοι ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας v. 13. διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν, ſed in ea ſignificatione non accipitur in doctrinæ de Trinitate, unde Epiphan. hæreſ. 73. pag. 385. rectè ſcribit, *Eſſentiæ nomen nudo modo in V. ac N. T. non habetur, ſenſus autem & ſignificatio ubique habetur.* Baſil. Epiſt. 43. *hæc duo vocabula* οὐσία *&* ὑπόστασις *non ſunt ex phraſi Scripturæ, ſed ex communi loquendi conſuetudine ſumta.* Socrat. lib. 6. cap. 21. Sanè quidam ex veteribus conati fuêre in Scripturis hanc vocem quærere. Athana. allegat ex Jerem. 23. v. 22. *Si ſtetiſſent in ſubſtantia mea, avertiſſem eos a ſtudiis eorum peſſimis.* Nazianz. affert ex libro Sap. 16. verſ. 21. *Subſtantiam tuam & dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebas.* Sed illa teſtimonia planè ſunt peregrina. Bellarmin. itidem lib. 2. de Chriſto c. 3. ſignificationem illam, quâ in Scripturis accipitur, ad hunc articulum accommodare conatur, οὐσία (inquit) Luc. 15. *ſignificat opes paternas. Quæ autem ſunt DEI opes niſi ipſius divinitas, quæ eſt ſummum & infinitum bonum.* Sed cùm hoc coactius ſit & calumniis adverſariorum obnoxium, ſimpliciùs ſtatuitur, nomen hoc αὐτολεξεὶ in ea ſignificatione, quâ illud in myſterio Trinitatis uſurpamus, in ſacris literis non haberi. Neque tamen propterea ab Anti Trinitariis repudiari debet, primò quia res ipſa in Scripturæ habetur, quando enim Scriptura & nomen Jehova & attributa & opera & gloriam divinam Patri, Filio & Spiritui ſancto communem facit, utique eſſentiam divinam tribus hiſce communem eſſe docet, nomen enim Jehova eſt eſſentiæ notificativum ac formatur à verbo הוה *fuit, extitit*, & litera י quæ eſt formativa nominum propriorum; Attributa & opera teſtantur de divinæ eſſentia, quia attributa eſſentialia in Deo ſunt ipſa Dei eſſentia ac opera divina efficiuntur per potentiam divinam, quæ eſt ipſa Dei eſſentia, denique gloria divina utpote quædam relatio fundamenti loco reſpicit divinam eſſentiam. Secundò quia concretum hujus nominis videl. τὸ ens, & ejus radix in Scripturis habetur, ut ex cap. 3. Exod. & cap. 1. Apocal. oſtendimus. Socin. in animadv. Poſn. aſſert. 17. n. 2. *Graviter errant, qui propterea quod Deus vocetur qui erit, verbum eſſentia inde deduci affirmant. Cùm enim eſſentia aliquid quod jam ſit, vel ſignificet, vel certè perpetuò indicet, quomodo ex verbo erit quod omninò aliquid futurum ſignificat, eſſentia nomen duci poterit?* Reſp. Hebræum אהיה & in præterito, & in præſenti & in futuro verti poterit, ut ex Hebrææ linguæ idiotiſmo conſtat, unde etiam LXX. verterunt ὁ ὢν quam verſionem approbat Johannes in Apocal. cap. 1. v. 4. Nec tempora apud Deum ſuccedunt vel labuntur, ſed reſpectu noſtri æternitas vocabulis temporis continuationem ſignificantibus exprimitur; Tertiò, quia ſynonyma ejuſdem in illis habentur, ea verò ſunt θεία φύσις 2. Petr. 1. v. 4. Galat. 4. v. 8. θειότης Coloſſ. 2. v. 9. θεότης Rom. 1. v. 20. Sap. 18. v. 9. Quid verò aliud eſt divina Natura, Deitas, divinitas quàm divina eſſentia, τοῦ θεοῦ οὐσία vel θεία οὐσία; Quidam hûc referunt appellationem μορφῆς Phil. 2. verſ. 6. Chriſtus cùm eſſet ἐν μορφῇ τοῦ θεοῦ, unde Tilenus in not. ad lib. 2. Bellarmin. de Chriſto cap. 3. οὐσία, φύσις, μορφὴ *in Deo idem ſunt*. Sed ibi μορφὴ non ſignificat primò ac principaliter ipſam eſſentiam & Naturam divinam in ſe & abſolutè ſecundùm εἶναι conſideratam, ſed quatenus foràs ſuis actionibus progreditur ac humanis ſenſibus ſeſe conſpiciendam exhibet, opponitur enim ei *forma ſervi*, quæ τρόπως; & immediatè non ſignificat Naturam & efficaciam ſervi, ſed ſtatum ſervilem ad tempus aſſumtum, quâ de re alibi pleniùs. 3. ſignificatio οὐσίας vox de DEO uſurpata ſignificat numero unam & indiviſam eſſentiam tribus Deitatis perſonis communem, quæ non eſt partialiter in tribus perſonis, ita ut pars ejus ſit in Patre, pars in Filio, pars in Spiritu Sancto ſed tota eſt in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu Sancto propter infinitatem & immaterialitatem. Orthodoxus apud Athanaſ. Dial. 1. ἡ οὐσία τὴν ὑπόστασιν σημαίνει. Idem Athanaſ. in definitionibus:

Natura,

Natura, eſſentia, genus, forma unum ſunt. Damaſc. Iſagog. cap. 1. οὐσία καὶ φύσις καὶ μορφὴ κατὰ τοὺς ἁγίους πατέρας ταυτόν ἐστιν. Nicetas lib. 3. theſauri cap. 14. *Natura, eſſentia, genus & forma pro una eademq; re in Eccleſiaſticis dogmatibus capiuntur.* Damaſc. in Dial. cap. 39. οὐσία ἐστὶ πρᾶγμα αὐθύπαρκτον μὴ δεόμενον ἄλλου πρὸς σύστασιν. Idem τὸ μήδ᾽ ἄλλο, μήδ᾽ ἐν ἑτέρῳ ἔχον τὴν ὕπαρξιν ἀλλ᾽ ἐν ἑαυτῷ ὄν. Boëtius lib. de duab. Naturis Latinè *eſſentiam* interpretatur, quo pacto tranſlata eſt vox iſta Græca à Servio Flavio teſte Quintiliano lib. 3. cap. 7. & lib. 8. cap. 3.

49. *Antitheſis. Ariani* in Conc. Syrm. & Arimin. non minus voce οὐσίας quàm ὑποστάσεως abſtinendum judicarunt. Photiniani negant Deum vocari poſſe οὐσίαν eſſentiam. Tranſylvani dicunt *vocem οὐσίας à Mercurio Triſmegiſto, qui in Pimandro multa de Dei οὐσίᾳ philoſophatur acceptam & ad Chriſtiana fidei dogmata perversè traductam.* Nicol. Paruta theſ. 5. *An non longè differt eſſentia Dei ab exiſtente Deo, cùm eſſentia, ſi verè & propriè loquamur, non ſit ipſe Deus, ſed ipſius Dei attributum. Eſſentia enim vox nihil vivum intelligensvè ſignificat, non magis quàm Natura, vel divinitatis, ſed cujusq; rei ſtatum & diſpoſitionem. Et quemadmodum non dicimus Naturam & divinitatem eſſe Deum, ſic neque eſſentiam. Rectè poſſumus unam divinam eſſentiam dicere, ſicut unus eſt Deus exiſtens, ſed unam eſſe Deum eſſentiam nequaquam, hoc n. eſſet non ſolum confundere prorſus ſtatum rei cum ipſa re, ſed etiam aliud loqui quam Scriptura.* Socinus in defenſ. animadv. Poſnan. pagin. 42. adductis illis Parutæ verbis ſubjicit: *Ex his apertiſſimum eſt, ab ipſo eſſentia DEI nomen non rejici, ac præterea quid illud ſit, quod ipſe negat, in Scripturis ſanctis dici aut contineri, nempe eſſentiam eſſe Deum, vel unum eſſe Deum eſſentiam, non autem ipſum DEI eſſentia nomen.* Reſp. 1. hoc loco non illud potiſſimùm quæritur, an DEUS poſſit vocari ſua eſſentia vel οὐσία, ſed an nomen οὐσίας & eſſentiæ uſurpari in hoc myſterio poſſit, an verò ut abſurdum & à Scripturis alienum ſit penitus rejiciendum. 2. De eo potiſſimùm hîc quæritur, an de tribus diſtinctis Deitatis perſonis una communis eſſentia divina rectè prædicetur, id ſi concedunt adverſarii, ſalva res eſt, ſin negant, proferant ſuæ negationis argumenta. 3. Oſtendimus in tract. de attributis divinis propter ſummam ſimplicitatem de Deo non ſolùm nomina *concreta*, ſed etiam *abſtracta* prædicari. Sicut ergo Deus non ſolùm eſt ſapiens, ſed ipſa ſapientia, non ſolùm eſt verax, ſed ipſa veritas, non ſolùm bonitas, ſed ipſum bonum: ita quoque non ſolùm eſt ens, ſed etiam eſſentia. 4. magnum igitur imò infinitum diſcrimen occurrit in his prædicationibus, quando de tribus individuis humanis prædico humanitatem ſive humanam Naturam, & quando de tribus Deitatis perſonis prædico divinam Naturam ſive eſſentiam, unde Auguſtinus lib. 7. de Trinit. rectè pronunciat. *Eſſentia prædicatur de Patre, Filio & Spiritu S. non ut genus de ſpeciebus, nec ut ſpecies de individuis, nec ut totum de partibus, ſed alio quodam ineffabili & incomprehenſibili modo*, quod Auguſtini pronunciatum veriſſimum eſſe oſtendit collatio. Eſſentia hominum eſt nomen univerſale, quod per ſe reverâ non exiſtit, ſed cogitatione tantum colligitur & intellectu comprehenditur. Eſſentia verò in divinis non eſt quiddam imaginarium, ut genus vel ſpecies, ſed reverâ exiſtit, quamvis ſit communicabilis, quod diſcrimen annotat Chemnic. p. 1. loc. pag. 93. Eſſentia reſpectu divinarum perſonarum 1. non eſt ſpecies, quia non eo modo perſonæ Trinitatis participant eſſentiam, ſicut individua Naturam communem, ac nihil extra eam ſe diffundit, cujus ſit veluti pars, ut homo eſt ſpecies animalis, Petrus individuum humanæ ſpeciei. 2. non dicitur de multis individuis numericâ eſſentiâ differentibus, quo modo tres homines numero differre dicuntur. 3. non prædicatur in forma plurali de individuis, non enim tres perſonæ ſunt tres Dii vel tres eſſentiæ divinæ, ſicut Petrus, Paulus, Johannes, ſunt tres homines. 4. nec pluribus nec paucis perſonis competit quàm tribus, cùm eſſentia humana non ſit ad determinatum numerum perſonarum reſtricta. De uno homine non poſſum dicere, quod tota ἀνθρωπότης ſit in eo, ſed de una Deitatis perſona rectè pronunciare poſſū, quod *tota plenitudo Deitatis* ſit in ipſa Col. 2. v. 9. ratio pendet ab eſſentiæ divinæ infinitate, in trib. humanis individuis non eſt numero una eſſentia, ſed tantùm ſpecie una. Sed in trib. Deitatis perſonis eſt una numero & penitus indiviſa eſſentia. Perſonæ hum. diſtinguuntur ſubſtantia, tempore, voluntate, accidentibus animi & corporis, potentia, operatione, ſtatu, dignitate &c. Sic alia eſt ſubſtantia Petri quam Pauli, Petrus docuit ante Paulum, Petrus diſſidet à Paulo, Paulus in gentibus, Petrus apud Judæos prædicavit &c. ſed in Trinitate non ita diſtinguuntur perſonæ, Filius enim Patri eſt ὁμοούσιος, ὁμοαιώνιος, συναΐδιος, una utriuſque eſt eſſentia & potentia, una voluntas, una operatio, quæ *pater agit ταῦτα ὁμοίως etiam agit Filius* Joh. 5. v. 19. De perſonis humanis dici nequit, quod una ſit in alia, ſed de ſe & Patre Chriſtus dicit Joh. 14. v. 10. *Ego in Patre, & Pater in me.* De perſonis humanis dici nequit, quod propter Naturam communem ubi eſt una perſona, ibi ſit etiam altera, quia localiter ſunt diſtinctæ. Sed de ſe & Patre Chriſtus pronunciat Joh. 8. verſ. 29. *Pater non relinquit me ſolum.* De perſonis humanis dici nequit, quod propter Naturam communem, qui honorat unam, honorat etiam alteram, quin potiùs una poteſt honorari, altera interim ignominiâ affici, ſed de ſe & Patre dicit Chriſtus Joh. 5. verſ. 23. *Qui non honorat Filium, is nec Patrem honorat.* 5. impiæ & blaſphemæ ſunt illæ aſſertiones Parutæ, *quod longè differat eſſentia Dei à Deo exiſtente* (hoc enim perinde eſt ac ſi quis velit dicere, ſapientiam Dei differre à Deo ſapiente, bonitatem Dei à Deo bono) *quod eſſentia vox nihil vivum intelligensvè ſignificet, non magis quàm Natura vel divinitatis.* (Atqui eſſentia divina, Natura divina ac divinitas nihil aliud realiter ſunt quàm ipſe Deus, quem negare eſſe Ens vivum & intelligens, eſt Deum ipſum negare) *quod non poſſumus dicere Naturam & divinitatem eſſe Deum*, (ut enim Deus eſt ſua bonitas, ſua ſapientia, ſic etiam eſt ſua Natura ſua divinitas, ſua eſſentia.)

50. 2. ὁμοούσιος. De hac voce notanda 1. ἐτυμολογία. Ambroſ. lib. 3. de fide cap. 7. monet, *hoc nomen nō eſſe à Scripturis alienum*, cùm formetur ab οὐσίᾳ eodem ferè modo, quo περιούσιος Tit. 2. v. 14. & ἐπιούσιος Matth. 6. v. 11. Luc. 11. v. 3. Dicitur ab ὁμοῦ & οὐσίᾳ, quòd eſſentia una & *Vox ὁμοούσιος.*

indiviſa

indiviſa æqualiter illis perſonis competat, quæ dicuntur ὁμοούσιοι. Ariani unicâ duntaxat litera inſertâ vim & efficaciam hujus vocis intervertere conabantur, dicentes Filium eſſe Patri non ὁμοούσιον ſed ὁμοιούσιον *ſimilis, non ejuſdem eſſentiæ.* 2. *Origo.* Ariani graviter accuſabant veteres Catholicos, ob novi hujus nominis in Concilio Niceno introductionem, eoſdemque vocabant *homouſianos.* Illis pii veteres dupliciter reſpondebant. Primò quidam oſtendere conati ſunt etiam ante Concilium Nicenum fuiſſe illud in uſu Eccleſiæ. In Hiſtoria Prochori, qui fuit unus ex ſeptem Diaconis Act. 6. v. 5. Stephani protomartyris conſobrinus (quæ extat in orthodoxographis Patrum tom. 1. p. 85.) habetur vox ὁμοουσίου τριάδος, ſed illa Prochori Hiſtoria eſt autoris recentioris, neque enim φράσις nec narrationis δεινότης Apoſtolicæ majeſtati reſpondet. Sunt qui exiſtimant, Prochori narrationem eſſe librum illum, qui ſub nomine *Circuitus Iohannis* inter apocrypha ab Athanaſio in ſynopſi recenſetur. Habet multa fabuloſa, utpote Johannem *cùm ei forte obtigiſſet Aſia, graviſſimè id tuliſſe ac vehementer ingemuiſſe ſeq́; ad pedes aliorum Chriſti Apoſtolorum abjeciſſe*, quod tanto Apoſtolo indignum. Item poſtquam *Iohannes ex olla olei ferventis illæſus exiviſſet, à fidelibus qui illic aderant, templum in ejus honorem fuiſſe conſtructum*, quod Domitianus perſecutor nunquam permiſiſſet. Sub nomine Juſtini, qui ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo vixit, extat liber cui titulus: ἔκθεσις πίστεως περὶ τῆς ὁμοουσίου τριάδος. Sed eum Juſtini eſſe eruditi dubitant, quorum ſententiam probamus 1. *ex ſtylirationе.* Stylus in eo libro nitidior eſt quàm in parænеticis & Apologeticis ad Græcos & in agoniſticis ad Tryphonem teſte Sylburgio. 2. *ex allegationis omiſſione.* Euſebius, Hieronymus, Photius, Honorius meminiſſent utique hujus libri, cum illis temporibus multùm ad certamina de Trinitate Juſtini autoritas conferre potuiſſet, cumq́ue alias ſcriptorum, quæ Juſtinus reliquit, catalogum conſcripſerint. Leontius Hieroſolymitanus & Euthymius, Zigabenus in ſeculo ſexto ejus libri mentionem faciunt, ex quo conjectura oritur, ſcriptum eſſe circa annum 400. 3. *ex contentorum conſideratione.* Voces, οὐσίας & ὑποστάσεως in illo libro ſæpius diſtinguuntur & explicantur. At ſi hic liber eſt Juſtini, mirum alicui haud immerito videatur, Gregorium Nyſſenum Baſilii Magni fratris ſui admonitionem hac de re eguiſſe, ac Baſilium de hoc argumento prolixè ad fratrem ſcribentem nullam ejus libri mentionem feciſſe. Vocabulum μονάδος τριάδος & alia hujus doctrinæ nondum adeo in Eccleſia erant uſitata, itaque nuſpiam illorum in γνησίοις & indubitatis Juſtini ſcriptis fit mentio, cùm tamen doctrinam de Deo Patre, Filio, & Spir. S. aliquoties ex profeſſo tractet: *Multò apertius* (inquit Chemnicius) *& diſtinctius differit de myſteriis Trinitatis & incarnationis, quàm ſcriptores ejus ſeculi facere ſolent.* In principio ἐκ θ. à Patrũ *doctrinis ſe de Deo eruditum dicit*, cùm Juſt. in Epiſt. ad Diogn. ſe *Apoſtolorum diſcipulum* appellat. In fine diſcrimen inhabitationis Λόγου in carne & inhabitationis ejuſdem in aliis rebus creatis latè explicatur, ex quo colligitur, poſt Neſtorii controverſiam in Eccleſia motam, librum hunc fuiſſe confectum. 4. *ex autorum teſtificatione.* Philippus in Epiſt. ad Camer. Perionius, Sylburgius, Chemnicius de lect. Patr. Bellarmin. de ſcript. Eccleſiaſt. &c. de eo dubitant. Athanaſ. in Epiſt. de ſent. Dionyſii Alexandrini refert, Dionyſium Alexandrinum in Apologia ad Dionyſ. Rom. hoc nomine eſſe uſum lib. de decret. Syn. Nicen. adducit teſtimonia utriuſque Dionyſii, Theognoſti & Origenis. in libr. de Synod. Arimin. & Seleuc. dicit Concilium Nicenum eſſe uſum iis vocibus, quibus majores uſi fuerant. Secundò. Quidam verò fatentur, hoc nomen à Concilii Niceni Patrib. primùm fuiſſe uſurpatum, ſed repudiari non p ſſe, cùm res ipſa in Scripturis contineatur. Auguſt. tract. 97. in Johan. *Adverſus impietatem Arianorum hæreticorum novum nomen Patres homouſion condiderunt, ſed non rem novam tali nomine ſignaverunt, hoc enim vocatur homouſion, quod eſt, Ego & Pater unum ſumus, unius videlicet ejuſdemq́; ſubſtantiæ.* lib. 3. contra Maxim. c. 14. *Verbum illud ὁμοούσιος adv. hæreticos Arianos veritatis autoritate & autoritatis veritate firmatum eſſe ſcribit.* Tertiò. Ambroſius lib. 3. de fide cap. 7. monet, Patres Conc. Nic. occaſionem hujus nominis uſurpandi acecpiſſe ex verbis Euſebii Nicomedienſis hæretici Ariani, qui in quadam Epiſtola ſcripſerat. *Si verum Dei Filium & increatum dicimus, homouſion cum Patre incipimus confiteri.* Hæc, ait Ambroſius, *cùm lecta eſſet in Niceno Concilio Epiſtola, hoc verbum in tractatu fidei poſuerunt Patres, quod viderunt adverſariis eſſe formidini.*

51. 3. *Significatio.* Quemadmodum Chriſtus divino planè artificio tùm eſſentiæ unitatem, tùm perſonalem diſtinctionem exprimit, quando Johan. 10. v. 30. de ſe & Patre dicit: *Ego & Pater unum ſumus.* Per *id, quod ait unum, Arium perculit, per illud quod ait ſumus, Sabellium ſtravit, cùm nec ſumus de uno, nec unum diceret de diverſo.* Auguſtin. lib. de quinque hæreſ. cap. 7. ſic nomen ὁμοούσιος utrumque complectitur, quod Filius ſit diſtincta à Patre perſona, ac quod ſit unius ejuſdemq́ue cum Patre eſſentiæ. Ambroſius l. 3. de fide cap. 7. *Rectè homouſion Patri Filium dicimus, quia verbo eo & perſonarum diſtinctio & Naturæ unitas ſignificatur.* Idipſum latius exponit Athanaſius in lib. de decret. Synodi Arim. & Seleuc. ubi monet, homouſios *non dici de illis, quæ quomodocunque habent unam eſſentiam, ſed de illis tantum, quorum unum eſt ab altero & ab illo recipit eandem eſſentiam.* Sabellius fatebatur, Patris & Filii eſſe eandem eſſentiam, ſed negabat Filium eſſe à Patre ab æterno genitum, & perſonaliter ab eo diſtinctum. Arius fatebatur Filium eſſe à Patre & perſonaliter ab eo diſtingui, ſed negabat eandem per generationem à Patre eſſentiam accepiſſe, utrique igitur oppoſitum fuit à Concil. Nic. nomen ὁμοούσιος. Epiphanius in ancorato monet, aliud eſſe συνούσιον, aliud ὁμοούσιον; illud ſignificat *unitatem ſine diſtinctione*, hoc verò ſignificat *unitatem cum diſtinctione unius ab alio.* Alii ex veteribus tradunt diſcrimen eſſe inter ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον. Item inter ὁμοούσιον ac ἑτερούσιον, ut per ὁμοουσίαν non tantùm ſimilis ſed æqualis imò numero eadem eſſentia, potentia, æternitas, voluntas, operatio & majeſtas intelligatur. Vide loc. §. 33.

52. 4. *Antitheſis.* 1. *Ariani* nomen ὁμοούσιος oderant vel maximè, ideò omnes alias voces tolerabant præter iſtam, quia ſcil. hanc non poterant ad ſuum hæreticum ſenſum detorquere.

Athana-

Athanaſ. in lib. de decr. Synod. Nicenæ. Theod. lib. 2. Hiſt. cap. 18. & 19. Tripart. lib. 5. cap. 21. & 33. traduot, *Arianos à Catholicis petiiſſe, ut unam ſaltem vocem omitterent, quæ nec in Scriptura, nec in Symbolo Apoſtolico habetur, vel ſaltem unam literam omitterent, & pro ὁμοούσιος dicerent ὁμοιούσιον, ſic pacem cum Catholicis ſe culturos* ſunt polliciti. Sed Catholici rectè hoc recuſarunt. Cùm verò in Concilio Ariminenſi ſimpliciores ab Arianis decepti nomen ὁμοούσιος eſſe tollendum conſentirent, mox Ariani toto orbe decreverunt, Catholicos in ſuas partes tranſiiſſe ac temporis progreſſu pro ὁμοιούσιον ſubſtituerunt ἑτεροούσιον. Theodor. lib. ejuſd. cap. 21. Samoſatenum ann. 266. habiti diſertè negaverant, idque ante natam Arii hæreſin, Filium eſſe Patri homouſion, unde quibuſdam etiam orthodoxis & fidem Nicenam amplectentibus hoc vocabulum inſolentius ac periculoſius fuit viſum. Sed Athanaſius in lib. de decret. Synodi Nicen. mone[illegible] *alio ſenſu à Patribus Nicenis & aliis orthodo[illegible] fuiſſe receptum, alio ſenſu à Patribus Antioche[illegible] rejectum.* Samoſatenus enim Filium Patri dicebat ὁμοούσιον tantùm *juxta ſpeciem*, non *ſecundùm numerum*, ſicut Petrus eſt Paulo ὁμοούσιος propter eandem ſpecie humanitatem. Sed Synodi Nicenæ Patres Filium vocant Patri ὁμοούσιος ſecundùm ac propter eandem numero eſſentiam divinam. Inde Hilar. in lib. de Synod. circa fin. ſcribit: *Male homouſion Samoſatenus confeſſus eſt, ſed nunquid melius Ariani negaverunt? Octoginta Epiſcopi olim reſpuerunt, ſed trecenti de[illegible] & octo nuper receperunt. Illi contra hæreticum improbaverunt, nunquid & iſti non adverſum hæreticum probaverunt? ſi & probando & improbando unum utrique ſtatuerunt, quid benè conſtituta convellimus?* 3. *Pontificii* Luthero tribuunt quod ſcripſerit, *animam ſuam odiſſe nomen ὁμοούσιον* unde eo nomine Arianiſmi eum peragunt reum. Bellarmin. præfat. cont. de Chriſto §. Sed mittamus. in jud. de lib. concord. mend. 3. Poſſevinus l. 3. de notis verbi Dei p. 68. Campian. rat. 8. Gregor. de Valent. in lib. de unit. & Trinit. cap. 7. p. 146. (quorum verba adduxim[illegible] [illegible]e Naturâ Dei §. 23. & Diſp. 4. de glo[illegible] [illegible].1.) Eandem orbitam terit Calviniſta [illegible]genſis Johannes Lampadius in Cenſ. Ubiquit. cap. 6. pag. 45. ſic ſcribens: *Nos non tantùm ὅμοιον ſed etiam ὁμοούσιον quanquam hoc vocabulum Luthero diſplicet, cùm ait: Anima mea odit verbum ὁμοούσιον, Chriſtum confitemur.* Reſp. 1. Bellarminus lib. 2. de Chriſto cap. 3. refert, Patres Concilii Antiocheni negaſſe Filium eſſe Patri ὁμοούσιον, ac nihilominus eos rectè ſenſiſſe, nec Arianæ hæreſeos affines fuiſſe. 2. Luther. in lib. de Conc. & Eccleſ. tom. 7. Jen. Germ. fol. 243. vocem homouſios in explicatione hujus myſterii non tantùm uſurpat, ſed etiam pro eadem ſtrenuè pugnat. 3. in confut. rationum Latomi tom. 2. oper. Latin. fol. 407. non *abſolutè & categoricè*, ſed *ſecundùm quid & certo reſpectu* dicit. *Quod ſi anima mea odit nomen homouſios.* 4. diſertè ibidem addit non de re, ſe de ipſo vocabulo ſeſe agere, *modo rem teneam*, inquit, *in Concilio per Scripturas definitam, hæreticus non ero.* 5. Lampadii calumniæ meritò opponitur Thomæ Mortoni Angli patrocinium, quod Luth. præfat. lib. 1. Apol. Cathol. c. 51. Vid. loc. d. §.

53. 3. ὑπόστασις. Hujus vocabuli itidem notanda 1. ἐτυμολογία. Dicitur ὑπόστασις ab ὑφίστασθαι *ſubſiſtere, firmiter ſtare.* Neque verò opus eſt varias hujus vocabuli ſignificationes recenſere, cùm eæ nullam habeant cognationem cum ſignificatione ea, in qua h. l. uſurpatur, niſi quis huc referre velit, quod Ariſt. lib. de mund. diſtinguit inter μετέωρα ἐμφατικὰ & ὑποστατικά. 2. *origo.* In Scripturis ſacris nomen ὑποστάσεως haberi dubium nullum, cùm *de firma fiducia* & immota animi confidentia uſurpetur 2. Cor. 6. v. 4. c. 11. v. 16. Hebr. 3. v. 14. cap. 11. v. 1. &c. id verò in quæſtione eſt, an in ea ſignificatione uſurpetur, quam in Trinitatis myſterio obtinet? Cùm autem nullus Scripturæ locus afferri poſſit, qui veriſimili quadam ratione illud probet, niſi is qui extat Heb. 1. v. 3. Filius eſt χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ Πατρὸς, inde quæſtionis ſcopus eò redit, an in loco illo Apoſtolico ὑπόστασις in ea ſignificatione uſurpetur, in qua nomen perſonæ in explicatione hujus articuli accipitur? Affirmant ex Pontificiis Bellarmin. lib. 2. de Chriſto cap. 4. Ribera in cap. 1. Hebr. p. 59. Salmeron tom. 2. tract. 11. p. 103. ex Calvinianis Calv. 1. Inſtitut. cap. 13. ſect. 1. Zanch. 1. de trib. Elohim cap. 2. Urſin. p. 2. Catech. q. 25. & alii complures. Verba Calvini ſic habent: *Pro eſſentia, accipere hypoſtaſin Hebr. 1. v. 3. non durum modo ſed abſurdum quoque eſt, cùm enim ſimplex & individua ſit Dei eſſentia, qui totam in ſe continet, neque portione aut defluxu ſed integrâ perfectione, impropriè imò ineptè dicetur ejus character.* Ex quibus Calvini verbis primum hujus ſententiæ argumentum ἀνασκευαστικὸν peti poteſt *à Natura divina eſſentia* deductum, ea enim cùm ſit ſimpliciſſima & penitus indiviſa, ideò Filius non videtur dici poſſe character eſſentiæ paternæ. Eſſentia Filii non eſt ſimilis eſſentiæ Patris, ſed prorſus eadem, ergo eſſentiæ reſpectu non poteſt Filius dici χαρακτὴρ ſive expreſſa eſſentia Patris. Alterum argumentum ἀνασκευαστικὸν peti poteſt *à Patris & Filii ὁμουσίᾳ*, in quo & cujus reſpectu Pater & Filius ſunt ſimpliciſſimè unum, in eo & illius reſpectu Filius non poteſt dici character Patris, quia character & imago non poteſt dici ratione ſuiipſius. Atqui in eſſentia & reſpectu eſſentiæ Pater & Filius ſunt ſimpliciſſimè unum. Ergo. 3. *ab abſurdo.* Si Filius dicitur imago eſſentiæ Patris, tùm eſſentia Patris erit exemplar imagini reſpondens, quia imago non dicitur ad ſe, ſed diſtinguitur ab exemplari, ut res producta à producente, ac Filii eſſentia non erit ipſa Patris eſſentia. At poſterius abſurdum, quia eſſentia Patris non eſt illud exemplar, cui correlatè reſpondet Filii imago, ſed eſt potius tertium illud ſive fundamentum, in quo exemplar & imago conveniunt. Καταστευαστικὰ argumenta hæc ſunt: 1. *à propria hujus vocis ſignificatione.* ὑπόστασις propriè & in nativa ſua ſignificatione notat aliquid ſubſiſtens ac diſtinguitur ab οὐσίᾳ, quæ Naturam pluribus individuis communem deſignat. Atqui veroſimile non eſt, Apoſtolum hanc nativam vocis ſignificationem confundere voluiſſe. 2. *à Scopi Apoſtolici conſideratione.* Apoſtolus emphaticâ appellatione Chriſtum vocat *characterem*, h. e. expreſſam & perfectam imaginem. Jam verò ipſum nomen imaginis deducit nos ad cogitationem de correlato. Imago enim non eſt ſuiipſius imago, ſed alterius. Auguſt. lib. 7. de Trinit. cap. 1. *Imago eſt nomen perſonale, cùm imago non dicatur ad ſe, ſed ad aliud.*

Vox ὑπόστασις.

Exegeſis.

Filius ergo dicitur imago Patris, quia quicquid Pater habet proprium, id in Filio eſt expreſſum, qui cùm ſit à Patre genitus, ideò character perſonæ Patris dicitur. 3. *ex Chriſti filiatione.* Chriſtus ſecundùm Deitatem ſive ὁ Λόγος illius eſt imago, cujus eſt Filius, inde enim atque ideò eſt imago Patris, quia ab æterno eſt à Patre genitus exprimens perfectè & plenè eum à quo genitus eſt. Jam verò ὁ Λόγος eſt Filius non eſſentiæ ſed perſonæ Patris, quia perſona propriè loquendo generat non eſſentia. Ergo etiam perſonæ, non eſſentiæ imago dicitur. 4. *ex loci Apoſtolici collatione.* Quo ſenſu ac modo Filius dicitur *imago Dei inviſibilis* Coloſſ. 1. v. 15. eo ſenſu ac modo dicitur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως. Jam verò Filius dicitur imago Dei inviſibilis reſpectu perſonæ, quia perſona Patris eſt illud correlatum, cui Filius dicitur ſimilis. E. 5. *ex connotata relatione.* Quicquid in divinis relativè dicitur & originem ſeu proceſſionem ſignificat, illud eſt perſonale & dicitur cum relatiooe ad perſonam. Imago dicitur relativè, quia refertur ad perſonam, & ſignificat originem à quo ſeu proceſſionem ex quo. Ergo. 6. *ex veterum teſtificatione.* Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus & Oecumenius in comment. h. l. Nyſſenus in lib. de different. eſſentiæ & ſuppoſiti. Thom. p. 1. q. 35. art. 1. ita ſtatuunt, quam ſententiam etiam quidam ex noſtris ſequuntur. D. Hûter. in loc. de Deo, Dn. D. Meiſner. p. 2. ſobr. Phil. 417. Gravver. in exam. Sophiſtic. p. 20. &c.

54. Contra verò D. Chemnic. p. 1. loc. p. 88. *Vocabulum ὑπόστασις* (inquit) *extat quidem* Heb. 1. v. 3. *ſed aliter uſurpatur, quam nunc Eccleſia eo utitur, quod enim nunc uſitatè in Eccleſia vocamus οὐσίαν, ibi ὑπόστασις appellatur.* Idem ſtatuit Dn. D. Mentzerus tom. 3. diſp. Giſſenſ. Diſp. 4. th. 58. pro qua ſententia hæ rationes afferri poſſunt. 1. *ex ipſa vocabuli ſignificatione.* 2. Cor. 9. verſ. 4. Hebr. 3. v. 14. cap. 11. v. 1. verti poteſt pro *ſubſtantia* ſeu argumento & ſulcimento gloriationis ac rerum ſperaodarum, ſed pro perſona accipi nequit. 2. *ex textus Apoſtoli connexione.* Quo modo ac ſenſu Filius dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης, eo modo ac ſenſu etiam vocatur χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως. Jam verò δόξα Patris non notat perſonam ejus ut à Patre diſtinguitur, ſed æternam ac divinam ejus majeſtatem & gloriam. Ergò nec hypoſtaſis notat perſonam Patris, ut ab eſſentia diſtinguitur. 3. *ab imaginis conditione.* Filius eſt χαρακτὴρ Patris in eo, in quo eſt Patri quàm ſimilimus vel potius æqualis & cum Patre ſimpliciſſimè unum, non in eo, in quo à Patre diſtinguitur. Imago enim & character eſt ſimilitudinis. Jam verò Filius eſt Patri ſimilis vel potius æqualis, imò cum Patre ſimpliciſſimè unum in eſſentia, gloria, potentia ac majeſtate, quam eandem habet cum Patre communem, non in perſona quam habet à Patre verè & realiter diſtinctam. Inde atque ideò Filius dicitur *imago Patris*, quia ut Pater eſt verus Deus, æternus, omnipotens, omniſapiens, ita quoque Filius eſt verus Deus, æternus, &c. atqui Deitas, æternitas, omnipotentia pertinent ad eſſentiam, non ad notionem hypoſtaticam. 4. *à denominationis ratione.* Filius ideò dicitur *imago Patris* non ſolùm, quia Patris conſilium de ſalute noſtra nobis patefacit, ſed etiam quia ἐν ἑαυτῷ ὅλον δεικνύει τὸν γεννήσαντα. Baſil. in cap. 1. Joh. *totam eſſentiam Patris in ſe exprimit, in ipſo Patrem videmus &c.* Vide loc. de Deo Patre & Filio §. 159. Atqui hæc non pertinent ad perſonam, juxta quam à Patre diſtinguitur, ſed ad communem imò unam utriuſque Naturam. 5. *ab uſitata in Eccleſia appellatione.* Filius dicitur imago Patris eſſentialis, ſubſtantialis, naturalis, non autem imago perſonalis. Ergo non perſonæ ſed Naturæ reſpectu ſic appellatur. 6. *à vulgata verſione*, quæ reddidit, quod Filius ſit imago ſubſtantiæ Patris, non perſonæ vel ſubſiſtentiæ Luth. ſeines Weſens 7. ex Syr. verſione, quæ habet vocem ואיתותה *eſſentia*, ut & Arabica, quæ habet vocem זיא *ſplendoris, lucis, jubaris*, 8. *ex veterum teſtificatione.* Epiphan. lib. 2. tom. 2. hæreſ. 69. hypoſtaſin in loco illo Apoſtolico exponit *per eſſentiam.* Baſil. Epiſt. 43. Cyrill. dial. 1. de Trinit. Trip. lib. 6. cap. 21. *hanc vocem non ex Scriptura phraſi, ſed ex communi loquendi conſuetudine ſumtam aſſerunt.*

55. Pro deciſione quæſtionis repetimus 1. diſtinctionem in loc. de Nat. Dei §. 34. traditam *inter perſonam & perſonalitatem.* Vox hypoſtaſeos Hebr. 1. v. 3. non ſignificat *perſonalitatem* ſeu perſooalem proprietatem formaliter acceptam, ſed perſonam, h. e. eſſentiam Patris charactere hypoſtatico inſignitam, ut ſit ſenſus. Filius eſt character hypoſtaſeos Patris, h. e. primæ perſonæ, quæ eſt Pater. Dicitur autem imago perſonæ Patris, non quia perſonam Patris ſibi communicatam habet, ſed quia eandem numero eſſentiam habet, quàm Pater. Quidam hanc diſtinctionem ſic efferunt. Perſonæ vox ſumitur vel *materialiter & concretè* pro perſona eſſentiam habente, vel *formaliter & præciſè*, ut diſtinguitur ab eſſentia & eſt idem quod perſonalitas. Priori ſenſu Filius dicitur imago perſonæ Patris, non autem poſteriori. 2. Diſtinguendum inter imaginis *Correlatum & Fundamentum.* Correlatum propter quod Filius dicitur imago ac character Patris eſt perſona Patris, ut probant argumenta prioris ſententiæ, ſed fundamentum, ratione cujus Filius dicitur imago Patris eſt eſſentia Patris per æternam generationem Filio communicata, ut probant argumenta ſententiæ poſterioris, inde in Syriaca Epiſtola Conc. Epheſini ad Neſtor. dicitur, *quod Filius propter unam eandemq; ſubſtantiam imago & character ſplendor gloriæ Patris exiſtat.* Quemadmodum igitur de voce ὁμοούσιος diximus, eam & eſſentiæ unitatem & perſonalem diſtinctionem ſimul exprimere, ita quoque vox characteris & imaginis reſpicit & perſonam Patris tanquam ſuum correlatum & eſſentiam Patris tanquam fundamentum & quaſi formale ſimilitudinis. Nazian. orat. 5. de Filio tom. 1. p. 165. *Filius dicitur imago Patris tanquam ejuſdem eſſentiæ cum Patre, cùm Filius à Patre ſit, non Pater à Filio*, inde Scholaſtici diſputant, *De ratione imaginis eſſe non tantùm ſimilitudinem, ſed etiam originem, non enim ovum dicitur imago alterius ovi, licet ſit ibi quædam ſimilitudo, quia non eſt de illo expreſſum.* Sed nec quælibet ſimilitudo ex altera expreſſa propriè loquendo eſt imago, ſed duntaxat illa ſimilitudo, quæ vel ſecundùm ſpeciem vel ſecundùm proprium accidens ex altero eſt expreſſa. Si enim ſecundùm genus duntaxat ſimilitudo ſit expreſſa, non dicitur propriè imago, v. g. vermiculus ex homine oritur, ſed imago hominis nõ dicitur, quia eſt ſimilitudo duntaxat ſecundùm gen᷑. Similiter ſi ſimilitudo expreſſa ſit ſecundùm

com-

commune accidens, imago propriè non dicitur v. g. ſi album aliquod producatur ad ſimilitudinem alterius albi, non poteſt propriè dici, quod ſit ad alterius albi imaginem productum, quia albedo eſt commune accidens, non ſolùm multorum individuorum, ſed etiam multarum ſpecierum. Filius autem rectè dicitur imago Patris, quia eſt ibi expreſſa ſimilitudo ſecundùm ſpeciem. Quare cùm in divinis Filius ſit expreſſa ſimilitudo Patris non ſecundùm ſpeciem tantùm ſed ſecundùm eandem numero eſſentiam, inde conſequitur, Filium eſſe perfectiſſimo & maximè proprio modo Patris imaginem. 3. Aliud eſt loqui de *perſona*, aliud de *charactere perſonæ*. Filius non eſt perſona Patris, quia Pater non communicavit Filio perſonam, nec eſt eadem Patris & Filii perſona, ſed eſt character perſonæ Patris, quia exactiſſimè refert perſonam Patris, inde ſcil. atque ideò, quia in ſua perſona eandem numero eſſentiã habet quàm Pater, ut Pater *vitam habet in ſeipſo, ita quoque Filius vitam*. h. e. eſſentiam vivificam *habet in ſeipſo* Joh. 5. v. 26. *adeoque omnia habet, quæ Pater habet* Joh. 16. v. 15. 4. Imago ἀμέσως reſpectum habet ad *perſonam*, quia imago quatenus talis eſt vocabulum relativum, ἐμμέσως reſpectum habet ad *eſſentiam*. Quia enim Filius in divinis nõ quovis modo, non accidentaliter, non imperfectè, ſed modo perfectiſſimo eſt ſubſtantialis Patris imago, ideò requiritur ut unam eandemque cum Patre habeat eſſentiam. Ad rationem cujuscunque imaginis in genere acceptæ ſufficit, eſſe quandam ſimilitudinem inter exemplar & imaginem illi correſpondentem, ſed ad rationem perfectiſſimæ illius imaginis, quam in Filio reſpectu Patris Scriptura collocat, requiritur identitas eſſentiæ in Patre & Filio, ideò ἐμμέσως & conſeq. ad eſſentiam Patris nomen imaginis reſpectum habet. Thom. p. 1. q. 35. art. 2. *Dupliciter alicujus imago in aliquo reperitur, velut in re ejuſdem Naturæ, velut in re diverſa Naturæ, ſicut imago hominis in ligno, figura Regis in denario. Prior eſt perfecta & eſſentialis, poſterior imperfecta & accidentalis, ad priorem requiritur ὁμοουσία, ad poſteriorem verò minimè.*

56 Bellarm. lib. 2. de Chriſto c. 4. etiam hûc accommodat illa Scripturæ loca, in quib. de fiducia & gloriatione nomen ὑποστάσεως uſurpatur 2. Cor. 9. v. 4. c. 11. v. 16. Heb. 3. v. 14. c. 11. v. 1. *his*, inquit, *locis explicatur nomen hypoſtaſis in genere ſignificare fundamentum ſeu baſin, quæ alia ſuſtentat & ipſa per ſe ſubſiſtit, ac fides dicitur hypoſtaſis, quia eſt fundamentum juſtitiæ & non ſolùm ipſa per ſe exiſtit, ſed etiam dat reb. ſperatis ſubſiſtentiam, quæ enim ſperamus, in ſe non ſunt, ſed per fidem jam quodammodo exiſtere videntur, hinc etiam accommodatur ad ſuppoſitum ſeu perſonam, quæ eſt fundamẽtum Naturæ & omnium quæ ad Naturam conſequuntur, omnia enim in perſona exiſtunt & ipſa per ſe exiſtit.* Idem approbat quidam ex noſtris in cõm. c. 1. Hebr. p. 21. *Vox* ὑπόστασις inquit, *quando vel ſubſtantiis inanimatis vel accidentibus tribuitur, quandam ſignificat ſubſiſtentiam*, unde etiam Hebr. 3. v. 14. & cap. 11. v. 1. *quandam ſubſiſtentiam ſignificat, ſiquidem & ſuo ac certo modo fides ſubſiſtentia dici poteſt.* Sed cùm ὑπόστασις in adductis locis rectius explicetur per firmam fiduciam & confidentiam, cumque fides non faciat res per ſe ſubſiſtere, nec ipſa per ſe ſubſiſtat, ideò ſimplicius reſpondetur, aliter accipi nomen ὑποστάσεως, quando de reb. inanimatis vel accidentib. uſurpatur, aliter verò quãdo de ſubſtantia intelligente prædicatur, ut exempla etiam in profanis ſcriptorib. oſtendunt. Majori fortaſſis veriſimilitudine hûc referri poſſet, quod Sap. 16. v. 21. dicitur ὑπόστασις σου *tuam in filios oſtendebat dulcedinem*, h. e. tu ipſe eam oſtendebas, & quod Job. 22. v. 20 dicitur: *Si non ſucciſa fuit* קמנו *ſubſiſtentia noſtra* LXX. ὑπόστασις, ſed ibi videtur eodem modo accipi quo οὐσία Luc. 15. v. 12. *pro facultatibus* ſcilic. quomodo etiam Jud. 6. v. 5. uſurpatur. Cæterum ut in ipſa Scriptura veſtigia extant illius ſignificationis, in qua vox ὑποστάσεως in hoc articulo uſurpatur, ita quoq; in antiquiſſimo ac perpetuo Eccleſiæ uſu eadem recepta invenitur. Ut n. prætermittam Dionyſ. lib. de div. nom. c. 1. Juſtin. in ἐκθέσει πίστεως τρεῖς ὑποστάσεις dixiſſe tres Deitatis perſonas, cùm de illorum libris an genuini ſint, non omninò nulla ſuperſit dubitatio, Athanaſius in Symbol. & in Epiſt. de Syn. Nicen. decret. Naziantz. orat. de Epiph. & omnes Græci Patres hoc vocabulo in explicatione hujus myſterii utuntur. Quod ergo Socrat. lib. 3. cap. 5. Sozom. l. 5. c. 11. Niceph. lib. 10. c. 13. ſcribunt, *Hoſium Cordubenſem in diſputatione de Filii Deitate primùm hujus nominis mentionem feciſſe*, id de accurata οὐσίας & ὑποστάσεως, diſtinctione accipiendum. Eodem ſenſu intelligendum, quod Socrates l. 6. Tripart. cap. 21. docet, *vocem* ὑποστάσεως *tempore Athanaſii in Græca Eccleſia primùm fuiſſe receptam.*

57. 3. *Significatio.* ὑπόστασις hoc in loco eſt ſubſiſtens individuum, intelligens, incomunicabile, non ſuſtentatum ab alio. Scholaſtici dicunt, hypoſtaſin ſignificare *primam ſubſtantiam*, quam in genere vocamus *ſuppoſitum*, & in Natura intelligente *perſonam*, unde inter eſſentiam & perſonam duplex diſcrimen conſtituunt, 1. *à priori* quod eſſentia ſignificetur per modum formæ totalis in alio exiſtentis, hypoſtaſis verò ſignificetur per modum totius, quod non in alio ſed in ſe & per ſe exiſtit, illa enim ſubſiſtere dicimus, quæ non in alio ſed in ſe exiſtunt, ex quo ulterius colligunt, hypoſtaſin non addere ad eſſentiã aliquem gradum Naturæ aut actum, ſed ſolùm eſſendi modum. 2. *à poſteriori*, quod eſſentia ſit communicabilis, hypoſtaſis v. incommunicabilis, quod enim eſt in ſe, ſive quod per ſe ſubſiſtit non poteſt eſſe in alio, cùm eſſe in alio ſit non eſſe in ſe, ex quo colligunt hypoſtaſin ſuperaddere eſſentiæ proprietatem aliquam, h. e. aliquid ſeu aliquem modum ratione cujus fiat incommunicabilis. Sed hęc omnia rectè ſunt explicanda, ne ſcil. *excluſivè* accipiantur, q. hypoſtaſis ſit *tantùm* modus ſubſiſtendi, aliud enim eſt ὑπόστασις, aliud τρόπος ὑποστάσεως, ſicut aliud eſt perſona, aliud perſonalis proprietas; ὑπόστασις perſona eſt ipſa eſſentia divina certo charactere hypoſtatico inſignita ac proprio ſubſiſtendi modo à reliquis diſtincta. Τρόπος ὑποστάσεως: proprietas perſonæ eſt propria ſubſiſtendi ratio, per quam & cujus ratione quælibet perſona ab altera diſtinguitur. Id quidam ſic efferunt, nomen ὑποστάσεως accipi vel *materialiter & concretè*, vel *formaliter*, *abſtractè & præcisè*, ut ſuperiùs etiam oſtendimus. Baſil. Epiſt. 43. Nyſſ. in lib. de differ. eſſent. & hypoſt. Damaſc. lib. 3. orth. fid. cap. 3. ex veteribus docẽt, *tale eſſe diſcrimen inter eſſentiam & hypoſtaſin, qualis eſt inter ſpeciem & individuum ſive inter humanam Naturam & hominem in individuo* v. g. Pe-

trum. Theodor. Dial. 1. tom. 2. p. 297. ait: *eſſentiam & perſonam differre ut commune & proprium, vel ut genus ac ſpeciem ac individuū*, quod latius explicat Damaſc. lib. de duab. voluntatibus Chriſti p. 470. id verò itidem rectè accipiendum neq; ultrà mentem ipſorum extendendum, ipſimet enim monent Naturam ſive eſſentiam divinam tribus Deitatis perſonis cōmunem non eſſe tantùm *ſpecie una*, ſicut in Petro, Paulo & Johanne eſt una ἀνθρωπότης, ſed eſſe eam etiam *numero unam*, ac proinde ut Luth. in cap. 1. Geneſ. loquitur *uniſſimè unam*, ita ut tota divina eſſentia, non pars eſſentiæ ſit in Patre, tota in Filio, cujusque ſimile non occurrit in tota rerum creatarum univerſitate. Damaſc. in Dialect. cap. 66. ὑπόστασις eſt ἄναρχος τρόπος τῆς ἑκάστου ἀϊδίου ὑπάρξεως, h. e. *principio carens modus ſempiterna exiſtentiæ uniuscujusque in S. Trinitate.* lib. 3. cap. 15. cum Suida col. 964. ὑπόστασιν definiens ait, quod ſit τὸ ἰδικὸν παρὰ τὸ κοινὸν *proprium ſuprà commune.*

58. 4. *Antitheſis.* 1. *Patres Concilii Sardicenſis* Anno 347. celebrati, quod Niceno Conc. par ſtatuitur, decreverunt, *hæreticorum eſſe tres hypoſtaſes aſſerere, Catholicorum autem unam tantùm.* Reſp. de Sardicenſi Concilio an inter œcumenica & orthodoxa Concilia numerari debeat, adhuc quæſtio eſt, plerique eo abeunt, quod duo fuerint Concilia Sardicenſia, unum legitimum fidem Nicenam confirmans, alterum illegitimū, Arianorum perfidiæ ſubſcribens. Quod attinet rejectionem trium hypoſtaſeon in hoc Concilio factam, ea non aliunde colligitur, quàm ex Epiſtola Synodica à Theodoret. lib. 2. Hiſt. cap. 8. recitata, ſed Baron. Ann. 347. n. 38. & 41. alq; ex eo Severinus Binius in not. ad Conc. Sard. tom. 1. p. 447. appendicem Epiſtolæ Synodicæ adjectam, in qua illa trium ὑποστάσεων rejectio extat, virgulâ cenſoriâ notant, cùm Urſacius & Valens Sabellianæ hæreſeos affines in ea ſtatuantur, quos conſtat Arianâ hæreſi infectos fuiſſe, cumque ex Athanaſii Epiſtola ex Synodo Alexandr. ad Euſeb. & Lucifer. conſtet in Sardicenſi Concilio nullam prorſus fidei regulam editam, nec priorem Nicenam vel apice fuiſſe auctam. Adde quod ὑποστάσεως nomine utantur pro οὐσία, dicunt enim ſe confiteri μίαν ὑπόστασιν ἣν οἱ αἱρετικοὶ οὐσίαν προσαγορεύουσι τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ πνεύματος ἁγίου. 2. Hieronym. tom. 2. in Epiſt. 57. ad Damaſum p. 131. edit. Baſ. An. 53. *veneni aliquid latere putabat in voce* ὑποστάσεως. Epiſtolam ipſam ſic concludit: *Obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum mundi ſalutem, per* ὁμοούσιον *Trinitatem, ut mihi Epiſtolis tuis ſive tacendarum ſive dicendarum hypoſtaſeon detur autoritas.* Et ex ejuſd. Dial. adv. Luciferianos p. 153. apparet, eam ob novitatem fuiſſe multis in Eccleſia ſuſpectam. Lombard. lib. 1. ſent. diſt. 26. Hieronymi verba accipit *ſecundùm quid*, quaſi propter hæreticorum inſidias ad Damaſum ita ſcripſerit. B. Lutherus in lib. de Concil. id quod de voce ὑποστάσεως. Hieronymus ſcripſerat de voce ὁμοούσιος eum ſcripſiſſe autumat, quo nomine grandis mendacii culpam, imò Arianæ hæreſeos crimen Luthero impingunt Bellarmin. in præf. lib. de Chriſto & in jud. de Form. Concord. mend. 3. Gregor. de Valent. lib. 1. de unit. & Trinit. cap. 7. p. 146. ſed ἁμάρτημα μνημονευτικὸν non erat tàm odioſè exagitandum ac inſignis mendacii loco traducendum. Tandem verò ipſe etiam Hieronymus voce ὑποστάσεως uſus eſt, ſic enim ſcribit in Epiſt. ad Auguſt. & Alipium. *Sabellii errorem declinantes tres perſonas expreſſas ſub proprietate diſtinguimus. Non enim nomina tantummodo, ſed etiam nominum proprietates h. e. perſonas, vel ut Græci exprimunt* ὑποστάσεις, *hoc eſt, ſubſiſtentias confitemur.* 3. Notabile eſt, quod Greg. Naziantz. in orat. de laud. Athanaſ. quæſt. 31. memorat, Græcos qui tres ὑποστάσεις dicebant Latinis viſos fuiſſe tres οὐσίας ſive *eſſentias* cum Ario dicere, eò quod *tota Græcorum prophanorum Schola diſcrimen inter hypoſtaſin & uſian ignorat*, ut Hieron. d. Epiſt. ad Damaſ. loquitur: contrà verò Latinos, qui rejecto nomine hypoſtaſeos dicebant tres perſonas Græcis viſos fuiſſe diſtinctionem non realem, ſed tantùm rationem muneris ſeu officii inter Patrem, Filium & Spiritum S. agnoſcere, atque hac ratione Sabellio favere, cùm in Latinis ſcriptoribus perſonæ nomen ad officium & habitum accommodari conſueverit. Cùm ergo ob illam λογομαχίαν res eò adducta eſſet, ut periculum ſubeſſe videretur, ne orbis terrarum fines, h. e. Orientalis & Occidentalis Eccleſia unà cum ſyllabis à ſe invicem diſtraherentur & abrumperentur, Athanaſius utramque partem convocavit & cum videret eos in rebus idem ſentire, ſuaſor & hortator eis extitit, ut propter concordiam in modis etiam loquendi convenirent, unde factum ut deinceps Græci pro hypoſtaſi uſurparent vocabulum προσώπου, & Latini pro *perſona* etiam hypoſtaſin dicerent. 4. *Socrates* lib. 3. cap. 5. & Niceph. lib. 10. cap. 15. dicunt vocem ὑποστάσεως *eſſe barbaram*, & Philoſophis penè incognitam, Nicephorus etiam *nugamenta* appellat diſputationes de diſtinctione οὐσίας & ὑποστάσεως. Sed & ſacris, Eccleſiaſticis & prophanis ſcriptoribus contrarium facili negotio demonſtrari poteſt. 5. *Nicol. Taurell.* in Synopſi Metaph. p. 101. diſputat, *perſonas Trinitatis non poſſe dici hypoſtaſes.* 6. *Anti Trinitarii* ut ὁμοούσιον ita quoque ὑποστάσεως nomen repudiant.

59. 4. ὕπαρξις ἀπὸ τοῦ ὑπάρχειν idem in hoc *Vox ὕπαρξις.*
myſterio eſt quod ὑπόστασις. Sic Juſtin. in ἐκθ. πίς. dixit τρεῖς εἶναι τρόπους ὑπάρξεως. LXX. quidem hoc vocabulo utuntur, ſed non in ea ſignificatione, in qua hoc loco uſurpatur, verùm pro הון, מקנה & רכש *pro bonis facultatibus*, divitiarum poſſeſſione, quam etiam Latini vocant *ſubſtantiam*. Prov. 13. v. 11. Jer. 9. v. 10. Dan. 11. v. 13. &c. Eodem modo accipitur Actor. 2. v. 45. Hebr. 10. verſ. 34. 5. πρόσωπον ἀπὸ τοῦ πρὸς & ὦπα Græci u- *Vox πρόσωπον.*
ſurpare cœperunt pro ὑποστάσει cum Latinos *perſonæ* appellatione hypoſtaſin exprimere viderent. Juſt. in qq. & reſp. q. 17. p. 313. εἷς ἐστιν ὁ θεὸς τῷ ἑνὶ καὶ ἀδιαιρέτῳ τῆς οὐσίας τρία δὲ πρόσωπα τῇ διαιρέσει τῶν ὑποστάσεων. Athanaſ. in orat. quod unus ſit Chriſtus. Nazianz. orat. in ſanct. lum. &c. Extat tum apud LXX. Interp. tum in N. T. ſed in ſignificatione alia, quàm in hoc myſterio uſurpatur. Suidas in dictione ἅγιος huc accommodat Pſ. 27 verſ. 8. *Exquiſivi* πρόσωπόν σου, τὸ πρόσωπόν σου, *Domine requiram, ne avertas à me* πρόσωπόν σου. Ex noſtris quidam huc referunt 2. Cor. 1. v. 11. ἵνα ἐκ πολλῶν προσώπων τὸ εἰς ἡμᾶς χάρισμα διὰ πολλῶν εὐχαριστηθῇ, ubi προσώπων nihil aliud ſignificat quàm ἀνθρώπων ſive προσώπων ἀνθρωπίνων. cap. 3. v. 13. *Moſes ponebat* κάλυμμα ἐπὶ τὸ πρόσωπον ἑαυτοῦ cap. 4. v. 6. *Deus illuxit in cordibus*

noſtris

noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ χριστοῦ. Sed in duobus poſterioribus locis πρόσωπον ponitur pro facie, in qua ſignificatione h. l. non uſurpatur. Commodius ergò hûc referri poſſet locus Apoſtolicus 2. Cor. 2. v. 9 *Si quid donavi propter vos in perſona Chriſti.* (Iſidor. Dial. 1. ὑπόστασιν, πρόσωπον καὶ ἰδιότητα, idem ſignificare dicimus. Nicet. lib. 2. theſaur. cap. 14. addit nomen χαρακτῆρος καὶ ἄτομον.) 2. Theſſ. 1. v. 9. *impii pœnas dabunt æternum exitium* ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου, h. e. ſuſtinebunt exitium, cui adjudicabuntur à Chriſto Domino, qui in propria perſona apparebit ac glorioſam ſuam potentiam demonſtrabit. Sed præſtat etiam hanc vocem in hac ſignificatione, qua in myſterio Trinitatis uſurpatur, acceptam vocare οὐ χαφικὴν ἀλλὰ ἐκκλησιαστικήν. 6. τρισυπόστατος à tribus hypoſtaſeſi voce formata Deus appellatur, apud Dionyſ. de div. nom. cap. 2. & Baſilium, Nyſſenus appellat ἰδέα τριπρόσωπος, quod Photiniani per calumniam exponunt *triperſonatus.* Socin. in animadv. in aſſert. Poſnan. 17. num. 1. *Triperſonatum Deum introducunt, licet triperſonati vocem diſertè nunquam proferant.* In defenſ. animadv. p. 454. *Cùm planè inſolens ſit, ut quicquam naturaliter tres perſonas habeat, unam autem unusquisque habere comperiatur, meritò ſi Deus tres ipſe tamen naturaliter perſonas habet, triperſonatus ſine ulla irriſione dici poteſt, ſicut Geryon a Poetis tricorpor dictus.* 7. μονάς, 8. τριάς, eſſentiæ unitatem & perſonarum Trinitatem denotant, inque antiquiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus occurrunt. Juſtin. in ἐκθ. pag. 297. μονὰς ἐν τριάδι νοεῖται, τριὰς ἐν μονάδι γνωρίζεται. Quid quod concretum τριάδος diſertè extat 1. Job. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium &c. & hi tres unum ſunt.*

Vox τρισυπόστατος.

Voces μονὰς καὶ τριάς.

Nomen eſſentia.

60. 3. Appellationes *Latinæ.* 1. *Eſſentia, ſubſtantia, conſubſtantialis.* 2. *Perſona, ſubſiſtentia.* 3. *Trinitas.* 1. Nomen Græcum οὐσίας, Latini exprimunt per *eſſentiam.* Hilarius lib. de Synodis p. 305. *Eſſentia eſt res quæ eſt, vel ex quibus eſt & quæ in eo quod maneat, ſubſiſtit.* Auguſtinus in lib. 12. de Trinit. cap. 2. *Sicut ab eo, quod eſt ſapere, vocatur ſapientia: ſic ab eo, quod eſt eſſe, vocatur eſſentia novo quidem nomine, quo uſi non ſunt veteres Latini ſermonis autores, ſed jam noſtris temporibus uſitato, ne deeſſet etiam linguæ noſtræ, quod Græci appellant οὐσίαν, hoc enim verbum è verbo expreſſum eſt, ut diceretur eſſentia.* Maluerunt autem uti nomine eſſentię quàm ſubſtantiæ 1. ut indicarent Deum eſſe οὐσίαν ὑπερούσιον non incluſam Categoriis, inter quas prima eſt ſubſtantia. Damaſc. lib. 1. cap. 12. *Deus eſt quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum.* Vide loc. de Nat. Dei §. 32. 2. quia Deus non ſubſtat accidentibus, ſicut eſſentiæ rerum creatarum, ſed attributa ſunt ipſius eſſentia. 3. quia nomen ſubſtantiæ eſt ambiguū, quandoque enim pro οὐσίᾳ quandoque verò pro ὑποστάσει ponitur. Sic Hilarius in lib. de Synod. dicit *in Deo eſſe tres ſubſtantias,* h. e. perſonas, quo ſenſu etiam quidam accipiunt, quod in Lat. verſ. Hebr. 1. verſ. 3. Filius dicitur *character ſubſtantiæ Patris.* Auguſt. lib. 7. de Trin. cap. 4. *Loquendi cauſa de ineffabilibus ut fari aliquo modo poſſemus, quod effari nullo modo poſſumus, dictum eſt à noſtris Græcis una eſſentia, tres ſubſtantiæ, h. e. una uſia, tres hypoſtaſes, aliter enim Græci accipiunt ſubſtantiam, quàm Latini, à Latinis autem una eſſentia vel ſubſtantia tres perſonæ, quia non aliter in ſermone noſtro, h. e. Latino eſſentia quàm ſubſtantia ſolet intelligi.* Contrà verò Tertull. contra Praxean. Hieron. ad Damaſ. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 9. &c. *unam in Deo ſubſtantiam dicunt, tres verò in eo ſubſtantias eſſe negant.* Cæterum nomen eſſentiæ apud Metaphyſicos dupliciter accipitur, primò ut ſignificat illud *quod res eſt,* tunc exprimitur per *nomen concretum,* v. g. Paulus, Petrus &c. ſignificat enim eſſentiam Petri, Pauli, ſecundò ut ſignificat illud, *quo res eſt,* & tunc exprimitur per *nomen abſtractum,* ut humanitas. Juxta priorem ſignificationem ens & eſſentia non differunt ne quidem in creaturis, juxta poſteriorem differunt in creaturis, ſed non in Deo, Deus enim eſt ſua ipſius eſſentia, cùm ſit à ſeipſo & per ſeipſum, quod nulli creaturæ competit.

61. 1. *Perſona* reſpondet Græco vocabulo ὑποστάσεως. Notanda eſt hujus vocis 1. etymologia. Dicitur à *perſonare,* ſive magnum ſonum emittere & magnâ voce exclamare, ut eſt apud Gell. lib. 5. cap. 7. ſed hæc etymologia non congruit præſenti ſignificationi. Beda ſuper Boët. de Trinit. tom. 8. col. 1112. perſonam dici quaſi *per ſe unam.* 2. *origo.* Cùm ex inſtituto Chriſti baptizemur *in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti* Matth. 28. v. 19. inde dixerunt, *eſſe tria ejusdem eſſentiæ nomina,* ut ex ſequentia de Trinitate notum eſt. Sed cùm Sabellius hoc depravaret ac diceret eſſe in divinis unam duntaxat perſonam, ſed τριώνυμον, inde cœperunt dicere eſſe non tantùm tria nomina, ſed etiam *tres nominum proprietates.* Cùm Sabellius hoc itidem depravaret, dicendo eſſe tres proprietates, ſicut eſt una tantùm anima, quæ habet tres potentias, neceſſitate loquendi coacti dixerūt *eſſe tres perſonas* ſive ὑποστάσεις. Nazianz. in orat. in ſanct. lum. *De Deo cùm dico uno lumine pariter & tribus illuminamini, tribus quidem ſecundùm proprietates vel ſe alicui ita libuerit appellare ſecundùm hypoſtaſes ſeu perſonas. Minimè enim de verbis pugnamus, dummodo ſyllabæ ad eundem ſenſum perducant. Uno autem ſecundùm ſubſtantiæ ſive Deitatis* rationem, *dividitur enim diviſibiliter, ut ita dicam & conjungitur indiviſibiliter.* Extat autem hæc vox in antiquiſſimis Latinæ Eccleſiæ Doctoribus. Tertull. adv. Prax. *De Deo nihil inane poteſt prodire & carens ſubſtantiâ, ideo ſermo Dei eſt res & perſona quædam. Quæcunque ergo ſubſtantia ſermonis fuit, illam dico perſonam & illi nomen Filii vendico.* Cyprian. ſerm. de Chriſti Nativ. Hilar. lib. de Synod. Hieronym. ad Damaſ. Lactant. lib. 4. div. Inſtit. cap. 39. Ambroſ. de Inſtit. virg. c. 10. Auguſt. 11. de civ. Dei cap. 14. &c. Sunt qui in ipſis Scripturis perſonæ nomen extare aſſerunt, ut quando de Deo dicitur, *quod non ſit acceptor perſonarum* Act. 10. v. 34. Rom. 2. v. 11. &c. in quibus locis perſonam ſignificare putant hypoſtaſin humanam. Bellarm. lib. 2. de Chriſto cap. 5. ſed in illis etiam locis perſona potius qualitatem quàm hypoſtaſin ſignificat. Dicitur enim phraſi Hebraicâ *alicujus faciem ſeu perſonam accipere,* qui facit aliquid in gratiam alterius conſideratis externis ejus adjunctis & qualitatibus, quæ in oculos incurrunt vel menti obverſantur, eumque nobis commendabilem reddunt, qualia ſunt, divitiæ, honor, cognatio, dignitas, potentia, &c. ut interim cauſæ meritæ non expendantur.

Exegeſis.

62. 3. *Si-*

62. 3. *Significatio.* Sicut eſſentiæ eſt eſſe, ita hypoſtaſeos per ſe ſubſiſtere. Sicut οὐσίας eſt κοινότης ita ὑποστάσεως ἰδιότης. ** Ad perſonã tria requiruntur. 1. *ut per ſe ſubſiſtatur*, nec ſit in alio tanquam in ſubjecto. 2. *ut ſit intelligentis Naturæ.* 3. *ut ab alia diſtinguatur* neque de alia perſona in caſu recto prædicetur. Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 9. *Reverà cum Pater non ſit Filius & Filius non ſit Pater & Spiritus S. ille, qui etiam donum Dei vocatur, nec Pater ſit nec Filius, tres utique ſunt. Ideoque pluraliter dictum eſt Ego & Pater unum ſumus &c. Tamen cùm quæritur, quid tres, magnâ prorſus inopiâ humanum laborat eloquium. Dictum eſt tamen tres perſonæ, non ut illud diceretur, ſed ne taceretur.* Boëtius in lib. de duab. Naturis cap. 17. perſonam definit, quod ſit *rationalis Naturæ individua ſubſtantia.* Richardus Victorinus lib. 4. de Trin. cap. 18. addidit vocem *incommunicabilis.* Scholaſtici ex utroque definiũt, quod ſit *ſubſtantia intelligens, individua, incommunicabilis*, cui definitioni recentiores addiderunt etiam illud, *quæ non ſit pars alterius, & quæ non ſuſtentata ab alio*, propter naturam Chriſti humanam, quæ eſt ſubſtantia intelligens, individua & incommunicabilis, nec tamen eſt perſona, cùm non per ſe, ſed in Λόγῳ ſubſiſtat. Scholaſtici tamen monent, Boëtii definitionem ſic explicari poſſe, ut non conveniat aſſumtæ Chriſti Naturæ, dicunt enim individuum duobus modis accipi, primò pro eo *quod eſt in ſe determinatum & ſingulare*, ut videl. ſingulare ab univerſali differt, ſecundò pro eo, *quod abſolutè & completè ſingulare eſt*, hoc eſt, quod non ſolùm eſt hoc ſingulare determinatum, ſed etiam per ſe ipſum, non autem in alio ſubſiſtit, quodque adeò ſuum quendam terminum habet in toto complexu ſubſtantiæ ultimum. Priori modo Natura humana aſſumta eſt ſubſtantia individua, non autem modo poſteriori. Hugo Etherianus lib. 1. de proceſſ. Spirit. S. contra Græcos cap. 1. *Perſona eſt ſubſtantia è proprietatibus ejuſdem Naturæ rebus numero differens.* It. *Perſona eſt ſubſtantia rationalis, quæ per ſuas proprietates ſingularis, poteſt intelligi.* Suidas: *Hypoſtaſis eſt eſſentia cum characteriſticis proprietatibus.* Lombard. lib. 1. diſt. 25. cap. 11. Perſonæ nomen tribus modis ſumitur, 1. pro *eſſentia.* 2. pro ὑποστάσει. 3. pro *proprietate.* Alex. ab Ales p. 1. q. 56. memb. 3. profert, hanc definitionem, quam vocat Magiſtralem: *Perſona eſt hypoſtaſis diſtincta proprietate ad dignitatem pertinente.* Idem p. 3. q. 4. memb. 6. Perſonæ rationem triplicem importare diſtinctionem, nempe *ſingularitatis, incommunicabilitatis & dignitatis*, quâ nempe alia ab alia diſtinguitur rationalitate individuali, quæ eſt digniſſima proprietas. Cæterum quamvis perſona dicatur *ſubſtantia individua*, tamen inter perſonam & individuum Philoſophis ſic appellatum intercedit quædam differentia, quam Durandus lib. 2. ſent. diſt. 3. q. 2. & lib. 3. diſt. 1. q. 1. num. 17. ſic explicat: *Omnis Perſona eſt ſuppoſitum & omne ſuppoſitum eſt individuum, ſed non omne individuum eſt ſuppoſitum, nec omne ſuppoſitum eſt perſona, quia quælibet Natura ſingularis, in quocunque genere ſit, poteſt dici individua, ſuppoſitum autem non dicitur niſi Natura ſingularis in prædicamento ſubſtantiæ, nec quæcunque talis, ſed ſolum completa. Perſona dicitur idem illud in Natura intellectuali tantum. v. g. in Angelis, hominibꝰ & ipſo Deo. Individuum* eſt latiſſimum & ſignificat quamlibet Naturam ſubſtantialem & accidentalem ſingularem & determinatam. Suppoſitum verò quamvis ſubſtantialem Naturam completam per ſe ſubſiſtentem, *perſona* verò ſubſtantiam completam ſubſiſtentem in Natura intellectuali. Sed hîc denuò obſervandum, magnum imò infinitum diſcrimen eſſe inter perſonas humanas & perſonas divinas. Quælibet enim perſooa humana ſuam propriam habet eſſentiam incommunicabilem, ſed perſonæ Trinitatis habent unam & eandem eſſentiam communicabilem. Unitas eſſentiæ in perſonis humanis eſt ſpecifica, unitas eſſentiæ in perſonis Trinitatis eſt numerica. Ratio pendet ab eſſentiæ humanæ finitate, divioæ verò infinitate, ut ſuperius diximus. Quidam perſonam definiunt, quod ſit *intelligentis Naturæ incommunicabilis ſubſiſtentia*, in qua definitione perſona accipitur *formaliter & abſtractè*, in Boëtii verò definitione eadem *materialiter & concretè* accipitur, de qua duplici perſonæ acceptione diximus ſuperiùs. Salmeron. tom. 2. tract. 10. hypoſtaſin vocat *ſubſtantiam primam*, eſſentiam verò *ſubſtantiam ſecundam*, ſed hoc cautè accipiendum, quia eſſentia non eſt genus nec ſpecies in divinis, in eo tamen eſt convenientia, quod eſſentia eſt tribus perſonis communis hypoſtaſis cuique propria.

63. 4. *Antitheſis.* 1. *Laurentius Valla* lib. 6. elegant. cap. 34. Boëtium accuſat, quod definire auſus fuerit perſonam per ſubſtantiam, cùm *ſignificet potius accidens ſeu qualitatem*, quæ cum in Deo locum non habeat, ideò non magis in Deo, quàm in bruto animali perſonam eſſe dicit. Sed de voce Eccleſiaſtica non eſt judicandum ex profanis ſcriptoribus. Adde quod in probatis Latinæ linguæ autoribus perſona non ſolùm ſignificat qualitatem, ſed etiam ſubſtantiam. Cic. lib. de invent. Topic. & partit. dicit, alia eſſe *rerum, alia perſonarum attributa.* lib. 2. de orat. *Hominum innumerabiles perſonæ.* Philipp. 6. *Non alienum fuit, perſonas quaſdam a vobis recognoſci, ut quibus cum bellum gereretis, poſſitis tacitis cogitare.* Valer. Max. lib. 2. cap 21. quoslibet homines vocat *perſonas.* JCti tria conſtituunt juris objecta, *perſonas, res & actiones.* 2. *Photiniani* perſonarum Trinitatem in divinis, negantes definitionem perſonæ talem proferunt, ex qua myſterium illud ſe evertere poſſe ſperant. Goslav. contra Keckerm. part. 3. c. 1. *Graviſſimus ille de Trinitate error cognitione perſonæ verâ nullo negotio deprehendi poteſt, ut mirer vehementer doctos alioquin viros ſibi perſuaderi pati tres perſonas in unica eſſentia conſiſtere poſſe, cùm eos minimè lateat quamlibet perſonam requirere ſingularem eſſentiam.* Reſp. (ſi per nomen *ſingularis eſſentiæ* intelligat ſeparatam & incommunicabilem eſſentiam, negamus in divinis perſonis eam requiri vel locum habere, cùm divina eſſentia ſit infinita.) ibid. cap. 2. ex Boëtii definitione *incommunicabile* expungendum eſſe dicit, *cùm in verbo individuum idem contineatur.* (Atqui individuum & incommunicabile non ſunt planè reciproca. Individuum dicit rationem tantùm ſingulariter ſubſiſtendi, ac reſpicit primam ſubſtantiam, incommunicabile explicat formale individui, ac reſpicit alias perſonas ejuſdem Naturæ. In Natura aliquid poteſt eſſe hæc & proinde prima ſubſtantia ac conſequenter individuum, quod tamen

non

non eſt incommunicabile, ut ignis in ferro candente Jac. Mart. 2. de tribus Eloh. cap. 4. multa individua individuitate retenta amittunt incommunicabilitatem ſeu proprij ſuppoſiti rationem cap. 6.) Ibid. perſonam definit, quod *ſit ſubſtantia prima intelligens.* Sed in illa definitione omittitur formalis ratio perſonæ, quæ eſt incommunicabilitas.

Nomen Trinitatis. 64. 3. *Trinitas.* Hujus vocis notanda 1. ἐτυμολογία. Trinitatem dictam volunt quaſi trium unitatem, ut emphaticè exprimat illud Apoſtolicum 1. Joh. 5. v. 7. *& hi tres unum ſunt.* Thom. p. 1. q. 31. art. 1. ex Iſidoro lib. 1. cap. 4. Atqui primò Latinum Trinitas reſpondet Græco τριάς, quæ non includit unitatis appellationem; Secundò Athanaſius in Symb. dicit, *Unitatem in Trinitate & Trinitatē in unitate veneremur.* At quis ita loquitur, trium unitatem in unitate veneramur? Tertiò pij veteres unitatem ſive μονάδα in eſſentia, Trinitatem τριάδα in perſonis agnoſcunt, adeoq; Trinitatem ab unitate diſtinguunt. Quartò, ſi trinitas eſſet trium unitas, quaternitas eſſet quatuor perſonarum unitas. Quintò Gentilis in protheſibus ex eo colligit *eſſentiam eſſe aliquid quartum extra tres perſonas,* Dicimus ergo nomen Trinitatis ternarium perſonarum formaliter & præciſè, eſſentiæ unitatem non niſi conſequenter notare, ideoque illam Thomæ etymologiam eſſe tantùm alluſivam & ſonum vocis ſpectare, ſicut dicimus civitatem eſſe civium unitatem. 2. *origo.* Concretū in Scripturis extat, abſtractū in antiquiſſimis Eccleſiæ Scriptoribus, Tertulliano, contra Prax. Cyprian. ſerm. de orat. Domin. Ambroſio &c. 3. *Significatio.* Trinitas ex vi ac prima impoſitione nominis quarumlibet rerum ternarum numerum ſignificat, ſed Eccleſiaſticâ loquendi conſuetudine cùm abſolutè ponitur ſingularem illum & incomprehenſibilem divinarum perſonarum ternarium ubi denotat, non ſignificat aliquid compoſitum ex tribus ſed tres perſonas unius eſſentiæ, unde etiam Trinitas ſive tres perſonæ ſimul ſumtæ non differunt ab eſſentia, aliàs loco Trinitatis introduceretur quaternitas. Magnum proinde diſcrimen eſt *inter trinum & triplex.* Trinum eſt quod in eſſentia unum tres habet ſubſiſtendi modos, triplex quod è tribus eſt compoſitum; trinum Deum dicimus, ſed triplicem dicere Chriſtianâ religione prohibemur. Dicitur autem Deus trinus non reſpectu eſſentiæ, quæ eſt numero una, non reſpectu idiomatum eſſentialium, quippe quæ cùm eſſentia ſunt ſimpliciſſimè ταυτὸ quid, non reſpectu generis, vel ſpeciei, quia in Deo nec genus nec ſpecies, ſed reſpectu trium ὑπάρξεως τρόπων, qui ſunt ἀγεννησία in Patre, γέννησις in Filio, ἐκπόρευσις in Sp. S. Vide loc. de trib. Elohim §. 1. & 2.

65. 4. *Antitheſis.* 1. Ut rem ipſam ita quoque nomen Trinitatis repudiarunt hæretici veteres myſterium μονάδος ἐν τριάδι καὶ τριάδος ἐν μονάδι negantes, quorum veſtigiis hodie inſiſtunt *Photiniani*, Anti Trinitarij ex eo meritò dicti. Socin. in defenſ. animadv. pag. 311. *Veteres Theologi cùm Trinitatem nominabant, non ut nunc ferè fit, ipſam Dei eſſentiam in tribus perſonis conſiſtentem, ſed ſimpliciter Patrem, Filium & Spiritum S. intelligebant.* Et paulò ante: *Potuit Hieronymus, ſanctæ Trinitatis nomine intelligere, non quod tres ſint in Deo perſonæ, Pater, Filius & Spir. S. ſed quod illi tres in noſtræ ſalutis myſterio concurrunt.* 2. *Calvinus* in Epiſt. ad Polon. pag. 1972. opuſc. edit. Ann. 1566. *Hæc precatio communiter recepta, ſancta Trinitas, unus Deus, mihi non placet.* 3. *Lutherum* eodem nomine graviter accuſant Jeſuitæ. Bellarminus in præfat. controv. de Chriſto, & in jud. de Form. Concord. mend. 3. col 1539. *Si Luthero probatur doctrina Catholica de unitate eſſentiæ & Trinitate perſonarum cur ex precibus communibus Germanorum illam precatiunculam ſuſtulit, Sancta Trinitas unus DEUS miſerere nobis?* Gregor. de Valent. lib. 1. de unit. & Trinit. cap. 7. pag. 148. *Ut in voce homouſios non ſyllabas, ſed rem ſignificatam Lutheri animus odiſſe videtur, ſic etiam in voce Trinitatis, quippe quam in Germanicis precationibus Ann. 1543. illud expungi curavit. S. Trinitas unus Deus, miſerere nobis.* Tannerus Diſp. 3. in Thomam cap. 1. theſ. 2. pag. 137. *Lutherus ipſam Trinitatis vocem exoſus eam ex Litaniis Germanicis ſubmovit expuncta illa precandi formula, Sancta Trinitas unus Deus miſerere nobis, tam parùm utiq; propitiam habiturus Trinitatem, quam parùm illi ſe ſupplicem præſtitit.* Sandæus Jeſ. Herbipolenſis in themate ſeculari de Secta Proteſt. deſerenda theſ. 232. *Lutherus ut Deo debitum honorem detraheret, ex Litaniis orthodoxis uſitatam precationis formam, Sancta Trinitas, unus Deus, miſerere nobis exturbavit, vocem ipſam Trinitas mordere & arrodere ſolitus &c.* Eandem tibiam inflant Paræus in Iren. cap. 24. art. 14. p. 147. Sladus in append. Diſp. 1. contra Vorſtium pag. 61. ſed τὸ ἔγκλημα illud à Luthero depulimus in loc. de tribus Elohim §. 3. Diſp. 9. de gloria Dei §. 6. Nos libenter cum veteribus hac loquendi formula utimur. Naziantzen. orat. 2. de pace. *O Trinitas ſancta & longanimis ſuſcipe eot.* Auguſt. Epiſt. 67. *Ita Pater, ita Filius, ita Spir. S. ita Trinitas unus Deus.* lib. ult. de Trinit. cap. ult. *Deus Trinitas quæcunq; dixi in his libris de tuo agnoſcant & tui, ſi qua de me & tu ignoſce & tui.*

66. Atque hæc de *appellationibus Latinis* in hoc articulo uſitatis dicta ſint. Scholaſtici præter eas utuntur nomine *proprietatis, notionis, relationis, circuminceſſionis* (quæ reſpondet Græcorum περιχωρήσει) proprietates numerant, *tres innaſcibilitatem*, Græcis ἀγεννησίαν, quæ eſt proprietas Patris, quam etiam vocant *paternitatem; filiationem* γέννησιν, quæ eſt proprietas Filij, quam etiam vocant *nativitatem, ſpirationem* Græcis ἐκπόρευσιν, quæ eſt proprietas Spiritus ſanct. quam etiam vocant *proceſſionem.* Relationes numerant quatuor *generationem activam* & *generationem paſſivam* (termino non phyſicè ſed Grammaticè ſumto) *ſpirationem activam & ſpirationem paſſivam.* Notiones recenſent quinque, *innaſcibilitatem, paternitatem, filiationem, ſpirationem activam & ſpirationem paſſivam.* Circuminceſſionem vocant *intimam & perfectam unius perſonæ in alia habitationem*, de qua Auguſtin. lib. 6. de Trinit. cap. ult. *Singula ſunt in ſingulis & omnia in ſingulis, & omnia in omnibus & unum omnia.* Græcum περιχώρησις, quo Damaſc. lib. 3. cap. 4. & alibi paſſim utitur longè ſignificantius eſt, cujus pulcerrimam deſcriptionem tradit lib. 1. cap. 19. Sed de his ex ſequentibus plenius judicium fieri poterit.

67. 4. In lingua Germanica 1. *eſſentia* vocatur Subſtanz oder Weſen. 2. *perſona* nomen retinetur, eujus deſcriptionem Germanicam tradit D. Chemnic. p. 1. loc. pag. 95. 3. *Trinitas* *Appellationes Germanica.*

 voca-

vocatur Dreyfaltigkeit / ſed cum illud potiùs ſignificat *triplicitatem*, ideo rectè explicandum, & pro eo potiùs utendum Dreyeinigkeit.

CAP. III.

Continens generale argumentum pro aſtruendo Trinitatis myſterio.

Probatio hujus myſterij.

68. Expoſitâ ὀνοματολογίᾳ tum generali tum ſpeciali, ad πραγματολογίαν porrò accedendum fuerit. Ea verò in auguſto Trinitatis myſterio ex Scripturis ſacris demonſtrando & adverſariorum argumentis eidem oppoſitis refellendis occupata erit, ac proinde futura tùm διδασκαλικὴ ſeu confirmatoria, tùm ἐλεγκτικὴ ſeu confutatoria. Membra ejus πραγματολογίας conſtituemus duo. Prius erit κατασκευαστικὸν, in quo Trinitatis myſterium idoneis argumentis confirmabitur. Poſterius ἀνασκευαστικὸν, in quo AntiTrinitariorum, cumprimis Photinianorum antitheſis oppugnabitur & eorum argumenta diſſolventur. Quod ergo attinet membrum prius κατασκευαστικὸν, repetendum eſt hoc loco, quod ſuperiùs monuimus ſublime Trinitatis myſterium non minùs ac reliqua Chriſtianæ religionis dogmata ex unico ac proprio Theol. principio ex Scriptura ſcilicet ſacra tàm V. quàm N. T. eſſe demonſtrandum, id verò quo ordine ac methodo fieri debeat, ſententię eorum, qui id aggreſſi ſunt, videntur variare abſq; ullo tamen ipſius rei ac veritatis cœleſtis præjudicio. 1. Quidam ad duas claſſes omnia argumenta revocant videlicet ad expreſſam perſonæ alicujus in divinis notationem & ad myſticam ac ſymbolicam trium hypoſtaſeon in literis ac vocibus ἀποσημειώσεσι. 2. Quidam ſeptem argumentorum claſſes conſtituunt. 1. à Baptiſmi forma. 2. à nomine Dei pluraliter expreſſo 3. ab actu DEI pluraliter expreſſo. 4. à triplicato Dei nomine. 5. à propriiſſimo nomine, quod eſt Jehovah. 6. ritu benedicendi in Sacerdotio Levitico. 7. ab exemplis. 3. Quidam octo argumentorum genera numerant ſecuti Bonav. lib. 1. ſent. Diſt. 2. qui perſonarum pluralitatem in Scripturis dicit inſinuari 1. *ſignificatione* Matth. 28. v. 19. *Baptizate in nomine Patris, Filij & Spiritus S.* 2. *conſignificatione*, Geneſ. 1. v. 1. *In principio creavit Elohim*; *ſuppoſitione*, ut cùm dicitur *Deus genuit Filium* Pſ. 2. v. 7. Prov. 8. v. 22. 4. *appropriatione* Pſ. 33. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſũt* Joh. 1. v. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt*. 5. *iteratione* Eſa. 6. v. 3. *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus*. 6. *Verborum ordine*. Pſ. 63. v. 8. *Benedicat nobis Deus, Deus noſter, benedicat nobis Deus*. 7. *connotatione* in miſſionis actu. Galat. 4. v. 4. *miſit Deus Filium ſuum*. 8. *apparitione* Gen. 18. v. 2. *Ecce tres viri coram eo*. Hiſce quidam addunt 9. *conſtructionis habitudinem*. quando certis particulis numerus perſonarum oſtenditur Rom. 11. v. 36. *ex ipſo, per ipſum, in ipſo ſunt omnia*.

69. 4. Quidam has conſtituunt argumentorum claſſes, ut probari dicant Trinitatem 1 ab αὐταρκείᾳ *Deitatis* αὐτοτελεστάτῃ quæ ſeſe alteri communicat vel modo generationis vel modo ſpirationis. (At hanc communicationem nonniſi ex poſteriori demonſtrare poſſumus ex myſterio ſc. Trinitatis per Scripturam prius confirmato, proinde non ſuppeditat peculiarem argumentorum claſſem. Si ex communicatione per ſe & in ſe conſiderata argumentum ducere cupimus, ſemper redit quęſitum, cur non pluribus nec paucioribus modis Pater ſe communicaverit quam duob. videl. per *generationem* Filio, per *ſpirationem* Sp. S. ut hac ratione non ſint plures nec pauciores perſonæ quàm tres) 2. *à decreti divini de ſalute hominum revelatione*, in quo tantum tres perſonæ inveniuntur. Pater n. per Filium in carnem miſſum & in ara crucis pro peccatis hominum mortuorũ genus humanum ſibi reconciliavit ac credentes in hunc Filium ſuum in gratiam vult recipere, juſtitiam & vitam æternam illis donare, quam voluntatem per Spir. S. in verbo Evangelii revelat. (Hoc argumentum itidem non eſt diſtinctum ab illis, quæ petuntur ex Scripturis, quia de hac ſalutis noſtræ οἰκονομίᾳ extra & præter verbum nihil quicquam conſtare hominibus potuit, ac ſi hoc argumentum ſolum aſſumatur, perſonalem. S.S. ſubſiſtentiam vix demonſtrabit.) 3. à *literarũ ſacrarum V. & N. T. teſtificatione* tum implicita tum explicita. (Hoc ſolum eſt proprium, οἰκεῖον, ſufficiens & efficax argumentum, ut conſtare poteſt ex iis, quæ in προθεωρίᾳ diximus) 4. ab *unanimi Eccleſiæ conſenſu* in Symbolis œcumenicis & veterum ſcriptis continuâ ſerie expoſito. (Hoc argumentum eſt ſecundarium & non niſi virtute tertij concludit, ideo n. & inde hic conſenſus fundamentum fidei noſtræ ſtabilit, quia per omnia cum Scripturis ſcil. conformis eſt.) 5. *à proprietatibus divinis*, quæ non poſſunt ad alium quenquam referri quàm ad tres unius eſſentiæ divinæ perſonas (At cùm de proprietatibus illis perſonalibus nihil quicquam niſi ex ſolis Scripturis ſacris nobis conſtet, ideò ad tertiam argumentorum claſſem illud ipſum referendum eſt) 6. à *paradoxis*, quæ ex negatione hujus myſterij conſequuntur, quæ ſunt negatio ipſius Dei, qui ſe eo modo revelavit, Scripturæ ſacræ, quæ Trinitatem manifeſtè comprobat; Angelorum, qui τρισάγιον Deo quotidie accinũt; & Eccleſiæ Catholicæ primitivæ & Apoſtolicæ, quæ Trinitatem confeſſa eſt, contemtus; firmæ conſolationis ademtio & omnium articulorũ fidei enervatio, hæreſeon à Chriſto & Apoſtolis tacitè, ab Eccleſia verò manifeſtè damnatarum ex orco revocatio, Scripturæ ſacræ violenta detorſio ex malitioſa ſuperbia profecta, deniq; animæ exitium & internecio. (At hæc paradoxa locum non habent, niſi priùs ex Scripturis hoc myſterium demonſtretur, ergo ſunt potius conſectaria ac poriſmata ex demonſtrato hoc myſterio deducta quàm principalia theſeos argumenta.) 7. *à vocabulis Trinitatis*, οὐσίας, ὁμοουσίας, ὑποστάσεως, &c. quæ Eccleſia loquęndi neceſſitate contra hæreticorum furores uſurpavit. (Hoc argumentum pertinet ad quartum, nec poteſt ex vocabulis ἀγράφοις argumentum formari, niſi res ipſa priùs ex Scripturis demonſtretur.) 8. *à ſimilibus*. (Ea verò non tàm probant quàm quocunq; modo rem priùs demonſtratam ac probatam illuſtrant, ut in προθεωρίᾳ oſtendimus) Manet igitur tertium duntaxat fundamentum ex ſacris literis pro aſtruendo Trinitatis myſterio petitum, cui etiam hoc loco unicè inſiſtemus.

Argumentum generale.

70. Poſſunt verò pro demonſtratione Trinitatis duplicis generis argumenta ex Scripturis formari. *Generale* unum, quod omnia ac ſingula, quæ de hoc myſterio in Scripturis habentur,

ἐπιτε-

Digitized by Google

ἐπιτομικῶς comprehendit. *Specialia* complura, quæ ex diſtinctis Scripturæ locis illud ipſum diſtinctè probant. *Generale argumentum* ſic habet. Si tres ſunt, quorum cuilibet nomen Jehovah ac Dei, attributa, opera & gloria verè divina competit, ut unus eorum non ſit alius, nec tamen plures Dij ſed unus verus Deus, conſequens eſt, unam divinam eſſentiam in tribus diſtinctis perſonis ſubſiſtere, vel quod idem eſt, in divinis eſſe tres perſonas & unam eſſentiam. Sed tres ſunt, quorum cuilibet nomen Jehovah ac Dei, itemq; attributa, opera & gloria verè divina competit videlicet *Pater*, *Filius & Spiritus ſanctus*, quorum unus non eſt alius, nec tamen plures ſunt Dij, ſed unus verus Deus. Ergo una divina eſſentia in tribus diſtinctis perſonis ſubſiſtit vel quod idem eſt, in divinis ſunt tres perſonæ & una eſſentia. Majoris connexio patet, quia quando Eccleſia docet eſſe tres perſonas unius & ejuſdem eſſentiæ divinæ, hoc eſt, quando Trinitatem confitetur, nihil aliud vult, quàm eſſe tres, quorum quilibet ſit verus Deus, ita tamen ut non ſint tres Dij, ſed unus verus Deus, Item quemlibet horum trium eſſe ab alio certo charactere hypoſtatico diſtinctum, quod ipſum ſi adverſarij Anti-Trinitarij conceſſerint, dogma Trinitatis ab ipſis conceſſum erit. Auguſt. libr. 7. de Trinit. cap. 4. *Licuit loquendi & diſputandi neceſſitate tres perſonas dicere, non quia Scriptura dicit, ſed quia Scriptura non contradicit. Si autem diceremus tres Deos, contradiceret Scriptura, dicens. Audi Iſrael Dominus Deus tuus, Deus unus eſt. Cur ergo & tres eſſentias non licet dicere, quod ſimiliter Scriptura ſicut non dicit, ita nec contradicit? aut ſi propter unitatem Trinitatis non dicuntur tres eſſentiæ, ſed una eſſentia, cur non propter eandem unitatem non dicuntur tres ſubſtantiæ vel tres perſonæ, ſed una ſubſtantia & una perſona? Quàm enim illis eſt commune nomen eſſentiæ, ita ut ſingulis quisq; dicatur eſſentia, tam eſt illis commune vel ſubſtantiæ vel perſonæ vocabulum. Quod enim de perſonis ſecundùm noſtram, hoc de ſubſtantiis ſecundùm Græcorum conſuetudinem ea quæ diximus, oportet intelligi. Sic enim dicunt illi tres ſubſtantias unam eſſentiam, quemadmodum nos dicimus tres perſonas unam eſſentiam vel ſubſtantiam. Quid igitur reſtat, niſi ut fateamur loquendi neceſſitate parta hæc vocabula, cùm opus eſſet copioſa diſputatione adverſum inſidias vel errores hæreticorum?* poſtea ſubdit. *Negari tres eſſentias, ne intelligeretur, in ſumma æqualitate ulla diverſitas, aſſeri tres perſonas ſive tres ſubſtantias ſecundum Græcos propter errorem Sabellij declinandum.* cap. 6. *Cur ergo non hæc tria ſimul unam perſonam dicimus ſicut unam eſſentiam & unum Deum, ſed tres dicimus perſonas, cùm tres Deos aut tres eſſentias non dicamus, niſi quia volumus vel unum aliquod vocabulum ſervire huic ſignificationi, quâ intelligitur Trinitas, ne omninò taceremus interrogati, quid tres, cũ tres eſſe fatemur?* Ex quibus Auguſtini verbis colligi poteſt, quare unam eſſentiam, tres verò perſonas in divinis ſtatuamus, videlicet non ut novum aliquod dogma per illa verba in Eccleſiam introducamus, ſed ut veram de Deo ſententiam in Scripturis propoſitam adverſus hæreticorum depravationes explicemus ac muniamus. Quod verò Auguſtinus dicit, *tres perſonas in Deo vocari, ne omninò taceamus*, eo ſenſu accipiendum, quod nullum nomen ſatis dignè & ſufficienter explicare poſſit, quid ſint illa tria, dici tamen perſonas, ut aliquo modo noſtram de illis ſententiam ex divina revelatione in verbo tradita deſumtam declaremus.

71. Minoris propoſitionis confirmatio deſumenda eſt ex illis Scripturæ dictis quæ teſtantur. 1. *de Patre*, quod ſit verus æternus Deus ac diſtincta à Filio & Spiritu S. perſona. 2. *de Filio*, quod ſit verus & æternus Deus, quippe cùm nomen, attributa, opera, cultus & gloria verè divina ipſi tribuatur, ac ſit diſtincta à Patre & Spiritu. S. perſona. 3. *de Spiritu ſancto*, quòd ſit verus & æternus Deus, quippe cui non minus nomen, attributa, opera, cultus & gloria verè divina tribuitur, ac ſit diſtincta à Patre & Filio Perſona. 4. de *unitate Dei ſive divina eſſentia*, quod licet tres ſint, quibus & nomen Dei & Natura divina verè competit, tamen non ſit niſi unus verus Deus. Hæc quatuor ſi ordine & diſtinctè confirmata ſunt, confirmatum etiam erit dogma Trinitatis, quippe quod nihil aliud uno verbo dicit, quàm quod horum trium Patris, Filij & Spiritus ſancti ſit una indiviſa eſſentia divina, quamvis ſint diſtinctæ perſonæ, quarum quælibet charactere ſuo hypoſtatico ab altera diſtinguatur.

72. Photiniani concedunt 1. verum Deum eſſe unum. 2. Patrem eſſe verum Deum & diſtinctam à Filio perſonam. 3. Filium eſſe diſtinctam perſonam. 4. Filium eſſe *verum Deum. 5. eſſe naturalem Dei Filium*. 6. Spiritum ſanctum dici poſſe Deum eo modo, quo alia attributa Deus eſſe dicuntur. Sed negant. 1. Patrem eſſe primam Deitatis perſonam, quæ ab æterno Filium genuit ſibi ὁμοούσιον ſicq; negant ipſum eſſe æternum Patrem. Schmaltz. contra Frantz. diſp. 1. p. 2. *Ubi mentio in ſacris literis æterni Patris? æternus eſt, qui Pater eſt, at non Pater æternus.* Catech. Racov. p. 65. *Scias generationem ex Dei eſſentia eſſe omnibus modis impoſſibilem.* Socinus in tract. de Deo, Chriſto & S. S. p. 14. *Fieri non poteſt, ut Deus ex ſua eſſentia quẽquam generet.* Schmaltz. in exam. 157. errorum err. 37. p. 13. *Abſurdum eſt & tantum non blaſphemum Deum ex ſubſtantia ſua generare.* Contrariũ demonſtravimus in loc. §. 153. 2. Filium eſſe æternum Deum ac unius cum Patre eſſentiæ. Catech. Racov. p. 64. *Chriſtus etſi verus Deus ſit, non tamen eſt ille ex ſe unus Deus, qui per ſe & perfectiſſima ratione Deus eſt, cùm is Deus tantum ſit Pater.* Oſtorod. in Inſtit. p. 132. *Fatemur eſſentiam Chriſti utpote veri hominis, non aliam niſi humanam eſſe.* Socin. in defenſ. animad. v. 407. *Chriſtus licet verus ſit Deus, non æquè tamen eſt verus Deus ut ejus Pater.* Contrarium oſtendimus in loc. §. 14. & ſeq. 3. Filium extitiſſe antequam ex Maria naſceretur. Oſtorodus cont. Tradelium part. 2. cap. 6. p. 117. *Chriſtus non fuit ab æterno, nec extitit prius quam ex Maria natus fuit.* Schmaltz. contra Frantz. p. 65. *Illum qui ex Maria natus eſt fuiſſe ante Abrahamum nunquam eſt probatum nec probari poteſt. Verbum eſſe carnem factum nuſquam ſcriptum eſt.* Socinus in animadv. aſſert. 1. Poſn. pag. 31. ſic blaſphemat. *Quis dubitaverit, quin Chriſtus ante Mariam virginem minimè extiterit, cùm ex ipſa virgine is ſit natus, cùmq; virgo ejus mater fuerit? an non iſtud ſtultiſſimum illum Homericum Margitem imitari eſſet, qui ambigebat, uter natu grandior eſſet, ipſe an mater ipſius?* Contrarium aſſertum fuit in loc. §. 40. & ſeqq. 4. Spiritum ſanctum eo modo eſſe Deum ut ſit etiam perſona divina à Patre & Filio diſtincta Socin. in tract. de

Deo,

Deo, Chriſto & Spir. S. pag. 4. *S. S. nuſquam diſertè & ad literam in Scripinra Deus appellatur. quia non eſt perſona aliqua divina.* Schmaltz. in exam. 157. errorũm p. 36. *Fatemur S. S. eo modo dici poſſe Deum, quo alia attributa Dei eſſe dicuntur, ſed negamus S. S. accurate & propriè loquendo eſſe Deum, quia quicquid Deus eſt, perſona etiam divina, ut ſit, neceſſe eſt.* Contrarium oſtendimus, in loco de Spiritu ſancto veram ſcilicet ipſius Deitatem §. 23. & ſequentibus, ejuſdem perſonalitatem §. 99. Stantibus igitur ac probè ſtabilitis illis hypotheſibus ſtabit ac confirmatum erit myſterium Trinitatis, unde etiam Socinus in d. tract. de Deo Chriſto & Spir. ſanct. argumentum illud pro noſtra ſententia firmatum refutare parans ex illis hypotheſibus noſtram de Trinitate confeſſionem firmiter demonſtrari poſſe agnoſcit, ſi hypotheſes illæ firmo atque immoto nituntur veritatis divinæ fundamento.

73. Cùm verò illarum hypotheſium demonſtratio alio loco tradita ſit, ideò uberiore hujus argumenti confirmatione hîc ſuperſedemus, illud duntaxat monentes, fruſtrà Oſtorodum contra Tradel. part. 2. Diſput 1. pag. 86. hoc urgere, *quod ſi dogma Trinitatis veritati conſonum foret, neceſſarium omninò fuiſſe, quia ratio nullo modo concedit eſſe tres perſonas unius indiviſæ eſſentiæ, ut ad fidem illi faciendam expreſſis verbis & quidem non uno in loco, ſed pluribus illud eſſet ſcriptum, cùm in aliis, quæ ad credendum ſunt difficilia, illud fuerit factum, utpote quod Deus creaverit cœlum & terram, quod omnium rerum cumprimis verò hominum curam gerat, quod ſi mortuorum reſurrectio & vita æterna credentibus in Chriſtum eiq; obœdientibus danda.* Reſp. 1. Quæ vel ſemel in Scripturis docentur, æqualis ſunt veritatis ac firmitatis cum illis, quæ ſæpius in illis repetuntur, eorum enim veritas ac robur non pendet à crebriore repetitione ſed à divina revelatione. Vid. loc. de Juſtif. §. 241. ubi ad ſimile quoddam Bellarmini Sophiſma reſpondimus, cui mirum videtur, *ſemel tantum in Scripturis dici κατὰ ῥητὸν, quod Chriſtus pro nobis factus ſit peccatum*, cùm tamen fundamentalis fidei articulus imputatio juſtitię Chriſti à nobis ſtatuatur. 2. Si vel millies in ſacris literis eſſet ſcriptum, Deum eſſe unum in eſſentia, trinum in perſonis, adverſarij tamen ex priori everterent poſterius, cùm enim ratio non poſſit hæc duo conciliare, ideò ſtatuunt à literali verborum ſenſu in quibuſdam Scripturæ dictis diſcedendum eſſe, quæ unitati in aliis dictis ſtabilitæ videntur adverſari. Socin. d. tractat. de Deo p. 5. *Vel ex eo ſolo, quod Deus unus eſſe apertè traditur, meritò concludi poteſt eum non eſſe trinum. Oppoſita enim inter ſe ſunt eſſe unum & trinum. Nam diſtinctio illa unus eſſentiâ, trinus perſonis, nec uſquam extat in ſacris literis & cum certiſſima ratione ac veritate manifeſtè pugnat. Certiſſimum enim eſt non pauciores eſſe individuas eſſentias, quàm perſonas, cùm perſona nihil aliud ſit quàm individua eſſentia intelligens.* Sic ergo Socinus ex eo, quod ratio doceat, *tot eſſe eſſentias, quot perſonas*, infert, dicta Scripturæ, quæ pro Trinitate aſtruenda afferuntur, aliter explicanda eſſe, quàm literalis verborum ſenſus requirit. Hanc ſuam mentem clarius exponit in defenſ. animadv. p. 50. *Aliud* (inquit) *eſt quippiam mente non capere & capere mente illud eſſe non poſſe, ſeu aliquid negare, quia id apprehendere nequeas & idcirco aliquid negare, quia id eſſe non poſſe deprehendas, quod poſterius tantam vim habere aſſerit, ut divina ipſa teſtimonia quantumvis prima facie aliter interpretari & permittat & cogat quàm ipſa verba ſonant.* Quid de putida illa diſtinctione ſtatuendum ſit ſuperius fuit expoſitum, hoc loco illud notamus, quod fons & ſcaturigo totius fidei vel potius ἀπιστίας Photinianæ in ea nobis aperiatur. Quia enim ſemel ſibi perſuaſerunt, rationis judicium eſſe exquirendum, quænam in myſteriis fidei ſint contradictoria habenda, ideò ſi vel millies perſonarum Trinitas in divinis literis αὐτολεξεὶ inculcaretur, tamen quia eam cum eſſentiæ divinæ unitate pugnare ratio judicat, in diverſum ſenſum remoto ex oculis ſenſu literali omnia illa Scripturæ loca detorquerent. Sic contra generationem Filij Dei ex eſſentia Patris Socious diſputat ex eo, quod talis generatio ſit planè impoſſibilis p. 136. *Generatio ex Dei Natura eſt ex eorum genere, quæ fieri nequeunt niſi vel partibilis aliquo modo ut ipſa Dei eſſentia, quod impium, vel ſi tota communicabilis quod fieri non poteſt, quin plura uno ſuppoſita ut vocant inducantur, quorum quilibet ſit Natura ſummus ille Deus, id quod manifeſtam implicat contradictionem.* Unde vero probat Socinus, hoc implicare contradictionem? certè non niſi ex ratione. Ergo propter abſurdum in judicium rationis incurrens diſcedit à clara Scripturæ litera, quæ Filium vocat μονογενῆ. 3. Ex eo, quod in ſacris literis κατὰ ῥητὸν & αὐτολεξεὶ non aſſeritur eſſentiæ divinæ unitas & perſonarum Trinitas, Photiniani inferre nequeunt, hoc dogma non eſſe pro fidei articulo habendum, quia *Chriſtum eſſe factum Deum, Chriſtum bis aſcendiſſe in cœlum, Chriſtum eſſe perſonam humanam, dari liberum arbitrium, non eſſe peccatum originis, &c.* ſunt ipſis fidei articuli, quos tamen totidem verbis in Scriptura extare nondum demonſtrarunt, nec demõſtrare poſſunt, quâ de re in prælect. de Phot. pleniùs egimus. Oſtorod. ipſe d. l. *Quamvis conſequentia non poſſint ſimpliciter repudiari, nec ea in parte nimis ſuperſtitioſum eſſe quenquam oporteat, quaſi iiſdem verbis in Scriptura extare debeat, quod credendum proponitur, illud tamen eatenus acceptandum, quatenus conſequentia illa in verbo Dei ſua principia ac ſuum fundamentũ obtineant, aliàs liberè ut commenta hominum poſſunt repudiari.* Subſumo. Dogma Trinitatis in verbo Dei ſua habet principia, ut argumentum noſtrum generale oſtendit. Ergo conſequentiæ, quæ pro hoc dogmate ſtabiliendo formentur, non poſſunt repudiari. 4. Ad myſterium Trinitatis demonſtrandum pertinent omnia Scripturæ dicta, in quibus tum Patri, tum Filio, tum Spiritui ſancto Dei nomen, attributa, opera, cultus & gloria divina tribuitur, in quibus ὁμουσία horum trium confirmatur, in quibus eſſentiæ divinæ unitas aſſeritur, in quib. perſonalis cujuſq; perſonę proprietas ac character hypoſtaticus manifeſtatur, in quibus realis diſtinctio unius perſonæ ab alia ſtabilitur, quorum dictorum omnium ac ſingulorum ſi quis inire velit numerum, videbit Oſtorodum fruſtra deſiderare, quod in pluribus Scripturæ locis Trinitatis dogma debeat eſſe ſcriptum.

74. Atque hæc dicta ſint de argumento noſtro *generali*, *ſpecialia* afferri poſſunt complura, quorũ quædam ex V. quædam ex N. T. ſunt petita. Quamvis verò ratione temporis libri Vet. T. ſint priores N. T. libris, tamen in recenſendis

ſpecia-

ſpecialibus noſtræ ſententiæ argumentis eo ordine utemur, ut primo loco *quatuor principalia argumenta* ex N.T. afferamus, quibus ſecundo loco ſubjungemus duas claſſes, in quas V.T. dicta Trinitatis dogmati confirmando inſervientia diſtribui poſſint, ac tertio demùm loco reliqua N.T dicta ſubjiciemus. Rationem hujus ordinis damus hanc, quòd ut piè monet D. Chemnicius p.1. locor. art. de Deo p.79. *quia mira hac ſunt & longe ſupra omnem creaturarum captum poſita, qua de Trinitate perſonarum in ſacroſancta divinitate dicuntur, ideo quarenda ſunt teſtimonia divina patefactionis, qua ita ſint firma, certa & perſpicua, ut conſcientia illis in hoc tanto myſterio tuto acquieſcere poſſit, nec tàm numeranda quàm põderanda ſunt teſtimonia.* Jam verò conſtat majorem eſſe lucem N. quàm V. T. *Quid eſt*, inquit Auguſt. lib. 16. de C.D. c.26. *quod dicitur Vet. Teſt. niſi occultatio novi & quid eſt aliud quod dicitur novum, niſi veteris revelatio?* Lutherus noſter dicere ſuit ſolitus, *Novum Teſtamentum videri ſibi inſtar Solis, à quo Vetus Teſt. inſtar Luna ſuam lucem mutuetur.* Quemadmodum igitur Deus cùm novo quodam opere videlicet liberatione ex Ægyptiaca ſervitute populo Iſraëlitico ſeſe manifeſtare vellet, dicebat Moſi Ex.6.v.3. *Ego ſum Iehovah & apparui Abrahamo, Iſaaco & Iacobo in El Schaddai & nomen meum Iehovah non indicavi illis*, quia ſcilicet promiſſionibus ſuis de poſſeſſione terræ Canaan nõdum dederat reale eſſe & complementum ac quia clarior ſubinde revelatio acceſſit: ita quoque ile mirando incarnationis ac redemtionis opere, quòd corporalis iſta liberatio præfiguravit, pronunciare poſſumus, quòd verus Jebovah in eo longè clariùs & illuſtrius ſe patefecerit, Filio qui eſt ſecuoda Trinitatis perſona in carnem miſſo & Spiritu ſancto in die peotecoſtes viſibiliter effuſo. Tantò enim clarius nomen Jehovah & res ipſa nomine illo expreſſa manifeſtatur, quantò beneficia divina à ſingulis Deitatis perſonis humano generi præſtita magis ſentiuntur. Cùm ergo in Filij & Spiritus S. viſibili miſſione, in opere redemtionis per Filium præſtito, in Evangelij prædicatione, per quam S.S. de Patre & Filio teſtatur, longè clarius ac manifeſtiùs *Deus* ſeſe tempore V. T. patefecerit, ideò in comprobando Trinitatis myſterio ad N.T. dicta potiſſimùm & præcipuè reſpiciendum. Ut enim in liberatione ex ſervitute Ægyptiaca nomen Jebovah Iſraëlitico populo ſub typis & figura clarius innotuit: Sic in ſpirituali liberatione ex infernalis Pharaonis regno & ſervitute illud ipſum nomen populo N.T. clarius ac maniſeſtius eſt factum, quò reſpiciens Jeremias cap. 16. verſ. 14. ſic vaticinatur. *Propterea ecce dies venient, dicit Dominus & non dicetur ultra. Vivit Dominus* יהוה *qui eduxit filios de terra Ægypti, v.15. ſed vivit Dominus qui eduxit filios Iſrael de terra Aquilonis & de univerſis terris*, per Evangelij ſcilicet prædicatiooem & ſpiritualis regni Meſſiæ incboationem.

CAP. IV.

Continens primum argumentum ex Nov. T. pro aſtruendo Trinitatis myſterio deductum.

Primum 75. Hiſce igitur de ratione ordinis præmiſſis primùm principale argumentum producimus ex *θεοφανείᾳ in Baptiſmi Chriſto collati adminiſtratione*. Matth.3.v.16. Marc.1.v.10. Luc.3.v.22. *Pater* prima perſona Trinitatis de cœlo edit banc vocem. *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi cõplacuit. Filius* in Jordane baptizatur. *Spiritus S.* in ſpecie corporali columbæ ſuper Chriſtum deſcendit, hîc ergo maniſeſtiſſima Trinitas apparuit. *Pater in voce, Filius in homine, Spiritus S. in columba.* Aug. tract. 6. in Joh. Cum hac *θεοφανείᾳ* conjungimus *Hiſtoriam transfigurationis* Chriſti deſcriptam Matth.17.v.5. Marc.9.v.7. Luc.9.v.35. in qua itidem audita fuit vox *Patris* è cœlo. *Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite. Filius* transfiguratur, ut facies ejus ſplendeat ſicut Sol. *Spiritus S.* manifeſtat ſe in nube lucida. argumentum ex N. T. ductum ex Baptiſmo Chriſto

76. Antequàm verò ex bac *θεοφανείᾳ* in Chriſti Baptiſmo facta argumentum formemus, notari jubemus, eam factam eſſe. 1. in ſolenni Jeſu Chriſti ad officium ſuum inauguratione in V.T. aliquoties prædicta. Deut.18.v.18. *Ponam verba mea in ore ejus. Pſ.2.v.7. conſtitui Regem meum ſuper Sion.* Eſa.42.v.1. *Ecce electus meus, complacuit ſibi in eo anima mea, dedi Spiritum meum ſuper eũ.* cap.61.v.1. *Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxerit me.* 2. non in occulto aliquo angulo, ſed publicè in multorum hominum præſentia & conſpectu id quod oſtendunt tum *προηγούμενα*, tum *παραχθὲν*, tum etiam *ἑπόμενα*. Baptiſta mox in miniſterii ſui initio, cum ad baptizandum mitteretur, acceperat à Deo hoc reſponſum, quod viſurus ſit Spiritum S. ſuper Meſſiam deſcendere Joh. 1.v.33. eam v. revelationem non ſibi ſoli reſervavit nec occultavit, ſed auditoribus ad Baptiſmum ſuum accedentibus communicavit, cùm fuerit *vox clamantis*, cumq; poſt Chriſtum baptizatum eam repetiverit v. 32. omnibus igitur manifeſtationem Meſſiæ cupidiſſimè expectantibus hæc ipſa *θεοφάνεια* facta eſt. Lucas c. 3. v. 21. diſertè aonotat eam eſſe factam, *cùm baptizaretur omnis populus, qui ex Hieroſolyma, tota Iudaa & regione circa Iordanem ad ipſum exiverat* Matth. 3. v. 5. ergo quæ hîc deſcribuntur non cootigerunt remotis arbitris ac teſtibus inter ſolum Chriſtũ & Johannem, quaſi nullus ex populo quicquam corũ vel viderit vel audierit, ſed in publico totius populi cõſpectu, inde etiam Chriſtus Joh. 5. v. 37. ad hoc teſtimonium cœlitùs ſibi datũ provocat. *Qui miſit me Pater, ipſe teſtimoniũ de me perhibuit.* Quod v. ibidem additur. *Nec vocem ejus unquam audiviſtis, neq; ſpeciem ejus vidiſtis*, illud vel accipiendum eſt de tempore promulgatæ legis Deut. 4. v. 12. vel de illis ipſis auditoribus, cum quibus loquebatur, ut ſit ſenſus, ideo non curatis teſtimonium Patris, quod de me perhibuit, quia non interfuiſtis ſolenni illi ſpectaculo circa Baptiſmũ meum facto, proinde etiam non audiviſtis vocem ejus è cœlo ſonantem, nec vidiſtis ſpeciem illam colũbæ è cœlo viſibiliter deſcendentẽ, vel de interiore auditu fidei, ut ſit ſenſus, vocati quidẽ eſtis Dei voce, ſed vos eam non audiviſtis i.e. corde nũ recepiſtis, nec fidẽ illi adhibere voluiſtis, nequaquã v. ſenſu eo, quod nullus hominum vocem illã cœleſtis Patris præter Johannem & Chriſtum audiverit. 3. eo tempore, quo Chriſtus anno ætatis 30. completo miniſterium ſuum prædicandi in his terris erat inchoaturus, eâ n. ætate Sacerdotes Levitici ad publica miniſteria olim adhibebantur. Fuit igitur hæc *θεοφάνεια* non ſolum ſulennis cũ-

fi inc-

firmatio miniſterii Meſſiæ, ſed etiam brevis comprehenſio illius doctrinæ, quæ tempore N. T. in Eccleſia erat prædicanda. 4. cœlum in ea fuiſſe apertum ac diffiſſum, non quod fuerit tantum chaſma aliquod in aëre, ſed ipſius cœli mirabilis ac ſingularis diffiſſio ſive ſciſſura, ita comparata ut non univerſum cœlum nec ſuper totam terram, ſed illa tantum pars cœli, ubi Chriſtus in ripa Jordanis ſtabat & orabat, nec ſuper Johannem baptizantem & alios aſtantes, ſed ſuper ſolum Chriſtum aperiretur, ut ex circumſtantiis textus eruditè colligit D. Chemn. in Harm. cap. 17. Hæc ipſa cœli apertio fuit publica commonefactio nõ ſolùm de cœleſti origine hujus perſonæ & ejus doctrinæ, quod ea quæ in cœlo & terra iterum eſſet copulaturus, ac cœlum credentibus aperturus, ſed etiam de ſolennitate & veritate hujus *θεοφανείας*, quod vox cœlitus delata & publicè audita ſit ipſius cœleſtis Patris vox, & quod columba ex aperta illa cœli parte deſuper deſcendens ſit ipſe Dei Spiritus, quò accommodari poteſt illud 1. Joh. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater, Verbum & Spiritus*, id eſt, tres ſunt Naturâ divini ac cœleſtes teſtes, qui in Baptiſmo Chriſti viſibilibus & externis ſymbolis ſeſe manifeſtarunt. Ex illa enim ſciſſura cœli vidit Baptiſta emicantem & per radios è cœlo uſque ad Chriſtum in ripa Jordanis orantem, ſeſe porrigentem lucem auguſtiorem ac diviniorem, quam pro hujus mundi ratione. In illa cœleſti luce S. S. in corporali ſpecie columbæ deſcendendo ſenſim ſe demiſit ſuper Chriſtum, & ex illa ipſa luce vox ſuper Chriſtum delata fuit, ut ex collatione hujus Hiſtoriæ cum transfiguratione Chriſti monſtrat Chemn. d. l. p. 18.

77. Hiſce igitur, quæ mirabilem illam *θεοφάνειαν*, cujus ſimilis non extât in tota Scriptura, nobis magis commendatam & auguſtam reddere poſſunt, prænotatis, ex ea pro aſtruendo Trinitatis dogmate tale formamus argumentum. In quot diſtinctis perſonis unus ac verus Deus in ſolenni inauguratione Meſſiæ, ejuſdemq; Baptiſmo ſeſe revelavit, tot perſonę non plures nec pauciores in Deitate ſunt agnoſcendæ. Sed in tribus diſtinctis perſonis unus ac verus Deus in ſolenni illa Meſſiæ inauguratione ſeſe revelavit. Ergo. Major eſt manifeſta, quia finis illius revelationis fuit non tantùm confirmatio miniſterij Chriſti, ſed etiam illuſtrior patefactio Trinitatis, quæ N. T. peculiariter erat reſervata, neque cuiquam eſſe poteſt dubium, quin Deum eo modo agnoſcere, invocare & colere debeamus, quo ſeſe nobis patefecit & patefactionem illam in verbo ſuo annotari voluit. Ad minorem confirmationem hæc duo pertinent. 1. Eum qui ſe in illa Meſſiæ inauguratione revelavit, fuiſſe & eſſe unum illum ac verum Deum. 2. Unum illum ac verum Deum in tribus diſtinctis perſonis ſeſe revelaſſe.

78. Prius confirmamus 1. *ex circumſtantiarum conſideratione*. Cœlum miraculosè diffinditur ac ſcinditur, qualis cœlorum apertio etiam in aliis divinis majeſtatis apparitionibus facta legitur, quia cœlum eſt arcana ſedes gloriæ Dei. Ezech. 1. v. 1. Actor. 7. v. 55. & 56. Apoc. 4. v. 1. & 3. cap. 11. v. 19. Ex illa cœli fiſſura emicat lux quædam auguſtior ac divinior, quæ erat ſymbolum ac monitorium, revelare ſe eum qui *habitat in luce* cœleſti *ac inacceſſibili* 1. Timoth. 6. v. 16. qualis lux circumfulgebat Angelum primum nativitatis Dominicæ præconem, quæ vocatur *δόξα κυρίου* Luc. 1. v. 9. ac Paulum in via Damaſci Act. 9. v. 3. cap. 22. v. 6. c. 26. v. 13. (ſicut olim Exod. 16. v. 10. *gloria Domini conſpiciebatur in nube*, hoc eſt, inſolita quædam lux & ſplendor majeſtatem Dei præſentis nuncians in columna nubis conſpiciebatur.) Ex illa luce audiebatur vox Patris cœleſtis, quam fuiſſe veri Dei vocem, nemini dubium; in eadem luce deſcendebat Spiritus S. in corporali ſpecie columbæ ſuper Chriſtum; quod ipſum veram ejus divinitatem arguit, quia in eadem luce cœleſti, ex qua vox Patris ſonat, deſcendit. Filius in ripa Jordanis ſtans proclamatur dilectus Dei Filius, in quo ipſi ſit complacitum, quod ſi verus & naturalis eſt Dei filius, utiq; ejuſdem eſt cum Patre Naturæ ac eſſentiæ, *neq; enim fas eſt Filium Patris degenerem ſuſpicari, ſed æqualis neceſſe eſt fateri altitudinis, & ejuſdem dignitatis, poteſtatis & eſſentiæ*. Bernh. ſerm. 1. de adv. col. 1. *Vitioſa & monſtroſa eſſet Dei generatio, ſi ex ejus utero diverſa prodiiſſet Natura*. Aug. lib. 3. contra Maxim. cap. 18. Nec caret emphaſi bina articuli repetitio. Hic eſt ὁ υἱὸς ὁ ἀγαπητὸς ille filius ille dilectus à reliquorũ filiorum ſorte ſingulariter exemtus. Dicit Pater, ſibi in hoc Filio eſſe complacitum, i. e. omnem ſuam complacentiam in hoc Filio acquieſcere, reſidere & quaſi depoſitam eſſe, ita ut propter ipſum etiam credentes habeat dilectos Eph. 1. v. 5. & de Eccleſia etiam dicatur, vocaberis Beneplacitum meum in ea Eſa. 62. v. 4. quæ phraſis totum redemtionis myſterium complectitur, quod hic filius genus humanum propter peccatum Deo inimicum ſit reconciliaturus 2. Cor. 5. v. 19. Col. 1. v. 19. Epheſ. 1. v. 5. ad quam reconciliationem & redemtionem divina Natura requirebatur, ut alibi oſtenditur.

79. 2. *Ex aliorum Scripturæ locorum collatione. Patrem*, cujus vox è cœlo auditur, eſſe verum Deum, nullus in Eccleſia Chriſtiana dubitat. Ac confirmatur id ex eo, quia is qui Johannem miſit ad baptizandum, eidem dixit, *ſuper quem videris Spiritum deſcendentem, hic eſt qui baptizat in Spiritu* Joh. 1. v. 33. idem etiam dixit, *hic eſt Filius meus dilectus* & Spiritum ſanctum ſuper eum demiſit. Jam verò is qui Johannem miſit ad baptizandum, eſt verus Deus. Johan. 1. v. 6. Utimur etiam hac collatione. Qui in Baptiſmo Chriſti dixit. *Hic eſt Filius meus dilectus* idem etiam in transfiguratione Chriſti hanc vocem repetivit. Matth. 17. v. 5. Jam verò is qui in transfiguratione Chriſti dixit, *Hic eſt Filius meus dilectus*, fuit & eſt verus Deus 2. Petr. 1. verſ. 16. *fuimus ἐπόπται illius* (Chriſti) *magnitudinis v. 17. accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam, voce ad ipſum delata*. Ergo. *Filium*, ad quem vox illa Patris, *tu es filius meus*, facta eſt & ſuper quem Spiritus ſanctus deſcendit, eſſe verum Deum probamus hoc modo. I. Ad quem Pater cœleſtis hoc loco dicit. *Tu es filius meus dilectus*, is idem eſt, qui Pſ. 2. v. 7. dicit, inquit, *narrabo decretum, quod Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*. Atqui is qui Pſ. 2. v. 7. ſic loquitur, eſt verus Deus. Ergo etiam is ad quem Pater cœleſtis hoc loco dicit, *Tu es Filius meus dilectus*, eſt verus Deus. Aſſumtum probatur, quia eſt talis Dei filius. 1. qui *hodie*, id eſt, ab æterno eſt à Patre genitus v. 7. quæ contra hanc interpretationem ex literali verborum ſenſu profluentem afferunt, alibi explicantur, hoc loco urgemus argumentum ex Hebr. 1. v. 5. & 6. Cujus generationis re-

nis reſpectu Filius Angelorum productionem hominis creatione anteriorem longiſſimo intervallo excedit, eſt primogenitus Dei filius, cui ab Angelis adoratio debetur, de ea non poteſt cogitari vel dici, quod ſit generatio quædam temporanea, vel deſtinatio ac vocatio ad officium, vel quicquam ulli creaturæ competens. Jam verò generationis illius reſpectu, quæ Pſ. 2. v.7. Filio tribuitur, ipſe productionem Angelorum longiſſimo intervallo excedit, &c. Ergo. 2. in quem fiducia cordis collocanda v.13. ex quo ſic concludimus. In quo fiduciam cordis collocare debemus, is eſt verus & æternus Deus. Pſal. 118. v.8. Jerem.17. v.7. Atqui in Filio debemus fiduciam cordis collocare. Ergo eſt verus & æternus Deus. 3. cui gentes dantur in hereditatem & termini terræ in poſſeſſionem v. 8. unde ſic inferimus. Is cui competit Univerſale totius terræ & omnium gentium imperium, eſt verus Deus 1. Timoth.1.v.17.c.6. v.15. Filio tale imperium competit. II. Ad quem Pater cœleſtis hoc loco dicit. *Tu es Filius meus dilectus*, eſt is de quo Eſa.42. v.1. dicitur, *Ecce dilectus meus, in quo complacui*. Jam verò is de quo Eſ. 42. verſ.1. Pater cœleſtis ſic loquitur, eſt verus Deus, quod probatur hoc modo. Is qui *datus eſt in lucem gentium*, eſt verus Deus, quia ut prima lucis corporalis creatio eſt opus verè ac merè divinum, ſic ſpiritualis illa gentium illuminatio eſt itidem opus divinum 2. Cor.4.v. 6. Atqui is, de quo dicitur, *ecce dilectus meus* datus eſt *in lucem gentium* Eſ.42.v.6. Ergo. Ulterius, qui datus eſt in ſalutem gentium, is eſt ſalus ſive *ſalutare Dei* ſive à Deo conſtitutum & datum uſq; ad extremum terræ Eſ. 49. v. 6. jam verò extra Deum non eſt talis ſalvator Eſ. 43. v. 11. c. 45. v. 21. Oſeæ.1.v.7. *Salvabo eos in Domino Deo ſuo*. *III.* Is qui hoc loco vocatur ἀγαπητὸς υἱὸς, alibi appellatur μονογενὴς Joh. 1. v.14. ac ἴδιος Θεοῦ υἱὸς Rom. 8. v.32. Jam verò qui eſt μονογενὴς καὶ ἴδιος Θεοῦ υἱὸς, is Patri ſuo æqualis eſt Joh.5.v.18. & per conſeq. verus Deus. Hûc pertinet obſervatio illa, quod Hebr.11. v. 17. Iſaacus appellatur μονογενὴς qui Gen.22.v.2. vocatur ἀγαπητὸς, fuit autem Iſaacus Chriſti typus, quâ de re alibi plenius. IV. Is ſuper quem S.S.h.l. in ſpecie columbæ deſcendit & ſuper ipſum manet dicitur *unctus oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis* Pſ.45.v.8. *Spiritum ſanctum accepiſſe non ad menſuram*. Johan.3.v.34. ita ut *ex ejus plenitudine omnes poſſimus accipere gratiam pro gratia* Joh.1. v. 16. jam verò cui modo illo planè ſingulari & ἐξαιρέτῳ ſine menſura Spiritus ſanctus datur, ut aliis etiam eum dare poſſit, is eſt verus Deus.

80. Spiritum ſanctum eſſe verum Deum colligitur ex eo, quod in mirabili illa θεοφανείᾳ Patri & Filio conjungitur, ac ſicut Pater in voce audibili ſeſe manifeſtat, Filius in aſſumta carne ſeſe conſpiciendum exhibet, ſic Spiritus S. in ſpecie columbæ deſcendit & quidem in illa ipſa luce, ex qua vox Patris cœleſtis audiebatur. Conferenda etiam ſunt reliqua Scripturæ dicta. Eſ. 61. v.1. *Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxerit me, ad annunciandum manſuetis miſit me*, id Chriſtus ipſe apud Lucam cap.4.v.18. ſic explicat. *Spiritus Domini ſuper me, propter quod unxit me evangelizare pauperibus miſit me*, ubi id quod Propheta de Jehovah dixerat, ad Spiritum S. accommodatur, ac ne ulli dubium ſit, Spiritui ſancto illud opus miſſionis verè competere, confero locum ex

Exegeſis.

Luc.4.v.1. *Jeſus plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Jordane & agebatur à Spiritu in deſerto.* Ille igitur Spiritus, qui ſuper Chriſtum circa Jordanem in ſpecie columbæ deſcenderat, Chriſtum in deſertum egit & ad officij partes exequendas miſit, quam poteſtatem S.S. in Chriſtum, quâ homo eſt, nequaquam obtineret, niſi verus Jehovah eſſet, fatentur enim adverſarij, Chriſto homine nihil quicquam præſtantius eſſe in cœlo & terra præter ſolum verum Deum. Confero etiam locum Eſa.48.v.16. *Nunc Jehovah miſit me & Spiritus ejus*, quæ eſſe verba Meſſiæ intelligitur ex contextu illius loci, ſtatim enim additur v. 17. *hæc dicit Dominus Deus redemtor tuus ſanctus Iſrael*, ac Chriſtus Joh.18.v.20. ſibi accommodat, quod apud Eſaiam v.16. dicitur, *in abſcondito non ſum locutus*, unde ſic concludimus. Qui Chriſtum ad officium ſuum miſit, is eſt verus Deus, Spiritus S. miſit Chriſtum ad officium ſuum. E. Sic ergo confirmatum dedimus prius membrum, quod videlicet is, qui in hac Meſſiæ inauguratione ſeſe revelavit, ſit verus Deus.

81. Poſterius quod unus ille ac verus Deus in tribus diſtinctis perſonis ſeſe revelaverit, probamus hoc modo. 1. Tria ſunt *diſtincta nomina*. Is enim cujus vox è cœlo auditur, vocatur *Pater*. 2. Petr.1.v.17. Qui in ripa Jordanis ſtat, vocatur *Filius* Matth.3.v.17. Marc.1.v.11. Luc.3.v.22. Qui in ſpecie corporali columbæ deſcendit, vocatur *Spiritus* τὸ πνεῦμα. Marc.1.v.10. *Spiritus Dei* Matth. 1.v.16. *Spiritus ſanctus*. Luc.3. v. 22. 2. Tria ſunt *externa ſymbola*, in quibus hi tres ſeſe manifeſtãt. Pater *in voce audibili*, Filius in *aſſumta carne*, Spiritus S. in *corporali ſpecie columba*. Ambroſ. ſerm. 21. Adeſt *Deus Pater, cùm baptizatur Dominus, adeſt Spiritus S. Et quia Deus videri non poteſt, Spiritus in columba, Pater deſcendit in voce quoq; ſolum ad aſtruendam fidem hominibus neceſſarium erat, exhibet Salvatorem, fides enim noſtra niſi auditu non conſtat & viſu, ideò ſe Spiritus in columba oculis ſubdit, Pater in voce ſe auribus ſubminiſtrat. Nam niſi propter noſtram fidem iſta fieri oportuiſſet, potuit Pater & S.S. tanquam inviſibilis Deus ad Verbum filium inviſibili prolapſione deſcendere. Igitur propter noſtram fidem aperto cælo Spiritus ad Chriſtum, Pater ad Filium, vox deſcendit ad Verbum, Verbum enim Chriſtus eſt, at bene Pater vox & filius Verbum dicitur, quia Verbum non niſi de voce procedit.* Auguſt. lib.2. de Trinit. cap.10. *Patris perſona oſtenditur in illa voce. Hic eſt filius meus, &c. non quia fieri potuit vox ſine opere Filij & Spir. ſanct. Trinitas quippe inſeparabiliter operata) ſed quia ea vox facta eſt, qua ſolius perſonam Patris oſtenderet, ſicut humanam illam formã ex virgine Maria Trinitas operata eſt, ſed ſolius Filij perſona eſt. Viſibilem namque ſolius Filij Naturam inviſibilis Trinitas operata eſt.* Spiritus ſanctus non aſſumſit viſibilem illam ſpeciem columbæ in perſonæ ſuæ unitatem, ſicut Filius aſſumtam carnem, interim tamen in illa patefactione voluit etiam ipſe in peculiari ſpecie ad tempus aſſumta ſe conſpiciendum exhibere, ut diſtinctio perſonarum illuſtrius oſtenderetur. 3. Trium *diſtincta actiones* deſcribuntur. Alius eſt qui de cœlo clamat, *hic eſt Filius meus*, quæ verba non poſſunt eo ſenſu ad Filium referri, quaſi ipſius etiam hæc vox fuerit, aliàs eſſet ſui ipſius filius, nec ad Spiritum ſanctum aliàs eſſet Spir. S. filius. Alius eſt, qui in ripa Jordanis poſt ſuſceptum Baptiſmum orat.

Alius qui in ſpecie columbæ deſcendit & ſupet Chriſtum manet. Is cujus vox de cœlo ſonat, auditur non videtur, is qui in ſpecie columbæ deſcendit, videtur, ſed non auditur. Is qui in Jordane baptizatus in ripa conſiſtit videtur in aſſumta carne, auditur in orationis voce. 4. Trium diſtinctarum perſonarum *beneficia* deſcribuntur. Pater Filium ſuum dilectum in hunc mundum miſit, per quem locutus eſt cum genere humano ac per eundem mundum ſibi reconciliavit. Filius humanam Naturam in perſonæ unitatem aſſumſit, ſuſcepit noſtri causâ Baptiſmum ut impleret omnem juſtitiam. Spiritus ſanctus ſuper Chriſtum viſibiliter deſcendit eumq; inviſibiliter *unxit, ut annunciaret captivis indulgentiam, clauſis apertionem* Eſa. 61. v. 3. hoc eſt, Spiritus ſanctus per miniſterium Evangelij à Chriſto in propria perſona inchoatum & Apoſtolis commendatum diſtribuit beneficia Chriſti paſſione ac merito parta. Ad hæc diſtincta trium divinitatis perſonarum beneficia in admiranda illa θεοφανείᾳ nobis propoſita in invocatione reſpicere debemus & contra omnes adverſariorum argutias fidei ſimplicitate in hac revelatione acquieſcere, ſicut pij veteres dicunt. *Si non credis Trinitatem, comitare Iohannem ad Iordanem & videbis.*

82. Excipiunt Photiniani 1. *non probari ex hoc loco tres illos eſſe unius indiviſæ eſſentiæ perſonas.* Goslav. contr. Keckerm p. 42. part. 1. cap. 4. Reſp imò verò ſi de Patre, Filio & Spiritu S. qui in hac θεοφανείᾳ ſeſe manifeſtant, verè affirmare ac firmiter demonſtrare poſſumus, quod quilibet eorum ſit verus Deus & verò ex aliis Scripturæ locis adeoq; ex ipſa adverſariorum conceſſione nõ eſt niſi unus verus Deus, ex eo immotè colligitur, harum trium perſonarum eſſe unam divinam eſſentiam. Conjungimus autem pro ὁμοουσίᾳ earum demonſtranda etiam reliqua Scripturæ dicta ſuo loco enumerata Vid. loc. de Trib. Eloh. §. 21. Patrem eſſe verum Deum & diſtinctam à Filio perſonam concedunt Photiniani Filium eſſe diſtinctam à Patre perſonam concedunt, verum & æternum Deum eſſe negant, Spiritum ſanctum eſſe virtutem Dei concedunt, ſed eſſe perſonam à Patre & Filio diſtinctam negant, quod ſi ergo demonſtratum fuerit, Filium eſſe verum & æternum Deum, Spiritum S. eſſe perſonam divinam, probata erit horum trium ὁμοουσία. Utrumq; tum ex collatione hujus loci cum aliis Scripturæ dictis, ad quæ in hac ipſa θεοφανείᾳ remittimur, tum ex ipſa circumſtantiarum conſideratione demõſtravimus ſuperiùs. 2. *non poſſe ex hoc loco probari S. S. eſſe perſonam.* Goslav. d. l. *non apparet hinc S. S. eſſe perſonam* (At nudæ virtuti non competit corporalem ſpeciem aſſumere, in ea apparere & deſcendere, quis enim unquam legit, audivit, vidit, Dei miſericordiam, ſapientiam, &c. in externa quadam forma aſſumta comparentem? ſed eſt virtutis per ſe ſubſiſtentis, id eſt, certæ perſonæ) Schmaltzius tribus rationibus contrarium evincere conatur, prima eſt *à ſimplici negatione* ducta. *Quod Spiritus ſanctus ſub peculiari columba ſpecie ſuper Chriſtum apparuerit, nec textus docet, nec rei veritas fert.* Contra Frantz. p. 35. At quid manifeſtius verbis illis Evangeliſtarum. *Vidit Iohannes Spiritum Dei deſcendentem tanquam columbam & venientem ſuper ipſum* (Chriſtum) Matth. 3. v. 16. Marc. 1. v. 10. *Deſcendit Spir. S. corporali ſpecie quaſi columba in ipſum.* Luc. 3. v. 22. Secunda *à phraſi Evangeliſtæ. Spiritus ſanctus qui ita deſcendit ut maneret ſuper Chriſtum* Johan. 1. v. 33. *quomodo perſona eſſe poteſt, cùm de perſona quales ſunt Deus & Chriſtus, nuſquam legatur, quod maneant vel ſint ſuper aliquem, quemadmodum de rebus nempe de ira Dei, de pace & miſericordia id legimus.* Contra Schopp. de Trin. pag. 34. Reſp. non de Chriſto ſolùm Johan. 14. v. 10. dicitur, *Pater in me manens ipſe facit opera,* ſed etiam de piis dicit Chriſtus Johan. 6. v. 56. *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in illo.* Johan. 14. v. 16. *Spiritus S. manebit* μεθ' ὑμῶν v. 17. παρ' ὑμῖν v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus* καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν v. 15. v. 4. *manete in me & ego in vobis.* Quemadmodum igitur phraſis illa de Patre uſurpata quod *maneat in Filio, quod ſit in Filio* Johan. 14. v. 10. notat arctiſſimam illam περιχώρησιν qua propter eſſentiæ unitatem *Pater eſt in Filio & Filius in Patre.* Johan. 10. v. 30. ſic phraſis illa de Spiritu ſancto uſurpata quod manſerit ſuper Filium itidem notat peculiarem illum inhabitationis modum, quo Spiritus ſanctus in Chriſto manſit, ſeu ut Propheta loquitur, requievit Eſa. 11. v. 2. quo modo non habitat in reliquis ſanctis, unde etiam de nullo illorum dicitur, quod S. S. ſuper eum ita maneat, ut in eo requieſcat & ex ejus plenitudine alij accipiant. Tertia à *comparationis particula. Verba ſicut columbam, non ſunt referenda ad rei eſſentiam ut ſcilicet ita res animata ſit Spiritus ſanctus quemadmodum eſt columba, ſed ad externam ſpeciem & modum, idq; non ipſius rei ſed deſcenſus illius.* contra Frantz. d. l. *Quia Scriptura dixit, tanquam columba, apparet vocem tanquam vel ſicut tum ad verbum deſcendentem referendam eſſe, tum etiam columbini deſcenſus, non autem columbini corporis ſimilitudinem declarare.* Idem ijſdem verbis docet Socin. in explic. loc. de Spir. ſanct. p. 103. Reſp. manifeſta ſunt verba Evangeliſtæ. Luc. 3. v. 22. *Deſcendit Spiritus* σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν, fuit ergo verus & realis deſcenſus, qui Spiritui ſancto tribuitur non *abſolutè & ſimpliciter* reſpectu inviſibilis ac divinæ ſuæ eſſentiæ, ſed *relatè* reſpectu ſcilicet corporalis illius ſpeciei ad tempus aſſumtæ. Adverbium ὡσεὶ non ad verbum deſcendentem, ſed ad columbam diſertè refertur, ut ipſa textus inſpectio oſtenderit. Illud σωματικῷ εἴδει non tam ad verbum καταβῆναι quę ad nomen πνεύματος pertinet, ut ſit ſenſus, corporalem illam ſpeciem in qua Spir. ſanct. apparuit, fuiſſe columbam. Socin. d. l. urget vocem εἶδος p. 109. Reſp. εἶδος ſignificat formam externam cui ipſa rei eſſentia eſt ſubſtrata. Sic columba illa proprietatib. ſuis individuantibus fuit inſtructa. An columbæ ſpecies, in qua Spir. ſanct. fuerit verum animal de novo ſine aliarum columbarum miniſterio creatum, quod poſt officium illud ſtatim deſierit, an verò tantummodò fuerit ſimilitudo ſive ſimulachrum columbæ, cujus uſus tantum fuerit, ut præſentiam Spiritus ſignatet, hoc loco operosè quærere non eſt neceſſe, ſed ſufficit nobis contra adverſarios, quod in peculiari & diſtincta ſpecie tanquam diſtincta à Patre & Filio perſona Spiritus ſanctus ſeſe manifeſtaverit. Remotis igitur Schmaltzij φλυαρίαις pro Spir. ſanct. perſonalitate ſic concludimus. Qui de cœlo vocem, edit, perſona eſt, qui in Jordanis ripa ſtat, perſona eſt, fatentibus adverſariis. At quibus argumen-

gumentis ex hac Hiſtoria propria eorum perſooalitas demonſtratur, ijſdem eriam S S. perſonalitas demonſtrari poteſt. Si non poteſt ex eo, quod Spiritus ſanct. in ſpecie columbæ viſibiliter deſcendit, inſerri Spiritum ſanctum eſſe perſonam, utique etiam ex eo, quod Pater edit vocem audibilem è cœlo, & Filius in aſſumta carne conſpicitur, non poterit inferri, quod Pater ſit diſtincta perſona à Filio & Filius à Patre. Regerit Goslavus contra Keckerm. p. 80. *Non omne quod apparet, eſt ſubſiſtens, ſiquidem etiam accidentia apparent.* Reſp. illa ipſa accidentia, quæ primò immediatè & per ſe in ſenſus incurrunt, teſtantur de ſubſtantia, quæ mediantibus illis accidentibus ſenſibus ſeſe offert. Cùm enim accidentia per ſe non ſubſiſtant ſed in ſuo ſubjecto, ideò etiam de eo teſtantur. Sic ergo *σωματικὸν* illud *εἶδος περιστερᾶς* quod Johanoes vidit, non ſuit merum ac nudum accidens, ſed res aliqua verè ſubſiſtens.

83. 3. *Si vel maximè Spiritus ſanct. in ſpecie columbæ apparuiſſet, nũ hinc efficeretur, ait* Schmaltz. contra Frantz. d. l. *Spiritum ſanctum eſſe æternum & immenſum adeoque conſervatorem cœli & terræ? nonne enim aliquid in forma columbæ apparere poteſt, quod tamen æternum non ſit? nonne verò neceſſarium etiam eſt illud non eſſe immenſum, quod in ſpecie columbæ apparet? nonne denique tantum non blaſphemum eſt, illud eſſe creatorem & conſervatorem cœli & terræ, quod in forma columbæ apparet?* Reſp. oos noo ita nudè & crudè colligimus, Spirirus ſanctus in ſpecie columbæ apparuit, ergo eſt æternus & immenſus adeoq; conſervator cœli & terræ. Sed primariò ac principaliter ex hac *θεοφανείᾳ* concludimus, in Deitate eſſe tres realiter diſtinctas perſonas, cùm in hac patefactione Deus ſeſe ſic manifeſtaverit, ac Spiritum ſanctum eſſe diſtinctam à Patre & Filio perſonam, cùm in ſpecie columbæ ſeſe diſtinctè manifeſtet, ſicut Pater in audibili voce & Filius in aſſumta carne. Quod rem ipſam attinet, Photiniani concedunt, *Spiritum ſanctum eſſe virtutem & potentiam Dei,* atqui negare nequeunt illam potentiam eſſe ęternam ac per eandem Deum cœlum & terram condidiſſe, negare igitur nou debent Sp. S. eſſe æternum & cœli ac terræ ut cooditorem ita cooſervatorem. Quod Schmaltzius ex hac *θεοφανείᾳ* concludere ſatagit *Spiritum S. non eſſe immenſum,* in eo peccat manifeſto paralogiſmo conſequentis, illud enim duntaxat ſequitur, corporalem illam ſpeciem columbæ oon fuiſſe immenſam, nec eſſe cœli & terræ conditricem, ſed ex eo perquam *ἀπαιδεύτως* infertur, ipſum Spiritum S. qui in illa ſpecie columbæ apparuir oon eſſe immenſum, cùm Pſ. 139. v. 6. Sap. 1. v. 7. diſertè id aſtruatur ac Spiritum S. non eſſe creatorem cœli & terræ, cùm Gen. 1. v. 3. Job. 26. v. 13. Pſ. 33. v. 6. illud opus creationis ei diſertè tribuatur.

84. 4. *Contrarium potius ex hoc loco colligitur, quàm quod ſint tres perſonæ unius divinæ eſſentiæ. Si enim Philippi regula certa eſt, diſtingui realiter omnia, quæ ſeparari à ſe invicem poſſunt, ſequitur Patrem, Filium & S. S. realiter diſtingui, ſeparantur enim à ſe invicem. Nam non deſcendit Pater de cœlo, nec in Iordane baptizatur, nec S. S. compellat Filium aut lavatur aqua Baptiſmo, quæ verò realiter diſtinguuntur, ejuſdem eſſentiæ ſingularis eſſe nequeunt.* Goſl. d. l. Reſp. diſtinguendum inter externa ſymbola tanquam *ſignum* & perſonas Trinitatis tanquam *ſignatum*. Externa illa ſymbola, vox Patris, aſſumta Natura Filij, ſpecies columbæ in qua Spiritus S. ſe manifeſtat, non ſolum realiter ſed etiam eſſentialiter diſtioguuntur ac ſeparanrur ſed perſonæ Trinitatis, quæ in hiſce externis ſymbolis ſe manifeſtant, *realiter* quidem noo tamen *eſſentialiter*, ſed *perſonaliter tantum* diſtinguuntur, ut colligitur ex omnibus Scripturæ dictis, quæ eſſentiæ divinæ unitatem probant, proinde ut aliàs comparatio nõ eſt extendenda ultra illud tertium propter quod inſtituitur, ita hæc ſymbolica Trinitatis manifeſtatio per tria ſymbola externa oon eſt ulterius extendenda quàm ut verum ac reale perſonarum diſcrimen manifeſtet, nequaquam verò ut unitati divinæ eſſentiæ opponatur. Regula illa, *quod ea quæ ſeparari à ſe invicem poſſunt, realiter diſtinguantur*, non eſt convertibilis, non enim ea quæ realiter diſtioguuntur, ſtatim à ſe invicem naturali virtute ſeparari poſſunt, ut patet exemplo propriorum, quæ à Philoſophis dicuntur *ſecunda Naturæ momenta*, ac ſi vel maxime de reali diſtinctione pro eſſeotiali accepta eſſet veriſſima, tamen non poſſet nec deberet adferri ad Trinitatis myſterium, in quo perſonas tres realiter quidem non ramen eſſentialiter ſed perſoualiter diſtingui ex verbo Dei novimus.

CAP. V.

Continens ſecundum argumentum pro aſtruendo Trinitatis myſterio ex N. T. deductum.

85. *Alterum principale argumentum* petimus ex *Baptiſmi noſtri inſtitutione* Matt. 28. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti.* Antequam v. ex hoc loco argumentum noſtrum ſormemus, tria circa illum notanda. 1. collatio Baptiſmi Chriſti cum inſtitutione noſtri Baptiſmi Ambroſ. ſerm. 21. inquit. *Non mirum ſi in Domini lavacro myſterium non defuit Trinitatis, cùm noſtrum lavacrum Trinitatis compleat Sacramentum. Neq; enim poterat Dominus non primum circa ſe exhibere, quod erat poſtea humano generi præcepturus. Quemadmodum* enim in Baptiſmo Chriſti tres perſonæ Deitatis diſtinctè ſe manifeſtant, ſic noſter Baptiſmus in earundem trium perſonarum nomine adminiſtrari jubetur, quia Chriſtus noſtrûm omnium perſonam ſuſtinens baptizatus in Baptiſmo, quem nobiſcum communem ſuſcepit, demonſtrare voluit, quæ beneficia à Deo in noſtro Baptiſmo ſint expectanda. 2. indivulſa connexio Baptiſmi & invocationis. Baſilius Epiſt. 78. *δεῖ ἡμᾶς βαπτίζεσθαι ὡς παρελάβομεν, πιστεύειν δὲ ὡς βαπτιζόμεθα, δοξάζειν δὲ ὡς πεπιστεύκαμεν πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα. Vt baptizamur, ita adoramus ut adoramus ita credimus videlic. in unum verum Deum Patrem, Filium & Spiritum S.* Quia igitur Chriſtus Baptiſmum in nomine Patris, Filij & S. S. adminiſtrari juſſit, eo ipſo Patrē, Filium & Spiritum S. unum verum Deum à nobis invocari præcepit. 3. Inſtitutionis hujus tempus. Cùm Chriſtus jamjam in cœlum aſcenſurus eſſet peracto in terris, ad quod à Patre miſſus erat, officio ſolennem illam adminiſtrandi Baptiſmi formam diſcipulis præſcripſit. Quamvis n. nõ proponatur

Secundum argumentum ex N. T. ductum ex inſtitutione noſtri Baptiſmi.

in his verbis prima Baptiſmi inſtitntio, cùm Johannes Baptiſta ante triennium novam illam S-cramcuti Baptiſtici Ceremoniam inchoaverit. Luc.3.v.3.Joh.1. v.32. ac Apoſtoli ex mandato Chriſti jam antè Baptiſmum adminiſtraverint Johan.4.v.2.exponitur tamen in eis ſolennis Baptiſmi forma in perpetuo Eccleſiæ uſu obſervanda ac mandatum de baptizandis omnibus omninò gentibus additur, ne Apoſtoli ex eo, quod hactenus in Judæa tantum Baptiſmus adminiſtratus fuerat, colligerent, eum eſſe certi tantum temporis ac loci Ceremoniam. Continet igitur ſolennis illa Baptiſmi inſtitutio veluti Teſtamentariam Chriſti diſpoſitionem, quam gravi conſilio Apoſtolis ante ſuum ex hoc mundo abitum commendavit, ab ejus igitur tenore vel minima ex parte diſcedere religio nobis eſſe debet. 4. Obſervandum etiam illud, quia in N. T. per incarnationem Filij myſterium Trinitatis clarius patefactum, ut ſuperius monuimus, ideò in ſolenni illa promulgatione Baptiſmi, qui eſt Sacramentum initiationis in N. T. diſtinctam trium perſonarum mentionem à Chriſto fieri.

86. Hiſce præmiſſis ex hoc loco itidem ut in priore duo illa membra demonſtramus 1. Patris, Filij & Sp.S. veram Deitatem. 2. Perſonalem horum trium diſtinctionem, quo utroque membro ſtabilito & confirmato noſtra de Trinitate confeſſio ſtabilita erit, quippe quæ nihil aliud continet, quàm Patrem, Filium & Sp.S. eſſe unum verũ Deum, nec tamen unam in divinitate perſonam, ſed tres agnoſcendas eſſe. Prius membrum ſic demonſtramus. In cujus nomen baptizamur, ille eſt verus & æternus Deus. Atqui baptizamur in nomen Patris, Filij & Sp.S. Ergo Pater, Filius & Sp.S. ſunt unus verus Deus. Minor eſt in textu. Major probatur ex evolutione illius phraſeos, quid ſit *baptizari in alicujus nomen, vel in alicujus nomine* εἰς τὸ ὄνομα vel ἐν τῷ ὀνόματι Act. 2. v. 38. 10. v. 48. Ea enim complectitur. 1. *mandatum & inſtitutionem Baptiſmi divinam. Ego te baptizo in nomine Patris, Filij & S.S.* hoc eſt, non adminiſtro Ceremoniam aliquam ex humana autoritate inſtitutam, ſed ſanctum ab ipſo Deo inſtitutum Sacramentum, nec ago privato arbitrio, ſed Dei loco, Dei mandato & in perſona ipſius Dei. Vid. loc. de Bapt. §. 80. Harmon. de reſurrect. p. 461. Ex eo ſic colligimus. Qui Baptiſmum inſtituit, ille eſt verus Deus, Pater, Filius ac Sp.S. inſtituerunt Baptiſmum. Ergo Pater, Filius ac Spir.S. ſunt unus verus Deus. Major confirmatur hoc modo. Sacramẽta inſtituere eſt ſolius veri Dei propriũ, q[ui]a ejus eſt media gratiæ inſtituere, cujus eſt gratiam dare, jam verò ſolus Deus dat juſtificationis gratiam, ergo ipſius ſolius eſt media gratiæ ſeu Sacramenta inſtituere. Vide pluribus id comprobatum in loc. de Sacram. §. 26. Baptiſmus eſt Sacramentum propriè dictum, quia habet omnia requiſita propriè dicti Sacramenti, adeſt Elementum externum, adeſt verbum mandati, adeſt promiſſio gratiæ Evangelij propriæ, neq; quicquam nominari poteſt, quod ad Sacramentum propriè dictum requiratur, quod non adſit in Baptiſmo, ut alibi plenius docetur. Ergo Baptiſmum inſtituere eſt ſolius Dei proprium. Minoris veritas, quod videlicet Pater, Filius ac Spir.S. Baptiſmum inſtituerint, patet ex textu. In cujus nomine Baptiſmus adminiſtratur, ab eo etiam Baptiſmus eſt inſtitutus ac mandatus. Sed in nomine Patris, Filij & S.S. Baptiſmus adminiſtratur. Ergo. Majorem comprobatam dedimus in loc. de Bapt. & Harmon. reſurr. d. l. Confer. Ex. 5. v. 23. Deut. 18. v. 20. Matth. 18. v. 20. 2. Cor. 2. v. 10. &c. Poſſunt etiam hûc referri dicta Scripturæ in quibus phraſis ἐν τῷ ὀνόματι ſignificat *in poteſtate & virtute.* Matt. 7. v. 22. Act. 3. v. 6. cap. 4. v. 7. &c. quia enim Pater, Filius & S.S. Sacramentum Baptiſticum inſtituerunt, ideò etiam per illud efficaciter ad ſalutem baptizati operantur & hac ratione in nomine, id eſt, virtute ac poteſtate divina Patris, Filij & S.S. baptiſmus confertur. 2. *invocationem Dei ſuper baptizatum. Ego te baptizo in nomine Patris, Filij & S.S.* h. e. invoco ſuper hanc Baptiſmi aquã nomen Patris ac Filij & Sp.S. ut in hac actione à ſe mandata juxta inſtitutionem ac promiſſionem ſuam adſit, teq; in gratiam recipiat, qui ſenſus hujus phraſeos colligitur ex 1. Sam. 17. v. 45. 2. Sam. 6. v. 18. 1. Reg. 18. v. 22. &c. ex eo ſic colligimus. Qui invocatur, ut baptizatum in gratiam recipiat ac ſpiritualia beneficia, inter quæ eſt vitæ æternæ hereditas, eidem conferat, is eſt verus Deus, quia religioſa invocatio eſt cultus ſoli Deo debitus, quod probatur ex eo, quia religioſam adorationem Deus ſibi ſoli ita tribuit, ut omnibus aliis extra ſe ſimpliciter eam deroget Deut. 6. v. 13. (cum quo confer Matth. 4. v. 10. Luc. 4. v. 8. ubi additur excluſiva) Exod. 23. v. 24. Pſal. 50. v. 15. Pſal. 97. v. 7. Eſ. 42. v. 8. cap. 48. v. 11. Apoc. 19. v. 9. cap. 22. v. 9. Confer loc. de Deo Patre & Filio §. 127. Jam ſubſumo. Pater, Filius & Spiritus S. invocantur, ut baptizatum in gratiam recipiant ac ſpiritualia beneficia, inter quæ eſt vitæ æternæ hereditas, eidem conferant, ut oſtenſum. Ergo. 3. *teſtificationem de fœdere gratiæ*, quod Deus init cum baptizato. *Ego te baptizo in nomine Patris, Filij ac Spir. ſanct.* hoc eſt, ego ſolenniter teſtificor & confirmo, quod hæc aqua, ſuper quam nomen Dei juxta ipſius inſtitutionem eſſe invocatum, non ſit nuda & ſimplex aqua, ſed ſalutare Sacramentum, cum ſit aqua verbo Dei comprehenſa & ſanctificata, ac proinde etiam teſtificor, quod per affuſionem hujus aquæ in nomine ſacroſanctæ Trinitatis factam Pater recipiat te in gratiam & acceptet te in Filium, quod Filius ſuo ſanguine à peccatis te abluat, veſte juſtitiæ induat ac in fratrem & coheredem acceptet, quod Spir. ſanct. te regeneret ac renovet ad vitam æternam ac velit te inpoſterum eſſe ſuum templum ac habitaculum, qui ſenſus hujus phraſeos colligitur ex Marc. 9. v. 39. & ex aliis Scripturæ locis. Conferatur dictum Apoſtoli 1. Corinth. 6. verſ. 11. *Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti & in Spiritu Dei noſtri*, ex quo conſtat primo, in nomine Chriſti bapt. eſſe idem quod in virtute & merito Chriſti à peccatis ablui. Secundò Chriſtum & Spiritum ſanctum non minus eſſe autorem noſtræ ablutionis ſanctificationis & juſtificationis quàm Patrem. Tertiò eum qui per Baptiſmum nos abluit, eſſe etiam juſtificationis cauſam principalem. Quare cùm Filio & Spir. S. tribuatur prius, poſterius eis denegari nequit. Juſtificatio autem eſt opus ſolius veri Dei, ut conſtat, ex quibus omnibus ſic inſcrimus. Qui baptizatum in gratiam recipit, fœdus gratiæ cum ipſo init, à peccatis abluit & heredem vitæ æternæ ſcribit, ille eſt verus Deus. Ratio eſt, quia hæc omnia ſimul ſumta competunt non inſtrumentali ſed principali ac primariæ ſalutis

noſtræ

noſtræ cauſæ, quæ eſt ſolus Deus Eſa. 43. v. 11. cap. 45. v. 21. Oſeæ 1. v. 7. &c. Vid. loc. de Deo Patre & Filio §. 113. Quemadmodum circumciſio in Vet. Teſt. erat fœdus inter verum Deum & hominem circumciſum Geneſ. 17. verſ. 7. ita Baptiſmus qui in Nov. Teſtam. ſucceſſit in locum circumciſionis Col. 2. v. 11. eſt fœdus gratiæ inter verum Deum & hominem baptizatum, unde à D. Petro pulcerrimâ appellatione vocatur *συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα* 1. Epiſt. 3. v. 21. cujus appellationis rationem ſic declarat D. Chemnic. in Harm. cap. 17. pag. 16. *Quando in Vet. Teſtam. in caſu aliquo et Dominu interrogabant, ut certi redderentur, quomodo Deus in tali caſu affectus eſſet erga ipſos, Græci ſemper uſurpant verbum ἐπερωτᾶν ἐν κυρίῳ & διὰ κυρίου. Baptiſmus igitur eſt interrogatio, quâ inter DEUM & peccatorem qui baptizatur, agitur de bona conſcientia erga DEUM propter Chriſtum, id eſt, quomodo Deus erga baptizatum affectus ſit, quid conſcientia baptizati de gratia Dei ſibi promittere debeat.* Jam ſubſumo. Pater, Filius & Spiritus ſanctus baptixatum in gratiam recipiunt, fœdus gratiæ cum ipſo ineunt, &c. Ergo Pater, Filius & Spiritus S. ſunt unus verus Deus. Tertull. lib. de Bapt. c. 6. *Fides obſignata in Patre & Filio & Spirit. Sanct. ablutionem delictorum impetrat. Nam ſi in tribus teſtibus ſtabit omne verbum, quanto magis dum habemus per benedictionem eoſdem arbitros fidei & ſponſores ſalutis, ſufficit ad fiduciam ſpei noſtræ & numerus divinorum nominum.* Socinus in explicat. locor. Script. pag. 82. *in nomine Chriſti prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, eſt Chriſto ipſo id præſtante & perficiente.* (Ergo etiam in nomine Chriſti baptizari eſt Chriſto ipſo & præſtante & perficiente baptizari & per Baptiſmum cœleſtium bonorum participem fieri.) 4. *obligationem baptizati* ad eum in cujus nomen baptizatur ex verbo rectè agnoſcendum, invocandum & colendum, qui ſenſus phraſeos colligitur ex Gal. 3. verſ. 27. unde ſic colligimus. Cui baptizatus ad honorem & cultum divinum exhibendum obligatur, is eſt verus Deus, quia Deus *gloriam ſuam* divinam *non vult dare alteri.* Eſa. 42. v. 8. cap. 43. v. 10. cap. 46. v. 9. &c. certè cui divinus honor defertur, illi etiam divina Natura tribuitur, quia divinus honor non niſi ratione Naturæ divinæ debetur. Ut enim Deus non niſi ratione ſuæ Naturæ divinæ Deus eſt, ita non niſi ratione divinæ Naturæ divino honore colitur. Deum colere eſt divinam in eo Naturam agnoſcere, venerari & colere. Jam ſubſumo. Deo Patri, Filio & Spiritui ſancto baptizatus ad honorem & cultum divinum exhibendum obſtringitur, ut conſtat ex prioribus. Ergo Pater, Filius & Spiritus ſanctus eſt unus verus Deus.

87. Accuratè autem nota 1. Chriſtum præcipere ut baptixetur non in nominibus *ſed in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* ut unum Dei nomen, id eſt, una Deitatis eſſentia hiſce tribus competere demonſtretur, id quod trium iſtarum perſonarum *ὁμοουσίαν* probat. Ambroſ. lib. 1. de S. S. cap. 4. *Quis unitatem ſeparare audeat nominis cùm operationis videat unitatem? Sed quid ego unitatem nominis argumentis aſtruo, cùm divinæ vocis evidens teſtimonium ſit, unum nomen eſſe Patris, & Filii & Spir. ſanct. Scriptum eſt enim. Ite, baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spir. ſanct. in nomine dixit, non in nominibus. Non Exegeſis.*

ergo aliud nomen Patris, aliud nomen Filii, aliud nomen Spir. ſanct. quia unus, non plura nomina, quia non duo Dii, nõ tres Dii Theoph. in cõm. Matt. 28. *Unum nomen, una Deitas.* Quæ omnia eo ſenſu accipienda ut nomen *eſſentialiter* intelligatur, ſi verò *perſonaliter* ſumitur, tunc *tria nomina*, i. e. tres perſonæ dicuntur, ut eſt in Confeſſione Eccleſiæ. *Pater, Filius, ſanctus Spiritus etia ſunt nomina omnia eâdem ſubſtantia.* 2. non baptizari nos in nomine Patris per Filium ſed *in nomine Patris, Filii & Spir. ſanct.* Ariani olim baptizabant *in nomine Patris per Filium in Spiritu ſanct.* teſte Sozomeno lib. Hiſtor. cap. 26. Niceph. lib. 16. c. 35. ut inæqualitatem horum trium hac Baptiſmi formâ profiterentur, utique ergo in conſcientia ſua convicti erant, formam Baptiſmi à Chriſto inſtitutam *ὁμοουσίαν* & æqualitatem harum trium perſonarum comprobare. 3. Patri, Filium & S. S. ita conjungi, ut non minus in ipſorum quàm Patris nomine Baptiſmus adminiſtretur, ergo una virtus, una majeſtas, una & æqualis autoritas illis tribuitur. Niſi enim una horum trium eſſet virtus, majeſtas una, & æqualis autoritas, utique in Baptiſtici Sacramenti adminiſtratione non conjungerentur æqualiter Patri. Iſidorus Pelus lib. 1. Epiſt. 109. *Cùm Deus & Salvator noſter Spir. ſanct. divinã Trinitatem complere tradiderit, atq; in ſancti Baptiſmi invocatione unà cum Patre & Filio, tanquam à peccatis liberant numeretur, &c. quid eum quiddam factitium, aut creatum aut ſervilis Naturæ ac non herilis & effectricis ac Regiæ eſſentiæ cognatum & conſubſtantialem Spir. S. eſſe doces? Nam ſi ſervus eſt, cum Domino minimè numeretur. Si creatus eſt, cum creatore minime conjungatur.* Idem per omnia de Filio dicimus. Quòd ſi enim inæquali ratione cum Patre Filius & S. S. conjungerentur, procul dubio conjungerentur ut inſtrumenta cum cauſa ſua principali, ut colligitur ex aliis Scripturæ dictis, quæ Photiniani urgent, in quibus vel perſonæ vel res humanæ in operationibus & actionibus ſive noſtris erga Deum ſive DEI erga nos cum ipſo DEO conjunguntur Exod. 14. v. 31. *crediderunt Iehova & Moſi* Jud. 7. v. 18. *Gladius Gideonis & Dei.* 1. Sam. 12. v. 18. *Timuerunt Samuelem & Dominum, &c.* Jam verò de conjunctione Filii & S. S. cum Patre tale quid cogitari vel aſſeri nequit, quia quicquid ſit de Filio, cujus *ὁμοουσίαν* cum Patre alibi oſtendemus, certè de S. S. Photiniani ſalvis ſuis hypotheſibus ſtatuere nequeunt, ꝙ cum Patre cõjungatur tanquam inſtrumentũ, cùm ſtatuant ipſum eſſe virtutem & potentiã Dei, jam v. Deus per ſuam potentiam nõ agit tanquã per inſtrumentũ. 4. Chriſtum, cùm ſolẽnem illam Baptiſmi inſtitutionem promulgare vellet, pręmiſiſſe Matth. 28. v. 18. *mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra*, quo ipſo oſtendit Baptiſmum adminiſtrari in nomine ſuo, nõ tanquã ſervi & miniſtri ſed tanquã Domini, adeoq; unius cum Patre & S. S. Dei, niſi n. verus Deus eſſet, divinæ illius & infinitæ poteſtatis, quę per *πᾶσαν ἐξουσίαν* in cœlo ac terra denotatur, ſecundùm humanã Naturam verè & realiter particeps fieri non potuiſſet, ut ſuo loco docetur. 5. Act. 2. v. 38. c. 10. v. 48. commemorari, quod Apoſtoli baptixaverint *in nominè Chriſti.* Id nequaquã eo ſenſu accipiendũ ut quidam ex Pontificiis volũt, ꝙ Apoſtoli ipſam eſſentialem verborũ formam ad temp᷒ mutaverint, ut nomẽ Chriſti illuſtrius & auguſti᷒ redderẽt, Eccius in Enchir. loco-

rum Hardingus art. 2. de communione ſub una ſpecie ſect. 9. Neque enim ullo modo veriſimile eſt, eos qui à Chriſto in ipſa Baptiſmi promulgatione audiverant, *docere eos ſervare, quæ ego præcepi vobis*, à verbis inſtitutionis à Chriſto Magiſtro præſcriptis temerè diſceſſiſſe, ſed de cauſa efficiente & finali, non autem de forma verborum uſurpata id accipiendum, ut in loc. de Bapt. §. 91. pluribus oſtendimus. Colligimus autem includantur, quia ſcilicet ſunt unius & indiviſæ eſſentiæ ac ſine ulla inæqualitate ad Baptiſmum concurrunt.

88. Atq; hæc de *priore argumenti noſtri membro* videlicet de vera Patris, Filii & Spir. ſanct. Deitate, adeoque horum trium ὁμουσίᾳ & æqualitate dicta ſunto, reſtat ut *ad poſterius membrum* accedamus ac perſonalem horum trium Patris ſcil. Filii & Spir. S. diſtinctionem demonſtremus. Eam verò confirmant. 1. *tria diſtincta nomina.* Neque enim in Patris tantum ſed etiam in Filii & Spir. ſanct. nomine Baptiſmus adminiſtrari jubetur. Baſilius Epiſtol. 64. *Ex eo quod dictum eſt. Euntes baptizate in nomine Patris, &c. non eſt putandum, unum duntaxat nomen eſſe traditum* (unam perſonam nominatam, quia vox nominis perſonaliter à Baſilio accipitur) *Quemadmodum enim qui Paulum & Sylvanum & Timotheum nominat, tria quidem nomina dicit, cùm tria dicat, conjunctione illâ complexus, unicuique nomini proprium ſubeſſe ſignificatum docet, quapropter & rerum in ſe ſignificationem habent nomina, res verò diſcretam & abſolutam habere eſſentiam nemo eorum, qui vel ſenſu præditi ſunt, ambigit. Patris enim & Filii & Spiritus S. natura quidem eadem eſt & divinitas una, nomina verò diſcreta determinatas nobis & abſolutas intelligentias offerunt.* 2. *articulus* δεικτικὸς *ter repetitus* & cuilibet nomini additus. Baptizate in nomine τοῦ Πατρὸς, τοῦ υἱοῦ, τοῦ ἁγίου πνεύματος *illius Patris*, cujus vocem cœlitùs delatam in Baptiſmo & transfiguratione mea audiviſtis, à quo me exiviſſe & in mundum eſſe miſſum toties profeſſus ſum; *illius Filii*, quem in aſſumta carne hactenus vidiſtis, cujus gloriam tanquam unigeniti à Patre vidiſtis; *illius Spiritus ſancti*, quem in ſpecie columbæ ac in lucida nube ſuper me deſcendere vidiſtis & cujus promiſſionem à me accepiſtis, &c. Et ſanè fatetur ipſe Socinus repetitionem illam articuli non carere ſingulari emphaſi in lib. de Baptiſm. aq. cap. 2. p. 28. *Non ſimpliciter*, inquit, *& indefinitè verba prolata ſunt, verùm cum relatione manifeſta addito ſingulis articulo, cujus tanta vis eſt, ut certos quoſdam deſignet, ad quam articuli vim exprimendam, adjungendum eſſet in verſione Latina ſingulis pronomen hoc pacto. Baptizantes eos in vel ad nomen illius Patris, illius Filii & illius Spiritus ſanct.* 3. *conjunctio copulativa* καὶ bis repetita, per quam Filius & Spiritus ſanctus in forma Baptiſmi Patri æqualiter conjunguntur. *Baptizate eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.* At niſi Pater Filius & Spiritus S. eſſent tres diſtinctæ perſonæ, quorſum illa copulativa insereretur? 4. Si conjungantur alia Scripturæ dicta, apparebit, quamlibet perſonam *peculiaria beneficia* in Baptiſmo & per baptiſmum diſtribuere, quò reſpiciens Chriſtus, expreſſam & diſtinctam trium perſonarum mentionem in Baptiſmi adminiſtratione fieri præcepit. *De Patre* dicitur Tit. 3. v. 5. *juxta miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis* 1. Petri 3. v. 21. *Baptiſmus eſt conſcientia bonæ interrogatio erga Deum. De Filio* dicitur Eph. 5. v. 26. *Chriſtus dilexit Eccleſiam & ſeipſum tradidit pro ea v. 27. ut mundaret eam lavacro aquæ in verbo.* Per Baptiſmum *Chriſtum induimus* Gal. 3. v. 27. baptizamur *in ipſius mortem* Rom. 6. v. 4. *& morti ejus complantamur* v. 5. *De Spiritu ſancto* dicitur. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit regnum Dei* Joh. 3. v. 5. *Baptiſmus eſt lavacrum regenerationis & renovationis S. S.* Ti. 3. v. 5. Vide loc. de Bapt. §. 101. & ſeqq. Atqui illa ipſa diſtincta beneficiorum enumeratio, quæ à ſingulis Trinitatis perſonis ad nos deſcendunt, argumentum eſt, in ipſo Deitatis complexu perſonis hiſce reale aliquod diſcrimen intercedere, quod per exteriorum iſtorum beneficiorum diſtinctam enumerationem denotatur.

89. Videamus verò exceptiones adverſariorum. 1. Quidam per inſignem impudentiam dicunt, *locum hunc eſſe ſuppoſititium ab Athanaſianis textui inſertum.* Franc. David. & Georg. Blandrata in refut. ſcripti Georgii Majoris lit. N. fol. 4. Reſp. 1. omnes hæretici omnia Scripturæ dicta hoc ſubterfugio eludere, eorundemque vim elidere poſſent. 2. ſine ulla probatione imò ſine ulla probabili conjectura illud aſſeritur, meritò igitur tanquam fictum & falſum rejicitur. 3. ſeries contextus illam Baptiſmi formam diſertè exprimi requirit. 4. antiquiſſimi Eccleſiæ doctores hæc verba tanquam genuina & Canonica allegant. Ignatius in Epiſt. ad Philadelph. *Dominus mittens Apoſtolos ad docendum omnes gentes præcepit eis ut baptizarent in nomine Patris & Filii & Spiritus S. non in unum trinominem, neque in tres incarnatos, ſed in tres ejuſdem honoris.* Tertull. adv. Prax. eam cap. 2. & omnes qui de Trinitate tractarunt. 5. nullus Arianorum hac exceptione uſus legitur, cùm tamen ſummis viribus Filii Deitatem & conſequenter Trinitatis dogma impugnarent. 6. recentiores Photinianos hujus audacis commenti pudet.

90. 2. *Apoſtolus teſtatur in Moſen quoque Iſraelitas fuiſſe baptizatos* 1. Cor. 10. v. 2. *neq; tamen ex eo colligi poteſt, Moſen fuiſſe verum Deum. Ergo nec ex eo quod in Chriſti & S. S. nomen baptizamur, idem colligi poterit.* Socin. in animadv. ad aſſert. 6. Poſnan. p. 44. Catech. Racov. p. 44. & reliqui omnes. Reſp. Baptiſmi nomen in loco allegato non accipitur propriè pro Sacramento illo initiationis ad conferendam peccatorum remiſſionem & æternam ſalutem divinitùs inſtituto, quod in ſolius Dei nomine conferri poſſe ac debere ſuperiùs oſtendimus, unde etiam Apoſtolus tanto conatu negat, Corinthios *in ſuum nomen* baptizatos eſſe 1. Cor. 1. v. 13. ſed *metaphoricè ac typicè* pro deductione per mare rubrum, qui tranſitus maris fuit Baptiſmi noſtri typus. Dicuntur autem Iſraëlitæ *in Moſen baptizati* vel q a Moſis miniſterio per mare rubrum deducti, vel quia per illud beneficium divinum obligati fuerunt, ut Moſi Dei miniſtro fidem adhiberent. Vid. diſp. 10. de glor. Dei §. 4.

91. 3. *Baptizari in nomine Spiritus S. nihil aliud eſt quàm S. S. donari, quia* Act. 2. v. 38. *dicitur: Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti & accipietis virtutem S. S. Ergo ex eo quod in nomen Filii & S. S. baptizamur, non poteſt harum perſonarum cum Patre* ὁμουσίᾳ *inferri.* Franc. David. in Coll. Tranſylv. act. diei 5. Reſp. vera

vera eſt hæc explicatio ſed inſufficiens, ut ex dictis conſtat. Non negamus illos, qui in vera fide Baptiſmum ſuſcipiunt, per Spir. S. regenerari ac renovari, Spiritu donari, ſed ex eo non debet inferri, in nomen Spir. S. baptizari nihil aliud eſſe quàm Spiritu ſancto donari, aliàs conſequens foret, in nomen Patris & Filii baptizari nihil aliud eſſe quàm Patre & Filio vel certè beneficiis à Patre & Filio profectis donari, cùm tamẽ hæc phraſis longè plura complectatur, uti viſum fuit.

92. 4. *Locum Matthæi quidem affirmare, quod homines in nomen Patris, Filii & S. S. baptizari debeant, ſed Patrem, Filium & S. S. ſingulos divinas perſonas eſſe, id nec verba teſtari neque ullâ ratione vel conſequentia demonſtrari poſſe, cùm Filius ſit perſona divina, ſed longè diverſa ratione quàm Pater. Spiritus S. verò non ſit perſona.* Schmaltz. in refut. theſ. D. Frantz. p. 5. ſenſum verborum dicit eſſe eum, *quod illi qui Chriſti diſcipuli fieri volunt, erudiendi ſint in doctrina de Deo Patre & Ieſu Chriſto & Spir. S. quæ ad ſalutem omnino neceſſaria eſt, etiamſi nec Filius ille Deus unus ſit, qui Pater eſt, nec S. S. ſit perſona.* p. 36. Reſp. 1. & veram Filii Deitatem & Spiritus S. perſonalitatem luculentè uti ſpero, ex verbia Chriſti oſtendimus. 2. eos qui baptizantur, in doctrina, de Deo erudiendos eſſe non negamus, ſed in hiſce inſtitutionis Baptiſticæ verbis nihilo plus contineri, hoc verò eſt, quod probari cupimus. 3. non de *Baptiſmo doctrinæ ſed aquæ* Chriſti verba accipienda eſſe, alibi demonſtratur. Certè vox Baptiſmi Grammaticè non ſignificat doctrinam, ac quæ pro ſtabilienda hujus vocis pro doctrina ſignificatione afferuntur, includunt aquę Baptiſmum, ſynecdochicè igitur accipienda ſunt, ipſum ergo Baptiſmi nomen abſolutè poſitum niſi evidentia textus aliud ſtatuere cogat, ſemper accipitur de Baptiſmo aquæ, quæ eſt propria & nativa ejus ſignificatio. Tantùm verò abeſt, ut quicquam in verbis CHRISTI occurrat, quod à proprietate literæ nos diſcedere & de doctrinæ Baptiſmo eadem accipere cogat, ut potius contrarium ex illis colligatur. Doctrinæ enim Chriſtus jam antea fecerat mentionem, ideoque non niſi per inſignem ταυτολογίας verbum baptizandi ad doctrinam referri poteſt. Vid. loc. de Bapt. §. 115. 4. Quo modo in Patris nomen baptizari jubemur, eo etiam modo in Filii nomen jubemur baptizari, ut oſtendit copulativa καὶ. Atqui baptizamur in nomen Patris ut veri Dei. Ergo etiam eo modo in nomen Filii baptizamur. 5. Quo modo in verbis illis Filius à Patre diſtinguitur, eo etiam modo Spiritus S. à Patre diſtinguitur, ut oſtendit textus ſeries. Atqui Filius à Patre diſtinguitur ut perſona. Ergo etiam Spiritus S. à Patre ut perſona diſtinguitur. Vid. Diſp. 10. de gloria Dei. §. 5.

93. 5. *Non eſt novum ut res cum perſonis in rebus Baptiſmo ſimilibus conjungantur & idem illis tribuatur quod perſonis, his quidem propriè, illis verò impropriè.* Schmaltz. d. l. p. 36. ubi affert hæc exempla. Act. 20. v. 32. Eph. 6. v. 10. Phil. 3. v. 10. *Sæpe ipſi homines mortales in operationib9 & actionibus ſive noſtris erga Deum ſive Dei erga nos cum Deo conjunguntur.* Socin. in animadv. ad aſſert. 6. Poſn. p. 44. Reſp. patet ex præcedentib. 1. Quando res vel perſonæ mortales cum Deo conjunguntur, tunc ex antecedentibus & conſequentib. elucet, illas res creatas, nõ æqualiter ſed tanquam inſtrumentales cauſas cum Deo conjungi, at in forma Baptiſmi Filium & S. S. æqualiter cum Patre conjungi oſtendimus. 2. in exemplis allatis talia proferuntur, quæ Deo & creaturę non quidem æqualiter tamen diverſâ ratione ſimul competere poſſunt, ſed Baptiſmum in alicujus nomen vel nomine adminiſtrari ita comparatum eſt, ut nulli omnino creaturæ, ſed ſoli Deo competere poſſit. 1. Cor. 1. v. 13.

94. Cumprimis verò Socin⁹ in defenſ. animadverſ. contra Eutropium Ann. 618. edita, in detorſione hujus loci valde occupatus eſt, videamus ergo quid afferat. 322. Sic diſputare incipit. 1. *ex Chriſti invocatione unà cum Patre in Baptiſmo non poteſt colligi, utriuſque invocationem eſſe parem, nam Pater invocari poteſt, ut prima regenerationis cauſa, Chriſtus vero ut ſecunda, quia ille eſt is ex quo omnia, hic verò is per quem omnia.* Reſp. 1. ut unus Deus, una divina eſſentia, ita quoque una invocatio religioſa. Qui Chriſtum divino honore colendum & invocandũ docent & interim verum Naturâ Deum eſſe negant, revera plures Deos introducunt, ut alibi plenius monſtrabitur. 2. Ubicunque religioſa Dei adoratio opponitur adorationi ſculptilium & idololatriæ, ibi talis adoratio intelligitur, quæ non niſi ſoli æterno & Naturâ vero Deo competit. At talis adoratio Chriſto tribuitur Pſal. 97. verſ. 7. Heb. 1. v. 6. 3. Apoſtolus à Patre & Chriſto æqualiter *gratiam & pacem* Eccleſiis precatur. 4. Baptiſmus *in nomine Patris & Filii* æqualiter confertur. 5. ut Sp. S. in Baptiſmo ſuper baptizatum invocatur, ita quoque Filius. Atqui de Sp. S. dici nequit, quod inferiori quadam adoratione invocetur, eſt enim ex Photinianorum hypotheſi ipſa Dei virtus & potentia. 6. Filius debet ab omnib. honorari καθὼς ſicut Pater honoratur. Johan. 5. verſ. 23. Ergo non inferiore aliquâ adoratione. Confer. loc. de Deo Patre §. 142.

95. 2. *Spiritus S. invocatio niſi is perſona eſſe oſtendatur ab ipſo Deo Patre diſtincta, par eſſe poteſt ipſius Dei Patris invocationi & tamen hoc nihil juvabit adverſarium, quippe qui probandũ ſibi ſumſerit tres eſſe perſonas in una divina eſſentia*, p. ead. Reſp. 1. Si Spiritus ſancti invocatio par eſſe poteſt ipſius Dei Patris invocationi, utique etiam invocatio Filii par eſt vel potius eadem invocationi Patris, quia per particulam καὶ æqualiter ut Pater & Spir. S. ita quoque Pater & Filius conjunguntur. 2. Quot perſonę in Baptiſmi adminiſtratione invocantur, tot etiam Perſonæ ſunt in divina eſſentia, quia adoratio nemini competit, niſi qui per Naturam eſt verus Deus. Atqui tres perſonæ in Baptiſmi adminiſtratione invocantur. Ergo 3 Si Spir. S. unà cum Patre & Filio adoratur, utiq; eſt diſtincta à Patre & Filio perſona. Quorſum n. diſtincta ejus fieret mentio, niſi eſſet perſona à Patre diſtincta? Quis unquam in ſacris literis legit diſtinctè invocari Dei ſapientiã, Dei bonitatem, Dei juſtitiam? Quod ſi ergo Sp. S. non eſt diſtincta perſona, ſed tantũ Dei virtus, utiq; non poſſet in invocatione diſtincta illius fieri mentio. Vidit adverſarius invictum hujus argumẽti robur, unde ſubjungit. *Quamvis exemplum fortaſſe nullum ejus rei inveniatur, tamen non videmus, cur quiſpiam Deum, unaq; ejus virtutem ac potentiam invocare non poſſit.* p. 322. At omninò neceſſarium erat hujus rei exemplum afferri, quia invocatio noſtra normã verbi ac divinæ revelationis debet

ſequi. 4. Agnoſcit hoc adverſarius, ideò ſolicitè quærit exempla, ſed quæ affert, omnia ſunt aliena. *Pſaltes dicit ſe in umbra alarum Dei ſperaturum, alius verò in locis ſe in Dei miſericordia ſperaſſe aſſerit* Pſ. 57. v. 2. Pſ. 36. v. 8. Pſ. 13. v. 6. Pſ. 52. v. 10. *quid verò prohibet, quominus id invocetur, in quo ſperatur.* Atqui diverſitas eſt in exemplis. Sperare in Dei miſericordiam rectè dicimur, etiamſi miſericordia non ſit diſtincta à Deo perſona, at invocare Dei potentiam non poſſumus, niſi potentia ſit diſtincta perſona, cùm invocatio objecti loco habeat perſonam. 5. Pergit Socinus, *nomen Dei paſſim dicitur invocatum, atqui illud denotat divinam virtutem.* Reſp. nomen Dei eſt ipſe Deus. Pſ. 48. v. 11. 2. Par. 14. v. 11. unde ipſe Socin. p. 325. addit. *Hebræi alicujus rei nomen pro re ipſa uſitatiſſimè dicunt.* Invocare ergo Dei nomen eſt ipſum Deum invocare. Monſtret v. adverſarius quenquam invocaſſe Dei nomen ut aliquid à Deo diſtinctum. Non eſt, quod quis regerat, *humanam Chriſti Naturam invocari, quæ tamen non ſit perſona.* Negamus enim eam diſtinctè compellari in invocatione ac cum Patre, Filio & Spiritu S. coadorari, ſed unâ eademque invocatione Chriſtum Deum & hominem invocari dicimus.

96. 3. *Ex eo, quod Spiritus ſanctus unà cum Patre in Baptiſmo invocatur, fortaſſis oſtenditur, Spiritum S. aliquid à Patre diſtinctum eſſe ſed perſonã aliquam nullo modo.* p. 324. Reſp. non ex ſola invocatione ſed etiam ex aliis perſonę attributis argumentũ petimus, ſic enim concludimus. Quisquis ita à Patre diſtinguitur, ut in invocatione diſtinctè compelletur, ut in ipſius nomine æquè ut in Patris nomine Baptiſmus adminiſtretur, ut in peculiari Symbolo externo ſeſe manifeſtet, ut alius à Patre & Filio dicatur, ille non quovis modo ſed ut perſona à Patre diſtinguitur. Atqui Spir. S. membra hactenus enumerata competunt, ſed attributo alicui divino, miſericordiæ, potentiæ, ſapientiæ, &c. non competunt.

97. 4. Sentit adverſarius argumenti robur, ideò tandem impudenter negat, Sp. S. in Baptiſ. invocari. *Falſum eſt,* inquit, *ex Chriſti verbis colligi poſſe, Filium & S. S. in Baptiſmo invocari.* p. 324. At contrarium ſuperius oſtendimus. Quomodo igitur negativã ſuam Socinus probat & quid noſtro argumento ex Inſtitutione Baptiſmi ducto reſpondet? *Vox nomen* (inquit) *hoc loco non ſignificat aliquam poteſtatem & virtutem Patris, ſed in Patris nomen eſt idem atque in Patrem baptizari,* quod probat 1. *ex frequentiſſima in ſacris literis ejusmodi locutione. 2. baptizari in nomen Filii eſt baptizari in Chriſtũ* Rom. 6. v. 3. Gal 3. v. 27. 3. *Si vox nomen poteſtatem declaret, dictũ eſſet in nomine, quâ locutione fatemur interdum virtutem ſignificari.* Reſp. 1. Concedimus in nomen Patris, Filii & S. S. baptizari eſſe idem quod in Patrem, Filium & Sp. S. baptizari, id eſt, ad Patrem, Filium & S. S. pro vero Deo agnoſcendum, colendum, invocandum, &c. per Baptiſmum obligari, ſed negamus illud tantùm his verbis exprimi, cùm longè plura hæc phraſis complectatur, ut ſuperiùs vidimus. 2. baptizari in alicujus nomen vel in aliquem ita comparatũ eſt, ut divinam potentiam, majeſtatem & autoritatem illius exprimat, in cujus nomen vel in quem Baptiſmus confertur, unde nulli creaturæ in Scriptura id tribuitur, neque enim convenit Baptiſmum adminiſtrari in ejus nomen, qui eſt cauſa ſalutis adminiſtra nõ primaria & principalis, unde Apoſtol. tanto conatu negat, in nomen ſuum Corinthios eſſe baptizatos 1. Cor. 1. v. 13. 3. Utrumq; aſſerit Scriptura, nos baptizari in nomen Chriſti & baptizari in nomine Chriſti, ut apparet ex Actor. 2. v. 38. cap. 10. v. 48. Quod ſi ergo in nomine Filii & S. S. baptizari, ſignificat in poteſtate & virtute Filii baptizari, agnoſcat, invocationem Filii & S. S. ex Baptiſmi formula rectè deduci.

98. Regerit adverſarius 1. *quid hoc ad locũ noſtrũ, ubi alia eſt locutio & ubi de S. S. quoq; agitur, quem in Baptiſmo invocari aliunde nullo pacto apparet.* p. 325. Reſp. Filiũ illũ, in cujus nomine baptiſmus confertur, eſſe Chriſtum, adverſarius negare nequit, utique ergo loca illa, in quib. dicitur baptiſmus conferri in nomine Chriſti tanquã parallela conferri poſſunt cum illis, in quib. dicimur baptizari in nomẽ Filii. Quod negat *aliunde conſtare, S. S. in Baptiſmo invocari, proinde etiam ex h. l. illud concludendũ non eſſe,* ad id reſpondemus verbis ipſius Socini p. 326. *Quid vetat quò minus, etiamſi alibi id factũ non inveniatur, hîc tamen factum fuerit? certè ſi adverſaris Entropii ratio vera eſſet, nihil ſingulare uſquã in ſacris literis inveniretur, i. e. cujus prorſus ſimile quippiam alibi dictum non eſſet, & tamẽ multa ejusmodi inveniuntur.* Hęc Socinus, argutiæ ſuæ ipſemet reſpondens. Addimus 2. non ſolum ex formula Baptiſmi ſed etiam aliunde S. S. invocationem probari poſſe. Is n. qui Prophetæ dixit, *Vade, obtura aures populi,* cœleſti δοξολογίᾳ ab Angelis honoratur Eſ. 6. v. 3. 5. 6 At S. S. ea dixiſſe teſtis eſt Apoſtol. Act. 28. v. 25. Ergo S. S. cœleſti δοξολογίᾳ ab Angelis adoratur. Sic 1. Cor. 6. v. 19. *Corpus veſtrum eſt templum S. S. qui in vobis eſt v. 20. glorificate ergo Deum in corpore veſtro.* 2. Cor. 13. v. 13. *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti caritas Dei & communicatio S. S. ſit cum vobis omnibus.* Apoc. 1. v. 4. *Gratia vobis & pax ab eo qui eſt & qui erat & qui venturus eſt & à ſeptem Spiritibus qui ſunt in conſpectu throni ejus,* ubi per ſeptem Spiritus μετωνυμικῶς intelligitur S. S. *ſeptiformis munere.* Hûc etiam referri poteſt benedictio ſacerdotalis Num. 6. 2. *Nec tamen* (pergit Socinus) *hoc idcircò dicimus, quod locutionem iſtam in nomine ipſam per ſe in Baptiſmo accipiendo invocationem declarare concedamus, quandoquidem hic quoq; vulgatiſſimũ illũ Hebraiſmum agnoſcere poſſumus, ut baptizari in nomine Chriſti idem ſignificet, quod baptizari in Chriſto, vel ſi vox nomen hic aliquid expreſſius ſignificat, id denominationẽ à Chriſto eiq; ſui ipſius ſubjectionem declarat, quam is profiteatur, qui Baptiſmum accipit.* Reſp. Chriſtum in Baptiſmo invocari poſſe, adeoq; etiã invocandum eſſe adverſarius nõ negat, eccur igitur agnoſcere recuſat, *τὸ in Chriſti nomine baptizari,* invocationem Chriſti complecti? Repetimus & urgemus noſtrũ argumentum. Is in cujus nomẽ baptizamur, Sacramentum baptiſmi inſtituit & adminiſtrari pręcepit, idem per Baptiſmum ad ſalutem baptizati tanquã cauſa primaria & principalis efficaciter agit, idem etiã cum baptizato fœdus gratiæ init & ad eũ pro vero Deo agnoſcendũ, invocandum & colendũ baptizatus ſolenniter obligatur. Atqui in nomen non ſolùm Patris, ſed etiam Filii & S. S. baptizamur. Ergo. Adde quod illa ipſa ſubjectio ac denominatio à Chriſto, quam phraſi illâ ſignificari Soc. concedit, Chriſtum eſſe verum Deum & cultum invocationis ipſi deberi manifeſtè arguit, id quod ex 1. Cor. 1. v. 12. 13. colligi

poteſt,

poteſt, ibi enim à Paulo, Cepha, Apollo, &c. fideles denominari Apoſtolus prohibet, ſed à Chriſto Chriſtianos denominari potuiſſe ac denominatos fuiſſe conſtat ex Actor. 11. v. 26. neque id improbavit Apoſtolus, ut colligitur ex Actor. 26. verſ. 28. quæ denominatio fidei Magiſtrum & autorem ſalutis principalem arguit. 3. *locutio illa in nomine cum DEO accommodatur ſæpe nihil aliud ſignificat, quàm ſi Deus ipſe ſimpliciter denominaretur. Atqui cum Deo ſimpliciter nominato creaturas conjungi idq́; in rebus maximis & alioqui Dei propriis conſtat* ex Ex.14.v.31.2.Par.20. v.20.1Sam.12.18.Jud.7.v.18.Reſp. patet ex dictis

99. 5. *Filium cum Patre in regeneratione conjungi* concedit ſed ex *conjunctione iſta parem utriuſque operationem in regenerando colligi poſſe negat, cùm alia etiam perſona Deo in operibus divinis conjungantur, quarum non eſt eadem cum Deo operatio*, p.328. *cumq́; in Chriſto, ideſt, per Chriſtum regenerari dicamur* p.329. id quod ſic explicat, *Patrem eſſe regenerationis cauſam primã & ſummam, Chriſtum verò ſecundam & mediam.* p.331. quin & *Chriſtum eſſe non ſolùm cauſam ſecundam ſed in hoc regenerationis opere & in aliis omnibus ad Eccleſiam ſpectantibus ipſius Dei tanquã vicarium*, p.332. Reſp. quomodo & quo gradu Filius in opere regenerationis atque aliis operib. merè ac verè divinis Patri conjungatur non ex noſtræ rationis prædicamentis ſed ex divinæ veritatis tabulis definiendum eſt. Ex v. oſtendunt, Chriſtum nequaquam ut *cauſam ſecundam* & inferiorem cum Patre conjungi, ſed ut *cauſam principem & ſummam* æquali imò eadem virtute divinâ agentem, neque ut vicarium Patri ſubordinari, ſed ut ejuſdem cum Patre eſſentiæ ac potentiæ participem eidem æqualiter conjungi. Probamus hoc 1. *in genere.* Joh. 5. v. 19. *Quæcunque Pater facit ταῦτα καὶ ὁμοίως Filius facit v. 23. ut omnes honorent Filium καθὼς ſicut Patrem honorant.* Judæi ex eo, quod Chriſtus dixerat *Pater meus operatur uſque huc & ego operor*, inferebant Chriſtum ſe *æqualem Deo* profiteri, hanc collectionem Chriſtus non refellit, ſed æqualitatem illam probat ex operum ταυτότητι & agendi ὁμοιότητι, ex qua etiam divini honoris & cultus æqualitas oriatur Nazianz. orat. 4. de Theol. *Non ideo dicit ὁμοίως quod ſit operum ſimilitudo, ſed quod utrinſq; par ſit facultas parque majeſtas.* Joh. 10.v.28. *Nemo rapiet oves meas de manu mea v. 29. nemo poteſt eas rapere de manu Patris. v. 30. ego & Pater unum ſumus.* Eadem ergo manus, potentia & virtus eadem eſt Patris & Filii ac per conſequens etiam eadem eſſentia. Joh.14.v.13. *Quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Gloria igitur Patris in Filio relucet, quæ non poteſt eſſe inferior aliqua gloria & majeſtas. 2. *in ſpecie.* Creatio eſt opus divinũ, illud tribuitur Filio non ut *cauſæ inſtrumentali* & mediæ, ut Photiniani ex particula *διὰ & per ἀναδύτως* colligunt, *ſed ut cauſæ principi*, quia non ſolùm *per Filium* omnia dicuntur condita, (quâ phraſi ordo & diſtinctio perſonarum, non autem inæqualitas in agendo ſignificatur) ſed etiam in caſu recto de eo dicitur, quod *omnia creaverit.* Hebr.1.v.11. Apocal. 4.v.11. Confer locum de Patre & Filio §.83. Idem de rerum omnium conſervatione, miraculorũ operatione, humani generis redemtione, Eccleſiæ collectione, S.S. miſſione, Angelorum ablegatione, peccatorum remiſſione, Eccleſiæ defenſione, mortuorum reſuſcitatione, extremi judicii executione & ſalvatione dicto loco fuit demonſtratum, quod videl. hæc in operib. illis divinis æquali poteſtate & virtute Pater & Filius operentur. De regeneratione hoc loco ſic concludimus. Quo modo Chriſtus ſalvat, eo etiam modo regenerat. Atqui non ſalvat ut *cauſa inſtrumentalis*, media & inferior, ſed ut *cauſa principalis* & ſum̃a. Ergo. Aſſumtũ probatur Chriſtus eſt ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς Act. 3. v. 5. eſt ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς τῆς πίστεως εἰς σωτηρίαν. Hebr. 12.verſ.2. eſt αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου τοῖς ὑπακούουσιν. Hebr. 5. v. 9. ita ut det credentibus in ſe vitam æternam eâ autoritate ac poteſtate quâ Pater Joh. 10.v.28. & 30. ac ſit unicum ſalutis noſtræ fundamentum 1.Cor.3.v.11. Atqui hæc non poſſunt de cauſa ſalutis inſtrumentali tantum ac intermedia prædicari. Utor etiam hoc argumento: Chriſtus ſalvat ut Jehova & verus Deus Eſa.35.v.4. Oſeæ 1. v.7. ubi nota emphaſin in priore dicto Prophetico. *Ecce Deus veſter veniet* הוּא יָבוֹא *ipſe veniet & ſalvos vos faciet.* Ergo non ut cauſa inſtrumentalis. Chriſtus eſt talis Salvator, *ut non ſit in alio quoquam ſalus.* Act. 4. v. 12. aut ergo æternus Deus erit, aut in Deo æterno ſalus non erit. Chriſtus ſalvat *non ut miniſter* fatente Socino in lib. cont. Bell. & Wick. p. 462. aliàs non differret à Prophetis & Apoſtolis, ergo ut cauſa princeps & ſumma.

100. 6. *Iſraelitæ in Deum & Moſen credidiſſe dicuntur* Ex.19.v.9.c.14.v.31. *Qui verò conjungitur cum Deo in credendo in illum, tantò magis eum eodem conjungi poteſt in baptizando in illum, quanto fides præſtat Baptiſmo & interiorem cultum magis præ ſe fert.* p. 334. Reſp. 1. urgemus dictum Apoſtolicum. 1. Cor. 1. v. 13. in nullius nomen baptizari poſſumus, qui eſt ψιλὸς ἄνθρωπος & cauſa duntaxat ſalutis intermedia. 2. id quod oſtendit etiam res ipſa, quia Sacramenta inſtituere, per eadem efficaciter ſalutem operari, fœdus gratiæ cum aliquo inire, &c. non niſi vero DEO competit. Atqui hæc omnia tribuuntur ei, in cujus nomen baptiſmus confertur. 3. alia eſt fides Hiſtorica, quæ notitiam & aſſenſum complectitur, alia verò fides ſalvifica, quæ fiduciam cordis includit: *Iſraelitæ crediderunt Moſi fide hiſtoricâ*, non autem *fide* cordis *ſalvificâ*, ea enim ſolum Deum objecti loco habet, quippe à quo ſolo vita æterna ſperari poteſt. Jerem. 17. v. 5. *Maledictus, qui confidit in homine.* Auguſt. tract. 29. in Johan. *Credimus Paulo, ſed non credimus in Paulum, credimus Petro, ſed non credimus in Petrum &c. Conſequens eſt, ut ſi in Deum creditis, & in me credatis, quod ſanè conſequens non eſſet, ſi Chriſtus Deus non eſſet,* Idem repetit in enarr. Pſal. 77. ſerm. 61. de verbis Domin. ſerm. 181. de temp. & ex eo Lomb. 3. ſent. diſt. 23. lit. D. 4. Quamvis verò in Hebræo textu præfixum ב uſurpetur, ex eo tamen inferri nequit, Iſraelitas fiduciam cordis eo modo diviſiſſe ac dividere debuiſſe, ut partem ejus in Deum, partem in Moſen collocarent, cùm in ſolum Deum omnis fiducia ſalutis collocanda, ſed ב exponendum eſt per ל ſicut etiam LXX. reddiderunt; ἐπίστευσαν τῷ θεῷ καὶ Μωυσεῖ quam verſionem comprobat Chriſtus Johan. 5. verſ. 46. Hieronymus eodem modo vertit: *Crediderunt Domino & Moſi ſervo ejus.* Habent Hebræi ſuos idiotiſmos, quos interpres ſic reddere debet, ut ſenſui nihil decedat. Videatur Pererius tom. 3. in Geneſ. p. 736. ubi ex

Ribera

Ribera multis probat *credere Deo & credere in Deum*, ex conſuetudine linguæ Hebrææ non differre, nihilominus tamen in reipſa & uſu loquendi Eccleſiaſtico eſſe diſcrimen.

101. 7. *Etiamſi Spiritus S. & perſona à Patre diſtincta eſſet & invocaretur, non idcirco concludi poſſet eandem numero ipſius & Patris eſſentiam eſſe propter eaſdem cauſas, ex quibus concluditur, Filium licet perſonam à Patre diſtinctam & cui invocatio conveniat, non tamen ejuſdem cum Patre eſſentiæ eſſe.* p. 370. Reſp. 1. petit adverſarius principium, dum aſſerit, religioſam invocationem alicui deferri poſſe, qui nō ſit verus Naturâ Deus. Contrarium ſuo loco demonſtratum fuit. 2. Spiritum S. adverſarii dicunt eſſe virtutem & potentiam Dei. At num virtuti divinæ inferiorem aliquam adorationem tribui debere dicent? 3. Si Spirit. S. eſt diſtincta perſona & invocatur, ex eo firmiſſimè probatur Patris & Sp. ſancti ὁμουσία, quia cultus invocationis utrique debitus arguit ἰσοτιμίαν, illa ἰσοτιμία arguit potentiæ ac majeſtatis æqualitatem, æqualitas potentiæ ac majeſtatis ὁμουσίαν arguit. Idem de Filio eſto judiciū. 4. Cauſæ illæ propter quas Photiniani Filium negant eſſe ejuſdem cum Patre eſſentiæ, licet religioſè cum Patre invocetur, ſunt fictæ & nullæ, opponunt enim tanquam contraria eſſentiæ divinæ unitatem & perſonarum Trinitatem, cùm in fidei regula utrumq; credendum proponatur.

102. Atque hæc ſunt, quæ Socinus in defenſione animadverſionum (quem librum Moſcorovius in præfat. ita commendat, *ut in eo Socinum dicat ſeipſum quodammodo ſuperaſſe ſicut in aliis Scriptis alios*) contra claſſicum illum locum affert. Enidinus in explic. locor. V. & N. Teſt. in cap. 28. Matth. contendit, *ſenſum formulæ Baptiſticæ non eſſe alium, quàm quod ex baptizandis olim nihil amplius fuerit requiſitum, niſi ut profiterentur Chriſtum eſſe promiſſum Meſſiam, idq; conſtare potiſſimum ex tribus confeſſionibus, ex confeſſione ſcil. ſeu teſtificatione Patris, qui de cœlo clamavit: Hic eſt Filius meus dilectus, deinde ex teſtimonio Filii, qui ſe verum Meſſiam ac Dei Filium dixit, cujus teſtimonium verax eſt. Denique ex teſtimonio Sp. S. ſuper Apoſtolos in nomine Filii effuſi. Quod autem docere ac baptizare in nomine Patris, Filii ac Sp. S. hoc loco ſit docere & baptizare ex teſtimonio ſeu propter teſtimonium ſeu ſuper teſtimonium Patris, Filii ac Sp. S. de homine Jeſu & Meſſia exaltato ad dextram Dei probare nititur ex* 1. Joh. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium.* Reſp. 1. Enidinus dictum de tribus in cœlo teſtibus habet pro ſuppoſititio, ut ſuo loco oſtendimus, quomodo igitur ex eo explicationem formulæ Baptiſticæ petere poteſt? 2. in dicto Johannis præcipuè agitur de fidei noſtræ confirmatione, ſed in loco Matthæi de Baptiſmi inſtitutione ac novi Sacramenti adminiſtratione. 3. Si vel maximè concedamus, ex trium teſtium confirmatione conſtare quod Chriſtus ſit promiſſus Meſſias, nondum tamen evictum eſt, in formula Baptiſtica nihil aliud contineri, quàm trium teſtium de Chriſto, quod ſit verus Meſſias, confirmationem. 4. Principium petit Enidin⁹, dum ad Baptiſmum doctrinę verba inſtitutionis Baptiſticæ accommodat & Baptiſmum pro Ceremonia ἀδιαφόρῳ καὶ προσκαίρῳ habendam eſſe præſupponit. 5. Tres illi teſtes Chriſtum eſſe promiſſum Meſſiam confirmarunt, non ſolùm tranſitoriis illis actibus, quos Enidinus enumerat, ſed adhuc perpetuò illud ipſum confirmant, Sacramenti Baptiſtici in nomine Chriſti adminiſtratione perpetuò in Eccleſia durante, ea verò non tantùm probat Chriſtum eſſe verum Meſſiam, ſed etiam verum & æternum cum Patre & Spiritu S. Deum. 6. Tres illi teſtes dicuntur *eſſe in cœlo*, h. e. ſunt teſtes Naturâ & eſſentiâ divini, ut in Diſp. poſter. de hoc dicto oſtendimus.

CAP. VI.

Continens tertiū argumentum pro aſtruendo Trinitatis myſterio ex N. T. ductum.

103. *Tertium principale fundamentum* deſumimus ex Joh. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit vobis Spiritum veritatis.* Hoc teſtimonio ad Spiritus S. perſonalitatem & Filii Deitatem demonſtrandam potiſſimùm utimur, quo utroque legitimè probato Trinitatem in divinis probatam eſſe Photiniani concedunt. Spiritus S. perſonalitas ex illo dicto manifeſtè concluditur, neque enim ſolùm à Patre & Filio diſtinguitur, ſed etiam *alius paracletus* dicitur. Sic ergo concludimus: Qui à Patre & Filio eo modo diſtinguitur ut alius paracletus dicitur, is aut eſſentiæ aut perſonæ reſpectu ab illis diſtinguitur. Spiritus S. à Patre & Filio eo modo diſtinguitur, ut alius paracletus dicatur. Ergo aut *eſſentia* aut *perſona* reſpectu ab illis diſtinguitur. Prius dici nequit, quia hac ratione Spiritus Sanct. eſſet alius Deus, quod abſit, cùm unum Deum eſſe, Scriptura evidenter teſtetur, alium verò Deum præter Patrem & extra Patrem eſſe negat. Manet igitur poſterius, quod perſonæ ratione à Patre & Filio diſtinguatur, ex quo conſequitur, eſſentiam divinam eſſe unam, in ea verò dari tres diſtinctas perſonas. Conferri autem poſſunt cum hoc loco parallela dicta: Joh. 14. v. 26. *Paracletus Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Ubi 1. Spiritus ſanctus à Patre & Filio diſtinguitur, 2. neutrum τὸ πνεῦμα redditur poſteà per maſculinum ἐκεῖνος, quæ ἑτέρωσις generum de perſonalibus actionibus uſurpata perſonam ſemper arguit. Confer Geneſ. 3. v. 15. Matth. 28. v. 19. Galat. 3. v. 16. Epheſ. 1. v. 14. Coloſſ. 2. v. 19. &c. 3. tribuitur Spiritui ſancto actio perſonę propria, quod Apoſtolos ſit omnia docturus & in memoriam ipſis revocaturus ea quæ Chriſtus dixit. Joh. 15. v. 26. *Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritus veritatis, qui à Patre procedit ἐκεῖνος ille teſtificabitur de me*, ubi non ſolùm expreſſa à Patre & Filio diſtinctio, generis mutatio, & perſonalis actionis in teſtificatione conſiſtentis diſerta mentio occurrit, ſed etiam perſonalis proprietas, per quam Sp. S. πρὸς ἴσω à Patre & Filio diſtinguitur, videl. æterna ἐκπόρευσις exprimitur. Spiritui ſancto ea tribuuntur, quæ Patri negantur, nam dicitur Sp. S. poſt Chriſti aſcenſionem *venturus*, id de Patre dici nequit, dicitur *mittendus à Patre*, dicitur *procedere à Patre*, ergo eſt à Patre diſtinctus, non eſſentiæ ratione, ut conſtat. Ergo perſonæ. Sic ergo probatum eſt prius, Sp. S. ſcil. perſonalitas, poſterius videl. Filii Deitas ex hoc loco ſic concluditur: Qui non eſt verus Deus, non poteſt mittere Sp. S. Chriſtus mittit Spir. S. Ergo.

Tertium argumentum ex N. T. ductum pro Trinitatis myſterio.

Iohan. 14. v. 16. Alium paracletum dabis.

104. Excipit Soc. in animadv. ad aſſert. 6. p. 44.

1. *ex*

1. *ex tribus hiſce teſtimoniis nihil aliud colligi, quàm Sp. S. a Patre per Chriſtum ipſius Chriſti diſcipulis miſſum & datum fuiſſe, quid verò hoc ad Trinitatem perſonarum in Deo probandam?* Reſp. patet ex dictis. 2. *ex eo potius manifeſtum eſt, ſolum Patrem eſſe illum unum Deum, cùm ſolus Pater commemoretur, à quo miſſio & datio iſta tanquam à prima cauſa proficiſcatur, quis verò audivit unquam unum illum Deum vel mitti vel dari aut eſſe qui per eum aliquid mittat vel det? certè hæc cuilibet homini cordato ſumma ineptia vel potius blaſphemia videri debent.* Reſp. ſi hæ ſunt blaſphemiæ, eccur Socinus nos pro fratribus adhuc agnoſcit? Rem ipſam quod attinet, Scriptura diſertè dicit, Filium eſſe verum Deum, eundem tamen miſſum eſſe in carnem, Spiritum S. eſſe verum Deum, eundem tamen mitti in corda credentium, de quo myſterio non judicandum eſt ex humana ratione, ſed ex divina revelatione. Ex miſſione Spiritus rectè colligitur tum perſonalis Spiritus S. à Patre & Filio diſtinctio, tum vera & æterna Filii Deitas. Cui enim tribuitur miſſio Spiritus ſancti, illi tribuitur virtus & efficacia Dei Patris, quia juxta Photinianos Spirit. S. eſt virtus & efficacia Dei. Cui verò tribuitur virtus & efficacia Dei Patris, illi etiam eſſentia Patris tribuitur, quia virtus & potentia Dei eſt ipſa Dei eſſentia. Cui eſſentia Dei tribuitur, ille eſt verus, naturalis & eſſentialis Deus. Si dicant, *Spiritum S. dici Spiritum Chriſti* Galat. 4. v. 6. Rom. 8. v. 9. *ratione miſſionis*, dicimus rectè id quidem aſſeri, ſed argumentum noſtrum ex eo non labefactari. Si enim Chriſtus non eſt verus cum Patre Deus eſſentiæ unitate eidem æqualis, non habet jus mittendi Spiritum ſanctum, quia minor non habet jus ac poteſtatem mittendi majorem. Accuratè autem obſerva, quod Filius non ſolum dicat, *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis*, ſed etiam ſe miſſurum Sp. S. polliceatur Joh. 15. v. 26. *Ego mittam vobis à Patre Spiritum S.* cap. 16. v. 7. *Si abiero, ego mittam vobis Spiritum S.* quodque *Spiritus Chriſti* dicatur fuiſſe *in Prophetis* 1. Pet. 1. v. 11.

105. Ex quo facilè judicari poteſt, quid de 3. Socini objectione dicendum, quam d. l. p. 64. proponit. *Mitti* (inquit) *a Filio Sp. S. ſic intelligendum eſt, ut à Patre acceptum mittat, mittit Filius Spiritum S. ſed à Patre à quo tanquam a fonte videl. procedit & eſt Filius quaſi rivus, qui a fonte acceptam irrigandis agris aquam ſuppeditet atque tranſmittat. Et ne quis putet hoc ſemper ita fuiſſe aut ex ipſius Filii Natura pendere, audiat ipſum Filium* Joh. 14. v. 16. & Petrum Actor. 2. v. 33. At committit Socinus fallaciam plurium quæſtionum. De Chriſto ſecundùm humanam Naturam rectè hæc dicuntur, ſed quatenus idem eſt verus & unus cum Patre Deus ab æterno ab eo non minus quàm à Patre Sp. S. procedit & æqualiter ab eo & Patre Sp. S. mittitur propter eſſentiæ unitatem. (Ex eodem fundamento reſponderi poteſt ad Sophiſma, quod habet Schmaltz. contra Schopper. de Trinit. *Chriſtus rogat Patrem, & mittit Spiritum S. à Patre. Ergo non eſt perſona æquè divina ut Pater. Pater enim neminem rogat, nec ab alio ſed a ſeipſo mittit Sp. S.* Reſp. 1. interceſſio non arguit perſonæ inæqualitatem, cùm æqualis apud æqualem intercedere poſſit. 2. Pater dicitur mittere *Spiritum S. in nomine Filii* Joh. 14. v. 26. in nomine autẽ alicujus mittere, eſt ab aliquo etiam mittere. 3. Chriſtus *inſufflando* dedit Sp. S. Apoſtolis Joh. 20. v. 22. ergo ab ipſo etiam mittatur Sp. S. miſſio autem in tempore eſt argumentum proceſſionis ſine tempore. 4. Conſidera emphaſin dicti Job. 16. v. 13. *Sp. S. nihil loquetur à ſeipſo, ſed de meo accipiet; omnia quæ Pater habet, mea ſunt.*)

106. 4. In defenſ. animadv. c. 13. p. 319. porrò excipit Socinus: *Ex eo, quod à Patre Spiritus S. dicitur procedere, poſſe quidem fortaſſis colligi, eſſe ejuſdem cum Deo Patre Natura ſeu eſſentia, non autem eſſe certam perſonam divina eſſentia, cùm juſtitia Dei ſit ejuſdem, cum Deo eſſentia, nec tamen ſit certa quadam perſona eſſentiæ.* Reſp. ἐκπόρευσις illa utrumque denotat, eſſentiæ ſcil. unitatem & perſonalem diſtinctionem. Quia enim ab æterno à Patre Sp. S. procedit, ideo eſt ejuſdem cum Patre eſſentiæ, quia à Patre procedere dicitur, ideò à Patre diſtinctum eſſe oportet, ut ſuo loco plenius docebitur. Conjungimus autem cùm hac ἐκπορεύσει æterna quæ eſt ἀνεκφώνητος καὶ ἀνεξερεύνητος viſibilem Spir. S. in ſpecie columbæ manifeſtationem in illuſtri illa θεοφανείᾳ circa Chriſti Baptiſmum facta.

107. 5. *Ex eo, quod Chriſtus Sp. S. vocat alium paracletum, non poſſe colligi eum eſſe veram perſonam. Similitudo enim in eo tantùm conſiſtit, quod ſicut Chriſtus diſcipulos ſuos præſens conſolabatur, ſic ipſo abſente conſolaturus illos erat Sp. S. Itaque vox paracletũ non eſt diſtinguenda in verbis Chriſti a voce* alium *ſed conjunctim omnino ſunt legenda, ita ut intelligatur non quidem datum iri à Patre quendam alium, de quo ſtatim per appoſitionem dicatur, quod ſit paracletus ſeu conſolator, ſed datum à Patre iri paracletum ſeu conſolatorem alium. Simili ratione poſſet Magiſter artis cujuſpiam ab egenis diſcipulis diſcedens dicere. Ego quidem a vobis abiero, ſed habebitis tamen alium magiſtrum, egeſtatem veſtram, ut enim eſt apud Poetam, Magiſter artis venter, nec tamen egeſtas eſt perſona ulla, licet magiſter iſte abiens ſit perſona.* Ibid. p. 321. Hæc Socini explicatio iiſdem verbis proponitur à Schmaltzio in refut. theſium D. Graweri de S.S. p. 16. Reſp. 1. per vocem *alius* non aliam perſonam, ſed aliud quid locutione figuratâ denotat ſine ullo Scripturæ exemplo aſſeritur. 2. In ſummis fidei articulis non diſcedendum à literali & proprio verborum ſenſu, aliàs nihil certi in illis relinquetur. Jam verò conſtat nomen *alius* eſſe perſonæ proprium, ſicut nomen *aliud* Naturæ & eſſentiæ. 3. in allato exemplo de paupertate egenorum Magiſtra poëticam proſopopœiam quilibet facilè intelligit, ſed in verbis Chriſti nullum ejuſdem extat veſtigium. Chriſtus enim nnn poëticis figuris ludere, ſed de rebus maximè neceſſariis perſpicuo & proprio ſermonis genere Apoſtolos inſtruere voluit. 4. Vocem *alius* non figuratè pro re quadam accipi, ſed propriè ut perſonam notet, colligitur ex toto cõtextu, Chriſtus n. alium illũ paracletũ in eodem divino opere ſecum & cum Patre tanquã perſonã cum duab. perſonis conjũgit, quia diſtinguit illũ à Patre & ſeipſo vocat *paracleton* & *Spir. veritatis*, tribuit illi ꝙ *doceat & in memoriam revocet omnia*, in parallelis locis proprietatẽ perſonalem peculiarem & diſtinctã illi tribuit ac ꝑ generis heteroſin perſonalitatẽ ejuſdem demonſtrat. 5. Sp. S. dicitur *alius paracletus* nõ ſolùm Filii, ſed etiam Patris reſpectu, ut oſtendit verborũ ſeries: *Ego rogabo Patrem & aliũ paracletum*

paracletum dabit vobis. Jam verò Spir. S. non eſt Naturæ & eſſentiæ ratione aliud à Patre, quod Photiniani agnoſcere coguntur, cùm eum virtutem & potentiam Patris eſſe dicant. Ergo non eſſentialiter ſed perſonaliter alius paracletus dicitur. 6. Chriſtus Spiritum Sanctum & Apoſtolos in teſtificatione conjungit Joh. 15. v. 26. & 27. Jam verò conſtat Apoſtolos de Chriſto teſtificantes eſſe perſonas. 7. ἐκεῖνος in toto illo capite perſonaliter accipitur, h. e. certam perſonam denotat. 8. Conjungimus fundamenta reliqua, quæ Spir. S. perſonalitatem probant, ac evidenter oſtendimus, Spir. S. tribui omnia illa, quæ ſolis rebus per ſe ſubſiſtentibus quæ ſub ratione perſonæ concipiuntur, conveniunt, tribuitur enim illi peculiaris ſubſiſtentia, cùm Scriptura de Patre, Filio & Spir. S. loquens tria ὑφιστάμενα notet ac ſingulis aſſcribat ea, quæ perſonæ per ſe ſubſiſtenti conveniunt, tribuitur ipſi perſonalis proprietatis genuina notio Actor. 15. verſ. 28. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis*, quemadmodum de Patre dicitur Matth. 11. v. 26. *Etiam Pater; quia placuit tibi*, tribuitur ei *voluntas* & ex voluntate ſequens operatio 1. Cor. 12. v. 11. tribuitur *intelligentia* 1. Cor. 2. v. 10. *potentia* Eſa. 11. verſ. 2. dicitur ab impiis *irritari* Eſa. 63. verſ. 7. *à Chriſto accipere omnia* Joh. 15. verſ. 16. *non loqui à ſemetipſo*, ſed audita loqui & annunciare Joh. 16. v. 14. quæ omnia non poſſunt intelligi de virtute quadam Dei, quæ non ſit diſtincta à Patre & Filio perſona. 9. Schmaltz. contra Schopp. dicit, *ea quæ Sp. S. tribuũtur perſonæ propria per figuras S. literis uſitatiſſimas metonymiam & proſopopœiam excuſari poſſe.* At nulla ſpecies metonymiæ hîc habet locum, proſopop. nullum apparet veſtigium.) Cumprimis verò ſemper reſpicimus ad θεοφάνειαν in Baptiſmo Chriſti, in qua Sp. S. ſub peculiari & diſtincta ſpecie, videl. in forma columbæ apparuit, & ad inſtitutionem noſtri Baptiſmi, in qua cum Patre & Filio tanquam perſona cum duabus perſonis conjungitur, perquam enim abſurda foret interpretatio, baptizari nos in nomine Patris & Filii Meſſiæ & virtutis divinæ.

CAP. VII.

Continens quartum argumentum ex N. T. pro aſtruendo Trinitatis myſterio deductum.

Quartum principale argumentum N. T. ex 1. Ioh. 5. v. 7.

108. *Quartum principale fundamentum* ducimus ex 1. Joh. 5. v. 7. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spir. S. & hi tres unum ſunt.* Ex quo dicto (demonſtratâ & aſſertâ prius canonicâ ejuſdem autoritate) demonſtravimus. 1. Trinitatis nomen. 2. perſonarum in divinis pluralitatem. 3. perſonarum Trinitatem. 4. Spiritus ſancti perſonalitatem. 5. Cujuſque perſonæ proprietatem. 6. Ordinem inter perſonas Deitatis. 7. Trium illarum perſonarum ὁμοουσίαν & æqualitatem ſive conſubſtantialitatem. 8. Confeſſionis de Trinitate neceſſitatem. Videantur diſputationes noſtræ publicæ de & ex hoc dicto inſtitutæ, quæ habentur part. 2. Diſp. Theol. Socinus animadverſionum ſuarum defenſionem in hoc ipſo loco finit, morte enim præreptus vel aliis negotiis impeditus abſolvere eam non potuit, proinde neceſſarium non eſt, ut plura de hoc loco dicamus.

CAP. VIII.

Continens primum argumentum ex Vet. Teſt. pro aſtruendo Trinitatis myſterio deductum.

Primum argumentum ex V. T. ex articulo creationis.

109. Hiſce igitur *quatuor principalibus* confeſſionis noſtræ de Trinitate *fundamentis ex N. T.* præmiſſis, ſubjungamus fundamenta ejuſdem ex Vet. Teſtamento. Antequam verò diſtinctas illas claſſes, ad quas Vet. Teſt. dicta referri poſſunt, enumeremus, de quatuor principalibus fundamentis ex V. Teſt. petitis paulò latiùs diſſeremus. Primum deſumtum eſt *ex articulo creationis*. Moſes Scripturam ſacram ab opere creationis exorditur, neque cuiquam poteſt eſſe dubiũ, hujus articuli doctrinam divinitùs traditam in publicis Eccleſiæ Iſraeliticæ conventibus perpetuò fuiſſe repetitam, præſertim cùm Sabbatum ipſum debuerit eſſe perpetuum memoriale creationis. Exod. 20. verſ. 10. *Sex diebus operaberis, ſeptimo celebrabis Sabbatum, ſex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, ſed requievit die ſeptimo.* Quod ſi ergo ex creationis articulo prout in Vet. Teſt. deſcribitur, myſterium Trinitatis demonſtrari poteſt, eo ipſo confirmatum erit, doctrinam de Trinitate non fuiſſe populo Iſraelitico penitus ignotam, ſed in Eccleſiaſticis conventibus traditam ac perpetuò repetitam. Conferimus igitur nos ad propriam hujus articuli ſedem ad caput primum ſcil. Geneſeos, cum quo conjungemus parallela Vet. Teſt. dicta, quæ ejuſdem ſunt ἐξηγητικά, ex quibus omnibus tale producimus argumentum.

110. Quot perſonis divinis opus creationis tribuitur, tot perſonæ in una Deitatis eſſentia agnoſcendæ ſunt. Sed tribus diſtinctis perſonis opus creationis tribuitur. Ergo. Major probatur ex dictis, quæ teſtantur, opus creationis eſſe ſolius veri Dei proprium. Job. 9. v. 8. *Extendit cœlos* לְבַדּוֹ *ſolus.* Pſal. 134. v. 3. *Iehova fecit cœlum & terram.* Eſa. 44. v. 24. *Ego Iehova faciens omnia extendens cœlos* לְבַדִּי *ſolus ego.* cap. 45. verſ. 6. *Ego Dominus & non eſt amplius.* verſ. 7. *formans lucem & creans tenebras.* Jerem. 10. v. 11. *Dii qui cœlum & terram non fecerunt, pereant de terra.* Actor. 4. verſ. 24. *Tu es Deus ille, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia, quæ in eis ſunt.* Hebr. 3. verſ. 4. *Qui omnia creavit, Deus eſt.* Iren. lib. 2. cap. 55. p. 156. *Solus hic Deus invenitur, qui omnia fecit, ſolus omnipotens & ſolus Pater condens & faciens omnia.* Auguſt. 11. de civit. Dei cap. 2. *Cunctam Naturam quæ non eſt quod ipſe, non fecit niſi ipſe.* Oſtendit etiam hoc ipſum manifeſta ratio, quia ad creationem, quæ eſt Entis ex nihilo productio, requiritur potentia & virtus infinita Eſa. 40. v. 26. cap. 42. v. 6. Hilarius lib. 2. de Trinit. *Infinitum eſt per quod fit, omne quod factum eſt.* Jam verò ſolus DEUS eſt Ens infinitum, ipſis igitur propria erit creatio.

111. Minor probatur. 1. *in genere*, quod non uni ſed pluribus perſonis creatio tribuatur. 1. *ex phraſi Moſaica.* Moſes in primo primi capitis verſiculo de creatione ſic loquitur: *In principio.*

ברא

ברא אֱלֹהם ubi *cum nomine pluralis numeri* conjungit *verbum ſingulare*, ut per hoc eſſentiæ unitatem per illud perſonarum pluralitatem ſignificet. Quamvis enim quidam ex Chriſtianis etiam Interpretibus Abulenſis, Cajetanus & alii, quos ſequuntur Calvinus in cap. 1. Geneſ. (ubi vocat violentam gloſſam.) Bellarmin. 2. de Chriſto cap. 6. Vaſq. p. 1. d. 108. cap. 2. *hanc loquendi formulam omni myſterio carere ſtatuant, eamq; ad ſolum Hebraicæ linguæ idiotiſmum* referant, ab illorum tamen opinione divortium facimus, permoti his argumentis: 1. *ex propria pluralis numeri ſignificatione*. 2. *ex peculiari hujus vocis conſtructione*, quia non ſolùm cum verbo ſingulari, ſed etiam cum verbo & adjectivo plurali conſtruitur. Geneſ. 20. v. 13. cap. 35. v. 7. Deut. 5. verſ. 26. Joſ. 24. v. 29. 2. Sam. 7. v. 23. Pſal. 58. verſ. 12. 3. *ex ipſa Spiritus ſancti explicatione*. 4. *ex plurimorum Interpretum approbatione*. Vid. tract. de Natura Dei §. 27. hoc loco utimur tali argumento. De eodem, qui creaſſe dicitur cœlum & terram, Moſes poſtea pronunciat, quod creaverit hominem Geneſ. 1. verſ. 26. 27. eſt enim unus omnium rerum creator. Atqui in eo qui creavit hominem, eſt quædam pluralitas, ut conſtat ex verbo *faciamus*, & pronomine *noſtram*, uti etiam ex plurali Geneſ. 3. v. 22. *Ecce Adam factus quaſi unus ex nobis*. Ergo in eo qui creavit cœlum & terram, eſt quædam pluralitas, quam per phraſin Bara Elohim denotari non inimicâ credimus.

112. Regerunt Photiniani. 1. *eſſe idiotiſmum linguæ ſanctæ*. Socin. in def. animadv. p. 132. *nomina poteſtatem & dominationem ſignificantia ſolent apud Hebræos ad exaggerationem quandam plurali numero efferri, quamvis de una tantùm perſona dicantur*, quod probat ex nomine Adon Geneſ. 24. verſ. 9. & 50. Exod. 21. verſ. 4. & 32. 1. Reg. 22. v. 17. & ex nomine Baal Exod. 21. v. 29. cap. 22. v. 10. & 11. Eſa. 1. v. 3. Buxdorff. in theſ. Gramm. pag. 9. *eſſe enallagen numeri pluralis pro ſingulari*, quod probare conatur ſimilibus exemplis Geneſ. 24. v. 9. de Abrahamo dicitur אֲדֹנָי *Domini mei*. Geneſ. 42. v. 30. de Joſepho: *Locutus eſt vir* אֲדֹנֵי *Domini terræ duræ* 1. Reg. 6. v. 24 *ædificavit nominis Semer* אדני *Dominorum montis*. Reſp. non in nominibus ſolùm, ſed etiam pronominibus ac verbis quæ Deo uſurpatis pluralis numerus adhibetur, probandum igitur in hiſce omnibus à ῥητῷ abſque urgente cauſa diſcedendum. Nos contra urgemus 1. quod ille ipſe idiotiſmus ad Deum accommodatus ex mente illius linguæ autoris pluralitatem perſonarum denotet. Cùm enim *Elohim* habeat ſuum ſingulare *eloah* Job. 4. v. 9. cap. 12. verſ. 4. cap. 15. v. 8. cap. 36. v. 2. &c. eccur in lingua illa omnium ſimpliciſſima ac puriſſima plurale de Deo uſurparetur, niſi in ipſo eſſet quædam pluralitas? 2. cùm juxta uſitatam regulam nomini plurali addendum fuiſſet etiam verbum plurale, nullo modo veriſimile eſt Moſen contra illam uſitatam ſyntaxin in ſecundo ſtatim ſcripti ſui verbo nomini plurali addere voluiſſe verbum ſingulare, niſi diverſo reſpectu & unitas & pluralitas in Deo eſſet. Si ut una eſſentia, ita quoque una tantùm in Deitate perſona, vocabulo illo pluralis numerus populo Iſraelitico, utpote φιλειδώλῳ occaſio idololatriæ fuiſſet data. Eam verò Sp. S. ſingulari providentia removit, dum nomini pluralis numeri verbum ſingulare conjunxit. 3. nomen Elohim non tantùm *terminatione* ſive formatione, ſed etiam *ſignificatione* plurale eſſe patet ex eo, quod habeat ſuum ſingulare, jam verò nomen quod & terminatione & ſignificatione plurale eſt, in propria ſignificatione non poteſt accipi pro ſingulari. 4. fruſtra urgentur textus, in quibus Baalim & Adonim de perſonis ſingularibus uſurpantur 1. Reg. 22. v. 17. Geneſ. 39. v. 20. c. 42. v. 30. quidam enim eorum κατʼ μερισμὸν vel κατʼ διαίρεσιν explicandi quidam verò ejuſdem ſunt generis ac conditionis, ut non de unica tantùm perſona, ſed de toto ejus dominio, ad quod conſiliarii & miniſtri pertinent, accipiantur. 5. ac ſi vel maximè Elohim in ſignificatione translata de Angelis & judicibus uſurpatam pluralitatis ſignificationem deponeret, illud tamen nativæ & propriæ hujus vocis ſignificationi nihil derogaret.

113. 2. *Uſurpari de Deo cauſâ honoris, ſicut magnates in plurali de ſe loqui ſolent*. R. D. Kimchi in Michol. p. 9. R. Salomon in Joſ. 24. v. 19. Bechai in Geneſ. 1. verſ. 26. Reſp. 1. Si numero plurali magnificentiæ divinæ ſignificatio conſiſteret, ſancti Dei homines ſemper uſurpaſſent de Deo plurale. At quandoque utuntur ſingulari Eloah. 2. Theodor. q. 20. in Gen. utitur hoc argum. *Si Deus propter autoritatem ac majeſtatem de ſe* loqueretur in plurali, oportuiſſet eum ita loqui vel ſemper vel *ut plurimùm, præſertim cùm legem daret in Sina*. 3. Si ejuſmodi efficacia in ſignificando Dei honore numero plurali tribuenda, cur non etiam voce הוה eſſentiam ſignificante in plurali numero Scriptura utitur? 4. De hominibus dignitatis cauſâ pluralem numerum loco ſingularis quandoq; uſurpari concedimus, ſed quid hoc ad Deum, cujus ſumma dignitas in eo conſiſtit, ut agnoſcatur, qualis ipſe eſt Principes ſignificant ſe Conſiliariorum ac Procerum ſuorum adminiculis aliquid decernere, ſed de DEO illud dici nequit. 5. Si vel maximè in aliis linguis numerus pluralis pro ſingulari ponitur, nihil tamen hoc ipſum præjudicat linguæ ſanctæ. 6. Quando in reliquis linguis pluralis pro ſingulari uſurpatur, nomen perſonæ manet ſingulare, pronominibus ac verbis tantummodò mutatis. *Nos Ferdinandus mandamus*, hîc verò nomen perſonæ eſt plurale & additum habet verbum ſingulare. Afferri igitur oportebat tale exemplum, in quo nomen plurale cum verbo plurali jungatur, ac nihilominus unicam perſonam notet. 7. R. AbenEzra omnia exempla quæ afferuntur, explicat in comm. Geneſ. 1. v. 26. (exempla illa vocat עֵדֵי שֶׁקֶר *teſtes falſos*) Sic quod Geneſ. 29. v. 27. Laban dicit: *Et dabimus tibi etiam hanc*, ex Hebræo ſic explicat, *dabitur tibi etiam hæc*, eſt enim Niphal paſſivum. Poſſet idipſum etiam de parentibus & cognatis conjunctim accipi. Num. 22. v. 6. inquit Balac, *percutiemus eum*. AbenEzra dicit ſenſum eſſe, *fortè potero percutere ipſum*, ut ſit infinitivus Piel, non futurum Hiphil ac Nun ſit radicale, aut ſaltem Balakum includere ſuum exercitum. Job. 5. v. 27. Eliphaz, & cap. 18. verſ. 2. Bildad de ſe in plurali loquitur, ſed includit reliquos Jobi amicos 2. Sam. 16. verſ. 20. Abſolon de ſe & conſiliariis ac copiis militaribus loquitur. Cant. 1. v. 4. Eccleſia de ſe & puellis ſuis, h. e. omnibus fidelibus pluralem numerum uſurpat, Sponſa enim regia non eſt ſola, ſed habet comitatum. Dan. 2. v. 36. *Interpretationem dicemus Regi*, de ſe & ſociis loquitur.

quitur. Quomodo enim Daniel autoritatis cauſa de ſe in plurali loqueretur coram Rege, qui erat Regis captivus & ipſe Rex eſſet ſuper omnes Reges? Alii reſpondent, Davidem in plurali loqui, ut DEO interpretationem ſomnii tribuat. Idem eſto judicium de exemplis, quæ Schmaltz. contra Schopp. p. 6. & 9. aſſert. 1. Reg. 12. v. 9. 2. Par. 10. v. 9. Rex ſe & Conſiliarios 1. Reg. 22. v. 3. Rex ſe & Proceres, quorum conſilio & operâ decreta fieri & executioni dari ſolent, complectitur. Johan. 3. v. 11. Chriſtus ſe & Patrem ſimul teſtari dicit. Quidam referunt ad Joh. Bapt. & reliquos Apoſtolos. Marc. 4. v. 30. de ſe & auditoribus in plurali loquitur. Rom. 1. v. 5. Paulus ſe & reliquos Apoſtolos intelligit.

114. 3. *Elohim de una perſona divinitatis pluraliter accipi.* Pſal. 45. v. 8. Hoc argumento utuntur Paræus & alii Trinitatis dogma amplectentes, ſed argumentum hoc ex uſu pluralis numeri petitum repudiantes. Reſp. 1. propriæ ſignificationi ex eo nihil decedit. Ut enim nomen *Deus* eſt eſſentiale, nihilo tamen minus quandoque uſurpatur perſonaliter, ſic *Elohim* eſt nomen perſonale, quandoque tamen ponitur eſſentialiter. 2. quod ipſum arguit tum ſimpliciſſimam unitatem trium perſonarum ratione indiviſæ eſſentiæ, tum mutuam perſonarum περιχώρησιν, quia *Pater eſt in Filio, Filius in Patre*, Pater non eſt Deus extra Filium, nec Filius extra Patrem, Pater non eſt ſolitariè Deus, ſed perſona Trinitatis vel Deus in Trinitate, ſicque quælibet perſona in divinis perpetuum ad reliquas duas perſonas reſpectum obtinet. 3. Quando igitur de una perſona uſurpatur, ſignificatur, quod una illa perſona ſit ex numero plurium, ſive quod perſona illa non ſit ſolitariè Deus, ſed unà cum reliquis duabus perſonis.

115. Quæ ab Eniedino afferuntur exceptiones levioris ſunt momenti. 1. *num plurale ſignificat tria?* Reſp. ex numero plurali non immediatè ſed mediatè probamus Trinitatem, quia pluralitas illa in aliis Scripturę dictis ad ternarium refertur. 2. *Hebræi nullum hic ſubeſſe rati ſunt myſterium.* Idem urget Bellarm. d. l. Reſp. Galatin. lib. 2. de arc. Cathol. verit. c. 9. adducit dictum R. Hunna. *Niſi hic ſermo fuiſſet ſcriptus, non licuiſſet dicere*: Bara Elohim lib. ejuſd. cap. 4. In Thalmud illud Joſ. 22. v. 22. *Iehova El Elohim Iehova El Elohim* ſic exponitur. *Dixerunt primo Deus, Deus, Deus, quia per hos tres creatus eſt mundus. Et deinde dixerunt: Deus, Deus, Deus, quia per hos tres quoque data eſt lux. Sed nunquid potuiſſet unus eorum ſe ſolo ſeparatimq́;* (creare mundũ) *nequaquam, ſed duo alii uniti cum eo neceſſario creaverunt.* Weidn. in locis ſid. tract. 1. p. 94. Hæc iiſdem ferè verbis ponuntur in cōment. R. Moſis Hadarſan ſuper cap. 1. Gen. *In principio creavit &c.* Burgenſis notat antiquiores etiam Rabinos vidiſſe, quod nomine Elohim notetur pluralitas cùm expoſuerint *Deus & domus judicii.* In Midras Tillim Pſal. 50. *Quamobrem memoratur nomen Dei ſancti & benedicti tribus vicibus? ut doceretis, quod his tribus nominibus Deus ſanctus & benedictus mundum creavit, juxta tres* מדות *quibus mundus creatus eſt, quæ ſunt ſapientia, ſcientia & prudentia. 3. Elohim eſt ſignificatione ſingulare, quia quem Moſes vocat Elohim, eum alii Prophetæ & Scriptores ſacri vocant El in ſingulari.* Job. 9. v. 2. Pſal. 101. v. 25. *ac additur ei vox excluſiva* ſolus, *quo pluralitas vocis ad ſingulare reſtringitur* 2. Reg. 19. v. 15. Pſ. 85. v. 10. Reſp. illud fit propter myſterium unius indiviſæ eſſentiæ in tribus Elohim. Excluſiva non excludit perſonas Trinitatis reliquas, ſed idola & creaturas, quæ non ſunt ejuſdem cum Elohim eſſentiæ. 4. *Interpretes non vertunt pluraliter. Creavit Dii.* Reſp. eſt diſparratio vocis Elohim & Dei, illud enim ſuâ Naturâ perſonale eſt, hoc eſſentiale. Reliquæ linguæ non habent verbum quod vim vocis exprimat. Præcavere inſuper voluerunt opinionem de eſſentiæ divinæ multiplicitate. 5. *Creatio tribuitur ſoli Patri.* Reſp. non tamen excluduntur Filius & Spiritus S. ut mox apparebit. 6. *Cabaliſtica illi interpretationi*, quæ ברא exponit per אב בן רוח opponit hoc quod ב exponi poſſit per ר בליאל per ראשית א per אתה *tu es Princeps ſceleratorum.* Reſp. aliud eſt alluſio & myſtica explicatio, aliud ſolida ac firma probatio.

116. 2. Alterum argumentum, quo probamus creationis opus non uni ſed plurib. perſonis tribui, petimus. 2. *ex loquela divina.* v. 27. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Ubi introducuntur plures colloquentes, ibi pluralitas perſonarum ſignificatur. Sed in creatione hominis introducuntur plures colloquentes. Dixit enim Elohim נַעֲשֶׂה *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ubi 1. ponitur Elohim nomen plurale. 2. נַעֲשֶׂה verbum plurale, 3. pronomen plurale ad ſimilitudinem noſtrã. 4. verbum ברא tribus diſtinctis vocibus repetitur ad τριάδα exprimendam. v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginem DEI creavit illum, maſculum & fœminam creavit eos.* Illi plures cũ quib. collocutio inſtituitur in communionem divini operis creationis ſcil. per verbum *faciamus*, & per pronomen *noſtram* adſciſcuntur. Ad eorundem etiam imaginem homo creandus dicitur. Refero hûc antiquiſſimorum Eccleſię Doctorum unanimem conſenſum, Iren. in præfat. lib. 4. p. 232. *Homo per manus Dei plaſmatus eſt, hoc eſt, per Filium & Spiritum S. quibus etiam dixit, faciamus hominem.* lib. ejuſd. cap. 17. pag. 243. *Filius, qui & verbum Dei ab initio præſtruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat, neque rurſus indigente miniſterio ad fabricationem eorũ negotiorum, quæ ſecundùm hominem erãt, ſed habente copioſum & inenarrabile miniſterium. Miniſtrat enim ei* (καταχρηστικῶς pro adeſt) *ad omnia ſua progenies & figuratio ſua, h. e. Filius & Spir. ſanct. Verbum & Sapientia quibus ſerviunt & ſubjecti ſunt omnes Angeli.* cap. 37. v. 66. *Adeſt Patri ſemper Verbum & Sapientia, Filius & Sp. S. per quos & in quib. omnia liberè & ſponte fecit & ad quos loquitur dicens, Faciamus hominem ad imaginem noſtram.* Juſtin. in Dial. cum Tryph. p. 222. *Ne depravantes quæ diximus verba illa afferatis, quæ Rabini veſtri allegant, vel quod ad ſeipſum locutus ſit Deus, faciamus, ſicut & nos facturi quippiam perſæpe ad nos ipſos dicimus, faciamus, vel quod ad Elementa, hoc eſt, terram & alia ſimiliter, unde intelligimus hominem conſtitutum eſſe Deus dixerit, faciamus, verba rurſus alia à Moſe prolata referam, ex quibus citra ambiguitatem certò ad aliquem, qui & numero alius & rationalis ſit, ipſum locutum eſſe, cognoſcere poſſumus. Sunt autem hæc verba & dixit Deus, Ecce Adam factus quaſi unus ex nobis.* Synodus Syrmienſis apud Socrat. lib. 2. cap. 25. Tripart. lib. 5. cap. 7.

εἴ τις

εἴ τις τὸ ποιήσωμεν ἄνθρωπον μὴ τὸν πατέρα πρὸς τὸν υἱὸν λέγοι ἀλλὰ αὐτὸν πρὸς ἑαυτὸν τὸν Θεὸν εἰρηκέναι ἀνάθεμα ἔστω. Hilarius lib. 5. de Trinit. p. 50. *DEUS, qui loquitur ad DEUM loquitur, Ad Patris & Filii imaginem homo conditur. Nomen non diſcrepat, Natura non differt. Una enim eſt imaginis, ad quam homo creatus eſt, ſpecies & inter hæc veritas, ubi deperit, manente inter utrumque & facile communione & communis imaginis veritate.* Baſilius homil. 10. hexaêm. *Faciamus dixit & non dixit fecerunt, ut ne multitudinis Deorum arripias occaſionem. Nunc verò faciamus,* inquit, *ut cognoſcas Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. Fecit Deus hominem, ut unias Deitatem, unias autem non perſonas, ſed potentiam.* Auguſt. lib. 16. de civit. Dei cap. 6. *Illud faciamus hominem, quia ſequitur ad imaginem noſtram nefas eſt credere ad imaginem Angelorum hominem factum, aut eandem eſſe imaginem Angelorum & Dei, & ideò rectè illic intelligitur pluralitas Trinitatis, quæ tamen Trinitas, quia unus eſt Deus, etiam cùm dixiſſet, faciamus, & fecit inquit, Deus hominem ad imaginem Dei, non dixit, fecerunt Dii aut ad imaginem Deorum.* Ejuſdem de fide ad Petrum & Theodoreti q. 19. in Geneſ. locum adduximus in art. de tribus Elohim. §. 7. Alcuinus lib. 1. de Trinit. cap. 3. *Cùm ſingulari numero dixit imaginem, oſtendit unam Naturam eſſe, ad cujus imaginem homo fieret, cùm verò dicit pluraliter noſtram, oſtendit Dominum, ad cujus imaginem homo fiebat, non eſſe unam perſonam. Si enim illa una eſſentia Patris & Filii, & Spiritus ſancti una eſſet perſona, non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imaginem meam nec dixiſſet faciamus, ſed faciam. Si verò in illis tribus perſonis tres intelligendæ vel credendæ eſſent ſubſtantiæ, non diceretur ad imaginem noſtram, ſed ad imagines noſtras.* Thalmudiſtæ in Rabba Bereſith ſuper h. l. ſcribunt: *In hora, qua Deus dicebat Moſi, faciamus hominem, dixiſſe Moſen coram illo dominator mundi, cur tribuis hæreticis occaſionem errandi ac Deum illi reſpondiſſe, ſcribe, & qui vult errare, erret.*

117. Excipiunt Judæi ac Photiniani: 1. *Deum allocutum eſſe potentias in homine.* Rambam in More Nebuchim. Reſp. ex eo conſequens foret, 1. idem archetypon eſſe, in DEO & potentiis hominis, ac hominem ad imaginem ſuarum potentiarum, hoc eſt, ſuiipſius eſſe conditum. Contrà verò Moſes pronunciat, hominem *ad Dei imaginem* eſſe conditum. 2. Deum habere ſocium in creatione extra ſe ac præter ſe, quia unà cum ipſo συνεργητικῶς in hoc opere concurrerit, adeoque hominem ad ſuiipſius creationem effectivè concurriſſe. 3. potentias illas ante hominis formationem ſeorſim extitiſſe, aliàs enim Deus non potuiſſet eas alloqui. Contrà verò Moſes pronunciat animam hominis inſpirando fuiſſe creatam & creando inſpiratam: Geneſ. 2. v. 7. 4. Locum alterum Geneſ. 3. verſ. 22. eodem modo eſſe exponendum. *Ecce Adam factus eſt, quaſi unus ex nobis*, hoc eſt, ex animæ potentiis. Probè verò obſervetur Rabinum illum vi veritatis adactum agnoviſſe, pluralitatis ſignificationem in hac phraſi latere.

118. 2. *Deum more magnatum de ſe in plurali loqui*, adeoque eſſe uſitatam loquendi formulam. Socinus in explicat. aliquot loc. Script. p. 69. *In omni fortaſſe lingua obtinuit, ut cum aliquis ſeipſum quantumvis ſolum ad aliquid faciendum hortatur, vel ſe facturum decernit, ſi id ita eſſerat, ut per ſubjunctivum modum Græcè aut Latinè enunciari debeat, numero plurali utatur, ut apud Livium lib. 39. Annibal venenum hauſturus*, inquit, *liberemus diuturna curâ populum Romanum.* Reſp. 1. ex phraſi aliarum linguarum non eſt judicium ſerendum de Hebræa. 2. pluralis numerus aliorum vel miniſterium vel ſuffragium vel præſcitum arguit. Nemo enim ſolus ſuum deliberans plurali utitur, ſed alios alloquens. 3. ex Scripturis afferenda erant hujus regulæ exempla, non ex profanis autoribus. 4. non deliberatio ſolùm, ſed etiam executio hujus operis per pluralem numerum deſcribitur. 5. Repetantur ea, quæ ſuperiùs huic argumento reſponſa. Plurima extant in ſacris literis ſermones, colloquia, mandata Dei ac Regum, quæ in ſingulari numero concipiuntur omnia.

119. 3. *Deum Angelos allocutum eſſe.* Reſp. 1. De eo intelligendum eſt verbum *faciamus*, qui eſt hominis creator, quia ex opere creationis vera divinitas demonſtratur, cùm ſit ſolius DEI proprium, Eſa. 42. verſ. 5. cap. 45. verſ. 18. c. 48. verſ. 13. &c. atqui Angeli non fuerunt Dei ſocii in hominis creatione. Ambroſius lib. 6. hexaêm. cap. 7. *Non ſibi utique, quia non dicit faciam, ſed faciamus; non Angelis, quia miniſtri ſunt. Servi enim cum Domino & opera noſtra cum autore non poſſunt operationis habere conſortium, ſed dicit Filio, etiamſi Judæi nolint, etiamſi Ariani repugnent &c.* 2. De eo intelligendum eſt plurale *faciamus*, qui illud conſilium in effectum deduxit. At ſolus Deus, non Angeli in effectum illud deduxerunt. Damaſc. lib. 2. de orth. fid. cap. 3. de Angelis dicit κτίσματα ὄντες οὐκ εἰσὶ δημιουργοί. Auguſt. lib. 12. de civit. Dei cap. 24. *Non eſt fas ullius Naturæ quamlibet minimæ mortalisque creatorem niſi Deum credere ac dicere.* 3. De eo intelligendum plurale *faciamus*, ad cujus imaginem homo conditus. Atqui non ad Angelorum, ſed ad Dei imaginem homo conditus eſt. Ergo.

120. 4. *Deum allocutum eſſe quatuor Elementa, quibus primò creatis poſtea ad opera ſex dierum perficienda uſus eſt.* Reſp. contra hanc opinionem militant eadem argumenta. Neque enim ad Elementorum imaginem conditi ſumus, nec Elementa activè in creatione concurrerunt, nec poteſt alloquium illud Elementis convenire. 5. *Deum interdum alloqui creaturas irrationales* Eſa. 1. verſ. 2. Reſp. illud fit ad animos hominum ingratorum magis percellendos atque ad attentionem excitandos (Luth. in comm. *Utitur Propheta hac figura ut attentos faciat auditores, quaſi dicat: Nemo audit, omnes ſunt impii & negligunt verbum DEI. Audiant igitur cœlum & terra. Cur hoc? quia Dominus loquitur, cujus verbum meretur ut audiatur.*) Quid verò hoc ad Hiſtoricam creationis deſcriptionem, quæ verbis propriis & perſpicuis conſtat? Num enim etiam ad brutorum imaginem hominem dicemus conditum? num bruta etiam in communionem hujus operis tanquam cauſa efficiens creationis includuntur? non vocat Deus in communionem operis cœlum ac terram, ſed ſimpliciter dicit, *Audite cœli & terra, filios enu-*

trivi. 6. Deum cum Angelis communicare conſilium. Reſp. ex Eſa. 40. v. 12. & Rom. 11. v. 34. *Quis Conſiliarius Dei fuit?* unde ergo probant talem cum Angelis conſultationem inſtitutam? adducunt 1. Reg. 22. & Job. 1. ſed illa exempla ſunt aliena. 1. utrobique diſerta fit Angelorum mentio, hic verò minimè. 2. Angeli ibi aſſiſtunt tanquam miniſtri & apparitores, non tanquam divini operis ſocii. 3. cum illis Deus conſultat ad quorum imaginem homo conditus. At de Angelis id intelligi nequit. 4. Moſes nequaquam dicit Deum allocutum eſſe Angelos præſentes, ſed Elohim inter ſe collocutos.

121. 3. Tertium ſententiæ noſtræ fundamentum petimus *ex forma loquendi Prophetica.* Ut enim Moſes in plurali dicit, *Elohim creaſſe cœlum & terram, Elohim* ante hominis creationem quaſi *conſultaſſe*, ita Prophetæ ἀποτολμῶσι (ut verbo Apoſtolico Roman. 10. verſ. 20. utar) hoc eſt, ſumta à Moſe audacia ipſimet etiam in plurali numero de DEO uno cœli ac terræ creatore loquuntur. Job. 35. verſ. 10. *Et non dixit*, Ubi אֱלֹהַּ עֹשָׂי נֹתֵן *Deus factores mei dans Cantica*, ubi nomini plurali עֹשָׂי *factores* adduntur duo ſingularia אלה & נֹתֵן ut & perſonarum pluralitas & eſſentiæ divinæ unitas ſignificetur. Quidam intelligunt de variorum beneficiorum collatione. *Ubi eſt Deus, qui fecit me?* hoc eſt, ornavit & tantis beneficiis eſt proſecutus, ſicut 1. Sam. 12. verſ. 6. *Dominus, qui fecit Moſen & Aaronem*, hoc eſt, magnos & celebres illos credidit, ſed rectiùs accipitur in ſpecie de creationis beneficio, quia additur *dans Cantica in nocte*, hoc eſt, qui noctu me cuſtodiens & ſervans canendarum laudum ſuarum materiam ſuppeditat, ut ſic beneficium creationis & conſervationis conjungatur. Mercerus in comm. *honoris causâ de DEO pluralem numerum uſurpari* exiſtimat. Sed ad illud ſuperiùs reſpondimus. Pſal. 149. verſ. 2. *Lætetur Iſrael* בְּעֹשָׂיו *in factoribus ſuis, exultent filii Sion* בְּמַלְכָּם *in Rege eorum.* Eſa. 42. v. 5. *Iehova creans cœlos & extendentes eos.* Eſa. 44. v. 2. *Sic dixit Iehova* עֹשֶׂךָ *factores tui* (plurale hoc eſſe indicat ' ante affixum. Quamvis enim juxta regulam Grammaticam affixa omnia pluralia habeant ante ſe literam ' tanquam pluralis indicem, excipiuntur tamen quædam ſpecialia quæ ' amittunt רַגְלֶךָ *pedes tui* Jerem. 38. verſ. 22.) ſtatim verò additur ſingulare וְיֹצֶרְךָ *& formator tuus* (illud ſingulare eſſe conſtat ex ſcheva ante affixum) cap. 54. v. 5. בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *mariti tui factores tui Iehovah, Sebaoth nomen ejus & Redemtor tuus ſanctus Iſrael* אֱלֹהֵי *Deus omnis terræ*, ubi ſingularis ac pluralis numeri permutatio duplex. (Lyran. addit locum Eccleſ. 2. v. 12. *Quid eſt homo, qui venturus eſt poſt Regem, quod jam fecerunt eum*, ſed hoc rectius de Salomone quam de Deo creatore accipitur, ut patet ex contextu. Senſus enim eſt, quod ſucceſſor nihil novorum operum facere aut invenire poſſit, ſed ſi quæ faciet facturus ſit, quæ ab anteceſſore jamdum facta.) Ecquis verò ſibi perſuaderi patietur, illam ſingularis ac pluralis numeri conjunctionem in creatoris denominatione omni planè myſterio carere.

122. 2. *In ſpecie* ex illis dictis, quæ creationis opus Patri, Filio & Spiritui ſancto tribuunt, ſieque pluralitatem illam ad trium perſonarum numerum determinant. Dictorum illorum duas conſtituemus claſſes: Prior complectitur ea, quæ vel *trium vel duarum perſonarum* expreſſam mentionem in creationis deſcriptione faciunt. Poſterior continet ea, quæ diſtinctam unius perſonæ *vel Filii, vel Spiritus ſancti*, mentionem injiciunt, *de Patre* enim perſona prima, an illi creationis opus competat, nunquam dubitatum fuit. Ad claſſem priorem hæc referantur: 1. In propria hujus articuli ſede Gen. 1. de Deo creatore Moſes non tantùm loquitur in numero plurali, ſed etiam pluralitatem illam ad tres perſonas Deitatis applicat. Ut enim prætermittamus illud, quod Origenes & Rupertus in comm. illius loci. Auguſtin. in lib. de Geneſ. ad lit. imperf. & alii prima ſtatim verba Geneſeos בְּרֵאשִׁית ad Filium referant, ut *in principio*, hoc eſt, in Filio ſive per Filium Pater omnia dicatur creaſſe, ſicut Johan. 1. verſ. 3. Hebr. 1. verſ. 2. *per Filium*, & Coloſſ. 1. verſ. 16. *in Filio* omnia dicuntur condita, quò accommodant illud, quod ſecunda perſona ſit Filius DEI primogenitos, qui dici ſolet ראשית *principium roboris* Gen. 49. verſ. 3. Deuter. 21. verſ. 17. quodque Filius Dei expreſſè appelletur ἀρχὴ Coloſſ. 1. verſ. 18. ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ Apocal. 3. verſ. 14. *principium creaturæ* non materiale ſed effectivum, quodque ἐν κεφαλίδι τοῦ βιβλίου *in ipſo capite* & initio libri, adeoque in ipſa voce ראשית de ſe ſcriptum eſſe Filius teſtetur Pſal. 40. verſ. 7. Hebr. 10. verſ. 7. Ut inquam illud prætermittamus, cùm Johannes cap. 1. verſ. 1. nomen ἀρχῆς de rerum conditarum exordio ac principio explicet, illud manifeſtum eſt, quod Moſes aſſerat Deum *dicendo* omnia creaſſe *& Spiritum Elohim aquis incubuiſſe*, eaſdemque fóviſſe, prius exprimit perſonam Filii, poſterius perſonam Spiritus ſancti. Quamvis enim vox אמר *dixit*, toties in illo capite repetita Dei juſſum, mandatum, ut Scholaſtici loquuntur, atque voluntatem Dei in opus extenſam denotet, ac proinde ad verbum DEI προφορικὸν non injuriâ referatur, quod fruſtra urget Socinus ſic diſſerens, verbi *nomen præſenti & effectivæ Dei voluntati tribuitur ſignificatione ab hominibus tranſlata. Quia enim ſolent homines potentia atque autoritate præditi cùm aliquid fieri volunt verbo aliquo id declarare, propterea Deus tanquam loquens introducitur cum aliquid vult fieri, hoc eſt, exiſtere*, in defenſ. animadv. p. 104. Nos hæc non omnino improbamus, ſed concedimus verbum *dixit*, ad Dei juſſum referri poſſe, (cùm 1. Moſes hîc Hiſtoricum agat ac res geſtas ſimpliciſſimè deſcribat. 2. nec tantùm *in genere* referat Deum dixiſſe, ſed etiam *in ſpecie* addat, quænam Deus verba prolocutus fuerit, *ut fiat lux, fiat firmamentum &c.* 3. cùm eadem ſit ratio τοῦ *dicere* in primis diebus, quæ in ultimo, ſive ſexto, ubi Deus iterum dicens introducitur verſ. 26. *faciamus hominem ad imaginem noſtram*, id quod de Dei conſilio & verbo προφορικῷ intelligendum eſſe conſtat. 4. denique cùm Scriptura verbum dicendi aliis in locis ſic explicet. Pſal. 33. verſ. 9. *ipſe dixit & fuit, ipſe præcepit & ſtetit.*) Confer 2. Corinth. 4. verſ. 6. eodem tamen dicendi verbo ſimul exprimitur verbum ὑποστατικὸν & ſubſtantiale Dei ſcilic. Filius. Probare igitur non poſſumus, quod Toſſ. in not. marg. addit, *dicere h. l. nihil aliud eſſe, quam efficacem*

ficacem Dei voluntatem & mandatum, imò verò unà cum verbo mandati denotatur Verbum ſubſtantiale, id quod conſtat 1. *ex infallibili interpretatione* Johannis cap. 1. verſ. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt*, ex quo loco ſic concludimus. Illud verbum, per quod omnia facta ſunt, in principio erat πρὸς τὸν θεόν. Atqui hoc eſt proprium perſonæ ſubſiſtentis. Ergo Verbum illud, per quod omnia facta ſunt, eſt perſona per ſe ſubſiſtens. 2. *ex Salomonis teſtificatione*, qui Sapientiæ Dei eadem tribuit quæ Moſes Dei verbo, Proverb. 8. verſ. 22. & ſeqq. de quo argumento dicemus paulò pòſt uberiùs. 3. *ex rei ipſius conſideratione*, quia in illo præcipiendi & mandandi verbo erat Virtus Altiſſimi & Verbum Patris hypoſtaticum, cùm Pater non operetur abſque Filio Johan. 5. verſ. 17. 4. *ex Nov. Teſt. explicatione*, quam latè expoſitam dedimus in articulo de Deo Patre & Filio §. 82. & in articulo de creatione §. 10. 5. *ex Chaldaica paraphraſeos conſenſione*, in ea enim uſitatiſſimum eſt, Filium Dei promiſſum Meſſiam appellari *Mamerab* appellatione ex verbo אמר deductâ.

123. Hæc omnia ſi probè obſerventur, facilè reſponderi poteſt ad ea, quæ Socinus in defenſ. animadv. pag. 106. & ſeqq. contra hanc noſtram interpretationem affert. Primò excipit *Vatablum τὸ dicere exponere pro jubere, præcipere, velle, decernere &c.* Potuiſſet addere Flacium & Bezam, qui in annotat. ſuis eodem modo exponunt. Quid verò noſtræ ſententiæ illud præjudicat? 2. *Iſtud Dei juſſum ſimile eſt illi, quo Chriſtus uſus eſt, cùm ventis & mari imperavit, dicens Obmuteſce* Matth. 8. verſ. 26. Marc. 4. v. 39. Luc. 8. verſ. 24. *ubi nihil reverâ eſt, quod juſſa intelligat, eaq́ue ſuſcipiat & exequatur, ſed per proſopopœiam omnia dicuntur & præſentem formamq́ue voluntatem ob oculos ponunt.* Reſp. Chriſtus dicit Johan. 14. verſ. 10. *Pater in me manens ille facit opera*; quando ergo Chriſtus vento & mari imperat, dicens *obmuteſce*, non abeſt ab eo Pater, ſed in ipſo & per ipſum talia dicendo ſive præcipiendo efficit, quemadmodum in prima creatione in Filio & per Filium ventos & mare creavit. Cùm opera DEI ad extra, ut vocant, ſint omnibus tribus perſonis communia, ideo Pater non alloquitur creaturas δίχα τοῦ λόγου nec agit quicquam in creaturis ſine eo, ac vice verſa λόγος non alloquitur creaturas ſine Patre, nec agit quicquam in creaturis ſine eo. Invertimus igitur argumentum: Qui cum imperio & divinâ prorſus autoritate creaturis poteſt præcipere, is eaſdem ab initio condidit. Filius hoc poteſt. Ergo. 3. *Non poteſt fieri, ut in verbis illis, Dixit Deus fiat vel ſit lux, verbum dixit ſubſiſtent aliquod per ſe verbum, exq́ue ipſo Deo ab æterno & neceſſario manans declaret, per quod ſcilicet lux creata fuerit? Nam ſi id declararet, ſine dubio verbum iſtud vel ipſum dicere eſſet, vel id quod dicitur. Id quod dicitur nullo pacto eſſe poteſt, niſi velimus æternum Dei verbum eſſe voces illas, fiat lux, fiat firmamentum, Ipſum dicere ſimiliter eſſe nequit, alioqui verbum DEI æternum modò eſſet, modo non eſſet, quo nihil poteſt excogitari abſurdius, patet enim ex ipſa Moſis narratione, Deum non ſemper dixiſſe, ſed & dicere cœpiſſe & dicere deſiiſſe,*

Exegeſit.

pag. 107. Reſp. eſt inſufficiens enumeratio. Omittitur enim principalis ſignificatio, qua verbum accipitur pro λόγῳ ὑποστατικῷ, qui erat in illo dicendi & præcipiendi verbo προφορικῷ atque externo. In creaturis intelligentibus verbum externum non eſt abſque interno, λόγος ἔξω præ requirit λόγον ἔσω, verbum προφορικὸν præſupponit verbum ἐνδιάθετον, ecquis igitur creatori ſapientiſſimo verbum externum & προφορικὸν abſque interno & æterno tribuet? Quamvis ergo in tempore Deus dixerit, *fiat lux*, & dicendo omnia creaverit, tamen ab æterno verbum internum & hypoſtaticum eſſentiæ unitate ſibi conjunctum habuit, quod in externo dicendi verbo in tempore prolato inerat. 4. *Non ſufficit, veriſimile feciſſe aut etiam planè probaſſe, Dei eſſe verbum quoddam æternum, Itemq́ue Spiritum, niſi ſimul probetur, Verbum iſtud iſtumq́ue Spiritum eſſe perſonas ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſſe illud Verbum.* Reſp. id verò clariſſimè docet Johannes cap. 1. ut ſuo loco plenius oſtenditur, de Spiritu ſancto ibidem v. 2. dicitur: *Spiritus Domini incubabat aquis.* Cajetanus accipit *de Dei Angelo movente ſe ſuper aquas, hoc eſt, torquente primum mobile, cujus motum aqua & inferiora vivificarentur.* Rabini *de vento*. Goslavus itidem *de vento* intelligit. Franc. Vallerius *digne Elementari* in ſacra Philoſop. p. 28. (Luther. tom. 4. in Geneſ. p. 4. *de vento* exponit, ſed poſteà mutavit ſententiam.) Photiniani ut & Calvinus *de virtute Dei* intelligunt, noſtri de *Spiritu ſancto* tertia Deitatis perſona.

124. Hanc poſtremam expoſitionem confirmamus, 1. *ex appellatione* dicitur *Spiritus Elohim* Patris & Filii, quia à Patre & Filio procedit, quò referantur dicta Scripturæ reliqua, quæ Spiritum ſanctum vocant *Spiritum Patris* Matth. 10. verſ. 20. *Spiritum Filii* Galat. 4. verſ. 6. *Spiritum Dei* Matth. 3. verſ. 16. &c. 2. *ex attributione. Spiritus Domini* מרחפת *ferebatur ſuper aquas* רחף *movit, agitavit ſe*, Deuter. 32. verſ. 11. Syris eſt, *ovis incubuit, confovit more avium, complexus eſt amore, miſericordiâ.* Baſilius in hexaëm. homil. 2. in princ. ex Syro quodam ſe accepiſſe tradit vocem hîc poſitã ſignificare idem, quod *fovere vitali calore inſtar gallinæ* ἐθάλπε ζώσης καὶ ζωτικήν τινα δύναμιν ἐνιείσης τοῖς ὑποβαλλομένοις. *ſuperferebatur vi quadam effectoria & fabricatoria, ut illud cui ſuperfertur, efficiatur, ſicut ſuperfertur voluntas artificis ligno vel cuique rei alii ſubjectæ ad operandum*, ait Auguſt. lib. de Geneſ. ad lit. cap. 4. *Superferri dicitur Spiritus Domini aquis non pervagatione ſed poteſtate, non localiter ſed potentialiter, non per ſpacia locorum, ſicut terræ Sol ſuperfertur, ſed per potentiam ſublimitatis*, inquit Eucherius in h. l. 3. *ex deſcriptione.* Spiritus quando pro vento ponitur violentum quid ſignificat, additum nomen *Domini* rei magnitudinem declarat, *ut montes Dei, cedri Dei* 1. Sam. 14. verſ. 16. Pſal. 36. v. 7. Pſal. 65. v. 10. Pſal. 80. v. 11. Jerem. 2. v. 31. Jon. 3. v. 3. Sic ergo ſignificaretur ventus violentiſſimus, qui cum impetu feratur, non potuiſſet *ſuperincubare.* Wolffg. Capito in cap. 1. Geneſ. 4. *ex participii uſurpatione.* Moſes de hoc Spiritu loquitur per participium Benoni מרחפת *agitans vel incubans ſive agitator* ſeu incubator ſuper faciem aquæ, id quod perſonam Spirit. S. innuit. 5. *ex temporis conſideratione. Ventus primo illo die nondum erat,*

ergo de vento intelligi nequit. Luther. in not. Ventus eſt aëris agitatio, at aër ante ſecundum diem non extitit, ſed nec ventus ullum ante ſegregationem totius molis uſum habuiſſet. 6. *ex aliorum Scripturæ locorum collatione*, in quibus Spiritui ſancto opus creationis tribuitur, de quibus poſteà. 7. *ex operis divini attributione.* Moſes loquitur de creatione & ſuſtentatione molis primogeniæ. Ea verò non convenit virtuti creatæ, ſed ſoli Deo. 8. *ex Chaldaicæ paraphraſeos teſtificatione.* Targum Hieroſolymitanum, רוחרחמים *Spiritus miſericordiarum ſive gratiæ flabat ſuper faciei aquarum.* 9. *ex Interpretum conſenſione.* Burgenſis notat, antiquiores Rabinos diſertè de Spiritu ſancto hunc locum expoſuiſſe. Chriſtianorum Interpretum ea eſt conſentiens interpretatio. Orig. 1. περὶ ἀρχ. Sap. 5. Baſil. homil. 2. hexaëm. p. 35. Cyrill. lib. 1. contra Julian. Auguſt. 13. Conf. cap. 4. lib. 8. de civit. Dei cap. 11. Ambroſ. lib. 1. hexaëm. cap. 8. Gloſſa ordinaria ex Hieronymo. *Merachepech eſt incubabat ſeu confovebat in ſimilitudinem volucris ova calore animantis, ex quo intelligitur non de Spiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur, ſed de Spiritu ſancto, qui & ipſe vivificator omnium à principio. Si autem vivificator, conſequenter & conditor, quodſi conditor & Deus.* ** Pererius in c. 1. Geneſ. n. 60. *Libet explodere novam & mirabilem Cajetani expoſitionem, qui per Spiritum intelligit Angelos metaphoricè.* Eundem Cajetanum reprehendit Sixtus Senenſis lib. 5. annot. 7. fol. 414. contra ſanctorum ſenſum, contra Pontificum decreta & contra Eccleſiæ autoritatem ſentientem.**

125. Excipit Goslav. contra Keckerm. p. 82. 1. *Contrarium potius ex hoc loco colligi. Quod enim eſt alicujus, non eſt illud ipſum cujus eſt propria locutione. At Spiritus Sanct. dicitur Spiritus DEI & Spiritus Domini. Ergo non eſt Deus.* Reſp. 1. Spiritus Elohim poteſt etiam per appoſitionem accipi, ut ſit *Spiritus Dominus*, quia ὁ κύριος τὸ πνεῦμά ἐστι 2. Cor. 3. v. 17. 2. nomen Dei accipitur quandoque *eſſentialiter*, quandoque *perſonaliter*. Spir. S. eſt Spiritus Dei ſcil. Patris & Filii, quia eſt ἐκ τ̃ Θεοῦ 1. Cor. 2. v. 12. à Patre & Filio ab æterno procedens, & in tempore ab illis miſſus, eſt etiam Spiritus Deus, quia eſſentiæ unitate Patri & Filio conſubſtantialis. Eſt idem argumentum, ac ſi quis velit dicere. Chriſtus vocatur Filius hominis. Ergo non eſt homo. Notetur hîc Regula Theol. Genitivus, in ſacris interdum diverſam notat ſubſtantiam, ubi res ſunt finitæ, interdum ſuam ſignificat perſonam, cùm ſubjectum eſt infinitum. Prioris exemplum eſt, quando dicitur ventus Domini; poſterioris, quando dicitur Spiritus Domini. 3. Quod eſt alicujus ſcil. ut pars ejus, illud non eſt ipſum. Sed Spir. S. non eſt pars quædam Dei vel eſſentiæ divinæ, cùm ea ſit numero una, infinita, ſimpliciſſima & indiviſibilis tota in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu ſancto.

126. 2. *Non continuò de Spiritu ſancto agitur, quia Spiritus Elohim dicitur, neq; enim omnis Spiritus eſt ſtatim Spir. ſanct.* Reſp. repetantur ſententiæ noſtræ fundamẽta & inſtituatur ſufficiens enumeratio reliquarum interpretationum textui minus congruentium. Ventum non poſſe intelligi, jam ante demonſtratum fuit. Cajetanus intelligit *de Angelo motore.* Atqui incertum eſt, an Angeli jam tum fuerint ante lucem conditi, ac moles illa primogenia à Deo ipſo ſuſtentata tali motore non indigebat. Valleſius accipit de *Elemento ignis*, at ille non tàm conſervator quàm deſtructor Naturæ cenſendus, ſed nec dum ignis Elementaris erat conditus. Quidam de aere exponunt. At ille antè ורקיע ſecundâ die conditum nondum extitit. 3. Socin. in defenſ. animadv. pag. 110. *fuit virtus & potentia Dei non perſona ſubſiſtens.* Reſp. tribuitur ei diſtincta actio, vocatur notanter *Spiritus oris Domini* Pſal. 33. v. 6. ac Deus in creatione univerſi non indiguit virtute aliquâ inſtrumentali.

126. Atque hæc de argumento ex 1. cap. Geneſ. dicta ſint, ad quod coronidis loco referri poteſt illa obſervatio veterum, quam recenſet B. Lutherus in enarr. cap. 1. Gen. *Sancti Patres* (inquit) *præſertim Auguſtinus* lib. 11. de civit. cap. 24.) *obſervant, quod Moſes his tribus verbis utitur. Deus dixit, fecit, vidit, quaſi hoc modo tres divinitatis perſonas voluerit oſtendere. Verbo dicit, ſignificatur Pater, ille generat Filium Verbum ab æterno & in tempore conſtituit per illud Verbum hunc mundum. Filii perſonæ accommodant verbum fecit, Filius enim in ſe habet exemplar non ſolùm majeſtatis divinæ, ſed etiam eſt exemplar rerum omnium, ideo dat eſſe rebus, & ſicut a Patre res dicuntur, ita per Filium & Verbum illud Patris res omnes ſubſiſtunt. Adjungitur autem illis tertia perſona Sp. S. qui res creatas videt & probat.*

127. 2. Pſal. 33. verſ. 6. *Verbo Domini cæli firmati ſunt & Spiritu oris omnis exercitus eorum.* In hoc dicto trium perſonarum diſerta fit mentio ac omnibus & ſingulis opus creationis tribuitur. Calvin. in comm. & in inſtit. lib. 1. cap. 13. ſol. 15. repudiat hoc argumentum, cujus veſtigiis inſiſtens. Socinus in defenſ. animadv. pag. 103. ſic diſſerit: *Verbum illud Dei, quo cæli facti ſunt, nihil aliud eſſe quam Dei voluntatem formatam, non aliquid in ipſo Deo ſubſiſtens.* pag. 110. *Spiritum oris idem ſignificare quod verbum, aut ſi aliud ſignificat, Dei virtutem ac potentiam, non autem quiddam per ſe ſubſiſtens.* ** (Cajetanus etiam Pſal. 33 v. 6. negat de Spiritu Sancto intelligendum, ſed Ambroſius Catharinus Compſæ Epiſc. eum perſtringit, Sixt. Senenſ. lib. 5. Biblioth. annot. 168.)** Reſp. 1. per verbum intelligi Filium Dei, oſtendũt argumenta ſuperiùs adducta & probat evidenter Johannes Λόγου appellationem Filio tribuens. Quod Socinus addit, *Filium dici Λόγον, quia voluntatem Dei nobis patefecit, ſicut per hominis verbum, h. e. ſermonem ejus voluntas cognoſcitur* pag. 104. id verè quidam dicitur ſed inſufficienter, Filius enim Dei erat Λόγος in prima omnium rerum creatione, imò ab æterno. Vis veritatis adegit Socinum ut ſcriberet p. 105. *non negaverimus, Johannem cùm Chriſtum ſermonem ſeu τὸν Λόγον appellavit, ad id etiam reſpicere potuiſſe, quod Dei verbo cælos factos fuiſſe ſcriptum eſt* Pſal. 33. v. 6. Atqui ſi Chriſtus inde atque ideo etiam Λόγος dicitur, quia per ipſum cœli ſunt facti, utique non tantum ratione manifeſtationis divinæ voluntatis ſic appellatur, ſed etiam quia per hunc Λόγον omnia ſunt creata. (Regerit quidem Socinus pag. 106. *dici Λόγον, non quia cæli ac terra iſta per Chriſtum ſint facta, ſed quia novi illi cæli, novaq; terra, quos olim per Eſaiam ſe conditurum Deus prædixerat, per ipſum ſint conditi, eodemq; nomine libenter eum appellare*

potuiſſe

potuiſſe Iohannem, per quem novus mundus factus eſt, quo id appellatum eſt, per quod vetus mundus factus legitur. At quilibet videt hanc gloſſam eſſe violentam. Nam nec Pſaltes nec Johannes de nova illa creatione adhuc in vita æterna expectanda, ſed de prima omnium rerum creatione jamdum facta loquuntur. 2. Spiritus à verbo diſtinguitur, ideo veriſimile non eſt, unam eandemque perſonam utroque nomine intelligi. 3. notanter dicitur *Spiritus oris Domini*, quia ſcilicet ex intimo ore divinæ eſſentiæ à Patre & Filio ab æterno ſpiratur. 4. conferenda ſunt reliqua Scripturæ dicta, quæ Filio & Spiritui ſancto opus creationis diſtinctè tribuunt. 5. Si Spiritu Dei exercitum cœlorum factum eſſe hunc ſenſum habet, potentiâ & virtute Dei omnia eſſe facta, utique etiam verbo Dei cœlos eſſe factos eundem ſenſum habebit, cùm ἰσοδυναμοῦσας eſſe has appellationes Socinus ſtatuit. At poſterius disertè negat, ſic enim ſcribit pag. 110. *Entropius & qui cum eo ſentiunt, turpi figura dictionis fallaciâ decepti ſunt, cùm verba illa Verbo Domini cœli facti ſunt, perinde acceperunt, quaſi vox verbo eodem ſenſu poſita fuerit, quo v. g. vox potentiâ fuiſſet, ſi dictum foret, potentiâ Domini cœli facti ſunt, ut ſcil. mediam quandam cauſam efficientem ſignificet, non autem in efficiendo quandam rationem ſeu modum, ut ſine dubio ſignificat, nempe DEUM decreviſſe tantùm, ut cœli fierent & ſtatim factos eſſe, non quidem videlicet ipſo decreto ut media efficiente cauſa, ſed vi ac potentia ipſius Domini, quæ media cauſa efficiens fuit.* 6. ipſimet Rabini antiquiores myſterium Trinitatis hîc agnoſcunt referente Galatino lib. 2. de arc. cap. 4. In expoſitione R. Moſis Hadarſan in librum Geneſeos ſuper illud 42. cap. *Ioſeph ipſe potens ſuper terram*, ita legitur R. Eleazar dixiſſe: *Non eſt creatus mundus niſi verbo Dei ſancti & benedicti, ſicut dictum eſt* Pſal. 33. *Verbo Domini cœli facti ſunt, ubi & R. Simeon dicit, ſpiravit Deus Spiritum oris ſui, & creatus eſt mundus, ſicut dictum eſt* Pſal. 33. *& Spiritu oris ejus, omnis exercitus eorum, in quibus hi tres, Deus, Verbum ejus & Spiritus* diſtinctè in mundi productione concurriſſe ponuntur.

Filio Dei tribuitur opus creationis.

128. Ad poſteriorem claſſem pertinent dicta, quæ 1. *de Filio.* 2. *de Spiritu ſancto* diſtinctè agunt ac creationis opus utrique tribuunt. *De Filio* hæc habentur 1. Proverb. 8. verſ. 22. Sapientiæ Dei tribuitur 1. æternitas. 2. opus creationis. 3. filiatio. 4. perſonalia ſubſiſtentia. 5. à Patre diſtinctio. יהוה קנני *Dominus poſſedit vel acquiſivit me* (קנה inter cætera ſignificat *generatione acquirere* Geneſ. 4. verſ. 2. Zachar. 13. verſ. 5. ubi LXX. verterunt ἐγέννησέ με. Chaldæus Proverb. 8. verſ. 22. reddidit בְּרָאנִי LXX. ἔκτισε *condidit*, ex quo Arius Chriſtum vocavit κτίσμα ſed Chaldæis בְּרָא etiam de generatione dicitur Job. 3. verſ. 3. ac apud Græcos pro ἔκτισε legendum ἔκτησε Aquil. ἐκτήσατο quo modo alibi reddiderunt) ראשית דרכו *principium viæ ſuæ*. AbenEzra: *principium intentionis ſuæ*, quod latè patet, ut hæc ſapientia ipſis decretis Dei æternis ſit coæva. Mercerus *de omni æternitate* exponit, Nos ſic progredimur. *Via Dei* eſt opus DEI ac in ſpecie de creationis opere uſurpatur Deut. 32. verſ. 4. Jobi 40. verſ. 14. Eſa. 55. verſ. 8. Rom. 11. verſ. 33. Sapientia igitur ſeu Filius Dei dicitur *principium viæ Domini*, hoc eſt, creationis, *non materiale*, quo ſenſu uſurpatur Job. 40. v. 14. *ſed effectivum*, ut ex ſequentibus intelligitur, quo ſenſu etiam in N. T. Filius dicitur Coloſſ. 1. verſ. 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως; Apoc. 3. verſ. 14. ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ Θεοῦ a quo omnis creatura habet principium. Quod ſi cum præcedentibus conjungere velis, erit ellipſis præpoſitionis ב *Dominus poſſidet me in principio viæ ſuæ*, hoc eſt, cùm omnia in principio temporis condere inciperet, ſicque verba illa Salomonis exactiſſimè conſentient cum verbis Johannis cap. 1. v. 1. *In principio erat ὁ Λόγος & ὁ λόγος erat apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt)* קדם מפעליו מאז *ante opera ſua ex tunc.* In Hebr. deficit præfixum ב *in anteitate operum ſuorum*, hoc eſt, antequam operaretur ſive crearet mundum, ut ex ſeqq. intelligitur, *ex tunc*, hoc eſt, jamtunc ſive ante ullum tempus eram. Aquil. ἐκτήσατό με ἀρχὴν ὁδοῦ κατεργασμάτων αὐτοῦ. Theodot. πρὸ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ ἀπὸ τότε. Pſal. 93. v. 2. מאז exponitur מעולם *ab æterno* (ſicut etiam hoc loco ſtatim ſubjungitur) v. 23. מעולם נסכתי מראש מקדמי ארץ: *a ſeculo* ſive ante ſeculum, hoc eſt, ab æterno *principatum habui*, ad verb. *injuncta perfuſa fui* ſcil. in regem & gubernatorem, quia Reges oleo ungi ſolebant, *a capite*, hoc eſt, à principio ſive ante principium mundi ſeu rerum creatarum ante primordia terræ (ad verb. *ab anteitatibus terræ*, hoc eſt, antequam creata eſſet terra, ut in ſequentibus exponitur) verſ. 24. באין תהמות *in non voraginei* ſubintellige היות cùm nondum eſſent abyſſi, adhuc non erant abyſſi חוללתי *genita, nata eram*, rad. חול *peperit, genuit* Pſal. 51. v. 7. *cùm nondum fontes graves* ſeu pleni & abundantes *aquis*. verſ. 25. 26. 27. 28. & 29. per inſignem ἐπιμονὴν & miram verborum copiam ſapientia illa ante mundi creationem ſeſe extitiſſe docet, ac verſ. 30. addit, ואהיה אצלו אמון *& eram apud eum artifex.* LXX. ἁρμόζουσα. Aquil. τιθηνουμένη. Symm. & Theod. ἐστηριγμένη. Targ. מְהֵימְנָא *fidelis.* Mercerus exponit *alumnus* paſſivè, quo modo uſurpatur plurale Thren. 4. verſ. 5. R. Salomon *educata cum eo* apud illum. Vulg. *artifex*, tanquam opifex cuncta componens. R. Levi active *nutrix* nutricius omnia alens, dirigens & gubernans. AbenEzra accepit ſubſtantivè באמון hoc eſt באמנה *in nutricationem* Eſth. 2. verſ. 20. Rad. אמן *ſtabilis, firmus, fuit*, inde אמון *opifex* in arte ſua excellens Jerem. 46. verſ. 25. pro artifice uſurpatur, & אומן *nutritius, altor*; nota igitur hoc loco exprimi perſonalem diſtinctionem, perinde ut Johan. 1. v. 1. ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν) *& eram delitiæ quotidie ludens coram eo omni tempore.* v. 31. *ludebam in orbe terræ ejus & delectationes meæ cum filiis hominum.* (Sicut pueri ludentes ſunt delitiæ parentum, ſic ſapientia ſive Dei Filius eſt delitiæ Patris cœleſtis, ludit etiam in orbe terrarum mirandis operibus & effectis, ac delitiæ ejus cum filiis hominum, unde etiam in temporia plenitudine humanam Naturam aſſumſit. Confero cum hoc cap. 8. Prov. etiam reliqua Scripturæ dicta, in quibus ſapientiæ divinæ creatio tribuitur. Prov. 3. verſ. 19. *Dominus* בחכמה *in ſapientia fundavit terram, ſtabilivit cœlos in intelligentia.* verſ. 20, *Per ſapientiam ejus divina ſunt abyſſi, & nubes rore ſtillantes facta.* Pſal. 104.

verſ. 24. *Omnia in ſapientia feciſti.* Jerem. 10. verſ. 12. *Deus eſt, qui ſtabilivit orbem in ſapientia ſua, & in prudentia ſua extendit cœlos.* cap. 51. v. 15. *firmavit orbem in ſapientia ſua & in prudentia ſua extendit cœlos.* Sap. 9. verſ. 2. *τῇ σοφίᾳ σου κατασκευάσαι τὸν ἄνθρωπον.* Hanc ſapientiam eſſe *ἐνυποστατικὴν* ſecundam Deitatis perſonam, Filium Patris unigenitum conſtat non ſolùm ex N. Teſt. Matth. 11. v. 19. Luc. 7. v. 35. cap. 11. v. 49. 1. Cor. 1. verſ. 24. Coloſſ. 2. v. 3. ſed etiam ex Prov. 8. ubi ut diſtincta à Patre perſona ante mundi creationem, hoc eſt, ab æterno ab ipſo genita nobis proponitur & ex Pſal. 2. v. 7. Prov. 30. v. 4. ubi hæc ſapientia Dei Filius appellatur.

129. Excipit Socinus in animadv. ad aſſert. 2. p. 33. & in defenſ. animadverſ. cap. 7. pag. 204. 1. *Sapientiam, de qua loquitur Salomon, nunquam appellari ſapientiam Dei, ſed ſapientiam ſimpliciter, Chriſtum verò Dei ſapientiam vocari.* Reſp. inane ſubterfugium. Non creatæ alicui ſed increatæ & divinæ ſapientiæ prædicata illa conveniunt, quæ à Salomone ei attribuuntur, ſapientia à Deo genita eſt omnino Dei ſapientia. At Salomon loquitur de ſapientia à Deo genita. Ergo. Ipſa etiam vis relativi, *Deus ſtabilivit orbem in ſua ſapientia* manifeſtè oſtendit, non de alia quàm de Dei ſapientia totum hoc intelligi poſſe. 2. *Per eandem ſapientiam & Reges regnare & Principes juſtitiam decernere.* v. 15. *dixerat. Ergo non loquitur de aliqua ſapientia Dei propria.* Reſp. Invertimus argumentum: Cauſa non eſt deterior ſuo effecto. Sed Reges ac Principes ut perſonæ ſubſiſtentes per hanc ſapientiam regnant. Ergo & ipſa eſt per ſe ſubſiſtens perſona. Notandum verò, quod per ſapientiam illam Reges dicuntur regnare non *formaliter* ſed *efficienter*, ergo non intelligitur ſapientia illa, quæ eſt qualitas ſive habitus in animis Regum, ſed increata illa ſapientia, quæ qualitatem illam efficit, quæ regna diſtribuit & ordinat. Idem omninò dicit Salomon, quod Daniel c. 2. v. 20. *Dei eſt ſapientia & fortitudo.* verſ. 21. *ipſe removet Reges & ſtare facit Reges, dans ſapientiam ſapientibus & ſcientiam intelligentis diſciplinam,* quod Apoſtolus Rom. 13. verſ. 1. *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Eccleſ. 1. verſ. 1. *Omnis ſapientia à Domino, & cum illo eſt in ſeculum.* Nec myſterio caret, quod increata & hypoſtatica illa Dei ſapientia imperiorum conſtitutionem & conſervationem ſibi tribuit, quia propter Filiũ Mediatorem, qui eſt illa ſapientia, nõ tantùm ſpiritualia & æterna, ſed etiã temporalia ac corporalia beneficia generi humano ſunt reddita, inter quæ eminet Magiſtratus conſtitutio & conſervatio. 3. *Qui non videt, Salomonem per proſopopœiam de ſapientia in genere & in abſtracto loqui. quæ nullo modo Chriſtus eſſe poteſt, is per multa, quæ in eo cap. & ſeq. ſcripta ſunt, parùm attentè legit.* Reſp. imò verò adverſarii intelligendo faciunt ut nihil intelligant. Salomon & creationis opus & æternitatem & perſonalitatem & ex Deo nativitatem ſapientiæ illi tribuit, ut oſtendimus, quæ omnia ſimul ſumta nemini niſi æterni Patris Filio convenire poſſunt. 1. Sapientia aſſeribit ſibi *conſilium, robur & prudentiam* verſ. 14. at hæ ſunt proprietates *ἐνυποστάτῳ λογικῇ* convenientes. 2. וְתוּשִׁיָּה ait verſ. 14. *mihi exiſtentia.* 3. dicitur *amantes redamare* verſ. 17. 4. dicitur *concepta, genita, nata* verſ. 24. at hoc hypoſtaſeos proprium Pſal. 51. v. 7. Job. 45. &c. 5. dicit verſ. 27. שָׁם אָנִי *Ego eram ibi.* 6. dicit ſe *ludere coram DEO in orbe terrarum, delitia ejus cum filiis hominum* verſ. 30. Quis non agnoſcit hæc eſſe attributa rei per ſe ſubſiſtentis ſive perſonæ. *Proſopopœian* quandam hîc agnoſcendam eſſe nondum fuit à Socino probatum, quod verborum Salomonis hunc dicit eſſe ſcopum ac ſenſum, *Dominum omnia ſapienter feciſſe*, id verè quidem dicitur, ſed inſufficienter, non enim in opere creationis primùm hæc ſapientia dicitur operata fuiſſe, ſed etiam ante creationis opus extitiſſe, utique apud Deum, quia ante creationem nihil quicquam fuit, niſi Deus, *τῆς θειότητος καὶ κτίσεως οὐδὲν μέσον ἂν εἴη* ait Juſt. in ἐκ πίσ. p. 304. 4. *Cum ſapientia illa, de qua Salomon loquitur, in Deo ſit, deq; illius Natura & eſſentia, ſequetur Deum præter ſuam ipſius perſonam aliam quoque habere perſonam, quod non modo abſurdum eſt, ſed plane impoſſibile eſt, manifeſtum enim implicat contradictionem. Nam perſona quam quis habet, omninò ſui ipſius, qui eam habet, perſona eſt. At ſi eam præter ſuam ipſius perſonam habet, jam ſua ipſius perſona non eſt.* Reſp. nomen Dei accipitur vel *perſonaliter* vel *eſſentialiter*. Si perſonaliter nomen Dei accipitur, negamus Deum, hoc eſt, unam perſonam Trinitatis habere aliam perſonam præter ſuam ipſius perſonam. Si eſſentialiter accipitur, utique Deitas ſeu divina eſſentia habet plures perſonas, hoc eſt, pluribus perſonis, nimirum tribus eſt communis, vel quod idem eſt, in una divina eſſentia ſunt plures perſonæ, id quod nullam implicat contradictionem niſi in judicio corruptæ rationis, cui de myſteriis illis poteſtas κριτικὴ minimè omnium competit. Regerit hæreticus, *quemlibet audacter negare poſſe, quod DEI nomine una ex divinitatis perſonis, nempe Pater intelligatur, cum in eo triplex petitio principii inſit, videlicet & quod plures ſint divinitatis perſonæ, & quod Dei ſimplici atque abſoluto nomine una tantùm illarum intelligi poſſit, & denique quod hic certa quædam ex illis, hoc eſt, Pater omninò intelligi debeat.* in defenſ. animadverſ. pag. 205. ſed hanc negandi audaciam infernali igne Deus aliquando coërcebit. Dei nomine perſonaliter accepto, inde atque ideo una Deitatis perſona intelligi poteſt ac debet, quia in qualibet perſona eſt perfecta Deitas, cùm ſit infinita & ſimpliciſſima, neque enim tres perſonæ ſunt tres Deitatis partes, neque Deitas *in perſonas partibiliter eſt diviſa*, ſed tota eſt in ſingulis, tota in omnibus. 5. *Si Salomon de vera perſona loqueretur, neceſſe eſſet, iſtam perſonam jamtum populo univerſo fuiſſe cognitam, quod falſum.* in defenſ. animadv. p. 216. Reſp. eadem perſona, quæ in Chaldaica Bibliorum verſione dicitur *Maimerah*, quæ in Hebræo Codice *Dei Filius, Angelus faciei, Meſſias promiſſus &c.* dicitur hoc loco Dei ſapientia. Jam verò notum fuit populo Iſraelitico, *Maimerah, Dei Filium, Angelum faciei, Meſſiam promiſſum* eſſe diſtinctam à Deo Patre perſonam. 6. *Salomon non ſapientiam tantùm ſed unà cum ipſa ſæpius prudentiam ſive intelligentiam vel etiam ſeparatim prudentiam & intelligentiam tanquam perſonas quaſdam nominat.* Ibid. Reſp. imò verò ubi de hypoſtatica illa Dei ſapientia rerum omnium

creatrice

creatrice loquitur, tantùm ſapientiæ nomine utitur, ac ſi vel maximè intelligentiæ nomine uteretur, ſicut in aliis Scripturæ dictis חכמה & תבונה in deſcriptione creationis conjunguntur, poteſt illud de hypoſtatica Dei ſapientia, quæ eſt Filius, hoc de eſſentiali, quæ Patri, Filio & Spiritui ſancto communis eſt, ſine ulla abſurditate intelligi. 7. *Salomon loquitur de ſapientia in plurali* חָכְמוֹת Prov. 9. v. 1. *ac per antitheſin mulierem quandam ſtultam inducit, id eſt, fatuitatem & ſtultitiam per proſopopœiam loquentem facit.* p. 218. Reſp. fatemur Salomonem quædam de ſapientia humana, quæ eſt effectum & donum divinæ, increatæ & hypoſtaticæ illius ſapientiæ, de qua in cap. 8. tractat, proferre, ſed ex eo inferri nequit, eum de hypoſtatica ſapientia d. l. non agere, ecquid enim prohibet, quo minùs à cauſa ad effectum & ab effecto ad cauſam in tractatione quis progrediatur? Ex quibus etiam patet, quid reſpondendum ſit ad ea, quæ ex cap. 1. & 24. Eccleſiaſtici Socinus affert. Eſſe quandam ſapientiam creatam de qua Siracides ibi agit, non inviti fatemur, interim negandum non eſt, increatam quandam ſapientiam dari niſi Deum æternâ ſapientiâ ſpoliare velimus.

130. 2. Ut Deus *in ſapientia* ſive per ſapientiam, ita etiam per *virtutem & potentiam ſuam* omnia condidiſſe dicitur. Joh. 26. verſ. 12. *In potentia ſua diviſit mare, in intelligentia ſua fregit fortitudinem ejus.* Jerem. 10. verſ. 12. *Deus fecit terram in potentia ſua.* cap. 32. verſ. 17. *Domine Iehova, ecce tu feciſti cœlum & terram potentiâ tuâ magnâ & brachio tuo extenſo.* cap. 51. verſ. 15. *Faciens terram in fortitudine ſua*, id verò de hypoſtatica Dei virtute, quæ eſt Filius, intelligi poſſe ac debere, patet non ſolùm ex Nov. Teſtam. Luc. 1. v. 36. 1. Cor. 1. v. 24. ſed etiam ex V. quia Meſſias Dei Filius, Dei ſapientia & virtus dicitur *brachium Iehova* Eſa. 52. v. 10. cap. 53. v. 1. cap. 63. verſ. 5. &c. 3. DEUM omnia condidiſſe *per verbum* non ſolùm in N. T. aſſeritur Joh. 1. v. 3. Hebr. 1. v. 3. ſed etiam in V. T. Sap. 9. v. 1. *Domine, qui omnia creaſti διὰ λόγου σου.* Jam verò ille Λόγος eſt Dei Filius. 4. Eſa. 44. v. 24. *Ego Dominus faciens omnia* לְבַדִּי *ſolus, formans terram* מֵאִתִּי *a cum me*, per eum qui eſt apud me, hoc eſt, per Filium, per ſapientiam, quæ eſt אֶצְלִי Prov. 8. verſ. 30. per eum, quæ eſt גֶּבֶר עֲמִיתִי *vir mihi proximus* Zach. 13. v. 7. Targum Jonathæ hunc locum ſic παραφράζει: *Ego Dominus creator omnium extendi cœlos verbo meo*, vel per verbum meum, *fundavi terram in virtute vel fortitudine mea.* Quod ſi V. ac Nov. Teſt. collationem hîc ſubjungere velimus, manifeſtiſſimum erit, Filio creationis opus tribuendum eſſe. Confer Ex. 3. verſ 2. c. 20. v. 11. cum 1. Cor. 10. v. 9. Pſal. 102. v. 26. cum Hebr. 1. v. 11. Eſa. 45. v. 23. cum Rom. 14. v. 11. Pſal. 97. v. 8. Hebr. 1. v. 6. cum Apoc. 14. v. 7. Eſa. 48. v. 12. & 13. cum Apoc. 1. v. 11.

Spiritui ſancto opꝰ creationis tribui.

131. *De Spiritu ſancto* agunt hæc dicta: 1. Job. 26. verſ. 13. בְּרוּחוֹ שָׁמַיִם שִׁפְרָה *in ſpiritu ejus pulchritudo cœli* vel Spiritus ejus ornavit cœlos. Quidam accipiunt de vento ſerenitatem cœli inducente, ſed circumſtantiæ textus oſtendunt de Spiritu ſancto creatore ſermonem eſſe, præcedit enim verſ. 12. *in potentia ſua diviſit mare, in intelligentia ſua fregit fortitudinem ejus*, ſequitur verſ. 13. *creavit manus ejus ſerpentem.* Mercer. in h. l. *Malo ipſum Spiritum Dei almum accipere, quo omnia Deus facit.* Quemadmodum enim David Pſal. 33. verſ. 6. dicit, *Spiritu oris Domini factum eſſe omnem cœlorum exercitũ*, ſic hoc loco dicit Jobus, *Spiritum Domini ornaſſe vel decoraſſe cœlos*, non contentus fuit ſimpliciter eos condidiſſe, ſed & inſuper miro ac vario ornatu ſtellarum & ſiderum eoſdem decoravit. R. Levi & alii שִׁפְרָה accipiunt ut nomen formæ אִמְרָה *ſermo, Spiritu ejus cœli ſunt pulcritudo*, h. e. câ pulchritudine & elegantia ornati, ut abſolutior aut major deſiderari nequeat. 2. Job. 33. verſ. 4. רוּחַ־אֵ *Spiritus DEI fecit me* וְנִשְׁמַת שַׁדַּי *& ſpiraculum omnipotentis vivificavit me.* Tribuitur Spiritui DEI tùm creatio tùm conſervatio, dicit enim Elihu ſe à DEO factum, à DEO etiam conſervari, ſicut Actor. 17. verſ. 28. pronunciat Apoſtolus: *in ipſo vivimus, movemur & ſumus*, mirum ergo non debere videri, ſi & ipſe Spiritu intelligentiæ præditus ſit. 3. Pſ. 104. verſ. 30. *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, innovas faciem terra.* ** (Cajetanus negat h. l. de Spir. S. agere, quem propterea perſtringit Ambroſius Catharinus Epiſc. Compſanus, teſte Sixto Senenſi lib. 5. annot. 196.) ** Quemadmodum in prima creatione Spiritus ſanctus aquas fovendo iiſque incubando fuit efficax, ita in rerum creatarum conſervatione idem cum Patre & Filio efficaciter agit. Renovat Spiritus faciem terræ renovatione non ſolùm annuâ, quâ verno tempore cuncta revireſcere ac frondeſcere incipiunt, poſtquam per hyemem fuerant emortua, ſed etiam quotidianâ, quâ propter conſervationem ſpecierum alia quotidie individua naſcuntur, quæ in locum eorum, quæ morti & interitui ſubjecta, iterum ſuccedunt. Renovat faciem terræ non ſolùm *externè & corporaliter* modo jam expoſito, ſed etiam *internè & ſpiritualiter*, quia corda hominum illuminat, regenerat, renovat & ex tenebris errorum & ignorantiæ in lucem ſalutaris θεογνωσίας collocat. Neque quenquam turbet, quod Spiritus ſanctus dicatur mitti, quaſi cum ὁμοουσίᾳ & æqualitate ejuſdem cum Patre illud pugnet, quia miſſio ut non tollit Naturam ſic nec ὁμοουσίαν. Radius ſolaris in terram mittitur, ut interim à Sole non ſeparetur, ſic Spir. S. ad renovandam terræ faciem mittitur, nec tamen à mittente propterea ſeparatur. 4. Eſa. 40. v. 12. *Quis menſus eſt pugillo aquas &c.* verſ. 13. *Quis inſtruxit Spiritum Domini?* quo creationis opus fuit abſolutum, de eo enim ibi loquitur. 5. Eſa. 57. verſ. 16. רוּחַ מִלְּפָנַי יַעֲטוֹף *Spiritus, qui eſt a facie mea induet & animas ego feci.* עטף ſignificat *involutus, opertus fuit*, ac metaphoricè *afflictionibus & miſeriis opertus fuit, deliquium animi paſſus fuit*, in qua poſteriore ſignificatione accipitur Pſal. 61. verſ. 3. Pſal. 102. v. 1. Piſcat. igitur ſic reddidit: *Non perpetuò contendam, nam Spiritus eorum à conſpectu meo in deliquium incideret, & anima quas ego feci*, ut ſit ellipſis אשר quâ ratione de Spiritu humano creato acciperetur. Vatabl. *Spiritus hominis à me creatus induit* (ſcilic. corpus) *hoc eſt, immiſſus fuit in corpus ego circumdedi corpore Spiritum*, quaſi dicat, ego creavi homines, ſcio quod caro ſunt &c. Sed rectius accipitur de Spiritu divino, ut ſit conſolatio ſuaviſſima tentationibus

piorum

piorum de iræ divinæ magnitudine oppoſita ac Evangelica promiſſio de Spiritus ſancti donatione. Non iraſcar in perpetuum, ſed *Spiritus a facie mea operiet, & flatus ſive ſpiracula* Hebr. נשמות *ego faciam*, hoc eſt, mittam Spiritum ſanctum, qui Apoſtolos obumbrabit & alios in me credentes afflabit, atque hac ratione afflictas & æſtu tentationum deficientes conſcientias recreabit, ſicut eteſiæ tempore æſtivo hominem recreant. LXX. reddiderunt ἐξελεύσεται. Vulg. egredietur. Luth. Es ſoll von meinem Angeſicht ein Geiſt weben. De Spiritu ſancto accipiunt Irenæus lib. 5. cap. 12. Tertull. de animadv. cap. 11. Hieron. in com. &c. 6. Sap. 12. v. 1. ἄφθαρτον φιλόψυχε *Spiritus tuus incorruptibilis eſt in omnibus.* Quemadmodum Deus verbo & Spiritu ſuo omnia condidit, ſic verbo & Spiritu ſuo omnia regit & conſervat, eſt ergo incorruptibilis Dei Spiritus in omnibus non *formaliter* ſed *efficienter* tanquam autor, conſervator & ſuſtentator.

132. Excipit Socinus in refut. Bellarmin. & Wieck. p. 494. *Spiritui ſancto nuſpiam diſertè in Scripturis tribui, quod quicquam creet, ſed Dei Spiritu vel per Dei Spiritum res creatas dici tanquam per inſtrumentum.* Job. 33. v. 4. dicit, *Non haberi Spiritus Domini creavit me, ſed fecit me, nec ubicunque fit mentio Spiritus Dei, ibi ſtatim Spiritum ſanctum intelligendum eſt.* Reſp. 1. quod *Spiritu oris Domini omnis exercitus cælorum conditus* dicitur Pſal. 33. v. 6. & quod *in Spiritu ſuo Deus cælos ornaſſe* aſſeritur Job. 26. v. 13. id non poteſt de alio quàm æterno & increato Dei Spiritu, nec de alio quàm creationis opere accipi, ut ipſe Socinus in defenſ. animadv. p. 110. agnoſcit, unde de virtute & potentia Dei exponit. 2. Quod autem hic Spiritus ſit diſtincta à Patre perſona illud conſtat ex aliis Scripturæ locis, imò in his ipſis *Spiritus Domini* & *ſpiraculum omnipotentis* dicitur, utique ergo à Domino & ab omnipotente à Patre & Filio diſtinguitur. Dicitur *à Patre mitti & à facie ejus egredi*, utique ergo eſt perſona à mittente diſtincta. 3. Quod DEUS Spiritu ſancto non ut inſtrumento, ſed in creatione uſus fuerit, apparet ex eo, quòd non ſolùm in caſu obliquo *in Spiritu*, ſive per *Spiritum* omnia dicuntur condita, ſed quod etiam in caſu recto Spiritus dicitur omnia feciſſe Job. 33. v. 4. ubi Jobum non niſi de ſuiipſius formatione & creatione mediata loqui apparet ex contextu. 4. Ipſimet Photiniani dicunt *Spiritum eſſe DEI virtutem & potentiam.* Jam verò inſtrumentum non eſt virtus & potentia agentis ipſi eſſentialis ſed aliquid à principali agente diſtinctum. Si quis dicat: *Animam per ſuas facultates velut per inſtrumenta agere*, illi prius demonſtrandum erit, facultates inſtrumentaliter ut aliquid ab anima realiter diſtinctum agere, & ſi vel maximè in rebus creatis id eo modo ſe haberet, ut vires agendi ſubſtantiis ſuperadditæ per modum inſtrumenti agant, tamen ad Deum Ens increatum hoc non poſſet applicari, quippe in quo virtus agendi non eſt aliquid eſſentiæ ſuperadditum ſed ipſa eſſentia. 5. particula *per* & *in* de perſonis Trinitatis uſurpata non notat inſtrumentum, cùm etiam de Patre uſurpetur 1. Corinth. 1. v. 9. 2. Corinth. 1. v. 1. Rom. 6. v. 4. Heb. 2. verſ. 10. Photiniani non agnoſcunt Rom. 11. v. 36. particulas ἐξ διὰ καὶ εἰς ad ordinem & diſcrimen perſonarum divinitatis pertinere, coguntur igitur hæc omnia de Deo intelligere. 6. Verbum עשה de creatione aliquoties uſurpatur. Prætermiſſis reliquis locis adducimus teſtimonium ex propria hujus articuli ſede. Geneſ. 1. verſ. 32. *Vidit Deus omnia quæ fecerat* Hebr. עשה *& ecce erant bona valde.* cap. 2. v. 2. *Perfecit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat.* Hebr. עשה *& requievit ab omni opere ſuo quod fecerat.* Hebr. עשה.

CAP. IX.

Continens ſecundum argumentum pro aſtruendo Trinitatis myſterio ex Vet. Teſt. deductum.

Secundum argumentum V. T. ex beneficio liberationis è ſervitute Ægypti.

133. *Alterum principale ſententiæ noſtræ fundamentum* petitum eſt *ex beneficio liberationis è ſervitute Ægyptiaca* & deductionis per deſertum in terram Canaan Iſraëlitis præſtito. Nemini poteſt eſſe dubium apud Iſraëlitas perpetuam hujus beneficii viguiſſe vel certè vigere debuiſſe memoriam, 1. cùm in ſolenni promulgatione legis DEUS ad illud ipſum Iſraëlitas revocet. Exod. 20. v. 1. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo ſervitutis.* Idipſum repetitur Deut. 5. v. 6. Quoties igitur in conventibus ſolennibus populus Iſraëliticus doctrinam legis ex Decalogo repetivit, quod ſingulis Sabbatis factum, toties etiam corde & ore profeſſi ſunt, ſe illum pro vero Deo agnoſcere, colere & invocare, qui ex Ægypto eos eduxerat & latâ lege ad obœdientiam & cultum obligaverat. 2. cùm Sabbatum inter reliquos fines etiam propterea fuerit inſtitutum, ut eſſet memoriale hujus beneficii. Deut. 5. v. 14. *Die ſeptimâ Sabbatum erit Iehovæ.* v. 15. *& memineris quod ſervus fueris in terra Ægypti, & eduxerit te Iehova Deus tuus ex ea in manu forti & brachio extenſo, idcirco præcepit tibi Deus, ut ſervares diem Sabbati.* Quoties ergo Sabbatum celebrarunt, memoriam hujus beneficii ſeptimanatim renovarunt atq; eum, à quo ſibi illud præſtitum noverant, ut verum Deum invocarunt & coluerunt. 3. cùm non ſolùm à Moſe, ſed etiam à Prophetis in exhortationibus ac redargutionibus ad dignam hujus beneficii conſiderationem Iſraëlitæ ſæpius revocentur Levit. 11. v. 45. cap. 19. v. 36. c. 22. v. 33. c. 25. v. 39. &c. Joſ. 24. v. 6. Jud. 2. v. 1. 1. Sam. 10. v. 18. 2. Sam. 7. v. 6. Jerem. 7. v. 22. cap. 34. v. 13. &c. Quoties igitur à Moſe & Prophetis ad memoriam hujus beneficii revocati ſunt, toties illum pro vero Deo agnoſcendum & colendum eſſe intellexerunt, à quo majoribus ſuis illud præſtitum noverant, ex quo facilè apparet, perpetuam hujus beneficii apud Iſraëlitas memoriam viguiſſe.

134. Sic ergo concludimus: Qui per Moſen Iſraëlitas ex Ægypto eduxit, Pharaonem & exercitum ejus ipſos inſecutos in mari ſuffocavit, qui manna cœlitùs depluto in deſerto eos cibavit, qui ab ingrato populo beneficii hujus immemore tentatus eſt, qui iræ & gratiæ ſuæ manifeſta indicia in populo illo edidit, ac tandem in promiſſam terram Iſraëlitas introduxit, is eſt verus ille Deus, quem Iſraëlitę agnoverunt, invocarūt, coluerūt, agnoſcere, invocare, colere certè debuerunt. Sed plures Deitatis perſonæ videl.

Pater,

Digitized by Google

Pater, Filius & Sp. S. per Moſen Iſraëlitas ex Ægypto eduxerunt &c. Ergo plures perſonæ videl. Pater, Filius & Sp. S. ſunt verus ille Deus, quem Iſraëlitæ agnoverunt & coluerunt. Major patet 1. *ex beneficii hujus promiſſione.* Geneſ. 15. v. 14. verus ille Jehova, qui cum Abraham fœdus iniit, cui Abraham Sacrificia obtulit, dicit: *Semen tuum erit peregrinum in terra, veruntamen gentem cui ſervituri ſunt, ego judicabo & poſthac egredientur cum magna ſubſtantia.* verſ. 18. *ſemini tuo dabo terram hanc Canaan* ſcil. à fluvio Ægypti uſque ad Euphraten. c. 46. v. 3. verus Deus cum Jacobo Patriarcha collocutus inquit: *Ego ſum Deus Patris tui, ego adducam te,* h. e. poſteritatem tuam *ex Ægypto revertentem.* Ex. 3. v. 8. DEUS verus, qui ſe vocat *Deum Abrahami, Iſaaci & Iacobi* ad Moſen dicit: *Deſcendi, ut liberem populum meum de manibus Ægyptiorum & educam de terra illa in terrā bonam.* Huc pertinent omnes promiſſiones divinæ Patriarchis Iſraëlitarum factæ de multiplicatione ſeminis & de poſſeſſione terræ Canaan, illæ enim includunt beneficium illud liberationis ex Ægypto. 2. *ex promiſſionis illius completione.* Tota enim Hiſtoria liberationis ex Ægypto teſtatur fuiſſe illud beneficium verè ac merè divinum, cùm vera illa ac divina miracula in Ægypto facta deductio Iſraëlitarum per mare rubrum miraculosè diviſum & ſuffocatio Pharaonis cum exercitu ipſius in mari, donatio mannæ cibi è cœlo depluti &c. nemini niſi uni ac ſoli vero Deo tribui poſſint, qui in quibuſdam Moſis miniſterio externo uſus eſt, ita tamen ut ipſi tanquam cauſę principali efficaciter agenti ea omnia inſolidum competant ac tribuantur. 3. *ex Prophetica Dei deſcriptione.* Quoties in V. Teſt. verus Deus ſeipſum ab externo opere deſcribere & à fictitiis gentium idolis diſcernere voluit, à beneficio liberationis ex Ægypto deſcriptionem illam petivit. Sic in promulgatione legis dicit: *Ego Dominus, qui eduxi te de terra Ægypti, non habebis Deos alienos coram me,* h. e. me ſolùm, qui beneficiū illud liberationis ex Ægypto tibi præſtiti, pro vero Deo agnoſcere, invocare & colere debes, proinde etiam cùm Aaron ſignificare vellet vitulum conflatilem in honorem ſolius veri Dei erigi ac coli, dixit ad populum Exod. 32. verſ. 4. *Hi ſunt Dii tui Iſraël, qui eduxerunt te de terra Ægypti,* ac Iſraëlitæ in precibus ſuis ad verum Deum effuſis memoriam hujus beneficii in animum ſibi revocarunt, uti conſtat ex Jerem. 32. verſ. 21. 4. *ex manifeſta excluſione.* Deut. 32. v. 12. *IEHOVA ſolus duxit eum, nec fuit cum eo fortis alienigena.* v. 3. *Dominus DEUS ipſe præcedet vos in deſerto.* Sed in re manifeſta pluribus non eſt opus.

135. Aſſumtum probatur 1. *in genere* quod plures perſonæ ſint in una illa divina eſſentia ſive unus ille verus Deus, qui Iſraëlitas ex Ægypto eduxit. 2. *in ſpecie,* quod plures illæ in una divina eſſentia perſonæ ſive unus ille verus Deus ſint Pater, Filius & Spir. S. Ad *priorem* dictorum Scripturæ *claſſem* hæc pertinent. Deut. 5. v. 26. *Quid eſt omnis caro, ut audiat vocem* אֱלֹהִים חַיִּים *quid de medio ignis loquitur.* Is qui in promulgatione legis ex medio ignis locutus eſt, eduxit Iſraëlitas ex Ægypto Exod. 20. v. 1. Atqui is qui in promulgatione legis ex medio ignis locutus eſt, ipſe eſt *Elohim* plures perſonæ. Ergo qui Iſraelitas ex Ægypto eduxit, eſt plures perſonę. 2. Sam. 7. v. 23. *Et quis ſicut populus tuus, ſicut Iſraël gens una in terra propter quam iverunt Elohim ad redimendum ſibi populum.* Nomini plurali conjungitur verbum plurale, ut perſonarum pluralitas evidentius exprimatur, ſed 1. Paral. 17. verſ. 21. ubi idem locus repetitur nomini plurali Elohim additur verbum ſingulare, ut eſſentiæ divinæ unitas denotetur.

136. Ad *poſteriorem claſſem* pertinent dicta ea, in quibus Patri, Filio & Spiritui ſancto beneficium illud liberationis tribuitur. *De Patre* dubitatio eſſe nequit, ac dicta illa omnia, quæ Filio beneficium illud tribuunt, etiam Patris mentionem faciunt, ut ex ſequentibus patebit. *De Filio,* quod Iſraëlitas ex Ægypto per Moſen deduxerit ac per deſertum ad promiſſam terram eos introduxerit, conſtare poteſt ex his locis. 1. Geneſ. 28. verſ. 12. Filius DEI Jacobo Patriarchæ in ſomnis apparet innixus ſcalæ ſuper terram ſtanti, ac cacumine ſuo cœlum tangenti, dicens: *Terram, in qua dormis, tibi dabo,* hoc eſt, tuæ poſteritati. verſ. 15. *Ero cuſtos tuus quocunque perrexeris, ducam te in terram hanc, nec dimittam te, niſi complevero univerſa.* Hunc verò ipſum qui cum Jacobo locutus eſt & poſſeſſionem terræ Canaan eidem, hoc eſt, ſemini ejus promiſit fuiſſe Filium Dei colligitur, non ſolùm ex novo Teſtam. Johan. 1. verſ. 51. ubi Chriſtus hunc typum ad ſe diſertè accommodat, ſed etiam ex voto Jacobi Euchariſtico Geneſ. 48. verſ. 15. ubi filiis Joſephi hiſce verbis benedicit, *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt Patres mei Abraham & Iſaac, Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem.* v. 16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat iſtis pueris,* ubi non intelligit Angelum creatum, ab eo enim non potuit nec debuit per preces benedictio impetrari, ſed Filium Dei Angelum illum increatum, qui in viſione ipſi dixerat: *Ego ero cuſtos tuus, quocunque perrexeris, ſemini tuo dabo illam terram.* (De Angelo illo, cujus Jacobus ibi meminit, obſerva. 1. quod nomini ejus ה hajediah præfigatur, ut non vulgaris aliquis, ſed toto genere reliquis ſuperior intelligatur. 2. quod Jacobus eadem ab hoc Angelo petat, quæ à Deo ac in opere benedictionis individuo nexu cum Jehovah eum conjungat. 3. quod honorem invocationis ſoli Deo debitū illi tribuat. ** רש״י ad h. l. *Angelus, qui redemit me, eſt Angelus ille, quem mihi ſolebat Deus mittere in anguſtiis meis ſecundùm ſententiam, quā dictum eſt* (Geneſ. 31. v. 11.) *Et dixit ad me Angelus Domini in ſomno, Iacob, Ego ſum Deus Bethel,* **) Idipſum clariùs patebit ex ſequentibus.

137. 2. Exod. 3. verſ. 2. Angelus Domini apparet Moſi de flamma ignis in rubo dicens v. 7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto.* v. 8. *deſcendi, ut liberem eum.* Hunc Angelum, qui Moſi in rubo apparuit, non fuiſſe aliquem ex Angelis creatis, ſed Angelorum omnium Dominum, ipſum ſc. Filiū Dei, oſtendimꝰ ſuperiùs. 1. *ex appellatione,* vocatur enim *Iehova* nomine Dei proprio, niſi enim hoc nomen eſſet Dei propriū, non potuiſſet per illud verus Deus ab idolis & fictitiis gentiliū Diis diſtingui. At debebat omninò per illud nomē à falſis Diis ac creaturis omnib. diſtingui v. 14. 2. *ex apparentis deſcriptione,* vocat ſe *Deū Abrahami, Iſaaci & Iacobi.* v. 6. dicit, *ſe audiviſſe*

clamorem

morem populi v. 7. vocat Iſraëlitas *ſuum populum*, mittit Moſen ad Pharaonem v. 10. pollicetur ſibi poſt eductionem ex Ægypto exhibendum cultũ divinum verſ. 11. quæ omnia non niſi uni vero Deo conveniunt. 3. *ex locorum parallelorum collatione.* Deut. 33. v. 16. ab illo Angelo, qui in rubo apparuit, Moſes benedictionem Joſephi poſteris precatur, imitatus Patriarcham Jacobum, qui filiis Joſeph benedictionem ab Angelo eodẽ precatus fuerat. Gen. 48. v. 16. 4. *ex majeſtatica apparitione.* Apparet in rubo ardente, qui tamen ab igne non conſumitur, quòd fuit typus incarnationis, quod tota lux divinæ majeſtatis in humana Natura ſuo tempore aſſumenda ſine ulla ejuſdem abolitione ſit habitatura. 5. *ex Patrum & Rabinorum teſtificatione.* 6. *ex adverſariorum conceſſione.* Qui cum Moſe ex rubo locutus eſt, vocatur ὁ Θεὸς cum articulo Matt. 22. v. 31. Marc. 12. v. 16. jam verò docent adverſarii, *quando nomen DEI abſolutè, & præſertim cum articulo ponitur, tunc eſſe ſolius veri & æterni Dei proprium.* Ex quibus omnibus manifeſtè conſtat, eum, qui cum Moſe ex rubo loquitur, non eſſe Angelum creatum, ſed Angelorum creatorem, verum ſcilic. Deum. Quòd autem is, qui cum Moſe loquitur, ſit diſtincta à Patre perſona, patet ex eo, quia vocatur *Angelus Dei* miſſus ſcil. ab ipſo, utique ergò eſt alia perſona, quam Pater, à quo miſſus fuit, idipſum clariùs patebit ex ſequentibus.

138. 3. Exod. 11. v. 1. *Dominus dixit ad Moſen. v. 2. dic populo, ut poſtulet vir ab amico ſuo vaſa argentea & aurea. v. 3. dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coram Ægyptiis.* Ibi Dominus de Domino, Jehova, de Jehovah loquitur, ex quo ſic colligimus: Jehovah, qui locutus eſt cum Moſe, eſt diſtincta perſona ab eo, qui dedit gratiam Iſraëlitico populo. Atqui Jehovah, qui cum Moſe locutus eſt, idem eduxit Iſraelitas ex Ægypto. E. Jehovah, qui eduxit Iſraëlitas ex Ægypto, eſt diſtincta perſona ab eo, qui dedit gratiam populo Iſraelitico, & per conſeq. plures perſonæ in hoc liberationis beneficio agnoſcendæ. 4. Ex. 16 v. 17. ait Moſes ad populum: *Mane videbitis gloriam Domini, quia audivit murmurationes veſtras contra Dominum. v. 8. non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum. v. 10. & ecce gloria Domini apparuit in nube*, ibi denuò Dominus de Domino loquitur, & Dominus dicitur audiviſſe murmur populi contra Dominum, quis verò fuerit ille Dominus, exponitur 1. Cor. 10. v. 9.

139. Sed pergamus in Hiſtorica beneficii illius deſcriptione. 5. Exod. 23. v. 20. dicit Dominus: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te & cuſtodiat te in via, & introducat in locum, quem præparavi. v. 21. obſerva eum, & audi vocem ejus, ne rebellaveris ipſi, quia non relinquet te impunitũ, cùm peccaveris, & nomen meum* בְּקִרְבּוֹ *in medio ejus.* Ibi Angelus Iſraelitici populi ductor per deſertum proponitur, ut diſtincta perſona à Patre liberationis illius autore. Cajet. intelligit per Angelum *Moſen ipſum.* Juſtin. contra Tryph. f. 58. Euſeb. lib. 4. Demonſt. Evang. c. 28. Rabau. in com̃. intelligunt *Ioſuam.* Cornel. à Lap. in comm. *Angelum creatum.* Sed Ath. in lib. de communi Deitatis eſſent. paulò ante fin. Heſych. lib. 7. in Levit. cap. 26. f. 653. *ipſum Dei Filium.* Rectiſſimè. Quod enim Angelus ille non fuerit creatus aliquis Angelus, ſed ipſe Dei Filius, patet 1. *ex appellatione.* Vocatur enim יהוה Exod. 13. v. 21. *Iehovah præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, ut lumen præberet eis, & dux eſſet itineris.* Hoc loco dicitur nomen Dei proprium eſſe *in medio ejus*, id eſt, eſſe ejus proprium & intimum. Flacius in Clavi col. 726. tria hac phraſi dicit denotari. 1. Angeli illius *veram Deitatem*, *nomen meum*, id eſt, eſſentia mea erit in eo, quia nomen eſt res ipſa. 2. *perſonalem proprietatem*, quia nomen continet imaginem, & quaſi picturam rei. *Nomen meum in eo*, id eſt, eſt ſubſtantialis imago ac character. 3. *incarnationis myſterium*, ero qui ero, aſſumam carnem, præſtabo liberationem ſpiritualem. Non eſt dubium, quin complures Angeli caſtrametati fuerint circa populum Iſraeliticum ex Ægypto per deſertum in terram promiſſam euntem. Si enim Jacobo Patriarchæ Mahanaim caſtra Dei, id eſt, Angeli in forma caſtrorum apparuerunt Geneſ. 32. v. 1. 2. quantò magis populo Iſraelitico Angelos Dei velut cuſtodes præſtò fuiſſe veriſimile eſt, ſed de creatis illis Angelis hoc loco non loquitur Deus, ſed peculiaris cujuſdam Angeli ductoris ac Ducis mentionem facit, in cujus medio ſit ipſum Dei nomen, qui ipſe quoque ſit Jehovah, quale quid de nullo creato Angelo dicitur. Hebr. 1. v. 4. & 5. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum cap. 19. *Scrutetur hunc loc. non ſolum Manichæus, ſed etiam Iudæus, utrum de aliquo Angelo dixerit Deus, nomen meum eſt in illo, niſi de hoc ductore populi?* Eſt ergò is, de quo Deut. 1. v. 32. dicitur, *Iehovah præcedebat vos per ignem in nocte.* Pſal. 78. v. 14. Pſal. 105. v. 39. Sicut de hoc Angelo ductore dicitur, *nomen meum eſt in medio illius*: ſic de Filio Dei dicitur Apoc. 19. v. 16. *habet ſuper veſtimentum & ſuper femur ſuum nomen ſcriptum. Rex Regum & Dominus dominantiũ.* ** (Cabaliſtæ quærunt, quis ſit iſte מַלְאָכִי & reſpondent per *Elementorum tranſpoſitionem*, eſſe מִכָאֵל ita verò appellatur *Chriſtus* Dan. 12. v. 1. Apoc. 12. v. 7.) ** 2. *ex operis divini attributione.* Angelus ille, qui Iſraelitas per deſertum in terram promiſſam deduxit, eſt idem ille Angelus, qui ex Ægypto eos eduxit, ut conſtat. Jam verò Angelus, qui Iſraelitas ex Ægypto eduxit, non eſt creatus aliquis Angelus, ſed DEI Filius Angelorum omnium Dominus, quod manifeſtum ex cap. 14. Exod. v. 19. *Tollens ſe Angelus Domini, qui præcedebat caſtra Iſrael, abiit poſt eos & cum eo pariter columna nubis, in qua apparebat & ſtetit poſt eos. v. 20. Stetit inter caſtra Ægyptiorum & caſtra Iſrael, & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem. v. 24. & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum in columna nubis & ignis perterruit exercitum eorum. v. 25. removit rotas curruum &c.* Quod autem Angelus ille, qui ex columna nubis ſuper Ægyptios reſpexit, & exercitum eorum perterruit, fuerit ipſe Jehovah verus Deus, patet ex cap. 15. Exod. v. 1. *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in mare.* verſ. 2. זֶה אֵלִי *iſte eſt Deus meus, & faciam ei taber*[illegible]*culum.* De eadem columna dicitur Num. 14. v. 14. *Audierunt, quòd tu Domine ſis in populo iſto, & nubes tua ſtet ſuper eos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem. v. 15. quòd occideris tantam multitudinem.* Ergò ipſe Dominus in nube, quæ propterea dicitur *nubes Domini* Iſraëlitas præceſſit, eos protegendo, hoſtes verò eorum delendo.

Utimur igitur hoc argumento: Conſervare Eccleſiam, deducere populum ſuum in terram promiſſam eſt proprium Dei beneficium. Deut.31. v.3. *Jehovah Deus tuus ipſe ante te præcedet, ipſe Cananæos coram te extinguet.* Atqui Angelo iſti tribuitur conſervatio Eccleſiæ & deductio per terram promiſſam. Ergò. Idem Angelus dimittit peccata populo ad preces Moſis v.20. Id quod ſolius veri Dei proprium Exod. 33. v.9. Deut. 31. v.15. Pſal.99.v.7. *ipſe Dominus in columna nubis deſcendiſſe, & ex columna cum Moſe locutus* dicitur. Ergò non fuit aliquis creatus Angelus, id quod Sole clarius ex Num.12.v.5. *deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi. v.6. & dixit ad Aaronem & Mirjam. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei. v.7. at non talis ſervus meus Moſe. v.8. ore ad os loquor ei aſpectu, & non per ænigmata & figuras Dominum videt*, utique ergo is qui in nube apparuit, fuit ipſe verus Jehovah. Confer etiam Exod.16. v.8. *accedite,* לִפְנֵי יְהוָה *in conſpectum* ſive coram facie *Domini*, ubi intelligitur illa columna, quæ erat præſentiæ divinæ ſymbolum. Ergò qui in columna deduxit Iſraelitas, fuit verus Jehovah. Conſiderari poteſt etiam illud, quòd tribuatur huic Angelo poteſtas judiciaria animadvertendi in legis divinæ transgreſſores, jam verò *omne judicium Filio datum* Joh.5.v.23. Tribuitur huic Angelo communis actio cum vero Deo in delendis gentilibus Cananæis. Ergò eſt verus cum Patre Deus. 3. *ex Symbolica apparitione.* Columna illa nubis & ignis, in qua Filius Dei apparuit, non ſolùm in præſenti beneficium populo præſtitit, viam in deſerto monſtrando, ab æſtu & injuria cœli eos protegendo Pſal.105. v.39. nocturnas tenebras diſcutiendo, & munitionis inſtar à ſubitaneis hoſtium irruptionibus Iſraelitas defendendo, Pſal.121. v.5. *Dominus cuſtodit te, Dominus eſt umbra tua ad manum dextram tuam. v.6. per diem Sol non uret te, neq; Luna per noctem. v.7. Dominus cuſtodiat te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam. v.8. Dominus cuſtodiet introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc & uſq; in ſeculum.* Confer Sap.10.v.17. cap.18.v 3.cap.19.v.7. ſed etiam typum futuræ incarnationis populo exhibuit. Ignis enim fuit Symbolum divinæ, nubes verò humanæ Naturæ Filio Dei aliquando perſonaliter uniendæ, unde Angelus voce ex hac viſione petita ad Mariam dicit Luc.1.v.36. *Virtus Altiſſimi ἐπισκιάσει σοι*, quia ſcil. *in ejus utero lux incorporea corpus ſumſit, umbra autem non aliter exprimitur, niſi per lumen & corpus.* Gregor.lib.33. moral.c.3.ac Poëta dulciſſimè canit:

Sic lux in tenebris Chriſtus, ſic frigus in æſtu,
Verus in igne Deus, tegmine nubis homo.

4. *ex cultus divini exhibitione.* Angelo illi, qui Iſraelitas ex Ægypto per deſertum in terram promiſſam deduxit, cultum divinum populus exhibere debuit, ergò non fuit creatus aliquis Angelus, quia cultus divinus nõ niſi ſoli vero Deo debetur. Antecedens patet, quia populus obtulit ei ſacrificia Exod.3.v.12. ac diligenter cavere jubetur, *ne contra eum peccet rebellando* cap.23.v.21. jam verò ſoli Deo peccatur Pſal.51. v.6. Ut enim ſolus Deus eſt ſummum bonum, & omnis rectitudinis norma, ita quoque primò & propriè non niſi in Deum peccatur, in creaturas impropriè & per accidens. Hic eſt idem ille Angelus, de quo Matt.17. v.5. *hunc audite* & Deut.18. v.19. *Qui voci ejus non obedierit, ego ultor ero*, unde Deus hortatur Iſraelitas ad obſequium huic Angelo præſtandũ, ſignificans illum parem ab eis obœdientiam ſecum flagitare. Hæc omnia ſi accuratè obſerventur, manifeſtum erit, Angelum illum, qui Iſraelitas per deſertum in terram promiſſum deduxit, non fuiſſe Angelum creatum, ſed ipſum Jehovam, Dei ſcilicet Filium.

140. Idipſum colligitur etiam ex aliis apud Moſen locis 6. Exod.32.v.34. *dicit Dominus ad Moſen: Vade, & duc populum iſtum, quò locutus ſum tibi. Angelus autem meus præcedet te. Ego autem in die ultionis viſitabo hoc peccatum eorum.* Sicut de Angelo populi Duce cap.23.v.21. dictum fuerat, *non relinquet te impunitum cum peccaveris*, ita hoc loco Jehovah dicit, *ego in die ultionis viſitabo hoc peccatum eorum.* 7. Exod.33.v.2. iterum ait Dominus ad Moſen: *Aſcende tu & populus tuus in terram, quam me juravi daturum Patribus dicens: Semini tuo dabo eam, & mittam ante faciem tuam Angelum, ut ejiciam Cananæũ.* (Senſus eſt: Ego quidem promiſi Exod.23. quòd velim Angelo meo vos comitari & deducere in terram Canaan, ſed quia populus fœdus meum violavit, ideò non ſum amplius ei obſtrictus, vade cum populo quô & quâ viâ volueris.) v.3. *non enim aſcendam tecum, quia populus duræ cervicis es, ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te.* v.12. *dixit Moſes ad Dominum: Præcipis, ut educam populum iſtum, & non indicas mihi, quem miſſurus es mecum.* v.14. *Dixit Dominus, facies mea præcedet te, & deducam te.* v.15. *ait Moſes, ſi non ibit facies tua, ne educas nos de loco iſto.* v.16. *in quo enim ſcire poterimus, ego & populus tuus inveniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaveris nobiſcum.* v.17. *& dixit Dominus, verbum, quod locutus es, faciam, inveniſti enim gratiam coram me.* v.18. *Et ait Moſes, oſtende mihi gloriam tuam.* v.19. *cui Dominus reſpondit: Ego tranſire faciam omne bonum meum ante faciem tuam, & prædicabo in nomine Domini coram te.* v.20. *rurſumq; ait, non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & vivet.* v.23. *poſteriora mea videbis, faciem autem meam non videre poteris.* cap.34.v.5. ſequitur promiſſionis complementum. *Et deſcendit Dominus per nubem, & ſtetit cum eo* (*Moſes*) *ibi prædicavit de nomine Domini.* v.6. *& tranſivit Jehovah ante eum, & prædicavit Jehovah, Jehovah, fortis, miſericors &c.* v.8. *feſtinusq; Moſes, curvatus eſt pronus in terram, & adorans ait.* v.9. *Si inveni gratiam in conſpectu tuo, Domine obſecro, ut gradiaris nobiſcum, populus enim duræ cervicis eſt, ut auferas iniquitates noſtras.* In hoc loco Angelus, qui Iſraelitas deduxit. vocatur 1. *Jehovah*, quia Jehova prædicat de Jehovah. 2. *facies Domini*, quia eſt ſubſtantialis Dei Patris imago. 3. *omne bonum Dei*, quia Pater omnem ſuam bonitatem, divinam ſcilicet ſuam eſſentiam & majeſtatem per æternam generationem ei communicavit, ac per eundem cœleſtia beneficia nobis confert. 4. Idem introducitur tanquam *Mediator* reconcilians DEUM & homines, ne Deus, qui eſt *ignis conſumens*, propter peccata ſtatim eos perdat ac deleat. At hæc omnia non conveniunt alicui creato Angelo. 5. Idem Dei Filius in forma humana ſeſe conſpiciendum Moyſi exhibet, ut intelligitur ex illis verbis, *faciem meam*, id eſt, nudam divinitatem & majeſtatem meam *videre non poteris, poſteriora* autem ſive tergum meum *videbis*, quia in

plenitudine temporis humanam Naturam perſonaliter aſſumturus erat, perinde uti etiam Exod. 24. v. 10. in forma humana Moſi ac ſeptuaginta Senioribus Iſraelis ſeſe conſpiciendum exhibuerat, quia *Viderunt Deum Iſraelis ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis Saphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt.*

141. Denique 8. conferimus etiam Num. 14. v. 21. *Vivo ego, dicit Dominus, replebit gloria Domini univerſam terram*, hanc gloriam vidit poſtea Eſaias cap. 6. v. 4. *plena eſt omnis terra gloriâ ejus*, de quo Joh. 12. v. 41. dicitur, *quòd viderit gloriam Chriſti Dei Filii.* Atque hæc omnia manifeſtè probant, Filium Dei Iſraelitas ex Ægypto per deſertum deduxiſſe. Deut. 4. v. 37. *eduxit te facie ſuâ in robore magno ex Ægypto.* Targum reddidit, במימרה *in verbo ſuo*, quia facies illa Dei eſt ipſius Filius Exod. 33. v. 14. Ex N. Teſt. præter locum 1. Cor. 10. v. 9. hûc referri poteſt dictum Judæ in v. 15. collato cum v. 4. &c.

142. *De Spiritu Sancto*, adeoque de ſingulis tribus perſonis extat manifeſtum teſtimonium Eſa. 63. v. 7. *Miſerationes Domini memorare faciam laudes Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & multitudinem boni domus Iſrael, quod reddidit eis ſecundùm miſericordiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum ſuarum.* v. 8. *Et dixit: Verè populus meus ipſi, & factus eſt eis in Salvatorem.* v. 9. *Angelus faciei ejus* פניו plur. cum aſt. *ſalvavit eos propter dilectionem ſuam & propter indulgentiam ſuam* הוּא גְאָלָם *ipſe redemit eos, & tulit & portavit eos cunctis ſeculi diebus.* v. 10. *Et ipſi rebelles fuerunt, & triſtes fecerunt* אֶת־רוּחַ קָדְשׁוֹ *Spiritum ſanctitatis*, vel Spiritum ſanctum ejus, *& factus eſt eis in inimicum, ipſe pugnavit contra eos.* v. 11. *& recordatus eſt dierum antiquorum.* Hic manifeſtè enumerantur tres diſtinctæ perſonæ, à quibus ſingulis beneficium illud liberationis ex Ægypto ac deductionis per deſertum tribuitur, ac Filius Dei ſecunda perſona notanter dicitur *Angelus faciei ejus.* 1. *ratione perſonæ.* (פנים ſignificat etiam perſonam.) Eſt enim χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως, εἰκὼν θεοῦ ἀοράτου, Col. 1. v. 15. Heb. 1. v. 3. De ſapientia dicitur Sap. 7. v. 26. eſt ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. Sicut Filius parentis faciem exactè referens filius paternæ faciei dici poſſet: ſic Angelus ille increatus Dei Filius paternã faciem, id eſt, ipſam Patris eſſentiam per æternam generationem à Patre ſibi communicatam in ſua ſubſiſtentia poſſidet, in eo tamen eſt diſcrimen maximum, quòd ſimilitudo faciei ſeu formæ paternæ, quam Filius in humanis obtinet, ſit accidentalis & caduca, ſed ſimilitudo faciei paternæ, quam Filius in divinis obtinet, eſt eſſentialis, ſubſtantialis ac proinde invariabilis, quia ab eſſentiæ unitate dependet. Ut ergò Moſes Angelum illum vocat *faciem Dei*, ſic Eſaias eum vocat *Angelum faciei Domini*, eodem omninò ſenſu 2. Sam. 17. v. 1. *facies tua ibit in prælium*, id eſt, tu ipſe ibis, ut Targum reddidit. Sic ergò *Angelus faciei* dicitur, qui eſt unus verus cum Patre Deus. Sicut de Spiritu Sancto Eſa. 57. v. 16. dicitur, *quòd ſit à facie Dei*, quia per æternam ſpirationem à Patre procedit, ſic Filius dicitur Angelus faciei, quia per æternam generationem à Patre ut lumen de lumine naſcitur. 2 *ratione officii*, quia eſt Mediator ille, per quem Pater nobiſcum loquitur, & faciem ſuam inviſibilem nobis manifeſtat, unde Dominus *à facie ad faciem* cum Moſe dicitur locutus Exod. 33. v. 11. ac Jacob Patriarcha dicit *ſe vidiſſe Dominum à facie ad faciem* Geneſ. 32 v. 30. quia uterque Filium Dei in forma humana vidit. Qui *videt me, videt Patrem*, ait Joh. 14. v. 9. inde Targum Eſa. 63. v. 9. *Angelum faciei* reddidit קֳדָמוֹהִי *miſſum ab eo*, quia Filius eſt perſona illa, per quam in V. Teſt. Deus ad Patriarchas locutus, & faciem ſuam, id eſt, ſeipſum & conſilium ſive voluntatem ſuam illis manifeſtavit. Quemadmodum hominem cognoſcimus per faciem, ita Patrem cognoſcimus per Chriſtum. Ac ne quis dubitet, etiam *Spiritum Sanctum* in deductione populi per deſertum adfuiſſe, conferimus locum Nehem. 9. v. 19. *Tu Domine in miſerationibus multis non dereliquiſti Patres noſtros in deſerto, columna nubis non receſſit ab eis ad illucendum &c.* v. 20. *& Spiritum tuum bonum dediſti ad intelligere faciendum eos.* Obſervari poteſt etiam illud, quòd de beneficio deductionis per deſertum uſurpatur verbũ ירחף Deuter. 32. v. 11. quod de opere Spiritus ſancti in prima creatione à Moſe uſurpatur Geneſ. 1. v. 3. ac nuſpiam alibi in tota Scriptura de Deo uſurpatur.

143. Excipit Schmaltzius contra D. Frantziũ diſp. 1. p. 13. *1. Fit mentio trium. Ergò tres ſunt perſonæ, quæ connexio, quæ conſequentia? Fit mentio trium. Ergò ſunt tres perſonæ in una Dei eſſentia.* p. 14. *Non negamus mentionem fieri Iehovæ, Angeli faciei Iehovæ & SS. Iehovæ, ſed negamus 1. Angelum faciei Iehovæ eſſe Filium Dei. 2. Negamus, etiamſi Angelus is eſſet Dei Filius, eum eſſe talem perſonam divinam, qualis eſt Pater. 3. Negamus Spiritum ſanctum eſſe perſonam. 4. negamus hos tres eſſe unam Dei eſſentiam, quorum omnium nihil ex adducto loco probatur.* Reſp. imò verò ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, hæc quatuor membra optimè colligi poſſunt. Trium horum perſonalitas colligitur ex eo 1. quòd tria diſtincta ponuntur nomina: *Iehovah, Angelus faciei ejus, Spiritus ſanctus ejus.* 2. quòd unicuiq; horum trium actiones perſonæ intelligentis, volentis ac ſubſiſtentis tribuuntur, *Iehovah* dicitur contuliſſe in populum Iſraël beneficia. *Angelus faciei* dicitur populum propter amorem ſuum redemiſſe, *Spiritus ſanctus* dicitur Iſraëlitis converſus in inimicum. 3 quòd diſtincta opera unicuique horum trium tribuuntur, Jehovæ miſeratio erga populum aſſignatur, Angelo faciei populi ſalvatio & redemtio, Spiritui ſancto exacerbatio & pugna contra populum. 4. quòd per pronomen relativum Angelus & Spiritus ad Patrem referuntur, Angelus enim dicitur *Angelus faciei ejus*, & Spiritus dicitur *Spiritus ſanctus ejus*, utique ergo ſunt à Patre diſtincti, at non *eſſentialiter*, quia una eſt divina eſſentia, nec *accidentaliter*, quia in Deum non cadit accidens. Ergò *perſonaliter*.. Ergò ut diſtinctæ perſonæ, & quia Pater eſt perſona, ideò etiam Filius & Spiritus ſanctus ſunt perſonæ. Trium horum vera divinitas ex ipſis prædicatis probatur, quia prædicata ſive attributa illa, quæ hîc Angelo faciei & Spiritui ſancto tribuuntur, nemini niſi uni vero Deo cõpetunt. Nam in tota Hiſtoria Moſaica is qui ut cauſa princeps Iſraëlitas per deſertũ deduxit, & ab Iſraelitis tentatus plagas eiſdem intulit, ut verus Deus Iſraelis deſcribitur. Prius patet ex dictis. Poſterius ex Num. 14, 11. & ſeq. cap. 32. 10. Deut. 1, 34. Pſal. 78, 18. & 21. &c.

144.

144. 2. *De Angelo faciei ſermo eſt, hoc eſt, de uno ex Angelis ejus, qui ſolent in oculos illius ſtare, expectantes quid jubeat*, hanc interpretationem probat ex Vatablo, Calvino & Oecolampadio. p.14. Reſp.1. cui Angelo tribuuntur opera merè ac verè divina. Solius Dei propria, ille oon eſt Angelos aliquis creatus, ſed ἀκτιςος. Atqui Angelo illi faciei, de quo Eſaias loquitur, tribuuntur opera merè & verè divina, videl. ſalvare, redimere, portare populom. Ergò 2. De illo Angelo loquitur Eſaias, de quo Moſes teſtatur, quòd in columna nubis & ignis præceſſerit Iſraelitas, quòd nomen Dei in medio illius, quòd Ægyptios in mare præcipitaverit &c. Atqui ea oon conveoluot Angelo alicui creato. 3. Ex beneficiis & operibus, quæ huic Angelo tribuuntur, Filius Dei peculiariter deoominatur יְשׁוּעָה & גֹּאֵל *Salvator & liberator*, ac Hebr.1.v.3. Apoſtolus de ipſo pronunciat, quòd *portet omnia verbo virtutis ſuæ*. 4. Angelus ille, de quo Propheta loquitur, Spiritui ſancto in ordine præponitur. At ſi de Angelo creato eſſet ſermo, ille noo poſſet Spiritui ſancto io ordine præponi, quia ipſimet Photiniani dicont, Spiritum ſanctum eſſe virtutem Dei, quæ certè dignior eſt creatis Angelis. 5. nullus afferri poteſt Scripturæ locus, io quo creati Angeli dicantur Angeli faciei, qui ſalvent, redimant & portent populum.

145. 3. *Mirum eſt, eos qui credunt, Chriſtum eſſe eundem Deum qui Pater eſt, per Angelum faciei Dei ipſum intelligere, cùm hoc procul dubio aliquid longè minus denotet. & ex eo, quòd quis Angelus faciei Dei nominatur, apertiſſimè concludi poſſit, eum nullo modo eſſe eundem Deum, cujus faciei Angelus eſt, niſi fortè quis ſui ipſius Angelus eſſe poſſit.* p.14. Reſp. Plus infertur io conſequente, quàm antecedens permittit, hoc enim tantùm ſequitur, Angelum illum faciei eſſe aliam perſonam, quia mittens & miſſus ſuot diſtinctæ perſonæ, nequaquam verò inferri poteſt, eſſe alium Deum, quia Patris mittentis & Filii à Patre miſſi eſt una atque eadem divina eſſentia, quam ὁμουσίαν noo tollit Filii à Patre miſſio, quia diſtinguendum inter miſſionem inferioris à ſuperiori, & miſſionem æqualis ab æquali, illam docendi cauſa vocare poſſumus *autoritativam & poteſtativam*, hanc verò *voluntariam & œconomicam ſive diſpenſativam*. Prior pugnat cum eſſentiæ unitate & honoris æqualitate, nequaquam verò poſterior. Nec poſſunt Photiniani hoc negare, cùm & ipſi videri velint Patris & Filii æqualitatem ratione honoris & dignitatis aſſerere, atque interim oegare nequeant Filium à Patre in mundom eſſe miſſum, inde Socinus contra Bellarminum & Wiek. p.253. & Catech. Racovienſ. p.122. ſic inferunt: *Filius eſt æqualis Patri. Ergò non idem nec unus cum ipſo Deus.* Sed ludos faciunt io ambiguitate vocis Deus, quæ interdum ſumitur οὐσιωδῶς, ioterdum verò ὑποςατικῶς, qoando Filius dicitur Deo æqualis, Joh.5.v.18. nomen Dei accipitur οὐσιωδῶς, ac Patrem denotat, quo ſenſu rectè dicitur, Filius eſt Patri æqualis. Ergò non eſt Pater, vel non eſt eadem perſona, minùs rectè autem infertur, ergò non eſt unus cum Patre Deus. 4. *Ex eo, quòd Spiritus ſanctus Dei vel Iehova Spiritus appellatur, neceſſariò concludi poteſt, eum non eſſe eundem Deum, cujus Spiritus eſt.* Reſp. idem ſophiſma cũ priore. Et quâ froote negare poſſunt Photiniani, Spiritum ſanctum non eſſe eundem cum Patre Deum, cùm Spiritum ſaoctum appellent Dei virtutem, ac negent ipſum eſſe creaturam? 5. *Probari nequit, per vocem Iehovah Deum Patrem ſignificari. Nam etiamſi Iehovah Deus ille non alius ſit ex mente veritatis & noſtra quàm Pater, tamen ex mente Trinitariorum Iehovah plerunq; eſt alius quam Deus Pater, id eſt, Deus ille trinus & unus. Quod ſi ita eſt, quomodo is, qui eſt iſtius trini & unius Dei Angelus vel Spiritus poteſt eſſe Deus ille idem unus & trinus?* Reſp. turpis Sophiſticatio in voce *Iehovah*, quæ itidem quandoque *eſſentialiter*, quandoque *perſonaliter* accipitur. Pater eſt Jehovah, Filius eſt Jehovah, Spiritus Sanctus eſt Jehovah, nec tamen plures ſunt Jehovæ, ſed unus eſt Jehovah, quia eſſentia divina tribus hiſce perſonis communis non eſt quartum aliquid realiter ab his tribus perſonis diſtioctum, ſed unus ille verus Jehovah eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus, ac hæ tres perſonæ ſunt unus verus Deus.

Cap. X.

Continens tertium argumentum pro aſtruendo Trinitatis myſterio ex Veteri Teſtamento deductum.

Tertium argumentum ex V. Teſt. deductum ex promiſſione de Meſſia.

146. Tertium *principale ſententiæ noſtræ fundamentum* deducimus ex *premiſſione de Meſſia*. Duo fuerunt primaria doctrioæ cœleſtis in Veteri Teſtamento capita. Primum *Decalogus ſive doctrina de lege morali*, cujus appendicis ſunt leges Ceremoniales ac foreoſes. Alterum ἐπαγγελία, *promiſſio de Meſſia*, quam Moſes & omoes Prophetę unà cum lege propoſuerunt ac inculcarunt. Eſai.8.v.16. *ad legem & ad teſtimonium*. Ad hæc duo primaria capita commodè revocari poſſunt, quæcunq; io Vet. Teſtam. traduntur, perindè ut in Nov. etiam Teſt. ad legem & Evangelium, id eſt, præconium de Meſſia exhibito omnia referuntur. Ex lege hauſerunt morbi ſpiritualis cognitionem, ex promiſſione de Meſſia morbi remedium. Ex lege didicerunt, quid Deus ab ipſis requirat, ex promiſſione quæ beneficia Deus ipſis ſit donaturus. Nemini igitur dubium, quin in poblicis conventibus Eccleſiaſticis Iſraëlitæ unà cum doctrina legis etiam promiſſionem de Meſſia repetiveriot. Atqui illa Trinitatis myſterium ioclndit. Ergò quoties promiſſiooem de Meſſia repetiveruot, eadem operâ doctrinam de Trinitatis myſterio publicâ confeſſione repetiverunt. Aſſumtum erit manifeſtum, ſi conſideremus, quęnam fuerint præcipua doctrinæ de Meſſiæ perſona & officio capita.

147. Eteoim ex vaticiniis Moſis, Pſaltis Regii & Prophetarum manifeſtè colligitur 1. quòd Meſſiam non tantùm *verum hominem* in temporis plenitudine fore, ſed etiam in perſonæ unitate *verum Deum* eſſe pii Vet. Teſt. crediderint, cùm ipſi tribuuntur. *1. nomina verè divina* ſoli Deo propria. Vocatur noo ſolùm *Adonai* Pſal. 110. v.1. *Elohim* Pſal. 45.v.6. Eſa.35.v.4. *El*. Eſa.9.v.6. ſed etiam *Iehovah*. Jere.23.v.5. cap.33.v.14. Oſe.1. v.7. *Iehovah Zebaoth* Eſa.44.v.6. Zach.12.v.10. &c. *2. attributa verè divina*, tùm eſſentialia, ut æternitas Prov.8.v.22. Mich.5.v.2. omnipotentia. Eſa.9.v.6. *Deus fortis*. cap.40.v.3. *Ecce Deus veſter venit cum virtute*. *Omniſcientia*, unde ipſa

Dei *ſapientia* dicitur Prov.8.v.22.&c.tùm perſonale, videlicet genitum eſſe à Patre ab æterno, Pſal.2.v.7. Mich.5.v.2. quo reſpectu Dei Filius vocatur Pſalm.2.v.7.Proverb.30.v.4.Eſa.9.v.6. 3.*opera verè divina*, ut creatio, quam Dei Filio promiſſo Meſſiæ tribus oſtendimus ſuperiùs, miraculorum divinorum operatio Eſai.35.v 4. generis humani redemptio,Eſai.63. v.3.capitis ſerpentini contritio Geneſ.3.v.15.ſalvatio.Eſai. 35. v.4.cap.45.v.17.unde vocatur *Dei ſalutare* Gen. 49.v.18.Pſalm.98.v.3.Eſai,52.v.10.cap. 62. v 11. juſtificatio Eſa.53.v.11. Eccleſiæ adverſus hoſtes conſervatio Pſalm.2.v.9.Pſalm.110.v.1.mortuorum reſuſcitatio Job.19.v. 25. judicii extremi executio Gen.18.v.25.Eſai.45.v.23. (confer Rom. 14.v.10.) 4.*cultus & gloria verè divina*, jubentur omnes populi & tribus terræ illi ſervire Pſalm.2. v.11.Pſalm.72.v.11.Daniel.7.v.14. ipſi confidere Pſalm.2.v.12.Eſai.28.v.16.ipſum timere Pſalm. 2. v.11.in eum ſperare Eſa.11.v.10.cap.14.v.32.ipſum adorare & invocare Pſalm.22.v.28.Pſalm.45.v.12. Pſalm.72.v.11.Pſal.97.v.7.(confer Hebr. 1.v.6.) Eſai.45.v.23.(confer Roman.14.v.9.)quæ omnia veram Meſſiæ divinitatem evidenter probant.

148. 2. Quòd Meſſiam in temporis plenitudine hominem naſciturum quidem crediderint, interim ſimul certò ſtatuerint, ipſum *jamtum in Veteri Teſtamento eſſe perſonam ſubſiſtentem*. Hoc ſequitur ex priore. Si enim non tantùm verus homo eſt, ſed etiam verus Deus, utique ante ſuam incarnationem, imò ante mundi creationem ab æterno extitit. In ſpecie idipſum probatur à temporibus N. Teſt.ordine retrogrado uſque ad primam mundi originem, imò ad ultimam uſque æternitatem aſcendēdo. Nam Filius Dei promiſſus Meſſias fuit, temporibus. 1. *Prophetarum*. Eſaias vidit ejus gloriam Eſai.6.v. 1. utique præſentis & exiſtentis. Johann.12.verſ.41. videt enim gloriam ſedentis in ſolio. Audivit eum ad ſe loquentem. Eſai.8.v.18.(confer Heb.2.v.13.) c. 48. verſ.16. (confer Johann.18.v.20.) Jeremiæ 34. verſic. 12. *Fuit verbum Jehovah ad Jeremiam à Jehova*. Daniel petit à Domino ſe exaudiri *propter DOMINUM* Daniel.9.v.17.utique ergò jamtum Mediator ille,propter quem exaudimur,extitit. Zacharias Filium Dei ut Angelum ſecum loquentem introducit, quòd enim non creatus aliquis, ſed increatus Angelus, ipſe ſcilicet Dei Filius intelligendus veniat, patet ex eo,quòd divinum nomen *Jehovah* cap.2.v.13.14.15.cap.4.v.8.9.cap.6.v.15. divina opera videlicet *Angelis dominari* cap 3. v. 4.5.*Prophetas mittere* cap.1.v.14. 17. *auferre propriâ vi iniquitatem* cap.3.v.4.&c.divinus cultus cap.4.v.4.5.13.cap.6.v.4. quin & opera Mediatoris propria videlicet intercedere pro Eccleſia cap.1.v.12.ipſi tribuuntur, adde quòd vaticinium illud cap.12.v.10. *aſpicient ad me quem transfixerunt*,non poſſit, niſi ad Filium Dei in aſſumta Natura aliquando crucifigendum referri. Confer Johan.19.v.37.Apoc.1.v.7.cap.19.v.37. Malachias itidem eum introducit ſecū loquentem. cap.3. v.1. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præparabit viam ante faciem meam*. Confer Matth.11. verſ.10,Marc.1.v.2.Luc.1.v.76.cap.7.v.27. Johann.1.v.23.&c.2. *Joſuæ ac Judicum*. Joſ.5.v.13. apparet *vir ſtans coram Joſua*, quem fuiſſe non creaturam aliquam, ſed ipſum creatorem ac DOMINUM, Dei ſcilicet filium (contra Bellarminum de beatitud. Sanctor.cap.13.) apparet tùm *ex appellatione*, vocatur enim *Jehovah* cap.6.verſ.2.& *princeps exercitus Jehovæ*, id eſt, Angelorum, hominum & omnium creaturarum cap.5. verſic.14. tùm *ex operis divini attributione*, vocat ſe *Principē exercitus DOMINI*, quia Iſraelitas ex Ægypto per deſertum duxerat, & contra hoſtes ipſorum pugnabat, promittit etiam ſe Hierichuntem in manus Joſuæ traditurum cap. 6.verſ.2.tùm *ex cultus divini ſuſceptione*, patitur ſibi deferri cultum adorationis ſoli DEO debitum cap.5.v.14. Matth. 4.verſ.10.tùm *ex Symbolica apparitione*, conſpicitur in forma humana ſuo tempore aſſumenda, terram in qua apparebat, vocat ſanctam, quia per hanc apparitionem erat ſanctificata, ac divinitùs in hunc uſum deſtinata, ut locum præberet ipſius nativitati & muneri docendi. Parentibus Simſonis apparuit Angelus, id eſt, ipſe DEI Filius, quia vocatur *Jehovah* Jud.13.verſ. 23. nomen ſuum dicit eſſe *mirabile* verſ.13.Eſai.9.verſ.6. ac Manoah ſe moriturum metuit, quia DEUM viderit verſ. 22.Exod.33.verſ.20. 3. *Moſis*, quia eſt Angelus ille DOMINI, qui Moſi in rubo apparuit Exod. 3.verſic.2. qui Iſraëlitas ex Ægypto per deſertum duxit in columna nubis & ignis eos præcedens Exod.13.verſic.21.qui Ægyptios in mare præcipitavit Exod.14.verſic.19. qui legem promulgavit Exod. 19.&c. ut oſtendimus ſuperiùs. 4. *Iobi*, ſic enim loquitur cap.19. verſic.25. *Scio quòd* אני *Redemtor meus vivit*. Is Redemptor eſt Filius Dei, qui carnis aſſumptione propinquus ac frater noſter factus eſt, ac jure propinquitatis & fraternitatis nos redemit, unde hoc nomine appellatur Geneſ.48.verſic.10. Exod.3.v.8.cap.23. verſ. 20. Eſai.63.v.9. &c. idem etiam opus reſuſcitationis perficiet Johan.5.v.28.cap.6.v.39. 5. *Patriarcharum*. Abrahæ apparet duobus Angelis comitatus Geneſ.18. uni enim ex illis tribus nomen Jehovah v.13.14.17. ac opera verè divina verſ.10.12. 25. attribuuntur, unde Salvator noſter Johann. 8.v.25.pronunciat, *Abraham vidit diem meum*, & verſic.58. *Antequam Abraham erat, ego ſum*. Jacobum alloquitur Geneſ.31.verſ. 11. ac ſe vocat DEUM illum, cui Jacobus votum voverat verſ. 13. & revocat eum in regionem Patrum ſuorum verſic. eod. Jam verò Jacobus non creato alicui Angelo, ſed ipſi Iehovæ votum fecerat Geneſ.28. verſic.13.ac DEUS ſe revocaturum ex Meſopotámia eum pollicetur v.15. Idem DEI Filius cum ipſo luctatur, Gen.32. v.24. ab eodem Iacobus Ioſephi filiis benedictionem precatur Geneſ. 48. v.16. quod non competit creato alicui Angelo. Confer Bohem. tract.de ætern. Filii divinit. cap. 36.pag.264. Hûc referri poſſunt omnes apparitiones, in quibus Iehovah tempore Veteris Teſtamenti in forma viri & hominis conſpectus fuit, is enim fuit Dei Filius ὁ Λόγος, perſona illa, per quā Deus ab initio cum Patribus locutus, teſtis & interpres divinæ voluntatis, cujus *deliciæ eſſe cum filiis hominum* Proverb.8.v.30. ideò etiam incarnationis ſuæ præludia in viſibilibus illis figuris dilectis ſuis exhibere voluit.

149. 3. Quòd Meſſiam Dei Filium eſſe diſtinctam à Patre perſonam crediderint, id enim patet 1. *ex ipſa appellatione* Angeli, inde enim atque ideò dicitur Angelus, quia à Patre mittitur ad homines tanquam Mediator & Λόγος, ac in plenitudine temporis in carnem erat mittendus. Iam verò

alia

alia perſona eſt mittens, alia verò perſona eſt miſſa, neque Angelus eſt ſui ipſius Legatus. Et ea nomine Filii. Pſalm. 2. v. 7. Proverbior. 30. verſ. 4. Filius non eſt ſui ipſius, ſed Patris Filius, ac diſtincta à Patre perſona. 2. ex *perſonalis proprietatis deſcriptione*, dicitur enim Filius ab æterno à Patre genitus Pſalm. 2. v. 7. primogenitus Pſalm. 89. v. 28. *ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, εἰκὼν ἀγαθότητος Θεοῦ* Sap. 7. verſic. 26. Sapientia dicit ſe fuiſſe *apud Deum* Proverb. 8. v. 24. *3. ex nominis Jehovæ repetitione*, Gen. 19. v. 24. *pluit* Jehovah *a* Jehovah. Exod. 34. verſ. 5. *Jehovah prædicat de Jehovah*. Oſe. 1. v. 7. *Jehovah ſalvat in Jehovah &c.* at ſi uni duntaxat perſonæ nomen Iehovah competeret, repetitio illa nominis Jehovah locum habere non poſſet. *4. ex operis appropriatione*. De ſolo Dei Filio promiſſo Meſſia prædictum fuit ipſum ex virgine naſciturum, & humanam Naturam in plenitudine temporis aſſumturum. Ergò de ipſo in N. Teſtam. manifeſtum fuit, quòd ſit diſtincta à Patre perſona.

150. 4. Quòd Meſſias *mittatur non ſolùm à Patre, ſed etiam a Spiritu ſancto*. Eſai. 48. verſ. 16. *Adonai* Jehovah *miſit me & Spiritus ejus* (confer Iohann. 18. v. 20. ubi verba proximè præcedentia, *ego in occulto locutus ſum nihil*. Chriſtus ſibi accommodat) quòd Spiritus *Domini requieturus ſit* ſuper ipſum, *Spiritus ſcilicet ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & timoris Domini* Eſai. 11. verſic. 2. *Ecce hic ſervus meus dedi ei Spiritum meum*. Eſai. 42. verſ. 1. *Spiritus Domini Dei ſuper me, quapropter unxit me Dominus ad evangelizandum manſuetis miſit me &c.* Eſai. 61. verſic. 1. Confer Luc. 4. v. 18. quod Spiritu ſancto *præ conſortibus* ſive ultra conſortes ſuos ungendus ſit Pſalm. 45. v. 8. Confer Hebr. 1. verſ. 9. quò pertinent dicta, in quibus promiſſus ille Salvator & redemptor humani generis dicitur משיח Pſalm. 2. v. 2. Pſalm. 132. verſ. 10. Dan. 9. verſic. 26. inde enim atque adeò ſic appellatur, quia Spiritu ſancto ſecundùm humanam Naturam in plenitudine temporis aſſumendam erat ungendus &c. ex quibus omnibus ſic concludimus: Qui agnoſcunt Meſſiam eſſe 1. verum & æternum Deum. 2. perſonam ante ſuam ex virgine nativitatem, imò ab æterno ſubſiſtentem. 3. diſtinctam à Patre perſonam. 4. ſuper quam Spiritus ſanctus ſit requieturus, illi agnoſcunt pluralitatem ac notanter Trinitatem perſonarum in una indiviſa Deitatis eſſentia. Sed pii Veteris Teſtamenti ex vaticiniis de Meſſia in Veteri Teſtamento agnoſcere potuerunt, & agnoverunt quatuor illa doctrinæ capita de Meſſiæ perſona. Ergò etiam pluralitatem ac notanter Trinitatem perſonarum in una indiviſa Deitatis eſſentia agnoſcere potuerunt & agnoverunt. De Majore nulla poteſt eſſe dubitatio, niſi quis Tritheitas ea illis fabricare velit, ſed ab hoc errore liberarunt eos manifeſtiſſima dicta de divinæ eſſentiæ unitate. Si quis excipiat, *illos non potuiſſe Spiritus ſancti perſonalitatem ex illis dictis colligere*, illum remittimus ad ea, quæ in præcedentibus duobus argumentis allata.

Exegeſis

Cap. XI.

Continens quartum argumentum ex Veteri Teſtamento pro aſtruendo Trinitatis myſterio deductum.

151. Quartum principale fundamentum pro aſtruendo Trinitatis myſterio ex Vet. Teſtam. petitum deducimus ex benedictione Eccleſiaſtica. Num. 6. verſ. 22. *Locutus eſt Dominus ad Moſen, dicens* v. 23. *Loquere ad Aaron & filios ejus, dicendo: Sic benedicetis filiis Iſrael, dicendo eis: Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te.* v. 25. *Lucere faciat Dominus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui.* verſic. 26. *Elevet Dominus faciem ſuam ſuper te, & ponat tibi pacem.* verſic. 27. *Et ponent nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Hanc benedictionis formulam ab Iſraelitis, maximi precii ac ponderis fuiſſe habitam, ac haberi etiam debuiſſe, oſtendimus in peculiari diſputatione de hac ευλογία habita. *1. ex autoris principalis denominatione. 2. ex cauſa inſtrumentalis conditione. 3. ex addita promiſſione. 4. ex ſolennis benedictionis recitatione. 5. ex quotidiana hujus benedictionis frequentatione.* Myſterium Trinitatis ex hac ευλογία demonſtravimus, probando ex eadem 1. perſonarum Trinitatem. 2. eſſentiæ divinæ unitatem. Trinitatem perſonarum in ea exprimi oſtendimus. 1. ex trina nominis Jehovah repetitione. 2. ex diſtinctorum beneficiorum enumeratione. 3. ex cujuſdam ad fidei analogiam applicatione. 4. ex aliorum Scripturæ locorum collatione. 5. ex Chriſtianorum Interpretum teſtificatione. 6. ex ritus, quem in pronuncianda iſta benedictione obſervare conſueverunt, peculiari ratione. Unitatem divinæ eſſentiæ oſtendit *1. nomen ſingulare* Jehovah. *2. pronomen ſive affixum ſingulare. 3. verbum ſingulare.* Quæ omnia latè comprobavimus, ac illis quæ in contrarium ab adverſariis afferuntur, reſpondimus in diſputatione, quæ habetur part. 2. diſput. Theol. ad quam benevolum lectorem remittimus.

Quartum argumentum V. T. ex benedictione Eccleſiaſtica.

Cap. XII.

Reliqua argumenta, quæ pro aſtruendo Trinitatis myſterio ex Veteri Teſtamento produci poſſunt, complectens.

152. Atque hæc ſunt quatuor illa principalia fundamenta, quæ ex Veteri Teſtamento pro aſſerendo Trinitatis myſterio adducimus. Ut autem tota hæc tractatio ſit perfectior, omnia & ſingula, quæ pro Trinitate ex Vet. Teſtam. afferuntur dicta, juxta B. Lutheri & D. Chemnitii obſervationem in duas diſtribuemus claſſes. Prior *pluralitatem*, poſterior *Trinitatem perſonarum* in Deo probat. Prioris claſſis dicta *mediatè & indirectè*, poſterioris verò *directè & immediatè* Trinitatem probant. Ad priorem claſſem pertinent hæc dicta. 1. in quibus Scriptura de Deo loquitur *in numero plurali*. Ejuſmodi verò dicta in tres claſſes ſubdividi poſſunt. 1. in quibusdam *nomini plurali*

Diſtincta claſſes dictorum V. T in quib. Trinitatis myſterium proponitur.

rali conjungitur *verbum ſingulare*, ubi illud perſonarum pluralitatem, hoc verò eſſentiæ unitatem exprimit. Geneſ. 1. verſicul. 1. In principio בָּרָא אֱלֹהִים cap. 2. verſ. 5. לֹא הִמְטִיר יהוה אֱלֹהִים *non fecit pluere Dominus Deus*. cap. 17. verſ. 3. וַיְדַבֵּר *Elohim, locutus eſt DEVS cum Abrahamo*. cap. 35. v. 11. וַיֹּאמֶר *Elohim*, & paulò ante v. 9. וַיֵּרָא *& viſus eſt Deus Iacobo*. Deuteronom. 5. verſ. 26. *Quæ eſt omnis caro, quæ audit vocem* אֱלֹהִים מְדַבֵּר *loquentis è medio ignis*. 1. Paralipom. 17. verſic. 21. *Quis ſicut populus tuus Iſrael gens una in terra, ad quam* הָלַךְ הָאֱלֹהִים *perrexit Deus?* 2. in quibusdã *nomini plurali* additur *verbum plurale* ad pluralitatem illam perſonarum expreſſius denotandam. Gen. 20. v. 13. *Et fuit, quando* הִתְעוּ אֹתִי אֱלֹהִים *errare me fecerunt Elohim de domo patris mei*. cap. 35. verſ. 7. *Vocavit locum* אֵל בֵּית־אֵל *quia ibi* נִגְלוּ הָאֱלֹהִים *revelati ſunt ipſi Elohim*. (Calvinus in comment. & eum ſecutus Socinus in defenſ. animadv. pag. 132. utrumque locum *de Angelis* accipit. At Deus Abrahamo peregrinationis illius fuerat autor Geneſ. 12. v. 1. ac ipſe Deus Jacobo conſpectus erat in via, cui etiam Jacobus altare ædificat, non Angelis Geneſ. 35. v. 1. *Dixit Deus ad Iacob: Surge & aſcende in Bethel, facq́, ibi altare Deo, qui apparuit tibi, dum fugeres à facie Eſau*. Eniedinus non veretur dicere, *Abrahamum inter prophanas gentes peregrinantem, in hoc loquendi modo ſe gentibus accommodaſſe, ut earum favorem captaret*) 2. Sam. 7. v. 23. *Quis ſicut populus tuus, ſicut Iſrael gens una in terra, propter quam* הָלְכוּ אֱלֹהִים *iverunt Elohim*. 3. in quibusdam *participium plurale* loco nominis ſubſtantivi uſurpatum vel *adjectivum plurale* Deo tribuitur. Deuteronom. 5. verſ. 26. *Quid eſt omnis caro, ut audiat vocem* אֱלֹהִים חַיִּים *Elohim viventiũ*. Joſ. 24. verſic. 19. *Non poteritis ſervire Iehovah, quia* אֱלֹהִים קְדֹשִׁים הוּא *Elohim ſancti ipſe*, El Deus æmulator. Job. 35. verſ 10. *Non dixit, ubi* אֱלוֹהַּ עֹשָׂי *Deus factores tui dans cantica* Pſalm. 8. v. 512. *Utiq́,* אֱלֹהִים שֹׁפְטִים *Elohim judices in terra*. Pſ. 149. v. 2. *Lætetur Iſrael* בְּעֹשָׂיו *in factoribus ſuis, exultent filii Sion in Rege eorum*. (Eſai. 26. v. 41. *Confidite* בַּיהוה עֲדֵי־עַד *in Domino fortibus*. Locum hunc adducit Epiphan. contra Anom. ſed עֲדֵי poteſt etiam eſſe adverbium in ſtatu regiminis poſitum, ſicut Pagninus & Arias reddiderunt *uſq́, in ſeculum*.) Eſai. 44. verſ. 2. *Sic dixit Iehovah* עֹשֶׂךָ *factores tui & formator tuus*. cap. 54. verſ. 5. בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ *mariti tui factores tui, Iehovah Zebaoth nomen ejus*. Jer. 10. v. 10. יְהוָה אֱלֹהִים אֱמֶת *Dominus Deus veritas ipſe* אֱלֹהִים חַיִּים *Elohim viventes & Rex ſeculi ſive æternus*. cap. 23. verſ. 36. *Perverſiſtis verba Elohim Chaiim Jehovah Zebaoth* אֱלֹהֵינוּ *Domini noſtri*.

154. Quæ contra hæc dicta ab adverſariis proferuntur, expoſita ſunt ſuperiùs. 2. in quibus Deus *de ſe ipſo* loquitur *in plurali numero*. Gen. 1. verſic. 26. נַעֲשֶׂה *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*. (Patrum dicta, quibus ad myſterium pluralitatẽ perſonarum hanc loquendi formã referendam eſſe, demonſtrant, & exceptiones adverſariorum, quibus evidentiam huius dicti labefactare nituntur, ſuperiùs expoſuimus.) Quidam eſt noſtris ſecutus Pererium, in Geneſ. libro 4. pagina 155. addit locum Geneſ. 2. verſiculo 18. *faciamus homini adjutorium*, ſed in Hebr. eſt ſingulare. אֶעֱשֶׂה *faciam*. cap. 3. verſicul. 22. *Ecce Adam factus quaſi unus ex nobis* (Calvinus in comment. *Chriſtiani doctrinam de tribus perſonis hoc loco eliciunt, ſed vix firmum eſt hujusmodi argumentum, quoniam hic Adam ſub dictione* nobis *comprehenditur*. Sed nota 1. pluralis numeri uſurpationem. 2. partitivam locutionem, factus eſt quaſi unus מִמֶּנּוּ ex nobis. 3. ad præcedentia relationem. Jehovah Elohim, DEUS, qui eſt unus in eſſentia & trinus in perſonis dixit, *Ecce homo factus eſt unus ex nobis*. Quos verò allocutus eſt, utique eos quos allocutus fuerat cap. 1. verſic. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, ubi plurium perſonarum de opere merè divino conſultatio & pluralis verbi ac pronominis uſurpatio oſtendunt de pluribus, & quidem divinis perſonis hoc eſſe accipiendum, reſpicit Deus ad fallax promiſſum ſerpentis verſic. 5. *Eritis ſicut Elohim*, quod liquet ex verbis additis *ſciendo bonum & malum*. In toto illo tertio capite Jehovah ſolus cum primis parentibus agit, Angelorum nulla fit mentio, niſi ſub finem capitis, ac illud *nobis* non includit Adamum, cùm ſit terminus oppoſitus. 4. ipſius Calvini confeſſionem. Agnoſcit enim in reliquis locis, in quibus DEUS de ſe in plurali numero loquitur, myſterium Trinitatis indicari, at hujus loci eſt eadem omninò ratio cum illis reliquis. 5. reliquorum Calvinianorum teſtificationem. Piſcator in comment. obſerv. 33. vocat *hoc evidentiſſimum teſtimonium pluralitatis perſonarum in eſſentia Dei, videlicet ſanctæ Trinitatis*. 6. abſurditatis conſecutionem. Neque enim ſine abſurditate partitivum illud *unus ex nobis* ad Adamum ipſum, vel ad Angelos referri poteſt. 7. Targum Hieroſolymitani expoſitionem: *Et dixit Verbum Domini Dei: Ecce Adam quaſi unus ex nobis*. Vide Juſtin. in Dial. cum Tryphon.) Geneſ. 11. verſic. 26. *Venite deſcendamus & confundamus linguam ipſorum*. (Philo in lib. περὶ συγχύσεως διαλέκτων Deum ad Angelos non συνεργοὺς, ſed punitores locutum eſſe. Iterùm *iudaizat* Enied. *Potuit Deus per Angelum unum vel plures hanc confuſionem linguarum efficere, ſicut everſionem Sodomorum*. Atqui verſ. 5. Deus ipſe dicitur deſcendiſſe verſic. 8. linguas confudiſſe. Deuter. 32. verſ. 8. עֶלְיוֹן *excelſus ſeparavit filios hominum*. Rectè Theodor. in comment. πληθυντικῶς τὴν διάλεξιν σχηματίζει τῶν τῆς τριάδος προσώπων ἐμφαίνων τὸν ἀριθμόν. Calvin. vi veritatis coactus fatetur, *non ineptè hinc probari, ſubeſſe in una Dei eſſentia plures perſonas*. Obſerva enim 1. pluralis numeri uſurpationem. נֵרְדָה וְנָבְלָה 2. mutuam exhortationem הָבָה: *Agite*, quæ vocula de architectis turris Babylonicæ compluribus ibidem verſic. 4. uſurpatur. *Agite ædificemus nobis civitatem*. 3. Divini operis expreſſionem. *Deſcendamus & confundamus linguam*. At confuſio illa linguarum eſt opus merè divinum. verſ. 9. *Jehovah confudit labia eorum*. Ergò Deus non alloquitur Angelos, ſed perſonas Deitatis.) Eſa. 6 verſicul. 8. *Audivi vocem Domini dicentis. Quem mittam, & quis ibit nobis*. (Miſſio Prophetarum ubique ſoli vero Deo tribuitur. Ergò non alloquitur Deus Angelos, ſed perſonas Trinitatis. Objicit Eniedinus *hîc de eodem & unico ſingulari permixtim, nunc ſingularem, nunc pluralem numerum uſurpari. Quem mittam, & quis ibit nobis?* Reſpondet Lyranus *ſolum Spiritum ſanctum hic loqui, primò quidem ſecum quem*

mit-

mittam, deindè verò totam Trinitatem alloqui, quia Spiritui Sanct. peculiariter tribuitur miſſio Prophetarum & Apoſtolorum Actor. 13. verſ. 2. qui etiam *locutus dicitur per Prophetas* 2. Sam. 23. verſ. 2. Act. 1. verſ. 16. 2. Petr. 1. v. 21. atque efficax eſt per miniſterium verbi à Prophetis, Apoſtolis & aliis Eccleſiæ doctoribus prædicati. Gen. 6. v. 3. Johan. 16 v. 8. 1. Cor. 2. v. 4. 2. Cor. 3. verſ. 3. &c. Simpliciùs reſpondetur, pluralem & ſingularem numerum nequaquam permiſceri, neque idem per omnia ſignificare, ſed illum perſonarum Trinitatem, hunc v. eſſentiæ divinæ unitatem exprimere, ſicut in verbis Chriſti Iohann. 10. verſ. 30. *Ego & Pater unum ſumus*, per τὸ unum eſſentiæ unitas, per τὸ ſumus perſonalis diſtinctio exprimitur.) Quidam addunt locum Propheticum Eſai. 41. verſ. 22. *Accedant & nuncient nobis futura accidentia, priora quæ fuerunt, nunciate.* Sed rectiùs ad Prophetam nomine Eccleſiæ loquentem illa verba referuntur, additur enim *& ponemus cor noſtrum, & ſciemus noviſſimum eorum, annunciate ventura impoſterum, & ſciemus, quod Dij vos.* Reuchl. in notis ad quæſt. 1. Athan. addit locum Mal. 1. v. 6. ubi Deus in plurali de ſe loquitur. *Si* אֲדוֹנִים *Domini ego, ubi meus timor?*

155. 3. In quibus *Jehovah de Jehovah, Dominus de Domino* loquitur, ubi pluralitatem perſonarum ſignificari colligitur ex eo, quòd ſimpliciſſima eſſentiæ unitas in aliis Scripturæ dictis confirmata ad eſſentiæ pluralitatem ejuſmodi loquendi formam referre non permittat. Geneſ. 9. v. 16. dicit Deus ad Noahum: *Erit arcus in nube, & videbo illum ad recordandum fœderis perpetui inter Deum & omnem animam viventem.* Geneſ. 19. v. 24. *Pluit Dominus a Domino ignem & ſulphur ſuper Sodomam.* Vatabl. in comment. putat hac phraſi tanquam Hebraiſmo ſignificari, *quod ipſe Dominus è cœlis hoc incendium excitarit.* Idem ſtatuit Calvinus in comment. *Quod veteres*, inquit, *CHRISTI divinitatem hoc teſtimonio probare conati ſunt, minime firmum eſt, ac ſine cauſa meo judicio tumultuantur, qui acrius Iudæos exagitant, quia non admittunt tale probationis genus, cùm Moſis conſilium lectorum oculos ad ſpectandam Dei manum erigere & acuere.* Hanc Calvini explicationem adducit ac probat Oſtorodus in diſput. German. Trad. oppoſitæ part. 2. cap. 5. Sed urgemus 1. perſpicuam Iehovæ Filii à Iehovah Patre diſtinctionem. *Jehovah pluit a Jehovah.* Ergò alia perſona eſt, quæ pluit, videlicet Filius, alia viciſſim perſona eſt, à qua pluit, videlicet Pater, ne enim alius Deus introducatur, obſtat eſſentiæ divinæ unitas alibi comprobata. 2. emphaticam præpoſitionis adjectionem. *Pluit Dominus* מֵאֵת *Jehovah*, ubi אֵת non eſt articulus accuſativum caſum notans, ſed præpoſitio ſignificans *cum*, quæ præpoſitioni מִן addita ſignificationem intendit. Ad verba igitur emphaticè ſonat. *Pluit Dominus de cum Jehovah*, ut ſignificetur, quòd Dominus pluerit & à Jehovah & cum Iehovah. Pſalm. 118. verſic. 23. *a cum Domino fuit iſtud.* 3. aliorum Scripturæ locorum collationem. Iohann. 5. verſ. 19. *Non poteſt Filius a ſe quicquam facere, niſi quod viderit Patrem facientem.* De eo ergò Moſes aſſerit, quòd pluerit à Jehovah, qui teſtatur ſe non poſſe quicquam facere a ſe verſic. 17. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor* verſ. 22. *Pater non judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio.* Iam verò hîc deſcribitur judiciaria Dei Patris actio contra Sodomitas. Ergò ab ea Filius non eſt excludendus. Amos. 4. verſ. 11. *Subverti in vos ſecundùm ſubverſionem Elohim Sodomam & Gomorram.* Atqui Elohim notat perſonas plures Ierem. 50. verſ. 40. Iuxta ſubverſionem Elohim Sodom & Gomorra &c. Conjungimus etiam illa Scripturæ dicta, in quibus Iehovah loquitur ad Iehovam, Iehovah mittit Iehovam, ubi nō poteſt una perſona intelligi. Ut ergò Iehovah loquēs diſtinguitur a Iehovah ad quem ſermo dirigitur, & Jehovah mittens à Iehovah qui mittitur, ſic Iehovah pluens perſonaliter diſtinguitur à Iehovah, à quo pluit. 4. Chaldaicam verſionem. Targ. Hieroſol. *Verbum Jehovæ erat demittens ſuper populum Sodomæ & Gomorræ pluvias benignas, ſi fortè agerent pœnitentiam ab operibus ſuis malis. Et cùm viderent illi pluvias benignas, dixerunt: Haud dubiè noſtra mala opera nondum revelata ſunt coram Jehovah. Reverſum eſt igitur Verbum Jehovæ & demiſit ſuper illos ſulphur & ignem à facie Jehovæ de cœlis.* Targ. Ionathan. *Verbum Jehovæ demiſit pluvias benignas ſuper Sodomam & Gomorram, propterea ut agerent pœnitentiam, & non egerunt pœnitentiam, quia dixerunt: Non revelata ſunt coram Jehovah opera mala. Demiſſa igitur ſunt ſuper illos ſulphur & ignis a Verbo, Jehovæ de cœlis.* Iam verò mittere ſulphur & ignem reverti ad Deum &c. ſunt actiones perſonæ competentes. R. Eleazar (citante Galatino lib. 2. capit. 6.) in Bereſith Rabba ſuper Gen. 19. Et Deus pluit &c. *In omni loco, ubi in Scriptura ponitur tetragrammatum, ſemper intelligitur ipſe & domus judicij ejus.* Probat autem Gal. per domum judicii Trinitatem intelligi, quia tres ad minimum ſententiam aliquam ferebant. 5. Interpp. Chriſtianorum conſenſionem. Iren. libr. 3. cap. 5. p. 175. *In everſione Sodomitarum Scriptura ait: Et pluit Dominus ſuper Sodomam ignem & ſulphur à Domino de cœlo. Filium hic ſignificat, qui & Abrahæ conlocutus ſit, & a Patre accepiſſe poteſtatem ad judicandum Sodomitas propter peccata eorum.* Iuſtin. in Dial. cum Tryph. p. 215. colligit ex hoc loco, *quòd præter eum, qui intelligentia comprehenditur. Univerſorum parentem alius quidam propriè dicatur Dominus.* Conc. Syrm. can. 16. referente Socrate lib. 2. Hiſt. cap. 30. εἴ τις τὸ ἔβρεξε κύριος παρὰ κυρίου μὴ ἐπὶ τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ ἐκλαμβάνοι, ἀλλ' αὐτὸν παρ' ἑαυτοῦ λέγοι βεβρεχέναι, ἀνάθεμα ἔστω. ἔβρεξε γὰρ κύριος ὁ υἱὸς παρὰ κυρίου τοῦ Πατρός. Similia occurrunt apud Ignat. Epiſt. ad Antioch. Hilar. libr. 4. de Trinit. Epiphan. adv. hær. Cyrill. lib. 1. contra Julian. Auguſt. libr. 1. quæſt. in Gen. q. 59. &c.

156. Regerunt Photiniani I. *Hebræos ſæpenumero loco relativi uti antecedente.* 1. Reg. 8. verſ. 1. *Convocavit Salomon Seniores Iſraelis ad Regem Salomon*, i. e. ad ſeipſum. cap. 10. v. 13. *Rex Salomo dedit Sebæ omnem voluntatem juxta manum Regis Salomo.* cap. 12. v. 21. *Roboam congregavit univerſam domum Iuda, ut reducerent regnū ad Roboam.* Ex N. T. addunt 1. Cor. 1. v. 7. & 8. 1. Theſſ. 1. v. 9. 2. Theſſ. 3. v. 5. 2. Tim. 1. v. 18. Idem obſervari, cùm de Deo habetur ſermo, probare conantur ex Geneſ. 1. v. 27. cap. 5. v. 1. *Creavit Deus hominem ad imaginem Dei.* 1. Reg. 3. v. 35. *Revelatus fuerat Iehovah Samueli in Silo juxta verbū Iehovæ.* c. 15. v. 22. *Nūquid vult Iehovah holocauſta & victimas, & nō potius ut obediatur voci Iehovæ?* 1. Reg. 8. v. 11. 2.

Paral.7.v.2. *Non poterant Sacerdotes ingredi templum Iehova, eò quod impleſſet majeſtas Iehova templum Iehova.* Enied.in explic.loc. Schmaltz. contra Schopp. de Trin.p.9.Reſpond.inane hoc ſubterfugium non poteſt accommodari reliquis Scripturæ dictis, in quibus Jehovah loquitur ad Jehovah, Item Jehovah mittitur à Jehovah, ubi diſtinctas perſonas exprimi quilibet intelligit. Eſai.48.verſic.15.Jehovah inquit: *Miſit me Iehovah & Spiritus ejus.* Paraphraſis erit talis: Ego miſi me & Spiritus meus. Zach.2.verſic. 8.*ipſe miſit me*, id eſt, ego miſi me.Ipſa litera noſtram diſertè confirmat ſententiam, alius enim eſt qui pluit, alius à quo pluit, quò pertinent reliqua fundamenta pro noſtra ſententia adducta. II. Excipitur *everſio Sodomorum ubique in ſacris literis Deo Patri, non Filio tribuitur* Ierem.50.v.40. Amos 4.v.11. 2.Petr.2.verſic.6.Reſpond. ut Pater non eſt extra Filium, nec ſine Filio, ita quoque non operatur extra Filium vel ſine Filio, ſed per Filium, quippè qui eſt unius cum ipſo eſſentiæ ac potentiæ. *Id quod agit, eſt una communis tribus Deitas*, inquit Nazianzenus orat.5.de Theolog. de divinis operibus, quæ vocantur ad extra. Adde quòd in dictis Propheticis habeatur vox *Elohim* plures perſonas exprimens. III. Exc. *Vox DEVS eſt ἐπιτατικὴ, intenſionem ac magnitudinem ſignificans. Sic pavor Iehova, ſopor Iehova* 2.Paralipom.20.v. 29.Geneſ.35. verſic.5.1.Regum.16.verſic.12.*pro magno & vehementi accipiuntur* Numer.11.verſ. 1.*Ignis Iehova pro magno & vehementi.* verſic.31. *Ventus à Iehovah, id eſt, magnus & vehemens. Ita quoque hoc loco Iehovah eſt epitethon ſulphuris & ignis.* Reſpond. 1. pugnat hæc exceptio cum prima, vehementior enim DEI effectus non eſt ipſe verus DEUS. 2. ſpeciem aliquam haberet hæc exceptio, ſi ignis & ſulphur dicerentur *ignis Dei, ſulphur Dei*, ſicut alibi dicuntur *cedri Dei, montes Dei.* Atqui Moſes longè aliter dicit: *Pluit Jehovah à Jehovah ignem & ſulphur*, ubi non ad nomen, ſed ad verbum *pluit* appellatio Jehovah refertur. 3. 2. Paralipp.20.verſic.29.Geneſ.35. verſic.5. non habetur vox Jehovah, ſed *Elohim*, quod etiam creaturis quandoque tribuitur, hactenus igitur eſt diſparitas. 4. Vox Elohim in illis locis non ſumitur *adjectivè*, ut intendat ſignificationem, ſed *ſubſtantivè*, ut exprimat cauſam efficientem, ipſum ſcilicet Deum, à quo terror ille immiſſus, & à quo ignis ille deſcendit. Confer Gen.35.verſic.5. Exod.23.verſic.27.Deut.11, 25. 5.1.Reg. 16,13. non vehemens aliquis ventus, ſed Spiritus Domini dicitur manſiſſe ſuper Davidem, id quod de Spiritu Sancto intelligendum eſſe conſtat ex aliis Scripturæ dictis. 6. vehementia & ſingularitas illius Ignis denotatur per pericopen additam è cœlo, ut cœleſtem & peculiarem pluviam eam fuiſſe intelligamus. 7. Juxta hanc hypotheſin nomen Jehovah in una eademque periodo diverſiſſimam obtineret ſignificationem. IV. Exc. *Priore loco Iehovah vocatur Angelus ille, quem Deus miſerat ad perdendum Sodomam, qui Iehova perſonam ſuſtinebat, qui ab ipſo vero Deo, cujus erat Legatus, ignem & ſulphur deduxit.* Reſpond. 1. hæc exceptio itidem pugnat cum prima, Angelus enim creatus non eſt ipſe verus Deus. 2. nomen Iehovæ eſt ſolius veri Dei proprium, ut ſuo loco demonſtravimus. 3. laborat hæc exceptio eadem abſurditate, quâ tertia, videlicet nomen Jehovah in una eademque periodo diverſiſſimam obtinere ſignificationem. 4.Socin. in defenſ. animadv. pag.304. agnoſcit ipſum Jehovam non Angelos ſulphure & igne cœlitùs depluto Sodomam evertiſſe. *Angeli* (inquit) *ideò dicunt ſe miſſos fuiſſe à Iehovah ad perdendum locum illum, non quia ipſimet revera illum perdituri eſſent, id enim Iehovah ipſe fecit miſſo è cœlo ſulphure & igne, ſed quia Iehovah ipſorum miniſterio & uteretur, & uſurus eſſet ad locum inde Loto cum ſuis educto ad perditionem præparandum &c.* 5. De duobus Angelis Sodomam miſſis Moſes nunquam in ſingulari, ſed ſemper in plurali loquitur. Gen.19. v.1.& ſeqq. ac Lothus à v. 19. uſque ad 23. non amplius cum duobus Angelis Filii Dei comitibus, ſed immediatè cum ipſo Dei Filio, qui colloquio cum Angelis ſupervenerat, agit, ut omnes circumſtantiæ oſtendunt. Invocat enim eũ, impetrat ut oppido Zoar parcatur &c. is ergò eſt Iehovah ille, qui à Iehovah pluit.)

157. Exod.11.v. 3. DOMINUS de DOMINO, Iehovah de Iehovah dicit, quòd ſit *daturus gratiam populo in oculis AEgyptiorum, ad mutuò danda vaſa aurea.* cap.16.v.7. *Manè videbitis gloriam Jehova, audivit enim murmurationes veſtras contra Jehovam* cap.23.v.20. *Jehovah dicit ſe miſſurum Angelum, in cujus medio ſit nomen ejus*, unde vocatur *facies Jehova*, cap.24.v.1. *DOMINVS dicit ad Moſen: Aſcende ad DOMINVM.* Exod.30.v.16. *DOMINVS jubet levandam dari in memoriale coram DOMINO.* cap. 33.v.19. dicit Dominus ad Moſen: *Faciam tranſire omne bonum meum coram te, & vocabo in nomine Jehovah coram te.* cap.34. v.5. *Deſcendit Jehovah in nube, & ſtetit ibi cum Moſe, & vocavit in nomine Jehovah. v. 6. & tranſivit Iehovah ante eum, & clamavit: Dominus, Dominus DEVS miſericors &c.* Num.14.v.21.*Vivo ego, dicit Dominus; replebit gloria Domini univerſam terram.* (Confer Eſai.6.v.4.Iohann.12.v.41.)2.Samuel. 5.v.23. *Dixit Dominus ad Davidem: Venias ad hoſtes ex adverſo mororum. v. 24. cumq; audieris ſonitum inceſſus in cacuminibus mororum, tunc movebis te, tunc enim egredietur Jehovah ante te.* 2. Sam.7.verſic. 11.*annunciat tibi Iehovah, quòd domum faciet tibi Iehovah.* Pſalm.45.verſic.8.*Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ* (confer Hebr. 1.verſic.9.) Pſalm.110.verſic.1. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis* (confer Matth.22. v.44.Marc.12.v.36.&c. Targum Onkelos: *Dixit Dominus Verbo ſuo.* Midras Thillim in Pſalm.17. *Futurum eſt, ut Deus ſanctus & benedictus ſedere faciat Regem Meſſiam ad dextram ſuam, ſicut dictum eſt: Dixit Dominus Domino meo.*) Eſai. 44. v.6. *Sic dixit Dominus Rex Iſrael* וְגֹאֲלוֹ *& redemptor ejus Dominus exercituum.* Eſai.60.verſic.19. *Dominus erit tibi in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Ierem.23.verſic. 5. cap.33. verſic.15. *Ecce dies veniunt, dicit Iehovah, & ſuſcitabo Davidi germen juſtum, & hoc eſt nomen ejus, quo vocabunt eum Iehovah juſtitia noſtra.* Daniel.9.v.17. *Exaudi Deus noſter orationem ſervi tui propter Dominum.* Oſ.1.v.7. *Sic dicit Dominus: Miſerebor domus Iuda, & ſalvabo eos in Domino Deo ſuo.* Zach.2.v.8.& ſeqq. *Sic dicit Iehovah exercituum, poſt gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoliaverunt vos, qui enim tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Quia en ego levo manũ meam ſuper vos, eruntq; ſpolia ſervis ſuis, & ſcietis, quod Jehovah exercituũ miſerit me. Lauda & lætare filia Siõ, quia*

ecce veniam, & habitabo in medio tui, ait Iehovah. Et congregabuntur gentes multæ ad Iehovam in die illa, eruntq; mihi in populum, & habitabo in medio tui, tuncq; cognoſces, quod Iehovah exercituum miſerit me ad te. Zachar. 3. verſ. 2. *Dixitq; Iehovah ad Satan: Increpet Iehovah te Satan, increpet Iehovah te, qui elegit Ieruſalem.*

158. 4. In quibus mentio fit Filii Dei. Eum enim neceſſe eſt eſſe verum Deum, alias non erit proprius & naturalis Dei Filius. Pſalm. 2. verſ. 7. *Narrabo decretum, quod Iehovah dixit ad me. Filius meus es tu, ego hodiè genui te.* (Hunc Pſalmum non de Davide, ſed de CHRISTO in ſenſu literali loqui, oſtendit 1. ſcopus & argumentum Pſalmi, tractatur in eo doctrina de perſona Meſſiæ & officio ipſius Prophetico ac Regio, de fortuna hujus regni in hoc mundo, 2. totus contextus & ſingula membra (1. Non enim contra Davidem, ſed contra Chriſtum Davidis filium & ipſius Evangelium fremuerunt gentes, i. e. totus mundus contra illud conſpiravit. 2. Solus Chriſtus in Scripturis ſacris ſic deſcribitur, quòd conſtitutus ſit *Rex Sionis* Zach. 9. ver. 9. *quòd emiſerit ſceptrum regni ſui*, i. e. prædicationem Evangelij *ex Sion*. Pſ. 110. verſ. 2. quòd ſit *ſalutare datum ex Sion* Pſal. 14. v. 7. de Chriſto prædictum extat. Eſa. 59. v. 20. *Veniet ad Sion redemtor*. cap. 52. verſ. 7. *quam decori ſunt ſuper montes pedes evangelizantis &c. dicentis ad Sion: Regnavit Rex tuus.* Confer Pſal. 74. v. 2. Pſ. 76. v. 3. Joel. 3. v. 7. Mich. 4. v. 7. &c. 3. Solus Chriſtus eſt naturalis & proprius Dei Filius hodiè, i. e. ab æterno à Patre genitus. 4. Soli Chriſto promiſſa eſt totius orbis hereditas & dominii proprietas, Pſ. 8. v. 7. Pſ. 72. v. 5. Eſa. 49. v. 6. David verò nunquam accepit gentes hæreditatem ſuam, licet finitimos populorum bello ſubegerit, ſibique ſubjiceret, longè v. minùs regnum ipſius totius terræ terminis incluſum fuit, quæ tamen regni amplitudo illi, de quo Pſalmus agit, diſerte promittitur. 5. Nec Davidi, nec ulli hominum competit imperium vitæ & mortis, ut poſſit ſalvare & perdere, ſed ſoli Chriſto. Act. 10. v. 42. cap. 17. v. 31. Rom. 14. v. 10. 6. Minimè omnium Davidi accommodari poteſt, quòd in fine Pſalmi dicitur: *Beati omnes, qui confidunt in eo.* Jerem. 17. verſ. 5.) 3. Apoſtolorum in N. T. conſenſus, qui diſertè & perſpicuè ad Chriſtum hunc Pſalmum accommodant. Act. 4. verſ. 25. cap. 13. v. 33. Hebr. 1. v. 5. cap. 5. v. 5. Apoc. 2. v. 27. cap. 13. v. 33. cap. 19. verſ. 15. 4. Judæorum veterum ſuffragia. Si enim priſcis Judæis perſuaſum fuiſſet, hunc Pſalmum de Davide loqui, utique Paulo & reliquis Apoſtolis ad Chriſtum eum accommodantibus illud objeciſſent. Lyranus ex R. Salom. *Magiſtri noſtri expoſuerunt hunc Pſalmum de Rege Meſſia, per quem intelligitur Chriſtus in lege & Prophetis promiſſus.* Confer Midras Thillim ſuper hunc Pſalmum & aliorum Rabinorum teſtimonia. tom. 4. diſput. Gieſſenſ. diſp. 5. pag. 117. 131. & 247. in locis de tribus Eloh. §. 9.) Pſal. 72. v. 17. *ante Solem filiatum eſt nomen ejus*; ita enim verbum ינון exponit Burgenſis, ac teſtatur, veteres Hebræos tradidiſſe *Iunon eſſe unum ex nominibus Meſſiæ*, & hunc Pſalmum inter vaticinia de Meſſia numeraſſe. Vid. tom. 4. diſput. Giſſen. 5. pag. 118. Pſalm. 89. verſ. 27. *ipſe vocabit me, Pater meus es tu, DEUS meus & fortitudo ſalutis meæ.* verſ. 28. *ego primogenitum dabo eum, altiſſimum Regibus terræ.* (quem locum de Meſſia intelligendum eſſe, ipſimet Rabini agnoſcunt. Sic enim ſcribit R. Nathan ſuper Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum. Quemadmodum feci Jacobo primogenitum, ita ego faciam Regem Meſſiam primogenitum, ſicut dictum eſt in Pſalmo: Ego primogenitum dabo eum altiſſimum Regibus terræ.*) Proverbior. 30. verſ. 4. *Quis aſcendit in cœlum & deſcendit? quis ligavit aquas in veſtimento? quis ſtabilivit omnes terminos terræ, quod nomen ejus, & quod nomen Filii ejus? num noſti?* Mercerus accipit de potentia hoc ſenſu: *Quis hominum poterit talia præſtare, quæ commemorata ſunt! nunquid poteris quenquam nominare & nominatim deſignare ſuo aut Filii nomine?* Sed ſcopus atque integer contextus oſtendunt, non de *potentia*, ſed de *ſcientia* ſermonem eſſe. Expreſsè enim additur. כִּי תֵדָע *num noſti?* Senſus ergò eſt, num noſti illius vel filii ejus nomen. qui in Natura talia operatur, poſteà verſ. 5. additur: *Omnis ſermo DEI purgatus, ne addas verbis ejus &c.* ut innuatur ex ſolo revelato verbo nomen DEI & Filii ipſius, id eſt, veram de DEO Patre & ipſius Filio notitiam eſſe unicè petendam. Adde quòd non poſſint illa ἐρωτήματα de hominis potentia intelligi, cùm in hiſce actionibus, quæ recenſentur, peragendis hominis facultas ſit planè nulla, quodque in Scriptura ſacra parentes non denominantur à filiis, ſed vice verſâ filii à parentibus.

159. Judæi referunt ad Moſen. Atqui 1. nec Moſis, nec filii ejus nomen fuit ignotum, Moſi enim nati fuêre in terra Midianitica filii duo, quorum nomina diſertis verbis exprimuntur, quòd dicti fuerint *Gerſon & Eliezer* Exod. 2. verſicul. 22. capit. 18. verſic. 3. 2. *omnis creatura eſt nominabilis*, ut Damaſcenus ex veteribus rectè diſputat, ſed divina eſſentia ut eſt ἀκατάληπτος, ita quoque ἀνώνυμος. Ergò nec de Moſe, nec de ullo hominum loquitur Agur; ſed de ſolo DEO & Filio DEI. 3. Moſi non poſſunt tribui enumerata Naturæ miracula, neque competit illi τὸ *aſcendere in cœlum ac deſcendere*. 4. Exclamatio quæſtionibus præmiſſa oſtendit, Agurem altius quid ſpectare. Sic enim orditur ſermonem: *Ego non didici ſapientiam nec ſcientiam Sanctorum novi*, id eſt, etſi in naturalibus multa didici, tamen in divinis myſteriis ex meipſo & nativis rationis meæ viribus extra & præter revelatum verbum non didici ſapientiam Sanctorum, quodnam ſcilicet ſit nomen DEI & Filii ejus, unde Lyranus in hunc locum ſic commentatur: *Philoſophus non poteſt hoc dicere, quia non habet notitiam de divinis, niſi ex creaturis, quas in infinitum excellit divina eſſentia, & per ſapientiam humanã nunquam potuit cognoſci in divinis diſtinctio Patris & Filii, quæ tamen per divinam cognoſcitur ſapientiam.* Rectiſſimè igitur ac ſimpliciſſimè de Filio DEI verba Aguris ſapientis accipiuntur, cujus probatur 1. *vera divinitas*, quia quæ Filio DEI hic tribuuntur, illa ſunt opera merè ac verè divina, ad articulum creationis pertinentia, ut conſtat ex parallelis Scripturæ locis. Jobi. 38. verſic. 5. & ſeqq. Eſai. 40. verſ. 12. Jerem. 5. verſ. 22. & alibi paſſim, ac cujus nomen eſt ἀνεκφώνητον, ille eſt verus DEUS. 2. *Perſonalis diſtinctio à Patre*, quia per Filii appellationem à Patre diſtinguitur, nec quæſtio inſtituitur, an DEUS Filium habeat, ſed quòd habeat, præſuppònitur. 3. *ὁμοουσία cũ Patre*, quia

quia tàm Filii DEI, quàm ipſius DEI nomeo eſſe ineffabile & inenarrabile aſſeritur, utique ergò eſſentiæ unitas Patti & Filio intercedit. Confer parallela loca Geneſ. 32. verſic. 29. Judæ 13. verſic. 19. ubi Filius DEI dicit: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile?* ad hanc ὁμοουσίαν & æqualitatem Filij cum Patre demonſtrandam etiam illud pertinet, quòd Patris & Filij nomen ac notitia arctiſſimè conjungitur, quia enim Pater eſt in Filio & Filius in Patre, quia Pater & Filius unum ſunt, ideò etiam *nemo novit Filium, niſi Pater, & nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Matth. 11. verſic. 27. Luc. 10. verſic. 22. Johann. 1. verſic. 18. cap. 6. verſic. 46 &c. undè ipſi Rabini vetuſtiores huoc locum de Filio DEI acceperunt. R. Moſe Hadarſan in cap. 44. Geneſ. ſuper dictum: *Et diximus DOMINO meo: Eſt nobis Pater ſenex, & infans ſenectutum, ubi ſic dicitur: Scriptum eſt: Quis aſcendit in cœlos & deſcendit? Quis collegit Spiritum in palmis ſuis? quis ligavit aquas in pannio? quis conſtituit omnes terminos terræ? quod nomen eſt ejus, & quod nomen eſt Filii ejus, ſi noſti? Quis aſcendit in cœlos & deſcendit? DEUS ſanctus & benedictus aſcendit in cœlum, atque deſcendit, ſicut dicitur Iob. 28. ligans aquas in nubibus ſuis, hic docet dicere Scriptura. Pater ſenex eſt nomen ejus & infans ſenectutum eſt nomen filii ſui.* Hactenùs traditio, in qua idcircò DEUS Pater vocatur *ſenex*, quia nec principium habet, oec finem habebit unquam, Filius verò ideò dicitur *infans ſenectutum*, quia ab æteroo ex ipſo genitus eſt.)

160. Hûc referenda illa Scripturæ dicta. 1. in quibus de æterna Filii ex Patris eſſentia generatione agitur, ratione enim illius generationis DEI Filius dicitur. 2. in quibus JEHOVAH talem Angelum mittere dicitur, cui vel nomen JEHOVAH, vel opera merè divina, vel cultus divinus attribuitur, tunc enim Angeli nomine intelligitur, noo creatus aliquis Angelus, quippè cui prædicata illa nec ſingula, nec univerſa competunt, ſed increatus DEI Filius, quâ de re ſuperius dictum.

161. Ad *poſteriorem claſſem* teſtimoniorum pertinent hæc Scripturæ dicta, 1, in quibus diſtinctæ tres perſonæ divinitatis enumerantur. Geneſ. 1. verſic. 1. *In principio creavit DEVS cœlum & terram dicendo*, id eſt, per Verbum, verſic. 2. *Et Spiritus DOMINI incubabat aquis.* (explicationem hujus teſtimooii propoſuimus ſuperiùs) Exod. 31. verſic. 1. *loquitur Jehovah cum Moſe*, ac verſ. 2. dicit, quòd *Bezaleelem Spiritu DEI* (Filii ſui) *impleverit*. 2. Samuel. 23. verſic. 12. *Spiritus DOMINI locutus eſt per me, & ſermo ejus factus per linguam meam.* Vide luculentam hujus loci expoſitionem in ſcripto Lutheri de noviſſimis verbis Davidis tom. 8. Jenenſ. German.) Pſalm. 33. verſic. 6. *Verbo DOMINI cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum* (explicationem vide ſuperiùs) Pſalm. 45. verſic. 8. *Propterea unxit te DEVS Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus* (hìc mentio fit ejus, qui ungit, id eſt, DEI Patris, ejus qui ungitur, id eſt. DEI Filii, & ejus quo ungitur, id eſt, DEI Spiritus ſancti. Weidnerus in loc. fidei Chriſtian. paulò aliter accommodat. *Quia*, inquit, *ex parte Dei ungentis duplicatur ſeu bis profertur hoc nomen DEVS, cùm dixit, unxit te, Deus DEVS tuus, denotare voluit perſonam Patris & perſonam Spiritus ſancti, quo Spiritu unctus fuit Filius.*) Pſalm. 105. verſ. 4. *Quærite DOMINUM, & virtutem ejus, & faciem ejus ſemper* (Per *faciem DEI* intelligitur DEI Filius, ut ſuperiùs docuimus ex Exod. 33. verſ. 14. *per virtutem Dei* Spiritus ſanctus, ut colligitur ex Matth. 12. ver. 27. Luc. 11. verſic. 20. invicem collatis) Pſalm. 143. v. 10. in Chald. paraph. *Verbum tuum conſtitui Redemptorem. DOMINE doce me facere voluntatem tuam & Spiritus tuus bonus deducat me in viam rectam.* Eſai. 42. verſ. 1. dicit Pater cœleſtis de Filio ſuo, qui in temporis plenitudine venturus erat ad miniſtrandum: *Ecce ſervus meus & electus meus, in quo complacuit anima, dedi Spiritũ meum ſuper eũ.* Confer Matth. 3. verſ. 17. cap. 17. v. 5. Luc. 4. v. 18. ubi explicatio proponitur. Eſai. 48. verſ. 16. dicit Meſſias DEI Filius: *Appropinquate ad me, audite hoc non ab initio in abſcondito locutus ſum à tempore, quo res evenit, ibi ègò & nunc Adonai Jehovah miſit me & Spiritus ejus.* v. 17. *Sic dixit* DOMINUS *Redemptor tuus ſanctus Iſraël.* In quem locum ſic commentatur Hieronymus: *Quando fiebant omnia à Patre, ipſe* (Filius) *erat cum eo, cui adgaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui ſemper eram cum Patre, & in Patre, & ſine Patre nunquam eram, etiam nunc loquor, & juxta fragilitatem carnis aſſumpta dico, quòd DOMINUS DEVS miſerit me & Spiritus ejus. breviq́ verſiculo Trinitatis nobis oſtenditur Sacramentum.*

162. Socinus in defenſ. animadv. pag. 311. excipit. 1. *Hieronymi autoritatem non poſſe contra ſe afferri, cùm fuerit juratus Photiniana ſententia hoſtis & Scriptura locos violenter atque impudenter ad Trinitatis probationem detorſerit.* Reſpond. non tàm Hieronymi autoritatem, quàm textus Prophetici evidentiam & explicationem in Novo Teſtamento traditam Johann. 18. verſic. 20. adverſarijs opponimus. Nec ſolus Hieronymus, ſed totus purioris antiquitatis Doctorum, imò Prophetarum & Apoſtolorum chorus eſt juratus Photinianorum hoſtis, ergóne illorum autoritatem ſibi opponi non patientur? 2. *Potuit Hieronymus eo in loco Sacramenti Trinitatis nomine intelligere, non quod tres ſint in DEO perſona, Pater, Filius & Spiritus ſanctus, ſed quòd iſti tres in noſtra ſalutis myſterio concurrant.* Reſpond. quid per Trinitatis Sacramentum Hieronymus intellexerit, oon eſt opus dubiis conjecturis, cùm in aliis locis ſententiam ſuam clariſſimè expoſuerit, unde ipſius adverſarius Hieronymum accuſat, quòd *violenter & impudenter Scriptura dicta ad Trinitatis myſterium probandum detorſerit.* 3. *verba illa, ſic dixit Iehovah redemtor tuus, &c. pertinere non ad antecedentia ſed ad ſequentia.* Reſpond. imò verò etiam ad antecedentia referri poſſunt ac debent, ut manifeſtum ex Johann. 18. verſ. 20. ubi Chriſtus redemtor noſter unicus dicit. *Ego in abſcondito locutus ſum nihil.* 4. *alium eſſe, qui hîc loquitur, & alium Iehovam ſive Deum, Namq́, is ſine dubio loquitur, qui mittitur & quēadmodum antea dixerat à Iehova ſe fuiſſe miſſum & ita ſe Iehovam non eſſe, apertè profeſſus fuerat: Sic deinde de Iehova ſive Deo tanquam de alio à ſe verba facit, quippe de quo in tertia perſona loquitur & cujus ut tertia perſona verba recitat, quibus ſua ipſius legatio continebatur.* Reſpond. egregia verò probatio! Qui mittit, eſt Jehovah, ergo qui mittitur, non eſt Jehova. De Jehova tanquam

de alia

Digitized by Google

de alia ſive diſtincta perſona Meſſias hîc loquitur. Ergo Meſſias non eſt Jehova. Imò verò & mittens & miſſus eſt Jehova, ut evidentia textus clariſſimè oſtendit. Meſſias loquitur de Jehovah non eſſentiæ ſed perſonæ reſpectu à ſe diſtincto. Fruſtrà regerit Socinus, *principium in hac reſponſione peti*, cùm enim Scriptura Jehovam miſſum à Jehova mittente diſtinguat & tamen unum eſſe Jehovam diſertè aſtruat, utique cogit nos ut prius ad perſonalem diſtinctionem, poſterius ad unitatem eſſentialem referamus.

163. Sed progredimur ad reliqua Scripturæ dicta hujus claſſis propria Eſa.61.v.1. dicit Meſſias Dei Filius: *Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxerit me Iehovah, &c.* (Confer Luc.4. v.8. Joh.3. v.34. ubi explicatio traditur. Quem miſit Deus, hic loquitur Dei verbum, quia Deus non dat Spiritum ad menſuram) Eſa.63 v.7. *Miſerationum Iehova memorabor v.8. dixit autem verè populus meus ſunt v.9. Angelus faciei ſalvavit eos. v.10. ipſi autem exacerbaverunt Spiritum ſanctum ejus.* (Explicationem vide ſuperius) Hag. 2.v.5. *Ecce ego vobiſcum ſum dixit Iehova exercituum v.6. Verbum quod pepigi vobiſcum, cùm egrederemini de terra Ægypti & Spiritus meus erit in medio veſtri.* Deus Pater præſentiam ſui ipſius cum CHRISTO Mediatore & cum Spiritu ſancto Eccleſiæ ſuæ promittit. Trem. & Jun. ſic reddunt. *Dictum Jehova exercituum. Cum verbo quo pepigeram vobiſcum, id eſt, in quo, per quem & propter quem vos acceptos habueram & in fœdus receperam, unde etiam Angelus fœderis appellatur.* Mal.3. verſic.1, *& Spiritu meo ſtante in vobis, ne timeatis.* Particula enim את ſæpe accipitur loco præpoſitionis cum.

164. 2. In quibus nomen Jehovæ & Dei tribus diſtinctis vicibus iteratur, ibi enim pro modo revelationis V.T. congruo tres perſonæ Deitatis inſinuantur. Dicta illa enumeravimus in Diſp. de εὐλογίᾳ Num.6.3. in quibus nomen *ſanctus* ab Angelis & electis in hymnis ter repetitur. Eſa.6. verſ.3. Apoc.4. verſ.8. qua de re in Diſp. publica Liſeriana latè fuit actum. 4. in quibus *Dominus de Domino, Deus de Deo* loquitur, duabus enim perſonis ſimul nominatis includitur perſona Spiritus ſancti loquentis in Scriptura 2. Samuel.23. verſic. 2. 2. Petr. 1. verſic. 21. 2. Timoth.3. verſic. 16. 5. Quidam ex veteribus hûc referunt apparitionem divinam Abrahæ in tribus viris factam. Geneſ. 18 Quia enim *Iehovah* dicitur apparuiſſe Abrahamo & poſtmodum ſubjungitur, Abrahamum vidiſſe *tres viros*, acunum ex illis compellaſſe & adoraſſe, ex eo colligunt, Deum in tribus diſtinctis perſonis Abrahæ apparuiſſe. Sozom. libro 2. Hiſtor. cap. 3, refert, *in memoriam hujus apparitionis juxta quercetum Mamre facta quotannis ibi convenire ſolitos Iudæos, gentiles & Chriſtianos, ibidemque quemque ſuo ritu ſacra peregiſſe.* Sed ex illa apparitione non poteſt aliquod ſolidum argumentum depromi. 1. quia nondum convenit inter veteres, quinam fuerint illi tres viri, qui Abrahæ apparuerunt. Hebræi duas hîc comminiſcuntur φανερώσεις ideoque verba in principio capitis poſita. *Et apparuit illi Iehova* de θεοφανείᾳ reliqua verò de ἀγγελοφανείᾳ exponunt. Atqui nefaria illa connexorum divulſio non eſt ipſis concedenda, quorſum enim Moſes in principio ſummam totius Hiſtoriæ exponens diceret, Deum Abrahæ apparuiſſe, niſi poſtmodum in ſpecie, modum illius ipſius apparitionis exponeret? Refragatur huic divulſioni particula connexiva. *Viſus eſt ei Dominus in quercub. Mambre* והוא *Et ipſe ſedens in oſtio tabernaculi* q. d. Viſio illa ſic comparata erat, ut Deus in forma humana ipſi appareret. Adde quod idem qui Abrahamo filium ex Sara promittit & excidium Sodomæ pronunciat, ipſo ſacratiſſimo nomine Jehova, quo ab initio capitis honoratus fuerat, appellatur. Quidam ergo ex veteribus ſtatuunt, tres perſonas Deitatis in tribus diſtinctis virorum formis Abrahæ apparuiſſe, quas cùm unum Deum eſſe Patriarcha noſſet, ſingulari numero tres illos compellaverit. Sed quia Geneſ.19. verſ.1. duo ex illis vocantur Angeli qui verſ.13. dicunt. *Iehova miſit nos ad perdendum locum iſtum*, ex eo Burgenſis colligit, non poſſe per illos duos Patrem & S. S. intelligi, cùm Pater nuſpiam dicatur Angelus ſive miſſus, adde quod unus ex illis tantum dicatur Jehova. Si fuiſſent hi tres viri tres Deitatis perſonæ, Epiſtola ad Hebræos φιλοξενίαν ex eo magis commendaſſet cap. 13. Tertiam igitur expoſitionem afferunt Auguſt.16. de C. D. cap. 29. libr. 2. de Trinit. cap. 11. Cyrill. libr. 1. contra Julian. Nyſſen. libr. de Trinit. & alii, quos Cornel. à Lapid. ſequitur, qui exiſtimant, omnes tres fuiſſe Angelos in forma humana apparentes, qui ſymbolicè Trinitatem ſignificaverint. Atqui unus ex illis diſertè vocatur *Iehova*, quæ appellatio nuſpiam tribuitur Angelis creatis. Ergo is non fuit *Angelus aliquis ſuperior*, ut vult Cornelius à Lapide, *non Gabriel Archangelus* ut Burgenſi placet, non *Michaël* ut Rabini ſomniant, ſed *ipſe Dei Filius*. Convenientiſſima proinde eſt ſententia Hilarii lib.4. de Trinit. Theodoret. quæſt. 68. in Gen. Nazianz. orat. 2. de Theol. Conſtant. apud Euſeb. lib.3. de vita Conſt. cap. 50. & ipſius Euſebii lib.5. demonſt. Evang. cap.9. &c. tres illos viros fuiſſe Dei Filium duobus Angelis comitatum. Poteſt igitur ad Trinitatis myſterium accommodari, quod Filius Dei non pluribus nec paucioribus Angelis quàm duobus comitatus & ſic in tribus viris Abrahæ apparet, ſed apodicticum aliquod argumentum ex eo vix poterit depromi. 2. quia Abrahamus ideò numero ſingulari tres illos viros quandoque compellat, quia docente Chryſoſtomo unus ex illis utpote Dei filius erat reliquis ἐντιμότερος *glorioſior ac illuſtrior*, unde ex ipſa viſibilis formæ majeſtate aliisque indiciis Patriarcha colligebat unum illum, quem ſigillatim compellabat, eſſe inter eos primarium, quem reliqui duo viri colerent. Idem in legationibus contingere notum eſt. 3. quia unus tantum ex illis vocatur Jehovah, ut tota contextus ſeries oſtendit. Atqui ſi tres perſonæ Trinitatis Abrahamo apparuiſſent, cuilibet illorum trium virorum nomen Jehovah attribueretur, Soc. in anim. ad aſſert. 3. p.39. addit. *Etiamſi verum eſſet, unumquemque ex illis Angelus ſæpius vocari Iehovam, nihil ad rem faceret, id enim idcirco fieri potuiſſet, quod quilibet eorum à Iehova miſſus eſſet. Miſſum enim mittentis nomine in divinis literis appellari.* Sed hæc eſt petitio principii, oſtendimus enim ſuo loco, creatũ Angelum nuſpiam vocari nomine Dei proprio.

165. Atque hæ ſunt duæ claſſes, in quas Veter. Teſtament. dicta, quæ pro aſtruendo Trinitatis *Dicta N. T.*
myſterio

myſterio proferuntur, diſtribui poſſunt N. Teſt. dicta in quatuor claſſes diſtingui poſſunt. 1. Quædam in genere pluralitatem perſonarum in divinis probant, quæ ſcil. in plurali de Deo loquuntur. Joh. 3. v. 11. *Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, & teſtimoniū noſtrum nemo accipit.* Quidam referunt ad Prophetas. Apoſtolos & Joh. Baptiſtam. Quidam in genere, de omnibus fidelibus teſtibus exponunt. Quidam Chriſtum de ſe ſolo in plurali locutum autumant. Quidam ut proverbialem locutionem accipiunt. Sed Cyrillus commodiſſimè ad myſterium Trinitatis refert, quia ſolus Chriſtus, non autem Baptiſta vel ullus alius Evangelicæ prædicationis miniſter vidit cœleſtia. Joh. 1. v. 18. cap 3. v. 13. ſolus Chriſtus quæ ipſe ſcit, quæve ipſe vidit, loquitur, Prophetæ & Apoſtoli ea quæ ex revelatione audiverunt, locuti ſunt, unde ipſorum prædicatio vocatur *auditus*. Eſa. 53. v. 1. nec ſatis convenienter Chriſtus, ſuper quem requieſcit Spiritus Dei Eſa. 11. v. 2. cap. 61. v. 1. reliquis vulgaribus teſtibus annumeraretur. rectiùs igitur de teſtibus Naturâ & eſſentiâ divinis accipitur, juxta explicationem traditam Joh. 5. v. 37. & 1. Joh. 5. v. 7. Ad hanc claſſem pertinent etiam hæc dicta. Joh. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus* Joh. 14. v. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus.* 2. Quædam deſcribunt divinas θεοφανείας in Baptiſmo & transfiguratione Chriſti. Matth. 3. & 17. Marc. 1. & 9. Luc. 3. & 9. in quibus ſingulæ Deitatis perſonæ externis ſymbolis ὁρατοῖς vel ἀκουστοῖς ſeſe diſtinctè manifeſtarunt. 3. Quædam diſertam & expreſſam trium Deitatis perſonarum mentionem faciunt Matth. 28. v. 19. Luc. 1. v. 36 Joh. 14. v. 16. 17. cap. 15. v. 26. Actor. 10. v. 38. Rom. 1. v. 2. 3. 4. cap. 8. v. 11. 2 Cor. 13. v. 13. Gal. 4. v. 6. Eph. 2. v. 18. Tit. 3. v. 4. 5. 6. 1. Joh. 5. v. 7 Apoc. 1. v. 4. & 5. 4. Quædam per μόνα διακριτικὰ ἐξ, δι᾽ καὶ εἰς myſterium Trinitatis inſinuant. Roman. 11. v. 35. 36. Vid. Loc. §. 16. 17. & 19.

Cap. XIII.

Reſponſionem ad Photinianorum argumenta exhibens.

166. Expoſuimus hactenus membrum prius πραγματολογίας, quod fuit κατασκευαστικόν, ſuccedit membrum poſterius, quod erit ἀνασκευαστικόν negantibus Trinitatis myſterium oppoſitum. *Photiniani* hoc myſterium non ſolùm pertinaciter negant, ſed etiam acriter impugnant ac impudenter blaſphemant. Argumenta ipſorū ad duas referri poſſunt claſſes. 1. Quædam petita ſunt *ex Scriptura dictis* peſſimè detortis. 2. Quædam ex *principiis Philoſophicis* peſſimè applicatis. Dicta Scripturæ, quæ contra Trinitatem perſonarum urgent, hæc ſunt, in quibus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti *ſolus ac unus verus Deus* dicitur Joh. 17. v. 3. Eph. 4. v. 6. 1. Cor. 8. v. 6. &c. Sed oſtendimus in tract. proximè præcedente particulas illas excluſivas, *unus, ſolus, &c.* non opponi reliquis Deitatis perſonis, verùm creaturis & fictitiis Numinibus, quæ ſunt extra Deitatis eſſentiam. Quid in genere ad *Philoſophica principia* huic myſterio peſſimè applicata reſpondendum ſit, oſtendimus ſuperiùs in προθεωρίᾳ theſi 6. ſpecialem argutiarum Photinianarum explicationem propoſuimus in loc. de tribus Elohim §. 83. hoc igitur loco tres duntaxat argutias in ſpecie examinabimus.

1. Argumenta petita ex dictis Scripturæ.

2. Ex principiis Philoſophicis.

167. 1. *Ab eſſentia divinæ unitate.* Una *numero eſſentia non poteſt eſſe pluribus perſonis communis. Perſona enim eſt intelligens individua ſubſtantia. Ergo ubi tres perſonæ, ibi tres eſſentiæ,* Reſp. 1. Galatinus libr. 2. de arcanis Cath. verit. cap. 2. profert hanc inſtantiam. *Si una numero eſſentia divina ſine ſui multiplicatione poteſt eſſe in pluribus locis, utique eadem ſine ſui multiplicatione poteſt eſſe pluribus perſonis communis. Deum* (inquit) *ubique eſſe, Scriptura evidenter aſſerit & Judæi fatentur. Id autem ſecundùm diverſas partes verificari nequit, quia cùm Deus Spiritus ſit ac ſummè ſimplex, omni prorſus partium diverſitate atque compoſitione caret, neque etiam ſucceſſivè in diverſis locis eſſe dicendus, quia tunc ſecundùm locum mutabilis eſſet, quod Deo nequaquam conveniet, quoniam cùm æternus ſit & immenſus atque ſummè ſimplex, neque ſecundùm tempus, neque ſecundùm locum, neque ſecundùm formam mutari poteſt. Ea propter fateri eos* (Judæos) *oportet, Deum etſi unus ſit, totum eum ſuæ unitatis veritate ſimul & ſemel in diverſis locis eſſe. Quò circa eos quoque concedere neceſſe eſt, ipſam divinitatem, etſi una tantum numero exiſtat, totam ſimul in pluribus eſſe poſſe perſonis. Quod ſi illud primum concedunt, cur ſecundum negant, cùm non magis unum quam alterum concedendum ſit?* Sed longè alia ratione Deus eſt in pluribus locis quàm una divina eſſentia in pluribus perſonis. Deus in pluribus, vel ut rectius dicamus, in omnibus locis præſens eſt liberè ac voluntariè, ſed divina eſſentia non eſt nec eſſe poteſt extra tres perſonas. Deus & creaturæ, quibus Deus præſens eſt realiter invicem diſtinguuntur, ſed divina eſſentia & tres perſonæ Deitatis non diſtinguuntur realiter, aliàs foret quaternitas. 2. Unam numero eſſentiam non poſſe eſſe in pluribus perſonis, verum eſt *de eſſentia finita, creata, materiæ corporeæ immerſa.* Id verò ad divinam eſſentiam, quæ eſt, *infinita, immenſa, increata, ſimpliciſſima ac prorſus immaterialis*, applicari nequit, ea enim propter infinitatem ac ſimplicitatem abſque ulla diviſione, compoſitione, multiplicatione, &c. in pluribus perſonis eſſe poteſt. 3. Fides Chriſtiana ſimpliciſſimè reſpondet. Deus à nobis ſic agnoſcendus, colendus & invocandus eſt, ut ſe in verbo patefecit & contra hanc patefactionem in verbo factam non ſunt audiendæ rationis humanæ argutiæ. Jam verò Deus ſic ſe in verbo patefecit, quod ſit unus in eſſentia & trinus in perſonis. Ergo etiam ſic à nobis agnoſcendus & colendus, nec audiendæ ſunt contra hanc patefactionem humanæ rationis argutiæ. 4. Juſtinus qualicunque ſimilitudine probare nititur τρόπους ὑπάρξεως non variare ipſam eſſentiam. Sic enim ſcribit in qq. & reſpp. q. 139. p. 377. *Quemadmodum in Adamo, Eva & Setho una eſt eſſentiæ ratio, anima ſcil. rationalis & corpus mortale, modi verò exiſtentiæ variant, nam Adamè terra factus eſt, Eva ex coſta, Seth ex genitali ſemine & in diverſis exiſtentiæ modis, manet eadem & una eſſentiæ ratio, in quam diſtinctio & mutatio non cadit: Sic & in Deo, eo quod eadem ſit perſonarum eſſentia, unus Deus creditur, Pater, Filius & Spiritus ſanctus* εἰς ταὐτὸ θεότητος ... ἐξ τῶν τριῶν θείων ὑποστάσεων τῶν διαφερόντων ἀλλή-

λων

ἀλλ᾽ οὐ τῇ οὐσίᾳ, ἀλλ᾽ ἐν τοῖς τῆς ὑπάρξεως τρόποις, ἡ δὲ διαφορὰ δὲ τῶν τῆς ὑπάρξεως τρόπων οὐ διαιρεῖ τὸ ἓν τῇ οὐσίᾳ. interim notandum quod unitas eſſentiæ humanæ in Adamo, Eva & Setho, ſit duntaxat *ſpecifica*; ſed unitas eſſentiæ divinæ in Patre, Filio & S. S. eſt *numerica*, ideò ſimilitudo illa non adæquat nec explicat myſterii magnitudinem.

168. 2. *Ab eſſentiæ divinæ ſimplicitate. Simplicitas divina eſſentia excludit omnem compoſitionem. Atqui ubi perſona & eſſentia, ibi datur compoſitio.* Socin. in defenſ. anim. p. 45. *Si ex eo, quod Dei eſſentia ſimpliciſſima ſit, neceſſariò ejuſdem eſſentia compoſitio omnis excluditur, ſequitur omninò plures perſonas in Dei eſſentia eſſe non poſſe inter ſe diſtinctas, niſi Dei eſſentiam tanquam ſpeciem ſeu communem quandam pluribus individuis Naturam accipiamus.* Reſp. 1. in divinis eſſentia & perſona non faciunt compoſitionem, quia eſſentia à perſonis non diſtinguitur *realiter*, ut Somm. in refut. Carolini p. 25. nos ſentire calumniatur, ſed tres perſonæ divinæ realiter nihil aliud ſunt quàm ipſa divina eſſentia tribus perſonis communis, & divina eſſentia realiter nihil aliud eſt quam tres perſonæ divinæ, aliàs pro Trinitate introduceretur quaternitas. 2. Quamvis verò perſonæ inter ſe realiter diſtinguantur, illud tamen divinæ eſſentiæ ſimplicitati fraudi eſſe nequit, quia ut Thom. part. 1. quæſt. 39. art. 1. diſputat. *Sicut relationes in rebus creatis accidentaliter inſunt, ita in DEO ſunt ipſa eſſentia divina, ex quo ſequitur, quod in Deo non ſit aliud eſſentia, quàm perſona ſecundùm rẽ & tamen quod perſonæ realiter ab invicẽ diſtinguãtur. Perſona enim ſignificat relationem, prout eſt ſubſiſtens in Natura divina. Relatio autem ad eſſentiam comparata non differt re, ſed ratione tantum, comparata autem ad oppoſitam relationem habet virtute oppoſitionis realem diſtinctionem & ſic remanet una eſſentia & tres perſonæ.*

Quidam reſpondent, relationes *prædicamentales* facere compoſitionem, non autem *tranſcendentales*. Jam verò in Deum non cadit relatio prædicamentalis ſed tranſcendentalis. 3. Fides Chriſtiaua ſimpliciſſimè reſpondet. Scriptura utrumque docet, eſſentiam divinam eſſe ſimpliciſſimam omnis compoſitionis expertem, eandem etiam eſſe tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis communem, utrumque igitur credendum ratione ſub fidei obſequium captivatâ, quamvis comprehendere non poſſimus, quomodo eſſentiæ divinæ ſimplicitas cum perſonarum Trinitate conſiſtat. Vid. diſp. 10. de glor. Dei §. 36. loc. de Nat. Dei §. 85.

169. 3. *A patris cœleſtis majeſtate. Confeſſio Trinitatis labefactat gloriam unius veri Dei, qui eſt ſolus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Reſp. 1. gloria Dei in eo conſiſtit; ut eo modo à nobis agnoſcatur & colatur, quo ſe in verbo patefecit: Jam verò Deus in verbo ſic ſe patefecit, quod ſit in eſſentia unus, in perſonis trinus. 2. Invertimus igitur argumentum. *Omnes honorificare debent* Filium *καθὼς ſicut honorant Patrem. Qui non honorat Filium, is nec Patrem honorat, qui miſit illum* Ioh. 5. v. 23. Ergo per negationem Trinitatis gloria veri Dei labefactatur. Athanaſius. *Non recipit Pater honorem erga ſe cum Filij ſui cõtumelia:* Auguſt. ſerm. 51. de verb. Dom. *Cùm de Filij contumelia honoras Patrẽ & Filium offendis & Patrem:* Prudent. *Nonne Patrem violas, dum Natum ſcire recuſas. Nec vocitare Patrem potis es, quem germine fraudas.* Vid. Diſp. 10. de glor. Dei. §. 33. Ad reliquas Photinianorum argutias ex rationis humanæ judicio inſtar funiculi ex arena nexas reſpõdemus verbis Auguſtini lib. 1. 2. de civ. Dei c. 17. *Has argumentationes* (contra myſteria fidei in Scripturis patefacta formatas) *ſi ratio refutare non poſſet, fides irridere deberet*, ac Chryſoſtomi homil. 5. in 1. Epiſt. ad Timoth. *Nihil commune habet humana ratio collata divinis, ideoq́; blaſphemia eſt rationibus velle divina diſcutere*, in quo & cum quo pronunciato tractatum de Trinitatis myſterio finimus.

LOCVS QVARTVS

DE

PERSONA ET OFFICIO CHRISTI.

Prooemium.

I.

Doctrina de Chriſto 1. dignitas.

THeſis prooemialis. *Articulum de perſona & officio CHRISTI commendat nobis doctrina hujus dignitas, utilitas & neceſſitas.* Dignitas elucet. 1. ex *origine ſeu cauſa efficiente.* Doctrina de Chriſto non eſt nobis Naturâ nota, ſed divinitus in verbo patefacta: Matth. 16. verſ. 17. *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Rom. 16. v. 25. *Præconium de Chriſto eſt myſterium æternis temporibus tacitum &c.* 2. *ex objecto.* Tractat hic articulus de Chriſto, qui eſt totius Scripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ centrum, Eccleſiæ fundamentum, theſaurus ſpei noſtræ, fons ſalutis & gratiæ, à quo denominamur Chriſtiani, à quo deſcẽdunt omnia ad ſalutem æternam nobis neceſſaria. Johannes Initium ſcriptionis ſuæ facit à Chriſto. *In principio erat verbum.* Iohan. 1. v. 1. & cum eodem finit Apoc. 22. v. ult. *Gratia Domini noſtri IESV Chriſti ſit vobiſcum.* Univerſa Scriptura nihil aliud eſt quam perpetuum de Chriſto teſtimonium. Pſ. 40. verſ. 10. In volumine *libri ſcriptum eſt de me*, quod repetitur Hebr. 10. v. 7. Luc. 24. verſic. 44.

Exegeſis Ll *Ne-*

Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis & Prophetis & Pſalmis de me. Joh.5. v.39. *Scrutamini Scripturas, illæ enim ſunt quæ teſtificantur de me.* Apoc.19.v.10. *Teſtimonium Ieſu eſt Spiritus Prophetiæ,* id eſt, ad Jeſum tãquam τέλ☉ σκοπιμώτατον, & ultimum ſcopum omnes Prophetiæ feruntur, inde Hieronymus Epiſt. ad Algaſ.q.11. Chriſtum vocat *omnium Scripturarum caput.* Auguſt.lib.16.contr.Fauſt.cap.22. inquit, *omnem Scripturæ intentionem nõ niſi ad intelligendam Chriſti gratiam reſpicere.* Idẽ in Pſ.71. *Omnia quæ ſcripta ſunt, ad Chriſtum referuntur.* tract. 9. in Joh. *Non ſapit vetus Scriptura niſi Chriſtus in ea intelligatur;* ex quo fundamento, quidam recentior Theologus monet, *Biblia ita legenda eſſe ac ſi ſanguine Chriſti per totum eſſent ſcripta,* 3. *ex effecto.* Cognitio hujus doctrinæ eximios & ſalutares fructus in utilitate paulò pòſt enumerãdos offert, 4. *ex adjuncto.* Doctrina de Chriſto *non utilis* ſolùm ſed *& neceſſaria eſt,* ut paulò pòſt demonſtrabitur. Jam verò quò quidque non ſolùm utilitate fructuoſius, ſed etiam neceſſitate ſalubrius, eò precioſius ac dignitate præſtantius meritò cenſetur.

2. Vtilitas. 2. *Vtilitas* colligitur ex *effectis & fructibus,* quos ſalutaris Chriſti cognitio & fides per Spiritus ſancti operationem ex ea orta nobis affert, qui ſunt 1. *peccatorum remiſſio* Luc 1.v.77. γνῶσις τῆς σωτηρίας Salvatoris Chriſti confert peccatorum remiſſionem. 2. *juſtitia.* Eſa.53.v.11. *In ſcientia ſui juſtificabit ſervus meus multos.* Sap.15.v.3. *te ſcire eſt perfecta juſtitia.* 3. *vera ſapientia.* Jer.9. v. 23. *non glorietur ſapiens in ſapientia ſua.* 4. *vita æterna.* Joh.17.v.3. *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum* Eph.3.v.19. *Chriſtum diligere, eſt omni cognitione præſtãtius.* Col.2.v.3. *in Chriſto ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi,* in quem locum ſic comment. Ambr. *Omnis ſcientia totius creaturæ ſupernæ & terrenæ in eo ut ſit oportet, qui omnium eorum caput eſt ſive Angelorum, ſive Solis ſive ſtellarum ſive cæterarum rerum omnis ſcientia peritia in autore illorum eſt, ut qui hunc cognoſcit, nihil ultra requirat, neq; ſapientiam neq; virtutem quia agnovit eum, in quo perfecta virtus ac perfecta ſapientia.*

3. Neceſſitas. 3. Neceſſitas doctrinæ hujus cognoſcendæ apparet 1. *ex divino mandato* Deut.18.v.18. *ponam verba mea in ore ejus, qui non audierit, ab eo requiram.* Matth.17.v.5. *hunc audite.* Qui veram Chriſti cognitionem ex verbo revelato percipit, is ſalutariter Chriſtũ audit 2. *ex piorum exemplo.* Maria ab ore docentis Chriſtũ pendens hoc ornatur encomio, *quod bonam partem elegerit, quæ non auferetur ab ea,* Martæ v. ſurori exprobratur, quod neglecto unico hoc neceſſario de πολλοῖς fruſtrà fuerit ſolicita. Luc.10.v.42. Paulus de ſeipſo memorat, ꝙ apud Corinthios ſic ſeſe geſſerit, ut indicaverit *nihil ſe ſcire aliud præter Chriſtum crucifixum* 1.Cor.2.v.2. *ac reliqua omnia* exiſtimavit *detrimentum propter eminentem ſcientiam IESV Chriſti.* Phil.3.v.8. Prudentius de Chriſtianis in primitiva Eccleſia canit. *Omnia de Chriſto per Chriſtum cuncta loquuntur.* Hic ſc: eſt theſaurus in agro abſconditus, hæc precioſa illa gemma, quam poſthabitis totius mundi theſauris unicè ſectari debemus. Matth.13.v.44. Hic *lapis anguli precioſitatis* Eſ.28.verſ.16. quo nihil precioſius in corde Patris cœleſtis, nihil precioſius in Eccleſia, nihil precioſius eſſe debet in corde noſtro. 3. *ex oppoſito ignorantiæ malo.* Sicut in cognitione Chriſti conſiſtit vita æterna, ſic vice verſa neſcit vitam & ſalutem ſuam qui Chriſtum ignorat. Qui *non habet Filium,* is nec vitam habet. 1.Joh.5.v.12. qui *Filiũ non honorat, is nec patrem honorat.* Joh.5.v. 23. At qui Chriſtum ex verbo non cognoſcit, is nec Filiũ habere nec honorare poteſt. Ergo nec vitam habere, nec Patrẽ rectè honorare poteſt. *Neſcit planè neſcit vitam ſuam, qui Chriſtum ut verum Deum, ita & verum hominem ignorat,* ait Hilar. l. 9. de Trin.p.160. Aliorum dogmatum ſcitu utilium ac neceſſariorum ἀγνοια turpis eſt ac deteſtabilis, ſed Chriſti ignoratio eſt inſuper damnabilis. 4 *ex adverſantium hæreſium cumulo.* Quemadmodum in munita regionis alicuius arce ac metropoli oppugnanda vires hoſtium potiſſimùm occupantur: ſic Diabolus omnes calliditatis & potentiæ ſuæ vires in myſterio de Chriſto, quod doctrinæ cœleſtis metropolin eſſe novit, oppugnando jam inde à primo N.T. initio, imò à mundi uſque exordio experiri voluit, modò enim divinam, modò humanã Chriſti Naturam evertere, modò unionem perſonalem diſſolvere, modò officium ejus labefactare conatus eſt ac viis diſſimilibus ad eandem perpetuò contendit metam videlicet ut ſinceritatem ac puritatem hujus doctrinæ corrumperet ac conſequenter hunc ſalutis theſaurum hominibus eriperet.

4. *Antitheſis.* Neceſſitatem doctrinæ de Chriſto 1. directè negant qui ſanioribus gentilibus ſalutem tribuunt, quod ex Pontificiis & Calvinianis quoſdam facere atq; ex Photinianæ doctrinæ hypotheſibus conſequens eſſe ſuo loco demonſtravimus. 2. *Obliquè* eam labefactant Calviniani, dum controverſias, quæ de unione perſonali & eam conſequente idiomatum communicatione veræ Eccleſiæ cum ipſis interceduut, extenuant, in fundamento nos conſentire aſſerũt, ac fraternitatem ſpiritualem ſimulato animo nobis offerunt, cùm in doctrina de Chriſto, qui eſt unicum Eccleſiæ & ſalutis fundamentum 1.Cor.3.v.11.Eph. 2. v. 20. διὰ διὰ πασῶν invicem diſſidiamus, ut ex ſequentibus apparebit. Antitheſis.

5. *Vſus practicus eſt exhortatorius,* ut doctrinam de Chriſto ſingulari ſtudio ac diligentia diſcamus & contra quaſvis ejuſdem corruptelas animos noſtros præmuniamus. Ut Chriſtus eſt α & ω *principium & finis.* Apoc.1.v.8. ita quoque in meditationibus ac ſtudiis noſtris ſit principium & finis. Quicquid cogitaveris, quicquid dixeris, quidquid ſcripſeris, niſi Jeſus ſit in eo, non ſapit. Berh.ſerm.15.in Cant.col.532. *Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non oleo iſto infunditur. Inſipidus eſt, ſi non hoc ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi legero ibi Ieſum. Si diſputes aut conferas, non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi Ieſus.* ſerm.43.in Cant. *Si ſapis imitaberis Sponſæ prudentiam atq; hunc myrrhæ tã carum faſciculum à pectore tuo nec ad horam patieris avelli, amara illa omnia, quæ pro te pertulit ſemper in memoria retinens & aſſidua meditatione revolvens, quò poſſis & tu dicere, faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Hæc meditari dixi ſapientiam, in his juſtitiæ mihi perfectionem conſtitui, in his plenitudinem ſcientiæ, in his divitias ſalutis, in his copias meritorum.* Vſus practicus.

CAP.

Cap. I.

De ἐτυμολογίᾳ

ἐτυμολογία nominis Ieſu.

6. Proœmio ſuccedit ipſa tractatio, quæ abſolvitur *1. ὀνοματολογίᾳ. 2. πραγματολογίᾳ. ὀνοματολογία* complectitur *1. ἐτυμολογίαν. 2. ὁμωνυμίαν. 3. συνωνυμίαν.* Sit ergo de etymologia.

Theſis 1. *Ieſus ſignificat Salvatorem, eſt enim à radice* ישע *in Hiphil* הושיע *ſalvavit, ſervavit, liberavit.* Hanc etymologiam & etymologiæ rationem monſtrat Angelus Matth. 1. v. 21. *Vocabis nomen ejus Ieſum, quia ſalvum faciet populum ſuum à peccatis ipſorum.* (R. Haccados in libro Galc Razia Aotonini Conſulem alloquens inter cætera dicit. Quia *Meſſias homines ſalvabit, vocabitur Ieſchua: gentes autem alterius rationis, quæ fidem ejus ſectabuntur, vocabunt eum Ieſus. Et propterea invenies hoc nomen Ieſu deſignatum* Geneſ. 49. יָבֹא שִׁילֹה וְלוֹ ſi enim *acceperis primas literas harum dictionum* ישו *nomen Ieſu eadem litera conficient.* Cicero ipſe fatetur act. 4. in Verr. plus ſignificari vocabulo σωτὴρ & σώζειν quâ Latina voce *ſervatoris & ſervandi* exprimi poſſit, ideò maluerunt veteris Eccleſiæ doctores uti nomine Salvatoris, ut ſalutem in Chriſto nobis partam ac donatam plenius exprimerent.) Obſerva igitur. 1. Chriſtum eſſe Salvatorem non ſolùm *ratione termini à quo* ac reſpectu *privatorum bonorum*, quia ſalvos nos fecit ſive liberavit à peccatis, ab ira Dei, ab accuſatione legis, à morte, à judicio, ab æterna damnatione (quæ omnia ſeſe mutuò conſequuntur, quia Deus non iraſcitur niſi propter peccatum, lex nihil accuſat aliud quàm peccatum, mors eſt *peccati ſtipendium* Rom. 6. v. 23. & peccatum eſt *mortis ſtimulus* 1. Cor. 15. v. 55. propter peccatum ſevero Dei judicio obnoxii ſumus, ignis infernalis nihil aliud urit niſi peccata) ſed etiam *ratione termini ad quem ac reſpectu bonorum poſitivorum*, quia adduxit perfectam juſtitiam, Dei gratiam, vitam ac ſalutem æternam. Dan. 9. v. 24. 2. Chriſtum eſſe Salvatorem non tantùm *ratione meriti*, quia perfectâ ſuâ obœdientiâ & pleniſſimâ ſatisfactione ſalutem nobis peperit, ſed etiam *ratione efficaciæ*, quia beneficia illa cœleſtia ad ſalutem noſtram pertinentia per verbum & Spiritum ſanctum nobis applicat. Unde vocatur non ſolùm ישוע *Salvator* ſed etiam יְשׁוּעָה, σωτηρία & σωτήριον *ſalus ſive ſalutare* Gen. 49. v. 18. Luc. 2. v. 30. ut ſignificetur Chriſtum non tantùm ſemel nobis acquiſiviſſe ſalutem ſuâ paſſione & merito, ſed eſſe ſalutis fontem, ex quo *aquas ſalutis jugiter haurire* poſſimus. Eſa. 12. v. 3. Johan. 1. v. 16. 3. Chriſtum eſſe Salvatorem non *typicum ac corporalem*, quales fuêre Joſua, Othoniel & alii Salvatores V. T. ſed *verum proprium ac ſpiritualem*, cui non ſolùm ἐξοχικῶς ſed etiam *μονοτρόπως* hoc nomen competit, eſt enim talis Salvator, qui ſolus nos ſalvat. Actor. 4. verſ. 12. qui ſalvat ab omni malo, quia ſalvat à peccato, quod eſt omnis mali initium Matth. 1. verſ. 21. qui ſalvat & merito & efficacia 1. Johan. 2. verſ. 2. qui perfectiſſimè ſalvat, in hac vita *inchoativè*, in futura *conſummativè* Joſua Salvatoris noſtri typus (dictus fuit primò *Hoſce* ſed Moſes id nomen mutavit in *Iehoſchua* præfixâ literâ י 1. ut certiorem ipſi Joſuæ & populo per ipſum ſalutem & victoriam de Cananæis promitteret, quam hac exploratione inchoabat. Numer. 13. verſ. 18. Hoſce enim formatur ex imperativo & ſignificat *ſalva*, Jehoſchua verò ex futuro *ſalvabit*. 2. ut innueret multa ei bona largiturum Deum, cui primam literam nominis ſui tetragrammati י addidiſſet. 3. quia Moſes Spiritu Prophetico providebat Joſue typum geſturum Jeſu Chriſti tum nomine tum reipsâ deductione ſcilicet populi in terram Canaan. Quemadmodum enim Deus Abrahamo & Saræ addidit literam ה ex nomine tetragrammato, ut ſignificaret ſe ex illis naſciturum hominem: ſic nomini Joſuæ addidit literam ה ut ſic Jehoſchua contineat omnes literas nominis tetragrammati ac ſignificetur, Jeſum, cujus typus erat Joſue, fore Jehovam, id eſt, verum Deum) 4. Diſtinguendum eſſe inter Salvatorem *mediatum*. Talis eſt etiam Pater & Spiritus ſanct. hi enim per Filium ſalvant Oſ. 1. verſ. 7. *Salvabo eos in Domino Deo ipſorum*; *ac immediatum*, talis eſt Filius, ubi iterum diſtinguendum inter *ſalvandi efficaciam ſive ſalutis applicationem*, quæ eſt communis tribus Trinitatis perſonis, *& ſalvandi modum* ſive *ſalutis acquiſitionem* per incarnationem ſc: paſſionem ac mortem, qui eſt Filii proprius. 5. Chriſtum eſſe Salvatorem *omnium hominum* ratione meriti & acquiſitionis, quia omnibus omninò ſuâ paſſione ac morte ſalutem promeruit, eſſe autem duntaxat *credentium* Salvatorem ratione fructus & applicationis, quia illi ſoli per fidem ſalutis participes redduntur.

7. *Antitheſis* 1. Judæi ſalvificum nomen Jeſu non legunt nec pronunciant propterea quod Ex. 23. v. 13. *prohibitum ne recordentur hominis alienorum Deorum*, quod ſi fortè caſu illud pronunciaverint ſeipſos mulctant colaphum ſibi impingendo & per horribilem blaſphemiam dicunt ישו per apocopen ſubintelligentes יִמַּח שְׁמוֹ *deleatur nomen ejus.* Fagius in cap. 33. Exod. Loco Jeſchu quod in numeris efficit 316. legunt וָרִיק & *vanitas* quod totidem dat numeros. Anton. Margarit. lib de fide Judæorum. Sed hæc blaſphemia ſeveriſſimis pœnis à Chriſtianis Magiſtratibus eſſet coercenda. In alcorano azoar. 29. ſcribitur עִסִי אִבְן מַרְיַם Iſai filius Mariæ per ignominiam literis tranſpoſitis. 2. Irenæus lib. 2. adv. hæreſ. cap. 41. p. 140. aliam profert nominis Jeſu etymologiam, cujus ratio latet in abdito & occulto. *Ieſus*, inquit, *nomen ſecundùm propriam Hebræorum linguam literarum eſt duarum & dimidiæ, ſicut periti eorum dicunt, ſignificans Dominum eum qui continet cœlum & terram, quia Ieſus ſecundùm antiquam Hebraicam linguam cœlum eſt, terra autem iterum Sura Uſſer dicitur. Verbum igitur, quod cœlum & terram habet, ipſe eſt Ieſus.* Et poſtea. *Ieſus iterum ſecundùm Hebraicam linguam duas & dimidiam habet literas Sion.* Sed ignorantia linguæ Hebrææ, quæ Irenæo cum pleriſque ex veteribus communis fuit, in eam opinionem ipſum abduxit 1. nomen ישוע non eſt duarum literarum & dimidiæ, ſed quatuor literarum. 2. qui à שי vel שו potius quàm à ישע deducunt, Angelo, id eſt, ipſi Deo, cujus juſſu locutus eſt Angelus, contradicunt. 3. videtur Irenæus omiſſa ſignificatione & origine propria cabalam aliquam Judaicam ſequi. Quid enim nomini Jeſu commune cum שָׁמַיִם & ציון quis indagare poteſt, quæ voces ſint Sura & Uſſer, quarum nulla

apud Hebræos extant veſtigia.** Conſuluit Iudæum, is virum diſcendi cupidiſſimum decepit, dicit enim *ſicut periti eorum dicunt*.**

3. Quidam nomen יֵשׁוּעַ deducunt à nomine tetragrammato Jehovah. Jacob. Faber Stapulenſis. *In nomine Ihesu aſpiratio poſtponenda eſt, quia in nomine tetragrammato iod præcedit he, non autē he iod.* Hagoſtratus apud Galat. *Principes literæ tetragrammati ſunt iod, he, vau, quæ his noſtris correſpondere videntur IHV ha verò ſimul juncta hoc benedictum nomen efficiunt. Titulus autem ſupponitur, ut crux, per quam ſalvati ſumus, deſignetur.* Oſiander diſputat, nomen Jehovah antè ineffabile inſertione literæ ש factum eſſe effabile. Exiſtimat Lucam propterea dicere, nomen illud antea ſc. ineffabile ab Angelo *vocatum*, id eſt, pronunciatum fuiſſe in nomine Ieſus, & ſcribendum eſſe יְהֹשׁוּה. Atqui 1. Angelus non à Jehovah ſed à ישע deducit. 2. Nomen Jehovah ſcribitur per יהוה ſed nomen Jeſu per ישוע quæ literarum diverſitas etymologiæ diverſitatem arguit Galat. libr. 3. cap. 20. 3. nomen Jeſu interprete Angelo directè & immediatè non eſt nomen perſonæ ſed officii, notans actionem ſalvandi, ſed nomen Jehovah ipſam Dei eſſentiam notat à rad. הָיָה vel הָוָה quia Dei maximè proprium eſt eſſe. 4. nomen Jehovah ſecundum divinam Naturam Chriſto competit, ſed nomen Jeſu utramque Naturam complectitur. Gal. d. l. 4. Quidam volunt nomen Ieſchua affinitatem quandam habere cum voce יֵשׁ quæ *exiſtentiam & ſubſiſtentiam* ſignificat, quia Chriſtus in duabus Naturis divina & humana unam conſtituit ſubſiſtentiam, hypoſtaſin ac perſonam indiſſolubilem. Sed hæc qualiſcunque alluſio non eſt vera *etymologia*, ſed ea quam tradit Angelus. 5. Quidam nomen Græcum Ἰησοῦς ab *ἰάω* ſano vel à Syro אָסָא ſano deducunt, ut Ἰησοῦς ſit idem quod ἰατρὸς. Euſebius hæreſ. 29. *Ieſus aut Hebraica lingua curator appellatur aut Medicus & Salvator.* Idem facit Baſil. in aſcet. Cyrill. catech. 10. ſed oſtendit Angelus apud Matthæum, ex ישע originem quærendam eſſe.

8. Quæritur h. l. *An nomen Ieſu rectè ſcribatur per aſpirationem Ihesus?* Solenne hoc eſt Jeſuitis, unde etiam per abbreviationem in frontiſpiciis librorum ponere ſolent IHS cum ſuperpoſita cruce. Buntingus parum referre putat, ſive cum ſive ſine aſpiratione ſcribatur. Atqui 1. nec in Hebræa nec in Græca lingua habetur litera ſive aſpiratio H. proinde etiam in Latina vocis formatione addi non debebat. 2. Quamvis יֵשׁוּעַ videri poſſit eſſe contractum ex יְהוֹשֻׁעַ ſcheva mutato in ·· propter literas ה & ו per craſin eliſos (quia formatur ex Hiphil הוֹשִׁיעַ & quia filius ille Joſedec qui apud Haggæum & Zachariam יְהוֹשֻׁעַ vocatur, alibi יֵשׁוּעַ dicitur Eſdr. 2. verſ. 2. Nehem. 7. verſic. 7. ac יְהוֹשֻׁעַ filius Nun appellatur יֵשׁוּעַ Nehem. 18. verſic. 17.) conſtat tamen ex Syriaca Nov. Teſtamen. verſione nomen Salvatoris non ſcribi per יְהוֹשֻׁעַ ſed יֵשׁוּעַ ac ſi vel maxime in Hebræo eſt הְ tamen Latinum ex Græco Ἰησοῦς formatum non deberet habere aſpirationem יֵשׁוּעַ per ſcheva immediatè à radice ישע formatur, ſicut à קָדַשׁ קְדֹשׁ auceps à מָשַׁח מָשִׁיחַ unctus, vel à futuro יוֹשִׁיעַ ſalvabit. 3. Pagninus in expoſitione nominum Hebræorum monet Ieſu ſcribendum eſſe per ישוע non autem per יהושע quia in titulo crucis, qui Romæ in templo ſanctæ crucis aſſervatur, ſic ſcriptum reperiatur. Quamvis verò hoc argumentum exigui apud nos ponderis ſit, Jeſuitis tamen rectè opponitur.

9. Q. 2. *Quomodo ex Hebreo יֵשׁוּעַ formetur Græcum Ἰησοῦς & Latinū Ieſus?* LXX. Interpp. nomen יהושע & ישוע vertunt per Ἰησοῦς, quos ſecutus eſt Angelus, quando Salvatori noſtro illud nomen tribuit, ut figuras Vet. Teſtam. in ipſo impleri oſtenderet, interim ne mutatio ſcriptionis ac pronunciationis veræ hujus nominis ſignificationi quippiam detraheret, diſertè explicationem addit, quod à rad. ישע in Hiphil deducatur & Salvatorem notet, Quæritur autem quomodo ex יֵשׁוּעַ formetur nomen Ἰησοῦς ex quo Latini acceperunt nomen *Ieſu*. Quidam hanc ſcriptionem & pronunciationem planè repudiandam cenſent, cùm originem ducat ex corruptela Judæorum, qui ut ſalvandi honorem Chriſto detrahant literam radicalem ע ex ipſius nomine eliſerunt & loco ישוע ſcribunt ישו ut virulentam illam blaſphemiam, de qua ſuperiùs, occultent. Sed ante natam illam blaſphemiam Judaicam LXX. ſcripſerunt Ἰησοῦς, in quo itidem ע eſt eliſum. Quidam ergo reſpondent, quod juxta Baal Aruch in Lexico Thalmudico Syris in more poſitum ſit elidere literas ה & ע præſertim in fine dictionis, quia ob difficultatem litera ע non pronunciari ſed abſorberi ſolet, unde pro ישוע legunt ישו ex quo eſt nomen Ἰησοῦ cui additum fuit ς. quia Græci nominibus peregrinis illud in fine ſolent addere, ſed quia præſtat ex Hebræo, quam ex Syro originem quærere. Alii progrediuntur hoc modo, nomen Ἰησοῦς Græcis eſt triſyllabum eò quod jota apud illos ſit vocalis, quæ Hebræis & Latinis eſt conſonans, deinde punctum zere ſub Jod in Jeſchua vertunt in η olim enim η ſonabat ut e ac tertiò gutturalem ע vertunt in ς lenioris pronunciationis cauſa. Sic ex Meſchia fecerunt Meſſias.

10. Q. 3. *An nomen Salvatoris etiam in V. Teſt. Meſſiæ fuerit attributum?* Quidam volunt non ſolùm *Iudæis & Prophetis* ſed etiam gentilibus nomen Ieſu fuiſſe cognitum, cùm *Sibyllæ* multa de Meſſia & eius nomine Ieſu prædixerint. Notum eſt carmen Sibyllæ Erythrææ, cuius acroſtichis hanc reddidit ſententiam. Ἰησοῦς χρειστὸς θεοῦ υἱὸς σωτὴρ. Vide Conſtantin. Magn. in orat. ad cœtum Sanctorum, quæ extat apud Euſeb. poſt vitam Conſtant. Auguſt. lib. 18. de civit. Dei cap. 23. &c. Quidam contra ſtatuunt, ab Angelo in Nov. Teſt. illud primùm fuiſſe revelatum, quò accommodant dictum Propheticum Eſa. 62. verſ. 3. Vocabitur ſibi nomen novum quod os Domini declarabit. Sed propriè ac principaliter de Eccleſia Nov. Teſt. ibi agitur. Quidam mediam amplectuntur ſententiam, fuiſſe ſc: hoc Meſſiæ nomen piis non quidem gentilibus, interim tamen piis Vet. Teſt. manifeſtatum. 1. *in typis*, quia Ioſua filius *Nun* Dux populi Iſraelitici, ac filius Ioſedec Sacerdos, qui typum Chriſti geſſerunt, hoc nomine fuêre appellati, ut poſtea apparebit 2. *in promiſſionibus ac vaticiniis*. Gen. 49. verſ. 18 *Expecto Domine* לִישׁוּעָתְךָ *ſalutem tuam*, id eſt, ſalutare illud tuum, quod *parabis ante faciem omnium populorum* ut Simeon Luc. 2. verſ. 30. & 31. exponit. Pſalm. 14. verſ. 7. *Quis dabit ex Sion* יְשׁוּעַת *ſalutem Iſrael* Pſal. 67. v. 3. *ut ſciamus in terra viam tuam in omnibus gentibus* יְשׁוּעָתֶךָ *ſalutare tuum.*

Pſal.

Pſ.68.verſ.21. *Deus noſter Deus ſalvos faciendi* in quē locum ſic comentatur Aug.lib.17.de civ. Dei cap.18. *Deus ſalvos faciendi Deus eſt Ieſus, quod interpretatur Salvator, ſive ſalutaris. Nam ratio nominis hujus hæc reddita eſt, quando priusquam ex virgine naſceretur, dictum eſt, Vocabis nomen ejus Ieſu, quia ſalvum faciet populum à peccatis eorum, in quorum peccatorum remiſſionem, quoniam ſanguis ejus effuſus eſt, non utiq; oportuit eum de hac vita exitus alios habere quàm mortis. Ideò cùm dictum eſſet, Deus noſter Deus ſalvos faciendi continuò ſubjunctum eſt, & Domini exitus mortis, ut oſtenderetur moriendo ſalvos eſſe facturus.* Pſal. 98. v.2. *Dominus annunciat ſalutem ſuam v.4. omnes fines terræ vident ſalutare Dei* (hoc repetitur Eſ.52. v.10. ad Chriſtum refertur Luc.3.v.6.) Eſai. 45. verſic.8. *aperiat ſe terra & fructificent* יֶשַׁע *ſalus & juſtitia.* Eſa.49.v.6. *dedi te in lucem gentium ut ſis* יְשׁוּעָתִי *ſalus mea usq; ad extremum terræ.* Eſ. 62. v. 11. *Dicite filiæ Sion ecce venit ſalutifera*: Confer Matth.21.v.1. Apoc.22.v.1. Oſeæ. 1. v.7. *ſalvos eos faciam in Domino Deo ſuo.* Habac.3.verſic. 18. *lætabor in Deo* יִשְׁעִי *ſalutari meo.* Diſtinguimus. 1. *inter rem* nomine expreſſam & *nomen ipſum* formaliter acceptum. Res nomine Ieſu denotata fuit piis Vet. Teſt. nota, id eſt, Meſſiam reverà Salvatorem fore crediderunt & ſalutem ab eo ſperarunt, ſed formaliter ac peculiariter nomine ישוע ipſum appellandum eſſe, non adeo exactè noverunt. Sic Meſſiam crediderunt vocatum iri, id eſt, in rei veritate fore *Immanuelem* Eſa.7.verſic. 14. *mirabilem, conſiliarium, &c.* cap.9.v.6. *Jehovam juſtitiam noſtram* Ierem.23.v.6. Sed proprium Meſſiæ nomen ex eo intelligere non potuerunt. 2. inter nomen *proprium & appellativum.* יֵשַׁע habens ſub ' zere & ſub ע patach eſt nomen proprium, ſed יְשׁוּעָה ſub ' habens ſcheva & ſub ע cametz eſt appellativum generis fœminini ſignificans ſalutem & liberationem. Illud non fuit piis Vet. Teſtam. eo modo notum, quo poſterius. Ex apocryphis libris addunt teſtimonium Eſdræ lib. 4. cap. 3. *revelabitur Filius meus* ישוע *Jeſus cum iis, qui cum eo lætabuntur.* Item, *morietur filius meus Jeſus & convertetur ad me ſecnlum.* Sirac.43.verſic.25. *Plantavit illum Dominus Jeſus.* Sed apocryphis illud ipſum autoritatem detrahit, quod iam clarè & perſpicuè nomen Ieſu exprimunt, quale quid in Prophetis non occurrit. Adde quod apud Siracidem errore librarii pro νῆσος ſcriptum fuerit ἰησοῦς. In Græco enim eſt καὶ ἐφύτευσεν ἐν αὐτῷ vel ἐν αὐτῇ νήσους. Novum ergo eſt nomen Ieſu 1. *ratione peculiaris impoſitionis*, quia ab Angelo fuit noſtro Salvatori impoſitum & è cœleſti curia in terras delatum. 2. *ratione clarioris patefactionis*, quia vis hujus nominis plenius ac penitius in Nov. Teſt. innotuit. 3. *ratione ſignificationis*, quià talis Salvator, qualis Chriſtus eſt, nondum fuerat in V.T. neque alius in N.T. erit.

11. Q. 4. *Quare Meſſias Zach.9.v.9. dicatur non* יֹשֵׁעַ *in ſignificatione activa ſed* נוֹשָׁע *in ſignificatione paſſiva, ſalvatus.* Reſp. Targum exponit *activè* וּפָרִיק *& liberator, ſive redemtor.* Schindl. in Lex. eodem modo explicat ac confert cum voce מוֹשִׁיעַ Deut. 22. verſic.27. *& non liberator es*, qua ratione נ erit formativa nominis ex literis heæmanthi. Sed cùm tales formationes nominum vix occurrant, ideò ſimplicius accipitur, quod ſit Paul Niphal ac commodam præbet ſignificationem. Chriſtus non ſolum eſt *Salvator*, ſed etiam ipſe eſt *Salvatus*, id eſt, quia paſſione & morte ſuâ nos redimere voluit & in profundum miſeriæ noſtræ deſcendit, ideò ipſum priùs ſalvari oportuit, ut ſalvatus ipſe etiam nos ſalvare poſſet. Eſa.63.verſ.5. *Circumſpexi & non erat auxiliator, fui in anxietate & non fuit qui adjuvaret* (ſc: in homines) *& ſalvavit me brachium meū* (robur divinitatis meæ) *& indignatio ſive zelus meus ipſe auxiliatus eſt mihi.* Quidam putant ipſum nomen ישוע habere formam participii paſſivi & ſignificari non Salvatorem ſed ſalvatum. Atqui non eſt Paul cal. ſed Thoar, ut Ioſua vel ex futuro יוֹשִׁיעַ vel ex nomine יְשׁוּעָה ſalus formatum.

12. *Vſus practicus* eſt *conſolatorius*, quem ſuaviſſimis verbis exponunt pii veteres. Cùm enim hoc nomen non humano arbitrio ſed divino mādato Meſſiæ fuerit impoſitum, cùm ſit nomen ejus proprium ac peculiare, cùm omnium beneficiorum à Chriſto ad nos deſcendentium theſaurum complectatur, ideò omnis veræ ac ſolidæ conſolationis fundamentum in hoc nomine nobis proponitur. Gal.lib.3.cap.20. *Reliqua Meſſiæ nomina ab ipſius ſalvationis ſumuntur effectu & vel tantum principium vel tantum medium vel tantum finem ſalvationis ſignificant, hoc verò nomen Jeſu totum ſalutis noſtræ proceſſum, principium ſcil. medium & finem ſufficienter continet & exprimit, quare reliqua omnia includit.* Nomen Ieſus eſt monile ex variis gemmis & margaritis contextum, quod cœleſtis Sponſus ſponſæ ſuæ donat, in quo effigiem ſuam ad vivum ipſemet expreſſit. Nomen Ieſus eſt *mel in ore, in aure melos, in corde jubilus, lucet prædicatum, paſcit cogitatum, lenit invocatum.* Bern. ſerm.15. in Cant. fol.532. Nomen Ieſus eſt cordis noſtri Paradiſus, in quo intuemur florē caritatis, roſā humanitatis, violā humilitatis, liliū puritatis, hyſſopū emundationis, myrrham incorruptibilitatis, palmam victoriæ, oleam miſericordiæ, vitem lætitiæ, balſamum ſanationis. In hoc animæ noſtræ Paradiſo vides arborem vitæ, virgam Aaronis, ſurculum ex radice Ieſſæ, germen Davidis, vitem vivam, faſciculum myrrhæ, florem campi & lilium convallium, fontem ſalutis & vitæ, quicquid enim in hiſce figuris proponitur, illud omne in nomine Ieſu ὑποτυπωτικῶς continetur. Hilar in enarr. Pſalm. 51. *Hoc nomen adorant Angeli, tremunt Dæmones & homines ad ſalutem aſſumunt.* Epiph. hæreſ. 29. p. 53. *Nomen Jeſu ſignificat curatorem & Medicum.* Bernhard. ſerm.2. ſuper Miſſus eſt col. 27. *Utinam & me peccatorem Dominus Jeſus dignetur annumerare populo ſuo, ut ſalvum me faciat à peccatis meis. Verè enim beatus populus, cujus iſte Jeſus Dominus Deus Jeſus, &c.* Idem ſerm. 2. de circum. col.64. *A Natur. 1 propria habet ut ſit Salvator, innatum eſt ei hoc nomen non inditum ab humana vel Angelica creatura.* ſerm.15. in Cant. col. 532. *Nomen Jeſu eſt cibus, lux & medicina. Hoc tibi electuarium habes ô anima mea reconditum in vaſculo hujus vocabuli, quod eſt Jeſus ſalutiferum certè, quodq; nulli unquam peſti tua invenitur inefficax.* ſerm. de cœna Domini col. 1710. *Jeſus dulcis in voce, dulcis in facie, dulcis in nomine. Dulce enim nomen & ſuave Jeſus conſecratum ab æterno, annunciatum ab Angelo, Prophetatum Salomonis oraculo, qui ait: Oleum effuſum nomen tuum, &c.* Anſhelm. de miſ. hominis

p. 89. ex Auguſtin. lib. de contrit. cord. *Jeſu propter nomen tuum dulce fac mihi ſecundum nomen tuum, obliviſcere ſuperbum te provocantem, reſpice piè miſerum te invocantem, Ieſu nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem & nomen beatæ ſpei. Quid enim eſt Ieſus niſi Salvator? ergo propter temetipſum Jeſu eſto mihi Jeſus, eſto mihi Salvator benignus. Noli Domine noli ſic attendere malum meum ut obliviſcaris bonum tuũ. O bone Domine Jeſu, etſi ego admiſi unde me damnare poſſis, tu non amiſiſti unde me ſalves* Pſalm. 35. verſic. 3. Dic animæ meæ יְשֻׁעָתֵךְ ſalus tua ego. Si indiges peccatorum remiſſione, hoc nomen ipſi propterea datum, quia ſalvum faciet populum à peccatis Matth. 1. verſic. 21. Si defenſione, hoc nomen eſt turris fortiſſima Proverb. 18. verſic. 10. ſi juſtitia, eadem datur in hoc nomine Ierem. 23. verſic. 6. ſi Spiritu S. idem datur per hoc nomen. Iohan. 14. verſic. 26. Si ſalute, in eo eſt ſalus. Act. 4. v. 12.

13. Theſis 2. *Chriſtus ſignificat unctum à χρίω quia Salvator noſter oleo lætitiæ plenitudine ſcilicet S. ſancti unctus eſt.* ἐκθεσις hæc eſto. Ut *nomen Jeſus* ratione primæ originis Hebræum eſt, ita *cognomẽ Chriſtus* eſt Græcum. Quod ergo Salvator noſter Hebræâ & Græcâ appellatione inſignitur, per illud inſinuatur, quod & *Judæorum & gẽtium*, id eſt, omnium omnino hominum Salvator ſit. Nomen Chriſti reſpondet appellationi Meſſiæ, ductæ à rad. מָשַׁח unxit Joh. 1. v. 42. dicit Andreas. *Invenimus Meſſiam, quod eſt interpretatum ὁ χριστός.* Iohan. 4. verſic. 25. Meſſias dicitur Chriſtus (Μεσσίας fit ex Chald. מְשִׁיחָא mutato ש in σσ & ח in terminationem Græcam *αι.*) Tribuitur autem appellatio Meſſiæ Dei Filio promiſſo Salvatori. 1. Samuel. 2. verſic. 10. *cornu Meſſiæ.* Pſalm. 2. v. 2. *aſtiterunt adverſus Dominum & Chriſtum ejus.* Pſal. 132. v. 10. & 17. Daniel. 9. v. 25. *uſq; ad Meſſiam Ducem v. 26. excindetur Meſſias* & in multis Chaldaicæ paraphraſeos locis. Gen. 49. v. 10. *donec veniat Meſſias.* Eſai. 53. v. 1. *Ecce intelliget ſervus meus Meſſias.* Mich. 5. v. 2. *ex te coram me egredietur Meſſias, &c.* Auguſt. lib. 2. contra literas Petiliani cap. 104. *Chriſtus à chriſmate appellatur, id eſt, ab unctione. Hunc Hebræi dicunt Meſſiam, quod verbum Punicæ linguæ conſonum eſt, ſicut alia Hebræa permulta & pene omnia.* tract. 7. in Joh. *Meſſias Hebraicè, Latinè unctus, Græcè Chriſtus eſt. Ille ſingulariter unctus, præcipuè unctus, unde omnes Chriſtiani unguntur.*

14. Ratio appellationis eſt 1. *typica*, quia typi Chriſti fuerunt Sacerdotes, Reges & Prophetæ Vet. Teſt. qui uncti fuêre *oleo ſancto* quod vocabatur שֶׁמֶן הַמִּשְׁחָה & conſtabat quatuor aromatibus *myrrhâ, cinamomo, calamo & caſiâ.* Quod *Sacerdotes* uncti fuerint conſtat ex Hiſtoria Exod. 26. quod *Reges*, ex Hiſtoria Saulis, Davidis, Salomonis, Iehu, &c. (Hebræi notant, patris uncti ſucceſſores non fuiſſe unctos. Ad exemplum Salomonis reſpondent id factum fuiſſe ob ſeditionem fratris Adoniæ. Sed hoc incertum eſt) quod Prophetæ, ex Hiſtoria Eliſæi 1. Reg. 19. verſic. 17. Iuſtin. in Dial cum Tryph. p. 244. *Reges omnes & uncti hujus accepto tulerunt, quod & Reges & uncti vocitati ſunt.* Lact. lib. 4. Inſt. div. cap. 7. p. 202. *Chriſtus non proprium nomẽ eſt ſed nuncupatio poteſtatis & regni, ſic enim Judæi Reges ſuos appellabant. Erat Iudæis ante præceptum, ut ſacrum conficerent unguentum, quo perungi poſſent ij, qui vocantur ad Sacerdotium & regnum, & ſicut nunc Romanis indumentum purpuræ inſigne eſt Regiæ dignitatis aſſumtæ, ſic illis unctio ſacri unguenti nomen ac poteſtatem regiam conferebat, ob hanc rationem nos cum Chriſtum nominamus, id eſt, unctum, qui Hebraicè Meſſias dicitur.* 2. *propria*, quia Chriſtus *oleo lætitiæ*, id eſt, Spiritu ſancto *unctus fuit præ conſortibus ſuis* Pſalm. 45. verſic. 8. Eſai. 61. v. 1. Dan. 9. verſic. 24. Luc. 4. v. 18. Actor. 4. v. 27. Actor. 10. v. 38. Hebr. 1. v. 9. (Quidam duplicem unctionis rationem in Chriſto ſtatuunt. Unam quâ λόγος ipſe humanam Naturam aſſumendo eandem proprii ſui Spiritus plenitudine unxit Col. 2. verſic. 9. de qua accipiunt vaticinium Daniel. 9. verſic. 24. alterâ, quâ Deus Pater Chriſtum ut hominem *unxit oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, de qua accipiunt dicta Pſalm. 45. v. 8. Eſa. 61. verſic. 1. Sed eſt una atque eadem unctio, quâ Pater Chriſtum ſecundùm humanam Naturã unxit S. S. & qua Chriſtus carnem ſuam oleo Deitatis & proprii Spiritus plenitudine unxit, ſicut una eademque eſt communicatio, quâ Pater dicitur Filium ſecundùm hum. Nat. collocaſſe ad dextram ſuam & qua Filius aſſumtam carnem ad dextram DEI evexit. Quamvis enim non Pater, non Spiritus S. ſed ſolus λόγος carnem in perſonæ unitatem aſſumſerit, ſicque terminus aſſumtionis non ſit Patris vel S. S. ſed λόγου perſona tamen trium perſonarum eſt una eademque actio.) Ex quo apparet evidens diſcrimen inter unctionem Regum, Sacerdotum & Prophetarum Vet. Teſt. & inter unctionem Chriſti. 1. *ratione cauſſæ efficientis* Illi ungebantur mediatè per Prophetas & Sacerdotes alios, hic verò immediatè à Deo ipſo. 2. *ratione materiæ.* Illi ungebantur oleo externo, hic verò interno & inviſibili, quod eſt *S. S. 3. ratione finis.* Illi ungebantur ad regnum terrenum & mundanum, hic ad cœleſte & æternum. 4. *ratione effectus.* Unctio Chriſti nobis etiam utilitatem confert, quia ab illo tanquam capite Spiritus unctio in nos utpote ipſius membra deſcendit & *ex ejus plenitudine etiam nos accipimus* Joh. 1. v. 16. id quod de Regibus & Sacerdotibus V. T. dici nequit Athanaſ. orat. 2. contr. Arian. p. 171. *Non quemadmodum Aarõ aut David aut reliqui omnes ita quoq; & ipſe oleo unctus eſt, ſed aliter ſuper omnes cõſortes, quod oleum S. S. eſſe per Prophetam expoſuit. Spiritus Domini ſuper me, eò quod unxit me.*

15. Antitheſis 1. Iuſtinus Martyr Apol. 2. pro Chriſt. p. 42. nomẽ Chriſti à χρίομαι deducere videtur. *Chriſtiani* (inquit) *eſſe deferimur. Atqui χρηστὸν, id eſt, commodum & bonum odiſſe, injuſtum eſt.* Rectè autem monet Sylburgius eſſe *etymologiam duntaxat alluſivam*, quia Juſtinus alludit ad vulgatam eo tempore conſuetudinem, quia Chriſtus ignoratâ nominis ratione vocabatur *Chreſtus.* Lactant. d. l. *Exponenda eſt hujus nominis ratio propter ignorantiam eorum, qui eum immutatâ litera Chreſtum ſolent dicere.* 2. Eodem modo accipiendum quod idem Iuſtinus cap. 1. pro Chriſt. p. 35. ſcribit χριστὸν dici κατὰ τὸ κεχρῖσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν θεὸν, eò quod *per illum Deus omnia conformaverit atque ornaverit* ibidemque addit hoc nomen complecti *ἄγνωστον σημασίαν ſignificationem minimè notam.* Sed cùm appellationis ratio ſit manifeſta & in ſacris literis expoſita, ideò fruſtrà alia ex longinquo quæritur. Auguſt. lib. 17. de civ. Dei cap. 16. *Quis tam*

rudis

rudis eſt in hac religione vel tam ſurdus adverſus ejus famam longe lateq; diffuſam, ut Chriſtũ à chriſmate, hoc eſt, ab unctione appellatum eſſe noverit? Confer eundem lib.1. de conſ. Evang. cap.3. lib.1. retract. cap.12. & cap.26. Cyrill. lib.1. de incarn. unig. cap.1. &c.

16. Q.h.l. *An etiam Filius Dei in V.T. ante incarnationem rectè vocari potuerit Chriſtus?* Quidam negant 1. quia in plenitudine temporis poſt factam ſc. incarnationem hæc unctio ipſi obtigit Dã.9.v.24. *Septuaginta hebdomades definita ſunt, ut ungatur unctus ſanctorum.* 2. quia hoc nomen utramque Naturam ungentem ſcil. Deitatem & unctam humanitatem complectitur. Iren. libr. 3. cap.20.p.209. *In Chriſti nomine ſubauditur qui unxit & ipſe qui unctus eſt & ipſa unctio in qua unctus eſt. Et unxit quidem Pater, unctus verò eſt Filius in Spiritu ſancto, qui eſt unctio.* Athanaſ. orat. 5. contra Arianos p. 321. χριστὸς τὸ συναμφότερον νοεῖται. Damaſc. lib.3. orthod. fid. cap. 3. τὸ χριστὸς ὄνομα τῆς ὑποστάσεως λέγομεν οὐ μονοτρόπως μὲν, ἀλλὰ τῶν δύο φύσεων ὑπάρχον σημαντικὸν, αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἔχρισεν, χρίων μὲν ὡς θεὸς, ὃς ἔχρισε τὸ σῶμα τῇ θεότητι αὐτοῦ, χριόμενος δὲ ὡς ἄνθρωπος, αὐτὸς γὰρ ἐστι τοῦτο, κἀκεῖνο, χρίσις δὲ ἡ θεότης τῆς ἀνθρωπότητος. Athanaſ. de ſalut. adv. Chriſti p.494. *Non hoc nomen Chriſtus abſq; carne intelligatur.* Confer. Origen. lib.4. περὶ ἀρχῶν, Hilarium libr. 11. de Trinit. Ambroſ. in cap.1. Hebr. Auguſt. in Pſ. 44. & tract. 7. in Ioſ. Euſtachium apud Theod. Dial. 1. Damaſc. lib.3. cap.4. & lib.4. cap.6. &c. Quare cùm in Veteri T. humana Chriſti Natura nondum extiterit, utique etiam unctio nondum locum habuit & per conſeq. nec Chriſtus dici potuit. Sed enim quamvis humana Natura, juxta quam Chriſtus in temporis plenitudine unctus eſt, in V. T. nondum extiterit, nihilo tamen minus Salvator noſter etiam V.T. tempore & verè fuit ac dici etiam potuit Chriſtus, unde etiam ante incarnationem hoc nomen Filio Dei tribuitur 1. Cor. 10. v.9. Eph.1. v.4. Hebr.13. v.8. 1. propter perſonæ ταυτότητα. Non enim alius eſt Dei Filius in V. alius verò Chriſtus in N. T. ſed una eademque perſona, quæ per aſſumtionem humanitatis in N. T. facta eſt σύνθετος, interim perſonæ identitas mãſit. Joh.8, v.58. 2. propter decretum Dei jam inde ab æterno factum de Salvatoris unctione. Ut ergo agnus dicitur *occiſus ab origine mundi* Apoc.13. v. 8. ratione ſc. æterni decreti 1. Petr.1. v.20. ita quoque Salvator noſter eſt ac dici poteſt Chriſtus ratione decreti divini. 3. propter vaticinia de unctione Meſſiæ in V.T. edita. Dan.9. v.25. 4. propter figuras ac typos hujus unctionis in Regibus, Prophetis ac Sacerdotibus V.T. antegreſſos 5. propter efficaciam hujus unctionis, quia non ſolùm in N. ſed etiam in V.T. propter Chriſtum plenitudine Spiritus ſanct. unctum donatio Spiritus ſancti credentibus contingit. 6. propter connotatum ſive terminum. Unctus eſt Chriſtus in N. T. ut ſit noſter Rex & Sacerdos. Atqui jamdum in V.T. ſecundum div. Nat. fuit Mediator, Rex & Sacerdos Eccleſiæ. Ut ergo מָשַׁח μετωνυμικῶς ſignificat Regem vel Sacerdotem conſtituere, quia unctio ſacri unguenti poteſtatem regiam ac dignitatem Sacerdotalem conferebat: ſic Chriſtus etiam in V.T. fuit unctus, id eſt, jamdum cõſtitutus Rex Eccleſiæ ſuæ. Quidam ergo utũtur hac diſtinctione. Nomẽ Chriſtus accipitur dupliciter 1. prout eſt nomẽ officij regii & Sacerdotalis, quod eſt utriq; Naturæ cõmune. 2. ut eſt nomen officii cum cõnotatione temporalis inveſtituræ & inaugurationis factę per S.S. unctionem, quâ ratione ſuppoſitũ quidem notat, ſed tamen ſecundum humanã Naturã.

17. *Uſus practicus. 1. conſolatorius.* Salvator noſter eſt Chriſtus plenitudine *S.S.* unctus, ut ſit Rex & Sacerdos noſter, unde vocatur ipſum oleum Eſ. 10. v.27. *diſturbabitur jugum propter oleum, quia eum unxit Iehovah Spiritu ſuo*, ut interpretatur Ionathan Chaldæus. *Ex ipſius ergo plenitudine accipere* poſſumus Ioh.1. v.16. Divinitus cõſtitutus eſt Rex noſter Pſ.2. v.6. Ergo ſubditos regni ſui cõtra omnes hoſtes proteget ac defendet. Unctus eſt in Sacerdotem, ergo in dextra Patris pro nobis intercedet. Juſtin. in qq. & reſp. q.135. p.374. *Chriſti vocabulum omnes in ſe reliquas appellationes complectitur, quamvis nõ ſemper omnib. utamur. Quod ſi n. Ieſus Nazarenus eſt promiſſus Meſſias, utiq; ab ipſo ad nos omnia illa beneficia, quæ per Meſſiam nobis conferenda in V.T. fuere prædicta deſcendunt.* 2. *exhortatorius.* A Meſſia dicimur משיחים *Meſſiani* uncti 1. Paral.17,22. Pſ.105,15. à Chriſto denominamur *Chriſtiani* Act.11. v.26. quia & nos *unctionẽ ab eo accepimus* 1. Ioh.2. v.27. 2. Cor.2. v.21. Iuſt. in Dial. cum Tryph. p.276. *Quemadmodum ab uno illo Iacobo, qui & Iſrael cognominatus eſt, genus veſtrum omne Iacob & Iſrael vocatum eſt: ita & nos ab eo qui in Deum nos genuit, Chriſto filii Dei veri & dicimur & ſumus*, ergo ut unctos & conſecratos Domino nos geramus, nihil quicquam immũdi tangentes nec operibus mortuis peccatorum communicantes. Sumus à Chriſto uncti *in Reges ac Sacerdotes* ſpirituales Apoc.1. v. 6. ſumus *regale Sacerdotium* 1. Petr.2. v.9. ergo ut *Reges* fortiter pugnemus adverſus Satanam, mundum & carnẽ; ut *Sacerdotes* offeramus. *Deo hoſtias ſpirituales acceptas per Chriſtũ.* Rom.12. v.1. 1. Petr.2. v.5. &c.

Cap. II.

De ὁμωνυμίᾳ.

18. Theſis 1. *Nomen Ieſu cum cognatis appellationib. tribuitur in V.T. etiã aliis hominibus*, ſed in ſignificatione *longè diſpari, quam eſt ea, quâ Salvatori noſtro, aſſignatur.* Cognatas appellationes voco, quæ ab eadem radice ישע deſcendunt. Tales verò ſunt *Ioſua, Hoſeas, Ieſchua, Eſaias.* Nomen Ioſuæ Hebr. יְהוֹשֻׁעַ & per contractionem יֵשׁוּעַ tribuitur. 1. *filio Nun* Moſis ſervo & ſucceſſori, populi Iſraëlitici Duci. Is primò dictus fuit הוֹשֵׁעַ Hoſeas ab imperativo הוֹשַׁע quod nomen fuit quaſi votum & precatio, ut Deus ſalvet, ſed cùm Deus promiſiſſet, quod per hunc ipſum filium Nun præſtiturus eſſet Iſraëlitis temporalem & typicam ſalutem, Moſes nomen ejus mutavit in יְהוֹשֻׁעַ Num. 13. v.17. vel à præterito הוֹשִׁיעַ vel à futuro יוֹשִׁיעַ mutato ' in ו 2. *Bethſemita*, in cujus agro ſteterũt vaccæ adducentes plauſtrum, in quo erat arca Domini 1. Sam.6. v.14. vocatur is יְהוֹשֻׁעַ 3. *Principi civitatis* Hieroſolymæ temporibus Ioſiæ Regis 2. Reg.23. v.8. qui itidem vocatur יְהוֹשֻׁעַ 4. *Summo Sacerdoti* filio Ioſedec, qui poſt reditum ex captivitate Babylonica Sacerdotio functus eſt. Hag.2. v.5. Zach.3. v.1. *Oſtendit mihi* יְהוֹשֻׁעַ *Sacerdotem magnũ.* Hoſeas dictus fuit. 1. *Servus Moſis*, antequã nomẽ ejus à Moſe mutaretur in Ioſuã. 2. *unus ex Prophetis* filius Beeri. Hoſ.1. v.1. Ieſchua יֵשׁוּעַ vocatur unus ex janitoribus, qui fuerũt in miniſterio

2. ὁμωνυμίᾳ.

Core Levitæ 2.Paral.31.v.15. unus ex Sacerdotibus Leviticis, qui cum Zerubabel venerunt Hieroſolymam. Nehem.7.v.7.& 43.cap.8.v.7.itemque unus ex filiis Pachath Neh.7.v.11. Idem contractum יֵשׁוּעַ tribuitur Sacerdoti filio Joſedec Eſdr.2.v.2.cap.3.v.2.Nehem.7.v.7. Eſaias יְשַׁעְיָהוּ eſt *unus ex Prophetis*, filius Amoz Prophetæ, qui fuit frater Amaziæ Regis à Manaſſe interfectus, Eſ.1.v.1.ſic dictus eſt ob יְשׁוּעוֹת ſalutes & conſolationes, de quibus concionatus eſt. Quidam addunt nomen יִשְׁוִי vel יִשְׁוָה Gen.46.v.17. Num.26. v.44. ſed in eo non habetur ע radicalis. Græcum Ἰησοῦς tribuitur in verſione LXX.Interpp. 1. *Joſuæ* ſucceſſori Moſis Sirac.46.v.1.Act.7.v.45.Hebr. 4.v.8. 2.Ioſuæ *Sacerdoti magno* filio Ioſedec Sir. 49.v.14. 3.*autori libri Eccleſiaſtici*, qui fuit filius Sirach, nepos autem Ieſu ſibi ὁμωνύμου. In proœm. illius ſcripti.4.in N.T cuidam doctori Chriſtiano qui cognomento *Juſti* fuit appellatus Col.4.v.11. quique ex circumciſione, i.e. ex Iudaiſmo hoc nomen retinuerat.

19. Quamvis verò nomen יֵשׁוּעַ & Ἰησοῦς etiam aliis tribuatur, tamen non eodem modo ac ſenſu tribuitur illis, quo Chriſto. 1. Chriſto tribuitur nõ tantum ἀρχικῶς καὶ ἐξαιρέτως, ſed planè μονοτρόπως, ipſe enim eſt unicus humani generis Salvator in quo ſolo vera ſalus nobis propoſita. Matth.1.v. 21. Actor.4.v.12.c.10.v.43. reliquis ob corporalem quandam ſalutem quam populo præſtiterunt vel in memoriam ſalutis à majoribus ipſorũ præſtitæ vel etiam boni ominis duntaxat ac ſperatæ ſalutis causâ nomen illud ſortiti fuerunt. 2. Qui in V.T. Salvatores dicti, illi omnes fuerunt tantum typi unici illius Salvatoris in N.T. mittendi. Ut enim Ioſua Moſis miniſter & ſucceſſor populum Iſraëliticum in terram promiſſam introduxit, quod Moſes præſtare non poterat, ſic Chriſtus in vitam æternam per regionem Canaan præfiguratam non introducit. quod lex præſtare non poterat. Ioh.1.verſic.17. Sicut arca Domini ſubſtitit in agro Ioſuæ Bethſemitæ, ſic Chriſtus eſt vera illa ſalutis arca, unicum *propitiatorium*, Rom.3.v.25. cujus typus fuit arca fœderis in tabernaculo. Sicut Ioſua filius Ioſedec reparationi templi poſt captivitatem Babylonicam præfuit, ſic Chriſtus eſt ſpiritualis templi in Nov.Teſt. reparator & architectus. Zach.6.v.12. Sicut Ieſus Sirach fuit doctor ſapientiſſimus ac celeberrimus ſui temporis, ſic Chriſtus cœleſti ſuâ ſapientiâ & doctrinâ mundum illuminavit. Bern.homil.3. ſuper Miſſus eſt col.27. *Duos Jeſus legum typo hujus* (Ieſu Nazareni) *præceſſiſſe, ambos populis præfuiſſe, quorum unus populum ſuum de Babylone eduxit, alter ſuum in terras promiſſionis introduxit.* Et illi quidem *illos, quibus præerant, ab hoſtibus defendebant, ſed nunquid ſalvabant à peccatis eorum? is autem noſter Jeſus & à peccatis ſalvat populum ſuum & introducit in terram viventium.* 3. Galatinus & qui ipſum ſequuntur Pagninus, Ianſenius in cap.7. Harm. diverſitatem derivationis quærunt. יֵשׁוּעַ inquiunt eſt nomen ſimplex derivatum à rad. יָשַׁע ſalvavit, ſed יְהוֹשֻׁעַ eſt compoſitum ex יהוה & שׁוּעַ quod ſalutem & felicitatem ſignificat. Item יֵשׁוּעַ idem ſignificat quod Salvator ſive ſalvatio ipſa יְהוֹשֻׁעַ verò redditur Deus ſalvabit ex Jehovah & יָשַׁע. Atqui 1. LXX. Ioſephus & Philo lib. de carit. Hebræum Ieſchua ſive Ioſua vertunt Ἰησοῦς. 2. Aggæus cap.1.v.1.12.14. & cap.2.verſ.3.5. Zacharias cap.3.v.1. Ieſum Pontificem filium Ioſedec, Chriſti typum, nominant Ieſchua, ſive Ieſum, qui ab Eſdra lib.1.cap.3.v.2.8.9.& cap.4.v.3. vocatur Ieboſchua ſive Ioſua. 3. utriusq; nominis in Hebræo eædem literæ & eadem radix יָשַׁע. Ergo ad nominis & etymologiæ diverſitatem non ſatis tutò recurritur.

20. Q.h.l. *An Ieſuitæ rectè faciant à Jeſu Salvatore ſeſe denominando?* Pontificii non modo Franciſcum vocant *Jeſum typicum* propter vulnera quinque, quæ ab Angelo ipſi fingunt impreſſa, ut Salvatoris noſtri typum perfectè exprimere poſſet, unde in libr. Conformitat. in proſa f. 194. ipſum hiſce compellant verbis. *Tu pro nobis ſemper pia, prode Chriſto ſtigmata, Franciſce Ieſu typice, Dux normaq́ Minorum, &c. ſed* etiam integrum ordinem novorum Monachorum à Salvatore Ieſu vocant *Societatum Ieſuitarum*. Nec ſolum nomen ſed etiam rem nomine denotatam aliis tribuunt, tum *obliquè* merita operum propugnando, tot enim Salvatores conſtituunt, quot ſanctis operum merita tribuũt, tum *directè*. Fingunt Franciſcum quinque illia vulnerum ſtigmatis ſervare à morte æterna vivos, qui à tempore illius uſque ad finem mũdi vixerunt, cui blaſphemiæ cùm Petrus Paulus Vergerius refutationem opponeret, Paulus 3. illud Vergerii ſcriptum damnavit. An. 1559. Sed & ante Ieſuitas quidam Monachi à Ieſu ſeſe denominari voluerunt. Platina commemorat circa annum 1326. ortos fuiſſe in Luſitania, qui ſe voluerunt nominari *milites Jeſu*. Circa annum 1366. *Jeſuatorum ordo* Senis originem cœpit, de quibus Sabellicus numerat, quod primò dicti fuerint *Apoſtolici*, poſtea v. *Jeſuati* ab eo quod Ieſu Regis ſummi nomen frequens fuerit in ore illorum. An. Domini 1410. quidam Bononienſis inſtituit *ordinem Servatoris*. Illorum veſtigiis inſiſtere voluerunt noſtri temporis Ieſuitæ, quorum ordo circa An. Chriſti 1555. à Paulo IV. fuit confirmatus, qui divinum hoc nomen propterea ſibi arrogârunt, propterea quod doctrinam & vitam Ieſu Chriſti omnium perfectiſſimè ſequerentur. In præf. Epi. Indic. vocant ſe *athletas novos, qui jam fatiſcenti laceræq́ fidei Chriſtianæ & Eccleſiæ laboranti ſuccurrerũt*. Bened. Arias Mont. in præfat. Bibl. Antverp. An. 1584. *ſibi ſoli ſapere, ſoli bene vivere, Jeſumq́ propius inſequi & comitari videntur, atq́ id palam profeſſi jactitant*. Sed hoc nomen eſt 1. *novum*. Perpetuò aliàs ipſis in ore eſt antiquitas Catholica, ſed hoc nomen nec antiquum eſt nec Catholicum. Perpetuò nos accuſant novitatis, ſed ipſi potius hujus criminis ſe obſtringunt reos novi nominis vendicatione. Doctrinæ & religioni veteri quomodo nova appellatio cõgruit? 2. *eſt ſchiſmaticum*. Omnes Chriſti diſcipuli jam indè à temporibus Apoſtolicæ prædicationis in Nov.T. uno *Chriſtianorum* nomine appellantur, ut unius myſtici corporis membra ſub uno capite Chriſto ſeſe eſſe ipſa nominis unitate admoneantur, quiaquis aliam denominationem adſciſcit, vinculum unitatis diſſolvit, 1.Cor.1.v.12. Ignat. Epiſt.6. ad Magneſ. *Simus digni cognomento hoc Chriſtiano) quod accepimus, qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non eſt Dei. Qui ſe Chriſtianum negat, negati ſimul Chriſti convincitur* c. Non ſolum, 11. q.3. ex Auguſtino. 3. *ſuperciliosum*. Eccur enim peculiari & proprio nomine à reliquis Chriſtianis ſejungi volunt? num ipſi ſoli ſunt Ieſu cultores ac diſcipuli? num ſolis ipſis à Ieſu promiſſa ac parata ſalus? num in ſalute hominibus confe-

ren-

Fenda ipſi ſoli ſunt Ieſu ſocii? Cur quod omnibus verè piis commune per quoddam ſacrilegium ſibi ſolis vendicant? Thuanus lib. 35. p. 735. *Ab eo tempore, quo Gulielmus Pratenſis Epiſcopus Claramontanus Scholam Claramontanam Luteriæ illis attribuit, Claramontana Schola ſodales ſuppreſſo Ieſuitarum ſuperbo & ambitioſo ut multis videbatur nomine, aliquandiu nominati fuerunt. 4. rei notata non convenit.* Tantùm enim à Ieſu Salvatore novelli hi Ieſuitæ diſtant, quantum ſummum cœlum ab infima terra. Sive enim doctrinam, ſive vitam, ſive fortunam Chriſti in his terris reſpirias, ubique apparebit maxima non ſolùm diverſitas & contrarietas. Chriſti doctrinam oppugnant, Pontificis autem Romani decreta & traditiones humanas defendunt; Chriſti humilitatem, manſuetudinem, patientiam, ſimplicitatem, &c. non imitantur, &c. Vide aſſertionem contra Ieſuitas cap. 7. & ſeqq. tom. 1. doctrinæ Ieſuit. p. 17. 1. edit. Rupell. An. 89 & Epigr. Anti-Ieſuiticum, quod incipit: *Presbyteri a ſocio gerstis qui nomina Ieſu, diſperéam ſi vos Ieſus amare poteſt 5. ab ipſis ſanioribus Pontificiis improbatum.* In conventu Poliaceno totius Gallicanæ Eccleſiæ nomine Anno 1561. die 15. Dec. ipſis interdictũ, ut ab appellatione Ieſu & Ieſuitarum atque etiam ſocietatis Ieſu prorſus abſtinerent. 6. à *Ieſuitis temeraria ambitione electum.* Ribadeneira libr. 2. de vit. Ignat. cap. 12. & Maffeius libr. 2. de ead. cap. 5. *à Chriſto ipſo* ſocietati ſuæ hoc nomen impoſitum tradunt, quando Ignatio Romam profecto Anno 1537. *Deus apparens Ieſu filio ſuo Ignatij ſocios commendavit, quos etiam Chriſtus pro ſociis receperit ad Ignatium dicens. Ego vobis Romæ propitius ero.* Montaignes de la verité defend. cap. 66. *a Pontifice* nomen illud huic ſocietati prætendit. Sed utriusque aſſerti falſitas apparet ex eo, quod hunc titulum ante confirmationem in ſupplicibus ſuis literis ad Paulum III. pro confirmatione impetranda datis uſurparunt, ſic enim loquuntur. *Qui in ſocietate noſtra, quam Ieſu nomine inſigniri cupimus, ſub crucis vexillo militare vult.*

21. Exripit Gretſerus in Apolog. contra Steinium. *Si fideles à Chriſto rectè denominantur Chriſtiani, ſic quoq; & ordinis ſui ſocios non minus rectè nominari Ieſuitas à nomine Ieſu.* Reſp. eſt ratio lõgè diſpar. 1. Chriſtiani vocamur in Scripturis Act. 11. v. 26. nuſpiam v. Ieſuitæ. 2. Chriſtiani à Chriſto vocamur, quia unctionis ſpiritualis participes reddimur, ſed Ieſuitæ dici non poſſumus, quia in promerẽda vel cõferẽda ſalute Chriſtus nullos admittit ſocios. **Panormitanus. *Chriſtiani nomẽ rectè aſſumtum, nam & unctionem Chriſtus nobis cõmunicavit: At Ieſuani rectè dici nõ potuimus, quoniam Servator unus ipſe.*** Si excipiant, *non activè ſe vocari Ieſuitas, ſed paſſivè,* reſpondemus, hoc ſenſu omnes verè pios ſe vocare poſſe Ieſuitas, i.e. ſalutis per Chriſtum participes factos, cur ergo [illegible] omnibus proprium ſibi ſolis vendicant? 3. Aliam diverſitatis rationem oſtendit Ludolphus Carthuſienſis qui ducentis ante Ieſuitarum exortum annis vixit. Sic enim ſcribit par. 1. de vit. Chriſt. c. 10. *Chriſtus eſt nomẽ gratiæ, Ieſus eſt nomẽ gloriæ, honoris & ſanctitatis. Sicut n. in hac vita per gratiã Baptiſmi à Chriſto dicimur Chriſtiani, ſic in cœleſti gloria in Domino Ieſu dicemur Ieſuitæ, id eſt, à Salvatore ſalvati. Sãcti qui in cœlis ſunt & fruũtur æternâ gloriâ, veri ſunt Ieſuitæ triũphantes & ſancti ſervi Dei, qui v. adhuc in terris degunt & militant pugnãtq; in multis periculis militia ſua nomen retinere & gerere debent, quod eſt verum Chriſtianorum nomen. Si verò ita ſe gerunt ut ſancti, qui in æterna gloria ſedent ſuper throno ſalutis, nomen Ieſuitarum tum obtinere poſſunt. Quia verò haberi volunt in numero militantium & pugnantium ſub Chriſti vexillo, Chriſti quoq; nomine contenti ſunt,* cum quo congruit illud Pelbarti de Themiſwar in Pomerio ſermonum parte æſtiv. de circumc. ſerm. 4. *Ieſus eſt nomen divinum & æternæ ſalutis, Chriſtus autem dicitur unctus & ſic eſt nomen militiæ Chriſtianæ. Hoc nomen Chriſtianus, quo noruntt ſe tanquam pugiles unctos, in pugna contra mundum, carnem & Diabolum, unde in præſenti competit nobis nomen Chriſti propter militiam ſalvificam ſed in futuro cũ erimus in ſalute, cõpetet nobis nomẽ Ieſu, id eſt, ſalutis.* (Floruit hic autor an. 1437.) 4. verè pii ac fideles dicũtur Chriſtiani à Chriſto, quia in Chriſto ſalutem ſuam unicè quærunt, doctrinæ & voci Chriſti unicè adhærent, per fidem ſunt membra Chriſti, & à Chriſto ſpiritualis unctionis participes redduntur, ſed Ieſuitæ ſub nomine Ieſu doctrinam & vera ipſius membra oppugnant, ideò illis cõvenit, quod Irenæus de ſui temporis hæreticis ſcribit lib. 1. c. 3. *Chriſti quidem Ieſu nomen tanquam irritamentum præferunt, Antichriſti autem impietatem variè introducentes mortificant multos per nomen bonum ſententiam ſuam malè diſperdentes & per dulcedinem & decorem nominis amarum & malignum principis apoſtaſia ſerpentis venenum porrigentes,* quod Athanaſius orat. 2. contra Arianos & lib. 3. ad Theoph. de Arianis, *Ieſuitiſmum ſimulãt & contra Ieſum pugnant, nomen Ieſu habent & ore Diaboli loquuntur,* quod Serapion Epiſcopus de quibusdam hæreticis; *propellibus ovium Chriſtum induti dicunt ſe quidem, quod non ſunt, quod autem ſunt, dici nolunt, ſed ſuam improbitatem amictu nominis tegunt, qui commune quidem nomen habent, ſtudent verè ut nomen Chriſti funditus deleant, qui contra Ieſum militant & Ieſum invocant.*

22. Theſis 2. Nomen Chriſti itidem tribuitur etiam aliis hominibus in V. T. ſed ſenſu longè diſpari quam noſtro Salvatori. Græcum χριστὸς reſpondet Hebræo מָשִׁיחַ quod in genere tribuitur Sacerdotibus & Regibus. Lev. 4. v. 3. *Si Sacerdos* הַמָּשִׁיחַ *qui unctus eſt peccaverit,* quo ſenſu quidam accipiunt Pſ. 105. v. 15. *nolite tangere* בִמְשִׁיחָי *Chriſtos meos,* id eſt, Patres, qui fuerunt magni inſtar Regum oleo unctorũ; in ſpecie 1. Sauli 1. Sam. 12. v. 3. cap. 24. v. 6. eſt *unctus Domini* 2. Sam. 1. *clypeus Saulis non eſt unctus oleo,* i.e. ita recidit ac ſi non fuiſſet in Regem unctus. 2. Davidi, qui fuit Chriſti typus 2. Sam. 19. v. 21. cap. 22. v. 51. 3. Cyro Perſarum Regi, quem Scriptura vocat Cores Eſa. 45. v. 1. Quæ v. differentia ſit inter unctionem Regum ac Sacerdotum V. T. ac unctionem Chriſti in N. T. & per conſeq. inter Chriſtos illos typicos & Chriſtum noſtrum verum, expoſitum fuit ſuperiùs. Hic notamus illud, quod Chriſti nomen duplici ratione Salvatori noſtro tribuitur. 1. *abſolutè* quatenus Chriſtus conſideratur ut perſona in ſe duabus Naturis conſtans. 2. *relatè* quatenus Chriſtus conſideratur ut caput Eccleſiæ, cum qua unũ corpus myſticum conſtituit. Priorem ſignificationem vocant propriã, poſteriorem *ſynecdochicã.* 1. Cor. 12. v. 12. *Sicut corpus unum eſt & membra habet multa, ita & Chriſtus* cap. 15. v. 28. *ipſe Filius ſubjectus erit Patri.*

CAP.

Cap. III.

De συνωνυμίᾳ.

3. συνωνυμία. 23. Theſis. *Varia Chriſto in Scripturis tribuuntur nomina tum propter Naturarū in ipſo dualitatem, tum propter beneficiorum, quæ ab ipſo ad nos deſcendunt multiplicitatem, tum propter muneris, quo fungitur ac gloriæ, ad quam evectus eſt, majeſtatem.* Sequitur ἰχθύς. Chriſtus eſt Scripturæ ſcopus ac centrū. ſalutis & ſpei noſtræ fundamentum, Patris cœleſtis cor & gaudium, inde etiam variis encomiis & nominibus in Scriptura honoratur. Quemadmodum v. Dionyſius in lib. de div. nom. aſſerit, ſum̃am eorum omnium, quæ de Deo ſcienda ac credenda, in appellationibus quæ ipſi in ſacris literis tribuuntur, contineri, ita quoque idipſum de nominibus Chriſto attributis verè affirmare poſſumus, quod videlicet ſummam eorum omnium, quæ de Chriſti perſona & officio dicuntur, ἐπιτομικῶς proponant. Juſtin. Martyr. in Dial. cum Tryph. p. 221. *Filius Dei vocatur in Scripturis virtus rationalis & gloria Domini, aliquando ſapientia, quandoq; Angelus, interdū Deus, aliquando Dominus & Verbum, fuit quando Archiducem ſeipſum dixit in hominis forma Ioſua apparens* p. 251. *Et ſapientia & Dies & Oriens & Gladius, & lapis & virga & Iacob & Iſrael alio atq; alio modo in Prophetarum libris cognominatus eſt.* p. 278. *Et magni conſilij Angelus & vir per Ezechielem & tanquam filius hominis à Daniele & puellus ab Eſaia & Chriſtus & Deus adorandus à Davide, & David & Chriſtus & lapis a multis & Sapientia per Salomonem & Ioſeph & Iudas & ſtella per Moſen & Oriens per Zachariam & paſſioni ſubditus & Iacob & Iſrael rurſus per Eſaiam & item virga & flos & lapis ſummus angularis & Filius Dei vocatus eſt.* Ennodius in natali Epiphanii de Chriſto ſuaviſſimos hoſce canit verſiculos. *Fons, via, dextra, lapis, vitulus, leo, Lucifer, agnus. Ianua, ſpes, virtus, Verbum, Sapientia, Vates. Oſtia, Virgultum, Paſtor, Mons, Rete, Columba. Flamma, gigas, aquila, ſponſus, patientia, nervus, Filius, excelſus, Dominus, Deus, omnia Chriſtus.*

24. Cæterùm nomina illa Chriſti variè à variis diſtribuuntur. 1. Quædam ſunt nomina *Naturæ*, ut Im̃anuel, quædam verò *impoſitionis*, ut Ieſus & cognomen Chriſtus. 2. Quidam tituli *honoris*, quidam *amoris*, quidam officii & *laboris*. 3. Bernhard. ſerm. 15. in Cant. col. 530. *Multa ſponſi vocabula ſparſa per omnem divinam paginam legitis, ſed in duo ea vobis univerſa complector. Nullum ut arbitror, reperietis, quod non aut pietatis gratiam, aut potentiam exprimat.* 4. Primariæ & potiſſimæ diviſiones hæ ſunt, quod quædam appellationes *ratione perſonæ*, quædam ratione *officij* Chriſto tribuuntur. Quæ reſpectu perſonæ ipſi tribuuntur, illæ vel ratione *divinæ* vel ratione *humanæ* Naturæ, vel ratione *utriusq;* ipſi competunt. Quæ officii ratione ipſi tribuuntur, illæ vel reſpectu Regii, vel *Sacerdotalis* vel *Prophetici* officii ipſi tribuuntur, ubi tamē notandum, pleraſq; appellationes ſimul *ad perſonam & officium* habere reſpectum, cujus ratio dependet à fine incarnationis, ideò enim ὁ λόγος Dei filius aſſumſit humanam Naturam, ut officio Mediatoris, Redemtoris, ac Salvatoris, ad quod tū divinæ tum humanæ naturæ proprietates requirebantur, fungi poſſet & viciſſim quia Chriſtus eſt Salvator ac Redemtor noſter, ex eo intelligitur, quod in perſonæ unitate ſit Deus & homo; interim libenter fatemur, quaſdam appellationes directè ac per prius ad perſonam, indirectè a. ac per poſterius ad officium; & viciſſim quaſdam directè ac per prius ad officium, indirectè & per poſterius ad perſonam Chriſti ſpectare, quo ſenſu etiam allata diviſio eſt accipienda 5. quædam appellationes ſunt *propriæ*, quædam verò *figuratæ ac metaphoricæ*, ubi notandum, quod tantummodò propter *modum ſignificandi*, qui per prius competit creaturis, dicantur figuratæ & impropriæ, non autem propter rem *ſignificatam*, quæ in Deo Chriſto longè perfectior & per prius ipſi competit.

25. *Propriæ appellationes*, quæ Chriſto *reſpectu divinæ Naturæ* tribuuntur, potiores hæ ſunt, quod vocatur, Deus, verus Deus, magnus Deus, Jehovah, Dominus, Dei filius, proprius, unigenitus & unicus Dei filius. *Figuratæ appellationes* quę reſpectu eiusdem *divinæ Naturæ* Chriſto tribuuntur, potiores hę ſunt, quod vocatur λόγος, Verbum Patris, imago, χαρακτὴρ καὶ ἀπαύγασμα, &c. *propriæ appellationes*, quæ reſpectu *humanæ Naturæ* Chriſto tribuuntur, potiores hæ ſunt, quod vocatur homo, filius hominis, vir, puer, filius Abrahæ, filius David, filius Judæ, Siloh, primogenitus Mariæ. *Figuratæ appellationes, quæ ejusdem Naturæ* reſpectu ipſi tribuuntur, hæ ſunt, quod vocatur ſemen mulieris, ſemen Abrahæ, ſemen Iſaaci, ſemen Jacobi, ſemen Davidis, fructus lumborum Davidis, virga & ſurculus ex radice Jeſſæ, Zemach ſive germen, &c. Ad hanc claſſem etiam pertinent appellationes, quę *reſpectu utriusq; Naturæ* divinæ & humanæ, quatenus ea non ſolum ex eſſentialibus ſuis principiis ſed etiam in unione perſonali & exaltatione ad Dei dextram conſideratur, in Scriptura Chriſto tribuuntur, utpote quod vocatur Immanuel, Dominus omnium, heres omnium, Rex Regum ac Dominus dominantium, &c. *Reſpectu ſalutaris officii in genere* appellatur his nominibus tum *propriis*, Jeſus, Chriſtus ſive Meſſias, Salvator, Salus, Mediator, Redemtor, expectatio gentium, &c. *tum figuratis*, Sponſus, caput, lapis angularis, fundamentum, petra, leo, panis è cœlo, Sol, lux, ſtella matutina, vitis, liber vitæ, arbor vitæ, &c. Reſpectu *officij Sacerdotalis* in ſpecie vocatur noſter Sacerdos, ſummus Sacerdos, interceſſor, hoſtia, agnus, agnus paſchalis. Reſpectu *officij Prophetici*, Propheta, magnus Propheta, Paſtor, ἀρχιποίμην, Magiſter, Rabbi, Doctor, Apoſtolus, miniſter circumciſionis, &c. Reſpectu *officij Regij*, Rex, Princeps, Princeps pacis, dominator, dux, judex, &c.

26. Neque verò ſufficit nudos titulos ac claſſes ſive cellulas harum appellationum tenere, ſed etiam vim & rationem earum oportet annotare. De nomine 1. *Ieſu* & 2. *Chriſti* in ſuperioribus fuit actum, hoc loco illud notamus, quod utrumque nomen directè & κυρίως ad officium σωτηρίας & conſequenter ad perſonam ſive ad divinam & humanam Naturam reſpectum habeat, niſi n. Chriſtus in unitate perſonæ eſſet Deus & homo, non poſſet eſſe noſter Salvator, ut colligitur ex enumeratione cauſarum, propter quas Mediatorem

torem noſtrum oportuit eſſe Deum & hominem; niſi eſſet *θεάνθρωπος* nō potuiſſet plenitudine Spiritus S. juxta humanam Naturam ungi, ac quod Chriſtus nō ſolùm dicatur *Salvator* ſed etiam emphaticè *σωτήριον καὶ σωτηρία ſalus*, quia ſc. eſt fons ſalutis noſtræ unicus, extra & præter quem non eſt ſalus. Gen. 49. v. 18. Eſ. 62. v. 11. Joh. v. 23. Actor. 28. v. 28. 3. *μεσίτης mediator* vocatur 1. Tim. 2. v. 5. Hebr. 8. v. 6. c. 9. v. 15. cap. 12. v. 24. *ratione perſonæ & officij*, eſt enim media, i. e. ſecunda perſona inter Patrem & S. S. eſt Mediator inter Deum & homines divinitùs ab æterno conſtitutus, ac in temporis plenitudine aſſumſit humanam Naturam, in qua perfectam obœdientiam & ſatisfactionem pro peccatis mundi præſtitit & hac ratione genus humanum Deo Patri reconciliavit, & vi ac merito ſuæ obœdientiæ & ſatisfactionis apud Patrem pro nobis intercedit, inde etiam tanquam verus Mediator ſemper in medio invenitur. Naſcitur *in media nocte*, ut quidam ſtatuunt ex Sap. 18. v. 14. patitur *in medio mundi*, id eſt, in Hieruſalem in meditullio terræ ſita Pſal. 74. v. 12. *in medio latronum* crucifigitur, *in medio inter cœlum & terram* in aere ſc. pendens moritur, *in medio diſcipulorum* poſt reſurrectionem ſtetit Ioh. 20. v. 19. ubicunque duo vel tres congregari in eorum *medio* ſe futurum promittit Matth. 18. v. 20. ambulat *in medio candelabrorum aureorum*, id eſt, Eccleſiarum Apoc. 1. v. 13. ut veluti cor in medio Spiritum & virtutem diſtribuat in omnes myſtici corporis ſui partes. 4. *Immanuel* vocatur Eſ. 7. v. 14. quod eſt ſi interpreteris, *nobiſcum Deus* Matth. 1. verſ. 23. *πρώτως ratione perſonæ*, quia eſt in perſonæ unitate Deus & homo, *Deus in carne manifeſtatus* 1. Tim. 3. v. 16. qui caro factus *habitavit in nobis* Joh. 1. v. 14. unde Deus dicitur fuiſſe *cum ipſo* Act. 10. v. 8. (Hanc interpretationem tradit ipſe Matthæus, poſtquam enim deſcripſerat annunciationem Angeli factam Mariæ, quod ea ex naſci debeat promiſſus mundi Salvator, ſubjicit v. 22. hoc totum factum eſt, ut impleretur quod dictum per Prophetam, niſi enim eſſet Emmanuel Deus & homo, non poſſet eſſe Ieſus.) Quinimò niſi hæc appellatio ad perſonalem duarum Naturarum unionem referatur, ſed duntaxat de præſentia Dei gratioſa & auxilio accipiatur, nihil peculiare ac proprium Chriſto tribueret, quod non foret ipſi cum reliquis piis commune Pſal. 91. v. 15. Eſ. 43. v. 2. &c. Gal. lib. 3. cap. 18. *Naturæ nomen eſt Emmanuel. Conſtat enim Naturam ipſam, quæ dat rei formam, nomen quoq́; rei dare ſicut dat homini & humanitatem & nomen, quod eſt homo. Non n. homo nominetur aliquis, niſi propter hominis Naturam, cujus eſt particeps: ita quoq́; Meſſias noſter Emmanuel, quod eſt, ſi interpreteris, nobiſcum Deus h. e. Deus & homo & à S. S. & à matre dictus eſt & talis etiam à Chriſtianis omnibus & creditur & vocatur, cùm duabus particeps Naturis divina & humana. δευτέρως ratione officij*, quia nobiſcum eſt tum per *interceſſionem* apud Patrem cœleſtem, tum per *defenſionem* contra omnes hoſtes tum per *ſuſtentationem* & conſolationem in omnibus adverſis. Hebræi fruſtrà nobis objiciunt, *Ieſum Nazarenum non eſſe promiſſum Meſſiam cùm non fuerit à matre vel ab aliis vocatus Immanuel*, conſtat enim Hebræis vocari ſæpius ſignificare idem quod eſſe, Tertull. contr. Jud. cap. 9. Iuſtin. in q. 135. Lactant. l. 4. c. 12. Nequaquam igitur Propheta hoc vult, quod iiſdem ſyllabis in circumciſione appellandus ſit Meſſias, ſed quod reverà talis ſit futurus, ut hoc nomen de eo prædicari poſſit. Sic Meſſias dicitur vocandus *noſtra juſtitia, mirabilis, conſiliarius, Princeps pacis, &c.* quæ omnia non poſſunt eo ſenſu accipi, quod hæc omnia futura ſint nomina impoſitionis ſed naturæ & rei. Chryſoſt. in c. 1. Matth. *Mos ſcripturæ eſt eventus rerum ponere loco nominum.* 5. גאל *Redemtor* Iob. 19. v. 2. Eſ. 59. v. 20. 1. Cor. 1. v. 30. 1. *poteſtate*, quia eſt verus Deus ad redimendum genus humanum ſufficientibus viribus inſtructus Pſal. 49. v. 8. Eſ. 35. v. 5. 2. *affectu*, quia eſt verus homo propinquitate carnis nobis conjunctus. 3. *effectu*, quia interpoſito ſanguinis ſui precio nos redemit à poteſtate Satanæ ac mortis, à peccatis, ab ira Dei, ab æterna damnatione; redimit nos quotidiè ex variis tentationibus & adverſis, finaliter nos redimet ex hoc ſeculo perverſo & in regnum ſuum transferet, &c. 6. פלא *admirabilis* Jud. 13. verſ. 18. Eſa. 9. v. 6. 1. *propter mirabilem duarum Naturarum unionem. 2. propter mirabilem conceptionem* & ex virgine nativitatem. 3. *propter mirabilem redemtionem. 4. propter mirabilem regni ſui adminiſtrationem.* Eodem modo cauſæ reliquarum appellationum propriarum colligantur & obſerventur.

27. *Figuratæ* appellationes multa breviter complectuntur. Sic Chriſtus vocatur 1. Noſter *Sponſus.* Matth. 9. v. 15. cap. 25. v. 1. Marc. 2. v. 19. Luc. 5. v. 34. Joh. 3. v. 29. &c. 1. *propter ſpiritualem deſponſationem* Oſ. 2. v. 19. 1 Cor. 6. v. 17. 2. *propter dilectionem* Eph. 5. v. 26. 3. *propter acquiſitionem.* Samſon ac David fuſo hoſtium ſanguine ſponſas ſibi compararunt, Chriſtus proprium in ara crucis effudit ſanguinem, ut Eccleſiam ſibi in ſpōſam acquireret Act. 20. v. 28. 4. propter *arrhæ* quæ eſt S. S. *donationem.* 2. Cor. 1. v. 22. 5. propter *defenſionē, nutritionem, denominationem, honoris participationem.* 6. propter *arctiſſimam unionem* 7. propter *promiſſam nuptiarum cœleſtium inſtructionem.* Apoc. 19. v. 7. Vid. loc. de Eccleſ. §. 18. de Conjug. §. 423. 2. *Caput noſtrū* Eph. 1. v. 22. c. 4. v. 15. c. 5. v. 23. Col. 1. v. 18. &c. 1. ratione *conditionis* videl. præſtantiæ, dignitatis & eminentiæ, eſt n. caput nobiliſſimum ac eminentiſſimum inter reliqua mēbra. 2. ratione *cognationis.* Caput eſt ejuſdem Naturæ cū corpore, ſic Chriſtus ſecundū humanam Naturam eſt nobis *ὁμοούσιος.* 3. ratione *directionis ac gubernationis.* Caput dirigit mēbra reliqua, ſic Chriſtus omnia in Eccleſia gubernat. 4. ratione *cōjunctionis* ac *συναφείας* à capite & quidem à cerebro procedunt nervi coagmentantes totum corporis ſyſtema, ſic corpus myſticum eſt *συναρμολογούμενον καὶ συμβιβαζόμενον* per Chriſtum Eph. 4. v. 16. 5. ratione *communicationis.* Caput cōmunicat ſenſum & motum reliquo corpori, ſic Chriſtus S. S. Eccleſiæ. 6. ratione *defenſionis.* Caput proſpicit defenſioni reliquorum membrorum. 3. *Lapis angularis ἀκρογωνιαῖος* Pſ. 118. v. 22. Eſ. 28. v. 16. Matt. 21. v. 42. Marc. 12. v. 10. Luc. 20 v. 17. Act. 4. v. 11. 1. Pet. 2. v. 7. 1. propter *ædificij ſpiritualis ſuſtentationem.* 2. *propter Iudæorum ac gentium* in unam Eccleſiam *conjunctionem* Eph. 2. v. 20. & 21. 3. propter *impiorum offenſionem, piorum v. erectionem.* Luc. 2 v. 34. Propter eaſdem ferè rationes vocatur *lapis, petra, fundamentum,* Eſa. 8. v. 14. Matth. 16. v. 18. 1. Cor. 3. v. 11. &c. ubi conjungendæ ſunt figuræ Vet. Teſtam. de petra, ex qua Moſis baculo percuſſa profluxit aqua 1. Cor. 10. v. 4. de lapide,

in quo

in quo ſunt ſeptem oculi Zach.3.v.9.hoc eſt, chariſmatum S.S.perfectio, de foraminibus petræ, id eſt, vulneribus Chriſti, in quibus columbæ, id eſt. fideles animæ ſeſe abſcōdunt. Cant.2. v. 14. &c. 4. *Leo de tribu Iuda*. Apoc.5.v.5.1.propter *divinum robur* ac virtutem. 2.propter *principatum* & eminentiam. Leo eſt Rex omnium animalium. 3. propter *vigilantiam*. Leo dormit oculis apertis. 4. *propter efficaciam*. Eripuit nos ex ore leonis infernalis. Sic ergo leo opponitur leoni, cœleſtis infernali. 5. propter *cuſtodiam*, defendit nos potenter, ſicut leo ſuos catulos. 6. propter *Naturam timoris expertem*. Cumprimis verò in reſurrectione, ut fortem leonem ſeſe demonſtravit. In paſſione agnus, in reſurrectione leo. Apoc.8.v.6. 1. quia tunc divinitatis ſuæ potentiam præcipuè oſtendit. Rom.1.v.4.2.leo voce ſuâ terrorem animantibus incutit, q. vi attonita atque icta deficiant: ſic Chriſtus ex mortuis reſuſcitatus Apoſtolorum prædicationem gentes ad ſe pertraxit. 3.catuli leonis ut primùm nati tribus diebus ac noctibus dormiunt, patris autem rugitu excitantur, hoc Origenes homil.17.in c.49. Geneſ. ad Chriſtum reſurgentem applicat, qui & nobis reſurrectionem ad vitam promeruit. 4. tunc *præcipua generoſitas leonis advenit, cum colla armosq; veſtiunt juba*, inquit Plinius lib.8. Natur. Hiſt.cap.16. Sic Chriſti majeſtas præcipuè per reſurrectionem ſplenduit, quando immortalitatis veſtibus eſt indutus. 5. tunc voce ſuâ omnes hoſtes terruit, fugavit, ut leo animalia, tunc perrupit clauſtra mortis, &c. 5. *Agnus* 1. propter *immolationem ac hoſtiam*, ſtat tanquam occiſus Apoc.5.v.6.2. propter *manſuetudinem ac patientiam* Eſa.53. v. 6. 3. propter *puritatem ac innocentiam*.1.Pet.1.v.20. 4. propter *beneficentiam*, Chriſti enim meritis tanquam vellere induimur. Dicitur *agnus Dei* Joh.1. verſ.29. tum ad *differentiam*, quia non eſt agnus Leviticus aut typicus, quales erant in V.T. ſed Dei agnus, tum propter *excellentiam*, eſt enim à Deo præordinatus, eſt in protevangelio promiſſus, eſt in ſacrificiis & *agno* paſchali adumbratus, eſt in temporis plenitudine ad ſacrificium miſſus. 1.Petr. 1. verſ.15.19. 20. Hilar.lib.de Patris & filii unitate p. 765. *Agnus appellatur, ut ejus innocentia & paſſio demonſtretur*. 6. *Sol* Mal.4.v.2. Luc.1.v.7.8. 1. ratione *eminentiæ*. Sol eſt Dux reliquorum ſiderum, eſt oculus mundi, conſtituitur in medio Planetarum, & c.2. ratione proprietatis & *efficaciæ*. Sicut Sol materialis habet triplicem proprietatem: ſic etiam Sol ſpiritualis 1. *in radio illuminationem*, confert enim lumen fidei & gratiæ. 2. *in medio ſituationem*. Sol infra & ſupra ſe habet tres Planetas, ſic Chriſtus eſt Dei & hominum Mediator 3. in *imo caleſactionem*, ſic Chriſtus amore divino corda accendit. Weid. de loc.fid. præcip. p. 238. Sol utpote fons luminis communicat lucem ſuam Lunæ & reliquis ſideribus illuminat totum terrarum orbem. vivificum calorem ſublunaribus impertit, terram fertilem reddit, ægrotis levamentum exhibet, quæ omnia ad Chriſtum myſticè applicari poſſunt. 3. ratione *ἀφθονίας*. Sol abſque omni invidia ſublunaribus æqualiter communicat ſuam lucem, totum hemiſphærium curſu quotidiano abſolvit, ſic Chriſtus per Evangelii prædicationem omnibus lucem gratiæ *ἀφθόνως καὶ ἀπροσωποληπτως* offert. 4 ratione *φιλανθρωπίας* Ad Solem ſeſe convertit heliotropium, ſic corda noſtra ſe convertere debent ad Chriſtum. Nihil jucundius captivis quàm intueri Solem, neque quicquam nobis in ſpirituali noſtra captivitate dulcius eſſe debet quàm oculos fidei dirigere ad Chriſtum. 7. *Lux* Eſ.42.v.7.cap.49.verſ. 6. cap. 60. v.1. (confer. Act.13.v.47. Apoc.22. verſ.23.) Luc.2.v.32. Johan.1.v.4.cap.3.v.19. cap. 8. v. 12. & c.1. *οὐσιωδῶς & eſſentialiter* propter divinam Naturam 1. Johan.1.v. 5. Iren.lib.2.adv.hæreſ. c. 16. Deus totus eſt oculus, totus lumen. 2. *ὑποστατικῶς & perſonaliter*, eſt enim *ἀπαύγασμα τῆς δόξης* Hebræor.1.v.3. Sicut radius naſcitur à Sole *ἀπαθῶς* & eſt Soli coævus, ſic Filius natus eſt ex Patris cœleſtis corde. 3. *ἐνεργητικῶς & efficaciter*, protulit lucem Evangelii ex ſinu æterni Patris, *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Johan.1.v.9. diſcutit peccatorum tenebras, dirigit greſſus noſtros, lætitiam contritis cordibus præſtat. & c.8. *Stella* & quidem *matutina*. Num.24. v. 17. Apoc.22.v.16. 1. *propter ſuam ex virgine nativitatem*. Gregor.lib.19.moral. cap.30. *Chriſtus natus ex virgine velut Lucifer inter tenebras noctis apparuit, quia fugatâ obſcuritate peccati æternum nobis mane nunciavit*. 2. propter *reſurrectionis claritatem* Vivus apparens poſt mortem matutina nobis ſtella factus eſt, quia dū in ſemetipſo exemplum nobis reſurrectionis exhibuit, quæ lux ſequatur, indicavit. 3. *propter lucis dignitatem*. Stellæ fulgore ſuo noctis tenebras diſcutiunt, ſic Chriſtus hujus vitæ & peccatorum noſtrorum tenebras. 4. *propter promiſſam felicitatem*. Chriſtus vitam & lucem æternam credentibus ac piis pollicetur ſicut lucifer ſeu ſtella matutina citò adfuturum Solem denunciat, efficit ut inſtar ſtellarum in firmamento luceamus in cœleſti regno. 9. *Vitis* Johan.15.v.1. 1. propter *Naturæ conſanguinitatem*. Vitis eſt ejuſdem Naturæ cum palmitibus, ſic Chriſtus verus homo & frater noſter eſt 2. propter *beneficiorum ubertatem*. Palmites ex vite vitam & ſuccum accipiunt, ſic à Chriſto omnia ſpiritualia chariſmata unicè ad nos deſcendunt. 3. propter *externi ſplendoris vilitatem*. Vitis non commendat ſe proceritate, ut cedri, nec robore, ut quercus, ſed fertilitate & fructus bonitate ſic Chriſtus regnum in hoc mundo deſtituitur ſplendore externo 4. propter *fructuum utilitatem*, qui ſunt gratiæ divinæ candor, chariſmatum ſplendor, ſanguinis Chriſti robur 5. propter *palmitum diverſitatem*. Quidam palmites ſunt *pampinarij*, quidam *fructuarij*, ut Columella diſtinguit: ſic quidā Chriſtiani verbis luxuriant ab omni bono opere vacui. 10. *Panis vitæ, arbor vitæ, lignū vitæ, liber vitæ* Joh.6.v. 35. Apoc.2.v.7.c.17.v.8.c.20 v.12.& 15.c.22.v.2.14 .& 19. 1. propter *præfigurationem*. Quia arbor vitæ in paradiſo & manna in deſerto fuerunt typi Chriſti. 2. propter *prædeſtinationem*. In hoc libro vitæ ſcripti ſumus per æternam electionem. 3. propter *vitæ ſpiritualis communicationem* hoc pane cœleſti alimur ad vitam, huic arbori verâ fide inſerti participamus vitam. Eodem modo etiam reliquæ appellationes, quæ Chriſto tribuuntur, piè expendendæ & juxta fidei analogiam explicandæ ſunt. Illuſtris pictura Chriſti extat Apoc.1.v.13.& ſeqq. (*ποδήρης veſtitus talaris* eſt ſymbolum Sacerdotii, *cinctura* ſymbolum alacritatis in adminiſtrando Sacerdotio. *Zona aurea* regalem dignitatem, *Capilli albi* ſymbolum æternitatis, ſanctitatis & ſapientiæ. *Oculi tanquam ignis* ſymbolum omniſcientiæ *pedes ſimiles χαλκολιβάνῳ* in camino, ſymbolum iræ adv. hoſtes.

Digitized by Google

ſtes. *Vox aquarum multarum* ſignificat multitudinem populi ad ipſum convertendam *romphæa* δίστομος ſignificat gladium verbi, quo pios convertit, impios interficit, &c.)

28. Theſ.2. *Ad* συνωνυμίαν *referri etiam poſſunt typi, quibus in V.T. Chriſtus cum ſuis beneficiis fuit præfiguratus, quorum numerari poſſunt longè plurimi.* Duo ſunt theſeos hujus membra. 1. quod ad συνωνυμίαν pertineant etiam typi Chriſti, id patet ex eo, quia ex illis typis Chriſtus denominatur, ſic quia Adam primus humani generis parens in quibusdam fuit typus Chriſti, inde Chriſtus vocatur ἔσχατος Ἀδάμ. 1. Cor. 15. verſ. 46. quia Rex David in quibusdam fuit typus Chriſti, ideo Chriſtus appellatur David Pſal. 132. v. 10. Ezec. 34. v. 23. c. 37. v. 24. &c. (1. quia peculiariter Davidi promiſſus. 2 quia ex ſemine ejus natus. 3. quia David ejus typus) quin & typi illi nihil aliud ſunt quàm figuratæ ac parabolicæ deſcriptiones idipſum latius explicantes, quod appellationes figuratæ breviùs complectuntur. 2. quod complures typi Chriſti extent in Vet. T. illud patet ex eo, quia teſte Auguſtino lib. 22. contra Fauſtum cap. 42. *antiquorũ non ſolùm lingua ſed etiam vita fuit Prophetica*, ac Vet. T. Hiſtoriæ non tantùm præſtant uſum in ſenſu literali: ſed etiam myſtico, ſunt enim quaſi quædam faſciæ, quibus Chriſtus involutus. Digna igitur piè erudito eſt diligentia, talea typos Chriſti ex V. T. colligere, membra applicationis juxta fidei analogiam prudenter inſtituere, cumprimis v. illos typos, qui in N. T. ab Apoſtolis, vel ipſo etiam Chriſto ad Salvatorem noſtrum applicantur, obſervare. Præibimus exemplo & in uno atq; altero typo Chriſtum contemplandum proponemus.

29. 1. *Adamus* & Chriſtus tum τυπικῶς *& modo conſentaneo* invicem cõferuntur, tũ ἀντιθετικῶς *& modo diſſentaneo* ſibi invicem opponũtur Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 21. & ſeqq. (Collatio inſtituitur inter Chriſtum & Adamum ante lapſum, Oppoſitio inter Chriſtum & Adamum poſt lapſum.) Collationis membra potiora hæc ſunt. 1. Adam eſt Pater omnium hominum, à quo omnes vitam naturalem accipiunt. Act. 17. v. 26. Chriſtus eſt *æternus Pater* Eſai. 9. v. 6. à quo & per quem regeneramur ad vitam æternam 1. Cor. 15. v. 45. 2. Nomẽ Adam ſignificat *rubrum*, quia ex rubicunda terra formatus Gen. 2. v. 7. Chriſtus eſt is qui *venit de Edom tinctus veſtib. de Boſra* Eſ. 63. v. 1. rubefecit veſtem humanæ Naturæ ſanguine ſuo in paſſione. 3. Adam formatus eſt ex terra adhuc virgine, i. e. nondum ab hominibus culta Gen. 2. v. 6. Chriſtus ex Maria matre virgine natus Luc. 1. verſ. 35. eſt *lapis ſine manu viri abſciſſus* Daniel. 2. verſic. 45. 4. Adam ad imaginem Dei erat conditus Gen. 1. verſic. 26. Chriſtus eſt ſubſtantialis imago Dei Patris ab æterno ex Patris ſubſtantia genitus Col. 1. verſic. 15. Hebr. 1. v. 3. Ambroſ. lib. 4. in Lucam. *Ex terra virgine Adam, Chriſtus ex virgine, ille ad imaginem Dei factus, hic imago Dei, &c.* 5. Adamus originem ſuam habet ex cœlo & terra, quia corpus ejus, è terra formatum, anima autem divinitùs ipſi inſpirata Geneſ. 2. verſic. 7. Chriſtus ſecundum divinam Naturam eſt Dominus de cœlo, corde natus ex parentis, 1. Corinth. 15. verſic. 48. ſecundum humanam Naturam in terris ex virgine natus eſt. 6. Adamus conſtitutus erat omnium creaturarum Dominus Gen. 1. verſic. 28. Chriſto omnia *in manus ſunt tradita* Johan. 3. v. 35. *ac pedibus ejus ſubjecta.* Pſalm. 8. v. 7. 7. Adam conſtitutus eſt Paradiſi cuſtos ac colonus Geneſ. 2. verſic. 15. Chriſtus myſtici Paradiſi, quæ eſt Eccleſia, Dominus eſt & cuſtos. Pſalm. 12. v. 4. 8. In Adamo fulgebat lux cœleſtis ſapientiæ, quia ſingulis animalibus convenientia imponebat nomina Gen. 2. verſic. 20. in Chriſto *reconditi ſunt omnes ſapientiæ theſauri* Col. 2. vers. 3. ipſe confert nobis *nomen novum*, ut filii Dei vocemur. Apoc. 2: v. 17. 9. Adamus erat ante lapſum purus & innocens, ab omni labe peccati immunis, utpote ad Dei imaginem, id eſt, in perfecta ſanctitate & veritate conditus Eph. 4. v. 24. Chriſtus eſt ἀμίαντος ἄκακος, *in ore eius non fuit inventus dolus* Eſa. 53. v. 9. Heb. 7. v. 26. 10. Ex Adami obdormiſcentis latere eximitur coſta, ex qua ædificatur ipſi conjunx Gen. 2. verſ. 21. ſic ex Chriſti in cruce *mortui latere profluxerunt ſanguis & aqua duo Eccleſiæ Nov. Teſtam. Sacramenta*, per quæ ædificatur Eccleſia Chriſti Sponſa Ioh. 19. v. 34. Oppoſitionis membra ex adductis locis Apoſtolicis facili negotio colligi poſſunt.

30. 2. *Habelem* fuiſſe typum Chriſti colligitur ex Heb. 12. v. 24. 1. Habel fuit paſtor ovium Geneſ. 4. v. 2. ſic Chriſtus eſt Eccleſiæ & fidelium *verus paſtor.* Iohan. 10. v. 12. 2. Habel erat juſtus & innocens Matth. 23. v. 35. 1. Iohan. 3. v. 15. Chriſtus juſtus & ſanctus. 3. Habel à fratre interficitur, ſic Chriſtus à Judæis ſuis fratribus ſecundum carnem. 4. Sanguis Abelis ad Deum clamat Gen. 4: v. 10. *Chriſti ſanguis loquitur meliora*, ille enim poſtulat ultionem, hic verò cum Deo reconciliationem. Hebr. 12. v. 24. ſi ipſum Abelis ſacrificium præfigurabat Chriſtum, quod ut agnus in ara crucis ſit mactandus Apoc. 13. verſic. 8. unde *fide Abel meliorem hoſtiam obtuliſſe dicitur.* Hebr. 11. v. 4.

31. 3. *Noahum* ſuiſſe typum Chriſti colligitur ex Gen. 5. v. 29. Matth. 24. v. 37. 1. Noah ſignificat *conſolatorem* Gen. 5. v. 29. in Chriſto omnis animæ noſtræ requies & conſolatio Matth. 11. v. 28. 2. Noah *vir juſtus ac perfectus cum Deo ambulavit* Gen. 6. v. 9. Chriſtus longè purior ac perfectior. Iohan. 8. v. 46. 3. Noah *invenit gratiã coram Domino.* Gen. 6. v. 8. *Chriſtus unicus homo in gratia* Rom. 5. v. 15. in quo & nos diligimur Eph. 1. v. 6. 4. Noah ædificabat arcam, in qua homines à diluvio ſervabantur Gen. 6. v. 14. Chriſtus ſibi colligit Eccleſiam, in qua à diluvio iræ divinæ ſervamur. 5. Noæ ſacrificio Deus placatur Gen. 8. v. 21. Chriſtus ſeipſum *obtulit victimam in odorem ſuavitatis Deo* Epheſ. 5. v. 2. 6. Noa poſt diluvium fuitq. alter parens generis humani. Chriſtus eſt Pater venturi ſeculi. 7. Cum Noaho init Deus fœdus gratiæ Gen. 9. v. 9. Chriſtus eſt *Angelus* novi & æterni *fœderis.* Mal. 3. verſic. 1. 8. Circa veſperam columba affert Noaho folium olivæ, ex quo intelligit aquas diluvii ceſſaſſe. Geneſ. 8. v. 12. Circa mundi veſperam Spirit. ſanct. in Baptiſmo ſuper Chriſtum in ſpecie columbæ deſcendit, cum in Baptiſmi diluvio omnia peccata noſtra ſuffocaſſet. Matth. 3. v. 16. &c. 9. Iris eſt ſignum fœderis inter Deum & Noahum initi Gen. 9. v. 13. hæc iris Chriſtum præfigurat Pſalm. 89. v. 38. Apoc. 4. verſ. 3. 10. Iridem reſpicere debebant Noah & ipſius poſteri ac recordari fœderis cum Deo initi, quin & Deus ipſe promittit, quod iridem reſpicere velit Gen. 9. v. 13. & ſeqq. Chriſtus eſt Mediator quem homines verâ fide intueri debent ac Deus intuitu meriti Chriſti homines in

gratiam & fœdus ſuum recipit. 11. Noah primus ædificavit vineam. Gen. 9. verſ. 20. Chriſtus plantat Eccleſiam. 12. Noah ebrius ac denudatus à Chamo irridetur Gen. 9. verſ. 22. hoc elegantiſſimè & latiſſime Auguſt. accommodat ad Chriſtum libr. 16. de civ. Dei cap. 2. ebrius ex amore denudatus fuit in cruce & à filiis degeneribus Iudæis illuſus.

32. Eadem ratione non ſolùm Hiſtoriæ Patriarcharum *Sethi* Gen. 4. v. 25. *Enos* Gen. 5. v. 26. *Henoch* Gen. 5. v. 24. *Melchiſedeci* Heb. 7. v. 1. & ſeq. *Abrahæ*, Joh. 8. v. 56. *Iſaaci* Hebr. 11. v. 19. *Iacobi* Num. 24. v. 17. *Ioſephi*, *&c.* Prophetarum *Moſis* Deut. 18. v. 15. *Ionæ* Matth. 12. v. 39. Regum *Davidis*, *Salomonis*, *&c.* ſed etiam figuræ *arboris vitæ*, *fluminis Paradiſiaci*, *pellium ovillarum* primos parentes veſtientium, *arca Noahi*, *ſcala Iacobææ*, *rubi ardentis*, *manna cœlitùs depluta*, *exaltati ſerpentis*, *virga Aaronica*, *&c.* explicari & ad Chriſtum accommodari poſſunt. Vide Magnalia Herbergeri, Typos Bacmeiſteri, Chriſtum abſconditum Lud. Carbonis, &c. ubi tamen notandum, quod in allegoriis tractandis ſingularis requiratur circumſpectio, ne quid contra fidei analogiam proferatur ac infirmis ſcandalum, adverſariis deridendi materia exhibeatur, quod in ijsdem debeamus eſſe parci, ἐνδύματα ſint non a. ἰδιώματα, quod maximam allegoriis conciliet gratiam, ſi fontes ejus in ipſis Scripturis monſtrentur, quâ de re in loco de Interpret. Script. §. 137. & in Method. ſtudij Theol. plenitùs fuit actum.

33. *Vſus practicus eſt conſolatorius.* Quot Chriſto in Scripturis tribuuntur nomina totidem extant divina & infallibilia, de ipſius beneficiis teſtimonia. Cant. 1. v. 3. *Vnguentum effuſum eſt nomen ejus*, quia ſuaviſſimum præbet odorem, quo anima noſtra reficitur & exhilaratur, &c.

Cap. IV.

De duabus Chriſti Naturis in genere.

34. Expoſuimus hactenus ὀνοματολογίαν, ſuccedit πραγματολογία, in qua 1. de perſona. 2. de officio Chriſti agitur. Sit ergo Theſis. *Perſona Chriſti conſtat duabus Naturis divinâ & humanâ.* Conſideratio divinæ Naturæ à veteribus appellatur θεολογία, humanæ verò vocatur οἰκονομία. Eſt in Chriſto *Naturarum dualitas*, quia non homo tantum eſt, nec Deus tantùm, *& perſonæ unitas*, quia unus eſt Chriſtus, qui conſtat ex duabus & in duabus Naturis, & hæ duæ Naturæ perſonaliter unitæ ſunt unus Chriſtus. Eſt in ipſo ἄλλο καὶ ἄλλο quia aliud eſt eſſentia ſive Natura divina aliud eſſentia ſive Natura humana, non autem ἄλλος καὶ ἄλλος quia non alius Deus alius homo, ſed unus eſt θεάνθρωπος Deus & homo ac proinde perſona una. Probatur hæc dualitas ac diverſitas Naturarum in Chriſto. 1. *ex appellatione*: Vocatur *Immanuel* Deus nobiſcum Eſ. 7. verſ. 14. Matth. 1. v. 23. non tantùm ratione officij ſed etiam ac cumprimis ratione perſonæ, quia eſt Deus & homo in perſonæ unitate, ut ſuperiùs demonſtravimus. Hûc pertinet appellatio Eccleſiaſtica quod vocatur θεάνθρωπος, Item omnia nomina officii, quippe quæ utramque Naturam præſupponunt & ſecundùm utramque Naturam ipſi competunt, ut inferiùs demonſtrabitur. Talia ſunt, quod vocatur *Ieſus Chriſtus*, *Salvator*, *Redemtor*, *Mediator*, *Rex*, *Sacerdos*, *Dominus*: *&c.* Quidam hûc referunt appellationes איתיאל & אכל Prov. 30. verſ. 1. Ithiel enim ſignificat *eum quo eſt Deus fortis.* Uchal à rad. יכל *potuit*, *potens fuit* propter divinam poteſtatem. 2. *ex typorum præfiguratione.* Melchiſedecus fuit ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ καὶ ἀγενεαλόγητος, &c. Gen. 14. verſ. 18. Pſal. 110. v. 4. Hebr. 7. v. 3. ut præfiguraret Chriſtum ſine Patre ſecundùm humanitatem ſine matre ſecundum divinit. In rubo ardente Ex. 3. ignis lignum non conſumit, &c. 3. *ex utriusq; Naturæ deſcriptione.* Extant manifeſta & perſpicua Scripturæ teſtimonia de divina & humana in Chriſto Natura, ut ex ſequentibus patebit. Ergo utraque Natura in ipſo agnoſcenda, nec propter confeſſionem Deitatis vera ipſius humanitas, nec propter confeſſionem humanitatis vera ipſius Deitas neganda, Ioh. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt*, 1. Iohan. 4. verſic. 2. *Qui Spiritus confitetur Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt.* 1. Tim. 3. v. 16. *Deus manifeſtatus eſt in carne.* Rom. 1. v. 3. *Filius Dei factus ex ſemine Davidis ſecundum carnem, declaratus Dei filius potenter ſecundum Spiritum ſanctificationis per reſurrectionem ex mortuis.* Rom. 9. verſ. 5. *Chriſtus eſt ex Patribus Iudæorum ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnes Deus laudandus in ſecula*, *&c.* 4. *ex Propriorum enumeratione.* Cui propria eſſentialia divinæ & humanæ Naturæ conveniunt, in eo Naturarum dualitas agnoſcenda, quia propria eſſentialia divinæ Naturæ realiter idem ſunt cum ipſa divina Natura, propria eſſentialia humanæ Naturæ ſunt παρεπόμενα τῇ φύσει *& ſecunda Naturæ momenta.* Jam verò Chriſto competunt propria eſſentialia divinæ & humanæ Naturæ. Ergo. Nec per unionem differentia Naturarum eſt ſublata. Damaſc. lib. 3. cap. 17. ὅτι ἡ σὰρξ θεωθεῖσα τῆς οἰκείας ἐξέστη φύσεως ἢ τῶν αὐτῆς φυσικῶν ἰδιωμάτων, μεμένηκασι γὰρ καὶ μετὰ τὴν ἕνωσιν αἵ τε φύσεις ἀσύμφυρτοι καὶ αἱ τούτων ἰδιότητες ἀλώβητοι. Hûc referri poteſt illud, αἰνιγματῶδες de Chriſto εἰμὶ ὃ ἦν, οὐκ ἦν ὅπερ εἰμί, τὰ δ' αὖ δύο εἰμί. Itẽ εἰμὶ ὃς ἦν, οὐκ ἦν δ' ὃς εἰμί, ἐγὼ δὲ καὶ ἄμφω ἀμφότερον λέγομαι ἀμφότερον πέλομαι. Sum quod eram, nec eram quod ſum, nunc dicor utrumque, Ignoras niſi me ſtirpe ab utraque tenes.

Duæ ſunt in Chriſto Naturæ.

35. Addimus. 5. *Conſtantem & perpetuam totius Eccleſiæ confeſſionem.* Quemadmodum Galatinus lib. 2. de arcan. Cath. verit. cap. 2. proponit hanc regulam. *Vbicunq; in ſacris V. T. literis unius Dei eſſentia inſinuatur, ſemper fere ibidem & etiã perſonarũ pluralitas innuitur, & eſſentia in quocũque loco perſonarũ Trinitas exprimitur, ſemper penè eodem quoq; in loco & divinæ ſubſtantiæ unitas explicatur, ne aut propter ſingularis* (unius) *DEI unitatem perſonarum Trinitas à divina Natura excludatur, aut propter perſonarum Trinitatem plures Dij eſſe credantur, ſed ſic in altero tres ipſæ divinæ hypoſtaſes abſq; confuſione ab invicem diſtinctæ credantur, ut in altero ipſius Dei unitas omninò ſalvetur:* ita de Chriſto ſimilem formare poſſumus regulam. Ubicunque in ſacris Vet. T. literis de Meſſia agitur, ſemper fere ibidem & Naturarum dualitas & perſonæ unitas explicatur, ne aut propter perſonæ unitatem Naturarũ dualitas negetur, aut propter Naturarum dualitatem plures perſonæ in Chriſto ſtatuantur. In protevangelio Gen. 3. v. 15. promiſſus Meſſias vocatur *ſemen mulieris*, quia verus homo ex virgine erat

naſci-

naſciturus & tribuitur ipſi *contritio ſerpentini capitis*, quia ut verus Deus divinâ ſuâ potentiâ regnum Satanæ erat deſtructurus & amiſſa per lapſum bona reparaturus, unde etiam Gen. 4. v. 2. nomen *Jehovæ* filio ſuo Eva aſſignat, quem Meſſiam fore falsò ſibi perſuaſerat. Gen. 12. v. 3. cap. 18. v. 18. cap. 26. v. 4. cap. 28. v. 14. Meſſias dicitur naſciturus *ex ſemine Abrahami, Iſaaci & Iacobi* ac benedictionem, id eſt, bona ſpiritualia & cœleſtia per lapſum amiſſa reducturus prius veram ipſius humanitatem, poſterius veram Deitatem arguit. In promiſſione Meſſiæ Davidi repetita 2. Samuel. 7. v. 5. 1. Paral. 18. v. 17. utriusque Naturæ fit mentio. *Aſpexiſti me in forma hominis, qui es Deus in excelſis.* In Pſalmis ac Prophetis utriuſque Naturæ deſcriptio ſemper conjungitur. Eſa. 9. verſ. 6. *Puer natus eſt nobis & filius datus eſt nobis.* Jerem. 23. verſ. 5. *Meſſias eſt germen Davidis & Jehovah, &c.* Eadem fuit confeſſio piorum de Chriſto in Eccleſia Apoſtolica, ut conſtat ex omnibus Nov. Teſtam. dictis, quæ de Chriſti perſona & officio tractant. Idem de Chriſto primitiva Eccleſia Apoſtolica vicina confeſſa eſt, ut conſtat ex Symbolis Apoſtolico, Niceno & Athanaſiano.

36. Huc referenda ſunt egregia *Patrum* dicta Hilarius lib. 9. de Trinit p. 160. *Ejuſdem periculi res eſt in Chriſto vel divinitatem vel carnem noſtri corporis negare, alterum eum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem. Neſcit planè neſcit vitam ſuam, qui Chriſtum ut verum Deum ita & verum hominem ignorat.* lib. 10. de Trinit. p. 205. *Chriſtus Deus ac homo eſt habens in ſe & totum verumque quod homo eſt & totum verumq́, quod Deus eſt.* in Pſal. 46. *Quis eſt iſte Chriſtus, qui ex Iudæis eſt ſecundum carnem, qui eſt Deus benedictus in ſecula? Deus ante carnem, Deus in carne, Deus cum carne.* Synod. Chalced. apud Zonaram tom. 3. p. 139. & Evagriũ lib. 2. c. 4. p. 810. *Confitemur I. C. D. N. perfectum eſſe in divinitate & perfectum in humanitate, verè Deũ & verè hominẽ, qui animâ rationali prædita & corpore cõſtat ejuſdẽ Naturæ cũ Patre & ejuſdẽ natura nobiſcũ & per omnia nobis ſimilẽ factũ.* Aug. l. 11. de C. D. c. 2. *Sola eſt adverſus omnes errores via muniti ſſima, ut idẽ ipſe ſit Deus & homo; quò itur Deus, quà itur homo.* lib. 18. de C. D. c. 46. *Homo manifeſtus ex homine virgine Deus occultus ex Deo Patre*, in Enchirid. c. 35. *Ieſus Dei filius eſt Deus & homo; Deus ante omnia ſecula, homo in noſtro ſeculo; Deus quia Dei Verbum; homo quia in unitatem perſonæ Verbo acceſſit caro & anima rationalis.* Leo Epiſt. ad Flavian. *Qui verus Deus eſt, idem verus eſt homo. Et nullum eſt in hac unitate mendacium, dum invicem ſunt & humilitas hominis & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miſeratione, ita homo non conſumitur dignitate, &c. ſicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ non receſſit: ſic caro Naturam noſtri generis non reliquit. Vnus enim idemq́, eſt verè DEI Filius & verè hominis Filius. Deus per id, quod in principio erat Verbum, homo per id quod factus eſt ex muliere factus ſub lege. Nativitas carnis manifeſtatio eſt humanæ Naturæ, partus virginis divinæ eſt virtutis indicium. Infantia parvuli oſtenditur humilitate cunarum, magnitudo Altiſſimi declaratur vocibus Angelorum.* Vigil. l. 3. contr. Eutych. *Omnis prorſus inutilis & impia eſt confeſſio, qua D. I. C. aut Deum tantummodò & non hominem, aut hominem ſolum & non Deum veneratur.* Alcuin. l. 3. de Trinit. c. 15. *In uno Chriſto duas diſtinguamus ſubſtantias. Vnam qua initium habuit ex Virginali utero; alteram, quæ ſine initio coæterna eſt DEO Patri. Vnam, quæ ætate proficiebat & ſapientia; alteram quæ eſt æterna DEI virtus & ſapientia. Vnam quæ dormiebat in navi & excitata eſt ab Apoſtolis; alterã quæ imperavit ventis & fluctibus. Vnam quæ plorat amicum mortuũ, alteram quæ voce ſola vocat eum de ſepulchro & reſuſcitat ad vitam. Vnam quæ triſtatur uſq́, ad mortem, alteram, quæ liberat ſanctos à triſtitia & dat eis gaudium vitæ perpetuæ. Vnam quæ videntibus Apoſtolis aſcendit ad cœlum & ſedet ad dextram Patris, alteram, quæ de ſinu Patris nũquam abſceſſit ſed ſemper cum Patre & in Patre fuit & eſſe non deſinit* (ubi tamen cavendum ne ex Naturarum diſtinctione inferatur earundem diſtractio ſive ſeparatio in unione vel operatione, neve evertatur communicatio divinorum idiomatum carni facta, ut infra plenius monebitur.)

37. *Antitheſis* Naturarum dualitatem in Chriſto negant quotquot vel *divinam* vel *humanam* ipſius Naturam negant. Ut enim totum eſſentiale conſtat ex ſuis partibus eſſentialibus, totum integrale ex partibus ſuis integrantibus, quarum unâ negatâ totum evertitur: ſic Chriſtus perſona conſtat ex duob. Naturis divina & humana, quarũ alterutra negata & Naturarum dualitas & perſonæ unitas labefactatur. Cũprimis v. Photiniani rationis ſuæ judicium ſecuti dogma de duabus Naturis abſurdum ac παράδοξον pronunciant. Schmaltz. in exam. 157. errorum err. 6. p. 5. *Tanta eſt fabula iſta duarum in Chriſto Naturarum unio, ut vix alia illi ſit par. Præterquam enim quod nulla iſtarum duarum Naturarum in Chriſto in univerſo ſacro Codice mentio ſit, quid quæſo cum ſana ratione commune habet? altera enim Natura nempe divina fingitur eſſe perſona, altera verò nempe humana perſona, nec eſt nec eſſe poteſt, ſed neſcio quid in iſta perſona inhærens nec tamen accidens &c.* Piſcius in not. ad append. Vilkovianas p. 29. *Qui Natura Deus eſt, homo non eſt. Qui homo Natura Deus non eſt valida hæc Naturarum oppoſitio, quam Romana Theologia conatur diſſolvere Naturas uti rem finitam & infinitam inter ſe diſſidentem uniendo, ſed nullo argumentorum præterquam Romanæ Theologiæ fundamento.* Sed quod jam olim Vigilius libro 2. contra Eutych. p. 34. parenti ipſorum Photino expoſitione humanæ Naturæ negationem divinæ in Chriſto Naturæ ἀσυλλογίστως inferenti oppoſuit, idem etiam noſtris Photinianis κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠὸν opponimus. *Manichæus dum tantarum virtutum miracula reſpicit, quæ DEI filius operatus eſt, non vult eum hominem confiteri. Photinus dum in eo Naturam noſtri corporis attendit, DEVM non judicat, ille ut ſemineæ virtutes, iſte ut infirmitates repleat. Ille Deitatis præconia, iſte humanitatis allegat. Illum majeſtas tantæ nominis ab humanitatis profeſſione revocat, illum humilitas injuriarum, quas DEO cernit indignas, in hominis tantum confeſſione retractat. Illum miracula avocant, iſtum paſſiones retardant. Ille Deitate fallitur, iſte humanitate offenditur. Ille dicit, DEVS eſt. Iſte dicit, homo eſt. Grande miraculum ut expugnatione ſui veritas confirmetur & verum uterque dicat, dum uterque*

Exegeſis

men-

mentiatur. Audi ergo Manichæe. quod Deus ſit verum dicis, quod & homo non ſit, falleris. Audi Photine, vere homo eſt ut aſſeris, licet non ſicut aſſeris, ſed idem & Deus eſt, quod impiè refugis, in tantum Deus, ut Manichæus hominem neget, in tantùm homo, ut Deum eſſe non credas, &c. Nos breviter reſpondemus, articuli fidei non debent ſibi invicem opponi, ſed unius ejusdemque fidei obœdientia captivato rationis judicio humiliter credi. (Argumentum Photinianorum Chriſtus homo eſt. Ergo non Deus, petitum ex ſchola Judæorum Johan. 10. verſic. 33. lapidamus te propter blaſphemiam, quia tu cùm homo ſis, facias teipſum Deum.)

38. Quæritur 1. *Quid Natura & eſſentia in hoc myſterio propriè notent?* Eſſentiam rei vocant, quâ unumquodque eſt id quod eſt, quodque definitione rei explicatur. Alii vocant id quo res in certo genere Entis formaliter conſtituitur, quæ deſinitio eſſentiæ humanæ quidem convenit, divinæ verò tribui nequit, quippe quæ non conſtituitur in certo genere Entis, ſed eſt οὐσία ὑπερούσιος non incluſa prædicamentorum claſſibus, ſed omnia Entium genera tranſcendens. Natura vel eſt idem quod eſſentia, vel ſi quid ſuperaddit eſſentiæ, eſt eſſentia proprietatibus ſuis naturalibus veſtita. Natura eſt eſſentia rem conſtituens & ab aliis diſtinguens principium intrinſecum actionum. Natura Chriſti divina eſt eſſentia divina, quâ Chriſtus Patri & Spiritui Sancto coëſſentialis eſt. Natura Chriſti humana eſt eſſentia ſeu ſubſtantia humana anima rationali & corpore organico conſtans, qua Chriſtus nobis hominibus conſubſtantialis eſt. Differt eſſentia ſive Natura à perſona & ſubſiſtentia, quæ Græcis hypoſtaſis dicitur, cujus diſcriminis confuſio in hoc articulo eſt ſcopulus, in quem omnes hæretici olim impegere perſonam ſive hypoſtaſin à Natura diſtinguere neſcientes. Nazianzen. orat. 2. de Filio, Theodoret. Dial. 2. Damaſcen. libr. 3. cap. 3. & 11. ſed de hoc diſcrimine in cap. de unione perſonali diſſerendum erit. Num verò eſſentia etiam ab exiſtentia differt? res ſtat in acceptione terminorum. Si *exiſtentiæ* nomine nihil aliud intelligatur, quàm eſſentia extra ſuas cauſas actu exiſtens, nullum eſt reale diſcrimen inter eſſentiam & exiſtentiam. Si verò exiſtentia ſumatur pro ſubſiſtentia, hoc eſt, pro exiſtentia per ſe, quâ res non eſt in alio tanquam exiſtentiæ ſuæ termino, ſed ipſa per ſe completam exiſtentiam habet, tum tale eſt diſcrimen inter eſſentiam & exiſtentiam, quale inter eſſentiam & ſubſiſtentiam ſive hypoſtaſin.

39. Q. 2. *An duæ in Chriſto Naturæ propriè loquendo ſint contrariæ?* Nazianzenus, Theodoretus & alii ex veteribus quandoq; appellant contrarias, Damaſcenus lib. 3. c. 3. *πῶς μία φύσις τῶν ἐναντίων διαφορῶν οὐσιωδῶν δεκτικὴ γίνεται*, ex quo Photiniani nectunt ſuum argumentum: *Impoſſibile eſt duas eſſentias ſibi invicem contrarias in unã perſonam conjungi. Sed divina & humana Naturæ in Chriſto ſunt contrariæ.* Ergo. Catech. Racov. p. 55. Socin. in defenſ. animadv. p. 63. Verùm propriè loquendo divina & humana Naturæ non ſunt contrariæ, quia *ſubſtantiis* teſte Philoſopho *nihil eſt contrarium*, ſed tantùm differentes. Quod autem duæ eſſentiæ ſecundùm ſe & ſecundùm proprietates ſuas realiter differentes in unum ſuppoſitum conjungi poſſint, docet exemplum hominis animâ immortali & corpore mortali conſtantis. Vide locum de Deo Patre & Filio §. 147. Regerit Socinus dicto loco: *Fieri fortaſſe poſſet, ut ex DEO & homine licet ſubſtantiis contrarias qualitates ſeu proprietates naturales habentibus Chriſtus conſtitutus fuiſſet, ſed quod idem Chriſtus & Deus ſit & homo, id verò inter impoſſibilia omninò numerandum eſt, multò magis quam quod idem homo eſt & anima ſit & corpus, nam multò magis etiam Dei Natura cum hominis Natura quam anima cum corporis pugnat.* Reſpond. Sufficit nobis divinâ potentiâ ex anima & corpore tanquam duabus ſubſtantiis oppoſitas qualitates habentibus hominem conſtitui potuiſſe, ex eo enim inferimus, eadem divinâ potentiâ duas Naturas divinam & humanam perſonaliter uniri potuiſſe. Quod ex anima & corpore tertium quid conſtituitur ex accidenti eſt, quia partes hæ ſunt imperfectę & neutra earum conſtituit per ſe perſonam; in Chriſto ex duabus Naturis ideò oon conſtituitur aliquod tertium, quod nec Deus ſit nec homo, quia Λόγος ante incarnationem fuit perfecta perſona. Diſtinguendum igitur inter *rem & rei modum*. Negatio modi non tollit rem ipſam. Licet anima & corpus non uniantur eo modo, quo divina & humana Natura in Chriſto uniuntur, tamen verè uniuntur, quod ſufficit, adverſarii enim ſuo argumento non unionis modum, ſed unionem ipſam impugnant.

40. Q. 3. *Quid ſtatuendum de ſimilitudinibus, quibus duarum Naturarum in Chriſto unionem pii veteres declarant?* Earum complures occurrunt, inter quas eminent eæ, quæ *à corpore animato & ferro ignito* deſumuntur. Lutherus utitur ſimilitudine *violæ*, in qua purpureus color ſignificet humanam Naturam crucifixam, aureus verò divinam. Sed de his ſimilitudinibus idem ſtatuendum, quod de illis quæ ad Trinitatis myſterium explicandum adhibentur, ſuo loco pronuociavimus *ἁρμόδια μὲν οὐ δὲ κατὰ πάντα*, ſimilia ſunt non eadem, *Non neceſſe eſt paradigmata omni modo & abſq; defectu ſimilia eſſe rebus ipſis ſed aliquid habere ſimile, aliquid verò diſſimile.* Damaſcenus lib. 3. cap. 26. Idem judicium eſto de typis, qui ex Vet. Teſtam. hûc accommodantur. In arca fœderis erat lignum cedri & aurum. Hilar. in enarr. Pſalm. 131. *arca fœderis erat ſpecies corporis, quod Dominus aſſumſit.* Hippol. ap. Theodor. Dial. 1. *arca erat typus Chriſti Servatoris.* In rubo eſt ignis Symbolum Naturæ divinæ lucidiſſimæ ac penetrantiſſimæ, qui lignum exterra ortum hum. Naturæ ſymbolum accendit, non tamen conſumit, quia in humana Natura Chriſti habitat omnis lux divinæ majeſtatis ſine ulla ejusdem conſumtione vel abolitione. Λόγος carnem aſſumſit, non abſumſit, gloria carni communicata eandem extollit, non tollit; perficit non interficit.

41. *Uſus conſolatorius.* Quia Chriſtus verus Deus & verus homo, ideò etiam verus & perfectus Salvator, Mediator ac Redemtor noſter. Anshelmus lib. 2. Cur Deus homo cap. 18. *Ad hoc valuit in Chriſto diverſitas Naturarum & unitas perſonæ, ut quod opus erat fieri ad hominum reſtaurationem, ſi humana non poſſet Natura, faceret divina, & ſi divinæ minimè conveniret, exhiberet*

beret humana & non alius atque alius, ſed ipſe eſſet, qui utrumque perfectè exiſtens per humanam ſolveret, quod illa debebat & per divinam poſſet, quod expediebat &c. Debitum tantum erat ut illud cum non deberet ſolvere niſi homo, non poſſet niſi Deus, ita ut idem eſſet homo qui Deus, unde neceſſe erat, ut Deus aſſumeret hominem in unitatem perſonæ, quatenus qui in Natura ſolvere debebat & non poterat, in perſona eſſet qui poſſet. cap. 7. *Satisfactionem facere non poterat niſi Deus, non debebat niſi homo. Si homo tantum non faciet, quia non poterit. Si Deus tantum faciet, quia non debebit &c. factus ergo homo Deus, ut & qui poterat deberet, & qui debebat poſſet.* Repetendæ ſunt hoc loco cau- » ſæ, propter quas Mediatorem noſtrum Deum & » hominem eſſe oportuit, Deus eſſe debuit, ob ma- » gnitudinem mali abolendi, & magnitudinem bo- » ni adducendi; puta 1. *ob λύτρου ſufficientiam ac perfectionem.* Niſi Deus fuiſſet, ipſius obœdientia ac paſſio, non potuiſſet eſſe ſufficiens λύτρον pro totius mundi peccatis. 2. *ob iræ divinæ portationem.* Nuda creatura non potuiſſet immenſum pundus peccatorum & iræ divinæ totius humani generis peccatis debitæ portare. 3. *ob malorum remotionem.* Nudo homini non fuiſſet poſſibilis peccati abolitio, capitis ſerpentis infernalis contritio, regni Diaboli deſtructio, mortis abſorptio. 4. *ob bonorum reparationem.* Nudus homo & finita creatura non potuiſſet perfectam juſtitiam adducere, Spiritum ſanctum diſtribuere, vitam æternam credentibus conferre. 5. *ob decreti divini patefactionem.* Nuda creatura non potuiſſet ſcire decretum DEI de ſalute noſtra, quod tamen per Mediatorem debuit manifeſtari. Iohan. 1. verſ. 18. Deum nemo vidit unquam &c. 6. *ob Eccleſiæ defenſionem.* Nuda creatura non poſſet Eccleſiam adverſus Diabolum & omnes inferorum portas defendere, ſed ad hoc requiritur divina & infinita potentia. 7. *ob partorum donorum conſervationem.* Mediator noſter dona nobis parta melius conſervare debuit, quæ primus humani generis parens Adamus, qui non ſolùm pro ſe ſed & pro omnibus poſteris dona divinitùs ſibi concredita amiſit, ſed Chriſtus ea fideliter conſervat omnibus credentibus. 8. *ob precum exauditionem.* Ad Mediatoris officium requiritur, ut Eccleſiæ ſuæ præſens ubique adſit, invocantes ſe audiat ac preces eorum velut Interceſſor ac Mediator ad Deum deferat, utique ergo verum Deum ipſum eſſe oportuit. Vide plura de his cauſis apud Iren. libr. 3. cap. 9. & 20. libr. 5. fol. 293. Lactant. lib. 4. cap. 23. 24. & 25. Auguſt. lib. 9. de civit. Dei cap. 15. Fulgent. lib. de incarn. & grat. cap. 8. &c. Viciſſim etiam verus homo eſſe debuit: 1. *ob divinæ juſtitiæ conſtitutionem.* Homo peccaverat, per hominem igitur ſatisfactio præſtanda erat, at quid juſtitiæ divinæ immotæ prorſus ac invariabili decederet. 2. *ob Naturæ humanæ reſtitutionem.* Per peccatum totum genus humanum adeoque tota Natura humana miſerè erat corrupta, ita ut omnes homines eſſent ſervi peccati & mortis æternæ rei, voluit igitur Filius DEI in humana Natura aſſumta mortem ſuperare & miſeram Naturam humanam ad cœleſtem gloriam iterum evehere. 3. *ob noſtram cum Deo reconciliationem.* Per peccatum Adæ omnes eramus *à DEO diviſi* Eſai. 59. verſic. 2. Chriſtus igitur humanam Naturam ſibi perſonaliter univit, ut in ea ac per eam reduceret nos ad communionem cum Deo. 4. *ob fidei noſtræ confirmationem.* Voluit Dei Filius in & cum humana Natura ac per humanam Naturam opus redemtionis perficere, ut certi redderemur, beneficia illa Chriſti morte ac paſſione parta ad nos verè pertinere, noſque illorum bonorum participes fore. 5. *ob Naturæ noſtræ cognationem.* Voluit Chriſtus omnia ſua bona & partorum theſaurorum plenitudinem in humanam Naturam aſſumtam quaſi deponere, juxta quam eſt frater & cognatus noſter, ut per eam ad nos deriventur & à divina Natura per humanam ad nos deveniant. 6. *ob ſuſtinendam tentationem.* Filius Dei ideò aſſumſit Naturam humanam, ut poſſit tentari tanquam alius homo verus & tentatorum affectus ipſemet experiri Hebræor. 2. verſ. 17. cap. 4. verſ. 15. 7. *ad confirmandam exauditionis promiſſionem.* Voluit Dei Filius per carnis aſſumtionem fieri noſter frater, ut in omnibus periculis & adverſis ad ipſum tanquam fratrem & cognatum noſtrum fide confugientes certi ſimus nos ab eo reſpici & exaudiri &c. 8. *ob requiſitam in lege Redemtoris conditionem.* Cautum erat divinâ lege, ut Goël ſive redemtor eſſet jure conſanguinitatis redimendo proxime conjunctus & interpoſito certo pretio redemtionem præſtaret Levit. 25. Chriſtus igitur humanæ Naturæ aſſumtione voluit fieri cognatus noſter, ut jure nos liberare ac ſanguine ſuo in peculium nos ſibi emere poſſet. 9. *ob noſtram adoptionem.* Per peccatum eramus facti mancipia Diaboli, ideò Filius Dei fieri voluit hominis Filius, ut per ipſum nos homines redderemur Dei filii. 10. *ob noſtræ reſurrectionis certificationem.* Voluit Dei filius in aſſumta Natura humana mortem non modò ſuſtinere, ſed & vincere, ut certi redderemur, etiam noſtrâ corpora mortalia è terra ſuſcitanda.

CAP. V.

De divina Chriſti Natura.

42. Theſis. *In Chriſto eſt vera & perfecta divina Natura, ac proinde etiam Chriſtus eſt verus, naturalis & æternus Deus.* ἔκθεσις. Non tantum *dona divina*, ſed etiam veram & perfectam *divinam Natur.* in Chriſto eſſe dicimus; nec ſimpliciter dicimus ipſum eſſe & vocari Deum, ſed eſſe *verum naturalem & æternum DEUM*; ut à Photinianorum & omnium θεομάχων blaſphemiis confeſſionem noſtram eò clariùs ſeparemus. Photiniani more omnium hæreticorum ὅμοια μὲν λαλοῦσιν ἀνόμοια δὲ φρονοῦσιν dum ſe quoq; veram Chriſti Deitatem credere & confiteri aſſerunt. Oſtorodus & Voidovius in Apologia Belgicè edita Racov. Anno 600. p. 22. *Undenam eſt illa Theologorum veſtrorum audacia, qua vobis illuſtriſſimi Ordines imponere ſtudent ac perſuadere, nos Deitatem Filii Dei abnegare? nos verò per Dei gratiam non veram ſed falſam tantum & fictam filii Dei Deitatem negamus.* Socini contra Bellarmin. & Wiekum p. 51. *Apertè falſiſſimum eſt, nos palàm affirmare, Chriſtum non eſſe verum Deum; imò contrarium publicè profitemur & in noſtris tam Latina quam Polonica lingua non paucis editis ſcriptis Chriſtum verum Deum eſſe aſſerimus.* p. 374. *Nemo noſtrûm negat Chriſtum eſſe verum DEUM, hoc eſt, non nomine tantum, ſed reipsâ*

Vera Chriſti Deitas probatur.

Exegeſis Mm 3 *Deum,*

Deum. In defenſ. animadv. pag. 131. audaciſſimè ſcribit, *ſe cum ſuis veram Chriſti divinitatem, nos commentitiam propugnare.* Catech. Racov. p. 48. *Evidentiſſimè oſtendi poteſt, Dominum Ieſum pro puro homine reputari nullo modo poſſe.* p. 64. *Non nego Chriſtum eſſe verum Deum.* Theoph. Nicolaid. in defenſ. Socini adv. Miedzibozium p. 23. *Credunt ex toto corde cum D. Thoma Ieſum illum crucifixum eſſe ſuum Dominum & Deum, agnoſcunt cum D. Paulo, Chriſtum ex Patribus ſecundùm carnem oriundum eſſe Deum ſuper omnes benedictum.* Schmaltzius in exam. 157. errorum p. 4. Chriſtum vocat *naturalem Dei Filium.*

43. Sed hæ omnes ſunt meræ verborum præſtigiæ fallendis ſimplicioribus & incautis hominum mentibus deſtinatæ, quibus breviter hoc opponimus: 1. Cui non competit definitio, ei nec definitum. Sed Chriſto ex hypotheſi Photinianorum non competit definitio veræ Deitatis ſive Naturæ divinæ, quæ eſt quod ſit eſſentia ſpiritualis, ſimpliciſſima, æterna, increata, &c. Ergo nec definitio. 2. Aliud eſt aliquem vocari verè Deum, aliud verò ipſum eſſe verum, naturalem & æternum Deum. Prius concedunt Chriſto Photiniani, poſterius ei derogant. Magiſtratus verè vocatur Deus, non enim falſum eſt illud Spirit. ſanct. encomium, *Ego dixi vos Dij eſtis*, interim non eſt verus naturalis & æternus Deus. 3. Dona divina nondum efficiunt, ut aliquis ſit verus, naturalis & æternus Deus, ſed ad id requiritur etiam vera & perfecta Natura divina, quam Chriſto Photiniani nefariè derogant. 4. ipſimet Photiniani has ſuas fraudes nobis aperiunt. Catech. Racov. p. 64. *Chriſtus etſi verus Deus ſit, non eſt tamen ille ex ſe unus Deus, qui per ſe & perfectiſſimâ ratione Deus eſt, cùm is Deus ſit tantū Pater*, hoc eſt, θεὸς ἀληθινὸς *ſed non* ὁ ἀληθινὸς θεὸς *ille verus Deus, qui Natura Deus eſt*, ἀληθινοὶ θεοὶ ſecundum illos ſunt plurimi videlicet quotquot ſunt ποιητοὶ θεοὶ at ὁ ἀληθινὸς θεὸς illis eſt tātum Chriſti Pater. Socinus contra Wickum p. 51. *Si alicubi fortaſsè ab aliquo ex noſtris aliter ſcriptum ſuit, ibi ſanè quemadmodum loci circumſtantia facilè declarabunt, nomen veri DEI perfectiſſimâ ratione ſignificabit.* Oſtorod. in Inſtitut. p. 132. *Cùm quis purus & ſolùm homo perhibetur, duobus modis id intelligi poteſt, & ratione eſſentiæ & ratione qualitatum. Si ratione eſſentiæ intelligatur. tum fatemur eſſentiam Chriſti utpote veri hominis non aliam niſi humanam eſſe. Sin verò ratione qualitatum & qualis ille homo ſit, conſideretur, dicimus Chriſtum non nudum, purum & ſolum hominem eſſe, ſed aliquid amplius.* ** Idem in Inſtit. cap. 6. t. 7. *Arbitramur, quod eſſentia Filii Dei nihil aliud quam hominis eſſentia fuerit, id eſt, verus homo, nec ullam aliam in ipſo Naturam vel eſſentiam ſcimus.* cap. 10. t. 1. *Chriſtus in Scriptura vocatur Deus, nō q. Natura Deus ille excelſus ſit, ſed quia à Deo divinam potentiam & gloriā accepit juxta illud* Phil. 2. *donavit ei nomen &c.* ** 5. Schmaltzius Chriſtum vocat *naturalem Dei Filium*, non quod agnoſcat ipſum ab æterno ex Patris eſſentiâ genitum & Naturâ Deum eſſe, ſed quia ſecundùm humanam Naturam modo divino ex Spiritu ſcilicet ſancto eſt conceptus. 6. Sic ergo Photiniani Chriſtum vocant verum Deum ratione nominis tantum, nos ratione ipſius etiam rei divinæ ſcilicet eſſentiæ; illi ratione donorum divinorum in tempore datorum, nos ratione Naturæ divinæ; illi vocant Deum in tempore factum, nos æternum. 7. Opponimus igitur Photinianis illud Propheticum Jerem. 10. v. 11. *Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra.* At Photiniani concedunt, Chriſtum eſſe Deum, & tamen negant eum eſſe creatorem cœli & terræ. Ergo ſtatuunt Chriſtum eſſe exterminandum.

44. Claſſes argumentorum, ex quibus vera Chriſti Deitas probatur, diverſimodè diſtribuuntur. Hilarius lib. 7. de Trinit. divinitatem Chriſti *quinq; modis* probari poſſe ſtatuit: 1. *nomine*, quia ſimpliciter & præcisè vocatur Deus. 2. *nativitate & generatione*, quia vocatur Dei Filius. 3. *Naturâ*, quia dixit: *Ego & Pater unum ſumus*, non unus quod perſonam demonſtrat, ſed unum quod ſubſtantiam notat, hæc verò eſt prorſus una & eadem Patris & Filii, alioqui non eſſet unus tantùm DEUS. 4. *poteſtate*, quia dixit: *Data eſt mihi omnis poteſtas.* 5. *Profeſſione*, quia ipſe Chriſtus profitebatur ſe habere Deum Patrem eique ſe conſubſtātialem & æqualem eſſe. Quidam ad duas claſſes omnia revocant, quarum prior continet *expreſſa ſacrarum literarum teſtimonia.* Poſterior *alia argumenta ex Scriptura petita*, utpote 1. *à cauſa generante*, quia eſt proprius & naturalis Dei Filius. 2. *à forma*, quia eſt in forma Dei. 3. *ex effectis Dei propriis*, quia creavit cœlum & terram, providentiâ ſuâ gubernat omnia, ſcrutatur corda & renes, remittit peccata, donat Spirit. ſanct. & vitam æternam &c. 4. *ex attributis*, quia eſt æternus, omnipotens, ubique præſens, omniſcius; in quem credendum, in cujus nomen baptizamur, qui ab omnibus eſt invocandus, cujus propria eſt Eccleſia &c. Nos progredimur hoc modo: Deitas Filii probatur 1. *ex nomine*, 2. *ex re ipſa*, & quidem 1. *à priori ex attributis* ſcilicet tum *eſſentialibus*, tum *perſonalibus*. 2. *à poſteriori ex divinis* ſcilicet *operibus*, & *ex cultu divino*; hinc verſiculi: *Dictum, cultus, opus, confeſſio, munera, quinq; hæc divinam Chriſti Naturam mox tibi monſtrant.* Hanc methodum probandi monſtrat ipſe Chriſtus Johan. 5. cùm enim Judæi ex eo rectè colligerent, quod Deum proprium ſuum Patrem vocando ſe Deo æqualem ac verum & æternum Deum eſſet doceret, falsò autem concluderent, ipſum hac aſſertione blaſphemiam committere, ideò Chriſtus veram ſuam Deitatem contra ipſorum calumnias demonſtrat. 1. *ab operibus divinis*, quod eadem effecta & quidem eodem modo cum Patre producat, ut ſic in operibus ſit ταυτότης ac in modo agendi ὁμοιότης, ac proinde quod ſit ejuſdem Naturæ & æqualis potentiæ cum Patre v. 19. 2. *à cultu divino*, quod omnes *debent honorare Filium, ſicut honorant Patrem* v. 23. ubi autem idētitas honoris & cultus, ubi etiam æqualitas gloriæ & majeſtatis. 3. *ab attributis & proprietatibus divinis*, quod Pater *dederit Filio vitam habere in ſeipſo ſicut vitam habet in ſeipſo &c.* v. 26.

45. *Prima igitur claſſis argumentorum* pro aſſerenda Chriſti vera divinitate petitur ex *nominibus divinis*. (Nomina illa divina, ex quibus Chriſti Deitas probatur, ſunt triplicia: 1. *Naturalia*, ut Deus & Jehova. 2. *Perſonalia*, ut Filius Dei, unigenitus, proprius, primogenitus. 3. *Officialia*, ut Ieſus, Salvator.) Ad hanc claſſem pertinent 1. expreſſa *Scripturæ dicta*, in quibus Chriſtus vocatur ὁ θεὸς cum articulo Joh. 1. verſ. 1. Actor. 20. v. 28. 1. Timoth. 3. v. 16. *Deus magnus.* Tit. 2. v. 13. *1. Ex divinis nominibus.*

verus

verus Deus. 1. Iohan.5. verſ.20. *Deus* ſuper *omnia* vel ſuper omnea *benedictus* Rom.9. v.5. *altiſſimus* Luc.1.v.76. καὶ ὁ κύριος quo nomine LXX. nomen Jehovah ſolius Dei proprium expreſſerunt. Joh. 20.v.28. *Dominus meus.* Judæ verſ. 4. μόνος δεσπότης καὶ κύριος. Act.10.v.36. κύριος πάντων, 1. Cor.15.v.48. κύριος ἐξ οὐρανοῦ. 1. Cor.2.v.8. κύριος τῆς δόξης (confer Act.7.v.2.) Matt.28.v.18. κύριος οὐρανοῦ καὶ γῆς, cui omnia *poteſtas in cœlo ac terra data.* Apoc.19.v.16. *Rex regum & Dominus dominantium.* 2. *collatio locorum* Vet. & N. Teſtam. In quibus ea quæ in Vet. T. de vero Jehova dicta ſunt, in N. ad Filium Dei applicantur. Vide Iren. lib.3.adv.hæreſ.cap.6.p.175.& loc.de Deo Patre & æterno ejus Filio §.16.& ſeqq. Sic qui Iſraëliticum populum liberavit ex Ægypto, eſt verus Jehovah Exod.20.v.2. Deut.32. v.12. *Iehovah ſolus duxit eum, nec fuit cum eo fortis alienigena.* Sed Chriſtus populum Iſraeliticum ex Ægypto eduxit Jud. Epiſt.v.5. *Volo vos iſtorum commonefacere, ut qui ſemel hoc ſciatis, Dominum* (in vulg.verſ. *Ieſu* nomen additur) *cùm populum ex Ægypto liberaſſet, rurſum eos qui non credebant perdidiſſe,* quem *Dominum* verſ.4. affirmat eſſe *Ieſum Chriſtum.* Ergo. Qui cum Moſe in monte Sinai in promulgatione legis eſt locutus, eſt verus Deus Exod. 20.v.1. inſignitur enim titulis ſoli vero Deo competentibus. At ille, qui cum Moſe tunc locutus eſt, fuit Filius Dei Act. 7.v.36. & 37. Ergo. Qui ab Iſraelitis in deſerto eſt tentatus, eſt verus Deus & Jehova excelſus Exod.17.v.2. & 7. Num. 11.v.1. cap.14.v.3.cap.21.v.5.Deut.6.v.16. Pſalm. 78.v.18. Pſalm.105.v.32.Hebræor.3.v.8.Locuti ſunt contra Moſen, ſed *tentatio* ubique objecti loco habet Deum. At Chriſtus eſt is, qui in deſerto ab Iſraelitis tentatus 1.Cor.10.v.9. Ergo. Hilar.lib.5. de Trin. ſub finem adducit locum ex Baruch.3.v.38. *Venit Deus in mundum, ut verſaretur nobiſcum, hic eſt Deus noſter & non æſtimabitur alius ad eum, poſthac in terris viſus eſt & cum hominibus converſatus.* 3. *Oracula Vet. Teſt.* quæ cùm de vero & æterno Dei agant, in Chaldaica paraphraſi ad Meſſiam accommodantur. Eſai.41.v.14. *Ne timeas vermis Iacob homines Iſrael,* vel qui eſtis ex Iſrael, *ego auxiliatus ſum tibi, ait Dominus & Redemtor tuus ſanctus Iſrael.* Id Chaldæus ſic exponit: *Verbum meum in auxilio veſtro dixit Deus.* Eſa. 45.v.17. *Iſrael ſalvatus erit* ביהוה *ſalvatione ſeculorum.* Targum Jonathæ ſic reddit: *Iſrael ſalvatus erit in verbo* vel per *Verbũ Dei ſalvatione ſempiterna.* Oſ.1,7. *Domus Iuda miſerebor & ſalvabo eos in Iehovah Deo ſuo.* Chaldæus ſic vertit: *ſuper domũ Iuda miſerebor & ſalvabo eos in Verbo Domini Dei eorũ.* Oſ.9,17. *abjiciet eos Deus meus, quia nõ paruerũt ei.* Jonathas in Thargũ ſic exponit: *Abjiciet eos Deus meus, quia non receperunt Verbum ejus.* Hæc & ſimilia Chaldaicæ paraphraſeos loca meritò opponuntur Judæis, quippe apud quos illa non minùs authentica eſt, quàm ipſe textus Hebræus, & conjungi poſſunt dicta veterum Hebræorum, in quibus Meſſiæ nomen Jehova tribuunt. In Thalmud in Midras Echa cap.1. de Meſſiæ nomine varia proferuntur, tandem additur: *Dixit Magiſter Abba, DEUS erit nomen ejus.* Idem habetur in Thalmud in libro nuncupato Bava Bathrah. in cap. quod incipit: *Qui vidit navem*, quod ſcilicet Meſſias vocandus ſit nomine Dei tetragrammato. Et quæritantibus ibi in Bava Mithia Judæorum pleriſque quo nomine Meſſias appellandus eſſet, reſpondet R. Abba vir apud Hebræos doctiſſimus יהוה nomine tetragrammato Meſſias eſt appellandus, ut habetur, ait iſte Rabbi Ierem. 23. *Et hoc eſt nomen, quo vocabunt eum, Dominus juſtus noſter.* Buxdorff. in rad. יהוה pag. 187. adducit locum ex Rabbi Joſeph Albo Hiſpano in libro Ikkaiim orat. 2. cap. 28. *Vocat Scriptura nomen Meſſia Iehova juſtitia noſtra, quia erit Mediator DEUS, per cujus manum conſecuturi ſumus juſtitiam ab ipſo DEO, & idcirco vocat eum proprio nomine ipſius DEI Iehova.* Confer Galatinũ, Weidnerum in loc.fid. præcip. tract.2.pag.190. Helvic. Diſp. contra Judæos.

46. Cæterum ut argumentum *ex divinis nominibus* ductum contra Photinianorum inſultus perſiſtat immotum, notandum 1. Nomen *Iehovah* eſſe ſolius veri Dei proprium, nec ulli unquam creaturæ uſpiam tribui, ut ſuo loco evidentibus argumentis confirmavimus & contraria Photinianorum argumenta diſſolvimus. Quare cùm tetragrammatum illud Filio DEI tribuatur, ex eo immotè colligimus, ipſum eſſe verum, æternum & increatum Deum. 2. Chriſtum vocari Deum, in numero ſingulari, abſolutè & ſimpliciter. Dii λεγόμενοι ſive ratione tituli, ſive ratione exercitii, ſive utroque reſpectu ſic appellentur cum quadam appendice ac reſtrictione ſic vocantur. Sed talis limitatio de Chriſto nuſpiam uſurpatur. Iren. libr.3. adv.hær.c.6.p.175. *Cùm eos qui non ſunt Dii, Script. nominat, non in totum oſtendit illos Deos, ſed cum aliquo additamento & ſignificatione per quam oſtenduntur non eſſe Dii.* p. 176. *Moſes homo DEI exiſtens, Deus datus eſt ante Pharaonem; non autem verè Dominus appellatur, nec Deus vocatur à Prophetis, ſed fidelis Moſes famulus & ſervus DEI dicitur à Spiritu, quod & erat.* Hilarius lib.7.de Trinitat. *Moſes non abſolutè dicitur DEUS, ſed datus Pharaoni pro DEO, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur.* Chaldæus exponit: *Ego poſui te Magiſtrum Pharaonis.* R. Abraham, *deſtinavi te nuncium ad Pharaonem.* Idem judicium de reliquis qui non propriè & abſolutè ſed figuratè ob quandam ὁμοιότητα & limitatè certo reſpectu in ipſo textu expreſſo Dei vocantur. Juſtin. in qq. & reſp. ad orthod. q. 142.pag.378. *Angeli & judices dicuntur Dii* διὰ τὴν τάξιν καὶ τιμὴν καὶ προσηγορίαν καὶ κλῆσιν. Sed Chriſtus longè aliâ ac ſublimiori ratione vocatur Deus videlicet non *nuncupativè tantùm & limitatè*, ſed eſſentialiter & abſolutè. Iren. lib.3.cap.5. p.174. *Neq; Dominus neq; Spirit. ſanct. neq; Apoſtoli, eum qui non eſſet Deus, definitè & abſolutè DEUM aliquando nominaſſent, niſi eſſet verus Deus, neq; Dominum aliquem appellaſſent ex ſua perſona, niſi qui dominatur omnium Deum Patrem & Filium ejus, qui dominium accepit à Patre ſuo omnis conditionis.* 3. Chriſtum cum προσδιορισμῷ ſive additamento quodam vocari Deum, ſed illud additamentum non eſſe limitativum vel reſtrictivum, ſed potiùs ἐξοχητικὸν ipſius eſſentiæ divinæ expreſſivum, quia in illo additamento voci DEI talia epitheta & elogia ponuntur, quæ non niſi ſoli vero & æterno DEO conveniunt. Sic Chriſtus vocatur *DEUS magnus, DEUS verus, DEUS benedictus ſuper omnes.* (Gregorius homil. 8. in Ezechiel. *Qui nuncupativè dicitur DEUS, is eſt inter omnia, qui vero eſſentialiter dicitur Deus, is eſt ſuper omnia. Ut ergo oſtenderet, Chriſtum materialiter eſſe DEUM, non hunc*

Deum tantummodo, ſed DEVM ſuper omnia eſſe memoravit.) *Deus fortis* Eſai. 9. verſ. 6. *nobiſcum Deus* Eſai. 7. verſ. 14. μόνος δεσπότης καὶ κύριος Jud. 4. v. 4. Chriſtum eo modo appellari Deum, ut ipſi in ſubjecto enunciationis abſolutè tãquam Deo aliquid tribuatur Actor. 20. verſ. 28. *Deus ſuo ſanguine redemit Eccleſiam* 1. Timoth. 3. v. 16. *Deus manifeſtatus eſt in carne.* (Poſſet addi locus 1. Ioh. 3. verſ. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Sed ibi in Græco non habetur nomen Θεοῦ.) Jam verò Soeinus proponit hanc regulam contra Bellarmin. & Wiekum cap. 6. claſſ. 4. arg. 1. p. 370. *Nomen Deus ſuâ Naturâ eſt nomen abſolutum & idcircò pluribus conveniens, per excellentiam tamen uni illi ſummo rerum conditori & autori ſingulariter attribuitur, ita ut in Nov. Teſtam. cùm ſubjecti locum abſolutè obtinet ſive cum articulo ſit, ſive ſine articulo vel cùm obtinet rationem prædicati, ſi articulum habeat ſimpliciter, aut ſine tali adjuncto, aut conſtructione, qua articuli vim infringat, nũquam niſi ipſi ſoli, ne quidem Chriſto ipſo excepto, tributum inveniatur.* In defenſ. animadv. cap. 4. p. 130. *Dei nomen ſimpliciter prolatum cùm ſubjecti locum obtinet, Deum Patrem ſignificat, quod nihil aliud eſt quàm ſolum Patrem eſſe unum illum verum Deum.* 5. Chriſtum vocari Deum cum articulo præpoſitivo τὸν Θεὸν Matth. 1. v. 23. Luc. 1. verſ. 16. Actor. 20. verſ. 28. Tit. 2. verſ. 13. Hebr. 1. verſ. 8. Jam verò habent Photiniani regulam, quod vox Θεὸς cum articulo poſita ſolum verum & æternum Deum notet. Socin. in tract. de DEO Chriſto & Spir. ſanct. p. 55. *Locus Ioh. 1. ſatis indicare poteſt Ieſum Chriſtum non eſſe æquè verum Deum ac Patrem ipſius, cùm ipſius Pater ibi ὁ Θεὸς nominetur, hoc eſt, ille unus Deus, ipſe verò Θεὸς id eſt, Deus ſimpliciter dicatur.* Plura ejuſmodi ex Photinianis de nomine ὁ Θεὸς, cum articulo adduximus ſuperius. Sic ergo Chriſtum propriè vocari Deum, patet ex modo loquendi tùm *abſoluto*, tùm *comparativo*, tùm *hypothetico*. 6. Chriſtum eo modo vocari Deum ut nomen Θεὸς non ſolùm æquè, ſed etiam æqualiter de ipſo ac de Patre cœleſti prædicetur. Coloſſ. 2. verſic. 2. εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ μυστηρίου τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ χριστοῦ. 1. Theſſ. 3. verſ. 11. αὐτὸς ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν καὶ Ἰησοῦς χριστὸς. Quod ſi ergo Pater eſt verus Naturâ Deus, ut agnoſcunt Photiniani, utique etiam Chriſtus erit verus Natura Deus. Si Chriſtus eſt duntaxat nũcupativus ac impropriè dictus Deus, utique etiam Pater talis erit. Unum idemque vocabulum in una eademque propoſitione non poteſt habere duplicem ſignificationem. Quod ſi ergo nomen Dei Patri attributum propriè accipitur ac notat eum, qui eſt verus Naturâ & æternus Deus, utique etiam eodem modo accipitur, quando Chriſto tribuitur, quia in una eademque propoſitione & Patri & Chriſto tribuitur. Si Photiniani urgeant loca Scripturæ, in quibus *nomen DEI Patri primo tribuitur & poſtea demum Chriſti nomen ſubjungitur*, urgeri poſſunt dicta modò allata, quibus etiam conjungatur locus 1. Theſſ. 1. verſ. 3. ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν. 7. Chriſtum eo modo vocari Deum ut falſis fictitiis ac λεγομένοις Θεοῖς directè opponatur. Galat. 4. verſ. 8. *tunc quidem ignorantes Deum*, ſerviebatis τοῖς μὴ φύσει οὖσι Θεοῖς verſ. 9. *nunc autem cognoviſtis Deum.* Jam verò Galatæ ad Chriſtum per Evangelii prædicationem converſi Chriſto ſerviebant, Chriſtum invocabant. Ergo Chriſtus eſt φύσει Θεὸς non Θέσει, Natura non gratia, nec inter λεγομένους Θεοὺς qui Naturâ non ſunt Dii referendus, ſed verè & eſſentialiter eſt DEUS. Sic etiam 1. Theſſ. 1. verſ. 9. Theſſalonicenſes dicuntur *ab idolis converſi ad Deum* ζῶντι καὶ ἀληθινῷ *ut illi ſervirent.* Sed illi converſi erant ad Chriſtum cui ſerviebant. Ergo Chriſtus eſt ζῶν καὶ ἀληθινὸς ὁ Θεὸς Matth. 16. verſ. 16. 1. Iohan. 5. verſic. 20. Si Chriſtus duntaxat ob majeſtatem & poteſtatem divinam in tempore ipſi communicatam vocaretur Deus tum non eſſet φύσει Θεὸς, eſſet Deus factus. Jam verò Scriptura eum nobis proponit, ut verum Naturâ Deum, neque uſpiam vocat factum ſive formatum Deum. Actor. 2. verſ. 36. *Dominus & Chriſtus dicitur factus* propter dominium & unctionem Spiritus ſecundùm hum. Naturam ipſi collatam, ut exponitur Actor. 10. v. 38. ſed Deus nuſpiam dicitur factus. Si Chriſtus Naturâ non eſſet Deus, ſequeretur idololatras eſſe, qui eum invocant, ex hoc enim fundamento Galatas in gentiliſmo adhuc hærentes idololatriæ accuſat, quod ſervierint illis qui φύσει non erant Dii. 8. Chriſtum etiam in medio exinanitionis ſtatu vocari Deum Matth. 1. v. 23. cap. 21. v. 12. & 13. 1. Timoth. 3. v. 16. &c. Atqui ſi ob exaltationem & glorificationem duntaxat, in qua divina poteſtas & gloria ipſi collata eſt, Deus vocaretur, non potuiſſet ipſi tàm auguſtum nomen in ſtatu exinanitionis tribui. 9. Chriſtum vocari *Deum Iſraëlis*, quâ appellatione neminem niſi ſolum verum & æternum DEUM inſigniri Photiniani concedunt. Luc. 1. v. 16. ex Mal. 4. verſ. 5. inquit Angelus de Johanne Bapt. *Multos filiorum convertet ad Dominum Deum ipſorum.* v. 17. *& ipſe præcedet ante eum in Spiritu & virtute Eliæ &c.* Is, ante quem præceſſit Johannes Bapt. eſt verus Deus Iſraëlis, ut ex connexione verſiculorum adductorum apparet. At Iohannes Baptiſta præceſſit ante Chriſtum. Confer Eſai. 35. v. 4. *Deus veſter ipſe veniet.* Oſe. 1. v. 7. *Salvabo eos in Domino Deo ipſorum.* Mal. 3. v. 1. *veniet ad templum ſuum dominator.* Jam verò is cujus proprium erat templum, erat verus Iſraëlis Deus. Confer etiam Luc. 1. v. 17. *Præcedet ante ipſum, ut convertat corda Patrum ad filios parare Domino plebem perfectam.* & v. 76. *Tu puer Propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Is cui Joañes viam paravit, habet populum propriũ & proinde eſt verus Deus Iſraëlis. At Johannes viã paravit Chriſto. Act. 13. v. 24. Ergo. Deniq; cõfer Luc. 1. v. 68. *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit* ἐπεσκέψατο, *& fecit redemtionẽ plebi ſuæ.* & v. 78. *Per viſcera miſericordiæ DEI noſtri, in quibus nos viſitavit* ἐπεσκέψατο *oriens ex alto*, hoc eſt, *Chriſtus Sol juſtitiæ* Mal. 4. v. 2. Zachar. 3. v. 9. cap. 6. v. 12. Is qui nos viſitavit & redemtionem præſtitit, eſt verus Dominus Deus Iſraëlis. Sed Chriſtus nos viſitavit. Ergo. 10. Davidem Pſalm. 110. v. 1. & Thomam Joh. 20. v. 28. Chriſtum vocare emphaticè *ſuum Dominum ac Deum*, quam emphaſin urget Chriſtus Matth. 22. v. 44. Quemadmodum enim non niſi ſolus verus & æternus Deus intelligitur, quando David inquit Pſalm. 3. v. 8. *Salvum me fac Deus meus.* Pſal. 5. v. 5. *Tu es Rex meus & Deus meus.* Pſalm. 22. v. 11. *De ventre matris meæ tu es Deus meus &c.* & quando Paulus dicit ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἡμῶν 2. Theſſ. 1. v. 15. & ὁ Θεός μου Phil. 4, 19. ita quoq; nõ niſi verus Naturâ

Deus

Deus intelligitur , quando David ac Thomas Chriſtum Deum & Dominum ſuum vocant. Relativum enim *meus* eſt vox fidei & ſpecialem cordis fiduciam notat, quâ huic Domino ac Deo tanquam immotæ ſalutis petræ innituntur. (Socin. contra Bellarm. p. 380. ſtatuit: *Adjunctum meus efficere, ut articulus vim ſuam amittat.* At vocula *meus* potius confirmat & vim articuli & noſtram argumentationem, niſi velimus æternum Deum intelligendum eſſe per eum, qui dicit Exod. 20. verſ. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus*. Pſalm. 50. v. 7. *Deus tuus ego ſum*. Quemadmodum ergo ex eo, quod Abraham dicitur *vidiſſe diem Chriſti*, Chriſtus rectè infert, ſe fuiſſe ante Abrahamum Joh. 8. v. 58. ſic ex eo, quod David Meſſiam vocat Dominum ſuum, rectè inferri poteſt, Meſſiam ante tempora Davidis extitiſſe, unde etiam *radix David* appellatur Apoc. 5. verſ. 5. Quod ſi enim jamdum tempore Davidis Meſſias fuit Dominus Davidis, utique etiam jamdum reverà extitit & quidem verus Deus, in quem ſolum omnis cordis fiducia collocanda. Jam v. Chriſtus promiſſus in V. & exhibitus in Nov. Teſtam. Meſſias jamdum Davidis tempore fuit Dominus Davidis. Ergo. Circa Majorem notandum , quod David fuerit Rex populi Iſraëlitici ac neminem ſuperiorem aut Dominum agnoverit præter ſolum Deum , utique ergo quando Meſſiam agnoſcit Dominum, verum Deum ipſum eſſe profitetur, ac ſi de quodam Rege multis demùm ſeculis ex ipſius poſteritate initium exiſtentiæ ſuæ habituro David loqueretur, habuiſſent Phariſæi quod regererent, contingere enim facilè poteſt, ut aliquis ex poſteris ad ſublimiorem dignitatem & auguſtius regnũ, quàm parens habuit, evehatur. (Eniedinus inſigni ac Diabolica impudentia argumentum Chriſti oppoſitum Phariſæis Matth. 22. v. 41. refellere audet productis exemplis filiorum , *qui facti ſunt parentum Domini*, ut Ioſephi &c. hoc verò eſt Chriſto in os contradicere , interim nota Chriſtum, hîc longè ſublimius dominium cum ſeſſione ad dextram Dei conjunctum Meſſiæ tribuere.) 11. Chriſtum eo modo vocari Deum, ut non ſolùm divina poteſtas & gloria, ſed etiam divina eſſentia ipſi tribuatur. Galat. 1. verſ. 1. *Paulus non ab hominibus neq; per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum*, utique ergo Chriſtus non eſt ψιλὸς ἄνθρωπος, aliàs periret oppoſitio. Hebr. 7. verſ. 3. Chriſtus eſt ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ , ſine Patre ſecundùm humanitatem, ſine matre ſecundùm Deitatem. Reſpectu hum. Nat. Chriſtus non eſt ἀμήτωρ, utique ergo eſt in ipſo ὑποστάσει τινί, cujus reſpectu verè dici poſſit ἀμήτωρ. Iren. libr. 4. cap. 59. p. 291. format argumentum ex Matth. 12. verſ. 41. *Quomodo plusquam Salomon aut plusquam Iona habebat, & Dominus erat David, qui ejusdem cum ipſis fuit ſubſtantia.* 12. Chriſtum Johan. 10. verſ. 35. argumentari non *à comparatis paribus* ſed *imparibus*. Ipſimet enim Photiniani concedere coguntur , Chriſtum non eſſe nec vocari Deum in eo ordine ac ſenſu eo , quo Magiſtratus dicuntur Dii, quia Magiſtratus ante Dei ordinationem non ſunt Dii , ſed tunc in ſuo officio Dii eſſe incipiunt , *quando ad eos fit ſermo DEI*, hoc eſt, quando divinâ vocatione officium Magiſtratus ipſis committitur, at Chriſtus eſt natus Dei Filius, imò ante conceptionem ex virgine ab Angelo ſic vocatur. Chryſoſtom. in eum locum notat, Chriſtum ſatisfeciſſe prius Judæorum offenſioni allatis hiſce verbis. Si Prophetæ à Deo miſſi vocantur Dii, cur ſcandalizamini quod me nominaverim Deum? deinde offenſione ſublatâ demonſtrare ſe non tantum nomine eſſe Deum ſicut erant Prophetæ, ſed operibus & reipsâ ideoque addere, ſi non facio opera Patris mei, nolite mihi credere. Quidam reſpondent , ab incluſione unius non debere procedi ad excluſionem alterius. Non ergo conſequens eſſe, quia Chriſtus eſt Deus *ratione officij*, utpote ſanctificatus & miſſus à Deo ad redimendum genus humanum , ideò non eſt *Deus ratione Naturæ*, cùm officium redemtionis veram Deitatem præſupponat, ſiquidem per nudam creaturam non potuit genus humanum liberari. Sed prior explicatio textui magis congruit & ſtrophas adverſariorum ſortius elidit. Confer locum de Deo Patre & æterno ejus Filio §. 25 ubi & reliqua Photinianorum objecta contra argumentum ex divinis nominibus ductum refutavimus.

47. Altera claſſis argumentorum deſumitur *ex attributis eſſentialibus* ſoli vero Deo propriis , quæ cùm ſint realiter unum cum ipſa divina eſſentia , ideò ex illis vera Chriſti Deitas rectè infertur. Tribuitur autem Chriſto 1. *æternitas*, quia ab æterno eſt à Patre genitus Pſalm. 2. verſic. 7. Mich. 5. verſ. 2. fuit ante mundum conditum Proverb. 8. verſ. 22. *In principio jamdum erat* Johan. 1. verſ. 1. 1. Ioh. 1. v. 1. *habuit gloriam apud Patrem antequam mundus fuit conditus*. Iohan. 17. verſ. 5. vocatur *Pater æternus* Eſai. 9. verſ. 6. tribuitur ei *Spiritus æternus*, hoc eſt, Deitas æterna Hebræor. 9. v. 14. dicitur *vita æterna* 1. Ioh. 5. verſ. 20. eſt πρωτότοκος (non πρωτόκτιστος) πάσης κτίσεως Coloſſ. 1. v. 15. *nec initium nec finem dierum habet* Hebræor. 7. verſ. 13. *eſt heri, hodie & in ſecula* Hebræor. 13. verſ. 8. eſt α & ω *primus & noviſſimus* Apocal. 1. verſ. 7. cap. 2. verſ. 8. ac propter æternitatem deſignandam tribuuntur illi *capilli candidi tanquam lana* Apoc. 1. verſ. 14. Confer Dan. 7. verſ. 9. ubi de Patre *antiquo dierum* dicitur. *Et capilli capitis ejus q. lana munda*, unde Rupertus in cap. 1. Apocal. pulcherrimè ſic commentatur. *Hujus atque illius capilli capitis æquè candidi ſunt, & utrque per candorem capitis ſenex oſtenditur nulla diſtantia, quia nec anno, nec menſe, nec die, nec hora, nec puncto temporis filius iſte junior eſt illo ſanè ſene Patre ſuo &c.* 2. *Immutabilitas* tàm in Natura quàm in decretis, promiſſionibus dictis & factis. Hebræor. 1. verſ. 11. & 12. ex Pſalm. 102. verſ. 28. *Tu idem ipſe es*. Hebræor. 13. verſ. 8. *Chriſtus idem in ſecula*. 3. *Immortalitas* , quia in ipſo eſt vita Iohan. 1. verſ. 4. non *accidentaliter*, quo modo in nobis eſt vita, ſed *eſſentialiter* , quia ut *Pater vitam habet in ſeipſo ſic dedit ei vitam habere in ſemetipſo*. Syr. בְּקְנוּמֵה *in eſſentia ſua* Iohan. 5. verſ. 26. unde vocatur *Dux vitæ* Actor. 3. verſ. 15. imò ipſa *vita* Ioh. 14. verſ. 6. 1. Ioh. 5. verſ. 20. *verbum vitæ* 1. Iohan. 1. verſ. 2. 4. *Infinitas & omnipræſentia*, quia eſt *in ſinu Patris*. Iohan. 1. verſ. 18. Pater ipſum ἐξαπέστειλεν *emiſit* vel ablegavit Galat. 4. verſ. 4. & in *mundum miſit* Iohan. 10. verſ. 36. cap. 17. verſ. 8. Ipſe *è cœlo deſcendit* Iohan. 6. verſ. 38. *à Patre exivit* Iohan. 8. verſ. 42. cap. 16. verſic. 28. ergo extitit ante ſuam ex Maria nativitatem , unde incarnatio ejus vocatur *manifeſtatio in carne* 1. Timoth. 3. verſicul. 16. ἐπιλαμβάνεσθαι *aſſumtio ſeminis Abrahæ* Hebræor. 2. verſ. 16. *adventus in carne* 1. Ioh. 4. verſ. 2. *introitus in mundum* Hebr.

2. Ex attributis divinis eſſentialibus.

Digitized by Google

Hebr.10.v.5.quâ ratione à priore videl. à tempore incarnationem antegreſſo ejus infinitas demõſtratur. Eadem etiam probari poteſt à poſteriori videl. à tempore incaı nationem ſecuto, quia congregatis in ſuo nomine promittit ſuam præſentiam Matth.18.v.20. uſque ad finem mundi ſe nobiſcum fore promittit Matth.28.v.20. *ambulat in medio candelabrorum* Apoc.1.v.13. cùm in terris verſaretur, in cœlo erat Ioh.3.v.13.&c. 5. *Omnipotentia*, quia vocatur *Dominus omnipotens* Apoc.1.v.8.cap.11.v.17. *Dei virtus* Luc.1. v.35. 1.Cor.1.v.24. *Deus fortis* Eſ. 9.v.6. tribuitur illi efficax vis, *quâ poſſit ſibi ſubjicere omnia.* Philip.3. v.20. *Omnia ipſi à Patre* dicuntur *tradita* Matth. 11.v.26. *omnia pedibus ejus ſubjecta* Pſalm. 8.v.7. *omnia in manus ejus tradita* Ioh.3. v.35. 6. *Omniſcientia ac omniſapientia*, quia vocatur ipſa *ſapientia* Prov.8.v.22.Matth.11.v.19.Luc.11. v. 49.1. Cor.1.v.24. *novit omnia* Joh.16.v.30. cap.21. v. 17. *novit quid ſit in homine* Ioh.2.v.25. *probat corda & renes* Apoc.2.v.23. *in ipſo omnes theſauri ſapientiæ ac ſcientiæ reconditi* Coloſſ.2.v.3. (Dan.8. v.13. dicitur פַּלְמוֹנִי quia arcana & occulta Patris omnia apud ſe habet tanquam numerata & perfectiſſimè cognita.) 7. *Summa agendi libertas* Ioh. 5.verſ.21. *vivificat quos vult* Job.10.v.18. *poteſtatem habeo ponendi animam meam ἀπ' ἐμαυτοῦ*, unde αὐτοκρατορικῶς dicit ad leproſum Matth.8. v. 3. *Volo mundus eſto*, perinde ut de Deo vero dicitur Pſalm.115.v.3. *quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra.* 8. *Divina majeſtas & gloria.* Confer Exod. 16.v.7. cum 1.Cor.10.v.9. Eſa.6.v.3.cum Johan.12.v.41. vocatur *Deus benedictus ſuper omnia* Rom.9.v.5. *Dominus gloriæ* 1. Corinth.2. verſ. 8. *Rex Regum & Dominus dominantium* Apoc. 17. verſ.14. cap.19.verſ.16. 9. ac ne reliqua attributa omnia enumerare neceſſarium ſit, tribuitur illi *æqualitas* cum Patre Ioh.5.verſ.18. Philip. 2. verſ. 6. propter quam dicitur *habere omnia quæ Pater habet* Iohan.16.verſ.15.cap.17 v.10. *imò eſſe unum cum Patre* Johan.10.verſ.30.1. Johan. 5.verſ.7. *ac tota plenitudo Deitatis in ipſo habitare dicitur* Coloſſ.2.v.9.

48. Circa hanc argumentorum claſſem *in genere* obſerva, prudenter quidem diſtinguenda eſſe dicta, quæ de communicatione divinæ eſſentiæ per ęternam generationem juxta divinam Nat. Chriſto facta loquuntur ab ijs, quæ de donis verè divinis & infinitis juxta humanã Nat. perſonaliter ipſi communicatis loquuntur, interim tamen ex poſteriori dictorum genere non minùs quàm ex priori veram Chriſti divinitatem ἑπομένως & conſequenter probari poſſe. Niſi enim humana Natura τῷ Λόγῳ eſſet perſonaliter unita, hoc eſt, niſi Chriſtus in perſonæ unitate eſſet verus Deus & verus homo, non potuiſſet humana Natura illius dignitatis per idiomatum communicationem particeps reddi. Confer Diſput. 9. de gloria Dei theſ.13. *In ſpecie*: *circa æternitatem* nota, 1. quod ipſimet adverſarij Photiniani agnoſcant ex æternitate divinitatem Filii immotè demonſtrari. Oſtorodus in Inſtit. Germ. cap. 8. *Si demonſtrari poſſet, Chriſtum fuiſſe ab æterno, ſimpliciter ex eo concludi poſſet, quod habeat divinam Naturam, hoc eſt, quod ſit unus ille verus Deus.* 2. quod contra Photinianos meritò urgeantur dicta illa, in quibus Chriſtus dicitur fuiſſe ante Mariam virginem, ante Johannem Baptiſtam, ante Abrahamum, &c. Quamvis enim non poſſit ita nudè & crudè inferri. Chriſtus fuit ante Iohannem Baptiſtam & Abrahamum, ergo extitit ab æterno, tamen contra Photiuianos, qui initium exiſtendi Chriſtum in ſua ex Maria virgine nativitate ſortitum fuiſſe aſſerunt ac inter generationem ab æterno & conceptionem ex Maria virgine nihil intermedium agnoſcunt, rectè ita concludi poteſt, Chriſtus extitit ante ſuam ex matre nativitatem. Ergo eſt ab æterno à Patre genitus & æternus Deus. 3. Quamvis Vorſtius tract. de Deo p. 224. neget, eſſe ἰσοδυναμοῦντα *fuiſſe ante conditum mundum & extitiſſe ab æterno*, tamen tota Scriptura evideoter ei adverſatur, quæ hac æternitatis deſcriptione perpetuò utitur Pſalm. 90. verſ.3. Prov.8.v.24. Ioh.17.v.3.&c. Confer Eph. 1.v.4. 2. Tim. 1.verſ.9. Priusquam muodus extitit nihil fuit niſi Deus æternus, quia inter Deum creatorem & mundum ſeu creaturas in tempore conditas nullum eſt intermedium. Confer dicta ſuperius in art. de Natura & attributis divinis cap. de æternitate. 4. Quamvis vox ἀρχῆς principium temporis ſignificet, tamen ex phraſi Iohannæa: *In principio erat Verbum* Iohan.1.verſ.1. rectè infertur Filii æternitas. Non enim dicit Johannes, in principio factum fuiſſe λόγον, ſicut Moſes dicit, *Deum in principio feciſſe cœlum & terram* Gen.1.verſ.1. ſed in principio illo dicit jamdum extitiſſe λόγον, eo ipſo igitur indicat, λόγον non eſſe unà cum reliquis creaturis conditum ac temporis initium ſuiſſe ſortitum, ſed æternam habere exiſtentiam. Auguſt. Epiſt. 66. *Non ſicut in principio Deus fecit cœlum & terram, ita in principio fecit Verbum, ſed in principio erat Verbum.* Quidã ex veteribus nomine principii intelligũt quodvis principium extra Deum, quod ante creationem à Moſe deſcriptam cogitari ponive poteſt, quodcuuque enim aſſumas principium, ſemper reſpondet Iohannes, in principio illo jamdum erat, non incipiebat λόγος. Hilarius libr. 2. de Trinit. p. 17. *Quid eſt iſtud? in principio erat? tranſcenduntur tempora, tranſcenduntur ſecula, tolluntur ætates. Pone aliquid quod voles tuâ principium opinione, non tenes tempore, erat enim.* Quidam principii nomine formaliter & directè ipſam æternitatem intelligunt, quæ eſt principium ſine principio, unde phraſis ἐν ἀρχῇ vel ἀπ' ἀρχῆς quandoque notat æternitatem 2. Theſſ.2. verſ.13. 1. Iohan.2.v.13.&c. Baſilius lib. 2. contra Eunom. *Non eſt poſſibile principio quid antiquius cogitare, non enim eſſet principium, ſiquidante ſe haberet ſuperius.* Sed oſtendit collatio Johannem phraſin ſuam ex Moſe deſumſiſſe, ideò primam explicationem textui magis congruam exiſtimamus, quamvis poſteriores etiam fidei analogiæ rectiſſimè congruant. 5. Ex æternitate Patris, quatenus talis, æternitas Filii rectè infertur, τὰ γὰρ πρός τι ἅμα τῇ φύσει. Ariſtot. in categ. cap. 7. hinc Damaſcen. lib. 1. orth. fid. cap. 8. οὐ γὰρ ἦν ποτε ὁ πατὴρ ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱός, ἀλλ' ἅμα. Πατὴρ ἅμα υἱὸς ὁ ἐξ αὐτοῦ γεγεννημένος. Πατὴρ γὰρ ἐκτὸς υἱοῦ οὐκ ἂν λεχθείη· εἰ δ' ἦν μὴ ἔχων υἱὸν οὐκ ἦν Πατήρ. Si Pater in tempore cœpiſſet Filium gignere, nec æternus eſſet Pater, nec immutabilis Deus. Hilarius lib. 12. de Trinit. *Aut non ſemper Pater, ſi non ſemper Filius, aut ſi ſemper Pater, ſemper & Filius, quia quantum temporis Filio, ne ſemper Filius fuerit, abnegabitur, tantum Patri deeſt, ne ſemper Pater ſit.* Iſidor. Peluſiot. libr. 1. Epiſt 241. p. 56. *Si Deus ſemper ſui ſimilis eſt, nec quicquam unquam ipſi acce-*

accedit, Pater ſemper ſit neceſſe eſt. Quod ſi ſemper Pater eſt, ſequatur ut Filium quoq; ſemper habuerit, ex quo conficitur eum eandem cum Patre æternitatem habere.

49. 2. Circa *immutabilitatem* nota Apoſtolũ dictum Pſal. 102. v. 28. non *partialiter* ratione poſteriorum duntaxat verborum de mundi abolitione, ſed *totaliter*; nec *occaſionaliter* duntaxat, ſed *directè* ad Chriſtum accommodare, quia conſtat ex ſcopo Pſalmi, eum de Chriſto agere & addit Apoſtolus particulam copulativam καὶ v. 10. quæ priora æquè ac poſteriora Chriſto competere oſtendit, quodque v. 8. probandum ſibi ſumpſerat Apoſtolus, videl. Chriſtum eſſe verum Deum Id inter reliqua probat ex eo, quia eſt immutabilis & quia cœlum ac terram condidit, quo utroq; argumento vera Deitas efficaciſſimè probatur. Addo & hoc, ſi Chriſtus cœlos aliquando mutabit & mundum abolebit, utique etiam ab initio cœlos & mũdum condidit, ratio eſt, quia David utrumque nemini niſi Deo æterno & ἀναλλοιώτῳ competere evidenter docet. Sed illud. Ergo & hoc. 3. Circa *immortalitatem* nota, 1. quod quando *ſolus Pater* dicitur *habere immortalitatem* 1. Tim. 6. v. 16. per particulam *ſolus* nõ excludatur Filius, qui eandem cum Patre habet Deitatem, ſed creaturæ & fictitia Numina, confertur enim Deus Pater cum Regibus terrenis, qui omnes mortales ſunt, non cum reliquis divinitatis perſonis, ut rectè anotat Chryſoſtomus. 2. quodque Filius non ſecundùm Deitatem, ſed in aſſumta hum. Natura fuerit mortuus, nec ex neceſſitate, ſed ex libera voluntate. Denique 3. quod Filius dicatur *vitam habere in ſeipſo* Ioh. 5. 26. cùm de creaturis dicatur, *quod in DEO ſint & vivant* Act. 17. & 28. 4. Circa *infinitatem* nota omnipræſentiam non eſſe quidem ipſam infinitatem & immenſitatem eſſentialem, ut in tract. de attrib. div. Sect. 8. multis oſtendimus, interim dicta, quæ de omnipræſentia loquuntur, ad infinitatis & immenſitatis demonſtrationem rectè accommodari, quia Chriſtus ut Deus eſſentiæ ſuæ immenſitate omnipræſens eſt, ut homo omnipræſens eſt, non quia humana Natura eſſentialiter eſt infinita, nec quia per unionem facta eſt infinita & immenſa, ſed quia in infinitam λόγου ὑπόστασιν per unionem perſonalem eſt evecta & ad illocalem Dei dextram per exaltationem collocata.

50. 5. *Circa omniſcientiam* nota 1. diſtinguenda eſſe dona ſcientiæ habitualia, quorum reſpectu Chriſtus *ſapientiâ creviſſe* dicitur Luc. 2. v. 52. ab infinita & omnis incrementi ac decrementi expertè ſapientia, quâ jam inde à primo conceptionis momento plenus fuit Luc. 2. verſ. 40. 2. quod Chriſtus ſe *à Patre audiviſſe dicit*, quæ loquitur Iohan. 8. v. 27. id vel ad humanam ejus Naturam referendum, ut ſit dictum more humano, quod nihil novi in miniſterio proferat, ſed illud ipſum, quod pater cœleſtis ipſi prædicandum demandaverat, vel cum Cyrillo, Chryſoſtomo & Auguſtino reſpondendum, quod Chriſtus à Patre audiat *non diſcendo, quod ignorabat, ſed eandem cum Patre Naturam per æternam generationem accipiendo*, perinde ut de Spiritu ſanct. dicitur Ioh. 16. v. 13. *non loquetur à ſemetipſo, ſed quæ audierit, loquetur*, in quem locum ſic commentatur Auguſt. tractat. 99. in Johan. *Non loquetur à ſemetipſo, quia non eſt à ſemetipſo. Ab illo audiet, à quo procedit. Audire illi ſcire eſt, ſcire vero eſſe*. 3. quod ſolus Chriſtus dicatur noſſe Patrem Matth. 11. 27. aut ergo in Vet. Teſtam. nullus cognovit Deum aut cognitionem Dei ab hoc λόγῳ acceperunt & per conſeq. hic λόγος fuit ἐνυπόστατος antequam fieret caro. 6. *Circa agendi libertatem* nota, quod à ſe agere diverſo reſpectu tribuatur & denegetur Chriſto. Illud Ioh. 10. v. 18 *depono animam ἀπ' ἐμαυτοῦ*. Hoc, Ioh. 5. verſ. 19. *Non poteſt Filius a ſe quicquam facere.* A ſe agere dicitur is, qui poteſtate agit, quæ ipſi ita propria eſt & naturalis, ut eam non ab alio acceperit, hoc ſenſu negat Chriſtus ſe agere à ſeipſo, quia poteſtatem ſuam per æternam generationem à Patre accepit. A ſe etiam is dicitur agere, qui propriâ & naturali poteſtate quidem agit, interim tamen eam ab alio accepit, hoc modo à ſe ſive per ſe agere dicitur Filius. Quando ergo Filius negat ſe quicquam à ſemetipſo facere poſſe, reſpectum habet tum ad ὁμοουσίαν ac ταὐτότητα eſſentiæ in Patre & Filio, tum ad ſuam à Patre generationem & ordinem perſonalem, tum ad honoris ἰσότητα & æqualitatem Thom. p. 1. quæſt. 42. artic. 6. ad 1. *Natura divina hæc unitatis eſt, ut ita per ſe agat Filius, ut non agat a ſe.* A proprietatibus perſonalibus diſtinctis non poteſt eſſentiæ diverſitas concludi. Chriſtus potentiam agendi non habet à ſeipſo, ſed à Patre per æternam generationem, interim tamen eadem facit, quæ Pater, quia eandem numero eſſentiam per generationem à Patre accepit.

51. 7. *Circa æqualitatem* nota 1. Quamvis æqualitas propriè & accuratè loquendo non ſit eſſentiale Dei attributum, cùm non ſit aliquid abſolutum, nec in abſtracto de Deo prædicetur, tamen ad hanc argumentorum claſſem reducitur ratione ſui fundamenti. Æqualitas enim eſt relatio inter duo vel plura æqualia. Hujus relationis ſcil. æqualitatis in Patre & Filio fundamentum eſt unitas potentiæ, ſapientiæ & ipſius divinæ eſſentiæ, inde enim atque ideò Filius Patri eſt æqualis, quia eſt ipſi συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος habens omnia quæ Pater habet. 2. cùm eſſentia divina ſit infinita, ſimpliciſſima, ἀμερὴς &c. ideo Filius Dei aut ex toto aut nullo modo Patri æqualis eſt dicendus, ex parte v. æqualis, ex parte autem inæqualis dici nequit. Si enim in minimo eſt inæqualis, nullo modo eſt æqualis, quia eſſentia divina eſt indiviſibilis & quia attributa non ſunt in Deo accidentia ſed ipſa eſſentia. 3. Quãdo Chriſtus dicitur Deo æqualis, tum nomen Dei accipitur ὑποστατικῶς pro perſona Patris. Fruſtra igitur inferunt Photiniani: *Qui eſt Deo æqualis, non eſt ipſe Deus: Chriſtus eſt Deo æqualis. Ergo non eſt ipſe Deus*, Socin. contra Bell. c. 5. claſſ. 3. arg. 3. p. 253. hoc enim tantum ſequitur, ergo non eſt Pater, interim tamen eſt unus verus cum Patre Deus, aliàs Patri ſuo æqualis non eſſet. Photiniani contra locum Ioh. 5. v. 18. regerunt, *Evangeliſtam referre opinionem Iudæorum*. Reſp. ipſe Socinus contra Bellarminum & Wiekum cap. 5. claſſ. 3. argum. 3. p. 259. agnoſcit: *Evangeliſtam idem cum Iudæis cenſuiſſe, quod Chriſtus ſe Deo æqualem his verbis fecerit, idq; ex ſono verborum elucere, ait.* Addimus ex Chryſoſt. Cyrill & Auguſt. h. l. Si falſa fuiſſet opinio Judæorum, certè Chriſtus aut Evangeliſta admonuiſſent, ne in tanta re erraremus, Joh. 2. v. 21. & cap. 21. v. 23. tantum autem abeſt, ut Chriſtus corrigat, ut potius confirmet. De dicto Johan. 10. verſicul. 30. *Ego & Pater unum ſumus*, vide Diſput. 2. ex loco 1. Joh. 5. Tres ſunt &c. §. 22.

52. Ter-

3. Ex proprietate Filii perſonali.

52. Tertia claſſis argumentorum petitur ex *proprietate Filij perſonali*, quæ reſpectu ad Patrem primam Deitatis perſonam habito eſt *generatio*, ut vocant, *paſſiva*, quod ſcil. eſt ab æterno à Patre genitus; reſpectu ad Spiritum ſanct. tertiam Deitatis perſonam habito eſt *ſpiratio*, ut vocant, *activa*, quod ſcil. unà cum Patre ab æterno ſpirat Spiritum ſanctum, ubi ſic concludimus: Qui eſt ab æterno à Patre genitus & unà cum Patre ab æterno ſpirat Spiritum ſanctum, is eſt verus Deus. Ratio prioris eſt, quia *non eſt fas Dei Filium degenerem ſuſpicari, ſed æqualis neceſſe eſt fateri altitudinis & ejuſdem prorſus dignitatis*. Juſt. in ἐκθ. πίϛ. p. 294. ὁρῶμεν ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ τῆς αὐτῆς οὐσίας ὑπάρχοντα τοῖς γεννῶσι τὰ γεννώμενα, *nam & filios Principum Principes & filios Regum Reges eſſe quis neſciat*? Bernh. ſerm. 1. de adv. col. 1. *Vitioſa & mõſtroſa eſſet Dei generatio, ſi ex ejus utero prodiiſſet diverſa Natura*. Auguſt. lib. 3. contra Maxim. cap. 18. Ratio poſterioris eſt, quia Spiritus ſanct. eſt Dei virtus, ut Photiniani concedunt, eſt perſona divina, ut ſuo loco demonſtratur. Quod ſi ergo à Filio procedit verus Deus, utique etiam Filium oportet eſſe verum Deum. Atqui Filius eſt ab æterno à Patre genitus & à Filio procedit Spiritus ſanctus. E.

53. Poſterius aſſumti membrum latè demonſtratum fuit tract. de Spir. ſanct. §. 73. Vocatur *Spiritus Chriſti* Rom. 8. v. 10. *Spiritus Filij* Galat. 4. v. 6. *Spiritus Elohim* Patris & Filii Gen. 1. v. 2. *Spiritus labiorum & oris Chriſti* Eſai. 11. verſ. 4. 2. Theſſ. 2. v. 8. qui ſua à Chriſto accipit per æternã ſcil. proceſſionem Johan. 16. v. 14. quem Chriſtus mittit & ſperando ſive *inſufflando* communicat Ioh. 15. v. 26. cap. 20. v. 22. Prius conſtat ex eo 1. quia ipſum ab ęterno eſſe genitum expreſſis verbis Scriptura teſtatur, Pſal. 2. v. 7. Hebr. 1. v. 5. *hodie genui te*. Pſal. 72. v. 17. *ante Solem filiatum eſt nomen ejus*. Prov. 8. v. 24. *nondum erant abyſſi & genita ſum*. Mich. 5 v. 2. *egreſſus ejus à diebus æternitatis*. 2. quia dicitur *Dei Filius* Pſal. 2. v. 7. Prov. 30. v. 4. in N. T. paſſim *unigenitus à Patre* Iohan. 1. v. 14. cap. 3. v. 16. *proprius* Ioh. 5. v. 18. Rom. 8. v. 32. *primogenitus* Hebr. 1. verſ. 6. πρωτότοκος *omnis creaturæ* Coloſſ. 1, 15. Vide loc. §. 155. 3. quia vocatur ὁ Λόγος Joh. 1, 1. & 14. 1. Ioh. 1, 1. & 3. cap. 5, 7. Apoc. 19. 13. (quidam addunt Luc. 1, 2. Hebr. 4, 12. c. 11, 3.) דבר *Verbum* Geneſ. 1, 2. Pſal. 33, 6. quidam addunt 1. Sam. 3, 21. *locutus eſt Iehovah Samueli in Silo, in verbo Iehovah*, ut Chaldæus vertit, hoc eſt, per legatum & oratorem Patris.) 2. Samuel. 7, 20. *propter verbum tuum præſtas res maximas*, quod 1. Paral. 17, 19 ſic redditur, *propter ſervum tuum, hoc eſt, Meſſiam Legatum tuum* Eſa. 53, 11. *præſtas rem maximam* 2. Sam. 23, 2. Dan. 8, 13. הַמְדַבֵּר *loquens* dicitur quia eſt interpres paternæ voluntatis. Hûc referri poſſunt omnia loca V. T. in quibus Chaldaica paraphraſis Filium Dei vocat *Maimerah* Geneſ. 24, 3, cap. 48, 21. Eſai. 8, 5. cap. 26, 4. Oſe. 1, 7. &c. quæ Selneccerus peculiari libro expoſuit An. 76. edito. Eſt autem Λόγος non προφορικὸς ſeu ψιλὸς *prolatus enunciatio*, nec λόγος ἐνδιάθετος *internus ſive inditus*, qui Angelis & menti humanæ convenit non Deo, nec λόγος ἔμφυτος *innatus*, qualis eſt intellectus noſtri apud ſe & per ſe, ſed οὐσιώδης, ὑφιϛὰς καὶ ὑποϛατικὸς *eſſentialis, ſubſtantialis & ſubſiſtens*, quia λόγος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν Iohan. 1, 1. Confer Athanaſ. orat. 5. contra Arian. & in tractat. de definitionibus tom. 2. p. 59. Dicitur λόγος non *tantùm officij*, ſed etiam *perſonæ* reſpectu, non tantum κατ᾽ ἕξιν, ſed etiam κατ᾽ ἴσιν, quia ἐκ τοῦ νοῦ προῆλθε per æternam à Patre generationem. 4. quia dicitur *ſubſtantialis imago Patris* Sap. 3, 26. 2. Cor. 4, 4. Coloſſ. 1, 15. χαρακτὴρ τῆς ὑποϛάσεως αὐτοῦ. 5. ἀπαύγασμα τῆς δόξης Hebr. 1, 3. *Qui enim videt Filium, is videt etiam Patrem* Ioh. 14. v. 9. utrumque reſpicit ad æternam à Patre generationem. Imago enim notat relationem producti ac producentem & fundatur in divina eſſentia non abſolutè, ſed quatenus Filius per æternam à Patre generationem eam accipit; ac ut ſplendor Solis à Sole naſcitur, ſimul cum Sole emergit & lucem Solis ad amuſſim exprimit, ſic Filius à Patre genitus eſt ipſi συναΐδιος καὶ ὁμοούσιος. Confer loc. §. 153. & ſeqq.

54. Circa hanc argumentorum claſſem obſerva 1. Chriſtum vocari Dei Filium *abſolutè, perpetuò & ſimpliciter*. Ergo non eſt Filius Dei adoptivus, qui enim per gratiam adoptionis duntaxat ſunt filii non perpetuò nec abſolutè ſic vocantur, quod argumentum urget Athanaſ. orat. 3. contra Arian. Chriſtum ita vocari Dei Filium ut præferatur Filiis adoptivis & ab illis longiſſimo intervallo diſtinguatur Matth. 16. v. 15. *Tu es Chriſtus* ὁ υἱὸς *Dei vivi*, ubi additur articulus διακριτικὸς, quo ab Elia, Jeremia, Baptiſta, & aliis adoptivis filiis diſcernitur, quod argumentum urget Hilar. lib. 6. de Trinit. Theoph. in cap. 16. Matth. ſic Galat. 4, v. 4. *miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut adoptionem filiorum reciperemus*, ubi Chriſtus tanquam Filius Dei naturalis ab adoptivis longiſſimè diſcernitur. Chriſtum vocari Dei Filium *propter operationem Naturæ*, ut loquitur Ambroſ. libr. 4. de fid. cap. 4. hoc eſt, propter æternam à Patre generationem. Pſal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, unde etiam vocatur μονογενὴς *unigenitus*. Atqui adoptivi filij ſunt plures, cum ergo hic ſit unigenitus, & quidem ὁ μονογενὴς cum articulo, utique eſt filius non adoptione ſed Naturâ. Chriſtum vocari talem filium, qui ſit *in ſinu Patris*, hoc eſt, ejuſdem cum Patre eſſentiæ ac Naturæ, ut exponit Aug. tract. 3. in Joh. Cyrill. lib. 1. in Ioh. cap. 22. nec dicitur aliquando fuiſſe, ſed adhuc *eſſe in ſinu Patris*, quia cum in terris verſaretur ratione divinæ Naturæ, non diſceſſerat à Patre, denique Chriſtum vocari non modò filium *unicum & unigenitum & proprium*, ſed etiam *Patri æqualem* Iohan. 5. verſ. 18. Philip. 2. verſ. 6. at non poſſet eſſe æqualis Patri, ſi adoptione tantum filius eſſet, non Naturâ. (Quomodo filius Dei naturalis & proprius ab adoptivis filiis diſtinguatur, egregiè diſſerit Alexander Epiſcopus Alexãdrin. apud Socrat. lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 6.) Concidit ergo ſubterfugium Photinianorum, quo *Chriſtũ* dicunt *eſſe filium adoptivum*, q̃ olim etiã faciebant Ariani ut cõſtat ex Epiſt. Arii apud Euſeb. Socin. in lib. de Script. autor. cap. 6. §. *jam quod attinet. Hominem Chriſtum divinam adoptionem adeptum eſſe aſſerit*. Schmaltz. in ex. 157. error p. 8. *Dicimus Chriſtum etiam adoptivum filium appellari poſſe, quia ſc. nõ ſemper talis Dei filius fuerit, qualis fuit, cùm in terris munus ſuum obiret, & qualis nunc eſt, quando in cœlis regnat, ſed talis ſingulari Dei gratia effectus eſt*. Idem Schmaltz. in exam. 157. error. p. 27. negat, *credentes propriè eſſe adoptivos Dei filios, quia adoptivus propriè ſignificat eum, qui cum antea non eſſet alicujus filius poſtea adoptatus, adoptatus autem tantum pro filio habetur, & ut filius*

tra-

tractatur, cum revera non ſit filius à quo adoptatur, nec filius ejus propriè appellari poſſit, quorum mentrum credentibus competere dicie, quia ſunt ex DEO nati & participes divinæ Nat. futuri. 2. Quadruplicem duntaxat filiationem in Seripturis deſcribi: Una eſt *per eſſentia communicationem*, altera *per unionem*, tertia *per creationem*, quarta *per adoptionem*. Filiatio *per eſſentiæ communicationem* duplex eſt, aut n. eſt per totius eſſentiæ & numero ejusdem eſſentię communicationem aut per commuoicationem partis eſſentiæ ac ſpecie duntaxat ejusdem eſſentiæ. Illa tantum habet locum in eſſentia infinita, ideoque locum habet tantum in generatione Filii Dei, Pater enim totam ſuam eſſentiam & numero eandem eſſentiam λόγῳ communicat per æternam generationem & eandẽ totam ſibi reſervat. Hæc locum habet in eſſentia finita, ideoque eâ generatur homo, nõ enim totam eſſentiam ſed partem eſſentiæ, nec eandem numero ſed ſpecie eſſentiam in bumanis Pater Filio cõmunicat. Filiatio per *unionem* competit Chriſto ſecundum hum. Naturam. Filiatio *per creationem* itidem duplex eſt: 1. *per creationem immediatam* competit Angelis; qui ob id dicnntur filii Dei Iob. 1. v. 6. cap. 38. v. 7. & ut quidam volunt Adamo ante lapſum Luc. 3. v. 38. 2. *per creationem mediatam* omnibus creaturis Malach. 2. v. 10. *nunquid non Pater unum omnium*. Job. 38. v. 28. *Quis eſt Pater pluviæ?* Filiatio *per adoptionem* competit credentibus in Chriſtum Ioh. 1. v. 9. Eph. 1. v. 5. Gal. 4. v. 5. præter hos filiationis modos fruſtra quæſiveris alios. Concidunt igitur varii illi ac diverſi modi, propter quos Chriſtum Dei filium dici nugantur Photiniani. Vorſtius Photinianizans triplicem in Chriſto filiationem ſtatuit, 1. pertinet *ad Chriſti ortum. 2. ad ſanctificationem ſeu unctionem. 3. ad reſurrectionem*. Socin. contra Bell. p. 208. profert 1. *dilectionis excellentiam. 2. hereditatem omnium Chriſto datam. 3. denominationem filiorum DEI à Chriſto. 4. Chriſti prærogativam. 5. nativitatem ex Maria virgine. 6. reſurrectionem & exaltationem.* Sed hæc omnia dicuntur ἄτερ γραφῆς. 3. Diſtinguẽdum eſſe inter ipſam λόγου *filiationem* & *filiationis declarationem* ſeu manifeſtationem. Filiatio ipſa unicè in æterna à Patre generatione conſiſtit, ut apparet ex eo, quod vocatur Dei filius, quia eſt ὁ μονογενὴς τοῦ Πατρὸς. Ut enim genitus à Patre propriè dicitur is, qui ex ſubſtantia Patris ſui genitus eſt, ſic *unigenitus à Patre* dicitur, qui unicus eſt à Patre genitus & præterea nullus alius. Declaratio v. ſ. emanifeſtatio Filiationis eſt varia & multiplex, arguit enim divinitatem & conſequenter æternam Filij ex Patre generationem, ipſius conceptio ex S. S. reſurrectio ex mortuis & glorioſa exaltatio. Corruit ergo Photinianorum Sophiſma, quod Chriſtus dicatur *Dei Fil. propter conceptionem ex Sp. S. & reſurrectionem ex mortuis*. 4. Pſal. 2. v. 7. propriè dictam & æternam generationem deſcribi. Agitnt enim de tali generatione, quæ antegreſſa eſt mundi creationem, ut colligitur ex Prov. 8. verſ. 24. quæ Angelorum creationem longiſſimo intervallo excedit, nec cum ea quicquã commune habet, ut colligitur ex Hebr. 1. v. 5. per quam producitur Filius Dei eſſentialis & æternus, ut colligitur ex verſu ult. Pſalmi, qui in eum docet eſſe ſperandum, quæ eſt æterni & immutabilis Dei actio interna, ac proinde etiam æterna, ut conſtat ex definitione generationis ꝓpriè acceptæ, quod ſit viventis ex ſubſtantia gignentis productio. Cõcidit ergo delirium Photinianorum, quo ſtatuunt Pſal. 2. v. 7. temporalem generationem deſcribi. 5. Act. 13. v. 13. cauſam & formale filiationis nequaquam ſtatui in reſurrectione ex mortuis, ſed vel ob declarationem ac manifeſtationem ad reſurrectionẽ Chriſti accommodati dictum Pſaltis Rom. 1. v. 4. vel quod textui cõvenientius miſſionem Filii Dei in carnem ejusque veram divinitatem allegatione illius dicti ab Apoſtolo demonſtrari, quam ſententiam probamus 1. *ex ſcopi conſideratione*, qui duplex ut conſtat ex v. 23. 26. & 30. videl. quod Jeſus Nazarenus ſit Dei Filius promiſſus, Meſſias divinitùs in N. T. exhibitus, quod eũdem à Judæis interſectum Pater cœleſtis ſuſcitaverit. Cùm ergo probationis loco tria V. T. vaticinia Apoſtolus adducat, primum ex Pſ. 2. v. 7. petitum ad probandam priorem ſcopi hujus partem, duo poſteriora ex Eſa. 55. v. 3. & Pſ. 16. v. 10. ad poſteriorem ſcopi partem demonſtandam referuntur. 2. *ex connexione* v. 32. & 33. *Annunciamus vobis* (inquit Apoſtolus) *eam quæ ad Patres noſtros facta eſt promiſſionem, ὅτι quoniam eã Deus adimplevit filiis ſuis ſuſcitans nobis Ieſum. ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum*. Quæ v. ſit illa promiſſio patet ex v. 23. *Deus ex ſemine David ſecundũ promiſſionẽ ἤγειρε excitavit* vel ſuſcitavit *Iſraeli Salvatorem Ieſum. 3. ex oppoſitione*. v. 34. additur particula adverſativa δὲ ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν, utique ergo in v. 33. nondum de reſurrectione ex mortuis Apoſtolus egerat, quorſum o. in unius ejusdemque rei probatione particulam adverſativam adhiberet? 4. *ex phraſeos ſignificatione*. μεταστήσας v. 22. uſurpatur pro remotione, ergo ἀναστήσας v. 33. ſenſu contrario uſurpatur pro miſſione vel ſuſcitatione. Item reſurrectio ex mortuis v. 34. non ſimpliciter vocatur ἀνάστασις ſed determinatè additur ἐκ νεκρῶν. 5. *ex aliorum locorum collatione* tum *quoad rem*, quia hoc doctrinæ Chriſtianæ caput primarium quod Chriſtus ſit Dei Filius ac promiſſus Meſſias divinitùs exhibitus in omnib. concionibus ſuis præcipuè urgent Apoſtoli Act. 2. v. 22. cap. 3. v. 13. c. 9. v. 20. tum *quoad phraſin*, quia in aliis etiam Scripturæ locis participium ἀναστήσας abſolutè poſitum ſignificat *ſuſcitavit, miſit, conſtituit*. Act. 3. v. 21. *Prophetam ἀναστήσει* v. 26. *vobis primum Deus ſuſcitans filium ſuum miſit eũ*. cap. 7. v. 37. *Prophetam ſuſcitabit vobis Deus*. Rom. 15. v. 12. *ὁ ἀνιστάμενος ſurgens regere gentes*. 6. *ex verborum collocatione*. Apoſtolus nequaquam dicit, quod Deus Chriſtum ſuſcitaverit ſc. ex mortuis, ſed quod *ſuſcitaverit, exhibuerit, miſerit Ἰησοῦν*, h. e. Filium ſuũ in carnẽ, ut eſſet Ieſus ſive Salvator, promiſſus ille Meſſias, perinde ut in v. 23. dixerat, *Deus ex ſemine Davidis excitavit Iſraeli Salvatorẽ Ieſum. 7. ex rationũ collectione*. Quod Chriſtꝰ ante reſurrectionẽ habuit, id nõ accepit per reſurrectionẽ. Sed Chriſtus ante reſurrectionẽ fuit Dei Filius. E. Quod nõ facit ut Chriſtus ſit Dei Filius, id nõ poteſt intelligi v[illegible] generatiõis. Sed reſuſcitatio ex mortuis nõ facit ut Chriſtus ſit Dei Filius. E. Si gignere eſt idẽ quod reſuſcitare, ſequitur, quod Filius Dei ſeipsũ genuerit, quia ſeipſum ex mortuis ſuſcitavit. Concidit ergo hypotheſis Photinianorũ, quâ ſtatuũt, *Filiũ dici à patre genitũ propter ſuã ex mortuis reſurrectionẽ*. Oſtor. in Inſt. Germ. c. 7. p. 54. quâ in parte quosdã ex Calvinianis habent ſibi conſentientes. Tilen. in not. ad Bellarm. lib. 1. de Chriſto c. 5. *Quia negare non poſſumus interpretationem illam multis & veterum & recentiorum videri co-*

actum. largiri poſſumus adverſarius de reſurrectione aptiùs accipe. 6. Luc. 1. verſ. 36. *ideò quod ex te naſcetur, ſanctum Filius Dei vocabitur* totius concionis Angelicæ præcedentis συμπέρασμα ex omnibus antecedentibus collectum & illatum proponi hoc ſenſu. Quia Filius ille, quem concipies & paries erit Ieſus promiſſus ille Meſſias, cui Pater cœleſtis dabit ſedem David, ideò etiam vocabitur & erit Dei Filius, conſtat enim ex omnibus V. T. oraculis, quæ de Meſſia loquuntur, talem prædici Meſſiam, qui ſit in perſonæ unitate Deus & homo. Quod ſi ad proximè præcedentia referre velimus, reſpectus habetur ad divinæ & hum. Naturæ unionem, quæ non minùs ad operationem Spir. ſanct. in Chriſti conceptione pertinet, quam ἐμμεσ☉ ἐνέργεια & θαυμάσι☉ ἁγιασμὸς, h. e. quod Spir. S. dederit Mariæ vim & facultatem concipiendi ſine virili ſemine & quod maſſam illam vel guttas ſanguinis, ex quibus Filius Dei corporis habitaculum extruxit, à peccati labe mundaverit. Greg. lib. 18. moral. c. 12. Beda in Luc. 1. *Virtus Altiſſimi eſt Verbum Dei, quod carnem induit, ac ideò filius Mariæ filius Altiſſimi dicitur.* In fumum ergo abit Photinianorum inſultus, quod Angelus propriam & immediatam filiationis cauſam in conceptione Chriſti ex Sp. ſanct. ſtatuat. Franc. David. in Coll. Tranſylv. act. diei 9. lit. F. Socin. contra Bellar. & Wick. p. 217. *Chriſtus eſt naturalis Dei filius, quia ex Maria virgine eſt natus Dei filius.* Schmaltz. in exam. 157 errorum err. 8. p. 6. *Chriſtus eſt Dei filius non tantum propter ſimilitudinem cum Deo talē & tantam, qualis & quanta nulli unquam creaturæ contigit, ſed etiam propter modum, quo extitit, qui eſt miraculoſa ejus conceptio.* Piſcecius in notis ad append. Vilkovian. p. 20. *Chriſtus quia de Sp. S. conceptus ſolâ videl. divinâ virtute operante, verè & propriè dicitur Dei Filius, adeo naturalis Dei filius* Conſentit Vorſtius & quid. m ex Calvinianis. Atqui ſi Chriſtus propter conceptionem ex Sp. ſanct. eſſet naturalis Dei filius, conſequens foret, 1. Spir. ſanct. eſſe naturalem Chriſti Patrem propter mutuam relationem 2. hum. Chriſti Naturam eſſe ipſam Deitatem, quia genitum producitur ex ſubſtantia gignentis, & eſt ejuſdem cū gignente Naturæ, quæ omnia ſunt abſurda. 3. Certè propter illam conceptionem ex Spir. ſanct. Chriſtus nondum dici poteſt naturalis & unigenitus Dei filius, non enim Deus ex ſua ſubſtantia genuit eum in utero virginis, ſed ex ſola ſubſtantia virginis. 7. Diſtinguendum *inter generationis materiam ac modum.* Chriſtus ſecundùm hum. Naturam habet generationem diverſam à noſtra non materiæ ſed duntaxat modi reſpectu, ergo ipſius generatio non eſt tota ſpecie diverſa à noſtra & per conſeq. quod dicitur *unigenitus*, non poteſt accipi ratione humanitatis, quod à Spir. ſanct. conceptus, quam cauſam proferunt Photiniani, ſed ratione divinitatis, juxta quam ab æterno eſt à Patre genitus. 8. Cauſam & formale filiationis ſive propter quod Chriſtus dicatur Dei filius in Scripturis referri ad generationem Pſalm. 2. verſ. 7. Iohan. 1. verſ. 14. &c. ac nomen filii Dei ita tribui Chriſto, ut nec Angelis nec hominibus eo modo tribui poſſit Hebræor 1. verſ. 5. Fruſtra igitur proprio arbit. excogitantur aliæ cauſæ, propter quas Chriſtus dicatur Dei filius, ac inaniter filiationis cauſa in dilectione, in hæreditatis donatione, in aliorum filiorum Dei à Chriſto denominatione, in reſurrectione, in exaltatione &c. quæritur, hæc enim omnia, in gradu licet inferiori piis & fidelibus cum Chriſto ſunt communia & ante illa Chriſtus à Patre cœleſti dicitur *filius dilectus* Matth. 3. v. ult. ergo illorum reſpectu Chriſtus non dicitur nec dici poteſt μονογενὴς τοῦ Πατρὸς καὶ ἴδι☉ υἱός.

55. *Quarta argumentorum claſſis* petitur ex *4. Ex operibus divinis.*
operibus ſoli Deo propriis, quæ cùm Chriſto in Scripturis tribuantur, utique ex illis vera Chriſti Deitas efficaciter probatur. Dicta quæ ad hanc claſſem pertinent, in duo membra diſtribui poſſunt. 1. Quædam loquuntur de operibus divinis *in genere*. Iohan. 5. v. 17. *Pater meus usq; huc operatur & ego operor.* v. 19. *Quacunque Pater facit ταῦτα καὶ ὁμοίως facit Filius.* v. 20. *Pater omnia demonſtrat Filio, quæ facit.* v. 21. *ſicut Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ſic & filius quos vult vivificat.* Ioh. 14. v. 13. *quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* 2. Quædam de certis operibus *in ſpecie* loquuntur. Tribuitur enim Filio, 1. *Creatio*, Gen. 1. v. 2. Pſal. 33. v. 6. Pſal. 102. verſ. 26. cum quo conjunge Hebr. 1. v. 11. Proverb. 8. v. 30. Iohan. 1. v. 1. & 3. Coloſſ. 1. v. 16. Apoc. 3. v. 14. &c. Confer loc. §. 83. 2. *Conſervatio rerum omnium* ac gubernatio, Johan. 5. v. 17. 1. Cor. 8. v. 6. Coloſſ. 1. v. 16. Hebr. 1. v. 3. Confer loc. §. 87. (poteſt etiam huc referri dictum Johan. 1. v. 4. *in ipſo vita erat.* Tribuitur enim Filio Dei vita 1. οὐσιωδῶς *eſſentialiter*, quia eſt αὐτοζωὴ ut eandem eſſentiam ita quoque eandem vitam cum Patre habens. 2. ὑποστατικῶς *perſonaliter*, quia per æternam generationem à Patre accepit vitam quam *habet in ſeipſo* Ioh. 5. v. 26. 3. ἐνεργητικῶς, quia omnibus viventibus cōfert & conſervat vitam naturalem, credētibus etiam cōmunicat vitam ſpirituale̅ &c.) 3. *Divinorum miraculorum operatio*, ut tota Hiſt. Evangelica teſtatur. Confer loc. §. 89. inter quæ omnia cumprimis eminet, quod ſeipſum divinâ virtute ex mortuis ſuſcitaverit Ioh. 2. v. 19. cap. 10. v. 18. 4. *Redemtio hum. generis* Luc. 1. 68. Matth. 20. v. 28. &c. 5. *Miſſio Sp. S.* Luc. 24. v. 49. Ioh. 14. v. 16. &c. 6. *Miſſio Angelorum* Matth. 13. v. 41. Apoc. 1. v. 1. 7. *Futurorum* ex infinita ſcientia *prædictio*, ut probat Hiſt. Evangelica. 8. *Opera gratiæ* in Eccleſia ad quæ pertinent, *electio ad ſalutem, vocatio, collectio Eccleſ. conſtitutio Miniſterii, inſtitutio Sacramentor. illuminatio, regeneratio, juſtificatio, peccatorum remiſſio, renovatio, miranda Eccleſiæ defenſio, in cruce conſolatio, precum exaudito, ad vitam æternam reſuſcitatio, ſalvatio & glorificatio*, quæ omnia Chriſto in Scripturis tribuuntur. Confer. loc. §. 202. & ſeqq.

56. Circa hanc argumentorum claſſem in genere nota 1. Chriſto tribui tum operum ταυτότητα tum agendi ὁμοιότητα tum honoris ἰσότητα Iohan. 5. verſ. 19. nullam igitur de potentiæ inæqualitate vel agendi diverſitate cogitationem hîc ſuſcipi debere. Nazianzenus orat. 4. de Theol. *Non ideò dicit ὁμοίως ſimiliter, quod operum ſit ſimilitudo, ſed quod utriusque par ſit facultas, parque majeſtas.* 2. Quod Chriſtus dicit ſe nihil *facere niſi quod viderit Patrem facientem* Johan. 5. verſ. 19. & quod *Pater illi demonſtret omnia quæ facit* verſ. 20. illud non ſignificat aliquam vel infirmitatem vel operationis inæqualitatem, ſed ſummam potius & conjunctiſſimam in operatione unitatem. Filius enim videt Patrem facientem & Pater demonſtrat Filio opera non externâ quadam viſione ac demonſtratione, ſed interiori potentiæ agendi communione, quia ſc. Pater omnia opera cum Filio habet communia, & per æternā gene-

generationem ut eſſentiam ſuam ita poteſtatem agendi Filio communicat. Nazianz. d.l. & Ambroſ.lib.4.de fid.cap.3.dicitur, *Filius videre Patrem facientem ſeu diſcere à Patre faciente, quia ſcientia Filij à Patre eſt, non per doctrinam ſed generationem, nam idem eſt DEO ſcire & eſſe proinde idem eſt Filio accipere ſapientiam & accipere eſſentiam.* (Act.9.verſ.16. *Oſtendam illi, quanta oporteat eum pati pro nomine meo.* Exod. 33. *oſtendam tibi omne bonum.* Pſalm.59. *Oſtendiſti populo tuo dura.*) Damaſcen.libr.1.orthod.fid.cap.9. καθάπερ φαμὲν διὰ τοῦ ἐξ αὐτοῦ προερχομένου φωτὸς φαίνειν τὸ πῦρ καὶ οὐ τιθέμενθα ὄργανον ὑπουργικὸν εἶναι τοῦ πυρὸς τὸ ἐξ αὐτοῦ φῶς δύναμιν δὲ μᾶλλον φυσικὴν οὕτω λέγομεν τὸν πατέρα πάντα ὅσα ποιεῖ διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ υἱοῦ ποιεῖν οὐχ ὡς δι' ὀργάνου λειτουργικοῦ ἀλλὰ φυσικῆς καὶ ἐνυποστάτου δυνάμεως. Unde etiam negat ſe quicquam *facere poſſe* ἀφ' ἑαυτοῦ *à ſeipſo*, quia ſcilicet non eſt à ſeipſo, ſed operatur eâ potentiâ quam à Patre per æternam generationem accepit. 3. Patrem operari cum Filio & per Filium non tanquam ipſius inſtrumentum, ſed ut perſonam divinam ſibi conſubſtantialem, ut unigenitum Filium ac eſſentialem ſuam virtutem perſonaliter à ſe diſtinctam. 4. ea quæ de Deo prædicantur, opera in duplici eſſe differentia, quædam ſunt αὐτοπρόσωπα καὶ ἀνόργανα. in quibus ipſe ſolus immediatè operatur, tale opus eſt creatio mundi, quædam verò ſunt ἀλλοπρόσωπα καὶ ὀργανικά, ad quæ creaturarum miniſterium adhibet. Jam verò Chriſto non ſolùm tribuuntur opera ἀλλοπρόσωπα καὶ ὀργανικά, ſed etiam αὐτοπρόσωπα καὶ ἀνόργανα, quin & ὑπαρκτικά, quæ ſignificant exiſtentiam, ut quod ſit *primus & noviſſimus*, quod ſit *ipſa vita & veritas*, quod ſit *lux vera &c.* 5. Longè aliâ ratione opera Dei ὀργανικὰ tribui Chriſto & creaturis. Chriſto tribuuntur *ut cauſa efficienti principali*, aliàs enim non ageret ταῦτα καὶ ὁμοίως, creaturis verò ut *cauſa inſtrumentali*.

57. *In ſpecie* circa *creationem* nota 1. quod opus creationis tanquam ſolius Dei proprium ubique in Scripturis deſcribatur. Job.9.v.8. Eſa. 44. v.24. *extendis cœlos ſolus.* Jerem.10.v.11. Act.4.v. 24. Hebr.3.v.4.&c. Concidit ergo illud Vorſtii Photinianizantis de Deo p. 225. *ex eo quod creatio alicui tribuitur æternitatem & divinitatem ejus non poſſe colligi.* II. Quod non ſolum *per Filium* dicantur omnia facta, ſed etiam in caſu recto tribuatur illi creatio Pſal.102.v.26.Heb.1.v.11. *Tu Domine fundaſti terram.* Prov.8.v.30. *Quando ponebat fundamenta terræ, eram artifex cum eo.* Confer Eſa. 45.verſ. 23. cum Rom.14. v.11. urgemus dictum generale Iohan.5.v, 19. *Quæcunq; facit Pater*, ταῦτα καὶ ὁμοίως *facit Filius.* In fumum igitur abit Photinianorum exceptio, quod particula *per* notet cauſam non *primam*, ſed *inſtrumentalem*, quam exceptionem mutuati ſunt à veteribus Arianis, ut conſtat ex Athanaſ. ſerm. 3. contra Arian. quibus pulcrè jam olim reſpondit Chryſoſt.hom. 2.in cap.1. Heb. *Non ut hæretici inaniter ſuſpicatur tanquam aliquod inſtrumentum Patris exiſtit Filius, neq; per eum dicitur feciſſe tanquam ipſe facere non poſſet, ſed ſicut dicitur Pater judicare per Filium, quia judicem genuit, ſic etiam dicitur operari per Filium, quia eum conſtat opificem genuiſſe.* Cyrill. lib.6.theſaur.cap.3.hoc urget, quod in creatione hominis dicit *faciamus hominem*, quod nō eſt *imperantis inferiori*, aliàs dixiſſet facito, ſed *invitantis parem.* III. Quod creationis opus Chriſto attributum ita deſcribatur, ut non poſſit niſi de primæva cœli ac terræ creatione accipi (1. Vocatur enim creatio in ſenſu abſoluto & illimitato ſine appendice Eph.3.v.9. Coloſſ.1.v.15. & 16. Apoc.3.v.14. ſed quando de ſecunda creatione ſive redemtione ac renovatione accipitur, tum appendicis loco vox καινὴ vel ſimilis quædam additur 2. Cor.5.v.17.Galat.6.v.15.Coloſſ.2.v.10.Epheſ.4. v.24.&c. 2. Adduntur particulæ Univerſales τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα, Ioh.1.v.3. Col.1.v.16.& 17. Eph. 3.v.9.Hebr.1.v.3. ubi articulus in quibuſdam dictis additis ſingularem habet emphaſin, ut colligitur ex 2. Macc.7.v.28. Rom.11.v.36. quando autem de ſecunda creatione agitur, tum particulæ illæ univerſales non adduntur, quia opus creationis eſt ſimpliciter univerſale, opus v. redemtionis ac regenerationis non item, aliàs ſequeretur etiam Diabolos eſſe redemtos ac impios homines regenitos. 3. Per διαμερισμὸν effectum creationis diſtribuitur in creaturas *viſibiles & inviſibiles*, qui ſunt Angeli Coloſſ.1.v.16. at hæc diſtributio in ſecunda creatione non habet locum, quia Angeli nō ſunt per Chriſtum redemti. 4. additur expreſsè excluſiva Joh.1. v.3. *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*, id quod de nova creatione accipi nequit. Nam ex hypotheſi Photinianorum in V. T. nondum extitit Chriſtus & tamen multi in eo renovati. 5. ἐξηγήσεως loco additur, quæ omnia per Chriſtum facta dicantur, v.10. *mundus per ipſum factus eſt.* Iam v. mundus nuſpiam pro ſolis piis accipitur. 6. Operi creationis conjungitur totius ſyſtematis mundi conſervatio ac gubernatio, quæ nihil aliud eſt quam quædam q. continuatio creationis Coloſſ.1. verſ.16. Heb.1.v.3. quod ipſum evidens eſt indicium etiam primævam creationem Chriſto attribui.) Concidit ergo Photinianorum opinio, quod in illis dictis *de nova creatione* ſit ſermo. Socin.contra Bellar.p.339.& in defenſ.animadv.p.74.Catech.Racov.p.87.&139.Eniedin.p.161.Schmal.in ex.157. error.p.12.IV. Quod Chriſtus dicatur *principium omnis creaturæ* Apoc.3.v.14. non *materiale*, q. ipſe quoque ſit in ordine creaturarum, ſed *effectivum*, quia omnis creatura ab ipſo eſſendi principium accepit, ſicut Architectus dicitur principiū domus, unde etiam cùm Apoſtolus eum vocaſſet primogenitum omnis creaturæ Col.1.v.15. ſtatim addit rationem, *quia per ipſum condita ſunt omnia viſibilia & inviſibilia*, ergo ipſe non eſt creatura, ſed creator, addit etiam, *& ipſe eſt ante omnia*, at ſi Chriſtus eſſet prima creatura & in tempore facta debuiſſet Apoſtolus dicere & ipſe factus eſt ante omnia, quod meritò urget Baſil.libr. 4. cont. Eunom.p.349. Concidit ergo objectio Schmal. in exam.157.err p. 12. *Cùm Chriſtus ſit primogenitus omnis creaturæ, ſequitur eum eſſe creaturam.*

58. a. Circa *conſervationem* nota, quod Chriſtus Hebr.1.v.3.dicatur *omnia portare*, h.e. fovere, ſuſtentare, conſervare, hanc n. vim hujus verbi eſſe patet ex Deut.1.v.31. *Portavit te Dominus Deus tuus in deſerto &c.* Deuter.32.v.11. *ut aquila portat pullos ſuos ſuper alas.* Eſa. 46. v.3. *portamini à me in utero*, & quidem portat non quædam, ſed τὰ πάντα *verbo potentiæ ſuæ*, i.e. potentiſſimo ſuo verbo ac nutu Theoph. obſervat metaph. ſumtam eſſe ab iis, qui digito aliquid movēt & aliò transferunt, ut ſignificaverit, Apoſtolus tale tantumque pondus creaturarum adeò citra

Exegeſis

Nn a nego-

negotium à Chriſto portari, ut nihil bajulare videatur, quippe qui ſolo verbo omnia ſuſtineat. Unde etiam verbo poteſt *imperare vento & mari* Matth. 8.v.26. quod eſt infinitæ potentiæ opus, quâ Chriſtus ut propriâ & intrinſecâ, non autem ut alienâ & inſtrumentali operatur, quia *quæcunq́; Pater facit, eadem ipſe facit ὁμοίως* Iohan. 5. v.19. Concidit ergo Socini effugium cont. Bellar. & Wick. c.8.p.460. quod φέρειν *habeat ſignificationem potius movendi ac moderandi quam portandi, quod de rebus intelligentiâ præditis, quatenus per Chriſtum reformata ſunt, ſermo ſit, quod Chriſtus potentiam illam non habeat ex ſe.*

59. 3. Circa *miracula* nota, quod Chriſtus 1. miracula facit liberrimo arbit. quando & ubi voluerit. Matth. 8.v.2. *ſi vis, potes me* mundare Ioh.5. v. 21. *Filius quos vult, vivificat.* Jam vero hoc eſt ſolius veri Dei proprium, quod poſſit *facere omnia quæcunq́; vult in cœlo & in terra* Pſal.115.v.3.Pſ.135. v. 6. Qui non per ſe & propriâ ſibique intrinſecâ virtute ſed alienâ à ſuperiore ex gratia ſibi conceſſâ facit miracula, de eo dici nequit, quod miraculosè ſanet ἐὰν θέλῃ, ſed ſi velit is, à quo eam poteſtatem ex gratia habet, quia non tam ex accipientis quàm dantis voluntate facultas agendi pendet 2. Quod Chriſtus faciat talia, quæ nullus hominũ fecit vel facere poteſt, quia concipi à S.S. naſci ex virgine, propriâ virtute reſurgere, ipſi ſoli competit. Ioh. 9. v.32. *à ſeculo non eſt auditum, aperire oculos cæci nati.* Utimur etiam hac collatione: *Chriſtus facit omnia quæ Pater facit* Ioh.5.v. 19. & 20. atqui Pater quædam facit, quæ nullus hominum fecit nec facere poteſt, ut apparet ex creatione mundi, ex miſſione Spir. ſanct. 3. Quod Chriſtus non modò *eadem* faciat, quæ Pater, ſed etiã ὁμοίως *eodem modo*, unâ & æquali potentiâ, quam Pater agit. Credentes in quibusdam operibus faciunt ταῦτα quin & μείζονα Ioh.14.v.12. ſed non ὁμοίως eo modo, quo Pater & Filius operantur, unde etiam Joh.5.v.17. operandi modum, quo filius agit, cum modo operandi quo Pater agit, unicè conjungit, & à modo, quo reliqui operantur, penitus ſejungit. 4. Quòd Chriſtus in miraculis agat poteſtate & virtute propriâ, inde miracula facit imperando, dicit mari, *quieſce*; dicit obſeſſo, *ſurde & mute Spiritus ego præcipio tibi, exi ab illo.* Matth.9. v.28. ad cæcos dicit; *An creditis, quod ego id facere poſſim?* non dicit, quod poſſem illud à Patre meo cœleſti vobis impetrare. Act. 3. v. 12. *Quid miramini quaſi noſtrâ virtute aut pietate hunc fecerimus ambulare.* verſ. 16. *in fide nominis Chriſti hunc firmavit ejus nomen.* Act.10.verſ.38. *Unxit DEUS Ieſum Spir. ſancto & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando.* Jam vero unctio illa Spiritus Chriſto ſecundùm divinam Nat. non obtingit ex gratia, ſed potius juxta eam habet poteſtatem dandi Spir. ſanctum, ergo etiam poteſtas operandi miracula juxta divinam Nat. ei competit per Naturam, per æternam ſcil. à Patre generationem. Quod ergo Photiniani urgent, *Chriſtum potentiam faciendi miracula aliunde accepiſſe,* ad illud per diſtinctionem reſpondendum. Aliunde accipere virtutem & poteſtatem operandi, duplici modo accipitur, vel ut ſit idem quod alienâ uti virtute quam accipiens in ſeipſo & Naturæ ſuæ intrinſecam non habet, & ſic aliunde aliquid accipitur ex gratia donantis, hoc ſenſu Apoſtoli fecerũt miracula poteſtate aliunde acceptâ, hoc eſt, alienâ: vel ut ſignificet propriâ, & intrinſecâ virtute uti, quam non donando ſed naſcendo ab alio quis acceperit. hoc ſenſu Chriſtus fecit miracula virtute à Patre per æternam generationem accepta, ut tamen eam in ſeipſo habeat. Quod ſi ex poſteriore hujus phraſeos ſenſu Photiniani inferre velint, Chriſtum non agere in miraculis virtute propriâ & intrinſecâ nec eſſe verum Deum, pari ratione inſerre potero, in humanis filium non agere virtute propriâ & intrinſecâ nec eſſe verũ hominem, quia non habet Naturam hum. à ſeipſo, ſed à Patre. Ex quo etiam apparet, magnum eſſe diſcrimen inter hæc duo, quod Apoſtoli agant miracula virtute à Deo acceptâ, & quod Chriſtus agat miracula virtute à Patre acceptâ. Apoſtoli virtutem illam accipiunt *ex gratia*, à principio eſſentialiter à ſe diſtincto, & antequam eam acciperent, non habuerunt, nec in ſemetipſis eam habuerunt. Sed filius Dei virtutem illam accipit per æternam generationem & proinde *ex nativitate*, accipit eã a Patre, cum quo eſt eſſentialiter unum ac proinde non à principio eſſentiæ ſuæ extrinſeco, nec dari poteſt tempus, quo eam non habuerit, quin & habet eam *in ſemetipſo.* Joh. 5,26. *Pater eſt in Filio, & Filius in Patre.* Ioh.14.v.11. *Pater in Filio manens ipſe facit opera.* verſ.12. *Pater & Filius unum ſunt* Ioh. 10.v.30. utique ergo illa virtus non eſt Chriſto extrinſecus adventitia & aliena ſed intrinſeca, naturalis & propria. Manet proinde firmum fixum quod Chriſtus in miraculis agat poteſtate & virtute ſibi naturali & propriâ, jam verò illud ſoli Deo unicè competit. Pſal.77.v.11. *mutatio hæc dextra excelſi.* Pſal.118.v.16. *Dextra Domini facit virtutẽ.* 5. Quod Chriſtus miracula faciat in ſui gloriam, quod itidem ſoli Deo competit Eſ. 42. v.8. cap.48.v. 11. *gloriam meam alteri non dabo.* ſic Ioh.2.v.11. in miraculo aquæ in vinum cõverſæ *manifeſtat ſuam gloriam*, Marc.7. verſ.37. patitur ſe honorari δοξολογίᾳ Deo propriâ, *Omnia bene fecit.* Ioh.5.v.23. *Quæ Pater facit, Filius ὁμοίως facit, ut omnes honorificent Filium καθὼς Patrem.* Act.3.v.13. poſt miraculum claudi in nomine Chriſti ſanati, dicit Petrus: *Deus Patrum noſtrorum glorificavit Filium ſuum*, hoc eſt, gloria ipſius Chriſti, non noſtra, per hoc miraculum eſt manifeſtata. Act.14.verſ. 13. prohibet Apoſtolus propter miraculum ſibi offerri ſacrificium, ſed Chriſtus ſpirituale ſacrificium laudis & invocationis ſibi deferri permittit. 6. Quod Chriſtus non ſolùm ipſe miracula ediderit, ſed etiam poteſtatẽ edendi miracula aliis contulerit, qui in ejus nomine miracula feciſſe leguntur, Matth.10.v.1. Marc. 3.v.15. Luc.9.v.1.c.10.v.17. Act.3 v. 6. c.9.v.34. &c. Atqui aliis poteſtatem miracula faciendi conferre ſolius Dei eſt. 7. Quod Chriſtus miraculis divinis confirmaverit illud, quod in doctrina ſua propoſuit, ſcil. eſſe unigenitum Dei Filium & Patri æqualem. Ex quibus omnibus exceptiones Photinianorum facili negotio ſolvi poſſunt. *Chriſtus habet poteſtatem miracula edendi κατὰ φύσιν ſancti DEI homines κατὰ χάριν.* Chriſtus facit miracula αὐτοκρατορικῶς καὶ παντοκρατορικῶς, *omnipotenter ac principaliter*, ſancti Dei homines διακονικῶς *miniſterialiter*, Chriſtus agit *poteſtate propria & infinita*, Apoſtoli *aliena & finita.*

60. 4. Circa *redemtionem* nota 1. quod ad eam requiſita fuerit ſatisfactio divinæ juſtitiæ infinitæ præſtanda & plenaria pro totius mun-

mundi peccatis expiatio, quia infinita Dei juſtitia peccatis hominum erat offenſa, cui finito aliquo λυτρῳ per creaturam finitam præſtito ſatisfieri nõ poterat. Ambr. lib. 1. de gent. vocat. cap. 3. *Quod in Natura periit, non reſtituitur niſi ab autore Naturæ.* Confer deliberationem Patris cum Filio in hominis creatione Gen. 1. v. 26. & eorundem decretum ac conſilium de hominũ redemtione Pſal. 2. v. 7. Pſ. 110. v. 1. 2. Quod Chriſtus dicatur *purgationem peccatorum noſtrorum feciſſe δι' ἑαυτοῦ per ſeipſum* Hebr. 1. v. 3. id quod ſolius Dei proprium eſſe patet ex Eſa. 43. v. 25. *Ego ego ſum qui deleo &c.* unde etiam notanter dicitur, *quod Deus ſuo ſanguine redemerit Eccleſiam* Act. 20. v. 28. *& quod ſanguis emundans nos à peccatis, ſit ipſius Filij Dei ſanguis* 1. Joh. 1. v. 7. inde enim atq; ideò per ſeipſum, hoc eſt, virtute ſuâ propriâ & per proprium ſuum ſanguinem purgationum peccatorum Chriſtus facere potuit, quia in perſonæ unitate eſt verus Deus cui perſonaliter proprius erat ille ſanguis in arâ crucis effuſus.

61. 5. Circa *Eccleſiæ collectionem* nota 1. Quod Paulus Hebr. 3. verſ. 3. probet Chriſtum eſſe Moſe præſtantiorem ex eo, quia πλείονα τιμὴν ἔχει τοῦ οἴκου ὁ κατασκευάσας αὐτόν. *Qui domum ædificat, ipſâ domo eſt præſtantior.* Solus igitur Chriſtus eſt ſummus Eccleſiæ architectus, qui domum ſuam ædificat, h. e. Eccleſiam ex genere humano vocat, colligit, ſuper ſeipſum conſtruit ac ſalvat, Paulus 1. Cor. 3. v. 10. & miniſtri Eccleſiæ dicuntur quidem architecti, ſed non niſi ὀργανικῶς, qui per verbi prædicationem ſeipſos & alios ſuper Chriſtum unicum angularem lapidem ædificant Eph. 2. v. 20. 1. Petr. 2. v. 3. 2. Quod miſſio Johannis Baptiſtæ præcurſoris Chriſti æquali ratione & Patri cœleſti Matth. 11. v. 10. Marc. 1. v. 2. & ipſi Chriſto Mal. 3. v. 1. aſcribatur. Ergo non aliâ nec inferiori quadam ratione mittuntur Miniſtri à Chriſto & Patre cœleſti, undè non ſolùm Pater cœleſtis, ſed etiam Chriſtus ipſe mittere eos dicitur, ut *Paterfam.* Matth. 10. verſ. 25. ut *Sponſus Eccl. &c.* 2. Corinth. 11. verſ. 2.

62. 6. Circa *ſalvationem* nota, quod Chriſtus nos ſalvet, ut Deus Eſa. 35. v. 5. Oſe. 1. verſ. 7. ut unicum ſalutis fundamentum 1. Cor. 3. verſ. 11. ut ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς Act. 3. v. 15. ut is extra quem & ſine quo non eſt in ullo alio ſalus Actor. 4. v. 12. ut ἀρχηγὸς καὶ τελειωτὴς πίστεως Hebr. 12. v. 2. per ſeipſum. Hebr. 1. v. 3. ut omnibus Angelis & hominibus longè excellentior Heb. 1. verſ. 5. *non ut miniſter* fatente Soc. contra Bell. & Wiek. p. 462. ſed ut Dominus Actor. 3. verſ. 36. Impium ergo eſt Photinianor. effugium, *quod Chriſtus nos ſervet ut miniſter & inſtrumentum Dei.* Soc. p. 1. de Chriſto Servat. c. 6. *quod non ut prima ſed ut ſecunda cauſa ſalutem noſtram efficiat.* Schm. in ex. 157. err. err. 79. p. 24.

5. Ex divino cultu.

63. *Quintam argumentor. claſſem* petimus ex *divino cultu & honore* ſoli Deo proprio, qui Chriſto in Scripturis tribui jubetur, quod probamus 1. *in genere.* Iohan. 5. v. 23. *omnes debent honorare Filium, ſicut honorant Patrem.* Socin. in miſc. p. 268. *Audis Deum velle ut Chriſtus honoretur, ſicut ipſe honoratur, ex quo apertè intelligitur, Chriſtum eo honoris genere à nobis afficiendum eſſe, quo ipſe Deus afficitur.* 2. *in ſpecie*, quia jubemur 1. *in Chriſtũ credere* eique confidere Ioh. 14. v. 1. 2. *in ipſum ſperare* Eſa. 11. v. 10. 3. *ipſum religioſe adorare* Eſa. 45. v. 23. confer Rom. 14. v. 9. 4. *in nomẽ ejus baptizamur* Matth. 28. v. 29. 5. *per ipſum juramus* Rom. 9. v. 1. 6. *ipſum æquali ratione cum Patre glorificamus* Rom. 9. v. 5. Apoc. 5. 13. Confer loc. 5. 115. & ſeqq.

64. Circa hanc claſſ. *in genere* nota 1. quod nõ poſſit Chriſtus divino honore affici, niſi divina Natura ei tribuatur. (Qui Chriſtũ honore verè divino afficiendum eſſe cõcedunt, interim ipſum Nat. verum Deum eſſe negant, reverà plures Deos eſſe, eoſque colendos eſſe, ſtatuunt, ut Franc. Dav. cõt. Socin. latè probat) Ut n. Deus non niſi ratione divinæ ſuæ Nat. Deus eſt, ita quoque non niſi divinæ Nat. ratione divino honore colitur; ac Deum colere nihil aliud eſt quàm divinã Nat. in eo agnoſcere, proinde cui non competit divina Nat. illi nõ competit honor verè divinus, inde Baſil. libr. 4. contra Eunom. rectè hoc urget, quod Galatæ idololatrias propterea accuſantur, quod ante ſuã ad Chriſtum converſionem ſervierint illis, qui φύσει non ſunt Dii, qui ergo φύσει Naturâ & eſſentiâ non eſt Deus, ille non eſt divino honore colendus, nec divino cultu illi ſerviendum. 2. Quod non tàm de divini cultus *actu*, quàm de divini cultus *fundamento ac debito* argumentum concludat; neque n. is ſtatim verus Deus eſt, qui divino honore afficitur, cùm idololatræ creaturas & fictitia Numina divino honore afficiant, ſed is verus Naturâ Deus eſt, cui verè ob divinam Nat. divinus honor competit, & qui ab ipſo Deo in verbo divino honore affici jubetur. 3. Quòd non ſolùm illi, qui eſt *cõtra Deum* ac Dei adverſarius, ſed etiam illi, qui eſt *extra Deum*, h. e. qui non eſt Naturâ verus Deus, divinam ſuam gloriam ſeſe dare velle neget Altiſſimus Eſa. 42. v. 8. in Hebræo n. eſt אַחֵר quod quẽvis alium notat, fallit igitur Socinianorum exceptio, *quod excludatur tantum is, qui Deo contrarius, non autẽ qui ſubordinatus.* Theoph. Nicol. cõt. Boreov. p. 80. Schm. cont. Smiglec. 4. Quod Deus loquatur in futuro, *gloriam meam alteri non dabo*, & de tempor ib. N. T. vaticinetur, quando ſe gloriã ſuam alteri daturum negat Confer Eſa. 42. v. 8. c. 43. v. 10. 11. cap. 46. v. 9. c. 48. v. 11. concidit ergo Photinianorum ſomnium, quod de V. T. temporibus duntaxat ſermo ſit. Socin. in reſp. ad defenſ. Franc. David. cap. 71. p. 144. Oſtor. cont. Tradel. p. 154. Theol. Nicol. cont. Bore. p. 80. 5. Quod Chriſto tribuatur eadem gloria, idem honor, idẽ cultus, qui Patri tribuitur. Concidit ergo Photinianorum blaſphemia, quod Chriſto duntaxat *ſimilis* gloria tribuatur. Similis illa gloria, quæ datur ei, qui non eſt Naturâ Deus & infinitum bonum, divinæ gloriæ magis erit diſſimilis utpote infinitè ab ea diſtans ratione ſcil. objecti ac fundamenti, quàm ſimilis. Divinæ gloriæ fundamentum, uti diximus, eſt div. eſſentia & majeſtas. Jam verò Deo quoad eſſentiam & majeſtatem nullus ex Diis factis & fictis eſt ſimilis Pſal. 86. v. 8. Pſal. 89. v. 7. ergo etiam nulla gloria, quantacunque tandem ſit, divinæ gloriæ ſimilis eſſe poterit. Concidit ergo illud, quod Socin. in miſcell. pag. 267. diſputat, *Chriſtum honorari ut Dei præfectum*; & p. 269. *ut Deo ſubordinatum.*

65. Circa *adorationem* in ſpecie nota 1. Quod aſſumta humana adoretur non ſeorſim & ſolitariè, nec ex principiis & affectionibus ſuis eſſentialibus, ſed quatenus ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ ſubſiſtit; ex ejus igitur προσκυνήσει nihil decedit axiomati. Quicunque religioſè adoratur, eſt verus & æternus Deus. 2. Quod Chriſtus non ſolum adorari ſed

etiam invocari jubeatur, quia jubemur in ipſum collocare cordis fiduciam, & quidem eodem modo, quo in Patrem credimus Ioh.14.v.1. quæ eſt invocationis *fundamentum*, jubemur ipſius opem & benignitatem implorare, quæ eſt invocationis *forma*, ſequimur in Chriſto religiosè invocando *exempla* Stephani Actor.7.v.59. Ananiæ Act.9.v.14. Apoſtoli 2.Cor.12.v.8.&c. Concidit ergo diſtinctio Socini contra Franc. David. cap. 24.p. 226. *Non eſt idem adorare quod invocare. Invocat is, qui in neceſſitate conſtitutus confidenter alienam opem & benignitatem implorat, adorat v. qui corpus & animam reverenter alicui inclinat & coram eo venerabundus procumbit, etiamſi nihil ab eo petat.* p.21. *de invocatione Chriſti nullum extat mãdatum, adorandum verò Chriſtum eſſe non inficiamur.* (Blandrata ipſe repudiat hoc diſcrimen, cùm adoratio neceſſariò requirat invocationem citante Socino in reſp. ad Franc. David. pag. 142.) cui errori hunc brevem aphoriſmum opponimus. Quando de religioſa adoratione agitur, tùm ejus eſt *idem objectum, eadem forma, idem fundamentũ*, adeoque *omnes cauſæ eadem*, quæ ſunt invocationis. Ioh. 4.v.23. Actor.8.v.27. Apoc.14.v.7.&c. 3. Quòd talis adoratio Chriſto tribuatur, quæ adorationi ſculptilium opponitur Pſalm.97. verſ.7. Hebr.1.v.6. quæque ab ipſis Angelis Chriſto defertur Hebr. 1. verſ.6. ea verò non eſt neceſſe poteſt alia, quàm adoratio religioſa ſoli Deo debita. 4. Quòd Apoſtoli *gratiam & pacem* æqualiter à Patre & Chriſto Eccleſiis precentur 2.Ioh. verſ.3. quodque in δοξολογίαις Apoſtolicis Chriſtus cum Patre æquali honoris gradu conjungatur, ut in diſp. ex Bened. Eccleſ. demonſtratum. 5. Quòd *invocari per Mediatorem* duplicem poſſit habere ſenſum. Vel enim intelligitur invocatio, quæ fit per Mediatorem, tanquam diſtinctam perſonam, & hac ratione concedimus Filium non invocari per Mediatorem tanquam per diſtinctam à ſe perſonam, ſed negamus ex eo vel veram Filii divinitatem, vel religioſam ejus invocationem labefactari, quia fundamentum religioſæ invocationis conſiſtit in Natura divina, quæ cum Filio verè & realiter competat, utique etiam religioſa invocatio ei debetur. Vel intelligitur invocatio, quæ reſpectum habet ad ſatisfactionem & meritum, per quod genus humanum Deo eſt reconciliatum, & hac ratione falſum eſſe dicimus, quòd Filius non invocetur per Mediatorem, quia in invocatione Filii reſpectus habetur ad ſatisfactionem & meritum, quod ipſe in propria perſona præſtitit. & genus humanum ſibiipſi reconciliavit. 2.Corinth.5. verſ.19. Divina juſtitia, cui per Chriſti mortem ſatisfactio præſtita, eſt toti Trinitati communis. Ergò Chriſtus in aſſumta Natura etiam ſibiipſi per ſeipſum ſatisfecit. Frivolum igitur eſt argumentum Blandratæ in Colloq. Tranſ. Anno 1568. *Chriſtus non invocatur per Mediatorem. Ergo non eſt verus Deus.* (Quidam diſtinguunt inter *invocationem abſolutam & relatam.* Abſolutam vocant, *quæ dirigitur ad totam Trinitatem abſolutè* & hæc omninò competit tàm Filio & Spiritui ſancto, quàm Patri, quâ ratione omnes tres perſonæ invocantur per Mediatorem. *Relatam* vocant, *quæ dirigitur ad certam aliquam Deitatis perſonã*, & ſic invocari per Mediatorem ordine quodam competit primò Patri, qui eſt velut principium conſilij & ordinis in placando genere humano, poſteà etiam competit Filio conſilium illud exequenti, & denique Spiritui ſanct. quatenùs eſt eadem Patris & Filii & SS. voluntas de genere humano redimendo. Sed prior reſponſio eſt ſimplicior, ut divina eſſentia, ita religioſa invocatio nullos habet gradus.)

66. *Antitheſis.* Qui divinam Chriſti Naturam impugnant, à quibusdam diſtinguuntur in hæreticos *veteres & recentiores*, ſed cùm recentiores hæreſes à veteribus motas ex orco ſuſcitent, cumque temporis ratio diſcrimen proprium & eſſentiale inter hæreſes neutiquam faciat, ideò præferenda illa diviſio, quâ χριςοθεομάχοι divinitatem Chriſti directè negantes in tres diſtribuuntur claſſes. 1. Quidam ſunt ἀνυπόςατοι, ſtatuentes Chriſtum ante ſuam ex Maria nativitatem prorſus non extitiſſe. Tales fuêre Cerinthus & Ebion, de quibus vid. loc. de Deo Patre & ejus Filio §.185. & 186. Paulus Samoſatenus & Photinus, de quibus vid. loc. de trib. Elohim. §.80. & 81. Artemon docuit, *Chriſtum ex virgine tantùm natum, & hominem eſſe, non etiam ex Deo, quia non ſit DEVS:* Euſebius lib.5. cap.27. quorum veſtigiis noſtro tempore inſiſtunt Mahumetani & Photiniani. Mahumet ſtatuit, *Chriſtum eſſe magnum Prophetam & legiſlatorem, cui Deus animam ſuam inſpiravit, ſed tamen non eſſe verè DEI Filium.* 2. Quidam ſunt ἑτερούσιοι agnoſcentes in Chriſto ſublimiorem quandam Naturam, quam humanam, negant tamen ipſum eſſe Patri ὁμοούσιον & conſubſtantialem. Tales fuêre Carpocratiani, Baſilidiani. Ariani Vid. loc. de Deo Patre & Filio §.181. Arius tria potiſſimùm de Filio Dei docebat. 1. *ipſum Patri non eſſe ὁμαιώνιον ſive coæternum.* Id habetur in Epiſtola Arii ad Euſebium, quam recitat Epiphan. hæreſ 69. Theodor. lib.1. cap.3. 2. *ipſum eſſe creaturam & Patre minorem.* 3. *nõ eſſe Dei Filiũ naturalem, ſed adoptivum, ac proindè non eſſe Patri ὁμοούσιον.* Vide Epiſt. Arii ad Alexandrum ibid. Symbolum fidei ipſius apud Epiphan. hypotheſes doctrinæ Arianæ in Hiſtor. Magdeb. Cen. 4. cap. 5. Et quia Aſſeclæ Arii δοξολογίαν Eccleſiaſticam ad hunc modum immutabant. *Gloria Patri per Filium in Spiritu ſanct.* teſte Epiphan. hæreſ. 76. Concilium Nicenum hanc perverſionem ſuſtulit, & retineri juſſit formam hujus hymni à tempore Apoſtolorum ad fideles propagatam, ut Baſil. lib. de Spirit. ſanct. cap.7. & 27. aſſerit. *Gloria Patri & Filio & Spir. ſancto.* Et quia Arianis perpetuò in ore erat ἦν ὅτε οὐκ ἦν, *erat tempus, quando Filius non erat*, placuit Concilio pro æternitate Filii & Spiritus ſanct. aſſerenda addi in δοξολογίᾳ verba quæ ſequuntur. *Sicut erat in principio & nunc ſemper.* Confer Synodum Vaſenſem paulò poſt Nicenam celebratam. 3. Quidam ſunt ἀνόμοιοι, qui Chriſtũ dicebant *ejusdem cum Patre ſubſtantia, non autem æqualis cum eo potentia.* Tales erant Aetius & ipſius diſcipulus Eunomius. Vide loc. de Deo Patre & Filio §.189. Poſt obitum Arii ipſius ſecta in duas hæreſes fuit diviſa. Alii enim dixerunt Chriſtum eſſe Patri ὁμοιούσιον, alii hoc negarunt. Priores iterùm fuerunt duarum claſſium. Quidam exiſtimabant ipſum eſſe Patri ὁμοιούσιον κατὰ φύσιν καὶ οὐσίαν, qui proptereà dicti ſunt *Semi Ariani.* Quidam verò aſſerebant eum eſſe ὁμοιούσιον κατὰ θέλησιν, qui dicti ſunt ἑτερούσιοι. Poſteriores tàm eſſentiâ, quàm voluntate Filium Patri inæqualem eſſe ſtatuerunt, qui dicti ſunt *Aetiani & Eunomiani.* Quomodo Calviniani per varias hypotheſes ſinceritatem doctrinæ de vera Filii Deitate

tate

tate obliquè labefactent, oſtendimus diſput. 3. de fund.conſ. §. 61. & diſput.7. de gloe.Dei §. 3. & ſeqq. Quomodo ad Photinianorum argumenta, quibus veram Chriſti Deitatem impugnant, reſpondendum ſit, oſtendimus in Loc. de Deo Patre & Filio §.146. & ſeqq.& in tract. de Natura & attributis Dei cap.7.

67. Hoc loco moventur quædam quæſtiones. 1. *de divina Filii Natura.* 1. *An Filius ſit αὐτόθεος?* Terminus eſt ambiguus, aut enim opponitur eſſentiæ divinæ communicationi, & ſic negamus Chriſtum eſſe αὐτόθεον, quia eſſentiam per æternā à Patre generationem accepit, aut opponitur eſſentiæ divinæ inæqualitati, & ſic concedimus Chriſtum eſſe αὐτόθεον. **Gregor. de Valent. libr.1. de Trin. cap. 22. *Filius ut eſt perſona, eſt ex alio; ut ſimpliciſſimū Ens non eſt ex alio.* **Chriſtus *verè & ſeipſo* Deus eſt, non autem *à ſeipſo* Deus eſt. Vid. diſp.9. de gloe. Dei §.15. loc. de Deo Patre & Filio §. 179.

Quæſtiones. 1 de divina Chriſti Natura.

68. 2. *An Filius rectè poſſit dici inſtrumentum Patris?* Inter Arii hypotheſes etiam hæc numeratur, *quod Pater ſibi Filium ut inſtrumentum fecerit, ut per eum omnia conderet.* Sanè etiam pii veteres ante controverſiam ab Ario motam ſic locuti ſunt, ut apparet ex Iren. libr. 3. cap. 8. libr. 4. cap. 13. Tertul. adv. Prax. cap. 12. Euſeb. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 1. quorum veſtigiis inſiſtit Lutherus in cap. 1. Geneſ. pag. 3. *Hic*, inquit, *primùm ponit Moſes medium & inſtrumentum, quo Deus Pater in operando uſus eſt, nempe Verbum*, ad quem locū Tranſylvanos provocare refert Bellarm. libr. 1. de Chriſto cap. 9. eumque nobis objicit Paræus in Iren. cap. 24 art. 14. p. 146. ut & Tannerus in anat. Aug. Confeſſ. demonſtr. 2. §. 24. Goc. part. 2. converſ. Pruten. p. 541. objicit nobis Heerbrandum, qui Filium vocaverit inſtrumentum creationis. Sed reponimus ei, quod Aretius in comm. Rom. 11. ſic vocet. Reſponderi quidem poteſt ac debet pro defenſione piorum veterum ac Lutheri, quod longè *alio ſenſu* Ariani, quàm orthodoxi Chriſtum appellaverint Patris inſtrumentum, illi intellexerunt *inſtrumentum ſeparatum*, quo ſenſu in communi ſermone malleus, enſis & ſimilia externa & ſeparata actionis media dicuntur inſtrumenta. Hi verò intelligunt *inſtrumentum conjunctum & eſſentialiter unitum* ſermone modificato, quomodo manus dicuntur inſtrumentum hominis. Sic Chriſtus Spiritum ſanct. vocat *Dei digitum*; qui tamen nō deſinit eſſe virtus Dei eſſentialis & cauſa agendi principalis. Quod hoc ſenſu Luth. Chriſtum vocaverit inſtrumentum, ſatis apertè declarat, dicit enim: *Verbum illud non eſſe materiale nec creatum, ſed unius eſſentiæ cum Patre*, id quod ex collation. Gen. 1. cum cap. 1. Iohan. oſtendit, ac tom. 3. Jen. Germ. f. 352. inquit: *Deus nihil creat, niſi per verbum ſuum, hoc verè eſt DEI potentia. Nec enim potentia DEI ſecuris, ſerra, aut lima eſt, quâ operetur, ſed Deus ipſe. Interim* propter fraudes & corruptelas Photinianorum ſatius eſt ab hac phraſi abſtinere. 1. Verus cum Patre Deus non agit inſtrumentaliter. 2. Chriſtus ab Angelis tanquam Dominus à miniſtris diſtinguitur Hebr. 1. verſ. 14. 3. Chriſtus Eſa. 48. verſ. 11. dicit, *propter me hoc faciam*, at qui operatur propter ſe, non eſt inſtrumentum. 4. Chriſtus eſt *principium & finis, α & ω*, omnipotens Apoc. 1. verſ. 11. 5. Virtus creandi eſt infinita, nec poteſt eſſe in inſtrumento, ſed ſolùm in ſummo & infinito artifice. Concil. Syrmienſ. Filium vocat *miniſtrum*, id Hilarius lib. de Synod. ſic explicat, *quòd miniſtraverit non ut famulus Domino, ſed ut Filius Patri*, inter quos licet non ſit inæqualitas Naturæ vel dignitatis, tamen in Patre eſt autoritas principii; quæ non eſt in Filio.

69. Q. 2. *An divinitas Chriſti nota etiam fuerit gentilibus?* Bellarmin. affirmat, quia lib. 1. de Chriſto cap. 11. eam probat ex Sybillis, & addit, *Sybillas multa clarius prædixiſſe, quam ullos Prophetarum.* Sed myſterium illud judicamus ſoli Eccleſiæ in verbo Prophetico & Apoſtolico patefactū. Quid de Sybillinis oraculis à Lactantio, Auguſtino & aliis tanto numero allatis, ſtatuendum ſit, exponit Caſaub. contra Baronium.

70. Q. 3. *An Pater poſſit dici cauſa Filij?* Græci Patres termino ἀρχῆς καὶ αἰτίου in hoc myſterio promiſcuè utuntur, ut apparet ex Damaſcen. lib. 1. orth. fid. c. 9. & 11. ὁ υἱὸς ἐκ ἀναρχος τουτέστιν ἐκ ἀναίτιος ἐκ τοῦ πατρὸς γδ. Sed Latini Eccleſiæ doctores nomen *cauſæ* repudiant, *principij* vero nomine ſolo utuntur, dicentes, *Patrem eſſe principium ſine principio, Filium eſſe principium de principio*, unde Scholaſtici 1. ſent. diſt. 12. q. 2. communi ſuffragio pronunciant, *quod Pater non ſit cauſa Filij, ſed principium, quòd Filius non ſit cauſa Spir. ſanct. ſed principium*, latiùs enim patet, vox *principij* quàm cauſæ, ad quam ſe habet, ut genus ad ſpeciem, omnis enim cauſa eſt principium; ſed non omne principium eſt cauſa.

71. 2. De generatione Filii Dei: Q. 1. *An propterea Filius ſit Patre poſterior, quia eſt à Patre genitus?* Ariani teſte Athanaſ. orat. 2. contra Arian. ſic ſoliti fuêre cum mulierculis philoſophari: *Dic mihi, habuiſtine Filium antequam pareres? nullo modo. Ergò tu major es natu; quam Filius tuus, quis dubitat? at iſti* (orthodoxi) *dicunt, Patrē habuiſſe Filium antequā gigneret, nec eſſe majorem ætate Filio quem genuit.* Eodem ſophiſmate delectantur Photiniani. Sed breviter reſpondemus, genitus non eſt poſterior gignente, quando generatio eſt æterna. Iuſt. in qq. & reſp. q. 16. pag. 313. *Nobis exiſtentia eſt, quæ generationem præcedit, generatione exiſtentiam ſubſequente. Deus autem unà cum eo quod ſit, genuit, quocirca apud DEUM nō eſt poſt exiſtentia geniti, μεθύπαρξις γεννήματος; quia neq; præexiſtentia gignentis προύπαρξις γεννήσεως.* Athanaſius Arianorum ſophiſmati hanc opponit ἀντερώτησιν: *Poteſne domum ædificare ſine materia, ergone nec Deus potuit mundum condere ſine materia? ô perditi nebulones: Mulierculas confertis cum Deo: Deus mundum condidit, ſed ut Deus, non ut humanus architectus, & Filium genuit non ut muliercula, ſed ut Deus, hoc eſt, longe diverſo modo quam iſta.* Et poſteà: *Petendum ab illis eſt, ut quemadmodum interrogaverunt mulierē de ratione temporis, ſic Solem interrogent de ipſius jubare, & fontem de ipſius aqua, ut addiſcant, quod tametſi iſta genita proleſq; ſint, non tamen cum illis coexiſtere; unde originem Naturamq; traxêre:* Thom. p. 1. q. 42. art. 2. progreditur hoc modo. *Ut productum poſterius ſit producente triplici ratione accidit, 1. vel quia producens liberè producit, quando ſc. vult. 2. vel quia producens licet naturaliter agat; non tamen habet totam ſuam perfectionem ad agendum ſtatim ac eſt, ſed paulatim acquirit, & tunc demùm agit. 3. vel quia producit actione ſucceſſiva, unde fit, ut productum ſit duratione poſterius producente.* At in productione Filii nihil

2. de æterna ejus à Patre generatione.

horum reperitur. Confer Damaſc. lib. 1. orth. fid. cap. 8. & loc. de æterno Patre & Filio §. 51.

72. Q. 2. *An pater genuerit Filium voluntate an neceſſitate?* Eſt & hæc una ex quæſtiunculis Arianis, quibus orthodoxos exercuerunt. Auguſtinus lib. 15. de civit. Dei cap. 20. refert Catholicum hæretico reſpondiſſe. *Si Pater eſt Deus, aut volens eſt Deus aut nolens. Si volens, voluntate igitur liberâ eſt Deus non Naturâ, ac proinde potuit non eſſe Deus. Si nolens eſt igitur, miſer, quia invitus eſt quod eſt.* Propriè & formaliter loquendo Pater nec *voluntate*, nec *neceſſitate* genuit, ſed *Naturâ*. Deus volens genuit Filium, quia non coactus, non tamen propterea genuit, quia voluit; ſi enim genuiſſet, quia voluit, potuiſſet etiam non gignere, ſicque Filius potuiſſet, non eſſe, & per conſeq. non eſſet Patri æqualis, qui enim potuit non eſſe, non eſt æqualis ei, qui neceſſariò ſemper eſt. Non ergò in neceſſitate gignendi quædam violentia, neque in voluntate quædam arbitrii libertas ac mutabilitas cogitetur, ſed utraque pro Natura, quæ & neceſſitas & voluntas in Deo eſt, accipiatur. Damaſcen. lib. 1. orthod. fid. cap. 8. *γέννησις* eſt *ἔργον φύσεως*, *κτίσις* verò eſt *ἔργον θελήσεως*. Deus Pater non coactus, nec tamen conſilio liberæ voluntatis generationem præcedentis, ſed neceſſitate Naturæ, ab omni tamen coactione penitùs remotâ generatione perfectiſſimâ, ſimpliciſſimâ & æternâ Filium genuit. Thom. d. l. *Pater non generat Filium voluntate, ſed Naturâ, quæ ab æterno perfecta eſt.* De ſpirituali regeneratione & adoptione noſtra uſurpatur vocabulum *βουληθεὶς* Iac. 1. v. 18. ſed de æterna Filii Dei generatione abſolutè ac ſimpliciter dicitur Pſ. 2. v. 7. *Ego hodiè genui te.*

73. Q. 3. *An generatio Filii Dei ſit propria, an vero metaphorica?* reſpond. maximè propria. 1. quia eſt verè & propriè Filius Dei. Ergò etiam generatio ipſius eſt maximè propria. 2. quia eſt generatio perfecta, plenè & perfectè continens, quicquid perfectionis eſt in generatione propriè dicta. Vid. loc. de Deo Patre & Filio §. 169. Annotabo hac de re locum egregium ex Granatenſi in feſto Triun. conc. 2. *Quod nomen Filii magis proprié, quam vulgaribus parentum filiis Dei Filio tribuatur, ex triplici differentia inter hominum filios & Dei Filium colligitur. Prima differentia eſt, quod hominum filii ideo nominis hujus veritatem retinent, quia eorum ſubſtantia ex paterna ſubſtantia delibata eſt, non enim totam Patris ſubſtantiam, ſed ejus particulam ab illis trahunt. At Pater æternus, non quidem partem ſubſtantiæ, cùm divinitatis Natura indiviſa ſit, ſed totam ſubſtantiam ſuam transfundit in Filium. Secunda differentia eſt, quod cum commune filior. ſit, non modo parentum ſpeciem, ſed etiam oris figuram, mores & ingenium referre, non raro tamen eos a parentibus degenerare & longe diſſimiles naſci videmus. At in hac altiſſima generatione Patri Filius in omnib. ſimilis & æqualis eſt, eadẽ n. utriusq; gloria, eadẽ majeſtas, eadẽ æternitas, eadẽ voluntas &c. Tertia differentia eſt, quod pater carnalis nequaquam filium quatenus homo & rationalis creatura eſt, ſed quatenus animal generat. Si homo cùm ſeipſum mente comprehendit & intelligit, ſuiq; ipſius imaginem in mente format, imago hæc per ſe ſubſiſteret & viveret, verè hominis Filius diceretur, utpote quæ rationis vi & actione, quæ hominis propria eſt genita fuiſſet, quod tamen in filiorum generatione non fit, qui non intellectuali, ſed corporea vegetantis animæ operatione, quæ infima animæ noſtræ portio eſt, generatur; at cum in ſummo DEO nulla diſſimilium partium compoſitio ſit, filius qui ex eo naſcitur, vere DEVS ex DEO, lumen de lumine ſpirituali actione, id eſt, ſpirituali ſuiipſius cõtemplatione, quæ maximè propria Dei eſt, procedit & generatur.* (Sed hæc tertia differentia cum quadam cautela legenda.) 3. quia docente Damaſcen. lib. 1. de orth. fid. cap. 9. nomen *paternitatis, filiationis & proceſſionis* non ex nobis ad beatam illam divinitatem eſt translatum, ſed contrà indè ad nos traductum. Probatur hoc tùm ex eo, quia generatio Dei eſt æterna omnem in humanis generationem antecedens, tùm ex dicto Apoſtoli Eph. 3. v. 14. *ex Patre cœleſti omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Deus verè generat, ſed non humano modo, quemadmodum verè vivit, imò ſolus propriè vivit, ſed non vivit humano modo ſpirando & reſpirando, ſed intelligendo & eſſendo. Ut E. intelligendo vivit, ita intelligendo generat. Thom. p. 1. q. 33. art. 2. *Generatio per prius dicitur de Deo quam de creaturis, quia generatio accipit ſpeciem à termino, qui eſt forma generati, & quanto hic fuerit propinquior formæ generantis, tanto verior & perfectior eſt generatio, ſicut generatio univoca eſt perfectior æquivoca, nam de ratione generãtis eſt, quod generet ſibi ſimile ſecundum formam, unde hoc ipſum, quod in generatione divina eſt eadem forma generantis & geniti, in rebus autem creatis non eſt eadem numero, ſed ſpecie tantum, oſtendit, quod generatio per prius ſit in divinis.* Quod Thomas addit, *generationem per prius dici de DEO, quam de creaturis quoad rem ſignificatam, licet non quoad ſignificandi modum*, non probamus, quia modus ſignificandi reſpondet modo eſſendi. 4. Arianorum & Photinianorum opinioni favet, tropicam & modificatam generationem in Filio ſtatuere.

74. Q. 4. *An generatio Filii poſſit etiam vocari creatio?* Pii veteres, cùm ad locum Proverb. 8. v. 22. Dominus *ἔκτισέ με*, in quo arcem cauſæ Ariani ſtatuebant, aliter reſpondere non poſſent ob linguæ ſanctæ ignorantiam, in eam devenêre opinionem, quòd generatio Filii Dei certo reſpectu poſſit vocari creatio. Athanaſius orat. 3. contra Arian. in princip. diſputat, *generationem interdum vocari creationem, & creationem generationem, ſicut ſervis tribuimus aliquando nomen filiorum, & filiis nomẽ ſervorum.* 1. Reg. 1. verſ. 19. Salomo vocatur *ſervus Davidis.* Job. 38. verſ. 28. *ſtillas roris quis genuit?* Hilar. in libr. de Synodis non longe à princ. *Filium in Scripturis interdum dici genitum, interdum creatum, ut utroq; vocabulo melius explicetur proceſſio ejus à Patre, quam uno vocabulo vix poſſet exprimi. Nam proceſſio illa dicitur generatio, quæ eſt communicatio Naturæ, quia per eam Pater communicat Filio eandem eſſentiam, quam ipſe habet: rurſus quia in illa proceſſione nulla ſupponitur materia, quam noſtræ generationes ſupponunt, inde eſt, quod vocetur creatio.* Hanc Hilarii ſententiam commendat Bellarm. libr. 1. de Chriſto cap. 18. ſed imprudenter: Nam 1. Scriptura nuſpiam generationem Filii vocat creationem 2. Si generatio Filii eſt & dici poteſt creatio, utique etiam Filius ut Deus dici poterit creatura, id quod totis viribus contenderunt Ariani. 3. eſſentiale ac perpetuum diſcrimen eſt inter creationem & generationem propriè dictam. Generatio eſt ex ſubſtantia gignentis proferri, quod

gigni-

gignitur ſimile ſecundùm ſubſtantiam. Sed creatio & factio eſt extrinſecùs, & non ex ſubſtantia creantis & facientis fieri, quod creatur & efficitur & diſſimila prorſus ſecundũ ſubſtantiam. Damaſ. lib. 1. orth. fid. c. 8. γέννησις μὲν ἐστι τὸ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ γεννῶντος προάγεσθαι τὸ γεννώμενον ὅμοιον κατ' οὐσίαν (ubi τὸ ὅμοιον in laxiori ſignificatione accipitur, ut etiam convenientiam in eſſe ſubſtantiali notet) κτίσις δὲ καὶ ποίησις τὸ ἔξωθεν, καὶ οὐκ ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ κτίζοντος καὶ ποιοῦντος γίνεσθαι τὸ κτιζόμενον καὶ ποιούμενον ἀνόμοιον παντελῶς κατ' οὐσίαν, undè infert cap. 9. Filium eſſe ἀγένητον, ſed non ἀγέννητον. Rationem exponit Athan. Dial. 1. de Trinit. pag. 152. τὸ μὲν γεννητὸν ἐστι τὸ ἐκ τῆς ὑποστάσεως γεννώμενον, τὸ δὲ γενητὸν τὸ ἐκ τῆς ἐξουσίας τοῦ γενητουργοῦ. 4. Quòd generatio in humanis præſupponit materiam, quæ in divina generatione non habet locum, illud non probat, eam non eſſe propriè dictam generationem diſtinguendum enim inter *generationem phyſicam*, quæ fit in tempore, & *hyperphyſicam*, ſive æternam, illa eſt mutatio eſſentialis, & materiam prærequirit, hæc v. omnem mutationem, omnem ſucceſſionem, omnem materiam excludit, & in ſola eſſentiæ communicatione conſiſtit.

75. Q. 5. *An Pater ex ſua eſſentia generet Filium?* Photiniani huic phraſi extremè ſunt infenſi. Schmaltz. in exam. 157. error. err. 22. pag. 9. *Ex impoſſibilibus unum eſt DEUM ex ſua ſubſtantia generare.* p. 13. err. 37. *Abſurdum eſt, & tantùm non blaſphemum Deum ex ſua ſubſtantia generare. Omnium enim Theologorum judicio ſubſtantia DEI perfectiſſimo modo una eſt, nempè numero. Numero autem eſſe unam ſubſtantiam & generare aliquid ex ſe contradictionem involvere tàm certum eſt, quàm quod certiſſimum.* Conſentit Vorſtius de Deo p. 24. & 154. *Natura DEI cum aliis prorſus non poteſt communicari, nec tota, nec ex parte. Non tota, quia indiviſibilis, nec ex parte, quia in partes diſcerpi nequit.* Conſentiunt Junius contra Gratian. Sohn. in exeg. p. 87. Keckerm. in ſyſt. p. 63. Tilenus in notis ad Bell. 1. de Chriſto cap. 9. *Commodior eſt locutio, cùm dicimus, Patrẽ genuiſſe vel produxiſſe Filium in ſubſtantia vel eſſentia, quàm ex ſubſtantia, ne duas quis eſſentias imaginetur &c.* Sed urgemus definitionem generationis propriè dictæ. *Gignere eſt ex ſua ſubſtãtia aliquid producere ſimile ſecundùm eſſentiam.* Inde in ſymb. Athanaſ. *Chriſtus eſt DEUS ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, ante ſecula genitus.* Obſerva autem 1. Quòd Pater *ex ſua ſubſtantia* dicatur genuiſſe Filium non quadam *eſſentia vel alienatione vel diviſione*, neque enim ſeipſum eſſentiâ privavit, nec partem eſſentiæ Filio dedit, ſed *totius eſſentia communicatione*, quia totam & perfectam ſuam eſſentiam per generationem Filio communicavit, eandemque totam ſibi retinuit, quia eſt infinita. 2. Quod phraſis hæc opponatur creationi ex nihilo & formationi ex præjacente materia diverſi generis à producente. Athanaſ. tom. 1. in Epiſt. de decret. Synodi Nicenæ contra hæreſin Arii pag. 420. adducit locum ex Theognoſto, quem vocat virum θαυμάσιον in ſecundo hypotypoſeon. *Non forinſecus aut ex rebus extraneis Filij ſubſtantia conſtat, neq́; ex non Entibus producitur, ſed ex Patris ſubſtantia ita progenitus eſt, ut à luce radius &c.* Hilarius lib. 3. de Trinit. pag. 23. *Ingenitus ante omne tempus ex ſe filium genuit, non ex aliqua ſubjacente materia, quia per Filium omnia; non ex nihilo, quia ex ſe Filium; non ut patrem, quia nihil in DEO demutabile aut vacuum eſt.* 3. Quòd Pater non dicatur Filium ex ſua eſſentia genuiſſe *tãquam ex materia*, ſed tanquam *ex principio producente*, ut per hanc phraſin potiùs excludatur omnis materia, unde quidam malunt ſic loqui, *Pater in eſſentiæ unitate genuit Filium*, ne duæ eſſentiæ introduci videantur, ſed utraque phraſis commodè adhiberi poteſt.

76. Q. 6. *An Filius cogitatione à Patre genitus ſit?* Flacius p. 1. Clav. col. 1249. hanc phraſin improbat in Philippo & Oſiandro. Philipp. in refut. Serveti. *AEternus Pater eſt veluti mens, hic ſeſe intuens & perfectè cognoſcens cogitatione illâ gignit ſuam imaginem, nos formamus imagines evaneſcentes, ſed ipſe gignit imaginem non evaneſcentem, ſed ὑφιστάμενον καὶ ὁμοούσιον.*) Quidam hiſce eam impugnant argumentis. 1. eſt ἄγραφος. 2. Si intuitu Patris Filius genitus eſt, concedendum erit etiam S. S. habere Filium, aut negandum, Spiritum ſanctum intueri Filium. 3. Irenæus veteribus hæreticis hoc commentum tribuit. Sed tota antiquitas utitur hac comparatione. Ut conceptus mentis à mente gignitur, & in mente manet unde manat: ſic Filius à Patre genitus eſt, & in Patre ſemper manet. Ut abſque paſſione cogitatio procedit à mente, ſic Filii generatio eſt ἀπαθής. Diſtinguendum igitur *inter qualemcunq́; myſterij hujus illuſtrationem*, quam pii veteres in hac phraſi ſibi propoſitam habuerunt inſiſtentes veſtigiis Scripturæ, quæ Filium vocat Λόγον, etiam ante creationem jam inde ab ultima æternitate, & *perfectam ac plenam modi generationis determinationem*, quam hac phraſi exprimi poſſe nemo dixerit. Hilarius lib. 3. de Trin. p. 29. *Ut inenarrabilis eſt Pater in eo, quod ingenitus eſt, ita enarrari Filius in eo, quod unigenitus eſt, non poteſt, quia ingeniti eſt imago, qui genitus eſt.* Athanaſius ſerm. 3. cont. Arian. *Indecorum eſt quærere, quomodo ex DEO Verbum ſit, aut quomodo ſit DEI ſplendor, aut quomodo gignat DEUS, & quis ſit modus generationis DEI. Inſaniret enim, qui talia auderet, quoniam rem ineffabilem & propriam divinæ Naturæ, & duntaxat ipſi ac Filio ſuo cognitam verbis interpretari conatur.*

77. *Uſus practicus eſt conſolatorius.* Chriſtus eſt verus Deus, ergò 1. conveniens Mediator propter ſuam ad Deum & homines οἰκείωσιν. Iren. lib. 3. cap. 20. 2. ergò perfectus redemtor propter infinitam obœdientiæ & ſatisfactionis efficaciam ex perſonæ infinitate deſcendentem. 3. ergò ſufficientiſſimus defenſor propter divinam ſuam virtutem. 4. ergò efficaciſſimus interceſſor propter ſuam cum Patre ὁμουσίαν. Ioh. 11. v. 42. *ſemper me audis.* 5. ergò pleniſſimus Salvator propter ſalutem & vitam eſſentialiter ipſi competentem. Iren. lib. 4. adv. hær. c. 59. p. 291. *Quomodo poſſunt ſalvari Ebionitæ, niſi Deus eſt, qui ſalutem illorum ſuper terram operatus eſt?* In illo vita, ab illo vita, *ex ipſius plenitudine omnes accipere poſſumus*, ſicut ex fonte æquæ hauriuntur, ut tamen perpetuò aquis exuberet. In cujus manibus ſecurius ac firmius ſalus noſtra repoſita eſt, quam quæ cœlum ac terram condiderunt Eſa. 45. v. 2. in quibus ab æterno deſcripti ſumus Eſ. 49. v. 16. ex quibus nemo vel nos, vel ſalutem noſtram rapere poteſt Johan. 10. verſ. 29. &c.

Uſus practicus.

CA-

Cap. VI.

De humana Chriſti Natura.

Chriſti humana Nat probatur.

78. Theſis : *In Chriſto eſt vera, integra & perfecta Natura humana, ac proindè etiam Chriſtus eſt verus, perfectus & naturalis homo.* Sequitur ἔκθεσις. Per Naturæ humanæ *veritatem* intelligitur, quòd ὁ λόγος non φάντασμα vel nudam externã ſpeciem humanæ Naturæ aſſumſerit, ſed in rei veritate homo factus fuerit. Per Naturæ humanæ *integritatem* intelligitur, quòd omnes eſſentiales humanæ Naturæ partes noo ſolùm corpus, ſed etiam animam rationalem in perſonæ unitatem aſſumſerit, quòd caro ipſius fuerit ἔμψυχος σάρξ *animata caro*. Nec fuiſſe duntaxat, ſed adhuc dicitur *eſſe* homo, quia quod ſemel aſſumſit, nunquã depoſuit, nec deponet unquam. Dicitur *verus, perfectus & naturalis homo* rat. eſſeotialium & naturalium partium, quamvis *ratione originis*, videlicet conceptionis à S. S. & *ratione ſubſiſtentiæ*, videlicet προσλήψεως εἰς τὸν λόγον caro ipſius à ooſtra carne differat.

79. Una Chriſti humanitas demonſtratur 1. *ab appellationibus* tùm *propriis*, ut quod vocatur *homo* 1. Timoth. 2. verſ. 5. Luc. 23. verſ. 47. &c. *filius hominis* Daniel. 7. v. 13. Matth. 8. v. 20. cap. 16. v. 13. &c. Apoc. 1. v. 13. *caro* Johan. 1. v. 14. *vir* Zachar. 6. v. 12. Actor. 17. v. 31. *puer* Eſa. 9. v. 6. Act. 4. verſ. 27. *filius Abrahæ, filius David* Matth. 1. v. 1. *filius Iudæ, Siloh* Gen. 49. v. 10. *filius Mariæ* Eſai. 7. verſ. 14. *primogenitus Mariæ* Luc. 2. v. 7. &c. tùm *figuratis*, ut quod vocatur *ſemen mulieris* Geneſ. 3. v. 15. *ſemen Abrahæ* Gen. 22. v. 18. Hebræor. 2. v. 16. *ſemen Iſaaci* Geneſ. 26. v. 4. *ſemen Iacobi* Gen. 28. v. 14. *leo de tribu Iuda* Apocal. 5. verſ. 5. *ſemen Davidis* 2. Sam. 7. v. 2. *fructus lumborum Davidis* Actor. 2. verſ. 30. *fructus ventris David* Pſalm. 89. v. 36. Pſalm. 132. v. 11. *virga & ſurculus ex radice Ieſſe* Eſa. 11. verſ. 1. *Zemach ſive germen.* Zach. 6. v. 12. *germen Davidis* Jerem. 23. v. 5. cap. 33. v. 15. &c. 2. *à partibus hominis eſſentialibus*, quæ ſunt anima rationalis & corpus. De rationali aoima extant dicta manifeſta Matth. 20. verſ. 28. *ut daret animam ſuam in λύτρον* cap. 26. v. 35. *triſtis eſt anima mea.* Luc. 23. v. 46. *in manus tuas commendo Spiritum.* Johan. 10. verſ. 15. *nemo à me accipit animam &c.* inde tribuitur ipſi *ſcientia, intelligentia, ſapientia, voluntas*, quæ ſunt animæ rationalis propria. Eſa. 7. v. 15. Luc. 2. v. 40. Johan. 5. v. 21. &c. De *corpore* Chriſti teſtantur hæc dicta Matth. 26. verſ. 26. *accipite, hoc eſt corpus meum.* Marc. 14. v. 8. *prævenit ungere corpus meum.* Johan. 2. v. 21. *loquebatur de templo corporis ſui.* Col. 1. v. 22. *in corpore carnis ejus &c.* de *carne* Luc. 24. v. 39. Johan. 6. v. 51. Romanor. 1. v. 3. &c. de *oſſibus* Luc. 24. verſ. 39. Iohan. 19. verſ. 33. de *ſanguine* Matth. 26. v. 28. Iohan. 6. v. 54. cap. 19 verſ. 34. Actor. 20. 28. &c. *manuum, pedum, oculorum, capitis, faciei, aurium, oris, pectoris, lateris &c.* meotio fit in hiſtoria Evangelica & Apocal. 1. v. 15. 16. &c. 3. *à propriis hominis affectionibus*, tùm quæ toti compoſito conveniuot, tùm quæ ſingulis ejus partibus animæ & corpori competunt. Teſtatur eoim Hiſtoria Evangelica, quòd verè fuerit conceptus & natus, quòd ſitiverit, eſuriverit, delaſſatus fuerit, de loco in locum ambulaverit, ætate & ſapientiâ profecerit, lachrymatus fuerit, contriſtatus, exultaverit in Spiritu &c. ** Proprietates hum. Nat. aliæ dicũtur καθ' αὑτὸ quæ competunt τῷ πάντη καὶ ἀεί; aliæ πρὸς ἕτερον, quæ non niſi comparatè & in reſpectu ad aliud propria vocantur, cujuſmodi ſuot *edere, bibere, dormire, eſurire, pati &c.* hæc o. etſi in ſe propria humanitatis non ſunt, proot tameo illis ipſis Naturæ divina & humana eotradiſtinguuotur & divinitati ex ſe & per ſe attribui non poſſunt, idiomata, κατ' ἄλλο appellantur **. 4. *à propriis hominis operationibus* & effectis, quia non ſolùm in ſtatu exinanitioois intelligit, vult, loquitur, prædicat, edit, bibit &c. Actor. 10. v. 38. & ſeqq. cap. 13. ſed etiam in ſtatu glorificationis iotelligit, vult, cum beatis Angelis & hominibus io cœleſti gloria converſatur &c. Conſpiciebantur in eo 1. *operationes vitæ naturalis*, quæ eſt τοῦ θρεπτικοῦ & facultatis nutritivæ propria, eſuriebat, ſitiebat, eomedebat, bibebat. 2. *operationes vitæ animalis*, quæ ſunt vel ἐν τῷ αἰσθητικῷ, *in facultate ſenſitiva*, videbat, audiebat, tãgebat, vel in κινητικῷ, *loco motiva*, ingrediebatur, ſtabat, jacebat, vel in θυμητικῷ & ἐπιθυμητικῷ, facultate iraſcibili & concupiſcibili, gaudebat, triſtitiâ afficiebatur, iraſcebatur, dolebat, flebat; 3. *operationes vitæ naturalis*, τοῦ διανοητικοῦ, intelligebat, ratiocinabatur, loquebatur.

80. Circa *primam argumentorum claſſem* obſerva. 1. Quòd Chriſtus dicatur *filius hominis*. 1. *propter Propheticam denominationem* Daniel. 7. verſ. 13. Ut ex Daniele ſumta fuit uſitata, tunc appellatio Meſſiæ, ita ex eodem Propheta vulgari coofuetudine Meſſias dictus fuit filius hominis, ille ſcil. quem Dan. in viſione Prophetica deſcribit. 2. *ad veræ humanitatis demonſtrationem.* Ut enim filius Dei unigenitus ideò dicitur, quia eſt verus Deus ab æterno à Patre genitus, ſic etiam dicitur filius hominis, & quidem primogenitus, quia eſt ex Maria virgioe in temporis plenitudine verus homo natus. 3. *ad conſanguinitatis erga nos probationem.* Potuiſſet eſſe verus homo, licet non fuerit filius hominis ex homine natus, ſicut Adamus fuit verus homo, cum tamen ex terra fuerit formatus, ſed voluit homo ex homine naſci, & filius hominis fieri, ut luculentum extaret veræ humanitatis & noſtræ cum ipſo conſanguioitatis teſtimonium. 4. *propter exinanitionem* ac humiliationem. Viri excellentes & autoritate inſignes vocantur בְּנֵי אִישׁ *filii viri*, ſed plebeii & obſcuri homines vocantur בְּנֵי אָדָם *filii hominum*, deducit igitur nos hæc nomenclatura ad ſummam humiliationem Chriſti, propter quam in forma ſervi cõſtitutus ſe vocat hominis filium. 5. *propter officii adminiſtrationem.* Ezechiel Propheta licet eſſet in oculis populi Iſraelitici abjectus & contemtus, tamen propter officium Propheticum ac Mioiſteriũ divinitùs ſibi commiſſum ſemper vocatur filius hominis. Sic Chriſtus in diebus carnis appellat ſe filium hominis, quia ad homines propter homines ob Evangelii prædicationem & generis humani redemtiooem divinitùs erat miſſus. 6. *ob demonſtrandam ſuam dilectionem. Delitiæ ejus eſſe cum filiis hominum.* Proverb. 8. verſ. 31. ideò hoc nomine toties ſibi attributo revocat oos ad conſiderationem, ſummæ φιλανθρωπίας, ex qua voluit fieri filius hominis. Quidam addunt *nativitatis ex virgine inſinuationem*, quòd ideo ſe vocet filium hominis, uoius ſcil. in ſingulari, quia in terris non habeat patrem, ſed duntaxat matrem. Sed

filii

filii hominis dicuntur etiam illi, qui ordinario Naturæ curſu ex parentibus ſunt geniti.

81\. 2. Quòd appellatio *carnis* Joh.1.v.14. ſit ſynecdochica, ſignificans integram & perfectam Naturam hum. carnem ſcil. animatam, quo ſenſu in aliis etiam Scripturæ locis accipitur Geneſ. 6. v.12. Eſ.40.v.6. Ioel.2.v.28. Matth.24. verſ.22. Luc.3.v.6. Actor.2.v.17. Romanor.3.v.20.1.Cor.1.verſ.29.&c. Quod enim hoc ſenſu accipiendum ſit, colligitur ex locis parallelis, quæ de incarnatione Filii Dei agunt, (1. ab hominis appellatione, quæ animam & corpus complectitur. 2. à ſalutis noſtræ ratione, quæ requirebat, ut Chriſtus non ſolum carnem, ſed etiam animam aſſumeret. 3. ab expreſſa animæ rationalis mentione, ut infrà plenius oſtêdetur.) ideò v. voluit Evangeliſta carnis vocabulo in deſcribendo hoc myſterio uti. 1. ut oſtenderet λόγον non aſſumſiſſe perſonam, ſed Naturam humanam, quia humana Natura, quam Filius Dei in perſonæ ſuæ unitatem aſſumſit, non fuit priùs perſona per ſe ſubſiſtens, ſed ἅμα σάρξ, ἅμα λόγου σάρξ, ἅμα ἔμψυχος σάρξ. 2. ut doceret λόγον non phantaſma aliquod ſeu ſpiritualem ſubſtantiam, ſed verum corpus humanum carne & oſſibus conſtans, adeoque veram humanæ Nat. ſubſtantiam aſſumſiſſe, nam Luc.24.v.39. *Spiritus & caro* ſibi invicem opponuntur. 3. ut conſiderandam nobis proponeret immenſam Filii Dei caritatem, quòd cùm potuerit immediatâ operatione de novo ſibi creare Naturam hum. longè feliciorem ac præſtantiorem, quam fuit in Adamo ante lapſum, maluerit ex homine & ab homine Nat. humanam, quæ propter fragilitatem, miſerias & infirmitates vocatur caro, absque peccato tamen, aſſumere. Eſa.40.v. 6. Pſalm.78.v.39. 4. ut conſiderandam nobis proponeret arctiſſimam Naturæ cognationem & conſanguinitatem, quâ Filius Dei nobis conjungi voluit, ea enim in Scriptura ſic deſcribi ſolet *os meum & caro mea eſt*. Gen. 2.verſ.23.c.29.v.14. Iud.9.v.2. 2.Sam.5.1. Eph.5. v.31. &c. Notandum tertiò, quòd nomina, quibus vera Chriſti humanitas probatur, quædam ſint *abſtracta*, quædam *concreta*. Illa Naturam, hæc perſonam ab humana Nat. denominatam exprimunt. Abſtracta ſunt, quod vocatur *caro, ſemen mulieris*. Concreta, quod vocatur *homo filius hominis, filius Mariæ*.

82\. Circa *tertiam argumentorũ claſſem* obſerva 1. quod diſtinguendum ſit inter πάθη ſive affectiones *eſſentiales & accidentales*. Illæ dicuntur, quæ per ſe & eſſentialiter homini competunt, hæ v. quæ per accidens ipſi conveniunt. Illas Chriſtus adhuc in ſtatu gloriæ & in æternum retinet, has verò θνητὰς δυσχερείας & infirmitates ad tempus aſſumſit, ut pro ſalute humani generis pati ac mori poſſet, ſed eas in ſtatu gloriæ unà cum forma ſervili depoſuit. Auguſt.14. de C.D.c.9. *Neq; enim in quo verum erat hominis corpus & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus. Ille hos motus certa diſpenſationis gratia ita cùm voluit, ſuſcepit animo humano, ut cùm voluit, factus eſt homo. Nos illas affectiones habemus ex humanæ conditionis infirmitate, non autem ita Dominus Ieſus, cujus & infirmitas fuit ex poteſtate*. 2. quòd ab accidentalibus affectionibus & infirmitatibus removendum ſit peccatum, cujus ne minima quidem labes in ipſo locum habuit. Eſa.53.v.9. Heb.5.v.2. Hebr.7.v.26. 1.Pet.2.v.22. vocatur *ſanctum* Luc.1.v.35. *ſanctum ſanctorum* Dan.9.v.24. Quòd pro nobis *peccatum factus* dicitur 2.Corinth.5.v.ult. id accipiendum non *ratione inhæſionis*, quia additur *non novit peccatum*, ſed tùm reſpectu *imputationis*, quòd Pater *in ipſum conjecerit iniquitates omnium noſtrûm* Eſa.53.verſ.6. tùm reſp. *ſatisfactionis*, quia pœnas peccatorum noſtrorum in ſe recipiendo perfectam pro peccatis noſtris ſatisfactionem Deo præſtitit. Eſa.53.5. 3. quòd humanas infirmitates & defectus (apud Evagrium lib.4.c.39. vocantur φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη naturales & irreprehenſibiles paſſiones) abſque tamen peccato Chriſtus ſuſcipere voluerit præcipuè ob tres cauſas. Primò ut ſatisfaceret pro peccato Adami & omnium poſterorum ejus peccatis. Hujuſmodi enim defectus mors, fames, ſitis ſunt pœnę peccati, jam verò qui peccati pœnam in ſe ſuſcepit, pro peccatis noſtris ſatisfecit. Secundò ut veritatem aſſumtæ Naturæ hum. in animis noſtris fortiùs ſtabiliret, quia Natura humana non aliter erat nota hominibus, niſi prout defectibus illis ſubjacebat. Tertiò ut exemplum patientiæ & tolerantiæ in ſuſtinendis illis paſſionibus nobis exhiberet. Suſcepit ergò eas ad noſtrum meritum, ad veræ humanitatis documentum, & propter noſtrum exemplum. Addi poteſt quartò, ut per ſuos affectus puros & ſanctos peccatrices noſtros affectus expiaret. Quintò ut nobis magis aſſimilaretur ac majorem fiduciam in ipſum collocaremus Hebr. 4.verſ.15. Miſerationis affectu, non conditionis neceſſitate eas aſſumſit. Potuiſſet enim eſſe abſque illis verus homo, ſicut Adam ante lapſum verus homo fuit. Non fuit *conditionis, ſed dignationis*. Bernh. ſerm.1. de reſurr. *Particeps factus eſt infirmitatis noſtræ, non iniquitatis, ut per infirmitatem communem ſolveret iniquitatem noſtram*. Auguſt. Epiſt.142. 4. Quòd diſtinguendum ſit inter Naturæ humanæ defectus. Quidam enim ſunt communes *totius ſpeciei*, qui in omnibus hominibus poſt lapſum communiter inveniuntur, atque eo ſenſu dicuntur *naturales*, ut mors, ſitis, fames, illos Chriſtus ſuſcepit, abſque tamen peccato, quia pronitatem ad malum & difficultatem ad bonum ex peccato primi hominis ortam & omnibus hominibus communem non ſuſcepit. Quidam verò ſunt proprii certis duntaxat individuis, *perſonales* propterea dicti, qui non conſequuntur totam Naturam humanam propter peccatum primi hominis, ſed oriuntur ex cauſis quibusdam particularibus, ut lepra, epilepſia, cæcitas; qui vel ex defectu virtutis πλαστικῆς, vel ex defectu hominis ex inordinatione victus &c. oriuntur, eos Chriſtus non ſuſcepit. Thom.p.3.q.14.art.4.

83\. Ad hunc locum referenda ſuaviſſima Patrum dicta de veritate & integritate Naturæ humanæ in Chriſto. Iren.lib.5.cap.13.p.334. *Si quis ſecundùm hoc alteram dicit Domini carnem a noſtra carne, quoniam illa quidem non peccavit, nos autem peccatores rectè dicit! Si autem alteram ſubſtantiam carnis Domino affingit, jam non conſtabit illi reconciliationis ſermo*. Vid. eûd. lib.3. cap.32. p. 221. Auguſt. lib.10. de C.D. cap.27. *Propterea totum hominem ſine peccato ſuſcepit, ut totum quo cõſtabat homo, à peccatorum peſte ſanaret*. Damaſcenus lib.3. orth. fid. cap.6. ὅλον ὅλος ἀνέλαβέ με, καὶ ὅλος ὅλῳ ἡνώθη, ἵνα ὅλῳ τὴν σωτηρίαν χαρίσηται. Fulg. lib.1. ad Traſymund. p.251. *Sicut totum hominem Diabolus decipiendo percuſſit, ita Deus totum ſuſcipiendo ſalvavit*. Leo Epiſt.11. *Non poteſt quisquam eo aptè gloriari, in quo aſſerit Naturam ſuam non haberi*.

84\. An-

84. Antitheſis. Quidam veram Chriſti humanitatem labefactant *directè*, quidam *obliquè*. *Directè i.* φανταστικοὶ καὶ δοκῖται, qui docuerunt, *Filium Dei non aſſumſiſſe veram humanam Naturam, ſed phantaſma & ſpeciem quandam duntaxat corporis externam.* Tales Pſeudodoctores ſtatim poſt Apoſtolorum tempora extiterunt, quorum error à Marcionitis ac Manichæis poſteà fuit renovatus. De *Saturnino* ſcribit Irenæus lib. 1. cap. 22. pag. 77. quòd *Salvatorem ignotum demonſtraverit & incorporalem, & ſine figura, putativè autem viſum hominem.* De *Baſilide* ſcribit Epiphanius lib. 1. tom. 2. hæreſ. 24. pag. 58. quòd docuerit, *Chriſtum eſſe phantaſiam in eo, quod apparuit, non autem eſſe hominem, neque carnem ſuſcepiſſe.* Ignatius aliquot in locis diſputat contra eos, qui fingebant, *Chriſtum aſſumſiſſe* φάντασμα *ſive ſpectrum humanæ Naturæ*, ac dici hominem non ὄντως, ſed κατὰ δόκησιν. De *Leucippo & Mileſio* Epiph. hæreſ. 80. commemorat, quòd omnia *juxta imaginem & apparentiam fieri, nihilq; ſecundum veritatem, ſed in apparentia ſtatuerint.* De *Cerdonianis* memorat Auguſt. libr. de hæreſ. cap. 21. *quòd Chriſtum ipſum nec natum ex fœmina, neque carnem habuiſſe, neque verè mortuum, vel quicquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem* docuerit. De *Marcione* Pontico refert Philaſtrius libr. de hæreſ. cap. 45. quòd Cerdonis doctoris ſui mendacium firmans docuerit, *Chriſtum putativè apparuiſſe, id eſt, quaſi per umbram & paſſum fuiſſe umbraliter, non tamen in vera carne.* De *Manichæis* Aug. lib. de hær. cap. 46. ſcribit, quòd docuerint, *Chriſtum non fuiſſe in carne verâ, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe, ubi non ſolùm mortem, verùm etiam reſurrectionem mentiretur.*

85. Argumenta ipſorum præcipua fuêre iſthæc. 1. *ab Angelorum apparitione, qui in corporibus humanis apparuere, nec tamen veri homines fuêre.* Reſp. aliud eſt filii Dei in carne manifeſtatio, quæ definitur per φανέρωσιν καὶ ἐνσάρκωσιν, aliud verò Angelorum in forma humana apparitio, quæ definitur per φαίνωσιν. Angeli figuras humanas nequaquam perſonaliter ſibi univêre, ſicut ὁ Λόγος aſſumtam Naturam humanam, ſed ratione miniſterii ad tempus duntaxat corpus adhibuerunt, cujus fuêre formæ non informantes, ſed aſſiſtentes. Luc. 24. v. 39. *Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*, docet igitur, ſe non eſſe ſpectrum vel ſpiritum, ſed verè habere carnem & oſſa. De nullo Angelorum dictum eſt, quòd factus ſit caro, quòd aſſumſerit ſemẽ Abrahæ &c. ſicut de Filio Dei dicitur. Tertull. lib. de carn. Chriſti p. 18. *Qui carnem Chriſti ad exemplũ proponunt Angelorum, non natam dicentes ſcil. carneam, comparent, velim, & cauſas tam Chriſti, quã Angelorum ob quas in carnem venerunt. Nullus unquam Angelus ideo deſcendit, ut crucifigeretur, ut mortem experiretur, ut a morte ſuſcitaretur. Si nunquam fuit ejuſmodi cauſa Angelorum corporãdorum, habet cauſam, cur non naſcendo acceperint carnem, non venerunt mori, ideo nec naſci. At verò Chriſtus mori miſſus, naſci quoq; neceſſario habuit, ut mori poſſet, nõ enim mori ſolet, niſi qui naſcitur.* Si diligenter attendas, invenies τῆς λόγου ἐνσάρκωσιν καὶ τῶν Ἀγγέλων φανέρωσιν, omnium cauſarum efficientis, materiæ, formæ ac finis ratione differre. Eodem ferè modo reſponderi poteſt ad argumentum ductum *ab apparitione Spir. ſanct. in ſpecie columbæ.* Quicquid enim ſit de illa columba, ſive fuerit duntaxat ſpecies ac ſimulacrum columbæ, quod ſtatuunt Chryſoſt. hom. 11. in Matt. Aug. lib. 2. de Trin. c. 5. Ambroſ. lib. 1. de Sacram. c. 5. ſive fuerit vera & corporalis columba, quod ſtatuit Tertull. de carn. Chriſti c. 3. Autor libr. de agone Chriſti, (qui inter opera Auguſt. habetur) c. 22. Thom. p. 3. q. 39. art. 7. ad 1. ac nos verius arbitramur, illud tamen certum eſt unionem illam, quâ S. S. columbæ ſpeciem ſibi appropriavit, eſſe maximè diſtinctam ab unione divinæ & hum. Nat. in Chriſto 1. *rat. formæ*, quia S. S. ad tempus duntaxat in illa viſibili ſpecie apparuit, ſed Filius Dei perpetuo & indiſſolubili fœdere aſſumtam Naturam ſibi copulavit, unde illa unio vocari poteſt *ſymbolica*, hæc verò dicitur *perſonalis*, illa eſt *temporalis*, hæc verò *perpetua & indiſſolubilis.* 2. *ratione finis.* Autor libri de agone Chriſti d. l. *Non veniebat S. S. ad liberandas columbas, ſicut Filius Dei carnem induit, ut carne carnem liberaret.*

86. 2. *Ab aſſertione Apoſtolica* Rom. 8. v. 3. *miſit Deus Filium in ſimilitudine carnis peccati.* Phil. 2. v. 7. ἐν σχήματι *inventus eſt ut homo.* Reſp. 1. non dicit Apoſt. ſimpliciter, quòd miſerit Deus Filium ſuũ *in ſimilitudine carnis*, ſed quòd miſerit eũ *in ſimilitudine carnis peccati*, id eſt, peccato obnoxiæ. Senſus igitur eſt, quòd caro Chriſti ſimilis quidẽ fuerit carni peccatrici, non tamen peccatrix fuerit, vox enim ὁμοιώματος non ad carnem, ſed ad determinationem adjectam τῆς ἁμαρτίας pertinet, nec excludit Naturæ hum. veritatem, ſed peccati fœditatem, unde in fine verſiculi pro ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ponitur ἐν σαρκί. Tertull. lib. de carne Chriſti. *Non quòd ſimilitudinem carnis acceperit, quaſi imaginem corporis & non veritatis, ſed ſimilitudinem peccatricis carnis vult intelligi, quod ipſa non peccatrix caro vera Chriſti ejus fuit par, cujus erat peccatum.* lib. 5. contra Marcion. *Similitudo ad peccati titulum pertinet, non ad ſubſtantiæ mendacium.* Ambroſ. libr. 1. de pœnit. c. 3. tom. 1. p. 153. *Non ſimilitudine carnis ait, quia Chriſtus veritatem ſuſcepit carnis humanæ, non ſimilitudinem, neq; in ſimilitudine peccati ait, quia peccatum non fecit, ſed peccatum pro nobis factus eſt, ſed venit in ſimilitudinẽ carnis peccati, i. e. ſuſcepit ſimilitudinẽ carnis peccatricis.* In com̃. 8. Rom. p. 80. *Propterea ſimile dixit, quia de eadem ſubſtantia carnis non eandem habuit nativitatem, quia peccato ſubjectum non fuit corpus Domini.* 2. In poſteriore dicto vox σχήματος ſignificat externam cõverſationem in affectibus, geſtibus & totius vitæ actionibus, in qua Chriſtus ſimilis eſſe voluit aliis hominibus, unde dicitur *in ſimilitudinem hominum factus*, id eſt, juxta phraſin Hebraicam ſimilis hominibus factus, unde 1. Petr. 1. verſ. 15. vox σχηματίζεσθαι exponitur per ἀναστρέφεσθαι, cùm potuiſſet in aſſumta Natura ſtatim à nativitate oſtendere divinam ſuam majeſtatem, ſicut reipſa in transfiguratione oſtendit. At illud σχῆμα non opponitur veritati ſive ſubſtantiæ carnis, ſed ſubſecutæ glorificationi. Phil. 3. v. 21. *corpus noſtrum* μετασχηματίσει, neque tamen ſubſtantia ejuſdem abolebitur. Nequaquam igitur per ὁμοίωμα vel σχῆμα veritatem carnis Apoſtolus evertit, ſed infirmitates, quibus Chriſtus ſpontè ſe ſubjecit; & affectiones, quas in ſtatu exinanitionis non minùs ac reliqui ſuſtinere voluit, emphaticè exprimit, id quod patet primò *ex ſcopo.* Apoſtolo enim non fuit propoſitum docere, qualis fuerit humana Natura

tura

tura Chriſti ratione eſſentiæ, ſed qualem ſe Chriſtus in externa converſatione durante exinanitionis ſtatu geſſerit, ſecundò *ex connexione*. Hortatur Apoſtolus Philippenſes ad humilitatem exemplo Chriſti. At ſi Chriſtus non fuiſſet verus homo, nec verâ humilitate Patri obœdiens fuiſſet, utique etiam Apoſtolus ad fictam & ſimulatam quandam humilitatem nos hortaretur. Tertiò *ex propria harum vocum ſignificatione*. σχῆμα enim pro qualitatum congruentia, non autem immediatè pro ipſa Natura ſumitur Rom. 1. v. 23. cap. 6. v. 5. idem judicium de voce ὁμοιώματος 1. Cor. 15. v. 29. Quartò *ex adjuncta voce μορφῆς*, quę nuſpiam immediatè pro ipſa eſſentia ſeu forma ſubſtantiali, ſed tantùm pro ſpecie externa ſeu forma accidentali ſumitur.

87. 2. ἑτερούσιοι, qui opinati ſunt, *Chriſtum non habuiſſe vel adhuc habere carnem nobis conſubſtantialem, ſed aliam*. Illorum duæ poſſunt conſtitui claſſes. Quidam enim docuerunt, *Chriſtum nullo unquam tempore, ac ne quidē à primo incarnationis momento habuiſſe carnem nobis conſubſtantialem*. Quidam verò ſomniarunt, *Chriſtum primo quidem habuiſſe carnem nobis conſubſtātialem, ſed poſtea in unione vel glorificatione eam fuiſſe mutatam in divinam Naturam*. Ad priorem claſſem pertinent 1. *Valentiniani*. de quibus Iren. lib. 1. adv. hær. c. 1. p. 22. ſcribit, quòd ſtatuerint, χριστὸν διὰ Μαρίας διοδεύσαντα, *per Mariam tranſiiſſe* καθάπερ ὕδωρ διὰ σωλῆνος ὁδεύει, *ſicut aqua trāſit per canalem*, quib. Iren. lib. 3. c. 32. p. 220. hoc opponit argumentum: *Si non accepit ab homine ſubſtantiā carnis, neq; homo factus eſt, neq; filius hominis, & ſi hoc factus nō eſt, quod nos eramus, non magnū faciebat quod paſſus eſt &c.* 2. *Apelitæ*. quorū Princeps Appelles docuit, *Chriſtum non quidem carnē duxiſſe de cœlo, ſed ex elementis mundi accepiſſe, quæ mundo reddidit, cùm ſine carne reſurgens in cœlum aſcendit*. Aug. de hæreſ. cap. 23. (Iren. lib. 3. cap. 32. Epiph. hæreſ. 56. de Appelle memorant, quòd dixerit, *Filium Dei non aſſumſiſſe carnem ex virgine Maria, ſed ex quatuor Elementis corpus ſibi aggregaſſe*) 3. *Eutyches* docuit, *corpus Domini non eſſe nobis conſubſtantiale, neq; ex ſubſtantia Mariæ virginis conceptum, ſed cœlitùs allatum*. Theodor. in Epitom. αἱρετ. κακομυθ. οὗτος καὶ τοῦ σώματος ἠρνήθη τὴν πρόσληψιν, οὐδὲν γὰρ ἔφη τὸν Θεὸν λόγον ἀνθρώπινον ἐκ τῆς παρθένου λαβεῖν, ἀλλ' αὐτὸν ἀτρέπτως τραπέντα καὶ σάρκα γενόμενον. Theodor. Dial. 1. c. 22. *Quidam hanc impietatē eructarunt, ut dicāt*, μὴ νεώτερον εἶναι τὸ σῶμα τῆς τοῦ λόγου θεότητος, ἀλλὰ συναΐδιον αὐτῷ διὰ παντὸς γεγενῆσθαι. *Non eſſe corpus recentius ipſa Verbi divinitate, ſed coæternum ipſi ſemper fuiſſe*.

88. Noſtro ſeculo. 1. *Anabaptiſtæ* amplectuntur opinionem *Valentinianorum* de carne Chriſti cœlitùs delata, & per uterum Mariæ inſtar aquæ per canalem tranſeunte. In Colloq. Embdano dixerunt: *Ieſus Chriſtus non eſt ex carne & ſanguine, ſeu ex ſubſtantia Mariæ, ſed de Spiritu S.* Menno in fundam. ſuis ſcribit, *Chriſtum Ieſum à ſummo ad imum, intus & exterius, viſibiliter & inviſibiliter Dei primogenitum & unigenitum eſſe Filium, incomprehenſibile & æternum Verbum, per quod omnia creata ſunt*. Idem in Colloq. Wiſmar. dixit: *Verbum caro factum eſt, perindè ut aqua factum eſt vinum, & Lothi conjunx verſa eſt in ſtatuam ſalis*. Eſt & hoc Mennonis: *Pater præparavit corpus filio ſuo non ex impuro humano ſanguine, ſed ſuo ipſius incorruptibili ſemine, quo per S. S. Maria fuit impregnata*. Vid. Wigand. in Anabapt. Urban. Regium contra Anabapt. &c. *Servetus* unus ex Anabaptiſtis lib. 2. de Trinit. docet, *Chriſti carnem eſſe divinam ac cœleſtem, & ex Patris eſſentiâ genitam*. Melchior Hoffmannus Anabaptiſta docuit, *Verbum non fuiſſe carnem ex virgine, ſed ex ſeipſo, Mariæ carnem* pronunciavit *eſſe maledictam*. 2. *Suencofeldius* itidem carnem Chriſti diverſæ ſtatuit eſſe ſubſtantiæ quam noſtram. In Confeſſ. ſua magna part. 1: *Caro Chriſti non habet creaturale initium, ſed ſupernaturale & novum ex ſemine ſui Patris, h. e. ex Spir. ſanct.* part. 3. *Chriſti humana Natura non eſt ſimilis humanæ Naturæ Turcarum*. 3. *Thammerus* negavit, *carnem Chriſti eſſe naturalem, ſed divinam, ſpiritualem & creatam initio à DEO in Paradiſo in ſua integritate & perfectione*. Rationes ejus recenſet & refellit Aret. pag. 1. Locor. Theol. loc. 9. fol. 119. 4. Anabaptiſtas & Suenckfeldiſtas ſequuntur noſtri temporis *Methiſtæ*. 5. Affines illis quodammodò ſunt *Photiniani*. Schmaltz. in exam. 157. error. err. 18. p. 8. *Tam ex ſanguine Mariæ, quam ex materia à Deo ad corpus Chriſti gignendam allata Chriſtum genitum eſſe dicimus. Et hoc veriſſimum eſſe teſtantur ſacræ literæ, quando obumbrationis S. S. ſuper Mariam mentionem faciunt, & quando Chriſtum Filium DEI ob iſtam obumbrationem nominant. Nec n. Filius DEI nominari ab ipſa conceptione poſſet, niſi aliquid ex parte DEI ad eum conſtituendum acceſſiſſet, ſed tantum Mariæ filius eſſet ob conceptionem & nativitatem, quod longè eſſet abſurdiſſimum, quamvis id aſſerere cogantur omnes Trinitarij. Vorſtius* Photinianizans blaſphemo ore eructat, *Spiritum ſanctum in Chriſto homine formando ſeminis viri, imo ipſius viri vicem ſuppleviſſe, neq; quicquam in hac generatione Chriſti præter actionem & ſemen viri defuiſſe*. Hūc immanem errorem excogitarunt, ut vim argumenti noſtri, *Chriſtus eſt proprius, unigenitus & naturalis DEI Filius, ergò verus Deus*, quocunque modo effugerent. Opponimus autem ei hoc argumentum: Materia illa ad corpus Chriſti gignendum à Deo allata, aut fuit ea ipſa Dei eſſentia, quâ ratione Deus ſtatuetur corporeus, & per conſeq. non erit eſſentia ſpiritualis, ſimpliciſſima, infinita, aut ab eâ diſtincta, & ſic illius reſpectu Chriſtus nondum erit Dei Filius ea Deo genitus. 6. *Flaciani* itidem Chriſtum nobis ἑτερούσιον introducunt. Si enim peccatum eſt ipſa hominis ſubſtantia, ergò filius Dei non aſſumſit Naturam noſtræ ὁμοούσιον, quia non aſſumſit peccatum. Reſpondent: *Naturam Chriſti humanam eſſe ejuſdem ſpeciei cum illa Natura, quam Adamus habuit ante lapſum*. Atqui principium petitur in eo, quod alia Natura in Adamo ſtatuitur fuiſſe ante lapſum & poſt lapſum. Flacius in orth. confeſſ. pag. 186. & in ſolid. refut. cap. 3. *Humanitas Chriſti non eſt prorſus ejuſdem ſpeciei cum noſtra carne in Theologia*. Irenæus in ſcripto German. quod articulum 1. in Form. Conc. examinat lit. Y. *Chriſtum Naturam aſſumſiſſe, quæ excepto peccato ſit ejuſdem generis, ſpeciei & ſubſtantiæ cum noſtra, verum eſt phyſicè, ſed non Theologicè & ſecundùm Scripturam* κυριωτέρως *loquendo*. lit. aa. 3. *Chriſtus ſecundùm humanitatē nobis potius* ὁμοιούσιος, *quā homouſios*.

89. Ad poſteriorem claſſem pertinet *Eutyches* ſibi minimè conſtans, de quo Evagrius lib. 2. c. 4. Εὐτυχὴς εἰρήκει, ὁμολογῶ ἐκ δύο φύσεων γεγενῆσθαι τὸν

Digitized by Google

κύριον ἡμῶν πρὸ τῆς ἑνώσεως, μετὰ δὲ τὴν ἕνωσιν μίαν φύσιν ὁμολογῶ. Conſer Theodor. Dial. 2. Damaſcen. lib. 3. orth. fid. cap. 3. Suenckfeld. lib. de div. majeſt. humanitatis Chriſti docet, *Chriſti humanitatem poſt aſcenſionem non eſſe creationalem, ſed ſupercreaturalem*. Niceph. lib. 14. cap. 47.

90. Contra errores ἑτερουσίων obſerva 1. quòd Chriſtus non ſolùm dicatur natus *in Maria* virgine Matth. 1. v. 20. ſed etiam *ex Maria* v. 16. *ex muliere* Gal. 4. v. 4. *ex ſemine Davidis* Rom. 1. v. 3. unde vocatur *fructus ventris ejus* Pſal. 132. v. 11. *fructus lumborum ejus* Act. 2. v. 30. &c. quod meritò urget Tertull. lib. de carne Chriſti. 2. Quòd deſcriptiones divinæ Naturæ non ſint opponendæ veritati humanæ Naturæ. Ergò ex eo, quòd Chriſtus dicitur *deſcendiſſe de cælo* Johan. 3. v. 13. *ſecundus homo de cælo* Ioh. 6. v. 62. non probatur, quòd corpus ſidereum ac cœleſte in uterum virginis intulerit, ſed quod ὁ λόγος carnē aſſumſerit. 3. Quòd utrumque ſine contradictione aſſerat Scriptura, *Chriſtum eſſe natum ex ſemine Davidis, & Chriſtum non eſſe conceptum & natum ex ſemine viri*. Prior locutio deſcribit originem & familiam Chriſti ſecundùm carnem. Poſterior negat cauſam efficientem & modum communem conceptionis humanæ. 4. quòd peccatum non pertineat ad ipſam hominis Naturam, ſed ſit vitioſum ejus accidens ac venenum carni noſtræ intimè adhærens. Quamvis igitur Filius Dei carnem noſtram aſſumſerit abſque peccato, non tamen deſinit proptereà nobis eſſe ὁμοούσιος. 5. Quòd in conceptione Chriſti duo ſint conſideranda. Cauſa efficiens & materia. *Reſpectu cauſæ efficientis* eſt diſcrimen inter conceptionem Chriſti & noſtram, quia Spir. S. guttulas illas ſanguinis, ex quibus corpus Chriſti formatum eſt, ab omni labe peccati mundavit, & venenum peccati ex illis abſterſit, cùm nos ex immundo concipiamur ſemine. Pſal. 51. v. 7. Iob. 14. v. 4. *Reſpectu materiæ* eſt convenientia, quia Filius Dei ex ſanguine & ſubſtantia Mariæ nobis ὁμουσίῳ veram carnem aſſumſit. Diſtinguendum igitur *inter id, quod ſit aliud*, ſic humana Chriſti Natura non facta eſt aliud eſſentialiter à noſtra Natura diverſum, licet ſine commixtione maris & fœminæ fuerit concepta, omnis peccati expers, & divinitati perſonaliter unita; ac *inter id, quod ſit alio modo ſe habens*, quod de humana Chriſti Natura dici poteſt. Leo ſerm. 2. de nativ. col. 38. *Origo diſſimilis ſed Natura cōſimilis. Si veritatem quæris, humanā Naturā cognoſce materiam, ſi rationem ſcrutaris originis, virtute confitere divinam*. 6. Quòd *actus perſonalis*, quē humana Nat. ex puriſſima & arctiſſima ad λόγον unione ſortita eſt, non tollat *actum naturalem*, quē ex eſſentialibus principiis ac partibus ſuis obtinet, ac proinde per ſummam illam unionis gloriā non deſinit eſſe vera hum. Natura. 7. Quòd gloria in exaltatione Chriſto data Naturam non interficiat, ſed perficiat, nec tollat, ſed extollat.

91. 3. ἄψυχοι, qui in Chriſto verum quidem corpus agnoſcebant, ſed animam negabant. Illor. itidem duæ fuēre claſſes. 1. Quidam finxerunt λόγον *aſſumſiſſe carnem πάντη ἄψυχον, omni animâ etiam ſenſitivâ ac vegetativâ deſtitutam*, ut Ariani apud Socrat. lib. 2. cap. 45. qui id ſtatuerunt hoc fine, ut τὰ πάθη, quæ in Scripturis Chriſto tribuuntur, poſſent referre ad τὸν λόγον, ac proinde negare Chriſtum eſſe verum Deum. 2. Quidam diſputarunt λόγον *aſſumſiſſe corpus vivens, h. e. animâ vegetativâ & ſenſitivâ præditum, ſed anima rationali deſtitutum, divinitatem autem loco animæ fuiſſe*, ut Apollinaris & ipſius aſſeclæ. Euſeb. lib. 11. Hiſt. c. 20. Epiph. hæreſ 77. Contra ἀψύχων errores obſerva 1. quòd *carnis* vocula Ioh. 1. v. 14. accipiatur συνεκδοχικῶς, ut ſuperiùs oſtēdimus. 2. quòd Chriſto tribuuntur facultates animæ rationalis, *intellectus* ſc. & *voluntas* à Patris voluntate diſtincta Luc. 2. v. 52. c. 23. v. 46. Matth. 26. v. 39. Ioh. 5. v. 30. cap. 6. v. 38. 3. quòd ad eſſentiales & conſtitutivas partes hominis pertineat non ſolùm corpus, ſed & anima rationalis. Quare cùm Chriſtus ſit verus homo Joh. 8. v. 40. 1. Cor. 15. v. 47. 1. Tim. 2. v. 5. utique etiam conſtabit anima verè humanâ, i. e. rationali. 4. quòd ratio ſalutis noſtræ requirebat, ut λόγος non ſolùm carnem, ſed etiam animam aſſumeret, τὸ ἀπρόσληπτον ſit ἀθεράπευτον, Nazianz. Epiſt. 2. ad Cledonium. jam verò Filius Dei voluit integram & totam noſtram Naturam ſanare, ac anima præcipuè erat per peccatum corrupta, utiq; ergò integram aſſumſit Naturam. Ad ἀψύχους referri poſſunt *Monothelete*, qui unam tantùm voluntatem Chriſto tribuerunt.

92. *Obliquè* humanam Chriſti Nat. labefactant 1. ἀπαθεῖς, qui putarunt, *humanam in Chriſto Nat. propter perſonalem cum λόγῳ unionem nō fuiſſe ullis paſſionibus obnoxiam, ſed ſicut telum tranſit per aquam ſine vulneris ſenſu, ſic Chriſtum nō ſenſiſſe verum dolorem in ſuis paſſionibus*. Hilar. lib. 10. de Trin. de quo tamen Bonavent. lib. 3. diſt. 16. q. 1. art. 1. reſp. ad 1. ſcribit, *quòd ſententiam illam de ἀπαθείας retractaverit*. Iuſtin. Imp. apud Evagr. lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 38. itidem *negat, Chriſtum verè ſenſiſſe triſtitiam, dolores & angores in paſſione*. Similia dicta ex veterib. adduximus in Harm. de paſſ. p. 56. Sed obſerva 1. particulam aſſeverandi Eſ. 53. v. 4. אָכֵן *verè, certè* languores tulit. 2. emphaticam deſcriptionem Evangeliſtarum, quæ non minùs quàm graviſſimæ Chriſti querelæ, ſudor ſanguineus & conſolatio Angelica docent nihil hîc ſimulati eſſe. 3. conſequens abſurdum. Si Chriſtus nō verè, ſed ſimulatè dolores illos ſenſit, etiam noſtra redemtio non erit vera, ſed ſimulata. Conf. inſignē locum Ambr. lib. 10. in Lucam c. 22. tom. 5. p. 154. *Cōfidenter triſtitiam nomino, quia crucem prædico, neq; n. ſpeciē incarnationis ſuſcepit, ſed veritatē &c.* Ad ἀπαθεῖς ἀφθαρτοδοκῆται pertinent, qui negarūt *Chriſtū infirmitates Nat. hum. ſuſcepiſſe*. Niceph. lib. 17. cap. 29. Damaſc. lib. 3. cap. 28. (Bell. lib. 4. de Chriſto c. 8. negat *Chriſtum ſenſiſſe dolores inferni*, eoque nomine in Melanchthonem & Brentium graviter invehitur, quòd aſſeruerint iram Dei fuiſſe ſuper ipſum effuſam, & ingentem in eo fuiſſe mœſtitiam, quâ de re ſuo loco plura.) 2. *Pontificy* per dogma tranſſubſtantiationis. Vid. diſp. 2. de gloria Dei. §. 9. 3. *Calviniani* per hypotheſin de putrefactione ſanguinis in ara crucis effuſi. Vide diſp. 7. de gloria Dei §. 8. 4. *Photiniani*. 1. quia negant, *Chriſtum in cælo habere carnē & ſanguinem*. Oſtor. in Inſt. German. cap. 38 p. 390. Schmaltz. de div. Chriſti p. 90. contra Frantz. p. 407. in exam. 157. err. p. 11. & 21. 2. quia ſtatuunt *ad eſſentiā hominis requiri, ut ſit perſona humana*, ex quo ſequitur, Chriſtum non eſſe verum hominem, cùm aſſumta Natura humana non ſit perſona ἰδιοσύστατος, ſed ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ ſubſiſtat Schmaltz. in exam. 157. error. p. 5. *Hominem eum appellari, qui idē nō ſit perſona humana, nec ratio, nec ſacræ literæ permittunt*. p. 38. *Monſtrum id hominis dicendū, quòd*

per-

Digitized by Google

perſona humana non ſit. In omnibus hominum individuis ab ipſo orbis initio hoc verum eſſe apparuit, in ſolo Chriſti individuo veritas illa fefellerit? Ergo Chriſtus ſaltem non erit homo, ut alÿ homines fuerunt, ſunt & futuri erunt? cur igitur toties homo, filius hominis & vir appellatur? Similia habet Catech. Racov. p. 55.

93. Obſerva autem 1. de conceptione à Spir. ſancto, quam Photiniani Chriſto tribuunt, eodem modo inſerri poſſe. *In omnibus hominum individuis ab ipſo orbis initio hoc verũ eſſe apparuit, quod virgo abſq; maritali congreſſu parere nequeat.* 2. veritatem & integritatem humanæ Naturæ depẽdere ex partibus eſſentialibus & conſtitutivis anima ſc. & corpore unitis, quæ cùm in Chriſto ſint integræ ac perfectæ, nihil decedit veritati humanitatis etiãſi non ſit ἀνϑυπόστατος. Dantur enim multa ſingularia, quæ non habent peculiarem & propriam ſubſiſtentiam, ſic pars inexiſtit toti brachium corpori, &c. ſed tamen non per ſe & per propriam ſubſiſtentiam verùm alienam ſc. totius. Non *ſubſiſtentia* ſed *exiſtentia completam* Naturæ perfectiõem largitur, ſubſiſtẽtia eſt quidem complementum aliquod verùm externum ratione actualis exiſtentiæ, quia non ingreditur ejus εἶναι. Proinde perfecta poteſt eſſe Natura, ſive ſubſiſtentia tanquam modus ex illa fluat, ſive extrinſecus illi ſuperaddatur. 3. Diſtinguendum eſſe inter res perſonam conſtituentes *non impeditas*, ubi ſc. ſunt duæ res perſonam conſtituentes nõ impeditæ, ibi ſunt duæ perſonæ; & *impeditas*, ubi nõ ſtatim duæ oriũtur perſonæ. In Chriſto ſunt duæ res perſonam conſtituentes, ſed altera nempe humana Natura per πρόσληψιν εἰς λόγον impedita fuit, quò minus peculiarem perſonam conſtitueret. 4. Chriſto ſecundùm humanam Naturam propriam perſonalitatem humanam deeſſe non propter defectum alicujus rei quæ ad perfectionem humanæ Naturæ pertinet, ſed potius propter additionem præſtantioris perſonalitatis ſeu perſonalis ſubſiſtentiæ τοῦ Λόγου. Pulcrè Thom. p. 3. q. 4. art. 2. ad 2. *Naturæ aſſumtæ non deeſt propria perſonalitas propter defectum ſed propter additionem alicujus quod eſt ſupra humanam Naturam, quod eſt unio ad divinam perſonam.* q. 2. art. 5. ad 2. *Nec propter hoc ſequitur, quod ſit minoris efficacia unio animæ & corporis in Chriſto quam in nobis, quia ipſa conjunctio ad nobilius non adimit virtutem aut dignitatem ſed auget.* Confer locum de Deo Patre & filio. p. 150.

Quæſtiones de humana Chriſti Natura.

94. Quæritur h. l. 1. *An Chriſtus ſecundum humanam Naturam nobis ſit ὁμοούσιος?* Diſertis verbis id in Symbolo Athanaſii aſſeritur & ex cõfeſſione totius Eccleſiæ cumprimis ex veritate humanæ Naturæ in Chriſto & ex loco Apoſtolico Eph. 5. v. 30. *ſumus de carne ejus & de oſſibus ejus,* idipſum eſt manifeſtiſſimum. Quid ergo fiet dictis veterum, qui negant in humanis filium poſſe dici Patri ὁμοούσιον, ſed ſoli Dei Filio auguſtum illud nomen competere? Diſtinguendum inter diverſas hujus vocis acceptiones. ὁμουσία quandoque notat unitatem eſſentiæ *tantum juxta ſpeciẽ*, hoc ſenſu in humanis filius Patri eſt ὁμοούσιος, ac proinde etiam Chriſtus hoc ſenſu ſecundùm humanam Naturam nobis ὁμοούσιος dicitur, contrà verò Patres Antiocheni negaverunt hoc ſenſu Filium in divinis eſſe Patri ὁμοούσιον, ut conſtat ex Athanaſ. lib. de decret. Synod. Nicen. Quandoq; verò notat ὁμουσία unitatem eſſentiæ *ſecundum numerum*, hoc ſenſu in humanis Filius non eſt Patri ὁμοούσιος ſed tantum ὁμοιούσιος, ac proinde etiam Chriſtus hoc ſenſu ſecundùm humanam Naturam nobis non eſt ὁμοούσιος, contrà verò Patres Niceni ſtatuerunt, hoc ſenſu Filium eſſe Patri ſecundùm div. Naturam ὁμοούσιον.

95. Q. 2. *An Filius DEI ἐν εἴδει ἢ ἐν ἀτόμῳ humanam Naturam aſſumſerit & an Natura Chriſti humana ſit individuum.* Individuum dupliciter accipitur. 1. *pro uno quod eſt indiviſum in ſe. 2. pro eo quod per ſe & in ſe ſubſiſtit.* Priori ſenſu Natura humana Chriſti eſt individuum, non poſteriori. Diſputat hac de re eleganter Damaſcenus lib. 3. orthod. fid. cap. 11. ubi dicit trifariam conſiderari Naturam humanam 1. ψιλῇ θεωρίᾳ ubi ab omnibus individuis ſeparata & per ſe ſola ſpectatur. 2. ἐν εἴδει. 3. ἐν ἀτόμῳ & concludit, non primo nec ſecundo ſed tertio ſenſu humanam Naturam à Filio Dei eſſe aſſumtam, ubi tamen notandum τὸ ἄτομον humanæ Naturæ bifariam conſiderari poſſe, primò quatenus habet propriam & peculiarẽ ὕπαρξιν, eo modo humana Nat. eſt in reliquis hominibus, ſecundò quatenus ſubſiſtentiam ſuam habet in alio, quo modo poſteriore Natura humana ἐν ἀτόμῳ à Filio Dei in ſuam ipſius hypoſtaſin eſt aſſumta. Suſcepit Dei Filius Naturam humanam non in *propria perſonalitate* ſed in *ſingularitate* conſideratam, quæ fuit ſecundùm eſſentiam & partes ſuas eſſentiales completa, maſſa quædam ſingularis & à Natura aliorum hominũ in individuo nõ ſpecie conſideratorum diſtincta, ad ſubſiſtentiam recipiendam apta, quæque propriam perſonam conſtituiſſet, niſi in aliam ὑπόστασιν fuiſſet aſſumta. Thom. p. 3. q. 4. art 3. *Hoc nomen homo ſignificat humanam Naturam prout nata eſt in ſuppoſito eſſe.* Confer locum de perſona Chriſti §. 67.

96. Q. 3. *An rectè dicatur, quod Filius Dei aſſumſerit hominem?* Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 1. hoc nomine Neſtorianiſmi accuſat Brentium. *Notabis,* inquit, *in verbis Brentÿ Neſtorianas illas phraſes, Filius DEI eſt in filio Mariæ, item Filius DEI aſſumſit Filium hominis.* Atqui 1. apud veteres hæc phraſis ſæpius occurrit, ſic enim loquuntur Cyprian. ſerm. de idolor. vanitate. Irenæus apud Theodoretum. Origenes homil. 23. in Matth. Hilarius libr. 9. de Trinitat. Athanaſius apud Vigilium Martyrem in expoſit. fidei. Ambroſius libr. 4. de fide cap. 5. Auguſtinus libr. 1. de Trinitat. cap. 7. Autor libri de agone Chriſti cap. 11. & alii complures. 2. utitur eadem Thomas Aquinas (quem Pontifex Romanus in numerum ſanctorum retulit) in cat. n. aurea ſuper Evang. & p. 3. quæſt. 4. art. 3. quando *Patres dicunt Filium DEI aſſumſiſſe hominem, tunc nomen homo ſignificat humanam Naturam prout nata eſt in ſuppoſito eſſe.* 3. Ludov. Vives in comm. libr. 9. de civitat. Dei cap. 17. graviter invehitur in eos, qui ob uſum hujus phraſeos Neſtorianiſmi alios accuſant. *Auguſtinus* (inquit) *& Hieronymus & cæteri Latini ſcriptores noſtræ religionis dicunt quod DEUS aſſumſerit hominem. Græci ἄνθρωπον in Chriſto dicunt, id eſt, hominem, nec ferè norunt aliud loquendi genus, cùm de aſſumta a Filio DEI homine loquuntur. Recentiores Theologi, ut ipſi ſoli de cælo cecidiſſe videantur, ſcrutata tota Chriſti & divinitate & humanitate, invenerunt non hominem aſſumſiſſe illum ſed humanitatem & hoc dicunt eſſe adverſus hæreticos tutiſſimum, cen verò*

parum tuti futuri eſſemus Auguſtini & Hieronymi autoritate muniti. At illi, inquiunt, humanitatem ſenſêre, cùm hominem dixêre? loquantur ergo iſti ut illi & ſic ſentiant, ſed iſti linguarum peritiores & totius rationis loquendi eandem illam vetuſtatem & inſciam Latini Græcique ſermonis emendant & expoliunt, &c. 4. Bellarminus ipſe ſub finem c. 7. ejusdem libri phraſin illam in Auguſtino excuſat. *Auguſtinus* (inquit) in Enchir. cap. 36. de prædeſt. ſanct. cap. 15. *& alibi non raro dicit, DEI Filium aſſumſiſſe hominem, ubi nomine hominis intelligit humanitatem.* 5. Eodem modo cum phraſin illam expoſuerit Brentius, non erat propter eam Neſtorianiſmi dica ei ſcribenda. Interim libenter fatemur cum Thom. p. 3. quæſt. 4. art. 3. & Bonavent. lib. 3. ſent. diſt. 5. quæſt. 4. locutionem illam *eſſe quodammodo impropriam ac pie exponendam non autem temere imitandam vel latius extendendam eſſe.* Senſus enim eſt, verbum aſſumſiſſe humanam Naturam, ut per illam eſſet homo, aliud enim eſt loqui de aſſumtione quantum *ad fieri*, aliud quantum *ad terminum* vel aſſumtum.

97. Q. 4. *An humana Chriſti Natura rectè dicatur* λόγου *inſtrumentum?* Frequentiſſimum hoc eſt in Patribus, qui reſpiciunt ad opera Mediatoris & ἀποτελέσματα officii, quæ Chriſtus in carne, cum carne & per carnem operatur, ſed neceſſariò addendum, quod caro ſit ὄργανον λόγου *non ſeparatum* ſed *perſonaliter ei unitum* ac inſeparabiliter conjunctum, nec ἄεργον *& otioſum* ſed ἐνεργὸν & actuoſum, ut ſuo loco patebit pleniùs. Seriò igitur improbamus quod Bellarminus Neſtorianizans lib. 3. de Chriſto cap. 10. §. 12. humanitatem Chriſti confert cum inſtrumento ſeparato & paſſivo. *Etiamſi*, inquit, *omnia omnino Deitas per humanitatem ageret & attributa omnia in actione conſiſterent, adhuc non poſſet dici humanitas omnipotens, omniſapiens, neq; enim epitheta cauſæ principalis conveniunt inſtrumento, alioqui cùm quis doctè & ſapienter ſcriberet, calamus doctus & ſapiens diceretur.*

98. Q. 5. *An Chriſtus ſecundùm humanam Naturam ſit creatura.* Ariani contendebant λόγον ſecundùm ſe etiam non aſſumtâ humanâ Naturâ eſſe creaturam factam ex nihilo, Patri nequaquam ὁμοούσιον, idcò veteres propter Arianorum inſidias rejecerũt hanc propoſitionem. *Chriſtus eſt creatura.* Sed propter Suenckfeldium, qui negavit Chriſtum quoad humanam Naturam eſſe creaturam in Conventu Schmalcaldico An. 1537. hæc phraſis de Chriſto ſecundùm humanam Naturam fuit uſurpata. *Improbamus* (inquiunt) *Suenckfeldij delirũ & dicimus hum. Nat. in Chriſto & manere & eſſe creaturam ut Joh. inquit, Verbum caro factum eſt.*

99. Q. 5. *An propter humanam Naturam Chriſtus rectè dicatur conſervus noſter etiam in ſtatu gloriæ?* Ita videtur Danæo & aliis quibusdam Calvinianis. Sed opponimus illis hunc immotum Syllogiſmum. Qui depoſuit formam ſervi & factus eſt omnium Dominus, ille non poteſt dici noſter conſervus, Chriſtus depoſuit formam ſervi & factus eſt omnium Dominus Phil. 2. verſ. 9. Matth. 28. v. 19. Act. 2. v. 36. ita ut homines ſint ipſius miniſtri 1. Cor 4. v. 2.

100. *Vſus practicus eſt conſolatorius.* Chriſtus eſt verus homo ergo. 1. verus noſter Mediator 1. Timoth. 2. verſ. 4. 2. frater noſter. 3. conſanguineus noſter, caro de carne noſtra, os ex oſſibus noſtris. 4. noſter גאל ac Redemtor proprietates redemtoris perfectè obtinens, qui propinquitate carnis nos attingit & interpoſito precio nos liberat. 5. caput noſtrum, cujus membra ſumus in corpore ipſius myſtico. 6. auxiliator noſter nobis ſincerè συμπάσχων Hebræor. 4. verſ. 15. &c.

Cap. VII.

De unione perſonali.

101. De unione perſonali eſto Theſis 1. *Duæ Naturæ divina & humana in Chriſto perſonaliter ſunt unitæ, unde unio ipſa dicitur* ὑποστατικὴ *ac perſonalis.* In unione duo conſideranda. 1. *actus* 2. *Status.* Actus unionis propriè vocatur unitio, ἐνσάρκωσις, πρόσληψις τῆς ἀνθρωπότητος εἰς τὴν θεότητα, ut Athanaſius in Symbolo definit, eſtque actio, quâ Filius Dei humanam Naturam propriâ perſonalitate deſtitutam in perſonæ ſuæ unitatem ſuſcepit. Status unionis propriè & ſpecificè vocatur unio ἕνωσις ὑποστατική, eſtque arctiſſima duarum Naturarum diſtinctarum in una perſona ſibi invicem præſentiſſimarum περιχώρησις impermixta & inconfuſa immeatio, propter quam una Natura non eſt extra aliam, nec ſalvâ perſonæ unitate eſſe poteſt. Diſcrimen inter unionis ſtatum & actum tale ſtatuitur, quod actus tranſeat, ſtatus verò permaneat; quodque actus ſit perſonæ ſimplicis, i. e. τοῦ λόγου qui ante incarnationem fuit ſimplex perſona in Naturam ſcilicet humanam, ſtatus verò ſit inter duas Naturas divinam & humanam in ὑποστάσει συνθέτῳ; quod actus conſiſtat in humanitatis aſſumtione in primo incarnationis momento facta, ſtatus verò in ipſa arctiſſima Naturarum cohæſione perpetuò durante. Unde etiam quædam dicta loquuntur de hoc myſterio *inchoativè* Johan. 10. verſic. 36. quædam *inchoativè & terminativè* Luc. 1. verſ. 35. *Vnio duarum Naturarum perſonalis.*

102. Theſis 2. *Cauſa efficiens incarnationis diverſo reſpectu eſt & tota Sacroſancta Trinitas & ſolus Filius ſive ſecunda Trinitatis perſona.* Cauſa προκαταρκτικὴ eſt extrema noſtra miſeria; cauſa προηγουμένη ineffabilis ejusdem miſericordia. Nemeſ. de opif. c. 42. p. 106. θειότατον καὶ διʼ ὑπερβολὴν φιλανθρωπίας ἀπιστότατον ἔργον τῆς προνοίας ἡ διʼ ἡμᾶς ἐνσωμάτωσις τοῦ θεοῦ. Circa cauſam efficientem nota, quod incarnationis opus dupliciter conſideretur. 1. *inchoativè*, ratione principii & effectionis. 2. *terminativè* ratione formalis relationis & terminationis. Prioris reſpectu tribuitur toti Trinitati, poſteriori verò ſoli Filio ſive ſecundæ Trinitatis perſonæ. Auguſt. in Enchir. ad Laurent. cap. 38. *Illam creaturam quam virgo concepit & peperit, quamvis ad ſolam perſonam Filij pertinentem tota Trinitas fecit, neque enim ſeparabilia ſunt opera Trinitatis* libr. 2. de Trinitat. cap. 10. *Viſibilem ſolius Filij Naturam inviſibilis Trinitas operata eſt. De Patre* dicitur, quod *miſerit Filium in mundum* Johan. 10. verſ. 36. *quod excitaverit Davidi germen juſtum* Jerem 23. verſ. 5. *quod miſerit Filium ſuum γενόμενον natum ex muliere* Galat. 4. verſ. 4. *quod miſerit Filium in ſimilitudine carnis peccati.* Rom. 8. verſ. 3. *quod* *Cauſa efficiens unionis.*

corpus

corpus aptaverit Filio vel corpore eum induerit, ut Syrus explicat Hebr.10.verſ.5. *De Spiritu ſancto* dicitur Luc.1.v.35. *Spiritus ſanctus ſuperveniet tibi*, ubi τὸ ἐπέρχεσθαι notat actionem extraordinariam & operationem cœleſtem nō ſecundùm ordinarium & cōmunem Naturæ curſum ſed peculiari planè ratione factam. Interim nec Pater nec Spiritus ſanctus ſed ſolus Filius maſſam illam humanæ Naturæ in utero virginis conceptam & formatam in perſonæ unitatem aſſumſit, de quo hæc loquuntur dicta Luc.1.verſ.35. *Virtus Altiſſimi obumbravit tibi*. Ioh.1.verſ.14. *Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis*. cap.6.v.38. 41. 42. *ego de cœlo deſcendi*. cap.8.v.42. cap.16.v.28. *exivi à Patre & veni in mundum*, col.2.v.9. *tota plenitudo Deitatis habitat in ipſo corporaliter* 1. Timoth. 3.v.16. *Deus manifeſtatus eſt in carne*. Hebr.2. verſ.14. *Quia pueri communicarunt carni & ſanguini & ipſe ſimiliter iiſdem participavit*. verſ.16. *non Angelos ſed ſemen Abrahæ aſſumſit*. cap.10.v.5. *ingrediens in mundum dicit, corpus aptaſti mihi* 1. Ioh.3.v.8. *Filius Dei apparuit* ἐφανερώθη 1. Ioh. 4.v.2. *Ieſus Chriſtus in carne venit*. Ex quibus colligitur, quid reſpondendum ſit ad quæſtionem ſequentem.

Quæſtiones de cauſâ efficiēte incarnationis.

103. Q.h.l. 1. *Quomodo incarnationis opus tribuatur Patri & Spir. ſanct. ut tamen ſolus Filius dicatur incarnatus?* Diſtinguendum hic 1. inter maſſæ illius ex qua Chriſti corpus formatum *ſanctificationem*, per quam ex ea omnis peccati labes exterſa, ac 2. *formationem corporis* Chriſti ex ſanctificata illa maſſa virtute divinâ factam, quæ utraque actio communis eſt toti Trinitati & 3. *inter corporis* illius in ὑπόστασιν τοῦ λόγου *aſſumtionem*, quæ Filio Dei eſt propria, unde incarnationis opus commune dicitur toti Trinitati *quoad actum*, Filio autem proprium quoad carnis aſſumtæ *terminum*, qui eſt λόγου ὑπόστασις; dicitur *opus ad extra* & eſſentiale ſive toti Trinitati commune quoad *effectionem ſeu productionem opus ad intra* & perſonale ſive Filio proprium *quoad terminationem* ſive relationem. Actus aſſumtionis procedit ex divina virtute tribus perſonis communi, terminus aſſumtionis eſt ὑπόστασις Filio propria. Concilium Toletan. ſext. artic. 1. *Cùm tota cooperata ſit Trinitas formationem ſuſcepti hominis, quoniam inſeparabilia ſunt opera Trinitatis, ſolus tamen filius ſuſcepit humanitatem in ſingularitate perſonæ.* Quidam ſic diſtinguunt. Opera Trinitatis ſunt triplicia. 1. *ad intra*. 2. *ad extra* 3. *mixta*, quæ πρὸς ἔσω *ratione termini*, πρὸς ἔξω *ratione principii*. Illa perſonalia, iſta eſſentialia, hæc & perſonalia & eſſentialia. Mixtum opus eſt incarnatio, quæ trium perſonarum eſt *efficienter & inchoativè*, ſolius autem Filii *formaliter & terminativè*. Ex Scripturæ dictis, quæ de incarnationis opere loquuntur, diſcrimen illud manifeſtè colligitur. Pater miſit Filium in mundum. Spiritus ſanctus ſuperveniens guttas illas ſanguinis ſanctificavit, & à peccato mundavit, ex quibus corpus Chriſti formatum, ut quod ex Maria natum fuerit, ſit ſanctum, ac divinâ virtute in Beata virgine hoc operatus eſt, ut præter Naturæ ordinem ſine virili ſemine fœtum conciperet. Filius deſcendit de cœlo, obumbravit virginem, venit in carnem, facta caro, eidem participando, in ea ſe manifeſtando, eam in perſonæ unitatem aſſumendo, &c. Damaſcenus libr.1. orth. fid. cap. 13. ἐν σαρκώσει τοῦ λόγου οὔτε ὁ πατὴρ οὔτε τὸ πνεῦμα κατ' οὐδένα λόγον κεκοινώνηκεν εἰ μὴ κατ' εὐδοκίαν καὶ κατὰ τὴν ἄρρητον θαυματουργίαν libr.3. cap.11. in fin. ὁ πατὴρ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατ' οὐδένα λόγον τῇ σαρκὶ τοῦ λόγου κεκοινώνηκεν εἰ μὴ κατὰ τὰς θεοσημίας καὶ κατ' εὐδοκίαν καὶ βούλησιν. Pii veteres hoc quibuſdam ſimilitudinibus declarant. Auguſtin. ſerm.3. de temp. *Aliud eſt anima, aliud ratio, & tamen in anima eſt ratio & una eſt anima. Sed aliud anima agit, aliud ratio, anima vivit, ratio ſapit. Et ad animam pertinet vita, ad rationem pertinet ſapientia. Et cùm unum ſint, anima ſola ſuſcipit vitam, ratio ſola ſuſcipit ſapientiam, & tamen nec anima ſine ratione, nec ratio ſine anima. Sic & Pater & Filius licet unum ſint, & unus Deus ſit, ad Chriſtum ſolum pertinet caro, ſicut ad ſolam rationem pertinet ſapientia, licet non recedit ab anima. In Sole calor & ſplendor in uno radio ſunt, ſed calor exiccat, ſplendor illuminat, aliud ſuſcipit calor, aliud ſplendor. Et licet calor & ſplendor ab invicem non queant ſeparari, ſuſcipit ſplendor illuminationem non fervorem, ſuſcipit calor fervorem non illuminationem, aliud ſimul, aliud ſingulares agunt & tamen ab invicem non ſeparantur: ſic & Filius ſuſcepit carnem & non deſeruit Patrem nec ſe diviſit à Patre. Suſcepit inquam Filius carnem in proprietate, ſed tamen & Pater & Spiritus ſanctus non defuit majeſtate. In divinitate æqualitas, in carne ſola Filii proprietas, non autem ab eo Patris aut Spir. ſanct. receſſit aliquando divinitas. Cùm ergo una ſit Deitas, una divinitas, implevit quidem carnem Chriſti & Pater & Spir. ſanct. ſed majeſtate non ſuſceptione. In cithara tria ſunt ars, manus & chorda, & tamen unus ſonus auditur, ars dictat, manus tangit, reſonat chorda. Tria pariter operantur, ſed ſola chorda perſonat quod auditur, nec ars nec manus ſonum reddunt, ſed ea cum chorda pariter operantur: ſic nec Pater nec Spir. ſanct. ſuſceperunt carnem & tamen cum Filio pariter operantur. Sonum ſola chorda excutit, carnem ſolus Chriſtus accepit, operatio in tribus conſtat. Sed quomodo ad ſolam chordam pertinet ſoni redditio, ſic pertinet ad Chriſtum ſolum carnis humanæ ſuſceptio* Anſhelm. de incarnat. cap.4. utitur ſimilitudine *fontis, rivi, & lacus*, ſolo rivo per fiſtulam decurrente. Weidn. in loc. fid. Chriſt. præcip. tract.2. p. 184. *Sicut in igne, qui eſt ſubſtantia, ſemper ineſt claritas cum calore, neque enim ſubſtantiam ignis abſque claritate & calore, nec ſine ignis ſubſtantia claritatem ſimul invenies cum calore. Venit autem ad nos aliquando calor ſine claritate. Si enim de metallis aliquid acceperis & illud ſic calefeceris, ut inde aliud corpus calefacere poſſis & eidem te adhibueris, calorem quidem ſenties, claritatem autem non videbis, ſed aliquando tamen claritas etiam ſine calore eſt. Nam accenſâ candelâ claritatem quidem videmus à longe, ſed non ſentimus calorem. Et ſicut quandoque claritas abſque calore & calor provenit abſque claritate, non tamen ſeparantur ab igne, ita & Filius abſque Patre & Spir. ſanct. carnem ſuſcepit, nec tamen per hoc ab eis receſſit, aut ſubſtantiam divinam, quæ una & indiviſibilis eſt, ſeparavit.* Lutherus ex Scholaſticis utitur ſimilitudine *trium puellarum, quæ uni ex ſeſe veſtem induunt aut coronam imponunt.* Poteſt etiam inſtitui collatio inter θεοφανείας. Columbam, in qua Spirit. ſanct. apparuit, forma-

runt Pater & Filius,& tamen fuit peculiare Symbolum Spir.ſancti. Confer Lomb.lib.3. ſent. diſt. 2.lit.C. Thom.p.3.q.3.art.4.

104. Q. 2. *Quare Filius non Pater nec Spiritus ſanctus carnem aſſumpſerit?* Reſpond. 1. *ob recreationem* ſive ſecundam creationem. Per Filium in principio omnia condita Iohan.1.verſ.3. cōveniens igitur erat,ut cujꝰ erat κτίσις· καὶ ἡ πλάσις,ejusdem etiam eſſet ἡ ἀνάκτισις καὶ ἀνάπλασις, Juſt.in exp.fid. ac quod in operâ Dei corruptum, per ipſum reformaretur. Athanaſius ad Epictet. *Miſſus eſt Filius,ut ejus eſſet ἀνακτίζειν,cujus fuerat κτίζειν, inde vocamur* in Chriſto nova creatura Galat.6.verſ.15. Auguſt.in qq. ex utroque Teſt. quæſt.113. *Ad injuriam ejus pertineret, ſi opus per eum factum per alium reformaretur. 2.ob imaginis divinæ reſtitutionem.* Conditi eramus *ad Dei imaginem* Geneſ.1.verſ.27. *per Filium* qui eſt ſubſtantialis Dei imago Coloſſ.1.verſ 15. Hebræor.1. verſ.3.ſed hanc imaginem per lapſum homo amiſerat Epheſ.4.verſ.24.conveniens igitur erat , ut imago divina in nobis inſtauraretur per eum , qui eſt ſubſtantialis imago Patris. 3. *propter noſtram adoptionem.* Eramus *Naturâ filij iræ* Epheſ. 2. v. 3. conveniens igitur erat , ut ex filiis iræ reddemur filij gratiæ & υἱοθεσίαν conſequeremur per eum, qui eſt naturalis & unigenitus Dei filius Iohan.1.verſ.12.Galat.4.verſ.5. 4. *propter reconciliationem.* Reconciliandi eramus Deo, à quo per peccatum genus humanum erat ſeparatum, id ergo fieri oportuit per eum,qui eſt dilectus filius. 5. *ob vitæ reparationem.* Per lapſum amiſeramus vitam ſpiritualem & cœleſtem ἀπηλλοτριωμένοι τῆς ζωῆς τοῦ θεοῦ Epheſ.4.verſ.18. ac morti æternæ eramus omnes obnoxii,conveniens igitur erat, vitam nobis reparari per eum, qui eſt *Verbum vitæ* 1. Iohan.1.verſ.1. in quo primi hominis vita erat Iohan. 1.verſ. 4. 6. *ob θεογνωσίας communicationem.* Per lapſum homines *aſſimilati* erant *jumentis inſipientibus* Pſalm.32.verſ.9. Pſalm.49. verſ. 13. amiſerant enim lucem ſalutaris divinæ cognitionis, conveniens igitur erat per Filium , qui eſt λόγος & ſapientia Patris, cognitionem Dei nobis viciſſim donari Iohan.1.verſ.18.Matth.11.verſ.26. &c.7. *ob Filij conditionem.* Secunda Trinitatis perſona eſt & vocatur unigenitus Dei Filius , conveniens igitur erat , ut is qui ſecundùm divinam Naturam erat Filius Patris , ſecundùm humanam Naturam fieret filius hominis,ut hac ratione Deus & homo in perſonæ unitate eſſet unus Filius , nec filii nomen tribueretur alteri, qui non eſt ab æterno Patris Filius. Auguſt.de Eccleſ.dogmat. cap. 2. *Non Pater carnem aſſumſit nec Spiritus ſanctus ſed Filius tantùm, ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipſe fieret in humanitate hominis Filius , ne Filij nomen ad alterum tranſiret, qui non eſſet æternâ nativitate Filius. 8. ob Mediationem.* Filius eſt perſona inter Patrem & S.S. media, illi igitur partes Mediatoris inter Deum & hominem convenientiſſimè fuerunt aſſignatæ.

105. Q. 3. *Quare incarnationis opus per ἐπισκιασμὸν ſive obumbrationem ab Angelo deſcribatur?* Quod Luc.1.verſ.35. Angelus ad Mariam dicit; *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi* , dupliciter à piis veteribus exponitur. 1. Quidam *Virtutis* nomen accipiunt *eſſentialiter* pro potentia ac Deitate tribus perſonis communi ut ſic deſcribatur ἔργον illa θαυματουργία , qua omnes ac ſingulæ perſonæ Deitatis in hoc admirando opere egerunt. Ad hanc ſignificationem accommodari poſſunt dicta Scripturæ, in quibus σκιάζειν & ἐπισκιάζειν Deo attributa peculiarem præſentiæ modum, operationem ac protectionem divinam denotant Deuter.33.verſ.12. Deus σκιάζει ἐπ' αὐτῷ. Pſalm.91.v.4. ἐν τοῖς μεταφρένοις αὐτοῦ ἐπισκιάσει σοι. Pſalm.139. verſ. 8. ἐπεσκίασας ἐπὶ τὴν κεφαλήν μου. Syrus reddidit per verbum ܛܠܠ *obtexit , protexit.* Sicut ergo Deus ad Moſen dicit , *operiam te volâ meâ* ſive manu mea *donec tranſeam.* Exod.33. verſ.22. hoc eſt, protegam te gratioſâ mea præſentiâ , ne majeſtas divinitatis te abſumat , ſic virtus Altiſſimi obumbravit virginem, ne à majeſtate divinitatis peculiari ratione in utero ejus præſente conſumeretur. 2. Quidam *Virtutis nomen* accipiunt *perſonaliter.* Illi iterum in duplici ſunt differentia. Quidam enim referunt ad *Spiritum ſanctum*, ut ſit ἐξήγησις præcedentium. *Spiritus ſanctus ſuperveniet tibi & Virtus Altiſſimi,* id eſt, Spiritus ſanctus, qui eſt Virtus ex altiſſimo , hoc eſt, Deo Patre procedens *tibi obumbrabit.* Ad hanc explicationem accommodari poteſt illud quod Luc. 24. verſ. 49. Spiritus ſanct. vocatur δύναμις ἐξ ὕψους , quod enim Actor. 1. verſ. 8. dicitur *accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus ſancti*, id d.l. ſic exponitur, *induemini virtute ex alto.* Item quod in transfiguratione Chriſti *nubes lucida ἐπεσκίαζεν αὐτοῖς* Matth.17. verſ.5. Marc.9. verſ.7. Luc.9.verſ.34. quæ nubes lucida fuit ſymbolum Spiritus ſancti , quæ in transfiguratione apparuit in nube lucida , ſicut in Baptiſmo apparuerat in ſpecie columbæ. Quidam referunt *ad Filium* ſecundam Trinitatis perſonam , quæ in perſonæ ſuæ unitatem carnem ſuſcepit. Ruffin. in expoſ. Symb. *Vide cooperantem ſimplicem Trinitatem. Spir.ſanct. venire dicitur & Virtus Altiſſimi obumbrare. Qui eſt autem Virtus Altiſſimi niſi ipſe Chriſtus, qui eſt DEI virtus & potentia? cujus hæc eſt virtus? Altiſſimi. Adeſt ergo Altiſſimi , adeſt virtus Altiſſimi , adeſt Spiritus ſanctus.* Damaſcen.lib.3.cap.2. μετὰ τὴν συγκατάθεσιν ἐπεσκίασεν ἐπ' αὐτὴν ὁ τοῦ θεοῦ τοῦ ὑψίστου ἐνυπόστατος σοφία καὶ δύναμις ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ὁ τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, οἷονεὶ θεῖος σπόρος, καὶ συνέπηξεν ἑαυτῷ ἐκ τῶν ἁγνῶν καὶ καθαρωτάτων αὐτῆς αἱμάτων σάρκα ἐψυχωμένην. *Poſt conſenſum ſanctæ virginis obumbravit ei DEI altiſſimi in ſua ſubſiſtens hypoſtaſi ſapientia & virtus, filius Dei Patri conſubſtantialis , velut divinum ſemen, & conſtruxit ſibi ipſi ex caſtis & puriſſimis ſanguinibus carnem animatam, &c.* ** Sicut umbra corporis opaci protegit à Solis ardore, ita virtus Dei obumbravit Virginem dum concepit, ne ardor concupiſcentiæ , qui modo naturali in fœminis tempore cōceptionis ſolet excitari, eam tangeret. Ambroſ. de iis qui init. cap. 3. Auguſt. libr.50. homiliar. hom. 44. Veteres huc accommodant dictum Hæbraic. *Deus ab Auſtro veniet & Sanctus de monte Pharan ſeu monte umbroſo.* ** Quamvis verò hæ interpretationes nec cum fidei analogia nec ſecum ipſis pugnent , ut ex q. 1. intelligi poteſt , tamen textui convenientior videtur illa , per quā *Virtus Altiſſimi* de Filio accipitur , quia ſtatim ſequitur , *ideò quod ex te naſcetur ſanctum , Filius Dei vocabitur*, id eſt, quia ſubſtantialis Dei virtus per mirabilem obumbrationem carnem inte & ex te aſſumet, ideò etiam illud quod ex te naſcetur , vocabitur & erit Dei Filius. Ad hanc ſignificationem accommodari poteſt , quod Filius Dei etiam in alijs Scripturæ locia dicitur *Dei virtus* 1. Corinth.1.verſ.24. *Deus for-*

tis

Digitized by Google

tis Eſai. 9. verſ. 6. ac quod typus perſonalis inhabitationis τῦ λόγυ in aſſumta carne, id eſt, peculiaris Dei præſentia in tabernaculo fœderis ſic deſcribatur Exod. 40. verſ. 35. *operuit nubes tabernaculum & non potuit Moſes ingredi tabernaculum* ὅτι ἐπεσκίαζεν ἐπ' αὐτὴν νεφέλη. De columna nubis in deſerto. Num. 9. verſ. 22. τῆς νεφέλης σκιαζούσης ἐπ' αὐτοῖς, quò referantur omnes apparitiones Vet. Teſtam. in quibus Deus *in nube apparuiſſe* dicitur, illæ enim fuerunt ſymbola ἐνσαρκώσεως τῦ λόγυ in plenitudine temporis ſubſecuturæ. Deducit igitur nos ἐπισκιάσεως vocula 1. *ad mirabilem divinæ & humanæ Naturæ in Chriſto unionem.* *Umbra non aliter exprimitur niſi per lumen & corpus, ideò virtus Altiſſimi dicitur obumbraſſe virgini, quia in ejus utero lux incorporea corpus ſumſit* Gregor. libr. 33. moral. cap. 3. *nube carnis tegitur non ut Sol divinæ lucis obſcuretur ſed ut temperetur.* Auguſt. tractat. 34. in Johan. 2. *ad divinæ majeſtatis & gloriam Chriſto apparitionem.* Sicut in Vet. Teſtamento quando Deus peculiari modo voluit majeſtatem ſuam revelare, ut homines mortales eam ferre poſſent, umbraculo quodam nubis eam obumbravit: ſic in hoc ſummo & ἐξαιρέτῳ modo præſentiæ & inhabitationis τῦ λόγυ in aſſumta carne ſacta eſt obumbratio, ut poſſet fieri illa omnem etiam Angelorum captum excedens divinæ majeſtatis & humanæ Naturæ in unam perſonam unio. Chĕnit. in Harm. cap. 4. p. 122. 3. *ad peculiarem totius Trinitatis in hoc myſterio operationem.* Spiritus ſanctus ſupervenit & Virtus Altiſſimi obumbravit virginē, id eſt, tota Sacroſancta Trinitas peculiari ratione fuit operata in fœtus illius formatione, conſervatione & ab omni peccati labe defenſione. Theophylactus dicit, *eſſe metaphoram ductam ab aviculis incubantibus, ut ſit ſenſus, virtus Altiſſimi reddet te fœcundam.* 4. *ad incarnationis fructificationem.* DEUS eſt ignis conſumens, ſed Filius Dei incarnatus præſtat nobis umbraculum, ne ab igne iræ divinæ propter peccata abſumamur. Primi parentes poſt admiſſum peccatum ſub arboribus ſe abſcondunt, ſed non poſſunt occultari, qui verò ab ira Dei abſcondi cupit, confugiat ſub hoc umbraculum. Filius DEI Iſraelitas in deſerto præceſſit *in columna nubis & ignis* Exod. 13. verſ. 21. in die umbraculum, in nocte lucem ipſis exhibens, quo ipſo incarnationis utilitas nobis præfiguratur. 5. *ad ſeriam à temeraria perſcrutatione dehortationem.* Quomodo facta ſit τῦ λόγυ ἐνσάρκωσις nec perfectè ſcire poſſumus nec temerè perſcrutari debemus, ſed meminerimus nubem eſſe quaſi interpoſitam & obductam, quam nō debeamus perrumpere. Sicut Cherubin obumbrabant arcam fœderis 2. Paral. 5. verſ. 8. ne quis שכינה *ſive divinitatem* ſuper propitiatorium habitantem curiuſius intueri deſideraret & Seraphin *tegebant faciem ſuam* Eſai. 6. verſ. 2. Sic Virtus Altiſſimi umbraculum interpoſuit, ne in modum ἐνσαρκώσεως curioſiùs inquiramus Chryſ. homil 7. in cap. 1. Ioh. *Quomodo Deus factus ſit homo, noli diſquirere, factū eſt ut ipſe novit.*

106. Q. 4. *Quare conceptio Chriſti peculiariter tribuatur Spiritui ſancto?* 1. ad ſanctam conceptionem requirebatur, ut venenum peccati ex guttulis illis ſanguinis, ex quibus corpus Chriſti formandum erat, extergeretur & maſſa illa ſanctificaretur, hoc eſt, à peccato mundaretur ac ſanctificaretur, ut ſic quod *naſceretur, eſſet ſanctum* Luc. 1. verſ. 35. & *à peccatoribus ſeparatum* Hebræor. 7. verſ. 26. jam verò Spiritui ſancto peculiariter tribuitur ſanctificatio, unde etiam vocatur *Spiritus ſanctificationis.* Romanor. 1. verſ. 4. 2. opus incarnationis eſt opus ſingularis bonitatis & dilectionis divinæ, jam verò Spiritui ſancto peculiariter tribuitur caritas, unde vocatur *Spiritus dilectionis* 2. Timoth. 1. verſ. 7. Sicut Patri potentia, Filio ſapientia tribuitur. Alcuinus libr. 3. de Trinitat. cap. 3. *An ideò dicitur de Spiritu ſancto, quia fecit eum de virgine naſci, quia hoc opus mirabile totum dono DEI eſt factum & donum propriè Spir. ſanct. dicitur.* 3. in incarnatione divina & humana Natura perſonaliter fuēre unitæ, hæc unitio ideò peculiariter aſſignatur Spiritui ſancto, qui ipſe eſt *indiſſolubile vinculum amoris inter Patrē & Filium* Bern. ſerm. 3. in feſt. Pentecoſt. col. 164. *ineffabilis Patris & Filij communio.* Auguſt. 5. de Trinitat. cap. 11. 4. Quia digito Dei lex erat ſcripta congruebat ut *Dei digito* qui eſt Spiritus ſanctus Matth. 12. verſ. 27. Luc. 11. verſ. 20. is qui legem pro nobis impleturus erat, in utero virginis formaretur. 5. Sicut in prima creatione S. ſanct. *incubabat aquis,* easque ſovebat & fœcundabat Gen. 1. v. 2. ſic in ſecunda creatione S. S. virginem ad cōcipiendum Salvatorem fœcundam reddidit.

107. Q. 5. *An ob peculiarem illam in conceptione Chriſti operationem Spir. ſanct. rectè dicatur Pater Chriſti?* Minimè verò, quia nulla ex illis actionibus, quæ Spiritui ſancto in hoc opere tribuuntur, Patris proprietatem & appellationem ipſi confert. Pii veteres revocant illam actionem ad tria capita. Primum eſt ἄμισθος ἐνέργεια, quod dederit virgini facultatem ſine virili ſemine præter Naturæ ordinem concipiendi fœtum. Alterum eſt θαυμάσιος ἁγιασμός, quod maſſam illam, ex qua corpus Filii Dei formatum, ſanctificaverit, id eſt, à peccato mundaverit. Tertium eſt ἄρρητος ἕνωσις, quòd divinam & humanam Naturam in unam perſonam univerit. Spiritus ſanctus fuit cauſa conceptionis non σπερματικὴ ſed 1. δημιουργικὴ. 2. ἁγιαστικὴ. 3. τελειωτικὴ. De hac triplici Spir. ſanct. adeoque totius Trinit. operatione ſic loquuntur pii veteres. Iuſtin. Apol. 2. pro Chriſt. p. 58. δύναμις θεῦ ἐπελθῦσα τῇ παρθένῳ ἐπεσκίασεν αὐτὴν καὶ κυοφορῆσαι παρθένον ὖσαν πεποίηκε. Et poſtea τὸ πνεῦμα ἐλθὸν ἐπὶ τὴν παρθένον καὶ ἐπισκιάσαν οὐ διὰ συνουσίας per concubitum ἀλλὰ διὰ δυνάμεως ἐγκύμονα κατέστησε. In ἐκθ. πίς. p. 299. *Verbum virgine intermedia ad œconomiam expediendam utens & uterum ejus ut divinum quoddam ſemen ingrediens ſibi ipſi templum formavit hominē integrū particula aliqua ex illius Natura accepta & fingendo templo in ſubſtantiam ejus redacta hoc ipſo induius juxta ſummā unionē Filius Dei utraq; Nat. proceſſit, ex illo enim Filius & Deus & homo.* Hilar. lib. 2. de Trin. p. 20. *S. S. deſuper veniens virginis interiora ſanctificavit & in his ſpirans, quia ubi vult ſpirat Spiritus, Naturæ ſe humanæ carnis immiſcuit & id quod alienū à ſe erat, vi ſua ac poteſtate præſumſit, atq; ut ne quid per imbecillitatem humani corporis diſſideret, virtus Altiſſimi virginē obumbrat, infirmitatem ejus velut per umbram circumfuſam confirmans, ut ad ſementivam ineuntis Spiritus efficaciam ſubſtantiam corporalē divinæ virtutis inumbratio tēperaret.* (Inde corpus Chriſti vocatur σκηνὴ ὐ χειροποιητὸς τῦτ' ἔστιν ὐ ταύτης κτίσεως Heb. 9. v. 11.) Proclus Arch. Cōſtāt. hom. in nativ. Dom. p. 55. Virgo Maria eſt

λογικὸς τῆς δευτέρας Ἀδὰμ παρὰ δεσ(σ)οῦ, τοῦ ἐγχαρίσεσιν ἑνώσεως τῶν φύσεων, ἡ παιδυνεστῆ σωτηρίαν συναλλάγματος, ὁ παστὰς thalamus ἐν ᾧ λόγος ἐνυμφεύσατο τὴν σάρκα. p. 56. *Hac Maria eſt admiranda illius œconomiæ telá* ἀριστὸς τῆς ἑνώσεως ἱστὸς, *in qua ineffabili quodam modo admirabilis illius unionis tunica eſt confecta, cujus quidem textor* ἱστουργὸς *extitit Spiritus ſanctus, netrix* ἐριθος *virtus ex alto obumbrans,* ἔριον *lana vetuſta Adami pellis,* κρόκη *trama impolluta virginis caro,* κερκὶς *radius textorius immenſa geſtantis gratia,* τεχνίτης *artifex Verbum per auditum illapſum.* Damaſcenus lib.3.orth.fid.cap. 2. μετὰ τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας παρθένου πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν καθαῖρον αὐτὴν καὶ δύναμιν δεκτικὴν τῆς τοῦ λόγου θεότητος παρέχον ἅμα δὲ γεννητικήν. Sed ob nullam ex his operationibus S.S. dici poteſt Pater Chriſti, quia caro Chriſti non eſt ex eſſentia Spiritus ſancti genita, ſed ex ſubſtantia Mariæ virginis ἐκ τοῦ πνεύματος non notat *materiam* ſed *cauſam efficientem* & operationem. Cùm dicimus *de Maria* eſt de materiale; cùm dicimus *de Spiritu ſancto*, eſt de potentia-le Juſtin. in ἐκθ.πίστ. διὰ συνουσίας ἀλλὰ διὰ δυνάμεως. Athanaſ. Diſput. contra Arium p. 51. *Inventa eſt in utero habens de Spiritu ſancto non quod Salvatoris noſtri Pater dicendus Spiritus ſanctus, ut duo credantur Patres, ſed quod cum Patre & Filio idem S.S. cooperarius & unius poteſtatis eſt.* Ambroſius libr. 2. de S. S. cap. 5. *Quod ex aliquo aut ex ſubſtantia, aut ex ejus poteſtate eſt. Ex ſubſtantia ſicut Filius qui ait, ex ore Altiſſimi prodiy. Ex poteſtate, ſicut illud, unus Deus ex quo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria, ſi quaſi ex ſubſtantia S.S. ergo Spiritus in carnem & oſſa converſus eſt, non utique. Si quaſi ex operatione, & poteſtate ejus virgo concepit, quis neget Spiritum creatorem.* Auguſtin. de inquiſit. Trinit. cap. 100. *Non utique ſic de illo* (Spiritu ſanct.) *ſicut de illa* (Maria Matre) *natus eſt Filius Dei. De illa ſiquidem ſancta virgine natus eſt Filius Dei, ſicut de matre, non de illo ſicut de Patre, ne duo Patres dicerentur in ſancta Trinitate* in Enchir. cap. 37. *non concedendum, ut quod ex aliqua re naſcitur, continuò ejusdem Filius nuncupetur, alcàt illi qui ex aqua & Spiritu naſcuntur, aquæ filij dicendi erunt.* Damaſcenus d.l. *Ex Spiritu ſancto conceptus eſt Chriſtus* οὐ σπερματικῶς ἀλλὰ δημιουργικῶς, de matre natus eſt Chriſtus materialitér, de Spiritu ſancto conceptus eſt effectivè. Fauſtus Epiſc. de rat. fidei cap. 4. *Chriſtus non de ſubſtantia Spiritus ſancti, ſed de potentia, nec de generatione ſed de juſſione & benedictione conceptus eſt.* Confer B. Luth. in cap. 38. Geneſ.

Antitheſis. 108. *Antitheſis 1. Ebionitæ, Cerinthiani Carpocratiani* & ſimilia monſtra docuerunt, *Chriſtum ex congreſſu maritali natum eſſe.* Irenæus libro 3. cap. 24. *Ebionas ex Ioſeph Chriſtum genitum dicunt* Epiphan hæreſ. 30. ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς, τουτέστι τοῦ Ἰωσὴφ τὸν Χριστὸν γεγεννῆσθαι λέγουσι. *De Cerintho* Irenæus libr. 1. cap. 25. *docuit, Ieſum non ex virgine natum, impoſſibile enim hoc ei viſum eſt fuiſſe autem eum Ioſeph & Mariæ filium ſimiliter ut reliqui homines.* Tertullian. de præſcript. cap. 48. *Cerinthus Chriſtum ex ſemine Ioſephi natum proponit hominem illum tantum ſine divinitate contendens.* Epiphan. hæreſ. 28. p. 53. ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ σπέρματος Ἰωσὴφ τὸν Χριστὸν γεγεννῆσθαι. De *Carpocrate* Irenæus libr. 1. cap. 24. p. 79. *Carpocrates docuit Ieſum è Ioſeph natum & qui ſimilis reliquis hominibus fuerit, &c.* 2. *Photiniani & Vorſtius* ex materia à Deo allata Chriſtum genitum dicunt, ut vidimus ſuperiùs.

109. Theſis 3. *Materia quaſi vicem in unione obtinent duæ Naturæ divina* τοῦ λόγου *& humana.* Materia unionis perſonalis. Dico *materiæ vicem* obtinere, propriè enim & accuratè loquendo duæ Naturæ in Chriſto non poſſunt dici materia. 1. quia divina Natura τοῦ λόγου utpote eſſentia ſpiritualis, infinita, omnipotens eſt merus ac purus actus. 2. quia divina Natura τοῦ λόγου ἐν τῇ ἐνσαρκώσει eſt potiùs agens, humana Natura patiens ſignificatione ſcilicet Grammatica non phyſicâ, illa enim aſſumit, hæc verò aſſumitur. 3. quia ex partibus materialibus conſtituitur tertium quoddam realiter ab illis diſtinctum, quod non habet locum in unione hypoſtatica. Ut enim pii veteres loquuntur de duabus Naturis, illæ ſunt ἐξ ὧν ἐν αἷς καὶ ἅπερ ἐστι, ex quibus Chriſtus conſtat in unionis actu, in quibus ſubſiſtit in unionis ſtatu & quæ perſonaliter unitæ ſunt unus Chriſtus & homo. Chriſtus non eſt ἐξ ἑτέρου ἑτέρου ſed ipſæ Naturæ duæ perſonaliter unitæ ſunt unus Chriſtus. Proinde quod duæ in Chriſto Naturæ dicuntur *unionis materiale*, illud accipiendum 1. ἀναλογικῶς, quia in aliis unionum ſpeciebus τὰ ἑνούμενα dicuntur materia 2. σχετικῶς, quia reſpectu ad ipſam unionis formam habendo duæ Naturæ ſunt illius tanquam formalis quoddam materiale. Scholaſtici vocant *duo unibilia*, quorum unum, divina ſcilicet Natura, eſt aſſumens; alterum humana ſcilicet Natura eſt aſſumtum. Quidam ex noſtris vocant τὰ ἄκρα ſive *extrema*. Ut enim ſubjectum & prædicatum (Philoſopho τὰ ἄκρα dicta) in prædicatione per copulam conjunguntur: ſic divina & humana Natura in Chriſto vel hypoſtaſeon unitatem arctiſſimè uniuntur. Utriuſque Naturæ veritatem ſuperiùs demonſtravimus, hoc loco de illis agendum, quatenus in ipſa unione ſpectantur.

110. *Antitheſis 1. Patri paſſiani docuerunt totam Trinitatem incarnatam & Patrem quoque eſſe paſſum.* 2. *Origenes* libr. 1. de princ. cap. 7. & Nemeſius libr. 2. Philoſoph. cap. 6. *animam Chriſti ante unionem cum corpore extitiſſe ſtatuunt*, quæ fuit etiam *Priſcillianiſtarum & Iohannis Epiſcopi Hieroſolymitani* opinio, Hieronym. in Epiſt. ad Pamm. referente. 3. Quidam *ex Calvinianis* diſputant, perſonam Filii non Naturam divinam, ſi propriè loqui velimus, eſſe incarnatam, cùm perſona ſit Filii propria ſed Natura divina ſit ipſi communis cum Patre & Spiritu ſanct. Beza in part. 1. reſp. ad coll. Mompelg. p. 183. Danæus in exam. contra Chemnit. cap. 4. p. 81. Zanchius libr. 2. de incarnat. Filii quæſt. 1. p. 106. Sohn. p. 2. exeg. Auguſtan. Confeſſ. p. 192. 4. Calviniani hac in parte ſe adjungit. *Bellarm.* lib. 3. de Chriſto cap. 8. §. tertiò. *Unio facta eſt per communicationem ejus, quod eſt proprium Filij, non ejus quod eſt commune aliis perſonis.* Quo fine ita diſputent, facilè apparet, videlicet ut communicationem idiomatum carni factam majori ſpecie oppugnare poſſint. Sed obſerva. 1. Scripturam in deſcriptione unionis perſonalis non tantum perſonæ ſed etiam Naturæ divinæ mentionem facere. Coloſſ. 2. verſ. 9. *In Chriſto habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* Si tota Deitatis plenitudo habi-

habitat in carne, utique etiam Deitas τοῦ λόγου ſeu Natura divina Filii erit carni unita. Quod enim in carne habitat & quidem σωματικῶς, illud eſt ei unitum. Tota plenitudo Deitatis non eſt nuda ſubſiſtentia abſque Deitate τοῦ λόγου. 1. Timoth. 3. verſic. 16. *Deus manifeſtatus eſt in carne*. Jam verò Deus non eſt tantùm nomen perſonæ, ſed etiam Naturæ. 2. Deitas τοῦ λόγου & perſona τοῦ λόγου non differunt realiter, aliàs λόγος erit quoddam compoſitum ex duobus realiter diſtinctis, ac pro Trinitate introducetur quaternitas. 3. In qualibet Trinitatis perſona eſt tota ac perfecta Deitas propter eſſentiæ divinæ infinitatem ac ſimplicitatem, nequaquam igitur ſecunda Trinitatis perſona δίχα τῆς θεότητος incarnari potuit. 4. Si divina Natura τοῦ λόγου non eſt unita Naturæ humanæ, λόγος quatenus ἔνσαρκος non erit verus Deus, num enim Deus poteſt eſſe ſine Deitate? Si divina Natura τοῦ λόγου non eſt unita Naturæ humanæ, falſæ erunt illæ propoſitiones perſonales. Deus eſt homo & homo eſt Deus. 5. Pii veteres diſertam divinæ Naturæ mentionem faciunt. Dionyſius, Athanaſius & Cyrillus ἡ θεότης ὁλικῶς ἡμῖν ἐν μιᾷ τῶν ἑαυτῆς ὑποστάσεων ἐκοινώνησεν. Athanaſius in ſymb. incarnationem definit προσλήψει τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα. Auguſtin. libr. de fide ad Petrum cap. 2. *Naturam divinã dicit eſſe conceptam & natam*, quod Thom. p. 3. quæſt. 35. artic. 1. ſic explicat. *Propter identitatem quæ in divinis eſt inter Naturam & hypoſtaſin quandoq; Natura ponitur pro perſona vel hypoſtaſi & ſecundùm hæc dicit Auguſtinus Naturam divinam eſſe conceptam & natam, quia ſcilicet perſona Filij eſt concepta & nata ſecundùm humanam Naturam.* Damaſcen. lib. 3. orthod. fid. cap. 6. ἐν τῇ ἐνανθρωπήσει τοῦ θεοῦ λόγου φαμὲν πᾶσαν καὶ τελείαν, τὴν φύσιν τῆς θεότητος ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων ἑνωθῆναι πάσῃ τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει καὶ οὐ μέρος μέρει. Ibid. φύσιν τοῦ λόγου λέγοντες αὐτὸν τὸν λόγον σημαινόμεθα ὁ δὲ λόγος καὶ τὸ κοινὸν τῆς οὐσίας κέκτηται καὶ τὸ ἰδιάζον τῆς ὑποστάσεως. Lutherus in Diſput. Ann. 44. contr. Scholaſt. monet. hypoſtaſin *ſeu perſonam in divinis non eſſe rem aliquam extra vel præter eſſentiam divinam exiſtentem, cui poſtea eſſentia cum proprietatibus eſſentialibus communicata ſit, nec eſſentiam divinam extra vel præter perſonas divinitatis exiſtere, nec in perſona Trinitatis eſſentiam & hypoſtaſin realiter ſeu ſubjectivè differre, licet ratione reſpectuum differat.* 6. Auguſt. Confeſſ. art. 3. dicit, *duas Naturas divinam & humanam in perſonæ unitate inſeparabiliter conjunctas*. At Calviniani volunt videri Auguſt. Confeſſ. Socii. 7. Diſtinguendum igitur inter Naturam divinam *abſolutè ſive communiter dictam*, ut eſt in Patre, Filio & Spiritu ſancto; eo modo non dicitur unita Naturæ humanæ, cùm incarnatio ſoli Filio tribuatur *terminativè*; & inter Deitatem *relatè ſeu determinatè* cum certo ὑπάρξεως τρόπῳ acceptam ac in perſona ſolius Filii conſideratam; eo modo Deitas, τοῦ λόγου ſcil. unita Naturæ humanæ dicitur. Hanc diſtinctionem amplectitur ipſe Polanus tom. 2. libr. 6. Syntagm. cap. 813. Urſin. p. 2. Explicat. Catech. p. 274. & p. 184. ubi dicit, *eſſentia divina in ſolius Filij perſona eſt incarnata*. Ex eadem facilè reſpondetur ad argumenta contraria. *Quod eſt proprium Filij non quod Trinitati commune eſt incarnatum.* It. *Si divina Natura eſt humanæ unita etiam Pater erit incarnatus.* Ut enim Pater dicatur incarnatus, non ſufficit ut eadem divina Natura quæ eſt in Patre, ſit incarnata in Filio, ſed requiritur inſuper, ut divina illa Natura in Patre & ſic perſona Patris ſit incarnata. Confer Lomb. 3. ſent. diſt. 5. litera F. loc. de perſ. Chriſti §. 20. & 21. 8. Quidam ex noſtris addũt, hypoſtaſin Filii Dei ἀμέσως ſeu *immediatè*, divinam autem Naturam ἐμμέσως ſeu *mediatè* mediante ſcilicet λόγου ὑποστάσει eſſe incarnatam. (Sohnius tom. 2. exeg. art. 3. p. 104. itidem diſtinguit unionem hypoſtaticam inter *immediatam & mediatam*, illam vocat unionem perſonæ, hanc Naturæ λόγου cum humana Natura.) Sed cùm hypoſtaſis λόγου ac divina Natura λόγου non realiter ſed formaliter duntaxat differant, ideò hæc phraſis commodè explicanda.

111. Q. h. l. 1. *An neceſſarium fuerit λόγον incarnari?* Reſpond. Polan. part. 3. theſ. Theol. p. 59. Zanch. lib. de incarnat. p. 92. Pareus in Epiſt. Rom. Frider. Bröeckerus in antidot. error. Vorſtius cap. 21. p. 68. col. b. Sibr. Lubertus in catal. error. p. 278. putant *potuiſſe Deum aliam rationem invenire, quâ reconciliaremur ipſi quàm per mortem Filij*, unde ex Lomb. & Thom. *miſſionem Filij* vocant *hypotheticam*. Sed quid hac de re ſtatuendum ſit, certis expeditum dari poterit diſtinctionibus. 1. Diſtinguendum inter neceſſitatem *abſolutam & hypotheticam*. Illa eſt, cujus contradictoria eſt ſimpliciter impoſſibilis, hæc quæ reſpectu certi alicujus finis neceſſitatem medii obtinet. 2. Diſtinguendum inter incarnationem *Dei & Filij Dei*. Deum fieri hominem neceſſarium erat non *abſolutè ſed hypotheticè*, ſi ſcilicet genus humanum ex ſervitute peccati redimendum, iræ divinæ ſatisfaciendum & bona per lapſum amiſſa reparanda, ut probant rationes, propter quas Mediatorem noſtrum Deum & hominem eſſe debuiſſe oſtendimus ſuperius. Filium Dei ſive ſecundam Deitatis perſonam fieri hominem nec abſolutè nec hypotheticè fuit neceſſarium, ſed ſapientiæ divinæ conveniens, ut probant rationes, propter quas non Patrem nec Spiritum ſanct. ſed Filium incarnari conveniens fuiſſe diximus ſuperiùs. Ex hoc fundamento facilè explicari poſſunt dicta veterum, quorum quædam incarnationem Filii Dei neceſſariam fuiſſe aſſerunt, quædam verò negant. Cyrillus libr. 5. theſauri cap. 7. ſtatuit *Chriſti incarnationem & paſſionem unicam potuiſſe eſſe medium ac remedium noſtræ liberationis*. Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 10. *non alium quidem modum poſſibilem Deo defuiſſe, ſed ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientiorem aliũ non fuiſſe nec eſſe potuiſſe.* Leo ſerm. 2. de nativ. col. 39. *Una miſericordia DEI cùm ad reparandum genus humanum ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimùm conſulendi viam elegit, quâ ad deſtruendum opus Diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ.* Similia habet Bernhard. Epiſt. 100. col. 922. autor libri de agone Chriſt. c. 11. Thom. 3. quæſt. 1. art. 2. Lomb. 2. ſent. diſt. 44. §. 3. &c.

Quæſtiones de unione materia.

112. Q. 2. *An Natura humana Chriſti rectè dicatur ἀνυπόστατος?* ἀνυπόστατον duplicem habet ſignificationem. *Abſolutè & ſimpliciter*, illud dicitur ἀνυπόστατον, quod nec ſuâ nec alienâ ὑποστάσει ſubſiſtit, quod nec eſſentiam nec ſubſiſtentiam habet nec in ſe nec in alio ſed eſt nihil negativum. Eo ſenſu Natura humana Chriſti non

poteſt

Digitized by Google

poteſt dici ἀνυπόστατον. *Relatè & ſecundùm quid* ἀνυπόστατον dicitur, quod non quidem ſuâ ſed alienâ ὑποστάσει ſubſiſtit, quod eſſentiam quidem habet non tamẽ propriam perſonalitatem & ſubſiſtentiam, ſed in alio ſubſiſtit, hoc ſenſu caro Chriſti dicitur ἀνυπόστατος, quia ſc. eſt ἐνυπόστατος in ipſo λόγῳ ſubſiſtens. Quod ergo quidam *terminum à quo* ἐνσαρκώσεως ſtatuunt ἀνυποστασίαν carnis, quæ interceſſerit inter ſubſiſtentiam, quâ maſſa illa, ex qua Chriſti corpus formatum, ſubſtitit ut pars virginis non propriâ & ipsâ Virginis ſubſiſtentiâ & inter ſubſiſtentiam, quâ Natura humana ex maſſa ſanctificata per Spiritus ſancti operationem formata in primo incarnationis momento ſubſiſtere cœperit ipsâ τοῦ λόγου ſubſiſtentiâ ſibi communicata, illud non eſt accipiendum eo ſenſu, q: caro Chriſti ullo unquam tempore prorſus ἀνυπόστατος fuerit, ſed quod noſtrâ ἐπινοίᾳ talis carnis ἀνυποστασία ante ejus in ſubſiſtentiam τοῦ λόγου receptionem non temporis ſed Naturæ ordine prævia ſtatuitur. Caro illa & anima non erant prius unita in unam perſonam, ſed tempore ſimul fuère carnis ex maſſa à Spiritu ſancto ſegregata & ſanctificata formatio, carnis illius formatæ animatio, carnis formatæ & animatæ in ſubſiſtentiam λόγου aſſumtio, carnis formatæ, animatæ & ſubſiſtentis in utero virginis conceptio, ἅμα σὰρξ, ἅμα λόγου σὰρξ, ἅμα ἔμψυχος λογικὴ σὰρξ ait Damaſcen. lib. 3. cap. 2. Idem lib. ejuſd. cap. 12. ὁμοῦ γεγένηται τὰ τρία τὴν πρόσληψιν, τὴν ὕπαρξιν, τὴν θέωσιν σαρκὸς ὑπὸ τοῦ λόγου. Quidam hunc ordinem ſtatuunt, quod fuerint quatuor quaſi actus in incarnatione 1. *carnis conceptio. 2. concepta aſſumtio. 3. aſſumta unio. 4. unita in lucem editio* Sed illi conceptionis nomen accipiũt ſtrictè videlicet pro ſanctificatione illius maſſæ ſeminalis & ſanguineæ, ex qua Filius Dei carnem animatam ſibi conſtruxit ac pro ipſius Naturæ humanæ in utero virginis formatione; cùm reliqui conceptionem ultimo loco numerantes totum conceptionis actum, id eſt, omnia ea, quæ in conceptione fuêre facta hoc nomine complectantur.

113. Q. 3. *An Spiritus Sanctus in inſtanti omnia membra corporis Chriſti formaverit an verò ſucceſſivè?* Prius affirmant Baſil. in orat. de hum. Chriſti generat. Leo Magnus ſerm. 8. de natal. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 8. Damaſcen. lib. 3. de orth. fid. cap. 2. *Filius Dei conſtruxit ſibi ipſi carnem animatam per Spiritum ſanctũ* οὐ ταῖς κατὰ μικρὸν προσθήκαις ἀπαρτιζομένου τοῦ σχήματος ἀλλ' ὑφ' ἓν τελειωθέντος *non paulatim per additamenta expleta figura ſed uno contextu abſoluta.* Commentator Damaſceni hoc probat ex dictis Propheticis. *Fœmina circumdabit virum. Ecce vir oriens nomen ejus.* Alii urgent, quod *aliàs totus λόγος non fuiſſet ſtatim toti carni unitus.* Baſilius urget, quod Angelus non dicat τὸ κυοθὲν ſed τὸ γεννηθὲν, ex quo colligitur, οὐ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν τῆς σαρκὸς ἡ σύστασις ἐγένετο τοῦ κυρίου, ἐνδὺς γὰρ τέλειον ἦν τῇ σαρκὶ τὸ κυοφορούμενον οὐ ταῖς κατὰ μικρὸν διαπλάσεσι μορφωθὲν pag. 232. Sed meminerimus umbraculum eſſe huic conceptioni ſuperinductum, ne ſcrupuloſius ejus modum ſcrutemur, nec temerè eundem definiamus. 1. Scriptura dicit, quod *debuit per omnia fratribus* ὁμοιωθῆναι Hebræor. 2. verſ. 17. 2. *Sicut pueri communicant carni & ſanguini, ſic & ipſe* παραπλησίως *participavit eiſdem* verſ. 14. Conſtat autem reliquos infantes ſucceſſivè in utero formari. 3. Ut poſt nativitatem ac editionem in lucem proſceit ἡλικίᾳ abſque ulla perſonalis unionis mutatione vel incremento Luc. 2. verſ. 52. ſic in utero quoque incrementum capere potuit. 4. D. Chemnicius proponit hanc regulam in Harm. Evang. cap. 8. pag. 173. *Lucam in deſcriptione nativitatis Chriſti fuiſſe uſum vulgaribus ac uſitatis vocabulis, ut oſtenderet non quærenda eſſe præter Scripturæ teſtimonia extraordinaria miracula in nativitate Chriſti, ſed quæ naturali ratione poſt conceptum fœtum in utero materno ſequi, quæ in partu fieri & partum comitari ſolent, cogitanda eſſe de hac nativitate.* Idem de conceptione dici poteſt. Si quid miraculi hîc ſtatuere velimus, diſtinguendum inter *membrorum effigiationem* & *effigiatorum accretionem*, illam fuiſſe momentaneam, hanc verò ſucceſſivam, in quam ſententiam tandem abit Damaſceni commentator. *In ipſo quidem*, inquit, *materno utero molis & quantitatis corporis atque membrorum Domini noſtri fuit, per dierum intervalla incrementum, ſicut & poſt nativitatem, ut primùm minora eſſent, deinde per nutrimenti acceſſionem fierent paulatim majora, ipſa tamen membrorum ſecundùm figuram & diſtinctionem formatio fuit in ipſo primo conceptus ſacri momento omnino completa virtute Spir. ſancti hujus operis effectrice.* Vide Scholaſticorum varias opiniones de inſtantanea Chriſti conceptione apud Ferdinandum Velloſillum Epiſcopum Lucenſem in Advertentiis Theologiæ Scholaſticæ ſuper tom 9. Auguſt. quæſtio 2. p. 487. & ſeqq. edit. Venet. An. 601.

114. Q. 4. *Quodnam fuerit momentum conceptionis, in quo humana Chriſti Natura in utero virginis formata?* Meminerimus & hîc φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν. Apud veteres tres occurrunt de momento conceptionis ſententiæ. 1. Quidam ſub ipſam ſalutationem ab Angelo factam Mariam concepiſſe putant. Illi urgent verbum κεχαριτωμένη, quod applicant ad Chriſtum omnis gratiæ fontem in Mariæ utero jam conceptum. 2. Quidam cenſent B. Virginem ſimul & auribus accepiſſe vocem Angeli dicentis, *concipies*, & in utero concepiſſe. Illi urgent particulam ἰδοὺ quo tempus inſtans ſignificetur. Nicephor. lib. 1. cap. 8. *Simul cùm ea ipſa Gabrielis voce intranſibiliter æternum & anteſeculare Verbum DEI deſcendit & conditionem Naturamque noſtram ſubyt.* 3. Quidam ſtatuunt eam concepiſſe, poſt quam aſſenſum ſuum nuncio Angeli plenè ſubjecerat dicens. *Ecce ancilla Domini.* Eſiſtimant igitur Virginem quidem eâ horâ concepiſſe, quâ ab Angelo ipſi dictum concipies, ſed non eodem momento, verum poſt abſolutos omnes Angeli ſermones & poſt illa Mariæ verba. *Fiat mihi ſicut dixiſti.* Damaſcenus libr. 3. cap. 2. μετὰ τὴν συγκατάθεσιν τῆς ἁγίας παρθένου πνεῦμα ἅγιον ἐπῆλθεν ἐπ' αὐτὴν, &c. quæ ſententia reliquis videtur præferenda 1. quia verbum συλλήψῃ ponitur *in futuro*. 2. Quia Maria de conceptionis modo erat plenius inſtruenda. 3. verba poſt hanc vocem συλλήψῃ ab Angelo prolata καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν dicũtur à Luca fuiſſe pronũciata ante cõceptionẽ. Luc. 2, 21. 4. Ut in ſpirituali cõceptione & na-

nativitate requiritur fiducialis aſſenſus: ita quoque in corporali conceptione idem dubio procul factum. Confer Auguſt. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 29. Rupertum de operibus S. S. cap. 9. Theophylact. in cap. 1. Luc. Caſaubonum exercit. 1. ad Baron. cap. 27. Baread. in Harm. &c.

Formale unionis.

115. Theſis 4. *Formale unionis conſiſtit in eo, quòd ὑπόςασις τῦ λόγυ ſit facta carnis ὑπόςασις, unde ipſa unio vocatur ὑποςατικὴ.* Modus unionis hujus eſt mirabiliter ſingularis ac ſingulariter mirabilis omnium non modò hominum ſed etiam Angelorum captum tranſcendens, unde ὁμολογυμένως μέγα μυςήριον vocatur. πρόσληψις eſt ὑπὲρ κατάληψιν. Græci vocant οἰκονομίαν ἔνσαρκον ἐπιφάνειαν ex 2. Tim. 1. verſ. 10. & 1. Timoth. 3. v. 16. θεοφάνειαν. Damaſcenus lib. 3. cap. 17. vocat ἕνωσιν ἀπερινόητον, &c. Ut autem ad aliqualem ejus cognitionem pervenire poſſimus. 1. dicta Scripturæ, quæ de formali unionis loquuntur, expendemus. 2. modos unionis huic ipſi, de qua agimus, minùs cõgruos κατ᾽ ἄρσιν removebimus. 3. verum unionis modum κατὰ θέσιν explicabimus. 4. poriſmata quædam ex eo colligemus. 1. Dicta Scripturæ quæ de unione duarum in Chriſto Naturarum loquuntur, potiora hæc ſunt. Johan. 1. v. 14. ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Coloſſ. 2 verſ. 9. *In Chriſto κατοικεῖ habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter.* 1. Timoth. 3. verſ. 16. *Deus manifeſtatus eſt in carne.* Hebr. 2. verſ. 14. *Quia pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter μέτεχε participavit iiſdem* verſ. 16. *non Angelos ſed ſemen Abrahæ ἐπιλαμβάνεται aſſumſit.* Hæc omnia cùm ſint parallela, ideò in explicatione unionis perpetuò conjungendæ. Verbum caro factum à Johanne dicitur, ſed ne quis cogitaret, Verbum ita carnem eſſe factum, ſicut aqua factum eſt vinum Iohan. 2. verſ. 9. ideò Paulus dicit, quod Deus, id eſt, Dei Filius in carne ſit manifeſtatus & quod carni & ſanguini κεκοινώνηκε, jam verò κοινωνία eſt ad minimum inter duo diſtincta, aliàs eſſet μεταβολὴ καὶ σύμφυσις Deus dicitur in carne manifeſtatus apud Apoſtolum, ſed ne quis cogitaret eſſe talem φανέρωσιν qualis fuit in Vet. Teſtam. quando vel Deus ipſe vel Angeli in figuris externis apparuerunt, ideò Johannes dicit, quod ὁ λόγος ſit caro factus, id eſt, quod carnem in ſuam hypoſtaſin ita aſſumſerit, ut nunquam eam in poſterum deponat. Filius Dei dicitur *aſſumſiſſe ſemen Abrahæ,* ſed ne quis cogitaret eſſe talem aſſumtionem, qualis fuit ea, quando Angeli figuras corporeas ad tempus aſſumſerunt, ideò dicitur quod perinde ut pueri communicant carni & ſanguini, ita quoque iiſdem participaverit. Jam verò conſtat pueros eo modo communicare carni & ſanguini, ut caro & ſanguis ſive Natura humana naſcendo ipſis à parentibus communicetur. Deſcribitur unio ab Apoſtolo per κατοίκησιν λόγυ in aſſumta carne, ſed ne quis cogitaret, Filium Dei eo modo habitare in aſſumta carne, quomodo habitat Deus per gratiam in cordibus fidelium, ideò notanter addit, quod πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος in aſſumta carne habitet & quidem σωματικῶς *corporaliter,* ut habitaculum denotetur vel perſonaliter ut unionis modus exprimatur, utraque enim ſignificatio τῦ σώματος hîc locum habere poteſt.

116. 2. Modi unionis varii ſunt ac diverſi, qui à perſonalis unionis modo removendi. Ut enim pii veteres dicunt, meliùs ſciri ac dici poſſe quid non ſit Deus quàm quid ſit, ita quoque de divina & ſupernaturali illa duarum Naturarum in Chriſto unione verè pronunciare poſſumus, quod faciliùs dici poſſit, quis non ſit ejus modus quàm quis ſit. Nyſſenus de opif. mundi trib. modis res uniri dicit. 1. *alteratione* ut Elementa. 2. *mixtione,* ut aqua & vinum. 3. *appoſitione,* ut aſſer aſſeri. Sed nullus horum modorum Chriſto competit. Athanaſ. in tractat. de definit. cap. περὶ ἑνώσεως tom. 2. p. 56. quinque unionis ſpecies numerat. Alia eſt συγχυτικὴ *commixtiva,* qualis eſt aquæ & vini, alia διαιρετικὴ *diviſiva* qualis eſt hominis ad hominem, alia σχετικὴ *habitualis,* qualis anni ad aurum; alia θετικὴ *poſitiva,* ubi plura inter ſe componuntur, à quibus omnibus diſtinguenda ὑποςατικὴ ſacroſancta illa in Chriſto Naturarum in unam hypoſtaſin unio. Bernhard. lib. 5. de conſid. ad Eugenium col. 148. octo recenſet unionis modos. *Eſt unitas collectiva, cùm multi lapides faciunt unum acervum; eſt & unitas conſtitutiva, cùm multa membra unum corpus vel multa partes unum quodcunq́ totum conſtituunt, eſt & conjugativa, qua fit ut duo jam non duo ſint, ſed una caro. Eſt & nativa, qua anima & caro unus naſcitur homo. Eſt unitas poteſtiva, qua homo virtutis nõ inſtabilis nõ diſſimilis, ſed unus ſibimet ſemper nititur inveniri. Eſt cõſentanea, cùm per caritatem multorum hominum eſt unum cor & anima una. Eſt & votiva, cùm anima votis omnibus adhærens DEO unus Spiritus eſt cum eo.* Cùm verò nulla ex his ſpeciebus ad unionem hypoſtaticam accommodari poſſit, tandem ſubjicit. *Eſt & unitas dignativa, qua limus noſter à DEI Verbo in unam aſſumtus eſt perſonam.* Idem in parv. ſerm. ſerm. 44. tom. 1. pag. 215. *Eſt unitas naturalis, unitas carnalis, unitas virtualis, unitas moralis, unitas ſpiritualis, unitas ſocialis, unitas principalis, unitas perſonalis. Unitas naturalis eſt inter corpus & animam. Carnalis inter virum & uxorem, virtualis qua hominem ſibi conjungit, ut non per diverſa effluat, ſed cum Propheta unum à Domino petat, moralis qua nos conjungit proximo, ſpiritualis, qua nos conjungit DEO, ſocialis inter Angelos, quibus omnibus idem velle ac nolle, principalis qua & ſubſtantialis in Trinitate, perſonalis in Chriſto.* Quidam ſic diſtinguunt: Unio eſt vel *Phyſica vel hyperphyſica* ſeu Theologic. Phyſica 1. *mixtionis,* quæ fit vel κατὰ διαφθορὰν vel κατὰ μεταβολὴν, vel κατὰ σύγχυσιν. 2. *attingentia,* quæ eſt rerum, perſonarum, voluntatum. 3. *coacervationis* κατὰ σωρὸν. 4. *compoſitionis* κατὰ συνδυασμὸν. *Hyperphyſica* eſt. 1. *eſſentialis* κατ᾽ ὀυσίαν in Trinitate. 2. *myſtica* κατὰ χάριν fidelium cum Chriſto & inter ſe. 3. *conjugalis.* 4. *Sacramentalis.* 5. *hypoſtatica* duarum in Chriſto Naturarum. Alex. Alenſ. p. 3. q. 2. membr. 3. diſting. inter *unum per unitatem & unum per unionem.* Unum per unionem dicit fieri dupliciter, aut enim fit *ſervata Natura utriusque aut mutata.* Si primum, id fit dupliciter, aut enim *fit tertium* ut in compoſito ſubſtantiali, aut *fit unum* de altero, ut in inſertione ramuſculi. Si Natura mutata, hoc fit dupliciter, vel *in utroq́,* utpote quando neutrum eſt prædominans, ut in unione aquæ & mellis, *vel in altero* ut dum alterum eſt prædominans, ſi modicum aquæ miſceatur multo vino. Hi modi omnes ſunt unum ſimpliciter & per ſe. *Per accidens unum* ſeu ſecundum quid eſt unum per appoſitionem alterius ad alterum, quorum unum trahit ab altero vel *proprietatem tantum,* ut

pomum

Digitized by Google

pomum communicat manui odorem *vel denominationem tantum*, ut habitus quo denominatur aliquis tunicatus, vel *neutrum* ut lapis appoſitus lapidi *vel utrumq́; proprietatem & denominationem* ut accidens ſubjecto. Poſtea addit, quod *unio duarum Naturarum in Chriſto aſſimiletur unioni per modum inſertionis.*

117. Nos progrediemur hoc modo. 1. Unio duarum Naturarum in Chriſto non eſt nuda παραστάσεως qualis inter duos aſſeres ſibi conjunctos vel inter duas perſonas ſibi aſſiſtentes. 1. quia παράστασις vix meretur inter unionis ſpecies numerari. 2. quia ex παραστάσει nulla oritur communicatio. 3. nullum in ea occurrit myſterium. 2. non eſt οὐσιώδης ſive *eſſentialis.* Duplex ſtatui poteſt eſſentialis unionis modus. 1. *hyperphyſicus* in perſonis Trinitatis, quæ unâ numero divinâ eſſentiâ participant, ubi tamen notandum, *unitatẽ*, potiùs quàm *unionem* in perſonis Trinitatis ſtatuendam, cùm unio propriè ſit eorum, quæ aliquando non fuerunt unum & quæ ſaltem cogitatione ſunt ſeparabilia. Talis unio non eſt duarum illa in Chriſto Naturarum unio, quia in Trinitate τρεῖς ὑποστάσεις, in Chriſto verò una hypoſtaſis; in Deitate μία οὐσία, ſed in Chriſto duæ Naturæ ſive eſſentiæ. 2. *Phyſicus ſive Naturalis*, quando ex pluribus fit una eſſentia, v. g. ex materia & forma unum compoſitum, ex corpore & anima unus homo. Hæc ſpecies unionis quodammodo accedit ad eam, de qua agitur, unde in Symb. Athanaſii paradigmatos loco ad ejus qualemcunque declinationem adhibetur, interim tamen non eſt undiquaque ſimilis, multò minus eadem. Propriè enim & accuratè loquendo, unio duarum Naturarum in Chriſto *nec naturalis nec eſſentialis* ſtatui poteſt. Non naturalis. 1. quæ naturaliter uniuntur, eorum plura dantur exempla in Natura. At hæc unio eſt μονότροπος ac ſingularis, cujus nullum datur exemplum in tota rerum univerſitate. 2. quæ naturaliter uniuntur, eo modo ſe habent, ut neutrum eorum ſit perfectum abſque altero. Sed Chriſtus eſt perfectus homo, perfectus Deus ac λόγος, ante incarnationem fuit perfecta perſona. 3. quæ naturaliter uniuntur, ita ſe habent, ut ex illis quoddam tertium conſtituatur. At de Chriſto hoc dici nequit, is non eſt ἐξ ἑτέρων ἕτερον ex diverſis diverſum quid. 4. quæ naturaliter uniuntur, ſunt invicem ſeparabilia. Sed duæ Naturæ in Chriſto inſeparabiliter ſunt unitæ. Nec *eſſentialis* 1. Unio eſſentialis unam conſtituit eſſentiam, at duæ Naturæ in Chriſto nec in ſimplicem nec in compoſitam eſſentiam coaluerunt, cùm nec humana Natura in divinam nec divina in humanam ſit converſa, nec tertia quædam ſpecies è duob. diverſis compoſita. Leo Epiſt. 11. *Nec Verbũ in carnem, nec caro in Verbum eſt converſa, ſed utrumq́; in uno manet & unus in utroq́; non diverſitate diviſus, non permixtione confuſus, non alter ex Patre, alter ex matre, ſed idem, aliter tamen ex Patre, aliter ex matre. 2. ubi* ἄλλο καὶ ἄλλο ibi non eſt unio eſſentialis. Sed in Chriſto eſt ἄλλο καὶ ἄλλο. Ergo. 3. unio definitur ac denominatur à termino ἑνοποιῷ in quo unita conveniunt. At terminus ἑνοποιὸς duarum Naturarum in Chriſto non eſt eſſentia. 4. In compoſitis eſſentialibus nullum principium conſtituens præexiſtit perſona. At divina Natura τοῦ λόγου ante incarnationem extitit perſona. 5. Quæ eſſentialiter uniuntur, extra unionem non ſunt omnimodè perfecta, & ex illis conſtituitur aliquod tertium. Neutrum de duabus in Chriſto Naturis dici poteſt. 6. Si unio eſſet eſſentialis, etiam communicatio idiomatum ex unione orta foret eſſentialis, ſicque humana Natura eſſentialiter eſſet omnipotens Cyrill. & Bernhard. vocant *eſſentialem & naturalem* 1. non reſpectu *modi* ſed reſpectu termini & quidem non reſpectu *termini ad quem* ſed *à quo*, ut exponit Damaſc. l. 3. c. 3. οὐσιώδη φαμὲν τὴν ἕνωσιν τουτέστιν ἀληθῆ καὶ οὐ κατὰ φαντασίαν οὐσιώδη δὲ οὐχ ὡς τῶν δύο φύσεων ἀποτελεσασῶν μίαν σύνθετον φύσιν ἀλλ' ἑνωθεισῶν ἀλλήλαις κατ' ἀλήθειαν εἰς μίαν ὑπόστασιν σύνθετον, &c. 2. Eſſentiale & naturale non opponunt perſonali, ſed accidentali, ut ſit idem quod reale.

118. 3. Non κατὰ συμβεβηκὸς ſive *accidentalis* (ut velle videtur Scotus 3. Sent. diſt. 1. quæſt. 1.) 1 quia unio accidentalis eſt inter ſubſtantiam & accidens, vel inter ſubſtantiam & ſubſtantiam ſed accidentaliter unita, ut non conſtituant unum quoddam per ſe. At neutra in Chriſto Natura eſt accidens, nec accidentaliter invicem ſunt unitæ, unio accidentalis non poteſt facere ὑπόστασιν σύνθετον. 2. terminus ἑνοποιὸς unionis in Chriſto non eſt accidens ſed hypoſtaſis. 3. Si unio eſſet accidentalis, Deus per accidens erit homo & homo per accidens erit Deus: deinde etiam communicatio idiomatum foret accidentalis. 4. Si caro eſſet λόγου adjunctum, utique de λόγῳ in caſu obliquo nõ caſu recto foret prædicãda, imò cõtingeret & accidentaliter. Sicque λόγος non eſſet dicendus homo ſed humanus. 5. Nulla ſpecies unionis accidentalis competit unioni duarum Naturarum in Chriſto. Ergo nec accidentalis dici poteſt. Connexio patet, quia cui genus competit, illi etiam aliqua ſpecies generis competere debet. Antecedens probatur ex enumeratione ſpecierum. Unio accidentalis eſt vel *abſoluta vel reſpectiva*, cum omne accidens ſit abſolutum vel relatum. Unio hypoſtatica non eſt *accidentalis reſpectiva κατὰ σχέσιν*, quia hæc ſententia in Neſtorio à Patribus Epheſinis jamdudum damnata teſte Cyrillo anathem. 3. nec eſt *abſoluta*, foret enim talis ſecundùm *quantitatem*, eamque vel *continuam* per agglutinationem, ut cùm duo aſſeres clavo, catenâ, viſco conjunguntur, vel *diſcretam* per aggregationẽ, appoſitionem, coacervationem, at nulla ex his ſpeciebus unioni hypoſtaticæ competit, niſi Naturam divinam in prædicamentum quantitatis detrudere velimus; vel ſecundùm *qualitatem* per ὁμόνοιαν unitatem conſenſus, at hac ratione non foret unus Chriſtus ſed perſonæ duæ.

119. 4. Non eſt unio propriè *integralis.* 1. Modus enim illius unionis eſt tantum inter partes quantitativas. At λόγος neque quantus eſt neque partem extra partem habet, ergo non poteſt cum homine conſtituere unum integrum. 2. Pars integralis una non prædicatur de altera affirmativè. Manus enim non eſt pes. At homo de Deo & Deus de homine in perſona Chriſti prædicatur. Hûc referri poſſunt ea, quæ de modo unionis Damaſcenus lib. 3. orth. fid. cap. 3. ex Græcis Patribus affert. Unio, inquit, non eſt facta. 1. κατὰ φυρμὸν *conſperſionem vel maſſam*, velut cùm ex farina & aqua tertium quid formatur ſcilicet panis. 2. κατὰ σύγχυσιν *confuſionem*, cùm ex diverſis aromatum ſpeciebus fit unus pulvis. 3. κατὰ σύγκρασιν καὶ ἀνάκρασιν *commixtionem*, cùm ex

aqua

aqua & melle ſimul fit mulſum, juxta quos tres unionis vel potiùs *μίξεως* modos Eutyches & ipſius aſſeclæ Naturas in Chriſto fingebant commixtas: nec facta eſt. 4. *κατὰ σχέσιν per affectum & amicitiam*, quâ duorum fit cor unum. 5. nec *κατ' ἀξίαν ſecundùm dignitatem*, quod ille homo acceperit à Verbo hanc dignitatem, ut ſit cum eo ſervator. 6. nec *κατὰ ταυτοβουλίαν, ἀξιομοίαν, ὁμόνοιαν, ſecundùm conſenſionem*, quod voluntas hujus hominis ſemper fuerit conformis voluntati Dei. 7. nec *καθ' ὁμοτιμίαν*, quod hunc hominē ita exaltarit Deus Verbum ut totum ſuum honorem ei communicarit. 8. nec *καθ' ὁμωνυμίαν*, quod Deus ſuum nomen illi communicaverit. 9. nec *κατ' εὐδοκίαν*, quod λόγος in aſſumto homine ſibi placeat ac efficiat, ut iſte homo ſibi complaceat in Verbo, quibus ſex modis Neſtorius unionem in Chriſto factam eſſe fingebat. In 5. Synodo act. ult. can. 4. *Si quis dicit ſecundùm gratiam vel ſecundùm operationem vel ſecundùm dignitatem vel ſecundùm honoris æqualitatem aut relationem aut affectum, aut virtutem & non ſecundùm compoſitionem aut ſecundùm ſubſiſtentiam Verbi unitionem ad carnem factam eſſe dicit, anathema ſit.* Patres Synodi Chalcedonenſis apud Zonaram tom. 3. in vita Martiani p. 139. & apud Evagrium libr. 2. cap. 4. p. 810. ac Niceph. libr. 15. cap. 6. contra Eutychem & Neſtorium ſtatuunt, unionem duarum Naturarum in Chriſto factam eſſe 1. *ἀσυγχύτως inconfuſè* ſine confuſione, quia ex duabus illis Naturis non eſt tertia quædam Natura ſive eſſentia per *σύγχυσιν* facta. 2. *ἀτρέπτως inconvertibiliter*, quia nec divina Natura in humanam, nec humana in divinam eſſe mutata. 3. *ἀδιαιρέτως indiviſè*, quia poſt factam incarnationem nec λόγος à carne nec caro à λόγῳ dividi poteſt. 4. *ἀχωρίστως inſeparabiliter*, quia duæ Naturæ ſemel unitæ nunquam ſeparantur. Alii ex veteribus addunt, quod unio etiam facta fuerit *ἀναλλοιώτως, ἀδιαλύτως, ἀδιασπάστως, ἀμεταβλήτως καὶ ἀδιαστάτως*. Confer Damaſcenum libr. 3. cap. 2. Poteſt etiam perſonalis inhabitatio τοῦ λόγου in aſſumta carne per modum remotionis conferri *cum præſentia Univerſali*, quâ Deus adeſt omnibus creaturis cum *præſentia gratiæ*, quâ habitat in Sanctis; cum *præſentiâ gloriæ*, quâ ſe in cœlo beatis Angelis & electis manifeſtat, his enim modis omnibus arctior eſt is; quo tota plenitudo Deitatis habitat in aſſumta carne non *τυπικῶς*, ut olim in templo Hieroſolymitano, nec *ἐνεργητικῶς* duntaxat ut in creaturis, nec *χαριτικῶς* duntaxat, ut in Sanctis, nec *δοξαστικῶς*, ut in beatis & Angelis, ſed *σωματικῶς* ac *ὑποστατικῶς*. Collatio etiam poteſt inſtitui inter apparitionem Spiritus ſancti in *σωματικῷ εἴδει* columbæ, quæ eſt unio *ſymbolica & ſeparabilis* & inter manifeſtationem Filii Dei in carne, quæ eſt unio *hypoſtatica & inſeparabilis*.

120. 3. Remotis ergo omnibus unionis modis ac ſpeciebus, dicimus duarum in Chriſto Naturarum unionem factam eſſe *καθ' ὑπόστασιν*, quia terminus *ἑνωποιὸς* eſt, τοῦ λόγου ὑπόστασις. quæ cùm ante incarnationem eſſet divinæ duntaxat Naturæ, hypoſtaſis poſt incarnationem facta eſt etiam carnis hypoſtaſis. Damaſcenus libr. 3. cap. 3. *ἐν δυσὶ φύσεσι τελείως ἐχούσαις μίαν ὑπόστασιν ὁμολογοῦμεν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ καὶ σεσαρκωμένου τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν λέγοντες τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος* αὐτοῦ. & cap. 11. *τὸ σάρκα γενέσθαι τὸν λόγον* eſt *αὐτὴν τὴν τοῦ λόγου ὑπόστασιν ἀτρέπτως γενέσθαι τῆς σαρκὸς ὑπόστασιν*, unde ipſa unio vocatur *hypoſtatica ac perſonalis*. In omni diſparatarum rerum unione datur quidam quaſi *συνδεσμὸς* ac vinculum, quod eas conjungit & per quod fiunt unum. Tale *ἑνωποιὸν* Naturas diſparatas in Chriſto uniens eſt *ὑπόστασις*, inde vocatur unio hypoſtatica: Quod verò Damaſcenus libro tertio capite 3. negat eſſe *ἕνωσιν προσωπικὴν*, id commodè explicandum ex autoris ſcopo & intentione, diſputat enim contra Neſtorium, qui perſonalem unionem in Chriſto ſtatuebat non ratione *termini ad quem*, ſed ratione *termini à quo*, quæ ſcilicet facta ſit non in perſona Filii Dei ex duabus Naturis, ſed ex duabus perſonis per conſenſum, per amorem, per *ταυτοβουλίαν*, &c. unde ipſe Damaſcenus ſeipſum declarans remotis alienis ſpeciebus unionis ſubjungit, unionem naturarum, in Chriſto factam eſſe *κατὰ σύνθεσιν ἤγουν καθ' ὑπόστασιν*. Eſt unio *Naturarum* ſed non *naturalis*, eſt unio *perſonalis* ſed non *perſonarum*. Apud pios veteres vocatur unio *κατ' οἰκονομίαν* vel etiam ſimpliciter *οἰκονομία*. Ignatius & Iuſtinus in expoſitione fidei. *σάρκωσις καὶ ἕνωσις*. quorum prius *τὴν πρόσληψιν τῆς σαρκὸς*, poſterius *τὴν συνάφειαν τῶν δύο φύσεων* notat. p. 294. adunitionem Verbi ad ejus plaſma vocat. p. 299. *ἐνσωμάτωσιν*, Nyſſenus *προσανάκρασιν*. Athanaſius, *συγκατάβασιν, ἐν σαρκὶ φανέρωσιν, ἐνσώματον παρουσίαν μετουσιμάτωσιν, σύζευξιν*. Nazianzenus, *σύνοδον*. Damaſcenus *συμφυΐαν καὶ ἁρμογὴν φύσεων*. Communiter *ἐνανθρώπησιν, ἐνσάρκωσιν* &c. *συνάφειαν μὲν μίξιν*, ait Proclus homil. in nat. Dom. p. 74. *ἵνα μὴ μερισθῇς ἀπὸ τοῦ Θεοῦ*. Quod Irenæus libr. 3. cap. 21. eam vocat *σύμμιξιν*. Nazianzen. Epiſt. 1. ad Cledon. *κρᾶσιν καὶ σύγκρασιν*. Nyſſen. *ἀνάκρασιν καὶ ἐπιμιξίαν* ** Lutherus in cap. 14. Ioh. tom. 7. Jenenſ. Germ. fol. 91. beyde Naturen ſind in der Perſon vermenget. ** id commodè explicandum, ne ad Eutychianam confuſionem applicetur. Athanaſius in ſymb. definit per *πρόσληψιν τῆς ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα*. Epiphanius *συνένωσιν*. Damaſcenus declarat per *ἀντιχώρησιν*. Tertullianus & Ambroſius vocant *incarnationem, corporationem, conſibulationem, copulationem*. Cyprianus ſerm. de Bapt. *Chriſti nativitatem, illapſum ſermonis in Virginem, conventum ſempiternæ divinitatis & temporalis humanitatis*. Origenes *confœderationem*. Auguſtin. *ſuſceptionem ſervilis formæ*. It. *tranſitum Dei in hominem & hominis in Deum*. Hilar. lib. 2. de Trin. *ſocietatem admixtionis*. Hieron. in c. 61. Eſa. Cyrill. de rect. fid. *diſpenſationem &c.* Auguſtin. libr. 10. de civitat. Dei cap. 29. *Filius Dei induit hominem*. cap. 31. *ſuſcepit hominem*. lib. 11. de civit. Dei cap. 2. *Filius Dei homine aſſumto non tamen Deo conſumto fundavit fidem &c.* Leo ſerm. 3. de nativit. p. 42. *creatori creatura conſeritur*. Damaſc. orat. 1. de imag. ex Synod. Chalcedon. fol. 702. *ὥσπερ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο ἄτρεπτος γὰρ ὤν, μεῖνας ὅπερ ἦν, οὕτω καὶ ἡ σὰρξ λόγος γέγονεν οὐκ ἀπολέσασα ὃ δ' ὅπερ ἐστὶ ταυτιζομένη δὲ μᾶλλον πρὸς τὸν λόγον καθ' ὑπόστασιν*, idem effecta quoad perſonam.

121. 4. *Poriſmata* ſirmale illud unionis uberius ac manifeſtius exprimentia hæc ſunt: 1. Quia *ἐν τῇ ἐνσαρκώσει ὑπόστασις τοῦ λόγου* facta eſt carnis *ὑπόστασις*, ideò poſt incarnationem eſt *ὑπόστασις σύνθετος*.

θετος. Damaſcenus libro tertio capit⁼ tertio ex Nazianzeno, Athanaſio &c. συναπτονται αἱ φύσεις αὐτοῦ τῇ ὑποστάσει μίαν ὑπόστασιν σύνθετον ἔχουσαι. capite 4. γινώσκομεν μίαν τὴν ὑπόστασιν ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων σύνθετον. Item ἐκ τῶν φύσεων συντεθεῖσαν ὑπόστασιν. Dicitur autem hypoſtaſis σύνθετος, non quod in ſe ac per ſe alterationem quandam & ſimplicitatis ſuæ exidentiam paſſa, fuerit compoſita, ſed quia poſt incarnationem eſt duarum Naturarum hypoſtaſis, cùm anteà ſolius divinæ Naturæ hypoſtaſis fuerit. Perſona τοῦ λόγου ante incarnationem αὐτοτελεστάτη fuit at ſimplex, ὑπόστασις in Natura tanrum divina ſubſiſtens, per incarnationem facta eſt ὑπόστασις σύνθετος conſtans ſimul divinâ & humana Natura atque ita ad integritatem perſonæ Chriſti jā incarnati non modò divina, ſed etiam aſſumta ejus humana Natura pertinet. Rectè Thom. p. 3. quæſt. 2. lat. 4. *Compoſitio perſonæ ex Naturis non dicitur ratione partium, ſed potius ratione numeri, ſicut omne illud, in quo duo conveniunt, poteſt dici ex illis compoſitum, & perſona ſic dicitur compoſita, in quantum unum duobus ſubſiſtit.* σύνθετον ergo intellige non *compoſitione ſubjectivâ*, non *eſſentiali*, non *attactiva*, ſed *perſonali*, quâ eadem hypoſtaſis, quæ priùs fuit tantùm Verbi hypoſtaſis, ejusdemque perpetuò manet hypoſtaſis naturaliter & eſſentialiter ἐν τῇ ἐνανθρωπήσει facta eſt carnis ὑπόστασις communicativè & perſonaliter. Ac quia Filii Dei hypoſtaſis poſt ſactam incarnationem eſt σύνθετος, ideò ad perſonam Filii DEI utraque Natura pertinet, nec una ſine altera vel extra alteram ſubſiſtit. 2. Quia hypoſtaſis λόγου facta eſt carnis hypoſtaſis, ideò carni hypoſtaſis λόγου eſt communicata. Λόγος ὑπόστασιν illam habet in ſe propriam, caro per unionem eam habet communicatam (hypoſtaſis τοῦ λόγου utriuſque Naturæ eſt hypoſtaſis divinæ πρώτως καὶ φυσικῶς humanæ δευτέρως καὶ ὑποστατικῶς.) Neque enim per Naturam & eſſentiam ſive eſſentialiter ex principiis Naturæ & eſſentiæ conſtitutivis carni competit λόγου ὑπόστασις, requirebatur igitur, ut eidem communicaretur. Sic enim procedimus: Caro Chriſti aut eſt prorſus ἀνυπόστατος aut λόγου ὑποστάσει ſubſiſtit, propriam enim ſubſiſtentiam non habet. Atqui ſalſum eſt eam eſſe prorſus ἀνυπόστατον. Ergo ſubſiſtit τῇ λόγου ὑποστάσει, quam oportet ei eſſe communicatam. 3. Quia hypoſtaſis λόγου ſacta eſt carnis ὑπόστασις, ideò caro Chriſti eſt ἐνυπόστατος. Neque enim eſt αὐθυπόστατος καὶ ἰδιοσύστατος propriam habens ſubſiſtentiam, neque ἀνυπόστατος prorſus nullam habens ſubſiſtentiam, utique ergo eſt ἐνυπόστατος ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ ſubſiſtens. Dicirur autem ἐνυπόστατος non qualicunque ſuſtentatione & geſtatione in λόγῳ, nec nudâ ad λόγον præſentiâ, ſed ὑποστάσεως τοῦ λόγου communicatione pleniſſimâ, cùm tota plenitudo Deitatis in ipſa dicatur habitare Coloſſ. 2. verſic. 9. ἐνυπόστατος eſt non *accidentaliter*, ut accidens in ſubjecto, nec *partialiter*, ut pars in toto, ſed *perſonaliter* ac ſingulariter, ut Natura in perſona. (ἐνυπόστατον Philoſophis 1. ſignificat *Univerſale*, nempe quod ſecundùm ſe non ſubſiſtit, ſed in perſonis ſive hypoſtaſibus ſubſiſtentiam habet. Sic ſpecies ſeu Natura hominum non habet propriam hypoſtaſin, ſed eſt aliquid in hypoſtaſi Petri, Pauli, Johannis. 2. ſignificat *partem & potiſſimùm eſſentialem*: Sic corpus humanum non eſt hypoſtaſis, nec anima eſt hypoſtaſis, ſed utraque ſunt ἐνυπόστατα. Significatio, in qua hoc loco uſurpatur, magis accedit ad poſteriorem quàm priorem.) Auguſtinus de fid. ad Petrum capite 17. *Verbum caro factum unam habet divinitatis carniſque ſua perſonam.* Damaſcenus libro tertio capite ſecundo. λόγος σαρκὶ ἐψυχωμένῃ καὶ ἐν αὐτῷ τὸ εἶναι λαχούσῃ ἑνωθεὶς κατὰ ὑπόστασιν. capite 7. ὡς τὸ αὐτὴν χρηματίσαι τῇ σαρκὶ ὑπόστασιν τὴν τοῦ Θεοῦ λόγου ὑπόστασιν. capite 9. ἡ αὐτὴ τοῦ λόγου ὑπόστασις ἀμφοτέρων τῶν φύσεων ὑπόστασις χρηματίσασα οὔτε ἀνυπόστατον αὐτῶν μίαν εἶναι συγχωρεῖ, οὔτε μὴν ἑτερουποστάτους ἀλλήλων εἶναι παραχωρεῖ &c. Et poſtcà: οὐκ ἰδιοσυστάτως ὑπέστη ἡ τοῦ Θεοῦ λόγου σὰρξ οὐδὲ ἑτέρα ὑπόστασις γέγονε παρὰ τὴν τοῦ Θεοῦ λόγου ὑπόστασιν ἀλλ᾽ ἐν αὐτῇ ὑποστᾶσα ἐνυπόστατος μᾶλλον cap. 11. αὐτὴ ἡ ὑπόστασις τοῦ Θεοῦ λόγου ἐγένετο τῇ σαρκὶ ὑπόστασις. 4. Quia λόγου ὑπόστασις facta eſt etiam carnis ὑπόστασις, ideò poſt factam incarnationem eſt intima Naturarum unitarum περιχώρησις ſive immeatio. (Quidam ipſum formale in hac περιχωρήσει ſtatuunt, ſic enim diſtinguunt. Unio dupliciter conſideratur, *radicaliter & formaliter*. Radix ſeu fundamentum unionis eſt ſubſiſtentia, ſeu perſonatio, formale verò ſeu formalitas eſt immanentia ſeu permeatio. Sed περιχώρησις illa rectius ſtatuitur conſequens quàm formale unionis.) Quomodo enim abſque tali περιχωρήσει una iſtarum Naturarum eſſet ὑπόστασις? quomodo abſque eâ tota plenitudo Deitatis in carne aſſumta habitaret? Quinimò ut propter eſſentiæ unitatem inter perſonas Trinitatis eſt περιχώρησις *eſſentialis*, ita propter perſonæ unitatem inter duas Naturas in Chriſto unitas eſt περιχώρησις *perſonalis*. Damaſcenus libro 3. cap. 4. vocat τὴν τῶν φύσεων εἰς ἄλληλα περιχώρησιν Interpres reddidit *Naturarum in invicem immanentiam ac inſeſſionem*. cap. 5. εἰ ἐν ἀλλήλαις περιχωροῦσιν ἀλλὰ τὴν εἰς ἀλλήλας τροπήν τε καὶ μεταβολὴν οὐ προσίενται. cap. 7. addit: ἰστέον ὡς εἰ καὶ περιχωρεῖν ἐν ἀλλήλαις τὰς τοῦ κυρίου φύσεις φαμὲν, ἀλλ᾽ οἴδαμεν ὡς ἐκ τῆς θείας φύσεως περιχώρησις. Interp. reddidit immeatio provenit: αὐτὸ μὲν καὶ διὰ πάντων διήκει καθὼς βούλεται καὶ περιχωρεῖ δι᾽ αὐτῆς οὐδέν. Immanentia igitur juxta Damaſcenum utriq; Nat. communis eſt, ſed immeatio divinæ Naturæ propria. Galat. lib. 3. de arcan. cap. 2. reddidit *circumceſſionem*. Quidam definiunt, quod ſit ὅλως πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς, *immeatio arctiſſima ſed impermixta*, quia immanentia illa requirit præſentiam arctiſſimam & intimam, unde profluit. 5. Quia λόγου ὑπόστασις facta eſt carnis hypoſtaſis, ideò Naturæ hæ duæ ſunt ſibi invicem præſentiſſimè præſentes. Neque enim pars parti ſed totus λόγος toti carni, & tota caro toti λόγῳ eſt unita, ideo propter ὑποστάσεως ταυτότητα καὶ τῶν φύσεων εἰς ἄλληλα περιχώρησιν λόγος, ita præſens eſt carni & caro ita præſens eſt τῷ λόγῳ, ut nec λόγος ſit extra carnem nec caro extra λόγον, ſed ubicunque eſt λόγος, ibi etiam præſentiſſimam ſibi habet carnem, quippe quam in perſonæ unitatem aſſumſit & ubicunque eſt caro, ibi præſentiſſimum ſibi habet τὸν λόγον, quippe in cujus hypoſtaſin eſt aſſumpta. Quemadmodum λόγος non eſt extra

ſuam

ſuam Deitatem, cujus eſt hypoſtaſis, ſic etiam nõ eſt extra ſuam carnem eſſentiâ quidem finitam in λόγῳ tamen perſonaliter ſubſiſtentem. Ut enim τῷ λόγῳ propria eſt ſua Deitas *per æternam à Patre generationem*, ſic eidem τῷ λόγῳ propria facta eſt caro *per unionem perſonalẽ*. Quemadmodum ergo περιχώρησις eſſentialis in perſonis Trinitatis ac una tribus perſonis communis Deitas facit, ut una perſona non ſit extra alteram, ſed Pater ſit in Filio, Filius in Patre & Spiritus ſanct. in utroque, ſic περιχώρησις perſonalis & una duabus Naturis communis ὑπόστασις facit, ut una Natura in Chriſto nõ ſit extra alteram, ſed ut totus λόγος ſit in ſua carne & tota caro ſit in λόγῳ, ac quemadmodum labefactatur eſſentiæ unitas, ſi dicas Filium eſſe extra Patrem, & Patrem extra Filium, quocunque modo ac reſpectu illud voles inteptetari: ſic labefactabitur unitas perſonæ ſi dicere velis λόγον eſſe extra carnem & carnem extra λόγον quocunque modo ac reſpectu illud interptetari volueris. Hæc ergo περιχώρησις requirit præſentiam non modò *generalem, gratioſam, glorioſam*, quæ aſſumtæ carni cum aliis creaturis eſt communis, ſed *ſingularem, intimam & arctiſſimam*, ut una Natura non poſſit eſſe extra alteram ſibi unitam, alias foret non περιχώρησις ſed ἀπεχώρησις, quia περιχώρησις requirit præſentiam non partialem ſed totalem, ut totus λόγος toti carni, tota caro toti λόγῳ ſit præſens; non temporariam & ſolubilem, ſed perpetuam & indiſſolubilem. Juſt. in ἐκθ. πιςʹ. p. 305. *In proprio templo inſeparabiliter ἀχωρίστον Verbum eſſe affirmantes ac veluti plenitudinem Deitatis inhabitare ſibi fatentes omnibus quoque ipſum adeſſe dicimus, ſed conſimiliter.* 6. Quia λόγου ὑπόστασις facta eſt carnis ὑπόστασις, ideò unum in Chriſto ὑφιστάμενον, *perſona una*. Duæ quidem in Chriſto ſunt & manent Naturæ, ſed una eſt perſona, quia duæ illæ Naturæ ad unum ὑφιστάμενον conſtituendum uniuntur per ὑπόστασιν utrique communis unitatem, unde *unus Dominus* 1. Corinth. 8. verſ. 6. Epheſ. 4. verſ. 6. *unus homo* 1. Timoth. 2. verſ. 5. *unus vir* 2. Corinth. 11. verſ. 2. *unus Chriſtus* 2. Corinth. 5. verſ. 14. vocatur. Pulcrè Leontius Hieroſolymitanus in Diſputat. adverſ. eos, qui unam Naturam compoſitam dicebant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fol. 24. ea Juſtin. expoſit. rect. fid. p. 302. *Vnus Sol, Naturæ autem duæ, altera quidem lucis, altera vero corporis ſolaris: ita etiam hic unus quidem Filius, Dominus Chriſtus, unigenitus, at duæ Naturæ altera quidem ſupra nos, altera vero noſtra* ἡ μὲν ὑπὲρ ἡμᾶς, ἡ δὲ ἡμετέρα. Athanaſ. Dial. 5. de ſanct. Trinit. χριστὸς ἓν πρόσωπον συνθετὸν ἐκ θεοῦ καὶ ἀνθρωπότητος. Nazianzen. ad Cledon. p. 312. ἄλλο μὲν καὶ ἄλλο τὰ ἐξ ὧν ὁ σωτὴρ, οὐκ ἄλλος καὶ ἄλλος, μὴ γένοιτο. Vincent. Lyrin. lib. 4. adverſ. prof. vocum novit. *In Deo una ſubſtantia, ſed tres perſonæ, in Chriſto duæ ſubſtantiæ, ſed una perſona. In Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud, in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius. Alia eſt ſubſtantia divinitatis, alia humanitatis, ſed tamen Deitas & humanitas non alter & alter, ſed unus idemq; Chriſtus, unus idemq; DEI Filius, ſicut in homine aliud caro, aliud anima, ſed anima & caro unus idemq; homo.* In Chalced. Synodo exclamarunt Patres, quorum numerus fuit 630. *Anathema dividenti & confundenti*, dividenti ſcil. perſonam & confundenti Naturas, *quia Naturæ ſunt inconfusè unitæ, ut inſeparabiliter diſtinguantur.* Galat. lib. 3. de arcan. cap. 2. *Eſt unio inconfuſa propter Naturarum dualitatem & diſtinctio indivulſa propter perſonæ unitatem. Sicut tres divinæ hypoſtaſes ſunt unus Deus, ſic tria hæc, divinitas, anima & corpus conſtituunt unum Chriſtum* Galat. d. l. 7. Quia λόγου ὑπόστασις facta eſt carnis ὑπόστασις, ideò caro per unionem modum ſubſiſtendi illocalem eſt ſortita. Natura humana ſubſiſtit ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, aut localiter aut illocaliter: Non prius, quia aliàs unio foret localis. Ergo poſterius & per conſeq. accepit hinc illocalem ſupernaturalem & ſublimiſſimum in ipſo τῷ λόγῳ præſentiæ modum, qui eſt perſonalis, unde nullibi & nuſpiam eſt ὁ λόγος, ubi non præſentiſſimam ſibi habeat ſuam carnem, quippe perſonaliter ſibi unitam. Quamvis ergo ἐνσάρκωσις in ſolo Mariæ matris virginis utero ſit facta extra uterum matris, ac corpus Chriſti tempore conceptionis & geſtationis juxta ſitum naturalem & propinquitatem localem non fuerit, tamen cum terminus aſſumtionis & unionis non ſit locus aliquis, ſed ipſa ὑπόστασις τοῦ λόγου, quia eſt illocalis & altiſſimè omnia locorum διαστήματα tranſcendit, ideò in hac unione & per hanc unionem caro Chriſti modum ſubſiſtendi illocalem eſt ſortita. Neque enim humana Natura quatenus unita in loco habet ſuam ὕπαρξιν, ſed in λόγῳ, neque reſpectu hujus vel illius loci λόγος carnem ſibi habet præſentem, ſed in ipſa ſua ὑποστάσει in quam eſt evecta, aliàs unio foret localis & mutabilis. Sortita eſt εἶναι ſuum hypoſtaticum ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, ergo etiam peculiarem ſubſiſtendi modum ac perſonalem actum. Et quia λόγου ὑπόστασις eo modo facta eſt carnis ὑπόστασις, ut non deſierit eſſe quod erat videlicet humana Natura, inde jam oritur diſtinctio inter *actum naturalem & perſonalem*, quædam enim de Chriſto homine prædicantur ſecundùm actum naturalem, quæ ſcilicet ex principiis Naturæ humanæ conſtitutivis oriuntur, & quæ cum omnibus hominibus habet communia; quædam ſecundùm actum perſonalem, quæ ſcilicet ratione unionis perſonalis ipſi competunt, illa naturaliter ſecundùm eſſentiam, hæc perſonaliter ſecundùm exiſtentiam ipſi competunt. Falſum enim eſt, quod nonnulli diſputant, *perſonaliter non poſſe dici niſi de perſona.* At ſubſiſtere in λόγῳ prædicatur de aſſumta carne *non eſſentialiter, non accidentaliter.* Ergo perſonaliter. 8. Quia λόγου ὑπόστασις eſt facta carnis ὑπόστασις, ideò λόγος cum propria ſua carne eſt ſecunda Trinitatis perſona, cùm enim aſſumta Natura non ſeorſim ſubſiſtat, nec peculiarem conſtituat perſonam, ſed in unitatem perſonæ τοῦ λόγου ſit evecta, qui in utraque Natura divina & humana ſubſiſtens eſt ſecunda Trinitatis perſona, ideò piiſſimè creditur & rectiſſimè dicitur aſſumtam Naturã perſonaliter ad Trinitatem pertinere, quia perſonaliter pertinet ad λόγον, qui eſt ſecunda perſona Trinitatis, ac ut perſonaliter non eſt extra λόγου hypoſtaſin, ita quoque perſonaliter non eſt extra Trinitatem. Ambroſius de reſurrect. *Non eſt deſpicienda carnis humanæ Natura, quæ in ſanctæ Trinitatis conſortium per Dominum Chriſtum ingredi meruit, putà perſonaliter.* Auguſt. de bono perſev. cap. 24. *Qui ſuſcepit & quod ſuſcepit, eſt una in Trinitate perſona.* Confer D. Chemnic. de duabus Natur. cap. 27. Sanè Beza volum. 2. fol. 275. diſputat, *Natu-*

ram aſſumtam manere in unione extra Trinitatem, ac noſtris Eccleſiis Svencfeldianiſmum objicit. Sed Reſp. non eſſentialiter ſed perſonaliter facta eſt Trinitati interna. Qui carnem aſſumtam ſecludit à conſortio Trinitatis, eandem ſecludit à conſortio verbi.

Antitheſis. 122. *Antitheſis.* Duo cavenda hîc ſunt errorum præcipitia. Eutychiana Naturarum confuſio & Neſtoriana perſonæ divulſio. Ad prius declinarunt Timotheani, qui docebant *unionem factam eſſe converſione Deitatis in humanitatem*, & quotquot Eutychem ſecuti ſunt. Ad poſterius declinavit Samoſatenus, qui docuit, *Verbum divinum habitaſſe in homine ſicut in quovis alio Propheta*, & quotquot Neſtorium ſunt ſecuti. Vide libr. Schrôderi de Eutych. & Neſtorianiſmo, diſputationes D. Rungii de Eutych. & Neſtorianiſmo &c. Sed prætermiſſis veterum erroribus, noſtri temporis ἑτεροδιδασκαλίας circa hoc doctrinæ caput enumerabimus.

1. Pontificiorum. 1. *Pontificy* circa unionis formale à veritatis tramite abeunt, 1. dum communicationem ὑποςάσεως excluſivè accipiunt, ut opponatur communicationi Naturarum & idiomatum. Bellarmin. libr. 3. de Chriſto cap. 8. §. his igitur. *Vnio hypoſtatica conſiſtit in communicatione ſubſiſtentiæ Verbi non in communicatione attributorum Deitatis.* Et poſteà §. tertiò. *Vnio facta eſt per communicationem ejus, quod eſt proprium Filÿ, non ejus quod eſt commune aliis perſonis, ſed ſola ſubſiſtentia eſt Filÿ propria, attributa autem omnia eſſentialia communia ſunt omnibus tribus perſonis. Ergo unio hypoſtatica facta eſt per communicationem ſolius ſubſiſtentiæ.* Similia occurrunt apud Buſæum contra Gerlachium cap. 4. theſ. 35. ubi vocat *unionem ſubſiſtentialem, non quod ex duabus Naturis una fiat ſubſiſtentia, ſed quia hæc unio nihil aliud quàm ſubſiſtentiam tribuat humanitati unita.* Contrà. 1. in Chriſto dicitur *habitare tota plenitudo Deitatis* Coloſſ. 2. verſ. 9. ac dicuntur in ipſo *reconditi omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ*, v. 3. ergò non ſolius ſubſiſtĕtiæ ſeclusâ Naturâ & attributis divinis cõmunicatio facta. 2. proprius & immediatus effectus non debet opponi ſuæ cauſæ. Atqui communicatio idiomatum ad communicationem hypoſtaſeos habet ſe ut proprius & immediatus effectus ad ſuam cauſam, ut poſtea oſtendemus. 3. hypoſtaſis λόγου non eſt aliquid realiter diverſum à Naturâ divina τοῦ λόγου & eſſentialibus ejusdem proprietatibus. 4. Si λόγου ὑπόστασις eſt carni communicata & non attributa divina, conſequens eſt hypoſtaſin λόγου & ejus attributa eſſe oppoſita, quia oppoſita non ſunt in uno. 5. Argumento Bellarmini ſatisfieri poteſt per diſtinctionem ſuperius traditam inter Naturam divinam conſideratam abſolutè ſive communiter & relatè ſive determinatè cum τρόπῳ ὑπάρξεως. 2. dum unionem per nudam ſuſtentationem definiunt. Bellarminus libr. 3. de incarn. cap. 8. ſub finem, ac libr. ejusdem cap. 17. in fine ſcribit: *Licet alicubi ſit Verbum, ubi non ſit humanitas, tamen etiam ibi Verbum eſt homo, quia Verbum ibi exiſtens ſuſtentat humanitatem uti ſuam & propriam licet alibi exiſtentem.* Pro formali ergo unionis proponunt Naturæ humanæ in Filio Dei ſuſtentationem. Quem Thomiſticum errorem jam olim refellit Lutherus tom. 2. Witebergen. fol. 228. in majore Confeſſ. & in libr. de Conciliis. 3. dum talibus ſimilitudinibus unionis perſonalis myſterium declarant, quæ illud penitus evacuant. Salmeron tom. 16. Diſput. 2. in 1. Johan. p. 155. unionem hypoſtaticam. 7. modis concipi poſſe docet 1. *eſt ut attractum in attrahente quemadmodum ferrum in magnete intermedio ejus Spiritu.* 2. *ut ſubjicitur in ſubjecto, quemadmodum ſenſitivum in intellectivo ac ut trigonum in tetragono.* 3. *ut maxima polygonia in circulo, quia maximè rapitur ad alteram ſpeciem, nec per ſe.* 4. *ut unitum in uniente.* 5. *ut duæ arbores in circulo inſertæ.* 6. *ut fluvius in mari ad quod ducitur, & quod ipſum capit.* 7. *ut vox in verbo & vox in charta, Phyſica in Ariſtotele, artifex in imagine, & ut Filius Patris Galli matris Hiſpanæ.* Bellarminus libr. 3. de Chriſto cap. 8. ſcripſerat, *carnem exiſtere in Verbo ut brachium in corpore*, ſed in poſterioribus editionibus expunxit. Ibidem confert has propoſitiones: *Deus eſt mortuus & Philoſ. eſt mortuus* & comparat hoc myſterium *arbori cui inſeritur ramus alterius ſpeciei.* Quamvis verò rectè moneat, utramque ſimilitudinem deficere, tamen cùm in ἀποδόσει poſterioris ſimilitudinis ſcribat: *quod ſicut arbor poſt inſitionem ſuſtentat ramum illum, qui alioqui per ſe exiſteret: ita prorſus Verbum divinum inſtar magnæ arboris ſuſceperit ramuſculum humanæ Naturæ mirabiliter ſibi inſertum*, præſertim cùm proprium & immediatum unionis effectum, communicationem ſcilicet idiomatum præfractè neget, ideò Neſtorianæ σχετικῆς ἑνώσεως dicam illi propter has ſimilitudines meritò ſcribimus. Utraque enim ſimilitudo multis modis deficit. Prior propterea 1. quia Philoſophia & mors ſunt duo accidentia, quorum neutrum ad ſubſiſtentias hominis pertinet. 2. In ſubjecto propoſitionis, Philoſophus eſt mortuus, non ponitur nomen ſuppoſiti. 3. nec Philoſophia unitur perſonaliter cum Natura, quæ moritur. Poſterior propterea 1. quia ramus arbori inſertus non eſt perfecta arbor, ſed tantùm pars arboris. 2. ramus antequã insereretur, habebat propriam ſubſiſtentiam, quorum neutrum de Natura aſſumta dici poteſt. 3. ramus fit unum cum arbore, cui inſeritur per σύμφυσιν & agglutinationem naturalem non per ἕνωσιν ὑποστατικήν. 4. non explicat hæc ſimilitudo actum perſonalem Naturæ humanæ, ſed duntaxat effectus aliquis unionis: Hujus loci eſt quod Bellar. lib. ejusd. c. 4. propoſitionẽ illam, verbum caro factũ eſt, explicat per illas propoſitiones, *Aaron à Deo factus eſt Pontifex, David factus eſt Rex.* cap. 15. λόγον aſſumentem Naturam human. confert cum Rege, qui induit purpuram. cap. 17. unionem duarum in Chriſto Naturarum confert cum globi Solaris & ipſius orbis unione. Quæ omnia ſi probè obſerventur, facilè apparebit, veriſſimè à B. Luthero noſtro eſſe pronunciatum libr. de Concil. tom. 7. Jenenſ. p. 251. *in Papatu multos eſſe Neſtorianos.* Vide Diſput. 2. de gloria Dei §. 11. Longè verò rectius & modeſtius ſcribit Alenſis part. 3. quæſt. 2. membr. 3. *Cujusmodi ſit hæc communicatio, quâ Natura humana communicatur Verbo, non eſt hominis definire*; ac Biel 1. ſent. diſt. 30. quæſt. 4. *Vnio Naturæ humanæ ad Verbum non ſolùm ineffabilis eſt, ſed etiam pro ſtatu iſto intellectu incomprehenſibilis.*

123. 2. *Calviniani.* 1. unionem per adjunctionem definiunt. Danæus in exam. cont. Chemnit. p. 84. *In illa unione Natura tantùm ad perſonam jam exiſtentem & per ſe plenè ſubſiſtentem fuit* *2. Calvinianorum.*

adjun-

adjunctũ. Polanus in Logicis & Goclenius in problem. Log. quæſt. 40. *Caro eſt λόγυ adjunctum.* Martin. in exam. Spic. contra D. Mentz. p.49. aſſerit, *eſſe anionem accidentalem.* (Contrà urgeantur fuodamenta ſuperiùs propoſita.) Proferunt autem pro aſtruenda hac opinione ejuſmodi argumentum: *Quicqaid ſupervenit Enti in actu exiſtenti, eſt ejus accidens. Caro ſupervenit λόγῳ Enti in actu exiſtenti. Ergo eſt ejas accidens.* Prætermiſſis aliis reſponſionis membris hic ad Majorem reſpondemus per inſtantism. Anima divinitùs homini inſpirata ſupervenit Enti in actu exiſtenti Geneſ. 2. verſ. 7. nec tsmen ejus accidens vel sdjunctum dici poteſt. Limitanda igitur major. Quiequid eo modo ſupervenit Eoti in actu exiſtenti, ut oon conſtituat cum eo unum byphiſtamenon, eſt ejus accidens. 2. detininnt per nudam ſuſtentstionem & geſtationem carnis in λόγυ ὑποστάσει. Beza in Coll. Mompelg. p. 245. *Nos dicimus qaod humanitas λόγῳ tantùm ſuſtentationem accipiat.* Martyr. in Dial. fol. 10. Pſeudoſtereoma litera h h h 1. *In Chriſto ſic anita ſant dua Natura, ut ſit unum hypiſtamenon, hoc eſt, ut geſtetur humana Natura λόγῳ, ſicut ſint inſeparabiles Natura in tota æternitate, & ut humana Natara redigeretur ia nihilum, niſi ſic ſuſtentaretar &c.* (Contrà 1. geſtatio & ſuſtentstio eſt opus tantùm ad extrs. Sed unio ratione termini eſt opus ad intra. 2. geſtatio eſt actus duntaxat ſecundus, at perſonalis unionis formale definiendum per sctum primum. 3. geſtatio eſt communis aſſumtæ csrni cum reliquis creaturis, Actor. 17. verſ. 28. Hebræor. 1. verſ. 3. oõ ergo exprimit myſterii hujus ſublimitatem. 4. per nudam geſtationem non efficeretur ὑπό στασις εὐνθετ℗. 5. geſtatio eſt actio communis toti Trinitati, unio autem hypoſtatics facta eſt in ſola perſons Filii Dei, in qua ipſius humsna Natura ſubſiſtit, non in perſons Pstris aut Spiritus ſancti. Confer loc. de perſ. Chriſti §. 34. Diſput. 7. de gloria Dei.) 3. Chriſtum dicunt eſſe *totum integrale σύνολον ex duabus Naturis tanqaam partibus integrantibus conſtitutum, ſicat pedes & homo unam integrale conſtituunt.* Keckerman. io Syſtem. Logic. p. 197. 198. (Contrà 1. nullum totum συνόλυ eſt in parte ſua integrsli, homo enim non eſt in pedibus, ſed λόγ℗ dicitur in carne manifeſtstus. Ergo λόγ℗ & homo non conſtituunt totum integrale. 2. oullus pes, nullus ventriculus poteſt dici factus homo. At filius Dei factus eſt bomo, & homo factus eſt Dei Filius. Ergo homo aſſumtus & λόγ℗ non conſtituunt totum iotegrale. 3. totus homo non eſt totaliter in pedibus. At totus λόγος eſt in tota carne aſſumta & tota caro eſt in toto λόγῳ. Damaſcenus libr. 3. cap. 6. ὅλον ὅλος ἀνέλαβε μεν καὶ ὅλῳ ὅλος ἡνώθη.) 4. duas Naturas ſtatuunt unum οὐσιῶδες ſive *eſſentiale.* Keckerman. ibid. (contrà urgeantur fundamenta ſuperiùs propoſita, quibus demonſtravimus unionem illam non eſſe οὐσιώδη ſive eſſentislem.) 5. oegant unionem eſſe factam ad conſtituendum unum ὑφιστάμενον. Danæus contra Chemnit. p. 83. Contrarium demonſtravimus Diſputat. d. §. 11. 6. negant hypoſtaſeos communicationem. Grsbius contra Huon. de perſona Chriſti p. 49. Alſted. in Theolog. polem. psg. 155. *Hypoſtaſis λόγυ accuratè loquendo non eſt communicata carni, hoc eſt, eſſaſa in ipſam, ſed per hac ἐνωσιν, hoc eſt, per appropriationem in illa ſabſiſtit, ſicut ſurculus in arbore ſabſiſtit.* ** Weodelinus libr. 1. Chriſt. Theolog. cap. 16. p. 259. *Quia aſſamtio hamana Natura ad ὑπόστασιν τῦ λόγυ coaſiſtere poteſt abſq; communicatione hypoſtaſeos, ſafficit ſuſtentatio humana Natura hypoſtatica ſeu perſonalis, per quā ὑπόστασις τῦ λόγυ verè ſit homo:* p. 260. 261. ** Utuntur verò contra hypoſtaſeos communicstionem tali argumento. *Sabſiſtentia non differt realiter ab eſſentia. Si ergo infinita λόγυ ſubſiſtentia carni commaaicata; utiquè etiam ratione eſſentia erit infinita.* Reſpuod. valet hoc de ſubſiſtentis perſonali propris, non de ſubſiſtentia perſonali sb alio communicats. Subſiſtentia perſonslis, quâ caro in λόγῳ ſubſiſtit, non eſt ipſi propria; ſed duntaxst communicata, ideoque realiter differt ab eſſenria csrnis. Vide Diſp. d, §. 13. ** Ipſe Polsnus libr. 6. Syntagm. csp. 16. ὑποστάσεως communicationē *aliqaot argamentis probat & objectiones hareticoram ſolvit.* Damaſc. lib. 3. de orth. fid. cap. 2. αὐτὸς ὁ λόγος γινόμενος τῇ σαρκὶ ὑπόστασις. *Quod per ſe & naturaliter habet propriam hypoſtaſin, illud eſt perſona. Quod communicatam ab alio habet hypoſtaſin, id qaidem non perſona, ſed tamen ἐνυπόστατον & perſonatum eſt.*** 7. negaut *hamanam Naturam aſſumtam εἰς θεότητα ac perſonam non Naturam τῦ λόγυ dicant incarnatam.* Cootrarium oſtendimus ſuperiùs. 8. aſſerunt totum λόγον ita eſſe in carne, ut ſit etiam totus extrs carnem. Circs quam aſſertionem in duas abeunt claſſes. Quidam & Nsturam & hypoſtsſin λόγυ ita dicunt eſſe in carne, ut tsmen ſit etiam extra carnem. Zsnch. 2. de Nat. Dei cap. 6. pag. 157. *Divina Natura tota eſt in humana & tota etiam extra humanam Naturam.* Herbornenſis in Spicil. p. 78. *Tota hypoſtaſis λόγυ eſt alibi ubi caro non exiſtit.* Franc. Junius defenſ. 1. Cathol. doctrioa de Trinit. cootra Samoſat. fol. 20. *Eſt ὑπόστασις Fily in corpore ſibi adunato nimiram tota totaliter ut Spiritus, eſt etiam extra corpus ſibi adunatam nimirum totaliter aqaè atq; ta corpore ut infinitus eſt, alioqam proprietatem ſpiritaalem tolleret infinitas qaod nemo hominum, nedum Philoſophus, ſi ſapit, ſentiet.* Quidam eõcedūt, *hypoſtaſin λόγυ non eſſe extra ſaā carnem, interim Naturam divinam τῦ λόγυ dicunt eſſe extra ſuam carnem propter infinitatem.* Soho. in exeg. Auguſt. Confeſſ. tom. 2. psg. 207. *ὁ λόγ℗ non eſt extra humanam Nataram, neque humana Natura eſt extra λόγον, qnia una hypoſtaſis eſt τῦ λόγυ aſſumentis & humana Natura aſſumta, ſed divina Natura τῦ λόγυ propter infinitatem eſt extra ſuam carnem. Sin de aerisque, hoc eſt, λόγυ aſſamentis & Natura aſſamta eſſentia & Natura quaritar, tum λόγ℗ idem & totus eſt intra & extra corpus ſuum. Nam divina eſſentia Fily eſt ſimpliciſſima & infinita.*** Wendelinus libr. 1. Chriſt. Theol. csp. 16. p. 258. *Divina Chriſti Natura intra aſſamtam carnem non ita eſt, ut ſimul extra eam non ſit.*** Wetzelius Diſput. 9. theſ. 12. ad quæſtionem, *an poſt factam unionem λόγος ſit extra ſaam carnem, reſpondet, ut duplex eſt præſentia, una humanitatis ad λόγον & τῦ λόγυ ad carnē, altera Chriſti ad creaturas, ita etiam duplex extra. Non eſt extra carnem præſentiâ primâ, eſt verò extra carnem alterâ & hac non tollit unionem.* Rectè quidem ſtatuit in mutuâ Naturarum unione & ἀδιαχωρήτει perſonali rejiciendum eſſe ... Nekotiin oũ illud *extra*, ſed de præſentia Chriſti θεανθρώπου

apud creaturas minus rectè ſentit. Si enim unioni perſonali per ſe illud τὸ extra repugnat, non poteſt id mutari ullo ad creaturas reſpectu, quia nulla creatura poteſt unionem perſonalem divellere, nec poteſt ulla creatura λόγῳ eſſe propior vel vicinior ſuâ carne. Opponimus autem Neſtoriano illi *extra* 1. *definitionem unionis hypoſtaticæ* ab Apoſtolo traditam, *quod tota plenitudo Deitatis habitet in aſſumta carne.* At ſi λόγος totus ita eſt in carne, ut etiam totus ſit extra carnem, non amplius dici poterit, quod tota plenitudo Deitatis habitet in carne: 2. *denominationem λόγου extra carnem.* Quod eſt extra carnem ἄσαρκον eſt non ἔνσαρκον. Ergo ὁ λόγος quatenus poſt factam incarnationem fingitur eſſe extra carnē, non erit ἔνσαρκος, ſed ἄσαρκος, non erit perſona σύνθετος, ſed ſimplex. Ergo nec homo. 3. *comparationem cum animato corpore.* Sicut durante unione corporis & animæ in homine anima non eſt extra ſuū corpus, nec corpus extra ſuam animam ſed σῶμα ἐστὶ ἔμψυχον, καὶ ψυχὴ ἐστὶ ἐνσώματος, ſic durante unione divinæ & humanæ Naturæ in Christo λόγος non eſt extra carnem, nec caro extra λόγον. Cyrillus Epiſt. 10. *Verbum caro factum non ſicut in ſanctis habitat, ſed talem ſibi efficit inhabitationem qualem & hominis anima cum proprio creditur habere corpore.* 4. *abſurdi conſecutionem.* Si λόγος eſſet extra carnem, totus eſſet extra carnem, quia eſt ἀμέριστος. At ſi totus eſſet extra carnem, ſolveretur unio, quia πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ἐνοικεῖ. Si ὑπόστασις λόγου non eſt extra carnem propter unionem perſonalem, Natura autem divina τοῦ λόγου eſt extra carnem propter infinitatem, ſequetur inter perſonam Filii DEI & humanitatem eſſe unionem perſonalem, inter Naturam autem divinam τοῦ λόγου & humanam nullam eſſe unionem. Si λόγος aliquibus in locis eſt extra ſuam carnem, habebimus duplicem λόγον ἔνσαρκον καὶ ἄσαρκον incarnatum & extra carnem. Si propter eſſentiæ divinæ infinitatem λόγου Natura dicenda eſt extra carnem, idem de perſona affirmandum erit, cùm & ipſa infinita ſit. Vel ſi hypoſtaſis λόγου non obſtante ejus infinitate rectè negatur eſſe extra carnem, conſequens erit etiam divinam Naturam τοῦ λόγου non eſſe extra carnem, vel eam eſſe finitam erit dicendum. Keckerman. Syſtem. Theol. p. 81. huic argumento reſponſionem quærens eò abſurditatis prolabitur, ut neget *perſonam eſſe infinitam.* 5. *Paritatis rationem.* Ut poſt factam incarnationem λόγος non eſt extra ſuam Deitatem, ita etiam non eſt extra aſſumtam humanitatem. Ratio eſt, quia non unius tantùm Naturæ, ſed utriusque eſt hypoſtaſis ac Deitas & humanitas perſonaliter unitæ in ea ſubſiſtunt ἀδιαστάτως καὶ ἀδιασπάστως. Confer loc. de perſona Chriſti §. 43. & ſeqq. Diſputat. 7. de gloria Dei §. 14. 9. talibus ſimilitudinibus unionem declarant, quæ myſterium ejus penitus evacuant, utpote *de Planeta affixo ſuo orbi, de gemma incluſa annulo, de clavo affixo rotæ, de Antuerpia adjacente mari, de linea tangente circulum in uno puncto, de capite & pedibus unitis, de arboris trunco & radice, de calamo ſcriptorio & ſcriptore,* quales ſimilitudines complures ex Calvinianis collegit Fridet. Petri in ſuo Neſtorianiſmo p. 166. Contrà. Quæcunq; unio non eſt totius cum toto ea inepta eſt ad unionem perſonalem adumbrandam, quippe quà totus λόγος totam humanitatem aſſumtam ſibi univit. At in adductis exemplis non eſt unio totius cum toto ſed totius cum parte, ac proinde unio partialis & accidentalis, non perſonalis καθ' ὑπόστασιν. Confer loc. de perſona Chriſti §. 53. Diſputat. d. §. 18. Muſculus in comm Col. 2. utitur ſimilitudine de Dæmonio & Dæmoniaco. *Conſimili ſenſu* (inquit) *adverbio hoc corporaliter utimur, cum dicimus Diabolus eſt corporaliter in hoc homine, ſignificare volentes eſſe eum de quo ſic loquimur prorſus Diabolicum, cùm tamen Diabolus ſpecie ſit incorporeus. Sic Apoſtolus de Chriſto prædicat, habitare in eo plenitudo Deitatis corporaliter, hoc eſt, eſſe eum non hominem tantùm, ſed ipſiſſimum Deum omnem Deitatis plenitudinem in ſe habentem.* Sed hæc ſimilitudo parum diſtat à blaſphemiâ, quamvis nobis ignotum non ſit Athanaſium tom. 2. p. 363. unionem duarum Naturarum in Chriſto conferre cum unione ſerpentis & Dæmonis Geneſ. 3. verſ. 1. 10. negant ex unione Naturarum & idiomatum communicationem ſequi, ut apparebit inferius, tollunt ergo proprium unionis conſequens. Neſtorius unitatem perſonæ à ſe tolli conſtanter negavit, ut patet ex tom. 2. Conc. pag. 664. Auguſtin. Epiſt. 95. & 96. ſed à Patribus Epheſinis nihilominus fuit damnatus, quia negavit communicationem Naturarum & proprietatum. Reſpexerunt ergo Patres, non tàm verba Neſtorii quàm id quod neceſſariâ conſequentiâ ex ejus dogmate colligitur. 11. negant humanam Chriſti Nat. in ipſa ὑποστάσει τοῦ λόγου ſupra & extra omnem locum eſſe evectam, ac ſtatuunt eam nullum prorſus alium per unionem & in ipſa λόγου ὑποστάσει exiſtentiæ modum habere præter localem & naturalem, quem quis homo alius in ſua perſonalitate obtinet. Sadeel in volum. oper. Theolog. p. 148. ſtatuit, *humanam Naturam non ſubſiſtere ἐν αὐτῷ λόγῳ, quia ſubſiſtat tantum in loco localiter.* Idem repetit Pezel. contra Hunn. p. 279. Refutationem oppoſitam vide d. Diſput. §. 15. 16. & 17. 12. quidam ex ipſis negant *Chriſtum eſſe Filium Deum ſecundùm humanitatem perſonaliter ſive per unionem perſonalem.* Piſc. in notis ad collat. Vorſt. p. 191. Paræus in Iren. cap. 28 art. 11. Vide d. Diſp. §. 22.

124. 3 *Vorſtius* inter Calvinianos & Photinianos eſt ἐπαμφοτερίζων, ideò etiam loco intermedio eum collocabimus. Is in exeg. Apologet. cap. 17. p. 88. putat, *nullum eſſe errorem, ſi quis divinam τοῦ λόγου ὑπόστασιν per arcanum aliquem influxum aſſumtæ humanitati communicatam eſſe exiſtimet.* Contra 1. talis influxus eſt actus duntaxat ſecundus. 2. Nullam introducit Naturarum & idiomatum communicationem. 3. nec facit perſonam σύνθετον. 4. nec propter eum Deus poteſt dici homo factus, vel homo factus Deus, quia Deus etiam ſanctis per arcanum influxum ſe communicat, qui tamen non ſunt Deus. *3. Vorſtii.*

125. 4. *Photiniani* unionem duarum in Chriſto Naturarum blaſphemè irrident, unde horribili audaciâ dicta Scripturæ, quæ de unionis myſterio loquuntur, in alienum ſenſum detorquent. 1. Dicti Evangelici Iohan. 1. verſ. 14. *Verbum caro factum eſt*, talem proferunt detorſionem: *Verbum illud erat caro, hoc eſt, is, per quem DEVS voluntatem ſuam nobis patefecit, qui propterea Verbum dicitur, fuit homo omnibus miſeriis ac doloribus* *4. Photinianorum.* *Iohan. 1. v. 14. Verbū caro factum.*

Digitized by Google

bus obnoxius, quia carnis nomine fragilitas humana exprimitur Geneſ. 6. v. 3. 1 Petr. 1. verſ. 24. Socinus contra Bellarmin. & Wick. cap. 5. p. 328. Franc. Dav. in Colloq. Tranſylv. act. diei 9. litera g. Catech. Racov. p. 107. Schmaltz. contra Diſp. 3. Frantz. p. 64. Reſpond. 1. non negamus verbum ἐγένετο poſſe quandoque verti per *fuit & extitit*, ut tamen præſupponat fieri Iohan. 1. verſ. 6. Luc. 24. verſ. 19. ſed ex eo non poteſt inferri etiam hoc loco eo ſenſu eſſe accipiendum, quia in aliis Scripturæ locis ſignificat fieri Iohan. 1. verſ. 3. cap. 2. verſ. 9. &c. 2. Probare igitur debebant adverſarii etiam hoc loco ſic *debere* reddi, quod facere non poſſunt, nos autem contrarium ex aliis Scripturæ locis huic ipſi parallelis demonſtramus. Sic Galat. 4. verſ. 4. Filius Dei dicitur γενόμενος ἐκ γυναικός *factus ſive natus ex muliere*, non principium eſſendi ab ea & in ea ſimpliciter accipiendo, quia ſecundùm divin. Nat. ante Mariam ab æterno extitit, ſed humanam Naturam in ea aſſumendo, quæ cùm in ipſam λόγου ὑπόστασιν ſit aſſumta, ideò Filius Dei verè ex Maria natus dicitur Rom. 1. v. 3. Filius Dei eſt γενόμενος ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα. 3. non negamus *carnem* in ſacris literis quandoque ſignificare fragilitatem & infirmitatem, ſed ſemper eo ſenſu accipiendam negamus, quandoque enim ſignificat Naturam humanam συνεκδοχικῶς ut ſuperius p. 1202. oſtendimus. 4. Concedimus etiam hoc loco conſequenter & ἑπομένως fragilitatem humanam includi, quòd ſcilicet Dei Filius non ſolùm Naturam humanam, ſed etiam infirmitates noſtras abſque tamen peccato ſuſceperit, (quamvis Photiniani incommodè huc referant locum Geneſ. 6. verſ. 3. cùm ibi non *de fragilitate*, ſed *perverſitate humana* agatur) ſed negamus ἀμέσως & πρώτως, nedum unicè ac ſolitariè de illa fragilitate Iohannem hoc loco agere. 5. addit enim Evangeliſta, quod λόγος ita ſit factus caro, *ut habitaverit inter homines, qui viderint ejus gloriam*, non vulgarem, ſed *tanquam unigeniti a Patre*, quâ voce æternus Dei Filius notatur. Manifeſtavit autem gloriam ſuam ante profundam illam humiliationem uſque ad mortem crucis Philip. 2. verſ. 9. 6. In ſubjecto hujus propoſitionis repetendæ ſunt præcedentes partes deſcriptionis. Ille λόγος qui *erat in principio apud Deum*, qui eſt verus cum Patre Deus, *per quem omnia facta ſunt*, in temporis plenitudine σὰρξ ἐγένετο, hoc eſt, verus homo animâ & corpore conſtans. 7. Quam eſſe veram, propriam & genuinam hujus loci interpretationem, patet ex parallelis Scripturæ locis unionis myſterium deſcribentibus 1. Timoth. 3. verſ. 16. Hebræor. 2. verſ. 14. & 16. 8. Poſtquam Evangeliſta dixerat, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, non amplius in toto Evangelio Salvatorem noſtrum vocat λόγον, ſed vel Ieſum, vel Chriſtum, vel filium hominis, ut intelligatur, quod λόγου appellatione ipſum exprimere voluerit, quatenus etiam ante incarnationem fuit Verbum & non ſolum ea ratione, quod voluntatem Patris cœleſtis nobis in tempore manifeſtavit, ſed quia ab æterno eſt à Deo genitus, Vide loc. de Deo Patre & Filio §. 30.

Col. 2. v. 9. In Chriſto habitat tota plenitudo Deitatis.

126. 2. Dicti Apoſtolici Coloſſ. 2. verſ. 9. *In Chriſto habitat tota plenitudo Deitatis* σωματικῶς hanc proferunt interpretationem, quod *in doctr. Chriſti voluntas Dei plenè & integrè nobis ſit manifeſtata*. Schmaltz. contra Frantz. p. 67. Catech. Racov. p. 154. Oſtorod. in Diſput. contra Tradelium part. 2. cap. 11. p. 195. urgent connexionem textus, quia in antecedentibus agitur de doctrina Chriſti, quibus hoc dictum αἰτιολογικῶς ſubjungitur. Conferunt Epheſ. 4. verſ. 20. Hebræor. 13. verſ. 8. & 9. Reſpond. 1. connexio textus per noſtram interpretationem non labefactatur. Inde enim atque ideò Filius Dei conſilium & voluntatem Patris de noſtra ſalute nobis plenè manifeſtavit, quia eſt *in ſinu Patris* Joh. 1. verſ. 18. quia eſt verus Dei Filius, *qui ſolus novit Patrem* Matth. 11. verſ. 27. qui eſt verus Deus, in quo juxta Naturam humanam tota plenitudo Deitatis habitat. 2. omnis plenitudo Deitatis non eſt voluntas DEI revelata, quia hîc *ex parte cognoſcimus* 1. Corinth. 13. verſ. 9. ſed ſignificat perfectiſſimam Dei eſſentiam. Videt Eniedinus perquàm durum eſſe θεότητος plenitudinem de voluntatis divinæ patefactione accipere, ideò ſine ullo argumento fingit *incuriâ librorū ſcriptum fuiſſe* θεότητος pro θειότητος. 3. Doctrinis & traditionibus hominum opponitur non modò Chriſti doctrina, quam Chriſti nomine accipere itidem coactum eſt, ſed ipſe Chriſtus, quippe qui eſt caput noſtrum, fons omnis ſalutaris ſapientiæ ad vitam æternam neceſſariæ, ex quo omnes notitiæ divinæ rivuli in Eccleſiam derivantur. 4. notanter addit Apoſtolus, quòd in Chriſto habitet plenitudo Deitatis σωματικῶς, ut *vel habitaculum vel modus inhabitationis* exprimatur. Vide loc. de Deo Patre & Filio §. 75.

1. Tim. 3. v. 16. Deus manifeſtatus eſt in carne.

127. 3. Dicto 1. Timoth. 3. v. 16. *Deus manifeſtatus eſt in carne*, hunc induunt ſenſum: *Pater in Chriſto ſeſe manifeſtavit, quatenus Chriſtus Apoſtolis, qui fuerunt caro, ſe manifeſtavit.* Oſtorod. contra Tradel. part. 2. cap. 5. p. 109. Catech. Racov. p. 112. Schmaltz. contra Frantz. Diſputat. 3. de perſ. Chriſti p. 65. probant ex eo quod *in tranſlatione vulgata non habeatur nomen Deus.* Eniedin. in interp. loc. p. 367. Reſp. 1. Græci Codd. quos Photiniani nobiſcum agnoſcunt eſſe authenticos, conſtanter legunt ὁ θεὸς. 2. Subjectum propoſitionis hujus Johañes notãter exponit de Filio Dei 1. Epiſt. 3. v. 8. *In hoc ἐφανερώθη Dei Filius.* 3. φανέρωσις ἐν σαρκὶ non poteſt exponi *ratione objecti* de manifeſtatione facta hominibus mortalib. & variis calamitatibus obnoxiis, quia hac ratione Deus jam antè etiam in Vet. Teſt. ſe hominib. patefecerat Hebr. 1. v. 1. nec τῇ σαρκὶ ſed ἐν σαρκὶ φανέρωσις facta. 4. phraſis *eſſe in carne, venire in carne, manifeſtari in carne*, nuſpiam in Scripturis tribuitur Deo Patri ſed Filio, qui carnem in perſonæ ſuæ unitatem aſſumſit, de quo in aliis Scripturæ locis prædicatur, quod ſit *caro factus* Ioh. 1. verſ. 14. quod ſit *carnis & ſanguinis particeps factus* Hebr. 2. v. 14. quod *venerit in carne* 1. Ioh. 4. v. 2. quod *miſſus ſit in ſimilitudine carnis peccati* Rom. 8. v. 3. quod *paſſus ſit in carne* 1. Pet. 4. v. 1. quod *caro factꝰ manifeſtaverit ſuam gloriam* Ioh. 1. v. 14 cap. 2. v. 11. &c. 5. de tali manifeſtatione loquitur Apoſtolus, quæ eſt ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον, atqui eo modo, quem Photiniani proferunt, Deus jam ante ſuam voluntatem per Prophetas patefecerat. 6. de eodem, qui in carne manifeſtatus eſt, dicit Apoſtolus, quod *ſit juſtificatus in Spiritu*, id quod Rom. 1. verſ. 4. ſic exponit, *demonſtratus eſt Chriſtus Dei Filius in virtute juxta Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorū*. 7. de eodē, qui in carne manifeſtatꝰ eſt, dicitur ὤφθη ἀγγέλοις,

ubi non agitur de apparitione ſive manifeſtatione ἀκουστικῇ ſed ὁρατικῇ ſeu ὀπτικῇ quâ Dei Filius in carne manifeſtatus ab Angelis & hominibus conſpectus eſt. Photiniani pro Deo ſubſtituunt voluntatem Dei & exponunt hoc modo, *quod voluntas DEI de hominum ſalute primò innotuerit Angelis.* 8. de eodem dicit, quod *ſit prædicatus gentibus & creditus in mundo*, quod de Chriſto accipiendum eſſe patet ex 1. Corinth. 1. v. 23. 9. de eodem dicit, quod ἀνελήφθη ἐν δόξῃ, quâ phraſi actus Dominicæ aſcenſionis in Scripturis deſcribi ſolet Marc. 16. verſ. 19. Luc. 24. v. 51. Actor. 1. v. 11. (propria verbi ſignificatio eſt ſurſum recipi. Vide Harm. de reſurr. cap. ultim.) quam glorioſam fuiſſe, colligitur ex ſubſecuta ad dextram Dei ſeſſione. 10. quæ omnia permoverunt Franciſc. Davidis ut hunc locum de Chriſto intelligendum eſſe fateretur in Diſp. Albana act. 3. diei, unde aliam adhibet στρεβλότητα, quod *Chriſtus qui eſt Deus manifeſtatus in carne, ſit receptus in gloriam.* Sed hanc στρεβλότητα elidit ipſe textus, neque enim Apoſtolus dicit, *Chriſtus eſt Deus manifeſtatus in carne*, ſed nomen Dei ponit loco ſubjecti.

Heb. 2 v. 16. Nō Angelos ſed ſemen Abrahæ aſſumſit.

128. 4. Dicti Hebr. 2. verſ. 16. *Non Angelos, ſed ſemen Abrahæ aſſumit*, hanc proferunt paraphraſin: *Chriſtus non Angelos, ſed ſemen Abrahæ ſpirituale, hoc eſt, accedentes in gratiam recipit* Galat. 3. v. 29. rationem expoſitionis proferunt eam, quia non dicitur, *quod Filius Dei aſſumſerit, ſed aſſumat ſemen Abrahæ.* Franc. David. in Coll. Tranſylv. Catech. Racov. p. 107. Schmaltz. contra Frantz. Diſput. 3. p. 66. Reſpond. 1. urgemus vim verbi ἐπιλαμβάνεσθαι, quod nudè & abſolutè ſine ulla determinatione poſitum non ſignificat in gratiam recipere, ſed ſimpliciter *accipere, ſuſcipere, aſſumere* Luc. 1. verſ. 13. de receptione in gratiam ponitur verbum ἀντιλαμβάνεσθαι. 2. urgemus ſeriem contextus. Poſtquam v. 14. dixerat Apoſtolus, *Filium DEI eſſe participem factum carnis & ſanguinis.* verſ. 16. declarat, ex cujus poſteritate vel ex quo genere carnem acceperit, videlicet ex ſemine Abrahæ. 3. tribus emphaticis vocabulis myſteriū incarnationis exprimitur, dicitur n. Filius Dei κοινωνεῖν σαρκὸς καὶ αἵματος, ubi κοινωνεῖν non accipitur *tranſitivè*, inter multos communem facere, ſed *intranſitivè*, ſeu *correlativè*, quaſi in conſortium & ſocietatem accipere, ſicut pueri carni & ſanguini communicant (Socin. in defenſ. animadv. p. 19. exiſtimat, *agi potiùs de perpeſſionibus, afflictionibus & morte violenta, cui fideles Chriſti ſunt expoſiti, quàm ſimpliciter de humana Natura*, cùm præcedat, *decebat enim eum per paſſiones conſummare.* Sed verſ. 14. non reſpicit ad verſ. 10. remotiorem, ſed ad v. 9. propinquiorem: *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno ſunt omnes*, nec κοινωνίαν paſſionum, ſed Naturæ humanæ in Chriſto & credentibus Apoſtolus declarat. Adde quod *communicare carni & ſanguini* nuſpiam pro paſſionibus, afflictionibus & mortem Script. accipiatur) dicitur μετέχειν σαρκὸς καὶ αἵματος *particeps fieri carnis & ſanguinis* non *effectivè*, ſicut credentes fiunt participes Chriſti Hebræor. 3. verſ. 14. & Spir. ſanct. Hebræor. 6. verſic. 4. ſed *ſubſtantialiter*, ſicut pueri ad quorum ſubſtantiam pertinet caro & ſanguis. Dicitur ἐπιλαμβάνεσθαι ſemen Abrahæ, quod ſignificat *firmiſſimè apprehendere, retinere, non dimittere, non deponere*, quia quod λόγος ſemel aſſumſit, nunquam deponit. 4. Hæc omnia ſimul ſumta tale argumentum ſuppeditant. Qui eo modo dicitur ſemen Abrahæ aſſumere, ut per illam aſſumtionem fiat particeps carnis & ſanguinis, ſicut pueri communicant carni & ſanguini, ut fiat frater ſeminis, h. e. filiorum Abrahæ, & fratribus ſuis per omnia excepto ſolùm peccato ſimilis, is ita dicitur ſemen Abrahæ aſſumere, ut per illam aſſumtionem fiat verus homo. De Filio Dei Apoſtolus prius prædicat. Ergo. 5. Conferimus loca parallela, Geneſ. 22. v. 18. *in ſemine Abrahæ*, hoc eſt, in Meſſia ex Abrahæ ſemine naſcituro *benedicentur omnes gentes* Rom. 1. verſ. 3. *Filius DEI* γενόμενος *factus eſt*, ſive natus *ex ſemine Davidis ſecundùm carnem*, proinde etiam ex ſemine Abrahæ, quia eſt *filius Abrahæ & filius Davidis* Matth. 1. verſ. 1. Roman. 9. verſ. 5. *Chriſtus eſt ex Patribus* & ſic etiam ex Abrahamo *ſecundùm carnem* Hebræor. 7. v. 14. *Manifeſtum eſt, quod ex Iuda* Abrahami pro nepote, & ſic etiā ex Abrahamo *ortus eſt Dominus.* 6. Iuxta Photinianorum interpretationem etiam de Patre dici poſſet, quod particeps factus ſit carnis & ſanguinis, quod hominibus ſimilis fuerit factus abſque peccato, quod frater ſeminis Abrahæ factus, cùm & ipſe ſemen Abrahæ in gratiam receperit. 7. Quod verbum præſentis tēporis ἐπιλαμβάνεται ponitur, noſtræ non adverſatur interpretationi, cui enim ignotum, temporis enallagen in Scripturis eſſe frequentem? Poteſt etiam talis dari paraphraſis. Nuſpiam Angelus aſſumſit ſcil. in Scriptura, h. e. Scriptura nuſpiam teſtatur, filium Dei aſſumturum fuiſſe vel aſſumſiſſe Naturam Angelicam. Sic Melchiſedecus dicitur ἀγενεαλόγητος, ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ Hebr. 7. v. 3. quia ſcil. parentum & generis ipſius nulla fit in Scripturis mentio.

129. 5. Dicti 1. Iohan. 4. verſ. 2. *Ieſus Chriſtus venit in carne*, talem dant paraphraſin, *Chriſtus abſque mundano ſplendore adminiſtravit ſuum in terris officium & ejus infirmitas in cruce eſt conſpecta.* Catech. Racov. p. 115. Socin. in defenſ. animadv. p. 16. Reſpond. 1. Chriſtus venit in carne, quia λόγος caro factus, Deus in carne manifeſtatus eſt. 2. phraſis *venire in carne* nunquam & nuſpiam de nudo homine uſurpatur, qui naſcendo carnem accipit & carnem accipiendo naſcitur, quique ante ſuam nativitatem non habet realem ſubſiſtentiam, cùm ergo de Filio Dei incarnato phraſis illa peculiariter accipiatur, oſtendit eum fuiſſe ante ſuam incarnationem perſonam verè ſubſiſtentem. 3. de differentia phraſium *venire in carnem, & venire in carne*, in prælect. de Photinianiſmo fuit actum. 4. in carne venire eſt quidem idem quod cum carne venire, interim præſupponit τὸ venire in carnem, ut parallela Scripturæ loca oſtendunt. 5. Apoſtolus notam Antichriſti conſtituit τὸ negare Chriſtum veniſſe in carne. At quis hæreticorum unquam negavit Chriſtum abſque ſplendore humano, & in ſumma infirmitate officium ſuum adminiſtraſſe? hoc verò eſt quod complures negarunt, quodque Photiniani illorum aſſeclæ adhuc negant, Jeſum Chriſtum eſſe verum & æternum DEI Filium, qui humanā Naturâ in perſonæ ſuæ unitatem aſſumtâ in carne venerit. 6. Urget Socinus phraſes Apoſtolicas, *ambulare in carne, vivere in carne, permanere in carne*, quæ etiam aliis hominibus tribuuntur 2. Corinth. 10. verſ. 3. Galat. 2. verſ. 20. Philip. 1. verſ. 24. ſed confuſio eſt diſtinctarum phraſium,

1. Ioh. 4. v. 2. Ieſus Chriſtus venit in carne.

Aliud

Digitized by Google

Aliud enim omninò eſt venire in carne, aliud ambulare, vivere, permanere in carne. Illud nulli hominum competit niſi ſoli Chriſto, qui carnem aſſumſit, h.e. qui prius fuit perſona verè & realiter ſubſiſtens antequam homo naſceretur, hoc commune eſt hominibus, qui in ſua nativitate demum ſubſiſtere incipiunt.

Quæſtiones de unione formali.

130. Quæritur hoc loco 1. *Quid* ὑπόστασις *in hoc myſterio propriè ſignificet, & quomodo ab* οὐσίᾳ *diſtinguatur?* Reſpond. Hypoſtaſeos nomen tripliciter accipitur 1. *generaliſſime* pro ὑπάρξει, quâ ratione idem ſignificat quod exiſtentia. Hoc ſenſu quidam ex veteribus duas ὑποστάσεις, hoc eſt, *duas Naturas* in Chriſto agnoſcunt. 2. *ſtrictius ac ſpecialius* pro *ſuppoſito* ſive ὑπάρξει ἰδιοσυστάτῳ, quo ſenſu ſignificat individuum per ſe ſubſiſtens diſtinctum ab aliis individuis ſive ejusdem, ſive etiam diverſæ ſpeciei, ac tribuitur tàm inanimatis quàm animatis, tàm brutis, quàm rationalibus. 3. *ſpecialiſſimè ac ſtrictiſſimè*, ut ſignificet ſubſtantiam individuam, intelligentem, incommunicabilem alteri ὑποστάσει, non dependentem, ab alio neque exiſtentem in toto tanquam partem, ſed per ſe ſubſiſtentem ut totum perfectum & in ſuo genere abſolutum. Damaſcenus in Dial. cap. 42. ὑποστάσεως nomen duo ſignificat ποτὲ μὲν τὴν ἁπλῶς ὕπαρξιν, *ſecundùm quod ſignificatum idem eſt ſubſtantia & hypoſtaſis, unde quidam ſanctorum Patrum Naturas dicebant hypoſtaſes, quandoque vero per ſeipſam & propriè conſiſtentem eſſentiam* ποτὲ δὲ τὴν καθ' αὑτὸ καὶ ἰδιοσύστατον ὕπαρξιν, *juxta quod ſignificatum oſtendit individuum numero differens.* Neſtorii diſcipuli, ut errorem Magiſtri palliarent, dixerunt, *in Chriſto eſſe quidem unam perſonam, ſed tamen duo ſuppoſita ſive* ὑποστάσεις, ut notat ex Lomb. 3. ſent. diſt. 6. Thom. p. 3. quæſt. 2. artic. 3. & 6. in concluſ. Idem fecit ipſe Neſtorius, ut colligitur ex verbis Juſtiniani in edicto fidei quod extat tom. 2. Concil. p. 497. col. 1. ubi ait, *rectè condemnatum ab Epheſino Conc. Neſtorium quod unam perſonam, non tamen unam ſubſiſtentiam in Chriſto affirmaverit.* Sed ex allata diſtinctione manifeſtum quid hac de re ſit ſtatuendum. Cæterùm differentia τῆς ὑποστάσεως propriè dictæ ab οὐσίᾳ accuratè eſt notanda, quia teſte Damaſceno lib. 3. orthod. fid. cap. 3. τοῦτό ἐστι τὸ ποιοῦν τοῖς αἱρετικοῖς τὴν πλάνην τὸ ταυτὸ λέγειν τὴν φύσιν καὶ τὴν ὑπόστασιν. Athanaſius tom. 2. in tract. de defin. p. 53. hanc proponit differentiam: *Natura & eſſentia dicitur* καθολική, *eò quod multas comprehendit perſonas vel individua,* ὑπόστασις *autem* μερική *partialis, quæ partem habet aliquam eſſentiæ.* (Hoc reſpectu hum. Naturæ cum aliis individuis collatæ dici poteſt, minimè verò reſpectu divinæ Naturæ juxta eam enim non partem aliquam eſſentiæ ſed totam, infinitam & perfectam eſſentiam divinam Chriſtus obtinet.) Maxent. Dial. 1. cont. Neſtor. *Perſonam rem unam Naturæ individuam ſignificat. Natura vero communem cognoſcitur declarare materiam, è qua plurimæ perſonæ poſſent ſubſiſtere, quapropter omnis quidem perſona ſimul Naturam continet, non autem omnis Natura perſonam æque complectitur.* Cyrill. Alex. in expolit. fidei: ἡ οὐσία ἤτοι ἡ φύσις τὸ κοινὸν χαρακτηρίζει ἡ δὲ ὑπόστασις ἤτοι τὸ πρόσωπον τὸ ἴδιον ἑκάστου σημαίνει. Damaſc. lib. 3. orth. fid. cap. 3. τῶν πλείστων καὶ διαφόρων ὑποστάσεων μίαν φύσιν φαμέν. cap. 6. κοινὸν ἡ οὐσία ὡς εἶδος, μερικὸν δὲ ἡ ὑπόστασις, μερικὸν δὲ οὐχ ὅτι μέρος τῆς φύσεως ἔχει μέρος δὲ οὐκ ἔχει ἀλλὰ μερικὸν τῷ ἀριθμῷ ὡς ἄτομον. ἀριθμῷ γὰρ καὶ οὐ φύσει διαφέρειν λέγονται αἱ ὑποστάσεις. cap. 11. θεότης τὴν φύσιν δηλοῖ, τὸ δὲ πατὴρ τὴν ὑπόστασιν ὥσπερ καὶ ἀνθρωπότης τὴν φύσιν, πέτρος δὲ τὴν ὑπόστασιν. Subſiſtere eſt per ſe exiſtere, ergo ſubſiſtentia eſt per ſe exiſtentia, cui opponitur eſſe in alio exiſtentiam ejus complente ac terminante. Subſiſtentia igitur competit illi Naturæ ſubſtantiali, quæ non eſt in alio ut exiſtentiæ ſuæ termino, ſed ipſa per ſe completam habet exiſtentiam, unde in rationalibus hyphiſtamenon & perſona, in reliquis *ſuppoſitum* dicitur. Quia verò Natura hum. propriam ſubſiſtentiam non habet, ſed ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ ſubſiſtit, ideò non eſt per ſe hyphiſtamenon ac perſona, ſed tantùm *veluti pars quædam ejus perſonæ*, in qua exiſtit.

131. Q. 2. *An Chriſtus ſecundùm quod homo ſit ſuppoſitum?* Reſpond. Bonaventura 3. ſentent. diſt. 10. quæſt. 3. art. 2. *Suppoſitum duplex eſt, in quo & de quo.* Si intelligatur ſuppoſitum *de quo*; prædicatur alterum, & quod ſubjicitur ſuperiori, vera eſt propoſitio. Chriſtus ut homo eſt ſuppoſitum. Si intelligatur ſuppoſitum *in quo* totum eſſe rei ſtabilitur & fundatur, falſa eſt propoſitio.

132. Q. 3. *An perſona Chriſti & duæ Naturæ Chriſti differant?* Reſp. realiter minimè, *quia non unius compoſitæ Naturæ Chriſtum eſſe dogmatizamus, neque ex aliis aliud* ἐξ ἑτέρων ἕτερον, *quemadmodum ex anima & corpore homo eſt, aut ex quatuor Elementis corpus, ſed ex aliis illa* ἐξ ἑτέρων τὰ αὐτά. *Nam ex Deitate & humanitate DEUM perfectum & hominem perfectum eundem & eſſe & dici & ex duabus & in duabus Naturis confitemur*, ut loquitur Damaſcen. lib. 3. cap. 3. interim *notandum*, quod *perſona* vox quandoque ſignificet τὰ ὑπάρχοντα *ſubſiſtentia*, vel Naturas, quæ ſubſiſtunt, quandoque ὕπαρξιν *ipſam ſubſiſtentiam* vel perſonalitatem, per quam Naturæ ſubſiſtunt, quandoque utrumque & ſubſiſtentiam & Naturas ſubſiſtentes, hoc eſt, totum ὑφιστάμενον totum Chriſtum in duabus Naturis unâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtentem. Primò modo perſona nec *realiter* nec *formaliter* differt à Naturis, ſecundò verò & tertiò *formaliter tantum non realiter.* Quando ad conſtitutionem ὑφισταμένου in Chriſto incarnato duas Naturas concurrere dicimus, tunc vocabulum ὑφισταμένου pro ipſa ſubſiſtentia accipitur. Si n. accipitur pro re quæ ſubſiſtit, Chriſtus & ὑφιστάμενον unum ſunt. Confer Dn. D. Bald. Diſp. 4. in artic. Viſitat. §. 137. Similia ferè occurrunt apud D. Rung. Diſp. 2. de Calvin. theſ. 16. ὑπόστασις, notat vel præciſè ipſam ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem, quæ ἰδίως & formaliter vocatur ὑπόστασις, ut cùm dico, *duæ Naturæ ſunt unitæ in una perſona*; vel ſubſiſtentiam unà cum rebus ſubſiſtentibus, quam ſignificationem exprimit vox ὑφισταμένου, ut cùm dico, *duæ Naturæ nihil aliud ſunt quàm perſona.*

133. Q. 4. *Quo ſenſu appelletur unio perſonalis?* Non quod perſona ſit unita perſonæ, ſicut ſtatuebat Neſtorius, nec quod divina & humana in Chriſto Naturæ eo modo unam conſtituant perſonam, quo anima & corpus unum hominem. Nam nec corpus nec anima ante unionem per ſe extitit & perſonam aliquam conſtituit, ſicut ὁ λόγος ab omni æternitate per ſe extitit & perſonam conſtituit, antequam carnem aſſu-

Digitized by Google

aſſumeret; ſed quia duæ illæ Naturæ ita ſunt unitæ, ut utriusque Naturæ ſit una eademque ὑπόστασις, & ſic Chriſtus ſit una tantum perſona.

134. Q. 5. *An unio rectè definiatur per copulationem vel conjunctionem?* Diſtinguendum inter ſenſum vocis Neſtorianum & orthodoxum. Si enim copulatio vel conjunctio ſenſu Neſtoriano uſurpatur pro nuda παραστάσει absque ulla communicatione, unio minus rectè per copulationem definitur, ſicut Cyrill. in Epiſt Synod. ad Neſtor. dicit: *Conjunctionis* (ut & copulationis) *nomen tanquam non idoneum ad ſignificandum unitatis arcanum evitamus.* Quæ enim copulata ſunt, inter ea non datur mutua communicatio, ut patet exemplo aſſerum conglutinatorum, iidem leviter tantum cohærent, & facilè rurſus diſſolvi poſſunt, ac inter eos non datur intima περιχώρησις. Sed inter duas Naturas in Chriſto unitas datur mutua communicatio, indiſſolubilis unio ac intima περιχώρησις, unde etiã Scriptura nõ per copulationẽ & cõjunctionẽ, ſed p̃ τὸ γίνεσθαι, κοινωνεῖν, φανερωθῆναι, μετέχειν, ἐπιλαμβάνεσθαι καὶ κατοικεῖν, hoc myſteriũ deſcribit. Quod autem Confeſſio Auguſtana art. 3. & eam ſecuti orthodoxi Theologi conjunctionis nomine unionem deſcribunt, id fit ſenſu orthodoxo, ut nomine conjunctionis arctiſſima & indiſſolubilis unio cum mutua περιχωρήσει & communicatione conjuncta intelligatur, unde diſertè in Auguſt. Conf. additur, quod *duæ Naturæ divina & humana in unitate perſonæ inſeparabiliter ſint conjunctæ.*

135. Q. 6. *An inter aſſumtionem carnis in ὑπόστασιν τοῦ λόγου & unionem carnis cum λόγου Natura divina, aliquod diſcrimen intercedat?* Reſp. Damaſcen. lib. 3. cap. 11. ἄλλο ἐστὶν ἕνωσις (ſcilicet generaliter accepta) καὶ ἕτερον σάρκωσις, ἡ μὲν γὰρ ἕνωσις μόνην δηλοῖ τὴν συνάφειαν, πρὸς τί δὲ γέγονεν ἡ συνάφεια, οὐκ ἔτι, ἡ δὲ σάρκωσις (ταυτὸν δ' ἐστὶν εἰπεῖν καὶ ἐνανθρώπησις) τὴν πρὸς σάρκα ἤτοι πρὸς ἄνθρωπον συνάφειαν δηλοῖ, καθάπερ καὶ ἡ πύρωσις τοῦ σιδήρου τὴν πρὸς τὸ πῦρ ἕνωσιν. Et poſtea: ὅτι ἡ θεότης ἄνθρωπος γέγονεν ἢ ἐσαρκώθη, ἢ ἐνηνθρώπησεν, οὐδαμῶς ἀκηκόαμεν. ὅτι δὲ ἡ θεότης ἡνώθη τῇ ἀνθρωπότητι ἐν μιᾷ τῶν αὐτῆς ὑποστάσεων μεμαθήκαμεν. Vox unionis generalior eſt & referri poteſt ad quarumvis rerum conjunctionem, ſed vocabulum incarnationis exprimit carnem ſive Naturam humanam quam Filius Dei perſonaliter ſibi univit. Quamvis verò inter aſſumtionem carnis in ὑπόστασιν τοῦ λόγου & unionem carnis cum Natura divina τοῦ λόγου reale aliquod diſcrimen non intercedat, quia ὁ λόγος aſſumendo carnem eandem ſibi univit & uniendo ſibi perſonaliter carnem eandem aſſumſit, tamen formale quoddam diſcrimen hîc animadvertitur. 1. perſonam λόγου aſſumſiſſe Naturam rectè dicitur, ſed perſonam τοῦ λόγου unitam Naturæ humanæ minùs commodè, cùm non ſit unio perſonæ & Naturæ, ſed duarum Naturarum unio. 2. Unio eſt reciproca, quia divina Nat. τοῦ λόγου unita eſt humanæ Naturæ & Nat. humana unita eſt divinæ, ſed aſſumtio nõ eſt reciproca, λόγον enim dicimus aſſumẽtem, carnem autem aſſumtam, non autem carnem aſſumentem & λόγον aſſumtum.

136. Q. 7. *An ὁ λόγος ſimul & ſemel animam & corpus aſſumſit, an verò animam immediatè corpus mediatè?* Poſterius affirmant Origenes libr. 2. περὶ ἀρχῶν. cap. 6. Nazian. ſerm. de Paſch. p. 254. & ſerm. 1. de Filio p. 282. quos ſecutus Damaſcenus lib. 3. cap. 6. ſcribit: ἥνωται σαρκὶ διὰ μέσου νοῦ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ μεσιτεύοντος θεοῦ καθαρότητι καὶ σαρκὸς παχύτητι· ἡγεμονικὸν μὲν γὰρ ψυχῆς τε καὶ σαρκὸς ὁ νοῦς, νοῦς δὲ τῆς ψυχῆς τὸ καθαρώτατον, ἀλλὰ καὶ νοῦ θεός. Damaſcenum ſequuntur Scholaſtici: Lombard. lib. 3. ſent. diſt. 1. lit. B. *Tantæ ſubtilitatis atque ſimplicitatis eſt divina eſſentia, ut corpori de limo terræ formato uniri non congrueret, niſi mediante eſſentiâ ſeu animâ rationali.* Idem ſtatuunt Thom. p. 3. quæſt. 6. art. 2. Bonavent. 3. ſent. diſt. 2. Ex recentioribus Zanchius lib. 2. de incarn cap. 3. quæſt. 7. Martinius de perſona Chriſti contra Ubiquit. p. 579. idem affirmat. Sed de *hoc medio congruentiæ*, ut vocant, meritò dubitatur, 1. *ob Scripturæ ſilentium.* Venerari hoc myſterium & mirari, non autem extra Scripturæ limites rimari debemus, jam verò de tali medio in Scriptura nihil revelatum. 2. *ob piorum veterum modeſtiam*, qui incarnationem τοῦ λόγου ac ipſam unionem ſimul & ſemel factam docuerunt, modum autem ac medium ſeſe ignorare teſtati ſunt. Iuſtin. in expoſ. fid. Ambroſ. de incarnat. Dominicæ Sacram. cap. 7. Cyrill. de vera fide ad Theodoſ. &c. 3. *ob conſequens abſurdum.* Anima enim ſtatueretur ex parte aſſumens, ac λόγῳ propior & præſentior quàm corpus, adeoque arctior foret unio inter animam & λόγον, quàm inter λόγον & corpus. Affinis huic quæſtioni eſt illa Scholaſticorum: *An unio perſonalis, quâ Natura humana unitur Verbo, requirat aliquem habitum ſeu perfectionem Naturæ aſſumtæ infuſam per quam Naturam aſſumta ſpecialem habitudinem ad Verbum obtineat, per quam dicatur uniri Verbo?* Affirmat Biel 1. ſent. diſt. 30. quæſt. 4. ſed rectius negat Gregor. Arimin. 1. ſent. diſt. 28. quæſt. 2. in Sol. 17. *Ad unionem* (inquit) *nec requiritur nec prodeſt aliqua Entitas alia à Verbo & humanitate, ſed ſicut anima rationalis & caro ſine tali media Entitate eſt unus homo, ita Deus & homo absque ulla Entitate ligante eſt unus Chriſtus, quod qualiter ſit, puto omni viatori naturaliter fore incomprehenſibile.*

137. Q. 8. *An formale unionis conſiſtat in communicatione idiomatum?* Sententiam illam tribuit nobis Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 8. Sed fallitur & fallit, nos enim communicationem idiomatum propriè & accuratè loquendo non *formale* ſed *conſequens & effectum* eſſe ſtatuimus. Quod quidam ex noſtris in ipſa unionis definitione communicationis idiomatum faciunt, id fit propterea, quia Scriptura ſacra ſummum hoc unionis perſonalis myſterium per communicationem idiomatum *à poſteriori* deſcribit, cùm *à priori* & ſcientificè in hujus vitæ infirmitate eam cognoſcere non poſſimus. Juſtin. in expoſ. fidei p. 299. *Nec me quiſquam de unionis modo percunctetur, non enim me pudebit fateri ignorantiam. Quin contra potius gloriabor quoque, me arcanis minime vulgandis fidem habere & myſten eſſe doctoremque eorum ſacrorum ad quorum perceptionem ratio & mens propter debilitatem ſuam languet.* Chryſ. in cap. 1. Joh. homil. 7. *Scio, quod Verbum caro factũ, at quomodo factum ſit, neſcio. Miraris quia ego neſcio? omnis creatura ignorat.* Deſcribimus ergo hanc unionem per communicationem, 1. quia res aliqua, cujus differentia ſpecifica nos latet, ſæpè deſcribitur per effecta. 2. ipſa Scriptura nobis præit Iohan. 1. v. 14. c. 3. v. 35. Col. 1. v. 19. c. 2. v. 9. 3. idem facit orthodoxa antiquitas, cujus hæc regula: *Ipſa communio unit duas Naturas in unã perſonã.*

138. Q.

138. Q. 9. *An aſſumtio Naturæ humanæ poſſit comparari indutioni veſtis?* Reſpond. pii veteres hac comparatione ſæpius utuntur, unde λόγον dicunt *induiſſe corpus noſtrum*, ac corpus eſſe περιβολὴν Deitatis. Cyprian. ſerm. de nativ. Cyrill. libr. 11. in Iohan. cap. 14. Athanaſ. ſerm. contra Arianos &c. Auguſtin. Epiſt. 56. col. 262. *Verbum Dei homine indutum.* Ex Sedulio canit Eccleſia: *Beatus autor ſeculi ſervile corpus induit.* Quinimò ipſa Scriptura ad illam ſimilitudinem nos deducere videtur. Geneſ. 49. verſ. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*, hoc eſt, carnem ſuam, quam Deitas induit quaſi veſtimentum perfundet precioſiſſimo ſuo ſanguine, qui eſt vinum præſtantiſſimum reficiendis Chriſtianis, ut Chytræus in illum locum commentatur, quidam hûc accommodant, quod Apocal. 1. verſ. 13. Chriſtus Johanni apparet *veſtitus podere*, ſed talaris illa veſtis propriè notat Sacerdotium Chriſti. Collationis gratia hûc referri poſſet, quod Chriſtus corpus ſuum vocat τὸν ναὸν Iohan. 2. verſ. 19. quod Apoſtoli illud vocant σκῆνος Iohan. 1. verſ. 14. Hebr. 9. verſ. 11. καταπέτασμα Hebræor. 10. verſ. 20. Nequaquam igitur ſimpliciter poteſt hæc comparatio vel loquendi ratio improbari, interim notandum per eaodem non deſcribi *unionis modum*, quaſi ſcilicet inter λόγον aſſumentem & carnem aſſumtam ſit accidentalis ejuſmodi unio qualis eſt inter Regem purpurâ indutum & veſtitum ejus purpureum, quo ſenſu ſimilitudinem illam applicat Bellarmin. libr. 3. de Chriſto cap. 15. *Appoſita* (inquit) *eſt ſimilitudo de purpura Regis. Cùm enim Rex induit purpuram & ſedet in ſolio ſuo evehit purpuram ad illud ſolium, non ſic ut purpura dicatur ſedere aut regnare, ſed ut dicatur veſtis ſedentis aut regnantis &c.* quo etiam ſenſu B. Lutherus tom. 1. Witeberg. p. 415. *nihil magis hæreticum dici poſſe* cenſet, *quam Naturam humanam propriè eſſe veſtem divinitatis*, quia veſtis & corpus non conſtituunt unam perſonam, ſicut Deus & homo in Chriſto ſunt una perſona: inter veſtem & corpus eſt unio duntaxat accidentalis & ſeparabilis, quia veſtis non trahitur ad eſſe ſuppoſiti, ſed inter λόγον & carnem eſt unio perſonalis & inſeparabilis, & quæ alia differentiæ capita longè plurima hîc notari poſſunt. ſed comparatio veſtimenti adhibetur, 1. ad demonſtrandam *propriam λόγου perſonalitatem.* Quemadmodum homo eſt perfecta & integra perſona antequam veſtẽ induat, ſic ὁ λόγος fuit integra & perfecta perſona antequã carnẽ aſſumeret. 2. ad λόγου *immutabilitatem* demonſtrandam. Quemadmodum veſtes corpori aptantur, non contrà, ac veſtes mutantur ipſo corpore permanente immutabili: ſic λόγος aſſumſit carnem, non caro λόγον; caro aſſumta fuit in ſe patibilis ac mortalis λόγῳ immutabili permanente. 3. ad λόγου *inviſibilitatem* in viſibili carne ſignificandam. Quemadmodum corpus veſtibus tectum immediatè non conſpicitur, ſed mediatè per veſtes: ſic inviſibilis divinitas & majeſtas τοῦ λόγου ſub aſſumta carne tanquam tegumento quodam tecta latuit, ſed quemadmodum ex veſtibus quandoque homo cognoſcitur, ſic in viſibili illa Naturâ aſſumtâ & per carnem illam Deus inviſibilis nobis fuit viſibilis factus. Rectiùs ergò Bellarminus hanc ſimilitudinem applicat & explicat ejuſdem libr. cap. 7. *Humanitas* (inquit) *vocatur indumentum Verbi, non quia Verbum non ſit verè & ſubſtantialiter homo, ſed propter ſimilitudinem, quæ eſt inter veſtes & humanitatem. Nam ut per veſtes homines cognoſcuntur, ſic per humanitatem Deus agnitus eſt, quemadmodum cùm veſtes induimus, aptantur veſtes ad figuram corporis & proinde veſtes mutantur, non homo: ſic etiam cùm Verbum caro factum eſt, humanitas mutata eſt Verbo immutabili permanente.*

139. Q. 10. *Quid ſtatuendum de reliquis ſimilitudinibus, quas pii veteres ad hoc myſterium applicant?* Triplices potiſſimùm ejuſmodi dantur ſimilitudines, 1. *à corpore animato.* 2. *à ferro ignito,* 3. *à luce primogenia & corpore ſolari*, quarum explicationes & applicationes tradit Dn. Chemnicius in aureo libro de dnabus Naturis in Chriſto cap. 6. de omnibus verò ſimilit. in genere notandum illud Juſtini in ἐκθ. πίς. p. 300. ἁρμόδιον τὸ παράδειγμα (abuoione animæ cum corpore deſumtum) εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατά τι γοῦν, unde non ſolùm ſimilitudinem, ſed etiam diſſimilitudinem in hoc exemplo demonſtrat. Similitudinem ac diſſimilitudinem unionis inter animam & corpus ac hypoſtaticæ illius unionis inter divinam & humanam Naturam explicat Aſlacus diſſert. Theolog. 3. §. 22. (Beza p. 1. reſp. ad Coll. p. 128. duas unionis hypoſtaticæ conſtituit ſpecies. Unam in quovis homine, alteram in Chriſto Deo & homioe ac utrique unam communem proponit definitionem. Hypoſtatica unio eſt conjunctio, per quam duæ Naturæ diſtinctæ in ſeſe unà cum proprietatibus, quibus à cæteris Naturis diſcernuntur permanentes ad unius cuiuſpiam actu ſubſiſtentis perſonæ conſtitutionem concurrũt. Atqui unio hypoſtaticâ duarum Naturarum in Chriſto differt ab unione eſſentiali animæ & corporis in homine.)

Finis incarnationis.

140. Theſis 5. *Finis incarnationis proximus & immediatus eſt humani generis redemtio; ſummus & mediatus gloriæ divinæ manifeſtatio.* De priori fine loquuntur hæc Scripturæ dicta. Geneſ. 3. v. 15. *ſemen mulieris conteret caput ſerpentis*, h. e. Filius Dei ex matre virgine naſcetur verus homo, ut poteſtatem ac regnum Diaboli deſtruere ac lapſum genus humanum redimere poſſit. Matth. 20. verſ. 28. *Filius hominis non venit ut pateretur ſibi miniſtrari, ſed ut ipſe miniſtraret & daret animam ſuam λύτρον ἀντὶ πολλῶν* Luc. 19. v. 10. *Venit filius hominis quærere quod perierat.* 1. Timoth. 2. verſ. 5. *Unus Mediator Dei & hominum; qui dedit ſeipſum pretium redemtionis pro omnibus:* Hebr. 2. v. 14. *Quoniam pueri communicaverunt carni & ſanguini, ſic ipſe ſimiliter participavit iiſdem, ut per mortem deſtrueret eũ, qui habebat mortis imperium, h. e. Diabolum.* 1. Ioh. 3. v. 8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut deſtrueret opera Diaboli.* Pertinent autem ad generis humani redemtionem nõ tantùm *bona privativa*, quod Chriſtus nos liberaverit à peccato, ab ira Dei, à morte & inferno, ſed etiam *bona poſitiva*, quod adduxerit nobis perfectam juſtitiam, Dei gratiam, donationem S. S. & vitam æternam. Pulcrè Damaſc. lib. 3. cap. 7. Nativitatem Chriſti ex virgine dicit eſſe factam δι᾽ ἡμᾶς καθ᾽ ἡμᾶς καὶ ὑπὲρ ἡμᾶς. δι᾽ ἡμᾶς ὅτι διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν; καθ᾽ ἡμᾶς ὅτι γέγονεν, ἄνθρωπος ἐκ γυναικὸς καὶ χρόνῳ κυήσεως· ὑπὲρ ἡμᾶς, ὅτι οὐκ ἐκ σπορᾶς ἀλλὰ ἐξ ἁγίου πνεύματος καὶ τῆς ἁγίας παρθένου ὑπὲρ νόμον κυήσεως.

De poſteriori fine teſtantur Angeli Chriſto in mundũ nato canentes Luc. 2. verſ. 14. *Gloria in altiſſimis Deo.* Quomodo autem gloria Dei in opere incarnationis patefacta, ſuaviſſimia verbia demonſtrant pii veteres Gregor. Nyſſenus orat. de nativ. p. 75. & ex eo Damaſcen. libr. 3. cap. 1. *Demonſtratur* (inquit) *in hoc opere ſimul & bonitas & ſapientia & juſtitia & potentia Dei. Bonitas quidem, quoniam non deſpexit proprij plaſmatis facturæq́; propria infirmitatem, ſed miſeratus ipſam cadentem ei manum porrexit. Iuſtitia, quia homine victo non alio quàm homine fecit vinci Tyrannum, neq́; violentiâ à morte diripuit hominem, ſed quem olim per peccatum in ſervitutem redegerat mors, hunc bonus & juſtus rurſus effecit victorem & ſimile ſimili reparavit, quod opus erat. Sapientia, quia rei admodùm dubiæ ac difficilis invenit ſolutionẽ quàm decentiſſimam, Filius Dei perfectus. Deus exiſtens perfectus homo fit, & hoc impletur opus quod omniũ novorum maximè novum eſt, quod ſolum novum ſub Sole, per quod infinita Dei apparuit virtus, quid enim majus quam Deum hominem fieri?*

Antitheſis. 141. *Antitheſis.* Circa finem incarnationis aberrant 1. *Photiniani*, qui διαῤῥήδην negant Filium Dei eo fine hominem factum, ut pro peccatia humani generis ſatisfactionem præſtaret noſq; redimeret. 2. *Pontificij*, dum 1. negant Chriſtum eſſe Mediatorem ſecundùm utramque Naturam, quâ ratione obliquè incarnationia finem labefactant. 2. noſtras ſatisfactiones adhuc exigunt. 3. ſocioa ac συνέργους Chriſto in Mediatoris officio adjungunt. 4. Chriſtum eo fine incarnatum ſtatuunt, ut & ſibi aliquid promereretur. 3. *Calviniani*, 1. quando beneficia incarnationia ad paucoa homines abſoluto Dei decreto electoa reſtringunt, ac Filium Dei eo fine incarnatum eſſe negant, ut pro omnium hominum peccatia ſatiafaceret. 2. dum quidam ex ipſis cum Pontificiis docent, Chriſtum incarnatum eſſe, ut ſibi aliquid promereretur. De quibua omnibus ſuo loco.

142. Quæritur h. l. 1. *An Filius Dei incarnatus fuiſſet, ſi vel maximè homo non peccaſſet.* Affirmant 1. quidam *ex veteribus.* Rupertus Turcienſia libro 3. de Trinit. cap. 20. *Si maximè Adam non peccaſſet, venturus tamen Chriſtus fuiſſet, ſed in carne impaſſibili & immortali.* 2. quidam *ex Scholaſticis.* Richardus de media villa & Biel 3. ſent. diſt. 1. quæſt. un. dub. 3. ſtatuunt *probabiliter defendi poſſe, quod peccato etiam non incidente Chriſtus nihilominus fuiſſet venturus ex vi alterius cujusdam decreti, quo Deus tum id præordinaſſet ob alias cauſas.* Eadem eſt ſententia Scoti 3. ſentent. diſt. 7. quæſt. 3. ac diſt. 19. quæſt. un. Alenſis part. 3. quæſt. 2. memb. 13. Albert. Magn. 3. ſent. diſt. 20. art. 4. Hugonis de Prato ſerm. 1. lit. H. ubi diſputaut, *Chriſtum fuiſſe venturum in carne impaſſibili.* 3. *Oſiander* in Diſp. Ann. 1550. 24. Octobr. propoſita. 4. *Quidam ex Calvinianis* Zanch. in hexaëm. part. 3. lib. 3. cap. 2. Guilielmus Bucanus in Inſtit. Theol. art. 10. p. 61. Andreas Willetus libr. 1. de ſtatu hominis p. 29. Conr. Mylius in meletem. Catechet. p. 70. 5. *Quidam ex Pontificiis.* Tannerus in Thom. p. 3. diſp. 1. pro affirmante quæſtionis parte allegat Viguerium, Albertum, Piggium & Fonſecam. Idem ſtatuit Didacua Stella in Cõment. Luc. 15. Ambroſiua Catharinus in lib. de eximia prædeſtinatione Chriſti. 6. *Photiniani.* Socinus in prælect. Theol. Ann. 609. Racov. excuſ. cap. 10. p. 37. in Diſputat. contra Puccium. p. 277. *Quia certum eſt, Deum ante mundum conditum de mittendo Chriſto decreviſſe, ne quis ex ea hominum peccata præviſa fuiſſe colligat, ſciendum eſt, Chriſtum quidem poſtquam homines peccaverant, ad ipſorum peccata delenda veniſſe, ſed venturum tamen fuiſſe, etiamſi homines non peccaſſent, venturus enim erat ad immortalitatem nobis dandam, quâ ab ipſo creationis initio homo caruit, quæ immortalitas cũ peccatorum metu aut ipſis peccatis conſiſtere nullo modo poteſt, propterea meritò dicitur Filium DEI apparuiſſe, ut ſolveret opera Diaboli, hoc eſt; peccatorum metum ipſaq́; peccata tolleret.* Schmaltz. Diſput. 4. contra Frantz. de Juſtif. p. 124. *Scire debebat Meſſiam prædeſtinatum fuiſſe ante mundi conſtitutionem & etiamſi nemo hominum unquam peccaſſet, tamen mittendum fuiſſe, non ut damnum utique illatum ſarciret, ſed ut hominem quem Deus è terra mortalem creare conſtituerat ad perfectionem, quàm Deus in ſuo conſilio tendebat, hoc eſt, ad immortalitatem perduceret. Præterea neceſſe non eſt omnium Dei actionum rationem dari poſſe.* Argumentis utuntur potiſſimùm hiſce, 1. *à decreti divini immutabilitate.* Deua ab æterno decreverat Filii ſui miſſionem. At Dei decreta ſunt immutabilia. Ergo potuiſſet hoc decretum impleri, ſi vel maximè homo non fuiſſet lapſua. 2. *ab incarnationis utilitate.* Sine quo homini perfecta beatitudo non potuiſſet contingere, illud ſi non fuiſſet denegatum, cùm ad perfectam beatitudinem fuerit conditus. Atqui ſine incarnatione homo in ſtatu integritatis non potuiſſet ad perfectam beatitudinem aſpirare, ut patet ex illis, quæ ad perfectionem beatitudinia requiruntur, quæ ſunt confirmatio in bono, humanæ Naturæ exaltatio, Naturæ humanæ à λόγῳ aſſumtæ viſio, quorũ nullum ſine incarnatione locum habere potuiſſet. 3. *à conſequente abſurditate.* Si Filius Dei non fuiſſet incarnatua gloria Dei, hoc eſt, ipſius bonitaa, ſapientia, juſtitia & potentia non fuiſſet tàm clarè manifeſtata, idoneitas Naturæ humanæ ad unionem hypoſtaticam cum divina non fuiſſet in actum traducta, ſicque in Natura aliquid fruſtraneum fuiſſet, denique matrimonium non ſignificaſſet duarum in Chriſto Naturarum unionem.

143. Negantem quæſtionis partem amplectuntur. 1. *pleriq; omnes ex veteribus.* Athanaſiua ſerm. 3. contra Arian. *Cum Filius Dei efficitur homo, tum cauſa ſubſtituitur, cur oporteat eum carnẽ geſtare, neceſſitas quippe indigentiaque hominum anterior eſt quàm illius nativitas, quâ ſublata carnem non induiſſet. In hoc enim apparuit Filius Dei, ut opera Diaboli deſtrueret.* Nazianz. orat. 4. de Theol. *Quæ humanitatis à Deo ſuſcepta cauſa extitit, profectò ut nobis ſalus pararetur, quid enim aliud cauſæ afferri poſſet?* Auguſt. ſerm. 9. de verb. Dom. *Nulla fuit cauſa veniendi Chriſto Domino, niſi ut peccatores ſalvos faceret, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ.* Serm. 8. de verb. Apoſt. *Si homo non periiſſet, Filius hominis nõ veniſſet. perierat homo per liberam voluntatem, venit Deus homo per gratiam liberatricem.* Similia occurrunt apud Orig. hom. 24. in Numer. Hilar. lib. 2. de Trinit. Baſil. de Nativ. Chriſt. Athan. orat. 5. contra Arian. & in lib. de incarnat. Nazianzen. in orat. de Chriſti Nativ. & in 2. orat. de paſch. Nyſſenum in orat. Catech. cap. 15. Chryſoſtom. in cap. 1. Iohan. homil. 10. Cyrill. Alexand. libr. de incarnat. unig. cap. 1. Ambroſ. de Dom. incarn. Sacram. cap. 6. Gregor. Magn. libr. 3. moral. cap. 11.

lib.

lib. 4. regiſtri c. 3. & in bened. cerei paſchal. Leonem. ſerm. 3. pentec. Damaſcen. lib. 3. de orthod. fid. cap. 18. &c. 2. *quidam ex Scholaſticis.* Thom. p. 3. quæſt. 1. art. 3. Bonav. 3. ſent. diſt. 1. art. 2. q. 1. Thomas de Argent. 3. ſent. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. Capreolus 3. ſent. diſt. 1. q. un. concluſ. 1. 3. *multi ex Pontificiis,* quamvis dubitanter. Gregor. de Valent. tom. 4. comm. Theolog. in Thom. Diſput. 1. q. 1. puncto 7. p. 74. *rem hanc non ſatis compertam eſſe dicit, convenientius tamen, probabilius & ſapientius ſtatui Chriſtum non fuiſſe venturum.* Bellarmin. lib. 5. de Chriſto cap. 10. *Filium Dei fortaſsè non aſſumſiſſe carnem, ſi Adamus non peccaſſet.* Maldonatus in cap. 18. Matth. verſ. 31. *Magnum argumentum ad eorum refellendam opinionem, qui etiamſi homines non peccaſſent, Chriſtum venturum fuiſſe docere ſolent.* Becanus in Corollariis Diſputationi de vocatione Miniſtrorum Viennæ Anno 616. inſtitutæ ſubjectis omittit particulam dubitativam *fortè* ſimpliciter ſtatuens, *Adamo per peccatum lapſo, Chriſtum non fuiſſe incarnatum.* 4. *omnes ex noſtris.*

144. Argumenta ducuntur 1. *ex Scriptura dictis,* quæ 1. finem incarnationis & adventus ubique ſtatuunt redemtionem humani generis ac reſtitutionem illius quod erat amiſſum Matth. 18. v. 11. cap. 20. verſ. 28. deſtructionem operum ac regni Diabolici Geneſ. 3, verſ. 15. 1. Johan. 3. verſ. 5. debellationem mortis & Satanæ Heb. 2. v. 16. & 17. illuminationem eorum, qui ſedebant in tenebris Eſa. 9. verſ. 1. Luc. 1. verſ. 87. ſatisfactionem pro peccatis Iohan. 1. verſ. 29. reconciliationem cum Deo 2. Cor. 5. v. 19. liberationem à condemnatione legis Galat. 4. v. 5. peccatorum ſalvationem 1. Timoth. 1. v. 15. &c. Luc. 19. v. 10. *Venit Filius hominis ſervare quod perierat.* Iohan. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam haberent.* Atqui ſi Adamus non fuiſſet lapſus, nihil horum neceſſarium fuiſſet. Auguſt. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 26. *Ex Scripturis ſufficienter apparet, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum non aliam ob cauſam in carne veniſſe ac forma ſervi accepta factum obœdientem uſque ad mortem crucis, niſi ut hac diſpenſatione miſericordiſſima gratia omnes, quibus tanquam membris in corpore ſuo conſtitutis caput eſt, ad capeſſendum regnum cœlorum vivificaret, ſalvos faceret.* Thomas d. l. *Quæ ex ſola Dei voluntate pendent & ſuperant omne debitum creaturæ, ea non poſſunt intelligi vel cognoſci niſi ex Scriptura, per quam divina voluntas nobis innoteſcit, unde cùm in Scriptura ubique incarnationis ratio ob peccatum primi hominis aſſignetur, convenientius dicitur eam fuiſſe in remedium peccati.* 2. Adamum ut fontem peccati & mortis ac Chriſtum ut fontem juſtitiæ & vitæ ſibi invicem opponunt Roman. 5. verſ. 12. 1. Corinth. 15. verſ. 45. 47. 13. typis, parabolis ac ſimilitudinibus idipſum adumbrant. Niſi fuiſſet diluvium, non fuiſſet arca ædificata Geneſ. 6. Niſi Iſraëlitæ ob peccatum à ſerpentibus igneis fuiſſent icti, ſerpens æneus non fuiſſet ſuſpenſus Num. 21. Niſi tempeſtas in mari oborta, Jonas non fuiſſet è navi projectus Jon. 1. Niſi ſervi Regis rejecti fuiſſent, Filius non fuiſſet miſſus Matth. 21. Niſi ovis & drachma periiſſent, lucerna non fuiſſet ad quærendum accenſa, nec paſtor ad quærendam ovem errantem abiiſſet Luc. 15. 2. *ex rationibus.* Ex hac hypotheſi peccati fœditas, iræ divinæ atrocitas, immenſa Dei bonitas magis eluceſcunt &c. Contrariis argumentis ſatisfieri poteſt obſervatis hiſce regulis, 1. decretum de miſſione Filii præſupponit πρόγνωσιν lapſus Adamici, neque eſt ſimpliciter abſolutum, ſed ad conditionem lapſus determinatum. 2. Finis principalis ac primarius incarnationis eſt humani generis redemtio, ſecundarius Naturæ humanæ exaltatio. 3. Sicut Angelis ita hominibus nullo opus fuit Mediatore θεανθρώπῳ ad confirmationem in bono, ſi in concreata integritate perſiſtere voluiſſent. 4. Perfectio beatitudinis & gloriæ ex viſione humanitatis Chriſti reſultans major eſt quàm perfectio beatitudinis & gloriæ ex viſione divinæ eſſentiæ reſultans non *intenſivè & eſſentialiter,* ſed *extenſivè & accidentaliter.* 5. Manifeſtatio divinæ gloriæ per incarnationem non fuit neceſſaria ſimpliciter, ſed ex hypotheſi. 6. Sicut Natura humana ſi non cecidiſſet, non fuiſſet reparata, quamvis eſſet reparabilis, ſic eadem homine in ſtatu integritatis perſiſtente divinitati τοῦ λόγου non fuiſſet unita, quamvis eſſet unibilis. Philoſophi docent, non omnem potentiam, quæ ad actum non perducitur, ſtatim eſſe fruſtraneam. 7. Si vel maximè rationi magis allubeſceret pars quæſtionis affirmans, tamen in myſteriis Scripturæ autoritati potiùs quàm rationis probabilitati inſiſtendum. *Prior opinio* (inquit Bonav.) *magis innitatur judicium rationis, ſed poſterior magis conſonat Scriptura & Sanctorum autoritatibus & pietatis fides, nobis autem nihil dicendum præter ea, quæ ex ſacris eloquiis clarent.*

145. Q. 2. *Quare incarnationis opus tamdiu dilatum nec ſtatim poſt protoplaſton lapſum ſecutum?* Sicut Filius incarnatus eſt, *quia voluit,* ità etiam incarnatus eſt, *quando voluit.* Moræ cauſas pii veteres afferunt haſce, ut homines miſeriam ſuam agnoſcentes adventum Meſſiæ ardentius deſiderarent, ut beneficium diu expectatum eò carius haberent, ac in fide promiſſionis diligentius ſeſe exercerent. Leo ſerm. 3. de nativ. ut conſtantiorem in nobis gigneret fidem. Confer Nyſſenum orat. de Chriſti nativ.

146. *Uſus practicus* eſt 1. *conſolatorius.* Unio perſonalis duarum in Chriſto Naturarum eſt præclarus ille ſalutis noſtræ unio ac margarita precioſiſſima ad efficaciſſimum alexipharmacum contra venenum peccati & mortis divinitùs nobis præparata. Fructus enim incarnationis principalis eſt, 1. *Naturæ noſtræ ſanatio.* Quemadmodum uniones in conchis marinis ex rore cœleſti geniti cor confortant, & venenum ab eo depellunt, ſic Chriſtus ex Spiritus ſancti conceptione in utero Mariæ natus, peccati venenum tollit, & animam noſtram ſalutariter roborat. Bernhardus pulcerrimè: *Ex Deo & homine factum eſt cataplaſma, quod ſanaret omnes infirmitates noſtras, Spirit. ſanct. tanquam piſtillo haſce ſpecies ſuaviter in utero Mariæ commiſcente* (conjungente.) Lethalia animæ noſtræ vulnera non poterant aliâ medicinâ ſanari. Primi parentes ſeducti erant per ſerpentem Geneſ. 3. verſic. 2. is non fuit duntaxat *naturalis ſerpens,* ſed latuit in eo *ſerpens infernalis,* qui lethale venenum peccati ipſis inſtillavit, quod ab ipſis in omnes poſteros in totum genus humanum fuit propagatum, hujus veneni expulſio & corruptæ noſtræ Naturæ ſanatio non vulgarem aliquam deſideravit Naturam, ſed talem quæ ex divina & humana Natura in Chriſto nobis pararetur. Diabolus per extremam ſuam

Exegeſis Q q mali-

malitiam hominis Naturam infecerat, Deus ergo immenſam ſuam bonitatem in ſanatione noſtra oſtendere voluit. Diabolus omnem ſuam calliditatem ad hominem ſeducendum impenderat, Deus ergo ſummam ſapientiam in medicina lapſus noſtri paranda adhibuit. Per venenum peccati non modò temporalis, ſed etiam æterna mors in nos introducta eſt, non ergo per terrenam, ſed cœleſtem & vivificam medicinam auxilium nobis præſtari potuit. Venenum fuit infernale, ideò alexipharmacum oportuit eſſe cœleſte. Infernalis baſiliſcus veneno ſuo totam Naturam humanam in primis parentibus infecerat, ideò Dei Filius totam ac perfectam humanam Naturam aſſumſit, ut totum hominem ab hoc veneno liberaret. Qui à ſerpente lethaliter vulneratus, non poteſt ſibiipſi medicinam parare, ſic ab infernali ſerpente icti non potuimus nobis ipſis medelam afferre, Deus autem in utero Mariæ precioſiſſimam medicinam adverſus illos ictus nobis paravit, per Spiritus ſancti operationem divinam & humanam Naturam in Chriſto perſonaliter uniendo, ut ſit noſter Medicus ac noſtra Medicina, ſanans animæ noſtræ vulnera, mitigans dolores, recuperans ſanitatem. Quemadmodum rationalis Medicus varias ſpecies componit, quando morbi ſunt complicati, ſic cùm morbi animæ noſtræ fuerint plures & diverſi, ex divina & humana Natura parata eſt nobis medicina. Quemadmodum in periculoſiſſimis morbis precioſæ adhibentur medicinæ ex Bezoar, auro, gemmis, unicornu &c. ſic nihil precioſius vel efficacius in cœlo vel terra fuit inventum, per quod animæ noſtræ vulnera ſanari poſſent, quàm Dei Filius ex virgine purus homo natus. Proclus Conſtant. Archiepiſc. in homil. in Nativ. Domin. p. 61. *O venter, in quo communis libertatis Syngrapha confecta eſt. O utere, in quo arma adverſus mortem fabrefacta ſunt. O arvum, ex quo Natura colonus ſine ſemine exortus eſt. O templum, in quo Deus Sacerdos fuit Naturam non demutans, ſed Verbum caro factum eſt.* 2. *Noſtra cum Deo reconciliatio & unio.* Per lapſum primorum parentum Natura noſtra erat à Deo ſejuncta ac ſeparata Eſa. 59. verſ. 2. *eramus Naturâ filii iræ* Epheſ. 2. v. 3. ac morti æternæ obnoxii. Quemadmodum enim animâ à corpore ſeparatâ corpus fit putridũ & abominabile cadaver, ſic anima à vita ſpirituali, quæ in Deo eſt ſeparata, eſt miſera, abominabilis & mortua coram Deo. Cùm verò Deus ex immenſa miſericordia ignominiam & miſeriam noſtram à nobis vellet avertere, nos ſibi iterum conjungere & in poſſeſſionem deperditorum bonorum reſtituere, hoc modo & medio uſus eſt, ut Filium ſuum cum Natura noſtra perſonaliter conjungeret, ut per illum Naturæ humanæ conſanguinitate ac propinquitate non attingentem Deo viciſſim conjungeremur. Iren. lib. 3. cap. 11. p. 181. *Filius Dei factus eſt filius hominis ad hoc ut & homo fieret Dei Filius.* lib. 4. cap. 37. p. 267. *Verbum Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti in noviſſimis temporibus, homo in hominibus factus eſt, ut finem conjungeret principio, hoc eſt, hominem Deo.* libr. 5. cap. 1. *Filius Dei propter immenſam ſuam dilectionem factus eſt, quod nos ſumus, ut nos perficeret eſſe quod eſt ipſe, factus eſt particeps Naturæ noſtræ, ut nos redderemur conſortes Naturæ divinæ.* cap. 14. *Verbum Dei factum eſt homo ſeipſum homini & hominẽ ſibi ipſi aſſimilans, ut per eam quæ eſt ad Filium ſimilitudinem pretioſus homo fiat Patri.* Auguſtin. libr. 9. de civit. Dei cap. 15. *Beatus & beatificus Deus factus particeps humanitatis noſtræ, compendium præbuit participandæ divinit. ſuæ.* libr. 1. de civit. Dei cap. 15. *Unicus Natura Dei Filius propter nos miſericordia factus eſt filius hominis, ut nos Natura filii hominis Filii Dei per illum gratia fieremus.* In incarnatione ergo Filii Dei impletus eſt typus ſcalæ Jacobææ Geneſ. 28. Johan. 1. verſ. ult. Cùm enim Chriſtus ſecundùm divinitatem Patri, ſecundùm humanitatem nobis ſit ὁμοούσιος, ideò ſumma cum infimis, cœlum cum terra, homo cum Deo in ipſo unitur, & per hanc arcanam atq; intimam unionem ipſe ad nos è cœlo deſcendit carnem aſſumendo, ut nos ad ipſum in cœlum aſcendere poſſimus fide ipſi adhærendo.

147. 2. *Exhortatorius.* 1. *ad bonitatem DEI agnoſcendam.* Quæ potuit eſſe major dilectio, quàm quod Deus Filium ſuum nobis dedit? Joh. 3. verſ. 16. quomodo non cum ipſo daret nobis omnia? Rom. 8. verſ. 32. Quæ abundantior potuit eſſe bonitas ac intimior φιλανθρωπία, quàm quod ſumma majeſtas & ſublimitas pulveri ac limo noſtro unitur? Quæ major gratia quàm quod ditiſſimus propter nos fit pauper, altiſſimus fit humilis, ſanctiſſimus peccata noſtra ſuſcipit? 2. *ad fiduciam in Chriſtum collocandam.* In beata illa divinæ & humanæ Naturę in Chriſto unione omnia humano generi iterum ſunt reſtituta, id tantum requiritur, ut verâ fide ipſi uniamur, ut fide ipſi adhæreamus & fiamus *unus cum ipſo Spiritus* 1. Cor. 6. verſ. 17. ſicut ipſe propter nos factus eſt caro. 3. *ad humilitatem & dilectionem ejus imitandam.* Quodnam majus humilitatis exemplum, quàm quod Altiſſimus deſcendit & noſtrum limũ in perſonæ ſuæ unitatem aſſumit? Eo ipſo confundi omnem ſuperbiam noſtram. Auguſt. ſerm. 39. de verbo Dom. *Dignare humilis eſſe propter Deum, quia Deus dignatus eſt humilis eſſe propter te. Erubeſce terra & cinis, Deus ſe humiliat, & tu te exaltas &c.* Bernhard. homil. 2. ſuper miſſus eſt col. 17.

Cap. VIII.

De communicatione Naturarum.

148. Theſis. *Ex unione perſonali oritur Naturarum communicatio, propter quam concretum unius Naturæ de concreto alterius Naturæ prædicatur.* ἔκθεσις Communicationem ex unione perſonali ortam diximus eſſe duplicem, videlicet tum *Naturarum* tum eorum quæ Naturas conſequũtur, *idiomatum ſcilicet naturalium, & operationum.* De priore hoc loco agimus, de poſteriore in ſequentibus. Quidam addunt communicationem *hypoſtaſeos*, quâ λόγος aſſumendo Naturam humanam propriam ſuam perſonam illi communicavit, ut in ea & per eam ſubſiſtat. Nos hanc hypoſtaſeos communicationem minimè negamus, interim ad formale potius quàm ad conſequens unionis eam pertinere ſtatuimus. Cùm enim Verbum carnem factum eſſe ſit λόγου ὑπόστασιν factam eſſe carnis ὑπόστασιν & verò ὑπόστασις Verbi non deſierit eſſe λόγου propria, nec λόγος ſuam ὑπόστασιν in carnem eſſentialiter trãsfuderit, relinquitur quod λόγου ὑπόστασις facta ſit carnis ὑπό- *Naturarum communicatio.*

ὑπόστασις per cõmunicationem ac proinde ipſum formale unionis in illa ὑποστατικῶς communicatione conſiſtere non immeritò cenſetur. Communicatio Naturarum in perſona Chriſti eſt arctiſſima & intima divinæ Naturæ τοῦ λόγου & aſſumtæ humanæ κοινωνία ac συνδύασις, per quam ὁ λόγος aſſumens Naturam humanam, perſonaliter aſſumtam, ſibique unitam intimâ & profundiſſimâ περιχωρήσει permeat, perficit, inhabitat, ſibiq; appropriat, ut ex utraque ſibi invicem communicante fiat unum incommunicabile una ſcil. perſona ac tales reſultent prædicationes, per quas concretum unius Naturæ de concreto alterius Naturæ verè & realiter dicatur.

149. Hanc Naturarum in Chriſto communicationem demonſtramus, 1. *ex dictis Scripturæ*. Col. 2. v. 9. *In Chriſto habitat tota plenitudo Deitatis* σωματικῶς. In quo tota plenitudo Deitatis habitat, inter illud & inter divinam Naturam datur communicatio. In carne Chriſti ſive in Natura humana aſſumta habitat tota plenitudo Deitatis. Ergo inter Naturam humanã aſſumtã & inter Natur. divinam τοῦ λόγου datur communicatio. Major patet 1. id quod alteri ſic inhabitat, ut ſit ejuſdem ἐντελέχεια cum illo quoque habitaculum quandam communicationem obtinet. 2. habitatio Dei in ſanctis tum in hac tum in futura vita non eſt ſine κοινωνίᾳ, ergò multò magis inhabitatio τοῦ λόγου in carne aſſumta non erit ſine communicatione. 3. tota plenitudo Deitatis cùm ſit puriſſimus ac meriſſimus actus non poteſt in altero ſine vera & reali communicatione habitare. 4. in quo Deitatis plenitudo habitat, illud Deitatem per κατοίκησιν perſonalem quaſi poſſidet. Aſſumtum probatur. 1. ex voce σωματικῶς, quæ exprimit habitaculum illud, in quo tota plenitudo Deitatis habitat, quod eſt τὸ σῶμα ſive aſſumta Natura humana, quæ Joh. 2. v. 21. vocatur templum. Hieronym. in comm. *Omnis plenitudo divinæ Naturæ in corpore ejus inhabitat*. Eodem modo explicant Athanaſ. orat. 4. contra Arianos: Cyrill. libr. 4. in Johan. cap. 23. lib. 2. ad Reginas. Leo ſerm. 10. de incarnat. Emiſſ. hom. 7. Auguſtin. Epiſt. 53. *in corpore ſeu in templo*. Cyrill. lib. 12. in Ioh. cap. 15. *corpus Chriſti verè eſt templum, in ipſo enim voluit habitare corporaliter tota plenitudo Deitatis*. Damaſc. lib. 3. c. 6. σωματικῶς τουτέστι ἐν τῇ σαρκὶ αὐτοῦ. 2. niſi plenitudo Deitatis in Chriſto eo modo inhabitare dicatur, ut in ipſius carne habitet, tollitur diſcrimen inter inhabitans & habitaculum, ac dicetur divinitas κατοικεῖν in ſeipſa. 3. in Deo omnia ſunt eſſentialia ſeu in ipſa eſſentia, ergò illius reſpectu inhabitans ab babitaculo diſtingui nequit. 4. Quicquid de Chriſto prædicatur, vel ſecundùm divinam tantùm, vel ſecundùm humanam tantùm, vel ſecundùm utramque Naturam de ipſo prædicatur. Sed in ipſo habitare totam plenitudinem Deitatis non de divina tantùm Natura accipi poteſt, in ea enim nihil habitat, ſed eſſentia divina identificat ſibi omnia, quæ ſunt in ea, nec de utraque, ergò de humana Natura accipiendum, ſenſu ſcilicet eo, quòd divinæ Naturæ habitaculum proprium ſit humana Natura aſſumta. 5. Scopus Apoſtoli eſt conferre Chriſtum, quâ hominem cum aliis Sanctis, quod longè alio modo, quàm in reliquis Sanctis plenitudo Deitatis habitet, videlicet *perſonaliter*. 6. fructum illius inhabitationis Apoſtolus conſtituit eum, quod Chriſtus ſecundùm humanam Naturam ſit Eccleſiæ caput. Utique ergò habitaculum conſtituit humanam Chriſti Naturam. Perſtat ergò concluſio, quòd inter Naturam divinam τοῦ λόγου, & inter Naturam humanam aſſumtam detur cõmunicatio. Hebræor. 2. v. 11. *ſicut pueri* κεκοινώνηκεν, *communicant carni & ſanguini, ſic ipſe ſimiliter participavit iiſdem*. Deſcribitur quidẽ in his verbis unio perſonalis, interim optimâ ratione ex illis colligi poteſt, unionem illam non eſſe factam abſque κοινωνίᾳ. Quemadmodum enim inter carnem & ſanguinem, id eſt, inter corpus & inter animam in homine eſt quædam κοινωνία, ita quoque inter divinam & hum. Nat. in Chriſto, Chryſoſtomus, Theophylactus ac Cyrill. addunt dictum Iohan. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *& habitavit in nobis*, putat enim poſterius membrum eſſe additum ad præcavendam Natur. confuſionem, ac inſinuandam earum diſtinctionẽ, ſic enim illud interpretatur, quod λόγος in aſſumta carne perſonaliter babitarit, ſicut anima in proprio corpore tanquam tabernaculo ſuo dicitur habitare 2. Cor. 5. v. 6. Sed ſimplicius eſt de cõverſatione tempore exinanitionis inter homines hoc accipere, & *œconomicam* τῆς σκηνῆς ſignificationem, quâ accipitur pro tabernaculis, in quibus Patriarchæ & Iſraelitæ habitabãt, ut & *polemicam* ac caſtrenſem, quia accipitur pro tentoriis, in quibus milites hoſtibus oppoſiti degunt, hûc accommodare.

150. 2. *Ex rationibus. 1. à pari*. Si ὑπόστασις τοῦ λόγου verè & realiter communicata eſt aſſumtæ carni, utique etiam inter divinam Nat. τοῦ λόγου, & humanam aſſumtam eſt vera & realis communicatio. Ratio connexionis eſt, quia ὑπόστασις τοῦ λόγου & Nat. divina τοῦ λόγου non differũt realiter. Sed ὑπόστασιν τοῦ λόγου carni eſſe cõmunicatam, jam antè oſtendimus. E. Si propria τοῦ λόγου communicata ſunt aſſumtæ carni, utique etiam Naturæ div. communicatio illi facta, cum hæc nihil aliud ſit, quàm idiomata ſunt divina. Sed verum prius, ut ſuo loco demonſtrabitur, **Poteſtne σαρκογενεσία τοῦ λόγου realiter tribui ut tamen nulla inter eſſentiam τοῦ λόγου & σαρκὸς intercedat vera communio? aut habitabitne tota Deitatis plenitudo in Chriſti humanitate abſq; omni omnino cõmunione?** 2. *à minore*. Si ex unione ſpirituali credentium cum Chriſto & piorum cum Deo oritur quædam κοινωνία, multò magis ex unione perſonali divinæ & hum. Nat: in Chriſto, quæ priore lõgè arctior & intimior eſt; κοινωνία orietur. Sed verũ prius. 2. Pet. 1. v. 4. Act. 9. v. 4. pii dicitur θείας κοινωνοὶ φύσεως. 3. *à conſequẽte*. Prædicandi modus ſequitur modum eſſendi & dici de aliquo requirit ineſſe. Si in perſona Chriſti Deus verè & realiter eſt ac dicitur homo, & homo verè ac realiter eſt ac dicitur Deus, utique inter divinam & humanam Naturam in Chriſto eſt κοινωνία. Nihil u. verè & realiter poteſt ab altero denominari, quod non cum ipſo quandam communicationem obtineat. Quemadmodum ergò Filius Dei dicitur Filius hominis, quia ὑπόστασιν ſuã realiter cum aſſumta humanitate communicavit, & filius hominis dicitur Filius Dei, quia aſſumta Nat. humana facta eſt realiter particeps hypoſtaſeos Filii Dei, ſic Deus verè & realiter eſt homo, quia realiter cõmunicavit ſuam Nat. cum aſſumta humanitate, & homo verè & realiter eſt Deus, quia humana Natura realiter particeps facta eſt Naturæ divinæ. 4. *ex abſurdo*. Si non eſt realis Naturarum communicatio, Filius Dei non erit verè & realiter

Exegeſis

ter homo, attributa humanitatis non poterunt tribui Filio Dei, or τοῦ λόγου propria non poterunt de aſſumta humanitate verè & realiter prædicari &c. falſum erit, quòd per mortem Filii ſumus Deo reconciliati, quòd ſanguis Chriſti nos mundet à peccato. 5. *ex Natura unitorum.* Quæcunque unita, ita comparata ſunt, ut eorum unum ſit velut ἐντελέχεια, alterum verò velut δύναμις, ea non uniuntur ſine quadam communicatione. At Naturæ duæ in Chriſto unitæ ſic ſe habent, ut una earum divina ſcilicet ſit velut ἐντελέχεια, humana verò velut δύναμις. Ergò. 6. ex περιχωρήσει *mutua.* Quæcunque ita ſunt unita, ut inter ea intercedat περιχώρησις, quâ profundiſſimè & intimè ſibi immanent, inter ea eſt quædam κοινωνία. Sed inter Naturam divinam τοῦ λόγου & humanam aſſumtam eſt mutua περιχώρησις, ut oſtendimus ſuperiùs. Ergò.

151. 3. *Ex ſimilibus.* Sicut anima & corpus per unionem mutuam quandam ſortiuntur κοινωνίαν, ob quam anima dicitur ἐνσώματος, & corpus dicitur ἔμψυχον, quia anima ut ἐντελέχεια, corpus ut δύναμιν perficit, inhabitat, ac cum eo Naturam ſuam ita communicat, ut cum corpore conſtituat unum compoſitum & ſuppoſitum, quod eſt homo: ſic divina & humana Natura in Chriſto per unionem perſonalem tali participant κοινωνίᾳ, ut Natura divina τοῦ λόγου habitet in humana, eandem perficiat, eam ſibi appropriet, & cum ea conſtituat unam perſonam, quæ eſt & dicitur Chriſtus. Sicut ferrum & ignis eo modo uniuntur, ut κοινωνία quædam ipſis intercedat, propter quam ferrum dicitur ignitum: ſic propter divinæ & humanæ Naturæ in Chriſto unionem homo dicitur Deus, & Deus homo. Confer Sigwald. contra Iren. Paræi p. 542. 4. *Ex dictis Patrum.* Iren. lib. 4. cap. 34. *Per unionem facta eſt communio Dei & hominis.* Athan ad Epictet. unionem vocat κοινωνίαν Verbi ad carnem. Baſil. in homil. de nat. Chriſti. *Quemadmodum Filius Dei particeps factus eſt carnis & ſanguinis, ita humana Domini caro particeps facta eſt Deitatis.* Concil. Epheſin. can. 5. *Si quis audet dicere hominem Chriſtum Deiferum, & non potiùs Deum veraciter dixerit tanquã Filium per Naturam ſecundùm quod Verbum caro factum eſt, & communicavit ſimiliter, ut nos carni & ſanguini, anathema ſit.*

Antitheſis. 152. *Antitheſis.* 1. De *Samoſateno* memorat Suidas f. 737. quòd docuerit τὰς δύο φύσεις διῃρημένως ἔχειν, καὶ ἀκοινωνήτους πρὸς ἑαυτὰς εἶναι παντάπασιν ἐν χριστῷ ὡς ἄλλου ὄντος αὐτοῦ τοῦ χριστοῦ καὶ ἄλλου τοῦ ἐν αὐτῷ κατοικοῦντος θεοῦ λόγου, *duas Naturas in Chriſto eſſe diviſas ac ſeparatas à ſeſe, quarũ neutra alteri quicquam communicet, tanquam aliud quiddã ſit Chriſtus, & aliud in eo habitãs Dei Verbũ.* 2. Ieſuitæ communicationem Naturarum itidem negant. Buſæus diſp. de perſ. Chriſti theſ. 14. *Non ſolùm Catholici, ſed etiam Calviniani quidam diſertè docent, nec re, nec nomine in perſona Chriſti aut communicatas eſſe, aut communicari potuiſſe Naturas, earumque proprietates.* Bellarm. libr. 3. de Chriſto cap. 9. §. ſecundò. *Communicatio idiomatum ex unione hypoſtatica ſecuta non eſt realis reſpectu ipſarum Naturarum, ut volunt Lutherani, neque eſt planè verbalis, ut volunt Beza & Martyr, ſed eſt realis reſpectu hypoſtaſeos utriuſque Naturæ, non autem reſpectu ipſarum Naturarum.* Atqui ſi eſt realis cõmunicatio reſpectu hypoſtaſeos, utiq; etiam reſpectu ipſarũ Naturarum, quia utriuſque Naturæ una eſt hypoſtaſis, ac divina Natura non differt realiter à ſua hypoſtάσει. Non a. ſequitur, ut Bellarm. inſert 1 *Divinitas non eſt facta paſſibilis. Ergò non eſt realis communicatio reſpectu Naturarum*, quia ad realem communicationem Naturarum ſufficit concretum unius Naturæ de concreto alterius Naturæ verè & realiter prædicari, quamvis in abſtracto Naturæ de ſe invicem non prædicentur. 3. *Calviniani* Naturarum communicationem evertunt. Beza in Colloq. Mompelg. p. 203. *Communicationem, id eſt, unionem Naturarũ admittimus, in qua manent ſingulæ Naturæ per ſe etiam in unione ſuis proprietatibus diſtinctæ citra ullam aliam communicationem.* Admonitio Neoſtad. p. 70. *Prædicatio humanorum de Deo & divinorum de homine quantum ad Naturas, tantùm eſt verbalis.* ** Chamier. Panſtrat. Cath. tom. 2. lib. 4. c. 2. p. 56. *Communionem reſpectu Natur. planè verbalem eſſe veritati conſentienter dici*, aſſerit. ** Medulla Catech. An. 606. Marpurgi edita q. 45. Herborn. in ſpic. p. 25. reprehendunt, ſi quis dicat τὸν λόγον *incarnatum realiter habere carnem & ſanguinem*, Danæus in exam. lib. Chemnit. pag. 290. *Cõmunicatio τοῦ λόγου & humanæ Naturæ eſt appellationis tantùm ſeu honoris verbalis communicatio propter indiſſolubilem illum unitarum Naturarũ nexum.* Paræus quidem in Irenico hoc telum à ſe & ſociis ſuis repellere conatur pag. 264. *Docemus*, inquit, *Chriſtum hominem eſſe Deum non verbaliter, ſed realiter, imò realiſſimè, quia duarum Natur. unio divinæ & humanæ in perſona Chriſti non eſt verbalis, ſed realis, imò realiſſima, adde, ſi volunt, ſubſtantialiſſima.* Sed præterquam quod incommodè loquitur, dum unionem vocat *ſubſtantialẽ*, imò *ſubſtantialiſſimam*, quæ eſt perſonalis, meris verborum præſtigiis ludit, & incautioribus imponere conatur. Statim n. mentem ſuam plenius explicãdo ſubjungit: *Realiter & ſubſtantialiter Chriſtus homo eſt Deus, Deitate ſuâ, & Chriſtus Deus eſt homo humanitate ſuâ. Quid volunt ampliùs? an ut Chriſtum hominem dicamus eſſe Deum humanitate ſuâ, & Chriſtum Deum eſſe hominem etiam humanitate ſuâ? anathema Eutycheti.* At ſi homo non eſt Deus humanitate ſua (perſonaliter) quomodo realis Nat. communicatio ſtabit, quomodo Filius Dei ſuam hypoſtaſin realiter carni communicaſſe dicẽdus erit, quomodo Maria erit θεοτόκος, quomodo Chriſto homini datum erit nomẽ, quod eſt ſupra omne nomen? Et quid multis? Nunquã poterunt ὀρθοδοξίαν de vera & reali Natur. in Chriſto communicatione tueri, qui 1. hypoſtaſeos cõmunicationem negant, ac de unione perſonali nõ rectè ſentiunt. 2. perſonales propoſitiones peregrinis expoſitionibus pervertunt. 3. idiomatum communicationem negant, id quod Calvinianos facere partim ex dictis conſtat, partim ex dicendis pleniùs apparebit.

153. Quæritur h. l. *An propter realem communicationem Naturarum dici debeat vel poſſit, Natura divina eſt humana & humana Natura eſt divina?* Ita ſibi perſuaſerunt Jeſuitæ & Calviniani, quia propterea quod Divinitas de humanitate, & humanitas de Divinitate in abſtracto prædicari nequeat, realem Naturarum communicationem negant, ſed perquam ἀπαιδεύτως. Nam 1. aliud eſt eſſentialis mutatio ac converſio, aliud verò realis communicatio. Si divinitas in humanitatem eſſentialiter mutata ac converſa eſſet, vel humanitas à Deitate abſorpta, tunc demum rectè & verè

dicere-

diceretur, Divinitas eſt humanitas, & humanitas eſt Deitas, ſed quia non Naturarum converſionē, non eſſentiæ mutationem, non alterutrius Naturæ abolitionem, ſed realem Naturarum communicationem ex perſonali unione reſultantem ſtatuimus, ideò Deum eſſe hominem, & hominem eſſe Deum dicimus. 2. Quicquid cum alterutro καθ᾽ ἕνωσιν communicatur, non in abſtracto, ſed in concreto ac παρωνύμως de illo prædicatur. Regius lib. 1. diſp. Logic. de prædicat. p. 260. Quare cum communicatio illa Naturarum, quam in Chriſto ſtatuimus, facta ſit καθ᾽ ἕνωσιν, per & propter unionem perſonalem, ideò non dicimus *in abſtracto* Divinitas eſt humanitas, ſed *in concreto* Deus eſt homo. 3. Quemadmodum ob communicationem hypoſtaticos dico, quòd Natura Chriſti humana ſit ἐνυπόστατος, ὑποστᾶσα ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, & ut pii veteres loquuntur, λογωθεῖσα, θεωθεῖσα; ut Scholaſtici *perſonata*: non autem quòd ſit ipſa hypoſtaſis τοῦ λόγου: ita ob cōmunicationem Naturarum non dico, quòd humana Natura ſit divina, & quòd divina ſit humana, ſed quod Deus ſit homo, & homo ſit Deus. 4. Sicut ob unionem ferri & ignis κατὰ συνδύασιν non dico ferrum eſt ignis, ſed ferrū eſt ignitum; propter unionem animæ & corporis non dico, anima eſt corpus, & corpus eſt anima, ſed corpus eſt animatum ἔμψυχον, & anima eſt ἐνσώματος: ſic propter unionem perſonalem λόγου & carnis non dico humanitas eſt Deitas, & Deitas eſt humanitas, ſed homo eſt Deus nō οὐσιωδῶς ſcilicet, ſed ὑποστατικῶς, humana Natura eſt Deificata, uncta Deitate, corpus eſt Deificatum, Deitate plenum, ἔνθεον, caro eſt θεωθεῖσα, Deificata &c. hæc enim loquendi formulæ omnes apud pios veteres occurrunt.

Vſus pract. 154. *Vſus practicus eſt conſolatorius.* Ipſum redemtionis humanæ myſterium & ſalutis noſtræ fundamentum veræ & reali Naturarum in Chriſto communicationi innititur. Quia enim inter λόγον aſſumentem, & Naturam humanam aſſumtam eſt vera & realis communicatio, ideò *ſemen mulieris potuit conterere caput ſerpentis* Gen. 3. verſ. 16. ideò filius hominis *carnem ſuam dare* potuit *pro mundi vita* Johan. 6. verſ. 51. ideò *ſanguinem ſuum effundere* potuit *in remiſſionem peccatorum* Matth. 26. verſ. 28. ideò *ſanguis Chriſti nos mundare poteſt à peccatis* 1. Iohan. 1. v. 7. Contra verò ſi non eſt realis Naturarum communicatio, non potuit ſemen mulieris conterere caput ſerpentis, non potuit caro Chriſti dari pro mundi vita, nec ſanguis ejus in remiſſionem peccatorum effundi, nec poteſt ſanguis Chriſti nos mundare à peccatis, quia ſanguis humanæ Naturæ, quæ nec eſſentialiter Deus eſt, nec realiter cum Deo communionem habet, nō poteſt effundi in remiſſionem peccatorum; caro humanæ Naturæ, quæ nec eſſentialiter Deus eſt, nec realem cum divina Natura communionem habet, non poteſt dari pro mundi vita, deſtituitur enim infinita illâ virtute & efficaciâ, quæ ad ſatisfactionem divinæ juſtitiæ præſtandam requiritur.

Cap. IX.

De propoſitionibus perſonalibus.

Propoſitiones perſonales. 155. Theſis: *Ex unione & communicatione Naturarum reſultant propoſitiones perſonales, quæ ſunt ejuſmodi prædicationes, in quibus concretum unius Nat. prædicatur de concreto alterius Nat. ut Deus eſt homo, & homo eſt Deus.* Ad perſonales propoſitiones videri alicui poſſent referendæ etiā illæ, in quibus tota perſona ab alterutra vel ab utraque Natura deſcribitur, quarum tres conſtitui poſſunt claſſes. 1. In quibuſdam concretum divinæ Naturæ prædicatur de perſona. Ut *Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt Filius Dei. Hic eſt verus Deus; Tu es Dei Filius.* 2. in quibuſdam concretum humanæ Naturæ prædicatur de perſona. Ut *Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Filius hominis, Hic eſt verus homo, Tu eſt verus homo.* 3. in quibuſdam concretum utriuſque Naturæ prædicatur de perſona, ut *Chriſtus eſt θεάνθρωπος, Hic eſt Immanuel, Tu es Deus & homo.* Quæ tripartita diſtinctio reſp. prædicati ſtatuitur, ſubjectum enim utrobique idem eſt, videlicet perſona quæ exprimitur, vel per nomen perſonæ, ut *Chriſtus*, vel per pronomen δεικτικὸν, ut *tu es Filius Dei*, vel per pronomen relativum, ut *Hic eſt verus Deus.* Quamvis verò certâ ratione hæ propoſitiones ad perſonales referri poſſint, quia duæ illæ Naturæ non ſubſiſtūt in Chriſto ſeparatæ, ſed ſunt arctiſſimè unitæ, & quando de Chriſto prædicatur, quod ſit DEUS, ſubintelligendum, quòd ſit Deus in carne manifeſtatus, quòd ſit Filius Dei ex Maria virgine ſecundùm humanam Naturam homo natus; quandò de ipſo prædicatur, quòd ſit homo ſubintelligendum, quòd ſit homo in Deum aſſumtus, quòd ſit talis filius hominis, qui etiam in perſonæ unitate eſt Filius Dei, unde in tertia claſſe ab utraque Natura conjunctim ſive ἡνωμένως accepta Chriſtus deſcribitur; tamen à propoſitionibus perſonalibus propriè & exquiſitè ſic dictis cōmodè diſcerni poſſunt. 1. quia hæ propoſitiones non tàm perſonæ unitatem, quàm Naturarum in Chriſto dualitatem præciſè & formaliter exprimunt, Inde enim atque ideò Chriſtus eſt & dicitur homo, quia in ipſo eſt Natura humana, inde atque ideò eſt & dicitur Deus, quia in ipſo eſt Natura divina, inde atque ideò eſt & dicitur θεάνθρωπος, quia in ipſo eſt non ſolùm humana, ſed etiam divina Natura. 2. quia hæ propoſitiones potiùs oppoſitæ ſunt negantibus vel divinam in Chriſto Naturam, ut Arianis, Photinianis, Judæis; vel humanam in ipſo Naturam, ut Marcionitis, Valētinianis, Manichæis, quàm unionis perſonalis myſterium evacuantibus. 3. quia has propoſitiones omnes & ſingulas, Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt Deus & homo, Neſtorius perſonalis unionis hoſtis conceſſit, ſed propriè & exquiſitè dictas perſonales propoſitiones, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, impugnavit. Relinquitur igitur propoſitiones perſonales exquiſitè & ſtrictè ſic dictas, atque ex unione perſonali immediatè fluentes eſſe duntaxat eas, in quibus concretum unius Naturæ prædicatur de concreto alterius Naturæ, vel quod idem eſt, in quibus una Natura prædicatur de altera in concreto.

156. De hiſce propoſitionibus perſonalibus obſerva 1. quòd earum origo & fundamentum ſolùm atque unicè conſiſtat in unione perſonali & communicatione Naturarum, à qua unicè & immediatè profluunt, ex qua etiam unicè æſtimandæ & explicandæ ſunt. Quia enim humana & divina in Chriſto Naturæ ſunt perſonaliter unitæ; quia duabus illis Naturis perſonaliter unitis intima περιχώρησις intercedit, ut divina Natura τοῦ λόγου non ſubſiſtat extra aſſumtam humanam, nec

aſſumta humana Natura ſubſiſtat extra divinam, inde atq; ideò Deus eſt homo, & homo eſt Deus. Quia λόγυ ὑπόςασις non tantùm divinæ ſuæ Naturę, ſed etiam humanę eſt ὑπόςασις, ideò Deus eſt ac dicitur homo. Quia humana Natura aſſumta ipſa τῷ λόγῳ ὑποςάσει ſubſiſtit, ideò homo eſt ac dicitur Deus. 2. quòd non *ex termino à quo*, ſed *ex termino ad quem*, hæ prædicationes explicandæ ſint, quia non tàm *unitionis* actum, quàm *unionis* ſtatum explicant. Quando enim utimur prædicationibus unionis actum exprimentibus ſubjecti loco ponitur *nomen perſonæ ſimplicis*, ut Filius Dei factus eſt homo, ſenſus enim eſt, quòd Filius Dei ab æternitate ἄσαρκος ſuſceperit carnē in perſonæ unitatem, atque ita factus ſit ἔνσαρκος. Sed in perſonalibus propoſitionibus, de quibus hic loquimur, ſubjecti loco ponitur *nomen perſonæ ςυνθέτυ*, ut Filius Dei eſt filius hominis, ſenſus enim eſt, quòd Filius Dei ἔνσαρκος ſit filius hominis. 3. quia perſonalis unio non tollit Naturarum diſtinctionem, ſed Naturæ duæ in Chriſto perſonaliter unitæ, divinitas ſcilicet & humanitas manent eſſentialiter diſtinctæ, ideò non dicimus in abſtracto Deitas eſt humanitas vel humanitas eſt Deitas. (Scholaſtici.) Quæ in uno ſuppoſito uniuntur, de ſe invicem prædicantur, ſi concretè accipiantur. Unio facta eſt non ad unam Naturam, ſic enim altera eſſet abolita, vel foret confuſio aut cōmixtio, ſed in unam perſonam compoſitam. Quemadmodum enim in articulo Trinitatis ob diſcrimen perſonarum non dico Pater eſt Filius, Filius eſt Pater; ita in articulo de Chriſto ob diſcrimen Naturarum non dico, Deitas eſt humanitas & humanitas eſt Deitas. 4. ſi ergò loco ſubjecti ponitur abſtractum, tunc in prædicato nō poteſt poni abſtractum abſolutè, ſed cum quadam variatione, ut ὁ λόγος (putà ἄσαρκος) factus eſt caro, Natura divina τῦ λόγυ aſſumſit humanam Naturam. Humanitas eſt aſſumta in Deum, humana Natura aſſumta eſt ἐνυπόςατος τῷ λόγῳ, ſicut in articulo de Trinitate non dico Pater eſt Filius, ſed Pater eſt in Filio, & Filius in Patre. 5. Dicuntur *propoſitiones perſonales*, quia ex unione perſonali originem ducunt, perſonalis unionis myſterium exprimunt, & earum vis, Natura, veritas & cōnexio ex unione perſonali judicandæ ſunt. Dicuntur inuſitatę, quia non congruunt ad aliquem modum prædicandi uſitatum in prædicabilibus Porphyrianis traditum, non enim eſt prædicatio generis de ſpecie, nec ſpeciei de individuo, nec differentiæ, proprii vel accidentis de individuo, vel ſpecie vel genere. Ciſtercienſis 1. ſentent. diſt. 5. quæſt. 2. art. 1. *Regula Ariſtotelis in divinis non tenent*. 6. Exempla harum propoſitionum in Scripturis hæc occurrunt. Jerem. 23. v. 5. *Germen Davidis eſt Iehova juſtitia noſtra*. Matth. 16. v. 13. & 16. *Filius hominis eſt Filius Dei*. cap. 1. v. 21. & 23. *Filius Mariæ eſt & vocatur Immanuel*. Marc. 15. verſ. 39. *Vere hic homo Filius Dei erat*. Luc. 1. v. 35. *Sanctum, quod ex Maria naſcitur, Filius Dei vocatur*. Luc. 2. verſ. 11. *Filius Mariæ eſt Dominus*. 1. Corinth. 15. verſ. 47. *Secundus homo eſt Dominus de cœlo*. 7. Ex quo fundamento etiam rectè dicitur, quòd Chriſtus homo ſeu ſecundùm humanam Naturam ſit Filius Dei, ſcilicet perſonaliter, non eſſentialiter. Si enim homo verè & realiter eſt Deus, ſi Filius hominis verè & realiter eſt Dei Filius, utique etiam Chriſtus homo ſeu ſecundùm humanitatem eſt Dei Filius, nimirùm ὑποςατικῶς. Theophylact, in cap. 1. Luc. fol. 212. Gr. καλεῖται υἱὸς ὑψίςυ ὁ φαινόμενος ἄνθρωπος. ἐπεὶ γὰρ μία ἦν ὑπόςασις τῷ ὄντι revera υἱὸς ὑψίςυ ἦν ὁ ἄνθρωπος ὁ υἱὸς τῆς παρθένυ. Alcuinus libr. 3. de Trinit. cap. 9. *Non ita Chriſtus Verbum Dei habuit in ſe, ſicut alij ſancti, ſed ipſe eſt Verbum Dei. Aliud eſt enim Verbum in carne & aliud eſt Verbum caro factum. Alius eſt Deus in homine, & aliud eſt Deus homo, ideò DEI Filius non ſolùm ſecundùm veram divinitatem, quam habet de Natura Dei Patris, ſed etiam ſecundùm carnem, quam veram naturaliter habet de corpore B. genitricis Deus verus & creditur & prædicatur ab omnibus Catholicis, quoniam æterna divinitas Filij cum plena humanitate ſua & eadem plena humanitas Filij cum æterna divinitate ſua una eſt in S. Trinitate perſona & hæc non adoptiva, ſed propria & perfecta*. Berohard. homil. 1. de laud. virg. *Quod naſcetur ex te, Filius Dei vocabitur, id eſt, non ſolùm qui è ſinu Patris in uterum tuum veniens obumbrabit tibi, ſed etiam id, quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi, ex hoc jam vocabitur Filius Dei, quemadmodum is, qui à Patre eſt ante ſecula genitus, tuus quoque è modò reputabitur filius, unde etiam Maria dicitur* Θεοτόκος, *quia peperit ſecundùm carnem, carnem factum Dei Verbum*, ut explicat Concil. Epheſin. can. 1. *Firmiſſimè tene*, inquit Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 18. *& nullatenus dubites, non carnem Chriſti ſine divinitate conceptam in utero Virginis priusquam ſuſciperetur à Verbo, ſed ipſum Verbum Deum ſuæ carnis acceptione conceptum, ipſamque carnem Verbi incarnatione conceptam.*

157. *Antitheſis*. 1. *Neſtorius* perſonales propoſitiones repudiavit, unde proverbii loco dicere fuit ſolitus. *Noli gloriari Iudæe, non Deum, ſed hominem crucifixiſti*. Evagrius lib. 1. Hiſt. cap. 2. 2. *Felix Orgelitanus* ſive Orgelli Epiſcopus teſte Almonio Monacho ſcriptis quibusdam editis Chriſtum reſpectu humanæ Naturæ *adoptivum* duntaxat *Dei Filium* eſſe aſſeruit, ſed in Concilio propterea inſtituto erroris convictus, eundem Romæ damnavit. Vide Synodum Francofurtenſem Anno 794. habitam cap. 5. & tomum ſingularem autorum inſignium à Stevartio editum. 3. *Scholaſtici ſic* ἀναλύυσι perſonales illas prædicationes. Filius hominis eſt Filius Dei, & Filius Dei eſt filius hominis, id eſt, Filius Dei, *qui ſuſtentat humanā naturam, eſt Deus*. Atqui 1, non agitur hîc de eſſentiali Naturarum diſtinctione, ſed de perſonali earum unione. 2. Filius Dei ſuſtentans humanam Naturam eſt Deus *eſſentialiter* per æternam à Patre generationem, quâ de re non quæritur in propoſitione perſonali. Filius Mariæ eſt Filius DEI *perſonaliter*, id eſt, per & propter unionem perſonalem, quia hæc Natura humana ſubſiſtit ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, qua de re unicè ac propriè agitur in perſonali propoſitione. 3. Filius Dei eſt Filius hominis non per nudam humanæ Naturæ ſuſtentationem, ſed per pleniſſimam τῆς ὑποςάσεως communicationem, per intimam Naturarum communicationem, per arctiſſimam περιχώρησιν & immeationem. Quidam ex Scholaſticis diſputant, propoſitiones perſonales eſſe *identicas*, ut ſit ſenſus: *Deus eſt ille, qui eſt homo, & ille qui eſt homo, eſt Filius Dei*. Quidam illorum volunt *accidentales*. *Vt n. per accidēs prædicatur de homine, quòd ſit canus, ita quoq; per accidēs prædicari de Filio Dei, q; ſit homo*. At accidens no prędicatur de ſuo ſubjecto directè. Jā v. filius Mariæ directè prædicatur de Filio Dei. Si

Natu-

Natura humana eſſet λόγῳ accidens, λόγος duntaxat dicendus eſſet humanus, non autem homo. Plura contra hanc hypotheſin adducta ſunt ſuperiùs. Rectiùs igitur Bonavent. ſtatuit, non poſſe hanc prædicationem reduci ad alios modos prædicandi conſuetos & uſitatos vel per ſe, vel per accidens, nõ enim eſſe prædicationem *per eſſentiam*, nec *per inhærentiam*, nec *per cauſam*, nec *per ſe*, nec *per accidens*, ſed eſſe modum prædicandi *ſingularem* propter hypoſtaticam unionem ad unum hyphiſtamenon. Eadem eſt ſententia Occami & Aquilani 3. ſent. diſt. 7. quæſt. un. artic. 2. qui hanc rationem addunt: *Sicut modus eſſendi in Chriſto eſt mirabiliter ſingularis & ſingulariter mirabilis, ita etiam modus prædicãdi in Chriſto eſt inuſitatus mirabiliter ſingularis & ſingulariter mirabilis, nam modus prædicandi ſequitur modum eſſendi*. 4. *Pontificij* perſonales propoſitiones non rectè explicant. Bellar. lib. 3. de Chriſto cap. 4. propoſitionem illam, *Verbum caro factum eſt*, confert cum his propoſitionibus: *Aaron à Deo factus eſt Pontifex, David factus eſt Rex*. Atqui fieri Pontificem vel Regem eſt merum accidens, & quidem ſeparabile ac mutabile, nec cum Aarone Sacerdotium, vel cum Davide regnum unum conſtituit ὑφιστάμενον. cap. 15. *Λόγον aſſumentem Naturam humanam* confert *cum Rege purpuram induente*. Senſus igitur propoſitionis, Filius Dei eſt Filius hominis, erit idem cum hac propoſitione: Rex eſt purpuratus. Sed purpuræ non communicatur Regis ὑπόστασις, nec cum Rege unam conſtituit perſonam. Gregor. de Valent. tom. 4. comm. in Thom. diſput. 1. quæſt. 2. p. 365. hanc propoſitionem, *Deus eſt homo*, quodam modo *identicam* eſſe dicit. In defenſ. diſput. contra fund. Ubiquit. p. 42. negat *Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe Deum*.

158. 5. *Calviniani* in ἀναλύσει harum propoſitionum miſerè fluctuant. 1. Quidam dicunt eſſe prædicationes *verbales*. Danæus contra Chẽn. c. 12. p. 295. *Hæ ſententiæ Deus realiter eſt homo, & homo eſt Deus, ita ſunt explicandæ & intelligendæ, ut de perſona quidem ipſa ſeu de toto unito realiter dicantur, de toto tamen uniti aut ſingulis illius perſonæ Naturis verbaliter tantum & per ἐναλλαγὴν ὀνομάτων, aut ἀντίδοσιν, aut κοινωνίαν ἰδιωμάτων enuncientur etiam per verba concretiva & perſonam denotantia. Omnibus enim his vocabulis Patres hanc verbalem prædicationem ſeu appellationis communicationem vocant. Ergò hæc propoſitio. Hic Deus eſt homo, perſona quidem ipſius ratione realis eſt, ipſius autem Naturæ divinæ ratione non poteſt eſſe realis prædicatio, quia Chriſti Deitas non eſt humanitas*. Idem repetit in operibus p. 1419. Admonit. Neoſtad. de libro concord. p. 68. *Homo iſte partim reipsâ, partim nominetenùs eſt Deus*. p. 70. *Prædicatio humanorũ de Deo & divinorum de homine, quantum ad Naturas, tantum eſt verbalis*. Confer Bezam præf. p. 1. reſp. ad acta Coll. p. 19. & Orth. conſenſ. p. 297. edit. Tigur. Anno 1585. Contra. 1. Si propoſitiones illæ perſonales non ſunt reales, ſed verbales tantùm, ita quoque unio, quæ eſt harum prædicationum fundamentum, non erit realis, ſed verbalis. 2. Quo modo Verbum caro factum eſt, eo etiam modo Deus dicitur homo. Sed Verbum caro factum eſt, verè & realiter per aſſumtionem ſcilicet carnis in ſuam hypoſtaſin. Ergo Deus eſt & dicitur homo verè & realiter. Chriſtus Deus per veram & realem Naturarum *κοινωνίαν* eſt homo, & Chriſtus homo per eandem verè ac realiter eſt Deus. 3. Si verbalis eſt prædicatio, *Deus eſt homo*, utique etiam verbalis erit ea, *Deus eſt paſſus*, verbalis igitur erit etiam redemtio per paſſionem ipſius Filii Dei præſtita. Frivolum eſt, quòd regerit Paræus in Iren. p. 264. *Si de prædicationibus loquamur, ineptã eſſe cavillationem, cum nulla ſint prædicationes, niſi verbales, quia non rebus ſed verbis conſtant, neque enim de rebus ipſis, ſed verbis rerum ſymbolis loquimur & philoſophamur. Si vero de ipſo myſterio unionis Naturarum quod prædicationibus verbalibus enunciatur, intelligamus, falſam eſſe accuſationem, cùm ipſimet doceant, Chriſtum hominem eſſe Deum non verbaliter, ſed realiter, imò realiſſime*. Reſpond. 1. mutatur quæſtionis ſtatus, non enim quæritur, an ſint verbales prædicationes, ſed *an tantùm verbales* ſint & non reales. Dan. d. l. *non eſt realis hujuſmodi prædicatio, ſed verbalis tantùm ſeu dialectica*. 2. quia propoſitiones illas tantum verbales eſſe ſtatuunt, ex eo immotè colligimus, quod Deum verbaliter tantùm hominem eſſe ſtatuant, etiamſi verbis id negent. 3. terminos propoſitionis hujus. *Deus eſt homo*, non relinquunt in propria & nativa ſignificatione, ſed loco hominis ſubſtituunt Deum, & loco Dei ſubſtituunt hominem, unde *identicas* vocant, ut poſteà apparebit. 4. verbis quidem docent, Chriſtum Deum eſſe hominem realiter, ſed quia formale unionis perſonalis multis modis labefactant, inde propoſitiones perſonales etiam pervertunt.

159. 2. Quidam vocant prædicationes *proprias & regulares*. Orthod. conſenſ. p. 18. & 122. Grynæus diſp. de ſermone incarnato An. 87. habit. th. 14. Reſp. Si *de proprietate verborum Grammatica* quæſtio ſit, concedimus eſſe proprias, quia tàm prædicatum, quàm ſubjectum, retinent propriam & nativam verborum ſignificationem. Si verò *de proprietate diſpoſitionis Logica* quæſtio ſit (quam ab eis intelligi patet ex eo, quod addunt, eſſe prædicationes regulares) negamus eas eſſe proprias, quia non ſunt eſſentiales nec accidentales, nec congruunt ad aliquem modum ex quinq; prædicabilibus. *Materiale* propoſitionum iſtarum eſt & manet proprium, quia nulla vox in alienam ſignificationem mutatur, ſed *formale*, i. e. ipſa connexio ſubjecti & prædicati non eſt propria, quia non congruit ad aliquem modum prædicandi regularem & proprium.

160. 3. Quidam dicunt eſſe *propoſitiones eſſentiales & univocas*. Crellius in Iſag. Log. libr. 2. part. comm. capite 3. ſect. 2. Keckerman. in Syſtem. Theolog. pag. 319. Piſcat. ad Hoffman. pagina 22. & 28. ubi dicit, *hanc propoſitionem, DEUS eſt homo, fieri ſecundùm prædicationem ſpeciei de individuo*. Contrà. 1. unio non eſt eſſentialis, ergò nec prædicatio erit eſſentialis. 2. Si eſt prædicatio eſſentialis, tùm homo erit de Dei eſſentia, quia in prædicationibus eſſentialibus prædicatum eſt de eſſentia ſubjecti, homo non prædicatur de Deo, ut ſpecies, aut ut genus, aut ut differentia eſſentialis. Ergò hæc propoſitio non eſt eſſentialis. 3. Quicquid de attributo in prædicationibus eſſentialibus dici poteſt, idem etiam de ſubjecto affirmari poteſt. Atqui de attributo, videlicet de homine dici poteſt, quòd eſſentialiter ſit corpus, cùm de Deo videlicet ſubjecto dici nequeat, quòd eſſentialiter ſit corpus. 4. Propoſitiones, in quibus ſpecies de individuo prædicatur,

non poſſunt converti, ut ex prædicato fiat ſubjectum. Non enim poſſum dicere, *Homo eſt Petrus*, ſicut dicere poſſum, *Petrus eſt homo*. At propoſitiones perſonales poſſunt converti. Æquè enim dicere poſſum, *homo eſt Deus*, quàm *Deus eſt homo*. Regerit Piſcator *in hac prædicatione, Deus eſt homo, ſubjectum Deus idem eſſe, quod Chriſtus, & Chriſtus idem eſſe quod humana Chriſti Natura*, unde tandem hæc emergit propoſitio: *Humana Chriſti Natura eſt homo.* Atqui 1. hæc propoſitio non amplius eſt perſonalis, quia Natura humana Chriſti eſt homo non perſonaliter, ſed eſſentialiter. 2. Neſtorius ταῖς ἀμφοῖν hanc analyſin amplectitur. *Deus eſt homo, id eſt, humana Chriſti Natura eſt homo, divina Chriſti Natura eſt Deus.* Beza part. 1. reſp. pag. 94. & pag. 131. *Neſtorius unum Chriſtum fatebatur, & Deum & hominem.* 3. Si humana Chriſti Natura & homo differunt ut individuum & ſpecies, conſequens erit, humanam Chriſti Naturam eſſe hypoſtaſin, ac proindè etiam in Chriſto eſſe duas hypoſtaſes. 4. Hæc analyſis in uno eodemque verbo in ſubjecto *Deus* tres conſtituit typos, primò quidem ſynecdochen ad indicandum, quòd vox *Deus* non ſumatur pro tota Trinitate, ſed tantùm pro ſecunda perſona Trinitatis, deindè ſynecdochen partis pro toto, cùm enim ponatur duntaxat una pars perſonæ συνθέτου, intelligitur totus Chriſtus utraque Naturâ conſtans, denique contrariam Synecdochen totius pro parte, quod poſito toto Chriſto intelligatur duntaxat humana ipſius Natura; tot circuitionibus, tot tropis, tot detorſionibus opus eſt, ut ex phraſi Scripturæ & ex propoſitione perſonali, *Deus eſt homo*, eliciatur tandem illa, *humana Chriſti Natura eſt homo.*

161. 4. Quidam dicunt eſſe *propoſitiones accidentales*, quod facere coguntur omnes, qui carnem dicunt eſſe λόγου adjunctum ſive accidens. Contrà 1. unio non eſt accidentalis. Ergò nec prædicatio. 2. In prædicatione accidentali nunquam ponitur loco prædicati illud, quod ad τὸ εἶναι ὑποστατικὸν ſubjecti pertinet. Sed in propoſitionibus perſonalibus loco prędicati ponitur, quod ad τὸ εἶναι ὑποστατικὸν ſubjecti pertinet, ut cõſtat. E. 3. Unio eſt myſtica, μονότροπος ſingularis, inuſitata, ergò etiã talis erit prędicatio. Excipiunt. *Prædicatum, quod eſt extra ſubjecti eſſentiam, accidentaliter de eo prædicatur. Atqui Natura humana eſt extra eſſentiam τοῦ λόγου. Ergo accidentaliter de eo prædicatur.* Reſpond. 1. ſi vel maximè in omnibus rebus naturalibus locum haberet illa regula, tamen non poſſet ad myſterium unionis perſonalis, & ex eo reſultantes perſonales prædicationes accommodari. Quia in rebus naturalibus modus ineſſendi, qui eſt principium prædicandi, eſt duntaxat duplex, vel enim ineſt aliquid tanquam *eſſentiale cõſtituens*, vel ut *accidentale cõſequẽs*, unde duplex prædicationis modus eſſentialis & accidentalis oritur. Atqui in unione perſonali neuter modus ineſſendi habet locum, humana enim Chriſti Natura nec eſſentialiter, nec accidentaliter λόγῳ ineſt. Ergò ex modo ineſſendi non poſſum prædicationis modum vel eſſentialem, vel accidentalem in hoc myſterio petere. 2. Quamvis Natura Chriſti aſſumta ſit extra eſſentiam Deitatis, id eſt, non ſit eſſentialiter ipſa Deitas, nec in Deitatis eſſentiam mutata, tamen quatenùs eſt λόγῳ unita (quo reſpectu in propoſitionibus perſonalibus conſideratur) catenùs non eſt extra λόγου ὑπόστασιν, ac Deitatem, ſed intimo & arctiſſimo nexu eidem unita, mutua enim περιχώρησις excludit τὸ ἔξω. 3. in prædicationibus non tàm attendenda Natura extremorum ſubjecti ſcilicet ac prædicati ſeorſim ac ſeparatim, an prædicatum ſit intra vel extra ſubjecti eſſentiam, quàm mutua ſubjecti & prædicati cohæſio ac copulatio, qui ſi *eſſentialis* eſt, gignit propoſitionem eſſentialem, ſi *accidentalis*, accidentalem; jam verò inter divinam & humanam Chriſti Naturam non eſt cohæſio accidentalis, ſed unio perſonalis. E. etiam propoſitiones illæ, *Deus eſt homo*, *homo eſt Deus*, non ſunt accidentales, ſed perſonales. 4. Si hæc propoſitio, *Deus eſt homo*, propterea accidentalis eſſet dicenda, quod prædicatum ſit extra eſſentiam ſubjecti, non poſſem reciprocè dicere, *homo eſt Deus*, quia vocabulum *homo*, quod in priore propoſitione erat adjunctum, ſtaret loco ſubjecti, ac vocabulum *Deus*, quod in propoſitione priore erat ſubjectum, ſtaret loco adjuncti, & ſic ſubjectum ineſſet adjuncto. Ergò non ex modo ineſſendi Logicè accepto, ſed ex modo unionis Natura & explicatio propoſitionum harum deducenda.

162. 5. Quidam dicunt eſſe *prædicationes identicas*. Conf. Orth. f. 18. & 123. *In propoſitione: Iſte homo eſt Filius Dei per ſubjectum, homo non illud quod Chriſtus homo, ſed quòd in Chriſto homo eſt, hoc eſt, hypoſtaſis & perſona intelligitur. Hoc autem eſt ipſe Dei Filius aſſumtam & ſubſiſtentem in ſe habens humanitatem, quâ homo eſt. Liquet igitur hinc propter ejuſdem hypoſtaſis in ſubjecto & prædicato identitatem hominem Chriſtum eſſe Filium Dei prædicatione verè identica, qua videlicet idem de ſeipſo, id eſt, Filius Dei de ſua hypoſtaſi ab altera & aſſumta Natura propriè & eſſentialiter prædicatur.* Grynæus diſput. d. & Paræus libr. 3. controv. Euchar. cap. 8. p. 126. itidem vocant *identicam propoſitionem*. Inde tales proponunt ἀναλύσεις: *Filius Dei eſt homo, id eſt, is qui eſt Filius Dei, eſt etiam homo; perſona quæ eſt homo eſt etiã Deus. Filius Dei ſuſtentans humanam Naturam eſt Deus.* Beza in Coll. Momp. p. 173. pro Eutychiano dogmate habet, quando dicitur, *quòd homo iſte Mariæ filius reipſa per unionem hypoſtaticam ſit Deus, non in ſe, ſed in λόγῳ, cui eſt hypoſtaticè unitus.* p. 294. ſic reſolvit: *Si dicimus ullum hominem eſſe Deum, intelligimus ſub vocabulo Hominis Deitatem vel Filium Dei hoc modo: Filius Dei, qui unitus eſt, humanitati & Deitas ipſius eſt Deus, Deitas enim humanitati non eſt communicata.* Martinus ſic progreditur: *Hic homo eſt Deus. Homo eſt nomen perſonæ ab altera Natura hum. ſcil. denominata, quomodo autem eſt Deus? an ſecundùm humanitatem ſeu quatenùs homo? minimè, ſed quatenùs Deus. Ergò Filius Mariæ eſt Deus ſecundum Deitatem, Filius Dei eſt homo ſecundùm humanitatem.* Contrà. 1. in propoſitionibus perſonalibus non id quæritur, an Filius Dei ſit Filius Dei, an Deus ſit Deus, ſed an homo ex Maria virgine natus ſit in perſonæ unitate verè Dei Filius, hoc eſt, nõ agitur de alterutrius vel utriuſq; Nat. veritate, ſed de utriuſque perſonali unione. 2. Neſtorius talem analyſin promtè amplectetur. *Deus eſt homo, id eſt, is qui eſt Filius Dei, eſt etiam homo, Chriſtus, qui eſt homo, eſt etiam Deus*, quo jure igitur Neſtorius accuſatus & damnatus fuit, quod unionis perſonalis myſterium evacuaverit? 3. Ex propoſitione ſimplici, *hic homo eſt Deus*, efficitur axioma copulatum,

ctum, hæc perſona eſt verè Deus & verè homo. Poſterior propoſitio deſcribit duas diſtinctas in Chriſto Naturas, de quo propriè hîc non quæritur, prior verò unionem illarum Naturarum perſonalem exprimit, de quo propriè hoc loco quæſtio eſt. 4. Non quæritur in propoſitionibus perſonalibus, quid ſint Naturæ ſingulæ & an maneant diſtinctæ, ſed quomodo in mutua unione, communicatione ac περιχωρήσει ſeſe habeant. Eſſe Deum ſecundùm Deitatem *naturaliter ſeu eſſentialiter* Chriſto Deo competit, quia ab æterno ex Patris eſſentia genitus eſt: eſſe hominem ſecundùm humanitatem, itidem *eſſentialiter* Chriſto homini competit, quia in temporis plenitudine ex Maria virgine verus homo natus eſt. At quando Filius hominis dicitur Filius Dei, tunc non prædicatur Filius Dei de Filio hominis eſſentialiter, quia Filius hominis eſt Filius Dei non *eſſentialiter*, ſed *perſonaliter*, id eſt, per & propter unionem perſonalem. Confer diſp. 7. de gloria Dei §. 21. 5. quam ἀναλύσεως veritatem agnovit ipſe Beza ſibi contrarius pag. 1. reſp. ad Colloq. Mompelg. *Propter unitatem perſonæ hic homo non quidem qua homo ſive ſua Natura* (& eſſentiæ) *reſpectu, ſed propter ſuam in Filio Dei ſubſiſtentiam eſt verè ille Dei Filius*. 6. accuratiſſimè ergò notandum, & corruptelis adverſariorum perpetuò opponendum in propoſitionibus perſonalibus non agi de λόγῳ ἀσάρκῳ, ſed ἐνσάρκῳ, qui in perſonæ ſuæ unitatem carnem aſſumſit, nec agi de Natura humana ratione ſuæ eſſentiæ conſiderata, ſed de humana Natura quatenùs eſt in λόγου ὑπόστασιν aſſumta, & ipſius τοῦ λόγου ὑποστάσει ſubſiſtit. 7. Si hæ propoſitiones ſtatuuntur idēticæ, evacuatur unionis myſterium, quod in illis propoſitionibus & per illas deſcribitur. Si enim ſubjectum & prædicatum ſupponūt pro eodem, tùm homo ex Maria aſſumtus non erit Deus *actu primo* perſonali, ſed tantùm *actu ſecundo*, ratione ſcilicet ſuſtentationis, quâ à Deo ſuſtentatur; nec ullum inter has propoſitiones, *homo eſt Deus & Deus eſt homo*, erit diſcrimen, niſi quod limitatio, quâ perſona Filii dicitur habere humanitatem, modò voci ſubjecti, modò vocabulo prædicati additur, quod urget Sigw. contrà Paræi Iren. p. 550.

163. 6. Huic analyſi, quâ propoſitiones perſonales ſtatuuntur identicæ, affines ſunt illi, qui eas κατ' ἄλλο, vel juxta ἀλλοίωσιν, quam *ſanctam* appellat Zuinglius tom. 2. oper. fol. 453. explicandas cenſent. Paræus in Iren. pag. 264. *Num volunt ut Chriſtum hominem dicamus eſſe Deum etiam humanitate ſuâ, & Chriſtum Deum eſſe hominem etiam Deitate ſua? anathema Eutychetis.* Idem in method. controv. Ubiquitar. in præfat. pag. 8. per τρόπον ἀντιδόσεως explicandas cenſet, quòd videlicet *unius Naturæ denominatio alteri Naturæ in concreto tribuatur*. Hungari in ſua panharmonia dicunt eſſe *eam figuratam per communicationem idiomatum*. Ergò juxta Paræum propoſitionū perſonalium *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, hic erit ſenſus: *Chriſtus homo eſt Deus ſua Deitate, Chriſtus Deus eſt homo ſua humanitate.* Atqui 1. hac ratione denuò præſupponitur, in his propoſitionibus non agi de perſonali duarum Naturarum unione, ſed de utriuſque in Chriſto Naturæ veritate ac diſtinctione, ergò non erunt propriè & accuratè loquendo *perſonales*. 2. in verbis proximè præcedentibus Paræus aſſerit, *quòd Chriſtus homo realiter & ſubſtantialiter ſit Deus ſua Deitate, & Chriſtus Deus ſit realiter & ſubſtantialiter homo ſua humanitate*, quod ambiguè dicitur. Si enim limitatio iſta, *Deitate ſua*, referatur ad ſubjectum *homo*, quòd homo aſſumtus ſubſtantialiter ſuâ Deitate ſit Deus, patrocinatur Eutycheti, cui tamen anathema ſit, quia homo non poteſt eſſe Deus ſubſtantialiter ſive eſſentialiter, niſi Naturæ confundantur. Sin verò referatur ad prædicatū *Deus*, quòd ſcilicet hic homo ſit Deus ſuâ Deitate, redit prior ἀνάλυσις, quòd ſcilicet ſit propoſitio identica, Deus eſt homo, id eſt, Deus hominem ſuſtentans eſt Deus. 3. Chriſtus homo eſt Deus ſuâ Deitate eſſentialiter, Chriſtus Deus eſt homo ſuâ humanitate eſſentialiter, ſed de eo hoc loco nō quæritur, ſed an homo ſit Deus, & Deus ſit homo perſonaliter. 4. Si homo ſuâ humanitate ſeu ſecundùm humanam Naturam non eſt Deus perſonaliter, conſequens fuerit Filium Dei non communicaſſe verè & realiter humanæ Nat. aſſumtæ ſuâ ὑπόστασιν, ſanctum quod ex Maria natum, non eſſe Filium Altiſſimi, ſecundùm hominem non eſſe verè Dominum de cœlo, Mariam non eſſe θεοτόκον &c.

164. 7. Quidam ſtatuunt eſſe *propoſitiones figuratas ac tropicas*. Contrà 1. Si prædicationes ſunt figuratæ ac tropicæ, unio ipſa erit figurata ac tropica, & conſequenter etiam redemtio per Chriſtum θεάνθρωπον præſtita erit tropica. Vide graviſſimam Lutheri refutationem in confeſſ. majore de Cœna. Tom. 3. Germ. Jenenſ. fol. 478. 2. Figuratæ propoſitiones non ſunt convertibiles: At perſonales propoſitiones convertuntur. 3. in figuratis propoſitionibus mutata eſt verborum proprietas. At in propoſitionibus perſonalibus ſubjectum & prædicatum retinent propriam verborum ſignificationem. Homo ſignificat Naturam humanam animâ rationali & corpore conſtātem à λόγῳ aſſumtam. Deus ſignificat Filium Dei ſeu Nat. divinam τοῦ λόγου integram ac perfectam, in cujus ὑπόστασιν Natura humana eſt aſſumta. 4. tropus foret vel in ſubjecto, vel prædicato, vel in copula, vel totâ prædicatione. Sed nullibi. Non in ſubjecto, nec in prædicato, quia retinent propriam ſignificationem. In copula & totâ prædicatione nequit tropus reſidere. Excipiunt, *verba manere propria, ſed res fieri tropicas & improprias.* Atqui improprietas conſiſtit tantùm *in verbis*, nō *in rebus*, quippè quæ manent immutabiles, nec poſſunt τρέπεσθαι, quia eſſentiæ rerum in alias nequeunt converti.

165. 8. Quidam volunt eſſe *propoſitiones ſynecdochicas, quia nomen Deus pro ſecunda Trinitatis perſona ponitur, homo nomen ſpeciei ponitur pro individuo.* Reſp. nulla hîc occurrit ſynecdoche. Nomen Dei ponitur pro Filio Dei, pro ipſo λόγῳ, qui nec pars, nec ſpecies eſt Deitatis, ſed verus, integer ac perfectus Deus, cùm in Chriſto tota plenitudo Deitatis inhabiter Coloſſ. 2. verſ. 9. Per hominem etiam non intelligitur homo ut eſt ſpecies, ſed intelligitur hic homo Mariæ filius, quamvis particula δεικτικὴ nō ſemper addatur. Thom. part. 3. quæſt. 4. artic. 3. *Hoc nomen homo ſignificat humanam Naturam prout nata eſt in ſuppoſito eſſe.* Homo in ſubjecto non ſignificat nudam humanitatem, ſed humanitatem ſubſiſtentem in perſona τοῦ λόγου, quæ perſona, quia verè Deus, ideò ſine omni tropo & citra illam ſynecdochē in prædicato de eo dicitur quòd ſit Deus. Confer loc. de perſ. Chriſti §. 66.

166 9. Qui-

166. 9. Quidam contendunt eſſe *propoſitiones cauſales, & nō conſtare ex diſparatis, ſed ex cauſa & effecto.* Atqui 1. negari nequit, Naturam divinam & humanam eſſe diſparata. 2. cauſales propoſitiones non ſunt convertibiles, quia cauſa non fit effectus illius, cujus eſt cauſa & viceverſâ. 3. Filius Dei indeatque ideò eſt homo, quia in perſonæ ſuæ unitatem humanam Naturam aſſumſit, quam humanitatem, cùm ipſe ὁ λόγος unà cum Patre & Spiritu ſancto formaverit, hactenus & hoc reſpectu ejus cauſa dici poteſt, ſed humana Natura nullo reſpectu dici poteſt cauſa divinæ Naturæ. 4. In propoſitionibus perſonalibus non tàm reſpicitur ad Naturæ humanæ *formationem*, quæ toti Trinitati communis eſt, quàm ad ejusdem *terminationem*, id eſt, in ipſam τοῦ λόγου ὑπόστασιν aſſumtionem, quæ Filio Dei eſt propria.

167. 10. Cùm de unione & communicatione Naturarum, ac vero perſonalium propoſitionū ſenſu minùs rectè ſtatuant, inde negant, *Chriſtum eſſe Filium Dei ſecundùm humanitatem perſonaliter, ſive per & propter unionem perſonalem.* Piſcator in not. ad amic. collat. Vorſtii pag. 191. Paræus in Iren. c. 28. art. 11. &c. Atqui opponimus illis. 1. *Scripturæ dicta.* Luc. 1. verſ. 35. *quod ex te naſcetur, Filius Dei vocabitur.* Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt ex Maria natus. Ergò ſecundùm humanitatem eſt Dei Filius, ſcilicet perſonaliter, Matth. 16. verſ. 16. *Filius hominis eſt Filius DEI viventis.* Atqui Filius hominis non eſt nec eſſe poteſt abſque ſua humanitate. Ergò Filius hominis ſecundùm ſuam humanitatem eſt Dei Filius, ſcilicet perſonaliter. 2. *conſenſum piæ antiquitatis,* quę in Neſtorio, Felice Orgelitano & Elipando ut errorem damnavit, quòd Chriſtus ſecundùm humanam Naturam non ſit Dei Filius. Dicta quædam ex veteribus ſuperiùs ſunt adducta. 3. *confeſſionem adverſariorum.* Ex ipſis Calvinianis complures agnoſcunt ac fatentur, *Chriſtum ſecundùm utramque Naturam eſſe verum & proprium Dei Filium, juxta divinam Naturam eſſentialiter, juxta humanam perſonaliter.* Calvin. libr. 2. Inſtitut. cap. 14. ſect. 4. Zanch. part. 1. libr. 5. de tribus Elohim cap. 1. pag. 263. Polan. in partit. Theolog. pag. 37. Chaſſanio lib. 2. locor. com. cap. 1. ſect. 3. quamvis in eo quidam eorum à veritatis tramite aberrent, quòd cauſam, cur Chriſtus ſecundùm humanitatem ſit Deus, allegent etiam conceptionem ex Spiritu ſancto, cùm ejus cauſa ſola atque unica ſit unio perſonalis. 4. *rationes.* Si humana Chriſti Natura verè ac realiter particeps facta eſt ὑποστάσεως τοῦ λόγου, utique etiam Chriſtus ſecundùm humanam Naturam verè erit Dei Filius, ſcil. ὑποστατικῶς. Si eſt vera & realis communicatio inter divinam & humanam Naturam utiq; etiam Chriſtus ſecundùm humanam Naturam verè erit Deus, quia hypoſtaſis Filii & Natura ejus divina non differunt realiter. Si Chriſtus homo verè eſt Deus, utiq; etiam Chriſtus ſecundùm humanitatē verè eſt Deus, quia homo non eſt abſque humanitate. Si Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt Dominus legis, utique etiam ſecundùm humanam Naturam erit DEI Filius, quia eſſe Dominum legis & eſſe Dei Filium in perſona Chriſti indivulſo nexu cohærēt, ubi tamen nota τὸ *ſecundùm* non exprimere *cauſam*, quaſi ſcilicet ipſa humana Natura ſit cauſa propter quam Chriſtus ſit & dicatur Dei Filius; nec *modum*, quaſi Chriſtus ut homo ſive ſecundùm humanam Naturam ſit DEUS eſſentialiter, ſed prædicationis *ſubjectum*, quòd Chriſtus ut homo ſit Deus, id eſt, quòd non ſolùm Deitate ſuâ ſit Deus eſſentialiter, ſed quòd etiam humanitate ſua ſit Deus perſonaliter, quia ſcilicet humanitas eſt in λόγον aſſumta, & cum divina Natura perſonaliter unita.

168. Quæritur hoc loco 1. *Quomodo concretum & abſtractum in propoſitionibus perſonalibus accipiantur?* πολυθρύλλητον ac tralatitium eſt, in propoſitionibus perſonalibus concretum Naturę de concreto Naturæ prædicari, vel quod idem eſt, Naturam de Natura prædicari in concreto, non a. in abſtracto, explicandū igitur eſt, quid concreti, quid abſtracti nomine hoc loco intelligatur. Prætermiſſis autem Philoſophicis cōcreti & abſtracti ſignificationibus, eas quæ hujus loci propriæ ſunt, conſiderabimus. (Philoſophi habent quintuplex abſtractum. 1. *Grammaticum.* 2. *Metaphyſicum.* 3. *Mathematicum.* 4. *Phyſicum.* 5. *Logicum,* quod eſt accidentale vel ſubſtantiale, quod poſterius vel Synonymum, vel paronymum.) Scholaſticis *abſtractum ſupponit pro Natura,* ut Deitas, humanitas; *concretum pro perſona,* ut Deus, homo. Quidam duplex ſtatuunt *abſtractum*, ut & duplex *concretum*, videlicet *materiale & formale.* *Abſtractum materiale* vocant, *quod ſimpliciter ipſam Naturam voce abſtracti enunciatam deſignat,* ut Deitas, humanitas. *Abſtractum formale* vocant, *quod denotat modum conſiderandi formæ vel Naturæ naturalem.* *Concretum materiale* ipſis eſt, *quod deſignat ſimpliciter vel Naturam per vocem concreti enunciatam*, ut Deus, homo; *vel totum ſuppoſitum denominatum nunc à Natura alterutra, ſive divina, ut Deus, ſive humana, ut homo, nunc ab utraque ut Ieſus Chriſtus.* *Concretum formale* ipſis eſt, *quod deſignat tùm Naturas, tùm perſonam, non in ſe, ſed in unione & reſpectu unionis conſideratam.* Eſtque duplex, vel *concretum Naturæ*, ut Deus, homo; vel *perſonæ*, ejusque tùm *ſimplicis*, ut Verbum caro factum eſt, tùm συνθέτου denominatæ, vel *ab alterutra Natura*, ut Deus eſt paſſus, vel *ab utraque ſimul*, ut Chriſtus eſt æternus. Nobis hoc loco ad perſonalium propoſitionum genuinam explicationem ſufficit diſtinguere inter *Concreta perſonæ & Naturarum*, & inter *Abſtracta perſonæ & Naturarum.* *Concreta perſonæ* ſunt, quæ notant ambas Chriſti Naturas unâ hypoſtaſi ſubſiſtentes, ut Chriſtus, Immanuel, Mediator. *Concreta Naturarum* ſunt, quæ notant ipſas Naturas cum connotatione hypoſtaſeos. Cùmque duæ ſint in Chriſto Naturæ, divina & humana, ideò etiam concreta Naturarum ſunt duorum generum, quædam ſunt *concreta divinæ Naturæ*, ut Deus, Filius Dei: quædam verò ſunt *concreta humanæ Naturæ,* ut homo, filius hominis. *Abſtracta perſonæ* ſunt, quæ non exprimunt utramque Naturam, ex quibus perſona conſtat, ut homo (quod eſt concretum Naturæ, ſed abſtractum perſonæ, quia nō denotat formaliter utramque Naturam.) *Abſtracta Naturarum*, quæ Naturas ſine connotatione hypoſtaſeos ſignificant, ac pro numero duarum in Chriſto Naturarum itidem ſunt duplicia, *abſtracta divinæ Naturæ,* ut Deitas, divinitas, Natura divina; *& abſtracta humanæ Naturæ*, ut humanitas, Natura humana. *Abſtractum Naturæ* ſignificat non Naturam ſimpliciter, ſed φυσικῶς καὶ καθ' ἑαυτὴν, id eſt, naturaliter & per ſe ſecundùm principia & attributa naturalia conſideratam. *Concretum Naturæ* ſignificat Naturam

Quæſtiones de propoſitionibus perſonalibus.

reſpe-

reſpectu unionis, & propter ipſam conſideratam. Confer Meiſner. part. 1. Sobriæ Philoſoph. ſect. 4. cap. 5. quæſt. unic. Ea hoc fundamento facilè intelligitur, cur dicatur, quòd Natura de Natura non prædicetur, nec prædicari debeat *in abſtracto*, quia ſine connotatione ſuppoſiti ſive hypoſtaſeos duæ Naturæ nō poſſunt de ſe invicem prædicari, cùm non conſtituant unum eſſentiale, ſed *in concreto*, quia quando humanitas conſideratur cum coñotatione hypoſtaſeos τοῦ λόγου, cujus verè & realiter eſt particeps facta, tùm unà cum λόγῳ ac divina λόγου Natura conſtituit unum perſonale, ac proindè hoc reſpectu homo de Deo, ac Deus de homine rectè prædicatur (quò reſpiciens B. Lutherus *diſcrimen inter concretum & abſtractum divinitùs introductum eſſe* ſcribit in cōm. c. 53. Eſa.) Proindè in propoſitionibus perſonalib. nō prędicatur perſona de perſona, introduceretur o. perſonæ διπλότης vel propoſitiones perſonales ſtatuendæ eſſent identicæ, ſed prædicatur concretum Naturæ de concreto alterius Naturæ, vel quod idem eſt, Natura una prædicatur de altera in concreto, id eſt, per vocem hominis intelligitur Natura humana, ſed cum hypoſtaſi, in qua ſubſiſtit, per vocem Dei intelligitur Natura divina, ſed itidem cum hypoſtaſi, quam aſſumtæ Naturæ communicavit, & quia ὑπόστασις utrique Naturæ communis, arctiſſimè eas demunit, ideò etiam in concreto, id eſt, ratione & reſpectu illius ὑποστάσεως de ſe invicem prædicantur. Genuinus enim ſenſus illarum propoſitionum, *Deus eſt homo, & homo eſt Deus*, hic eſt, quod utriuſq; Naturæ divinæ & humanæ in Chriſto ſit una communis hypoſtaſis, quâ arctiſſimè & indiſſolubiliter uniuntur; quòd Deus ſive Filius Dei in ſuam hypoſtaſin aſſumſerit Naturam humanam, & quòd homo, ſive humana Natura in ipſam Filii Dei hypoſtaſin ſit evecta.

169. Q. 2. *An in prædicationibus perſonalibus ſubjecti loco ponatur totum hyphiſtamenon ſeu tota perſona?* Affirmat Crellius libr. 2. Iſag. cap. 3. diſput. 3. *In iſtis*, inquit, *quæ ſunt de Chriſto Filio Dei enunciationibus ſive Deus, ſive homo ſubjiciatur ſemper τὸ λόγου ὑφιστάμενον ſupponitur, & de ea prædicatum enunciatur, ſed homo ratione carnis aſſumta, Deus reſpectu Verbi aſſumentis. Itaque nihil diſparatum hic, nihil inuſitatum.* Atqui 1. confundit Crellius propoſitiones, in quibus ſubjecti loco ponitur *concretum perſonæ*, ac tota perſona deſcribitur ab una vel utraque Natura, ut quando dico, Chriſtus eſt homo, Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt θεάνθρωπος, cum propoſitionibus perſonalibus propriè & exquiſitè ſic dictis, de quibus hoc loco agimus. 2. in illis enim ſubjecti loco non ponitur concretum perſonæ, ſed concretum Naturæ, hoc eſt, Natura humana cum connotatione hypoſtaſeos, in qua ſubſiſtit vel Natura divina itidem cum connotatione hypoſtaſeos, quam carni communicavit. 3. Si in omnibus propoſitionibus perſonalibus, concretum Naturæ loco ſubjecti poſitum accipiendum eſſet pro concreto perſonæ, tunc etiam id fieri judicādum in propoſitione illa, *Verbum caro factum eſt*. Atqui id locum habere nequit, emergeret enim hæc ἐξήγησις, Verbum cum carne eſt caro factum. 4. Si in propoſitionibus perſonalibus alterutra Natura de perſona prædicaretur, tunc ijsdem non duarum Naturarum unio, ſed potiùs utriuſque Naturæ veritas exprimeretur. *Deus eſt Homo, Homo eſt Deus*, id eſt, juxta Crellium. Hæc perſona eſt Deus & homo. Atque inde atque ideò vocantur perſonales, quia unionis perſonalis myſterium exprimunt, quod ſcilicet Deus ſit homo perſonaliter, & homo ſit Deus perſonaliter. 5. Si in hac propoſitione, *Deus eſt homo*, vocabulum Deus accipitur pro concreto perſonæ, hoc eſt, pro toto ὑφισταμένῳ ambas Naturas complectēte, tùm eadem erit ratio in propoſitionibus ad primum genus communicationis pertinentibus, ac proindè quando dicitur, *Deus eſt mortuus*, ſenſus erit, quod de tota perſona prædicetur paſſio & mors, id verò adverſarii non concedunt, ſed concretum ſolius duntaxat Naturæ, videlicet humanæ intelligi volunt. 6. Si ſubjectum in propoſitionibus perſonalibus eſt totum ὑφιστάμενον, tùm alterutra Natura, veluti quædam pars de tota perſona veluti de quodam toto enunciaretur. Atqui pars de toto non prædicatur in caſu recto, ſed in obliquo. Deus autem in caſu recto dicitur homo, & homo in caſu recto dicitur Deus.

170. Q. 3. *An in propoſitionibus perſonalibus diſparata de ſe invicem prædicentur?* Affirmat Luth. in diſput. de dicto, *Verbum caro factum eſt* tom. 1. Jen. Lat. p. 567. th. 3. *Magis diſparata eſt hæc propoſitio*, inquit, *Deus eſt homo, quam illa, homo eſt aſinus*, quod deſumſit ex Biel. libr. 3. ſenten. diſt. 7. *Apud Philoſophum Deus & homo termini ſunt diſparati, qui a illam, Deus eſt homo, diceret impoſſibilem ſicut illam, homo eſt aſinus.* Hæc Lutheri ſententia probatur 1. *ex definitione diſparatorum.* Damaſcenus lib. de Dial. c. 37. & 48. ἑτεροειδῆ, definit, quòd διαφέρουσι τῷ λόγῳ τῆς οὐσίας. Jam verò Deitas & humanitas differūt τῷ λόγῳ οὐσίας ſive definitione. Ergò ſunt oppoſitæ ſive diſparatæ ſpecies. 2. *ex collatione ſimilium exemplorum.* Ferrum & ignis manent diſparata etiam in ferro ignito, corpus & anima manent diſparata etiam in homine, ſic duæ Naturæ ſunt & manent diſparatæ in unione. 3. *ex diſtinctione proprietatum.* Quorum proprietates ſunt diſparatæ & oppoſitæ, illa ipſa quoque ſunt diſparata & oppoſita. Sed duarum Naturarum proprietates ſunt diſparatæ & oppoſitæ, Deitas enim eſt infinita, humanitas finita, Deitas eſt inviſibilis, humanitas viſibilis. 4. *ex conſecutione abſurdorum.* Niſi in propoſitionibus perſonalibus diſparata de ſe invicem prædicarentur, forent prædicationes identicæ ac totum unionis myſterium evacuaretur. Contrarium ſtatuunt quidam ex Pontificiis Bellarmin. lib. 3. de Euchar. cap. 19. ubi *diſparatum de diſparato affirmatè prædicari poſſe* negat, ac quidam ex Calvinianis. Goclen. libr. 1. controv. Logic. cap. 15. quæſt. 2. part. 1. Miſcell. pag. 71. quorum argumentis facilè poteſt ſatisfieri obſervatis hiſce hypotheſibus. 1. Duæ in Chriſto Naturæ ſunt *diſparata*, ſed non ſunt vel ſubſiſtunt *ſeparata*. 2. Diſtinguendum inter *quod & quatenus*, ſive inter prædicationis *materiale & formale*. Duæ Naturæ in Chriſto manent diſtinctæ in unione, ergò etiam manent diſparata in prædicatione, ſed quatenùs de ſe invicem in concreto prædicantur, eatenùs non ſunt diſparatæ, ſed arctiſſimè per terminum ἑνώσεως ὑποστάσεως connexæ, unde etiam non *in abſtracto*, ſed *in concreto* de ſe invicem prædicantur. 3. Ut identitas ὑποστάσεως non tollit Naturarum differentiam, ita quoque non impedit, quò minus Naturæ de ſe invicem in concreto prædicatæ diſparata ſtatuantur. 4. Diſtinguendum *inter judicium*

dicium intellectus ex principiis naturalibus ſine verbi lumine judicantis, qui propoſitionem hanc, *Deus eſt homo*, cùm ſit diſparatorum affirmativè de ſe invicem enunciatorum, tàm impoſſibilem judicat. quàm illam, *Homo eſt aſinus, & inter judicium intellectus verbi & Spiritus ſancti lumine colluſtrati*, qui propoſitionem hanc ratione unionis perſonalis æſtimatam veram judicat. 5. Si diſparata definiantur, quæ planè ſunt diſſeparata, & nullo communi reali conveniunt, negamus eo ſenſu duas Chriſti Naturas eſſe diſparatas, quia ſunt unum in perſona, quæ ut quoddam ἐνυπόστατον intervenit. Itemque ſi diſparata in rationalibus dicantur duo vel plura perſonaliter diſtincta, negamus itidem hoc ſenſu duas Chriſti Naturas eſſe diſparatas, quia non diſtinguuntur *perſonaliter*, ſed *naturaliter*.

171. Q. 4. *An propoſitiones perſonales ſint paronymicæ ac denominativæ?* Schegkius in libr. de una perſon. & in reſp. ad libellum anonymi affirmat, quem alii ſequuntur. Diſtinguendum inter *qualemcunque reductionem*, & inter *plenariam cõvenientiam*, reduci poſſunt quodammodo propoſitiones perſonales ad paronymicas. 1. quod in vulgaribus & naturalibus exemplis eſt *ſuppoſitum*, id in hoc myſterio eſt *perſona*. Ut enim ibi duo accidentia in communi ſubjecto uniuntur, quæ quidem in abſtracto de ſe invicem prædicari non poſſunt, in concreto verò quatenùs ſubjecti unitatem includunt, poſſunt: ſic duæ in Chriſto Naturæ in una communi hypoſtaſi uniuntur, quæ in abſtracto de ſe invicem prædicari non poſſunt, in concreto autem poſſunt. Ut non rectè dico, Theologia eſt Philoſophia, ſed hic Theologus eſt Philoſophus, ita non rectè dico, Divinitas eſt humanitas, ſed Deus eſt homo. 2. Nomina abſtracti & concreti propria ſunt denominativorum, abſtractum eſt denominans, concretum denominativum, quia ergò termini proprii denominativorum in hoc myſterio conceduntur, ideò propoſitiones hoc myſterium explicantes ad modum prædicandi denominativum reduci poſſunt. 3. Vulgata regula de prædicationibus denominativis, quod quicquid cum altero κατ' συνδύασιν unitur & communicatur, παρωνύμως de eo prædicetur, ad hoc myſterium applicatur. 4. Modus prædicãdi denominativus generalis eſt & formalis, fundatus in prima entium conſideratione, quâ conſiderantur, vel ut ſunt, vel ut inſunt quocunque tandem modo. Quamvis ergò modus prædicandi materialis, naturalis ac ſpecialis in propoſitionibus perſonalibus non detur, tamen generalis & formalis, denominativus ſcilicet in illis animadverti poteſt. 5. Denominativus modus non tantùm eſt accidentium, ſed dantur ejus exempla, in quibus denominativum & prædicatum eſt ſubſtãtia, ut corpus eſt animatum. Diſtinguendum enim inter *accidens prædicabile & prædicamentale*, hoc notat quidpiam inhærens, illud omne, quod de ſubjecto prædicatur, ſive ei adhæreat, ſive inhæreat, ſive alio modo inſit. Plenaria tamen convenientia inter prædicationes paronymicas & propoſitiones perſonales ſtatui nequit. 1. quia duæ Naturæ in Chriſto unitæ non ſunt duo accidentia in communi ſubjecto unita, ſicut Philoſophia & Theologia in mente humana, ſed ſunt duæ Naturę unâ hypoſtaſi unitæ. 2. corpus & anima, quæ de ſe invicem παρωνύμως prædicantur, non ſunt duæ ſubſtantiæ completæ, nec naturaliter diverſæ ſpecies ſunt, ſed ad unum eſſentiale conſtituendum ordinata ſunt. 3. propoſitiones perſonales conſtant vocabulis, non adjectivis, ſicut corpus dicitur animatum, ſed ſubſtantivis ipſam unionem duarum Naturarum in una perſona exprimentibus. Homo non dicitur tantùm divinus ſive Deificatus, ſed DEUS; Deus non tantùm dicitur humanus ἐνανθρωπήσας, ſed etiam homo. 4. prorſus inuſitata eſt & in tota rerum univerſitate nullum habens exemplum duarum Naturarum perfectarum ad unum ὑφιστάμενον unio, ergò modus prædicandi ex unione reſultans rectè dicitur inuſitatus. 5. in reliquis omnibus denominativis prædicandi modis cohæſio ſubjecti ac prædicati eſt accidentalis, ſed in perſonalibus propoſitionibus DEUS de homine, & homo de Deo non prædicatur accidentaliter, ſed perſonaliter. 6. cùm Θεοῦ ἐν σαρκὶ φανέρωσις ſive ἕνωσις δύο φύσεων ὑποστατικὴ ſit ὁμολογουμένως μέγα μυστήριον 1. Tim. 3. v. ult. ideò præſtat propoſitiones illam exprimentes vocare ac ſtatuere *inuſitatas*, quàm ad Logicos prædicandi modos referre.

172. Q. 5. *An Chriſtus ſecundùm humanam Naturam ſit Filius Dei naturalis?* Quidam Eutychianiſmi hanc phraſin accuſant. Sed à Theologis orthodoxis ſano ſenſu fuit uſurpata. Nota igitur 1. diſtinguẽdum *inter rem & modum rei*. Si terminus ille *naturalis* ad rem dũtaxat refetatur, ſenſus eſt, quòd Chriſtus ſecundùm humanam Naturã ſit verus & proprius Dei Filius; ſin verò ad modũm rei referatur, ſenſus eſt, quod Chriſtus ſecundùm humanam Naturam naturaliter ſit Dei Filius. Priorem ſignificationem concedimus, poſteriorem negamus, quia Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt Dei Filius non naturaliter nec eſſentialiter, ſed perſonaliter. 2. Diſtinguendum *inter ſuppoſitum & cauſam*. Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt Filius Dei natutalis, id eſt, Chriſtus homo, ſive Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt idem ſuppoſitum, eadem perſona, ac proindè etiam idem filius naturalis & proprius, qui eſt Chriſtus Deus, neque enim duo ſunt in Chriſto Filii, ſed unus eſt filius. Sed ſi ad cauſam hæc determinatio referatur, hoc eſt, ſi cauſa propter quam Chriſtus ſecundùm humanam Naturam dicatur Dei Filius, ſtatuatur Natura ſive naturalis & æterna à Patre generatio, tùm hic ſenſus à nobis repudiatur. Cauſa enim, propter quam & cujus reſpectu Chriſtus ſecundùm humanam Naturam dicitur Dei Filius, non eſt Natura, ſive æterna à Patre generatio, ſed unio hypoſtatica, quia ſcilicet aſſumta humana Nat. facta eſt particeps illius hypoſtaſeos, juxta quam Chriſtus ut verus DEUS eſt ab æterno à Patre genitus, & proindè naturalis ac unigenitus ejus Filius. 3. Si inter filium *naturalem & adoptivum* immediata ſtatuitur oppoſitio, rectè dicitur, Chriſtũ ſecundùm humanam Nat. eſſe Filium Dei naturalem, non enim eſt adoptivus filius, quæ opinio in Felice Orgelitano & Elipando, atque ante illos in Neſtorio jam olim fuit damnata. 4. Naturale ponitur pro *eſſentiali*, pro eo quod eſt *quarto modo proprium*, pro eo, quod *nobiſcum natum*, vel quod *nobis ab ipſa nativitate ineſt*, quia Natura ſignificat eſſentiam rei, eſſentię partem, eſſentialem proprietatem & nativitatem. Dicitur ergò Chriſtus ſecundùm utramque Naturam Filius Dei naturalis, ſed non eodem modo. Cùm ſecundùm divinam Naturam naturalis Dei Filius dicitur, naturale ſi-

le ſignificat idem quod eſſentiale,& perindè eſt,ac ſi dicas,Chtiſtũ eſſe Filium Dei eſſentialem,id eſt, ejusdem cum Patre Naturæ & eſſentiæ. Cùm verò ſecundùm humanam Natutam dicitut Filius Dei naturalis, natutale ponitut pto eo, quod ab ipſa nativitate ineſt & eſt,perindè ac ſi dicas, Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt Filius DEI natus, vel ab ipſa nativitate, non enim poſt nativitatem fuit in Dei Filium adoptatus,ſicut nos,qui *Natura ſumus filij ira* Ephel.2.v.3.& poſteà υἱοθεσίαν accipimus Iohan.1.v.14. ſed ipſe natus eſt Dei Filius,non ſactus.Lubert.in comment.ad 99. errot.Vorſt.pag.48.

Vſus pract. 173. *Vſus practicus* eſt πιθετικὸς,ut in propoſitionum perſonalium ἀναλύσει verbi cœleſtis facem prælucentem, nonrationis tenebras ſequamur, nec ad uſitatas Logicæ tegulas examinemus propoſitiones exprimentes ſummum illud μυστήριον, quod eſt ὑπὲρ νοῦν,ὑπὲρ λόγον,ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν,non hominum tantùm,ſed etiam Angelorum. *Vtramq; Naturam,divinam ſcilicet & humanam in unam conveniſſe perſonam,niſi fides credat,humana ratio non explicat*,ait Leo ſerm.de nativ. *Ineffabiliter & ultra quàm poſſit mens humana intelligere Verbum humanitati conjunctum eſt*.Cyrill.lib.4.in Johan.cap.15.Incarnationis opus Damaſcenus vocat τὸ πάντων καινῶν καινότατον τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον, *omnium novorum maximè novum,quod ſolum ſub Sole novum* lib.3.orth. fid. cap.1.Ecquis igitur patientet audiat, propoſitiones perſonales ex myſterio unionis unicè explicandas tot troporum gyris circumagi, & ad uſitatos prædicandi modos omnis myſterii expertes per Logicam ferulam tevocari.

Cap. X.

De communicatione idiomatum in genere.

Communicatio idiomatum 174. Theſis.1. *Ex unione & communicatione Naturarum oritur communicatio idiomatum, quæ in genere ſic deſcribi poteſt,quod ſit participatio propriorum divinæ & humanæ Naturæ in Christo θεανθρώπῳ ab alterutra vel utraque Natura ſimul denominato ex hypoſtatica unione profluens.* ἔκθεσις. Termini duo hoc loco explicandi. 1. Communicationis. 2. Idiomatum. Communicatio dicitur à communi. Commune τὸ κοινὸν eſt unum quiddam, ſeu res una, quam pluta participant. Ergò communicatio erit unius,quod plutibus commune eſt, in plura illa, quæ id commune habent, diſtributio. Communicatio genetalitet accepta eſt vel *verbalis* tantùm, vel *realis*. Illa fit 1. vel per *tropum*, ut cùm Herodes dicitur vulpes. 2. vel κατ' ἀξίαν, *ob honorem*, ut cùm uxor à marito denominatut. 3.vel *per fictionem*,ut quando Pontifex dicitur Eccleſiæ caput. *Realis* eſt 1. vel φυσικὴ, vel ὑπερφυσικὴ. Illa eſt 1. *inter ſubſtantiam & ſubſtantiam*, ut in ferro ignito. 2. *inter ſubſtantiam & accidens*,ut in aqua calida.3. *inter accidens & accidens*,ut in cano Philoſopho. ὑπερφυσικὴ quintuplex eſt. 1. οὐσιώδης, *eſſentialis* inter perſonas Trinitatis.2. πνευματικὴ, *ſpiritualis*, inter Deum & fidelem animam.1.Corinth.6.v.17. 3. μυστικὴ,*Sacramentalis*, inter panem & corpus Chriſti,vinum ac ſanguinem Chriſti.4.συμβολικὴ, inter Spiritum ſanctum & columbæ ſpeciem, inter Deum & figuras aſſumtas, in quibus Patribus apparuit. 5. ὑποστατικὴ, *perſonalis* in Chriſto ex duabus Naturis divina & humana conſtante. Ea eſt vel *Naturarum*, vel *eorum,quæ Naturas conſequuntur,idiomatum* ſcilicet Natutalium ac *operationum*.De communicatione Naturarum in præcedentibus actum, de communicatione eorum, quæ Naturas conſequuntur, dicendum portò reſtat. Communicatio idiomatum eſt Naturæ ad perſonam vel Naturæ ad Naturam. Communicatio Naturæ alterutrius ſcil.ad perſonam eſt, quâ proprietas uni Naturæ conveniens tribuitur perſonæ in concteto. Hæc conſtituit *primum genus communicationis idiomatum* vulgò ſic appellatũ. Communicatio Naturæ divinæ ſcilic. ad Natutam humanam eſt,quâ divina Natura τοῦ λόγου propriam ſuam glotiam & excellentiam communicat manẽs ipſa paſſionum catnis expets. Hæc conſtituit *ſecundum genus*. Communicatio opetationum eſt utriuſque Naturæ in perſona τοῦ λόγου operatio,quâ utraque Natura in Chriſto operatur cum communicatione alterius, quod cujuſque proprium eſt: Hæc *tertium genus* conſtituit.

175. 2. Communicatio fit vel κατὰ μέθεξιν, vel κατὰ συνδύασιν. Communicatio κατὰ μέθεξιν eſt participatio eſſentialis, quâ unum in alterius eſſentiam ac definitionem tranſit, vel unum alterius definitione atque eſſentiâ participat,quam eſſentiæ participationem propriotum quoq; communicatio conſequitur. Sic homo ut ſpecies,animalis ut generis eſſentiam ac definitionem participat, unde eum eſſentia animalis facultatem quoque ſentiendi obtinet Communicatio κατὰ συνδύασιν,quæ fit ſecundùm conſociationem duarum diverſatum Natutarum, pet quam alterum unitorum cum altero ita connectitut, ut eſſentiâ diſtinctâ manente nihilominus alterum alterius proprietatem, vim & efficaciam per & propter communionem factam ſine omni confuſione verè accipiat & induat. Exemplum eſt in fetro ignito & corpote animato. Communicatio idiomatum, quam hoc loco ſtatuimus. 1. non eſt verbalis tantùm. 2.nec eſt φυσικὴ μετάβασις, proprietatum unius ſubjecti in alterum effuſio. 3. nec eſt communicatio κατὰ μέθεξιν. 4. nec eſt talis quædam eſſentialis participatio, quâ ex confuſione eſſentiarum & proprietatum eſſentialium oriatur aliquod tertium,ut in melictato. (Humana Natura non eſt eſſentialitet unum cum divina,nec per eſſentiam facta eſt, id quod eſt aſſumens ὁ λόγος.) 5. nec talis quædam cauſatio,quâ cauſa aliqua alteri ſubjecto effectum aliquem tribuit, ſicut Deus bonitatem ſuam creaturis, & præceptor artem diſcipulo communicare dicitut, ſed eſt communicatio veta & realis,hypoſtatica & ſupernaturalis illi, quæ κατὰ συνδύασιν vocatur proximè accedens. Breviter, ut unio non eſt eſſentialis,nec verbalis tantùm, nec pet σύγχυσιν vel ἀλλοίωσιν, vel μίξιν, vel παράστασιν, nec eſt φρουστικὴ, vel Sactamentalis, ita quoque communicatio talis non eſt.

176. De termino *communicationis* hactenùs. *Idiomata* dicuntur cujusque Naturæ attributa & ptoprietates, quibus in perſonæ unitate duæ Naturæ invicem diſtinguuntur. Sic divinæ Naturæ propria ſunt, eſſe ab æterno, eſſe infinitam, eſſe immenſam, eſſe inviſibilem, eſſe omnipotentẽ. Pro-

pria humanæ Naturæ ſunt naſci in tempore, pati, muri, &c. de quibus *ἰδιώμασι* obſerva. 1. aliam eſſe rationem idiomatum *divinorum*, aliam *humanorum*. Divinæ Naturæ idiomata ſunt ipſa τῦ λόγυ eſſentia, & ab ea realiter non diſtinguuntur. Humanæ Naturæ idiomata ſunt παρεπόμενα τῇ φύσει, non *conſtitutiva*, ſed *conſecutiva* eſſentiæ. 2. De idiomaſi & affectionibus humanis ſuperiùs monuimus, quasdam *toti composito*, quasdam verò *ſingulis partibus* convenire. Item quasdam eſſe *eſſentiales*, quasdam verò *accidentales*. 3. Quãdo tria genera communicationis idiomatum vulgariter ſtatuuntur, nomẽ ἰδιωμάτων κοινωνίας accipitur, ut non ſolùm idiomata propriè ſic dicta, ſed etiam operationes complectatur, quia idiomata per ἐνεργείας καὶ ἀποτελέσματα ſeſe exerunt.

177. Prubatur theſis 1. *ex ipſa unione*. Quicquid in aſſumtione humanæ Naturæ venit ſub unionem, illud etiam venit ſub communicationem. Jam verò idiomata veniunt ſub unionem, quia nulla Natura deſtituitur ſuis proprietatibus, eùm Natura carens proprietatibus, careat etiam exiſtentia, ac Naturæ duæ in Chriſto unitæ ſunt non nudæ ſive exutæ ſuis proprietatibus, ſed integræ ſine defectu, nullam propriorum excidentiam paſſæ. Ergò etiam idiomata veniunt ſub communicationem. Sublato conſequente neceſſariò negatur immediatum antecedens. Jam verò communicatio idiomatum eſt neceſſarium conſequens unionis tanquam immediatè antecedentis. Ergò negatâ communicatione idiomatum, negatur ipſa unio, unde Patres Concilii Epheſini contra Neſtorium ſic concluſerunt. Qui negat carnem Chriſti eſſe vivificam, ſolvit unionem. 2. *ab unionis conditione*. Infimus duntaxat unionis gradus *per agglutinationem, aggregationem, appoſitionem, coacervationem* ac nudam παράστασιν communicationis eſt expers Jam verò unio duarum in Chriſto Naturarum eſt longè arctiſſima & perfectiſſima. Ergò de ea cogitari vel dici nequit, quòd nullam communicationem unitorum pariat. 3. *ex abſurdi conſecutione*. (Quidam ſimpliciter ſic concludunt: *Quæ realiter ſunt unum, eorum uno communicato, communicatur etiam alterum. Jam verò* ὑπόστασις τῦ λόγυ *& attributa eſſentialia* τῦ λόγυ *non differunt realiter. Ergò communicatâ* ὑποστάσει *communicantur etiam eſſentialia attributa*. Sed quia major in divinis myſteriis patitur quasdam inſtantias, ideò rectiùs utimur ἀναγωγῇ πρὸς ἄτοπον, & quidem tali.) Si propriorum communicatio prorſus negatur, duæ erunt in Chriſto perſonæ, quod Neſtorianum. Connexio probatur, quia Natura humana aſſumta aut eſt prorſus ἀνυπόστατος, aut habet ὑπόστασιν. Prius dici nequit, quia Ens reale ſubſtantiale ac ſubſiſtens non poteſt eſſe ἀνυπόστατον. Si poſterius, Natura humana aſſumta aut habebit propriam ὑπόστασιν, aut communicatam, id eſt, aut eſt αὐθυπόστατος καὶ ἰδιοσύστατος, aut eſt ἐνυπόστατος αὐτῇ τῇ λόγου ὑποστάσει. Prius dici nequit, aliàs enim forent duæ in Chriſto ὑποστάσεις. Manet ergò poſterius, quòd ſcil. Natura humana communicatã habeat τῆς λόγου ὑπόστασιν. Atqui ſi ὑπόστασις τῦ λόγυ carni communicata eſt, utique datur propriorum communicatio, quia hypoſtaſis eſt characteriſticum quiddam, quo quælibet perſona in divinis à reliquis perſonis πρὸς τοῖου diſtinguitur & eſt cujusque perſonæ maximè propria. 4. *ex ſpeciali enumeratione*. Dantur diſtinctæ Claſſes dictorum Scripturæ, in quibus de communicatione idiomatum ex unione hypoſtatica orta agitur, ut in ſequentibus apparebit. Ergo etiam datur idiomatum communicatio, eademque non unius ſed diverſorum generum.

178. *Antitheſis. 1. Samoſatenus & Neſtorius* *Antitheſis.*
ut Naturarum, ita quoque idiomatum communicationem penitus negarunt, erraruntigitur ἐν ἐλλείψει. *Eutyches* ut Naturarum ita quoque idiomatum confuſionem eſſentialem introduxit, erravit igitur ἐν ὑπερβολῇ. *Jeſuitæ* realem idiomatum communicationem penitus explodunt. Gregorius de Valent. in defenſ. Diſputat. contra fund. Ubiquitatis p. 51. *per idiomata nuda nomina vel locutiones intelligendas eſſe* aſſerit. Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 8. *communicationem ſubſiſtentiæ & communicationem attributorum Deitatis* ſibi invicem opponit ac priorem unioni concedit, poſteriorem verò derogat. cap. 10. negat *idiomata unius Naturæ alteri ex vi hypoſtaticæ unionis realiter communicari* Confer theſes Jeſuiticas Ingolſtadianas Witebergæ 1571. à Sacramentariis recuſas. 3. *Calviniani* 1. realem idiomatum communicationem appellant *figmentum Scholaſticum*, imò *commentum Eutychianum*. Beza volum. 1. operum Theolog. p. 615. & in reſp. ad act. Colloq. p. 93. ubi ſic loquitur. *Communicationem ullam, quæ ſit quoddam unionis effectum & aliud quam vel ipſa unitio & habitualis, quam vocant gratia ponere, merus & intolerabilis eſt Eutychianiſmus*. ibid. in antitheſ. *Nos docemus ex hypoſtatica unionis definitione neque Deitatem neque Deitatis proprietates de humanitate ullo modo ne quidem in unione dici poſſe*. Idem tamen part. 1. quæſt. & reſp. p. 17. abſtractivas locutiones concedens ſibi quodammodo contradicit. *Si vis*, inquit, *illud etiam concedam, Chriſti humanitatem eſſe præſentem, ſed* κατ᾽ ἄλλο, *id eſt, non in ſe ſeu ſui eſſentia, ſed quatenus cohæret hypoſtatica unione cum* τῷ λόγῳ *qui eſt ubique, nedum in cœna reipſa præſens eſſe Chriſti corpus*. Eodem ferè modo Zanchius lib. 2. de incarnat. p. 579. *Si intelligant Lutherani humanã Naturam ita perſonaliter ditatam eſſe propriis divinæ Naturæ idiomatibus, ſicut etiam perſonaliter in ea habitat tota plenitudo Deitatis, ego certè non contradixero & ita omnes docti & pii concedũt humanam Chriſti Naturam perſonaliter eſſe omnipotentem, & ubique præſentem*. ** Alſtedius controv. 8. p. 546. verſ. 2. *Chriſtus homo dicitur Rex omnipotens non aliter ac uxor Electoris dicitur Electrix tametſi reipſa non ſit Electrix nec Imperatorem eligat*. ** Sed quæ in hiſce conceſſionibus lateant ſtrophæ, detegetur inferius in ſecundo genere communicationis. 2. idiomatum communicationem *tantum verbalem quandam prædicationem eſſe* ſtatuunt. Beza volum. 1. oper. Theol. p. 638. *realem* vocat, ſed in Coll. Mompelg. à ſe edito p. 157. mentem ſuam ſic explicat. *Verbalem vocamus idiomatum communicationem, quatenus eſt figurata loquendi phraſis & ſimul tamen realem ac veriſſimam, cùm de perſona tota, quatenus una eſt, dicitur adverſus Neſtorium. Sin autem de Naturis dicantur, ut à noſtris adverſariis accipitur, nec verbalem, nec realem, ſed blaſphemam & deteſtandam cenſemus, quia merus eſt Eutychianiſmus*. Confer quæ in antith. cap. 8. de Naturarum communicatione dicta.

179. Quæ-

Quæſtiones de communicatione idiomatum.

179. Quæritur. h. l. 1. *An communicatio idiomatum ſit forma an verò conſequens unionis hypoſtaticæ?* Poſterius affirmamus. Prius nobis affingunt Pontificii. Bellarm. 3. de Chriſto. cap. 8. Gregor. de Valent. tom. 4. Diſput. 1. q. 2. p. 126. *Ubiquiſtæ tradunt humanam Naturam Verbo divino hypoſtaticè unitam eſſe hoc ipſo, quod omnis plenitudo & ἐνέργεια divinitatis Verbi eſt illi realiter cõmunicata & in eam transfuſa, &c.* Pontificiis hac in re ſuffragantur Calviniani Breviar. Ubiquit. art. 9. p. 64. propterea quod Jac. Andr. Apolog. p. 37. communicationem idiomatum ſtatuat *ſpecificam differentiam unionis hypoſtaticæ.* Sed notandum 1. quod diſputet contra eos, qui unionem definiunt per *ſolius hypoſtaſeos communicationem* excluſâ prorſus idiomatum communicatione. 2. quòd differentia ſpecifica ac forma rei interna ſæpiùs deſcribatur per effecta à poſteriori, interim propriè & accuratè loquendo unio Naturarum & communicatio idiomatum differunt ut *antecedens & conſequens* ordine ſcilicet Naturæ non temporis, ut *cauſa & effectus*, ut *prius & poſterius*. Confer quæ ſuperiùs dicta capite 7. theſ. 4. quæſt. 8.

180. Q. 2. *An communicatio idiomatum rectè definiatur per prædicationem?* Faciunt hoc Jeſuitæ & Calviniani, quibus hæc opponimus fundamenta 1. Quorum uno poſito non ſtatim ponitur alterum, ea differunt realiter ac totum unum non poteſt eſſentialiter per alterum definiri. Jam verò poſitâ communicatione non ſtatim ponitur prædicatio, quia communicatio facta eſt in primo ſtatim incarnationis momento & durabit in omnem æternitatem, etiamſi nullus eſſet, qui actu eam in prædicatione enunciaret. 2. Quæ differunt *ut prius & poſterius*, illa non ſunt prorſus unum, Communicatio & prædicatio differunt ut prius & poſterius, quia prædicatio ante ſe requirit communicationem, juxta regulam Logicam, *dici requirit ineſſe*. 3. Notio prima non eſt notio ſecunda, nec poteſt hæc eſſe genus in definitione illius. At prædicatio eſt vocabulum *ſecundæ*, communicatio autem *primæ* intentionis. Ergo. 4. Quæ ſubjectis differunt, realiter differunt. Communicatio & prædicatio ſubjectis differunt. *Communicationis ſubjectum* eſt ὁ λόγος ἔνσαρκος ſive duę Chriſti Naturæ perſonaliter unitæ. *Prædicationis ſubjectum* eſt noſter λόγος ἐνδιάθετος vel προφορικός. Contrà urgent, quod B. Lutherus, Philippus & Chemnicius communicationem idiomatum appellent *phraſin ac prædicationem*. Reſp. hoc non accipiendum eſt *excluſivè*, quaſi tantum ſit verbalis quædam prædicatio, ſed *notificativè*, quod ſit talis loquendi modus, cui res ipſa reſpondeat, intelligunt enim talem phraſin ac prædicationem cui res ipſa ſubſit, prout Lutherus mentem ſuam clariſſimè explicat in comm. Eſai. 53. & Iohan. 14. Sic ergo procedimus. Communicatio conſideratur vel *realiter tantum* vel *realiter & nominaliter ſimul*, prout in prædicatione effertur. In priori conſideratione non eſt prædicatio ſed in poſteriore, verùm non *verbalis tantum ſed realis*, cui ſcilicet in ipſo Chriſto res ipſa verè reſpondet. Inde enim atque ideò humanæ Naturæ propria prædicantur de perſona, quia in ipſo Chriſto propria Naturarum facta ſunt communia perſonæ. Sed Jeſuitæ & Calviniani fundamentum rei ipſam ſcilicet communicationem tollunt & nudas duntaxat loquendi formulas relinquunt.

Exegeſis.

181. *Uſus practicus.* Sicut ex unione perſonali duarum in Chriſto Naturarum oritur communicatio idiomatum perſonalis, ita ex unione ſpirituali Chriſti & Eccleſiæ; Dei ac fidelis animæ oritur communicatio quædam ſpiritualis tum *in regno gratiæ* in hac vita, tum *in regno gloriæ* in futura vita, unde D. Petrus 2. Epiſt. 1. verſ. 4. dicit, nos θείας φύσεως κοινωνοὺς eſſe factos, quæ communicatio quomodo ſeſe habeat, in ſequentibus ſpeciatim explicabitur, hîc τὸ ὅτι generatim conſideramus. *Qui Deo adhæret, eſt unus cum eo Spiritus* ait Apoſtolus 1. Corinth. 6. verſ. 17. Qui agglutinatur Domino per fidem ſcilicet & dilectionem, eſt unus cum eo Spiritus non eſſentiali converſione, ſed ſpirituali unione, eſt cum DEO unitus per Spiritum videlicet Spiritum ſanctum, quia Spiritu Dei regitur & ad omne bonũ impellitur. Sicut propter unionẽ duarum in Chriſto Naturarum ſtatuuntur *nuptiæ perſonales* Matth. 22. verſ. 2. ſic propter unionem Chriſti & Eccleſiæ, Dei ac fidelis animæ ſtatuuntur *nuptiæ ſpirituales* Apocal. 19. verſ. 7. Quemadmodum de vera & arcta Naturarum in Chriſto unione judicium fit ex idiomatum communicatione, ita quoque ex communione intelligi poteſt, an quis veram & ſpiritualem cum Deo unionem obtineat. 1. Iohan. 1. v. 7. *Si in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, κοινωνίαν habemus ad invicem.* c. 2. v. 5. *Qui ſervat verbum ejus, verè in hoc caritas Dei perfecta eſt, in hoc ſcimus, quoniam in ipſo ſumus.* v. 6. *qui dicit ſe in ipſo manere debet ſicut ille ambulavit & ipſe ambulare,* cap. 4. v. 13. *in hoc cognoſcimus, quoniam in eo manemus & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.*

Uſus practicus.

Tria genera communicationis idiomatum.

182. Theſis 2. *Communicationis idiomatum vulgò tria ſtatuuntur genera. In primo propria Naturarum prædicantur de Chriſto divina quidem propter Deitatem, humana propter humanitatem. In ſecundo divina majeſtas, gloria & potentia prædicatur de Chriſto ſecundùm humanam Naturam per & propter unionem hypoſtaticam. In tertio nomina & opera officij prædicãtur de Chriſto ſecundum utramque Naturam.* Fundamentum hujus diſtributionis dependet 1. *ex ipſius unionis conditione.* Quia enim poſt factam duarum Naturarum in Chriſto unionem Naturæ non ſingulæ ſeorſim & ſolæ ſubſiſtunt ac agunt, quæ cujuſque propria ſunt, ſed perſona ſubſiſtit in duabus illis Naturis & agit omnia juxta cujuſque proprietatem, inde oritur *primum genus communicationis idiomatum.* Quia Naturæ divinæ, quæ eſt αὐτάρκης, ἀμετάβλητος ac perfectiſſima, per unionem nihil acceſſit, humana verò præter & ultra eſſentiales ſuas proprietates ex hypoſtatica unione divinas ἐξοχὰς ſortita eſt, inde oritur *ſecundum genus communicationis idiomatum.* Denique quia in operibus officii altera Natura non otioſè quieſcit aut ſua tantum privatim agit aliud agente aut patiente alterâ, ſed utraque Natura agit cum communicatione alterius, inde oritur *tertium genus communicationis idiomatum.* 2. *ex diverſorum Scripturæ dictorum conſideratione.* Quot ſunt claſſes, ad quas dicta Scripturæ, quæ de communicatione idiomatum tractant, commodè revocari poſſunt, totidem etiam communicationis idiomatum genera, ſive gradus ſtatui debent. Jam verò tres occurrunt claſſes, ad quas ejuſmodi dicta Scripturæ revocari poſſunt. Ergo. Aſſumtum patebit ex ſequentibus.

Hûc referenda dicta Patrum, quæ de quolibet genere communicationis apud ipſos occurrunt, quibus à novitatis accuſatione noſtrarum Eccleſiarum confeſſio liberatur. Damaſcen. lib. 3. de orth. fid. cap. 3. & lib. 4. cap. 19. itidem tria communicationis genera ſtatuit. Primum vocat ἐκ τοῦ ἐλάττονος cùm id quod eſt inferius & à Natura Deitatis ἀλλότριον, toti perſonæ tribuitur. Alterum ἐκ τοῦ κρείττονος cùm excellentiora & diviniora de humana Chriſti Natura prædicantur, quod lib. 3. cap. 7. ſic exponit, τῶν οἰκείων αὐχημάτων ἡ θεότης τῷ σώματι μεταδίδωσιν, αὐτὴ δὲ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν διαμένει ἀμέτοχος. Tertium ἐξ ἀμφοῖν, ubi utraque ſimul reſpicitur Natura, dum vel divina vel humana operatur Chriſtus in utraq; forma cum alterius communicatione. Vel ὁ λόγος ea quæ carnis ſunt, ſibi attribuit, vel μεταδίδωσι tradit ac communicat carni τὰ ἴδια propter περιχώρησιν, vel divina vel humana Chriſtus operatur in utraque forma cum alterius communicatione.

183. *Antitheſis. Calviniani* de tribus communicationis idiomatum generibus ὅμοια μὲν λαλοῦσι, ἀνόμοια δὲ φρονοῦσι, quod hæreticorum proprium eſſe Irenæus dicebat in præfat. libro 1. adv hæreſ. Danæus part. 1. Iſagog. Chriſt. cap. 47. *triplicem* agnoſcit *communicationis ſpeciem*, unam ἰδιωμάτων *cùm quæ ſunt unius tantùm Naturæ propria ac eſſentialia, tamen alteri Naturæ in concreto ſeu vocabulo ſignificante totam perſonam Chriſti tribuuntur: alteram* ἐνεργημάτων καὶ ἀποτελεσμάτων *quæ fatetur Naturis eſſe communia, ſed operationibus actionibusque diſtinctis & ut loquitur alteri communicatis*: tertium nominat ὕψωσιν *cùm Natura à* λόγῳ *aſſumta præter idiomata naturalia & eſſentialia habere dicitur omnes & ſingulas, quantas maximas ulla creatura habere poteſt gratias & dotes ſibi inhærentes & habituales.* Billſtenius in Catech. pagin. vigeſima prima tres loquendi modos proponit, primum per *gratiam unionis*, alterum per *gratiam capitis*, tertium per *gratiam habitualem*, quâ creatæ proprietates Chriſto ſecundùm corpus & animam attribuantur. Sed quomodo ſingula communicationis idiomatum genera corruptelis ſuis pervertant, ex ſequentibus manifeſtum erit.

184. Quæritur h. l. 1. *An rectiùs quatuor quàm tria communicationis genera ſint ſtatuenda?* Ita quidam exiſtimant, quorum hæc eſt ſententia, quod prædicationes, in quibus propria humanæ Naturæ tribuuntur Filio DEI, diſtinguendæ ſint à prædicationibus, in quibus alterutrius Naturæ idiomata de tota Chriſti perſona enunciantur, ut hac ratione quatuor communicationis genera ſeu modi prædicationum ſtatuantur. Sic ergo propoſitio illa *Chriſtus eſt paſſus*, pertineret ad aliam claſſem, quàm altera, *Deus eſt paſſus*. Sententia illa probari poteſt ſequentibus fundamentis. 1. Diſtinguuntur hæc communicationum genera *appellatione*. Prius, in quo propria alterutrius Naturæ prædicantur de perſona, vocatur ἀντίδοσις, poſterius in quo propria Naturæ humanæ prædicantur de Filio Dei, vocatur οἰκείωσις καὶ ἰδιοποίησις. 2. diſtinguuntur *definitione*, ut ex dictis patet. 3. *ſubjecto*. In propoſitionibus primi generis ſubjecti loco ponitur concretum utriuſque Naturæ, id eſt, nomen perſonæ συνθέτου ab utraque Natura divina & humana denominatæ. In propoſitionibus ſecundi generis coneretum Naturæ divinæ, quæ ipſa tamen verè unitam ſibi habet perſonaliter Naturam humanam. Sanè, quando paſſio & mors tribuitur Filio Dei, tum intelligitur Deus incarnatus, cùm Deus in ſua Natura divina, quæ eſt ἀπαθὴς & immutabilis pati morique non poſſit, ex eo tamen inferri nequit, eſſe prorſus ejuſdem generis prædicationes, quando Chriſtum dico paſſum & quando Deum dico paſſum. Quamvis enim realiter (πραγματικῶς) idem ſint Chriſtus & Deus incarnatus, (in ſchola Neſtorianorum hæ propoſitiones Chriſtus eſt paſſus & Deus eſt paſſus, ſunt oppoſitæ, ſed in ſchola orthodoxorum realiter non differunt) tamen per nomen Chriſti formaliter (νοηματικῶς) intelligitur coneretum perſonæ, per nomen Dei concretum Naturæ divinæ, inter quæ duo quandam ſtatui poſſe differentiam patet ex hoc argumento. Ille Deus qui aſſumſit humanam Naturam, ipſe eſt paſſus, ut patet ex dicto Apoſtolico Act. 20. v. 28. *Deus proprio ſuo ſanguine acquiſivit Eccleſiam*, cujus plena ἀνάλυσις hæc eſt, Deus ſanguinem in perſonæ ſuæ unitatem aſſumſit ejusque effuſione Eccleſiam acquiſivit. Jam ſubſumo. Filius DEI ab æterno ex ſubſtãtia Patris genitus eſt ille Deus, qui humanam Naturam aſſumſit. Ergo Filius Dei ab æterno à Patre genitus, ipſe eſt paſſus, in aſſumta ſcil. carne. Quod ſi in hujus Syllogiſmi aſſumtione loco ſubjecti ponere velis nomen Chriſti quod eſt concretum perſonæ, non ritè procedes, quia enim nomen Chriſti notat perſonam compoſitam, Naturâ divinâ ungente & humanâ unctâ conſtantem, ideò propriè & accuratè loquendo dici nequit, Chriſtus aſſumſit Naturã humanam. 4. Si hæc communicationis genera & hæ propoſitiones diſtinguantur, Neſtorius & Neſtorianizantes hæretici ex latibulis poſſunt eò melius in lucem protrahi. Propoſitionem enim illam *Chriſtus eſt paſſus*, Neſtorius & ipſius aſſeclæ concedunt, ſed alteram, *Deus eſt paſſus*, præfractè negant, ut conſtat ex illo Neſtorii Symbolo. Noli gloriari Judæe, non enim Deum ſed hominem crucifixiſti. 5. ipſum incarnationis & redemtionis myſterium piè conſideratum, diſtincta quatuor communicationum genera agnoſcenda eſſe oſtendit. Filius Dei ab omni æternitate conſtitutus Mediator in temporis plenitudine Naturam humanam ex Maria virgine aſſumſit ac proinde etiam carnem in hypoſtaſeos ſuæ unitatem aſſumendo proprietates humanæ Naturæ ſibi appropriavit, ex quo naſcitur unum communicationis genus, videlicet οἰκείωσις. Idem Dei Filius humanam Naturam in perſonæ ſuæ unitatem aſſumendo eandem in proprium divinæ majeſtatis & celſitudinis thronum evexit, ex quo naſcitur alterum communicationis genus videlicet ὑπερύψωσις. Per hanc Filii Dei incarnationem & carnis in ipſam λόγου ὑπόστασιν aſſumtionem conſtitutus eſt Chriſtus una perſona duabus conſtans Naturis, de qua divina & humana prædicantur ob perſonæ ταυτότητα, ex qua naſcitur tertium communicationis genus videlicet ἀντίδοσις. Denique totus Chriſtus ſecundùm utramque Naturam opus redemtionis, propter quod carnem aſſumſerat, perfecit, ex quo naſcitur quartum communicationis genus videl. κοινοποίησις. De ordine non eſt quòd ſimus admodùm ſoliciti, quod nam ſcilicet ex his primo, quodque ſecundo loco ponatur, modò de re ipſa conſtet. (6. Quidam διχοτομίᾳ delectati utuntur etiam hac illatione. Comunicatio idiomatum aut eſt humanitatis aut divinitatis. Idiomata humanitatis

hitatis communicantur vel perſonæ vel Λόγῳ. Communicatio idiomatum humanitatis perſonæ appropriata eſt, quando proprietates Naturæ humanæ de Chriſto in concreto enunciantur, ut *Chriſtus eſt paſſus*. Communicatio idiomatum humanitatis τῷ λόγῳ facta eſt cum humanæ Naturæ propria Filio Dei, λόγῳ ſeu divinitati Chriſti in concreto tribuuntur *Deus eſt paſſus*. Idiomata divinitatis communicantur vel perſonæ vel homini. Communicatio idiomatum divinitatis perſonæ facta eſt, quando propria divina de Chriſto in cõcreto enunciantur, *ut Chriſtus eſt omnipræſens*. Communicatio idiomatum divinitatis homini appropriata eſt vera ac realis *μεταδόσεως* quâ λόγος carni in perſonitatem aſſumtæ divinæ celſitudinis majeſtatem communicat, ut *Chriſtus homo eſt omnipotens*. Sed hanc enumerationem probare non poſſumus. 1. quia juxta eam quinque communicationis genera eſſent ſtatuenda, addendum enim enumeratis quatuor communicationum generibus illud, quod vocatur *communicatio operationum*, quâ nomina officii prædicantur de Chriſto ſecundùm utramque Naturam & ſic naſcerentur in univerſum quinque communicationis genera. 2. propoſitiones, in quibus divinæ vel humanæ Naturæ propria de perſona prædicantur, commodè ad unum genus referri poſſunt, quia ut perſona conſtat ex duabus & in duabus Naturis, ita quoque utriuſque Naturæ propria de eadem rectè prædicantur. 3. non eo modo de Chriſti divinitate prædicantur humana, quo modo de Chriſti humanitate prædicantur divina. Quia enim divina Natura celſiſſima eſt & immutabilis, ideò ipſa in ſe nec in ſublimiorem ſtatum evehi nec in humiliorem deduci potuit, humana verò Natura quia infirma eſt & mutabilis, ideò etiam perfici & ſupra propriæ Naturæ conditionem potuit exaltari, ut rectè ſcribit Hafenreff. in loc. de perſ. Chriſti p. 338.) Prætermiſſo igitur hoc ſexto argumento prioribus quinque argumentis pro quaternario generum communicationis numero ſtabiliendo adductis nõ omnino nullum robur ineſſe concedimus, interim ne ab uſitata docendi ratione in libro Symbolico Formula ſcilicet Concordiæ præſcripta diſcedamus, retinebimus tria communicationis genera, ita tamen ut in primo genere diſtinctè de illis prædicationibus agamus, in quibus humanæ Naturæ propria Filio DEI tribuuntur, quę adprimum genus tanquam peculiaris ejus ſpecies commodè revocari poſſunt.

185. Q. 2. *An μεταδόσεως illa, quâ λόγος propriam ſuam gloriam & majeſtatem aſſumta carni communicat, rectius ſecundo vel tertio loco inter genera communicationis ponatur?* Formula Concordiæ ponit loco *tertio*, quia hoc genus ut maximè controverſum copioſius erat pertractandum & explicandum, ſed ſi Naturæ ordinem reſpicere velimus, *ſecundo* loco ponendum erit, quia Natura humana in operibus officii non ſolùm ſecùdùm eſſentiales ſuas proprietates, ſed etiam juxta gloriam divinam per hypoſtaticam unionem ſibi cõmunicatam agit, ut ſuo loco plenius docebitur, unde quidam ex noſtris libri Symbolici autoritatem ſecuti tertio loco, quidam verò Naturæ ordini & docendi perſpicuitati inſiſtentes ſecundo loco illud ponunt, quæ diverſitas cùm non concernat rem ipſam, neminem turbare debet.

CAP. XI.

De primo genere communicationis idiomatum in ſpecie.

186. Theſis 1. *Primum genus communicationis idiomatum eſt, quo utriusque Naturæ propria prædicantur de Chriſti perſona.* Circa hoc genus notanda 1. ejus *fundamentũ*, quod Form. Cõcord. in declarat. art. de perſona Chriſti p. 770. his exponit verbis. *Cùm in Chriſto ſint duæ diſtinctæ Naturæ, quæ eſſentiis & proprietatibus ſuis neque mutantur neque confunduntur, utriusque verò Naturæ una tantum ſit perſona, ea quæ unius tãtùm Naturæ propria ſunt, alteri Naturæ non ſeorſim quaſi ſeparatæ, ſed toti perſonæ quæ ſimul Deus eſt & homo, attribuuntur, ſive Deus ſive homo nominetur.* *Primum genus cõmunicationis idiomatum.* Fundamentum igitur hujus communicationis eſt unitas perſonæ. Cùm enim poſt factam incarnationem una Chriſti perſona in duabus & ex duabus Naturis, quarum utraque ſuis proprietatibus quaſi veſtita eſt, ſubſiſtat, inde utriuſque Naturæ tàm divinæ quàm humanæ propria de una Chriſti perſona συνθέτῳ prædicantur. 2. *apellationes*. Vocatur hoc genus ἀντίδοσις, τρόπος ἀντιδόσεως. Nazianzen. vocat ἐπίζευξιν ὀνομάτων *conjunctionem nominum*, eò quòd ſicut *Naturæ ita & enunciationes uniantur ad unam perſonam*. Cyrillus ἰδιοποιΐαν καὶ ἰδιοποίησιν, *cùm unius Naturæ propriũ tota ſibi vendicat perſona*. Theodoret. Dial. 2. ἐναλλαγὴν καὶ κοινωνίαν ὀνομάτων. Vigilius *communicationem, quâ Naturarum propria communia ſiunt perſonæ*. Damaſcenus libr. 3. cap. 4. οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως ἑκατέρας φύσεως ἀντιδιδούσης τῇ ἑτέρᾳ τὰ ἴδια διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτότητα καὶ τὴν εἰς ἄλληλα αὐτῶν περιχώρησιν. *Iſte modus eſt alternationis alternataque attributionis utriusque Naturæ alterutri propria viceſſim reddentis propter hypoſtaſeos identitatem & ipſarum invicem immanentiam ac inſeſſionem.* 3. *ſubjectum*. In hujus generis prædicationibus ſubjecti loco ſemper ponitur pronomen perſonæ ſive à Natura divina ſive ab humana ſive ἐξ ὑψηλῶν ſive ex ταπεινῶν fiat denominatio, ſive ab utraque denominatæ. Cùm enim Chriſtus non ſit homo tantum, nec Deus tantùm, ſed DEUS & homo θεάνθρωπος, ideò de una Chriſti perſona & divina & humana prædicantur, neque *intereſt, ex quâ Chriſtus ſubſtantia nominetur, cùm inſeparabiliter manente unitate perſonæ idem ſit & totus hominis Filius propter carnem & totus DEI Filius propter unam cum Patre Deitatem*, ut loquitur Leo Epiſt. 41. Ab hac ſententia minimè in diverſum abeunt, qui ſubjecti loco quandoque poni dicunt *concretum Naturæ*, quia nomen perſonæ & concretum Naturæ realiter non differunt. Quando enim in hoc primo genere ponitur concretum Naturæ, tum non intelligitur Natura in abſtracto ſed tota perſona, quæ poſt factam incarnationem non amplius eſt *ſimplex* in una tantùm Natura ſubſiſtens ſed σύνθετος *compoſita*, quia hîc non de DEO ἀσάρκῳ ſed de ἐνσάρκῳ ſermo eſt, nec agitur de nudo homine ſed de hoc homine, qui in perſonæ unitate ſimul eſt Deus & homo. 4. *Species & exempla*. Ad hoc primum genus communicationis idiomatum tales propoſitiones pertinent 1. cùm idio-

ma divinum prædicatur de Chriſto θεανθρώπῳ ut Matth.28.v.20. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus* 1.Cor.8.v.6. *Vnus Dominus Ieſus Chriſtus per quem omnia & nos per ipſum.* 2. Cor.13. v.5. *Ieſus Chriſtus in vobis eſt.* Coloſſ.3.v.11. *Omnia & in omnibus Chriſtus.* Hebr.13.verſ.8. *Ieſus Chriſtus heri & hodie, id eſt, ab æterno.* 2. cùm idioma humanum prædicatur de Chriſto θεανθρώπῳ ut Luc. 2.v.11. *Chriſtus natus eſt ex Maria virgine.* 2. Timoth.2.verſ.8. *Chriſtus reſurrexit a mortuis, Chriſtus eſt ex ſemine Davidis.* Roman.8.verſ.34. *Chriſtus paſſus eſt & reſuſcitatus, &c.* 2.Cor.3.v.4. *Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitate.* 3. cùm idioma divinum prædicatur de Chriſto DEO ſive de perſona â divinitate denominata. Johan.5. v.19. *Quæ Pater facit, &c.* 4. cùm idioma humanum prædicatur de Chriſto homine ſive de perſona ab humanitate denominata. Matth.20.v.18. *filius hominis crucifigitur.* 5. cùm idioma divinum prædicatur de Chriſto homine Joh.6.v.61. *cùm videritis filium hominis aſcendẽtem &c.* 6. cùm idioma humanũ prædicatur de Chriſto Deo. 1.Cor.2.v.8. *Dominus gloriæ eſt crucifixus.* Et ſanè quòd ſit communicatio idiomatum, quando idioma divinum prædicatur de Chriſto homine ſive de perſona ab humanitate denominata & quando idioma humanum prædicatur de Chriſto Deo ſive perſona à Deitate denominata quilibet facilè videt, ſed dubium eſſe poterat, quare ſtatuatur idiomatum communicatio, quando divina de Deo & humana de homine prædicantur. Sciendum verò intelligi nomine Dei non Filium Dei ἄσαρκον ſed ἔνσαρκον ac nomine hominis non nudum hominem ſed hunc hominem, qui in perſonæ unitate eſt ſimul verus Deus proinde non minus eſt communicatio idiomatum, ſic dico *Filius hominis patitur,* quàm ſi dico, *Filius Dei patitur.* 5. *reciprocatio.* Cùm unio Naturarum ſit reciproca, ideò etiam propoſitiones in hoc primo genere communicationis idiomatum ſunt reciprocæ, id eſt, de Chriſto θεανθρώπῳ æquè prædicantur divina ac humana; de Chriſto Deo æquè prædicãtur humana ac de Chriſto homine divina. Quã n. propria eſt Chriſto ſua Deitas eſſẽtialiter per ęternã à Patre generationem, tàm eidem quoque propria eſt aſſumta caro à momento conceptionis perſonaliter per & propter unionem perſonalem, unde de uno eodemque Chriſto, de una eademque perſona & divina propter Deitatem & humana propter humanitatem prædicantur. Quemadmodum propoſitiones perſonales ſunt reciprocæ, *Deus eſt homo, homo eſt Deus*; ita quoque propoſitiones in hoc primo genere communicationis idiomatum ſunt reciprocæ. Cùm enim de Deo verè prædicetur homo, ideo de eodem etiam verè prædicantur attributa humana; cũ de hoc homine verè prædicetur Deus, ideo de eodem etiam verè prædicantur divina attributa. 6. *particula diſtinctiva.* Quemadmodum duæ Naturæ perſonaliter unitæ nihilominus manẽt eſſentiis ſuis diſtinctæ; ita quoque in hoc primo communicationis idiomatum genere propria utriuſque Naturæ prædicantur de perſona, interim adhibentur particulæ diſtinctivæ, quæ oſtendunt, juxta quam Nat. unumquodq; de perſona prædicetur, utriusque Naturæ idiomata tribuuntur perſonæ Chriſti, non tamen illa fiunt utriuſque Naturæ propria, ſed cujus ſunt propria, ejus etiam propria manent, perſonæ autem tribuuntur, quia utriusque Naturæ eſt una communis hypoſtaſis. *In hoc prædicationum genere*, ait Formul. Concord. d.l. *non ſequitur, quod ea, quæ toti perſonæ tribuuntur, ſimul utriusq; Naturæ ſint proprietates, ſed diſtinctè declarandum eſt, ſecundùm quam Naturam aliquid toti perſonæ tribuatur.* Ad hunc modum loquitur Paulus, cùm de Chriſto dicit, *Filium Dei eſſe genitum ex ſemine Davidis* κατὰ σάρκα *ſecundùm carnem* Rom.1.v.3. Et Petrus de Chriſto dicit, quod ſit *mortificatus carne* 1.Petr.3.v.18. *& paſſus carne* 1. Petr.4. v.1. Confer Act.2.v.30. *Chriſtus eſt ex lumbis Davidis ſecundùm carnem.* Rom.9.v.5. *Chriſtus eſt ex Patribus ſecundùm carnem.* 2.Corinth.13.verſ.4. *Chriſtus crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.* De hiſce diſtinctivis particulis notandum primò quod ratione propriæ & genuinæ ſuæ ſignificationis non ſint χωριστικαὶ καὶ διαιρετικαὶ, quaſi per eas Naturæ ſeparentur ac dividantur, ut humana tantum ad humanitatem & divina tantum ad divinitatem reſtringantur, ſed ſunt tùm διοριστικαὶ, quia oſtendunt, ſecundùm quam Naturam talia de perſona prædicentur, tùm διακριτικαὶ Naturarum ac Naturalium proprietatum, tùm ἐνδεικτικαὶ τῆς κατ' αὐτὸ αἰτίας monſtrantes cauſam primam & per ſe, quare humana Deo & divina homini tribuantur, ſecundò quod ratione æquipollentiæ perinde ſit ſive dicam, Chriſtum paſſum eſſe κατὰ σάρκα Roman.1.v.3.cap.9.v.5. ſive ἐν σαρκὶ Eph.1.v.14. 2.Corinth.13.v.4. habetur ἐξ Hebr.10.v.20. occurrit particula διὰ per velum, id eſt, per carnem ſuam. Act.20.v.28. Hebr. 9.v.12. *per proprium ſanguinem.* Quandoque ponitur caſus ſextus. 1. Petr. 3. v.18. *mortificatus* τῇ σαρκὶ 1. Petr.4. v.1. *Chriſto paſſo* σαρκὶ. Tertiò quod ratione uſus & Neſtorianæ unius perſonæ divulſioni & Eutychianæ duarum Naturarum cõfuſioni opponantur, quia enim de uno & eodem Chriſto divina & humana prædicantur, ideò contra Neſtorium aſſeritur *perſonæ unitas*, quia per particulas diſtinctivas oſtenditur, ſecũdùm quam Naturam utraque de Chriſto prædicentur, ideò contra Eutycheo aſſeritur *Naturarum dualitas*; quodque non ſemper actu & expreſſè addantur, ſed ex aliis Scripturæ locis ſunt repetendæ.

187. 7. *Dicta Patrum.* Eorum quædam ſunt adducta in artic. de perſona Chriſti §.74. quibus addenda ſunt ſequentia. Juſtinus in expoſ. fidei p. 299. *Cùm de uno Filio voces inter ſe diverſas audieris convenienter ea quæ dicuntur inter ſe collata Naturis diſtribue, ſi quid magnum atque divinum Naturæ divinæ adſcribens, ſin parvum & humanum humanæ imputans. Hoc namque pacto tum vocum diſſonantiam evitabis, qualibet à* φωνῆ *quod ſibi inſitum eſt Natura recipiente, tum unum Filium & ante ſecula & recens editum de ſacrarum literarum ſententia profiteberis,* Et paulò antè. *Cùm Filius & Deus eſſet & homo tranſgreſſionem lapſumque Adæ revocavit atque abolevit ac quatenus homo cùm ſine crimine innocenter vitam egit, tum voluntariam ſubiit mortem, per converſationem quidem ſummam & exactam lapſum evacuans, per mortem autem indebitam debitum exſtinguens, quatenus verò Deus & quod ſolutum erat, reſtituit & mortem ipſam prorſus ſolvit. Vnus ergo eſt Filius, qui & ſolutus eſt, & id quod ſolutum fuerat, reſtituit, quà namque homo ſolutus eſt, quà verò Deus, reſtituit.* Irenæus libr. 3. cap.21. p.212. *Quoniam præclaram præter omnes habuit in ſe eã, quæ eſt ex Altiſſimo Patre genituram, præclara au-*

tem

tem ſuuſtus eſt & ea, quæ eſt ex virgine generatione, utraque Scriptura divina de eo teſtificantur, & quoniam homo fuit indecorus & paſſibilis & ſuper pullum aſinæ aſcendens aceto & felle potatur & ſpernebatur in populo & uſque ad mortem deſcendit & quoniam Dominus ſanctus & mirabilis conſiliarius & decorus ſpecie & Deus fortis ſuper nubes veniens univerſorum judex, omnia de eo Scriptura prophetabant. Sicut enim homo erat, ut tentaretur; ita & Verbum erat, ut glorificaretur. Vincentius Lyrinenſis lib. 4. adv. prof. vocum novit. *Perſonæ unitatem hanc vim habere prædicat Eccleſia ut propter eam miro ineffabilique myſterio & divina homini & Deo aſſcribat humana. Nam propter eam & hominem de cælo deſcendiſſe non abnegat & Deum ſecundum hominem credit in terra crucifixum.* Nazianz. orat. de Filio. ἑνὶ δὲ κεφαλαίῳ τὰ μὲν ὑψηλότερα πρόσαγε τῇ θεότητι καὶ τῇ κρείττονι φύσει παθῶν καὶ σώματος, τὰ δὲ ταπεινότερα τῷ συνθέτῳ καὶ διὰ σὲ κενωθέντι καὶ σαρκωθέντι. *Summatim quæ ſublimiora ſunt, transfer ad Deitatem vel Naturam paſſionibus & corpore meliorem, humiliora verò compoſito & propter te exinanito & incarnato tribue* Gelaſius contra Neſtor. *Quicquid Deitatis eſt, habet homo & filius hominis; & quicquid humanitatis eſt, habet Dominus majeſtatis.* Vigilius lib. 5. contra Eutych. *Impium eſt homini ea quæ ſunt propria carnis, per exceptionem proprietatis alienare a Verbo & quæ ſunt propria Verbi eâdem exceptionis lege alienare à carne, cùm ſit eis utrumque in Chriſto commune & Chriſtus ſit utrumque.* Damaſceous libro 3. orthod. fid. cap. 3. οἰκειοῦται τὰ ἀνθρώπινα ὁ λόγος, αὐτοῦ γάρ ἐστι τῆς ἁγίας αὐτοῦ σαρκὸς ὄντα, καὶ μεταδίδωσι τῇ σαρκὶ τῶν ἰδίων κατὰ τὸν τῆς ἀντιδόσεως τρόπον διὰ τὴν εἰς ἄλληλα τῶν μερῶν περιχώρησιν καὶ τὴν καθ' ὑπόστασιν ἕνωσιν, &c. cap. 4. ἐπὶ τῆς ὑποστάσεως (λέγοντες) κἂν ἐκ τοῦ συναμφοτέρου κἂν ἐξ ἑνὸς τῶν μερῶν ταύτην ὀνομάζωμεν, ἀμφοτέρων τῶν φύσεων τὰ ἰδιώματα αὐτῇ ἐπιτίθεμεν. καὶ γὰρ ὁ Χριστὸς ὅς ἐστι τὸ συναμφότερον καὶ Θεὸς καὶ ἄνθρωπος λέγεται καὶ κτιστὸς καὶ ἄκτιστος, καὶ παθητὸς καὶ ἀπαθὴς καὶ ὅταν ἐξ ἑνὸς τῶν μερῶν υἱὸς Θεοῦ καὶ Θεὸς ὀνομάζεται, δέχεται τὰ τῆς συνυφεστηκυίας conſuſtentatæ φύσεως ἰδιώματα ὅτι τῆς σαρκὸς, Θεὸς παθητὸς ὀνομαζόμενος καὶ κύριος τῆς δόξης ἐσταυρωμένος, οὐ καθ' ὃ Θεὸς ἀλλὰ καθ' ὃ καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτός. καὶ ὅταν ἄνθρωπος καὶ υἱὸς ἀνθρώπου ὀνομάζηται, δέχεται τὰ τῆς θείας οὐσίας ἰδιώματα καὶ αὐχήματα παιδίον προαιώνιον, καὶ ἄνθρωπος ἄναρχος οὐ καθ' ὃ παιδίον καὶ ἄνθρωπος ἀλλὰ καθ' ὃ Θεὸς ὢν προαιώνιος γέγονεν ἐπ' ἐσχάτων παιδίον. καὶ οὗτός ἐστιν ὁ τρόπος τῆς ἀντιδόσεως ἑκατέρας φύσεως ἀντιδιδούσης τῇ ἑτέρᾳ τὰ ἴδια διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτότητα καὶ τὴν εἰς ἄλληλα αὐτῶν περιχώρησιν. Bernhard. ſerm. 3. io vigil. oat. Dom. *voluit quoq; infirmiora noſtra abundantiori gloria ſublimare & contraxit ſe majeſtas, ut quod melius habeat, videlicet ſeipſum, limo noſtro conjungeret & in perſona una ſibi invicem uniretur Deus & limus, majeſtas & infirmitas, tanta ſublimitas & vilitas tanta. Nihil enim Deo ſublimius, nihil limo vilius & tamen tanta dignatione Deus deſcendit in limum, tantaque dignitate limus aſcendit in Deum, ut quicquid in eo Deus fecit, limus feciſſe credatur; quicquid limus pertulit, Deus in illo pertuliſſe dicatur tàm ineffabili quàm incomprehenſibili Sacramento.* Theodoret. Dial. 2. pag. 32. edit. Rom. περὶ μὲν τῶν φύσεων διαλεγομένους ἀπονέμειν ἑκατέρᾳ προσήκει τὰ πρόσφορα καὶ εἰδέναι, τίνα μὲν θεότητος, τινὰ δὲ ἀνθρωπότητος ἴδια. ὅταν δέ γε τοὺς περὶ τοῦ προσώπου ποιώμεθα λόγους, κοινὰ χρὴ ποιεῖν τὰ τῶν φύσεων ἴδια καὶ ταῦτα κἀκεῖνα τῷ σωτῆρι προσαρμόττειν Χριστῷ καὶ τὸν αὐτὸν καλεῖν καὶ Θεὸν ἄνθρωπον, υἱὸν Θεοῦ καὶ υἱὸν ἀνθρώπου καὶ υἱὸν Δαβὶδ καὶ κύριον Δαβὶδ καὶ σπέρμα Ἀβραὰμ καὶ ποιητὴν Ἀβραὰμ καὶ τὰ ἄλλα πάντα ὡσαύτως. *Cùm de Naturis loquimur, ſuum cuiq; tribuamus & ſciamus quædam eſſe divinitatis, quædam humanitatis propria. Cùm autem de perſona verba facimus, communicanda ſunt Naturarum propria & hæc atque illa Salvatori Chriſto tribuenda ſunt & idem appellandus eſt Deus & homo & Filius Dei & Filius hominis, & Filius Davidis & Dominus Davidis & ſemen Abrahæ & conditor Abrahæ.* Dial. 3. *Unio facit nomina ſeu attributa Naturarum communia.* Confer Chemn. de duab. Nat. cap. 14. p. 180.

Antitheſis.

188. *Antitheſis.* Formula Concord. in declarat. artic. de perſona Chriſti p. 770. jure ac merito conqueritur, *quod & occulti & aperti Sacramentarij ſub hac regula, quando dicitur quod toti perſonæ tribuatur, quod uni Naturæ proprium eſt, pernicioſum ſuum errorem occultent, dum totam quidem perſonam nominant, interim tamen unam, eamq;, ut ſic dicamus, nudam tantum Naturam intelligunt, alteram autem penitus excludunt, quaſi nuda vel ſola humana Natura pro nobis ſit paſſa.* Hanc accuſationem juſtiſſimam eſſe patet ex ſequeotibus adverſariorum hypotheſibus. 1. Communicationem idiomatum ſtatuunt eſſe tantum verbalem prædicationem. Dan. in Exam. p. 291. *Eſt honoris verbalis communicatio.* Neoſtad. in admon. p. 250. *Deus paſſus mortuus eſt realiter, quatenus homo eſt, ſed nominetenus quatenus Deus eſt.* p. 70. *Prædicatio humanorum de Deo & divinorum de homine quantum ad Naturas tantum eſt verbalis.* Belgici Miniſtri in Epiſt. ad autor. Formul. Conc. p. 22. *Communicatio idiomatum eſt forma ſermonis, in qua proprietas uni Naturæ congruens tribuitur perſonæ in concreto.* In Diſput. Ingollt. recuſa Witebergæ Anno 64. theſ. 29. *In Naturis ne Grammatica quidem aut verbalis poteſt fieri ἰδιωμάτων κοινωνία,* &c. Contra. Qualis unio, talis communicatio. Jam verò unio eſt realis. Ergo etiam communicatio. Qualis communicatio Naturarum, talis etiam eſt communicatio idiomatum. Jam verò communicatio Naturarum eſt realis, ut ſuperiùs oſtendimus. Ergo etiam communicatio idiomatum eſt realis. Opponimus igitur adverſariis Sohnium in exeg. p. 306. ſic ſcribentem. *Talis eſt prædicatio, qualis eſt ipſius rei veritas, hoc eſt, ſic vera eſt prædicatio ſicut res vera eſt, quæ enunciatur, nam à rebus naſcitur oratio, nec poteſt aliquid verò de aliquo affirmari, ſi res ipſa aliter habeat quàm voce ſignificetur.* Confer quæ dicta ſunt in cap. 8 de communicatione Naturarum & in cap. 10. de communicatione idiomatum in genere. 2. propoſitiones hujus primi generis exponunt per ejuſmodi ἀλλοίωσιν, quâ per *nomen perſonæ ſubjecti loco poſitum intelligatur tantum illa Natura, cujus proprium in prædicato exprimitur.* Conſ. orth. p. 18. & 122. Admonit. Neoſt. p. 70. & 250. ſecuti Cinglium ſuum Patriarcham. Contra. Si in hiſce propoſitionibus nomen perſonæ exponitur per abſtractum Naturæ, tollitur perſooalis unio, ſequitur Neſtoriana divulſio, negatur omois vera & realis κοινωνία, adeoque totum redemtionia & ſalutis noſtræ myſterium evacuatur, ut ex ſequenribus patebit clariùs.

Neque eſt, quod regerant *Damaſcenum etiam hoc primum communicationis genus vocare ἀλλοίωσιν alternationem, quia ἀλλοίωσις* Damaſceni & ἀλλοίωσις Cinglii toto cœlo invicem differunt. Damaſcenus per ἀλλοίωσιν nihil aliud intelligit quàm ἀντίδοσιν, quâ de una eademque perſona & divina & humana realiter prædicantur, κατ' ἄλλο tamen καὶ ἄλλο quia particulæ diſtinctivæ oſtendunt ſecundum quam Naturam unumquodque de perſona prædicetur. Sed Cinglii ἀλλοίωσις pro nomine perſonę ſubſtituit uomen Nat. ac talem in hiſce propoſitionibus fingit tropum, quo aliud dicatur, aliud verò intelligatur. Juxta Damaſcenum Deus verè & realiter eſt paſſus ſed καὶ ἄλλο, id eſt, ſecundùm aſſumtam humanitatem. Juxta Cinglium Deus non eſt verè & realiter paſſus, ſed humana tantum Natura Deitati unita eſt paſſa, quâ de re paulò pòſt uberius dicetur.

Quæſtiones de primo genere communicationis.

189. Quæritur hoc loco. *An ad primum genus communicationis referri debeant illa prædicationes, in quibus de Chriſto prædicatur exinanitio eique oppoſita exaltatio & majeſtas divina ſecundùm carnem eidem communicata?* Ita quidam ſtatuunt, quorum hæc eſt hypotheſis, quod per *propria humanitatis* de Chriſto prædicata intelligenda ſint non tantum eſſentiales humanæ Naturæ proprietates, ſed in genere omnia quæ de aſſumto homine ſive per Naturæ ſive per majeſtatis aut diſpenſationis conditionem dicuntur, ex quo interuit, quod quemadmodum de Filio Dei propterea quod de ipſo homo prædicatur, non tantum ea enunciantur, quæ hominis propria ſunt, ut Filius Dei natus, paſſus & mortuus eſt, verùm etiam illa, quæ, homini per majeſtatis communicationem competunt, unde Filio Dei, quod vita illi, quod judicii poteſtas, quod ſeſſio ad dextrā Dei conceſſa ſit, tribuitur: ita ſimilem ad modum quia de Chriſto quoque homo prædicatur, non tantum hominis propria, ſed homini quoque communicata majeſtas & majeſtati oppoſita exinanitio de eodem Chriſto prædicentur. Huic ſententiæ alii adverſantur exiſtimantes rectiùs ad ſecundum genus communicationis idiomatum ejuſmodi prędicationes referri, cū nomen perſonæ ſubjecti loco poſitum explicandum ſit de Natura humana, juxta quam exinanitio & exaltatio Chriſto competit. Sed ratio illa adducta minimè omnium obſtat, quò minùs ad primum genus referantur, quia quamvis in humana Nat. tantum exinanitio & exaltatio locum habeat, tamen propter perſonæ unitatem de toto Chriſto rectè prædicatur. Ac ſanè cogit nos res ipſa, ut ejuſmodi propoſitiones ad primum genus referamus, nam in ſecundo divina tantum αὐχήματα de aſſumta carne prædicantur, nequaquam verò exinanitio, quæ pertinet ad ταπεινὰ non ὑψηλά. Diſtinguendum igitur inter exaltationem & αὐχήματα in exaltatione collata, quando exaltatio eique oppoſita exinanitio dē Chriſto prædicatur, naſcitur ex eo prædicatio primi generis, ſed quando αὐχήματα in exaltatione collata, quæ ſunt veluti materia exaltationis de Chriſto ſecundùm humanam Naturam prædicantur, naſcitur ex eo prædicatio ſecundi generis.

190. Q. 2. *Unde agnoſci poſſit, quæ ſecundùm divinam quæ ſecundùm humanam Naturam de Chriſto in hoc genere prædicentur?* Reſp. proprietates alterutrius Naturæ de perſona prædicantur, aut ἁπλῶς aut προσδιοριστικῶς ac *determinatè*, qui προσδιορισμὸς effertur vel caſu ablativo vel per præpoſitiones διακριτικὰς ἐν, ἐξ, διὰ, κατὰ, &c. Si προσδιορισμὸς expreſsè addatur, facile apparebit ſecundum quam Naturam talia de Chriſto prædicentur. Si verò omittatur, tunc ex circumſtantiis textus & fidei analogia inquirendum, ſecundùm quam Naturam prædicatum Chriſto tribuatur. Quæ ipſam λόγου eſſentiam notant, vel tempus incarnationem antegreſſum reſpiciunt, vel talem proprietatem continent, quæ humanæ Naturæ eſſentiam everrit, ea ſecundum divinæ Naturæ proprietatem accipienda ſunt. Sin quando Chriſtus dicit Iohan. 10. verſ. 30. *ego & Pater unum ſumus*, id ipſam λόγου eſſentiam ejuſque cum Patre ὁμουσίαν exprimit, ergo ſecundum divinitatem dictum eſt accipiendum. Quando Joh. 8. v. 56. Chriſtus dicit. *Antequam Abraham erat, ego ſum*, de tempore incarnationem antegreſſo ſermo eſt, ergo ſecundum divinitatem accipiendum. Quando Chriſtus dicitur infinitus & immenſus, ponitur in prædicato talis proprietas, quæ Naturæ humanæ utpote finitæ eſſentiam everteret, ergo ſecundùm divinitatem illud intelligendum. Contra verò quæ paſſionem, mutationem, alternationem, vel etiam exinanitinnem & exaltationem in tempore factam exprimunt, ea ſecūdùm humanam Naturam Chriſto tribui intelligendum, quia divinitas eſt ἀναλλοίωτος καὶ ἀμετάβλητος. Sic quando Chriſtus dicitur paſſus, exinanitus, factus Dominus, &c. id non poteſt intelligi ſecundùm divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem.

191. Q. 3. *An particula diſtinctiva ad ſubjectum an verò ad prædicatum referenda?* Reſp. Scriptura eas refert ad prædicatum. Chriſtus paſſus eſt σαρκὶ 1. Petr. 4. verſ. 1. mortificatus σαρκὶ 1. Petr. 3. verſ. 18. quod ipſum in reliquis exemplis omnibus obſervari poteſt. Calviniani ut ſuam ἀλλοίωσιν ſtatuminare poſſint, ad ſubjectum eas referre malunt, ſed nondum propterea obtinent, quod quærunt, aliud enim eſt dicere Chriſtus ſecundùm carnem eſt paſſus, aliud verò ſola Chriſti caro eſt paſſa, ut paulò pòſt demonſtrabitur.

192. *Uſus practicus.* Quemadmodum propter unionem perſonalem duarum in Chriſto Naturarum divina & humana de Chriſto prædicantur, ita quoque per unionem ſpiritualem, Deus & fidelis anima, Chriſtus & Eccleſia fiunt unum myſticum, ἓν πνεῦμα 1. Corinth. 6. v. 17. de quo & divina & humana prædicantur. Auguſtin. in præfat. Pſal. 40. *Commendamus ſæpius nec nos piget iterare, quod vobis utile eſt retinere, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum plerunq; loqui ex ſe, id eſt, ex perſona ſua, quod eſt caput noſtrum, plerunque ex perſona corporis ſui, quod ſumus nos & Eccleſia ejus, ſed ita quaſi ex unius hominis ore ſonarent verba, ut intelligamus caput & corpus in unitate integritatis conſiſtere nec ſeparari ab invicem tanquam conjugium illud, de quo dictum eſt, erunt duo in carne una. Si ergo agnoſcimus duos in carne una, agnoſcamus duos in voce una.* Per hanc myſticam ἀντίδοσιν Chriſtus in ſe transfert peccata noſtra & donat nobis per fidem ſuam juſtitiam. 2. Corinth. 5. v. 21. *factus eſt pro nobis peccatum, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Neque hæc eſt nuda & verbalis prædicatio, ſed efficaciſſima, ac ut ſic loquar, realiſſima imputatio. Chriſtus in ſe ſuſcipit peccata noſtra Eſa. 53. verſ. 12. Ioh. 1. v. 29. 1. Pet. 2. verſ. 24. ob quam ſuſceptionem eadem ſibi ipſi tribuit Pſal. 69. verſ. 6. *Deus tu ſcis inſipientiam meam & delicta*

Uſus practicus.

cta mea à te non ſunt abſcondita, quæ peccatorum noſtrorum ſuſceptio tam vera, realis & efficax eſt, ut pœnas noſtrorum peccatorum Chriſtus ſuſtinere cogatur Eſa. 53. verſ. 5. *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra.* Galat. 3. v. 13. *factus eſt pro nobis maledictum.* Viciſſim Chriſtus donat ſuam juſtitiam credentibus ac Pater cœleſtis eam imputat credentibus. Rom. 4. v. 5. ob quam dicuntur *juſtitia*, id eſt, perfectè juſti in Chriſto 2. Corinth. 5. v. 21. quæ imputatio itidem eſt vera, realis & efficaciſſima, ut à pœnis peccatorum abſolvamur & hæredes vitæ cœleſtis ſcribamur. Luth. in comm. Gal. 2. *Quemadmodum attinet ad juſtificationem oportet Chriſtum & me eſſe conjunctiſſimos, ut ipſe in me vivat & ego in illo. Quia verò in me vivit, ideo quicquid eſt in me gratia, juſtitia, vita, pacis, ſalutis, eſt ipſius Chriſti. Et tamen illud ipſum meum eſt per conglutinationem & inhæſionem, qua eſt per fidem, per quam efficimur Chriſtus & ego quaſi unum corpus in Spiritu. Quia ergo vivit in me Chriſtus, neceſſe eſt cum eo ſimul adeſſe gratiam, juſtitiam, vitam, ac ſalutem æternam.* Item. *Per fidem ſic conglutinaris Chriſto, ut ex te & ipſo fiat una quaſi perſona, quæ nō poſſit ſegregari, ſed perpetuò adhæreſcat ei, ut cum fiducia dicere poſſis. Ego ſum Chriſtus, id eſt, Chriſti juſtitia, victoria, vita eſt mea & viciſſim Chriſtus dicat: Ego ſum ille peccator, id eſt, ejus peccata, mors &c. ſunt mea.* Sic ergo in nobis ſumus peccatores, in Chriſto juſti; in nobis infirmi, in Chriſto fortes, in nobis egeni, in Chriſto divites. 2. Corinth. 6. v. 9. & 10. *tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes.*

Prædicationes ἰδιοποιητικαί. 193. Theſis 2. *Ad primum genus communicationis pertinent etiam illæ prædicationes, in quibus humanæ Naturæ proprietates de Filio Dei prædicantur.* Quidam peculiare genus communicationis in illis ſtatuunt, ſed poſſunt haud incommodè ad primum genus tanquam ejusdem quædam ſpecies referri, ut ex ſequentibus manifeſtum erit. Notandum igitur circa hoc genus. 1. *Ejus fundamentum.* Quia Filius Dei in plenitudine temporis humanam Naturam in hypoſtaſeos ſuæ unitatem aſſumſit, ideò etiam omnia iſtius humanæ Naturæ idiomata verè & realiter ſibi appropriat & quidem tam verè ac realiter, ac ſi in propria ſua Deitate eadem haberet, hypoſtaſis n. poſt factam incarnationem utrique Naturæ divinæ & humanæ communis eſt atque eadem. 2. *appellationes.* Vocatur hoc genus οἰκείωσις, ἰδιοποιία καὶ ἰδιοποίησις, quia ὁ λόγος propria aſſumtæ carnis ſibi appropriat. Cyrill. in defenſ. anathem. 12. ad Evod. vocat *diſpenſativam appropriationē.* 3. *ſubjectum.* In his propoſitionibus ſubjecti loco ponitur concretum divinæ Naturæ, ὁ λόγος. Filius Dei incarnatus. 4. *Exempla.* Zach. 12. verſ. 10. *aſpicient ad me, inquit Iehova, quem confixerunt.* Iohan. 3. verſ. 16. *Deus unigenitum ſuum Filium tradidit.* Act. 3. verſ. 15. *autorem vitæ interfeciſtis.* Act. 20. v. 28. *Deus proprio ſuo ſanguine acquiſivit Eccleſiā.* Roman. 5. verſ. 10. *reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ejus.* Roman. 8. v. 32. *proprius Dei Filius pro nobis in mortem traditus.* 1. Corinth. 2. verſ. 8. *Dominum gloriæ crucifixerunt.* Galat. 2. verſ. 20. *Filius Dei dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me* (in mortem) Hebr. 5. v. 8. *Chriſtus exiſtens Filius Dei in iis quæ paſſus eſt didicit obed.* 1. Theſſ. 2. verſ. 15. *Iudæi occiderunt Dominum Ieſum* Apoc. 11. v. 8. *Dominus noſter crucifixus eſt.* Poſſunt etiam huc referri dicta, in quibus Chriſtus dicitur *ſeipſum tradidiſſe pro nobis.* Eph. 5. verſ. 1. & 25. Hebr. 9. verſ. 26. &c. 5. *Particula diſtinctiva* itidem hic quandoque adhibentur. Roman. 1. verſ. 3. *Filius Dei natus eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem.* 6. *Dicta Patrum.* Quædam eorum enumerata ſunt in articulo de perſona Chriſti §. 76. quibus ſequentia conjungantur. Iren. lib. 5. cap. 16. pag. 339. *Ipſum Verbum Dei incarnatum ſuſpenſum eſt ſuper lignum.* *Patres Concilii* Epheſini anathemat. 12. *Si quis non confitetur Dei Verbum paſſum carne, crucifixum carne, mortem guſtaſſe carne, factū primogenitum, ex mortuis ſecundum quod vita eſt & vivificans ſicut Deus anathema ſit.* in epiſtola ad Neſtorium tom. 1. Conc. pag. 537. *Confitemur, quod idem ipſe, qui ex Deo Patre natus eſt, Filius unigenitus Deus, licet juxta Naturā ſuam expers, paſſionis extiterit, pro nobis tamen ſecundum Scripturas perpeſſus ſit & erat in crucifixo corpore propriæ carnis impaſſibiliter ad ſe referens paſſiones.* Epiphan. hæreſ. 37. pag. 433. ὡς ἐν ῥαντισμῷ αἵματος τυγχάνει βαφὴ ἐν ἱματίῳ, τὸ μὲν σῶμα οὐκ ἐβάφη τοῦ φοροῦντος, ἡ δὲ βαφὴ τοῦ ἱματίου οὐκ εἰς τὸ ἱμάτιον λελόγισται ἀλλ' εἰς τὸν ἄνθρωπον τὸν φοροῦντα, οὕτω καὶ τὸ πάθος, &c. *Sicut ſi in ſanguinis reſperſione tinctura eſt in veſtimento corpus geſtantis, non inficitur, ſed tinctura veſtimenti, ad hominem tamen geſtantem non ad veſtem refertur, ſic etiam paſſio.* Idem contra Dimeritas. τὸ δὲ πάθος θεότητι οὐκ ἐνέπεσεν *in Deitatem paſſio non incidit* ἀλλὰ ἐν τῇ ἀνθρωπότητι ἐγένετο, οὐκ ἐλογίσθη δὲ τῇ ἀνθρωπότητι μόνῃ ἀλλ' ἐλογίσθη καὶ εἰς θεότητα τῆς θεότητος μὴ πασχούσης. Athanaſius in Epiſt. ad Epictetum circ. med. *Clavos aliquo modo Verbum ipſum ſuſtinuit, eo quod videns illos in corpore ſuo affixos, incorporalis ille cùm prohibere poſſet non prohibuit ſed ſibi vendicavit tanquam ſua ipſius, quæ propria erant corporis.* Et poſtea. *Quod humanum patiebatur corpus, hæc eadem Verbum, quod corpori conjunctum erat, ad ſe referebat, ut nos liceret Deitatis Verbi participes fieri. Atqui illud ipſum per quam mirum fuit, eūdem fuiſſe & patientem & non patientem. Patientem quidem quatenus ipſius proprium corpus; in quo erat, patiebatur, non patientem verò quatenus ex Natura Deus impaſſibilis erat, ipſeq́; incorporeus in corpore patibili exiſtebat, corpusq́; viciſſim Filiū Dei impaſſibilem retinebat abſumentem corporeas infirmitates.* Leo Epiſt. 10. ad Flavian. *Filium Dei dicimus paſſum & mortuum non in Natura divina proprietate ſed in aſſumta humanæ Naturæ infirmitate.* Damaſcen. lib. 3. cap. 25. duplicem eſſe movet οἰκείωσιν, una eſt φυσικὴ καὶ οὐσιώδης, altera προσωπικὴ καὶ σχετική. φυσικὴ inquit καὶ οὐσιώδης ea eſt καθ' ἣν διὰ φιλανθρωπίαν ὁ κύριος τήν τε φύσιν ἡμῶν καὶ τὰ φυσικὰ πάντα ἀνέλαβε φύσει καὶ ἀληθείᾳ γενόμενος ἄνθρωπος καὶ τῶν φυσικῶν ἐν πείρᾳ γενόμενος. προσωπικὴ δὲ καὶ σχετική, ὅτε τις τὸ ἑτέρου ὑποδύεται πρόσωπον διὰ σχέσιν οἷον τὸν οἶκτον ἢ ἀγάπην καὶ ἀντ' αὐτοῦ τοὺς ὑπὲρ αὐτοῦ ποιεῖται λόγους μηδὲν αὐτῷ προσήκοντας. c. 26. αὐτὸς τοῦ θεοῦ λόγος πάντα ὑπέμεινε σαρκὶ τῆς θείας καὶ μόνης ἀπαθοῦς αὐτοῦ φύσεως, ἀπαθοῦς μενούσης. τοῦ γὰρ ἑνὸς Χριστοῦ ἐξ θεότητός τε καὶ ἀνθρωπότητος συντεθειμένου ἐν θεότητί τε καὶ ἀνθρωπότητι ὄντος πάσχοντος, τὸ μὲν παθητὸν, ὡς πεφυκὸς πάσχειν ἔπασχεν, οὐ συνέπασχε δὲ τὸ ἀπαθές. Idem declarat exemplis tum diſſimilibus tum ſimilibus. *Anima, inquit, paſſibilis exiſtens, inciſo corpore, ipſa non inciſa cōdolet & compatitur patienti corpori. An divinitas impaſſibilis exiſtens non compatiebatur corpori. Et*

id ſcien-

adſcrendum, quod dicimus Deum carne paſſum, divinitatem autem carnem paſſam aut Deum per carnem paſſum non dicimus. θεὸν σαρκὶ παθόντα φαμὲν, θεότητα δὲ σαρκὶ παθοῦσαν ἢ θεὸν διὰ σαρκὸς παθόντα οὐ φαμέν. *Nam quemadmodum Sole arborem ſuperilluceente, ſi ſecuris incidat arborem, inciſus & impaſſibilis perſeverat Sol, multo magis impaſſibilis Verbi divinitas ſecundum hypoſtaſin carni copulata carne patiente impaſſibilis perſeverabit. Et quemadmodum ſi quis igneo ferro ſuperfundat aquam, quod quidem natum eſt pati ab aqua (ignis dico) extinguitur, incolume verò manet ferrum non natum enim eſt ab aqua corrumpi multo magis carne paſſa, ſola impaſſibilis divinitas paſſionem non admittit inſeparabilis ab ipſa permanens.* Tandem monet hæc exempla non eſſe παντελῶς καὶ ἀπαλλακτὰ ſimilia, & addit memorabilem ſententiam. ἐπὶ τῶν θείων ἀδύνατον ἐν πᾶσιν ὅμοιον εὑρεῖν παράδειγμα ἐπί τε τῆς θεολογίας ἐπί τε τῆς οἰκονομίας.

Antitheſis. 194. *Antitheſis* 1. De *Valentinianis* refert Irenæus lib.1.cap.1.p.24.quod docuerint *Salvatorem, qui in Chriſtum deſcenderit in Baptiſmo in forma columbæ*, ἀπαθῆ διαμεμενηκέναι, ac propterea *Spiritum Chriſti, qui in ipſo impoſitus erat, cùm duceretur ad Pilatum, ſublatum fuiſſe, paſſum autem eſſe* Chriſtum ψυχικόν. Confer Euſeb. libr. 3. Hiſt.cap.27.& 28. lib.7.cap.23. 2. *De Baſilide* idem commemorat lib.1.cap.23.p.78.quod docuerit, *Ieſum non eſſe paſſum ſed Simonem quendam Cyrenæum angariatum portaſſe crucem ejus pro eo, & hunc ſecundum ignorantiam & errorem crucifixum transfiguratum ab eo ut putaretur eſſe Ieſus, ipſum autem Ieſum Simonis accepiſſe formam & ſtantem irriſiſſe eos.* 3. *Neſtorius.* Deo paſſionem penitus detrahebat, ſoli verò humanitati tribuebat, unde propoſitionem illam *Chriſtus eſt paſſus* concedebat, ſed alteram *Deus eſt paſſus*, negabat ac frequenter in ore habebat illud πολυθρύλλητον. *Noli gloriari Iudæe, non enim Deum, ſed hominem crucifixiſti.* tom.1.Concil.Colon.p. 534. Hiſt. Tripart.lib.12.cap.4. Auguſtin. de hæreſ.cap.91. Principium erroris in eo reſidet, quod perſonæ unitatem divellendo aliam perſonam putabat eſſe Chriſtum, aliam verò Deum ſeu Dei Filium cùm ſit una perſona, quæ appellatur Chriſtus ab utraque ſimul Natura, Deus autem ſive Filius DEI à Natura divina, homo à Natura humana. Lutherus contra Neſtorium urget hunc Syllogiſmum expoſitorium. *Hæc perſona patitur. Hæc perſona eſt Deus. E. Deus patitur.* Theodoret. etiam in Dialogis iniquior eſt huic propoſitioni λόγος *ſeu Deus carne pro nobis paſſus* & hoc modo ſtatuit loquendum Chriſtus carne paſſus eſt. 4. *Mahumetani* in Alcorano *non Chriſtum Mariæ Filium, multo minus Dei Filium, ſed alium quendam, Chriſto ſimilem crucifixū eſſe blaſphemant.* Sweigerus lib.2.alcor.cap. 10.5. *Ariani* veteres & recentiores itidem negant hanc propoſitionē *Deus eſt paſſus*, quinimò ex paſſione concludere laborant Chriſtum non eſſe verum Deum, cùm Deo indignum ſit pati, mori, crucifigi, &c. quorum veſtigiis inſiſtunt Photiniani. 6. *Ieſuitæ* non rectè explicant hanc propoſitionem. *Deus eſt paſſus.* 1. Bellarm.lib.3.de Chriſto cap.8.eam confert cum illa, *Philoſophus eſt mortuus*, quia non rectè explicant propoſitionem perſonalem. *Deus eſt homo*, ac negant realem idiomatum communicationem.

195. 7. *Calviniani* propoſitionem illam, *Deus eſt paſſus*, ita reſolvunt, ut ultima tandem analyſis eò redeat, *humanam tantùm Naturam eſt paſſam*. (Steinius in vindic. conc. Irenicæ ſ.45. negat Calvinianos à paſſionis & mortis κοινωνίᾳ excludere λόγον ὑπόστασιν. Sed tandiu illud verum manebit, quamdiu defendunt hoc ſuum axioma. *Propria non poſſunt alteri ſubjecto tametſi unito realiter communicari*, ac contra ipſos propria eorum verba teſtantur) unde Cinglius propoſitionem illam explicat per ἀλλοίωσιν. Conſenſ. orth. p. 18. & 122.& Admon. Neoſtad.pag.250. *Deus paſſus eſt ac mortuus realiter quatenus homo, ſed nominetenus quatenus eſt Deus.* Danæus contra Chemnic.pag.321. *Paſſio Chriſti non niſi Dialecticâ prædicatione Deo attribuitur abſque ulla reali communicatione.* p. 24. *Chriſtus homo mortuus eſt pro nobis, id eſt, Natura tantum illa Chriſti humana, quæ non per ſe inſeparata hypoſtaſis, ſed in ipſa una Chriſti perſona conſideratur, mortua eſt.* In Colloq. Mompelgard.p.213. *Hanc enunciationem, quâ Deus dicitur paſſus, ſic interpretamur, Deus, id eſt, caro Deitati unita eſt paſſa.* reſp.1.ad act. Coll. Mompelg.p.19.87.107.123. *prædicationes iſtas, quibus Dominus gloriæ dicitur crucifixus & cæteras ejus generis ſi ſenſu proprio accipiantur, non reales ſed verbales tantum eſſe.* Martinius in ſpic. pag. 164. *Affligi, mori, crucifigi tantum eſt Naturæ humanæ* λόγου *tantum eſt eſſe æqualem Deo* (ubi nota oppoſitionem Naturæ humanæ & perſonæ τοῦ λόγου) p. 184. *Humana Natura tantum mortua eſt, tota verò perſona per mortem abolevit eum, qui habet mortis imperium* p.161 *humanitas in carne paſſa.* Apol. Anhald.p.246. *ſola humana Natura in Chriſto eſt paſſa.* Piſc. in reſp. ad elench. Buſch. p. 153. Fr. Junius in Theſ. Theol. Diſput. 27. §. 20. *loquendi modum hunc appellat maximè improprium.* Urſin. in explic. Catech.pag.293. 295. Calvinus eò progreditur, ut ſcribat lib.2. Inſtit. cap. 17. ſect.1. *E quidem fateor, ſi quis ſimpliciter & per ſe Chriſtum opponere vellet judicio Dei, non fore merito locum, quia non reperietur in homine dignitas, quæ poſſit Deum promereri.* Tilenus in notis ad lib. Bellarmin. de Chriſto pag. 13. Sic ἀναλύει. *Chriſtus in quo eſt Deitas conjunctam habens humanitatem, patitur.* Herborn. in rudim. lib.2. p.100. *Humana Natura Chriſti tantum mortua eſt, non Deitas, non tota perſona.* Huic Neſtorianæ divulſioni opponimus. 1. *dictorum Scripturæ claritatem.* Scriptura nuſpiam dicit, ſola caro eſt paſſa, ſed *DEVS paſſus eſt carne. Princeps vitæ eſt interfectus. Dominus gloriæ crucifixus, Filius Dei eſt in mortem traditus, &c.* 2. *perſonæ unitatem.* In Chriſto non ſunt duæ perſonæ ſed una duntaxat perſona quæ & Deus eſt & homo. Quæcunque igitur de Chriſto prædicantur, de perſona ſunt accipienda, aliàs ſi humana tantū de homine, divina tantùm de Deo prædicarentur, duæ perſonæ introducerentur. Chriſtus in medio paſſionis actu ſe Filium Dei eſſe publicè profeſſus eſt, ne quis dubitaret, ipſum Dei Filium eſſe paſſum Matth.26. verſ. 63. cap. 27. verſ.54. Marc.14. verſ.62. L[illegible] 22. verſic. 70. Omnia opera, omnes paſſion. [illegible]on tribuuntur Naturis ſed perſonæ. Quòd ſi ergo opera divelluntur, etiam perſona ſeparabitur. 3. *appropriationis veritatem.* Quàm verè & realiter Filius Dei per unionem ſibi appropriavit carnem, tàm verè ac realiter etiam ſibi appropriat carnis proprietates. Quàm verè & realiter Deus eſt homo,

mo, tàm verè de Deo prædicatur quicquid eſt humanum. Cujus verè proprium eſt ſubjectum, ejus quoque verè propria ſunt ſubjecti illius πάθη. Jam verò ſanguis effuſus eſt *Filij Dei proprius.* Actor.20.verſ.28. Ergo effuſio quoque eſt illi verè propria proprietate ſcilicet non naturali & eſſentiali ſed perſonali. Cùm enim ὁ λόγος & Naturam humanam & omnia ejus idiomata ſibi appropriaverit aſſumendo eam in perſonæ unitatem, ideò paſſio & mors, quamvis per Naturæ conditionem divinitati non competant, tamen propter intimam & ineffabilem Naturarum communionem & propriorum carnis appropriationem non minùs ad Filium Dei pertinent, ac ſi ea in ipſa Natura divina ſuſtinuiſſet, ſicut verè & propriè dicitur homo vulneratus etiamſi corpus ejus ſolùm ſit vulneratum. Athan. Dial.4.de Trinit. tom. 2. p. 208. ὥσπερ τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχὴν ἰδιοποιεῖται, οὕτω καὶ τὰ πάθη τῶν συναμφοτέρων οἰκειοῦται. Cyrill.lib.2. ad regin. λόγος *propria ſibi fecit omnia quæ ſunt proprij corporis & quæ animæ.* De incarnat. unig. cap.26. *Paſſio οἰκονομίας erat ſua quidem dicente Verbo quæ ſunt propria carnis propter inenarrabilem unionem, manente verò extra paſſionem, quantum ad ipſius Naturam pertinet.* Vigil.lib.2. contra Eutychen. *Quamvis Deus non ſit paſſus in proprietate Naturæ* (divinæ) *tamen paſſus eſt in unione perſonæ*, id eſt, in Natura humana, quam in perſonæ unitatem aſſumſit. 4. *Philoſophici canonis autoritatem.* Ariſtoteles primo de anim. capite tertio. *Compoſitæ ſubſtantiæ inſunt omnes actiones & paſſiones, ſed propter Naturas ex quibus eſt compoſita.* Thomas 2. 2. quæſtio.58. articulo ſecundo. *Actiones ſunt ſuppoſitorum & totorum, non autem propriè loquendo partium & formarum ſeu potentiarum. Non enim propriè dicitur, quod manus percutiat*, ſed homo per manum, neque propriè dicitur quod calor calefaciat, ſed ignis per calorem. Scal. exerc. 307. ſect. 36. *homo verè & propriè intelligit, licet hoc animæ tantum proprium ſit & anima quoque ſola non corpore intelligat.* Quæ expendens Keckermannus lib.1. Logic. p.1. cap.20. pag. 180. rectius ſcribit. *Subjectum paſſionis quod eſt totus Chriſtus, ſubjectum autem quo ſancta ejus caro ſecundum illud Apoſtoli Deus paſſus eſt carne.* 5. λύτρου *precium ac dignitatem.* Si paſſio Chriſti eſt tantum humanæ Naturæ paſſio, non poterit eſſe infiniti precii ac valoris. Si obœdientia activa & paſſiva à Chriſto præſtita ſoli Naturæ humanæ excluſo τῷ λόγῳ tribuitur, non poterit eſſe ſatisfactoria pro totius mundi peccatis Pſalm. 49. verſ. 8. *Fratrem redimendo non redimet quiſquam, nec dabit Deo precium redemtionis ejus.* Cyrill. libr.1. ad Regin. *Si Immanuel communis homo fuiſſet, quomodo utilis fuiſſet hominis mors? Salvavit autem mors Chriſti, quia moriens Naturâ Deus eſt & proprium ejus corpus quod oblatum fuit.* libro 2. *Si intelligatur Deus incarnatus, parva eſt erga ipſum omnis creatura & ſufficit ad redemtionem mundi unius carnis mors propria enim erat Verbi.* Sic ergo contra adverſarios concludimus. Paſſio ſolius carnis quantumvis juſtiſſimæ pro ſe non ſatisfacit, pro aliis minus, pro toto mundo minimè, Paſſio Chriſti eſt ſolius carnis paſſio. Ergo paſſio Chriſti non ſatis facit pro toto mundo, quod abſurdum. Propoſitio eſt veriſſima, quam etiam totidem verbis proponit Franciſc. Junius in defenſ. 1. Cathol. doctr. de Trinitat. contra Samoſaten, Sect. 29. Aſſumtio extat in Orth. Conſ. p. 18. 122. apud Sadeel libr. de verit. human Nat. p. 88. 109. Danæ. contra Chemnic. p. 304. &c. Paræum in endlicher Vberweiſung. p.177. perſtat ergo concluſio totum redemtionis myſterium evacuans. 6. *exemplorum paritatem.* Si verè & abſque tropo dico *Deus eſt homo*, utique etiam verè & abſque tropo dico, *Deus eſt paſſus.* Si verè & abſque tropo Scriptura aſſerit Filium Dei eſſe natum ex Maria virgine Luc. 2. verſ. 26. Galat. 4. verſ. 4. Utique etiam verè & abſque tropo accipiẽdum, quod *Dominum gloriæ crucifixum* ac *Deum eſſe paſſum* aſſerit. Si verè & abſque tropo dico hominem vulnerari, quando proprium ipſius corpus vulneratum, utique etiam verè & abſque tropo dico Deum effundere ſanguinem, quando proprium ſanguinem effundit. 7. *tropi abſurditatem.* Tum demum in propoſitione eſt tropus, quando ſubjectum vel prædicatum nativam ſuam ſignificationem exuit & aliam tropicam induit. Jam verò in hac propoſitione, *Deus eſt paſſus*, verba ipſa ut propriè exprimuntur & ſonant, ita quoque propriè ſunt accipienda. Alia prædicatio eſt, quando dico patiente corpore Chriſti myſtico ipſum Chriſtum pati, alia verò quando dico patiente Chriſto corpore proprio ac perſonali pati τὸν λόγον. Prius enunciatum eſt σχετικὸν duntaxat ac metaphoricum, quia verum eſt κατὰ μεταφορὰν, σχέσιν καὶ ἀναφορὰν, hoc modo, quod paſſio, quam corpus myſticum ſuſtinet, ad ipſum Chriſtum corporis hujus myſtici caput redundet ſicut etiam contumelia Legato illata in ipſum Legantem redundat 2. Samuel. 10. v. 6. ſed in poſteriore non eſt nuda tantum σχέσις, nec metaphora quædam in eo locum habet, ſed modo prorſus inuſitato & incomprehenſibili verè tamen & realiter paſſio aſſumtæ carnis de ipſo Dei Filio prædicatur. Si ſola humanitas eſt paſſa, conſequens eſt perſonam pro nobis non eſſe paſſam, quia ſola humanitas non eſt perſona. Si perſona pro nobis non eſt paſſa, neque Filius Dei pro nobis paſſus eſt, Filius DEI enim eſt perſona. Conſequens Scripturæ repugnat Actorum 20. v. 28. Roman. 8. verſ. 32. 1. Iohan. 1. verſ. 7. Si eſſet articulus fidei Chriſtianæ, quod non propriè & realiter per veram ἰδιοποιΐαν ipſe Dei Filius, ſed ſola caro ipſi perſonaliter unita ſit paſſa, tum hic articulus uſpiam ad literam eſſet expreſſus. Si in voce DEI & Chriſti eſſet ſynecdoche totius pro parte emergerent propoſitiones ineptæ & tautologæ Deus, id eſt, ſanguis ſuo ſanguine acquiſivit Eccleſiam. Deus ſeu Chriſtus, id eſt, caro Chriſti paſſa eſt carne, &c. Neque verò poteſt hoc myſteriũ commodius ac dilucidius exprimi, quàm factum eſt à B. Luthero in Confeſſ. majori de cœna. tom. 2. Witeberg. fol 188. quem locum etiam adducit Form. Concord. in declar. articul. de perſon. Chriſti pag. 770. *Hoc* (inquit) *Cinglius vocat alloeoſin, cùm aliquid de divinitate Chriſti dicitur, quod tamen humanitatis proprium eſt & contra. Verbi gratia, ubi in Scripturis dicitur. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum & ita intrare in gloriam ſuam, ibi nugatur Cinglius, quod vocabulum Chriſtus hoc loco pro humana Natura ſumatur. Cave cave inquam tibi ab iſta alloeoſi, eſt enim larva quædam Diaboli, quæ tandem talem Chriſtum fingit, ſecundùm cujus rationes ego certè nolim eſſe Chriſtianus. Hoc enim illa vult, quod Chriſtus nihil amplius ſit aut efficiat ſuâ paſſione & vita, quàm alius quiſpiã Sanctus. Si enim perſuadere mihi patiar, ut credam*

ſolam

ſolam Naturam humanam pro me paſſam eſſe, profectò Chriſtus mihi non magni precij Salvator erit, ſed ipſe tandem Salvatore eget. In ſummis verbis explicari non poteſt, quid Diabolus per hanc allœoſin moliatur. Et poſtea. *Si forte venefica illa domina ratio, cujus neptis eſt ipſa allœoſis, reclamare volueris, dicens. Divinitas neque pati neque mori poteſt. Tu reſpondebis. Verum id quidem eſt, nihilominus tamen quia divinitas & humanitas in Chriſto unā perſonam conſtituunt, Scriptura propter hypoſtaticam illam unionem etiam divinitati omnia illa tribuit, quæ humanitati accidunt & viciſſim humanitati quæ divinitatis ſunt. Et ſanè revera ita ſe res habet. Hoc enim fateri te neceſſe eſt. Hæc perſona (monſtrato Chriſto) patitur, moritur. Hæc autem perſona eſt verus Deus. Rectè igitur dicitur. Filius Dei patitur. Etſi enim una ipſius pars (ut ſic loquar) Deitas videlicet non patiatur, tamen ea perſona, quæ Deus eſt, patitur, in altera ſua parte, nimirum humanitate. Revera enim Filius Dei pro nobis crucifixus eſt, hoc eſt, perſona, quæ Deus eſt. Ipſa enim ipſa inquam perſona crucifixa eſt ſecundùm humanitatem, &c.* Idem in lib. de Concil. & Eccleſ. tom. 7. Witeb. fol. 530. & tom. 7. Jen. p. 264. b. *Si in una lance appendantur peccata noſtra & ira Dei peccatis noſtris debita, ac in altera lance ponatur tantum humana Natura mors aut homo tantum pro nobis paſſus, tunc altera lanx ad infernum uſque nos deprimit. Quòd ſi verò in adverſa lance ponatur Dei paſſio, Dei mors, Dei ſanguis, ſeu Deus pro nobis paſſus & mortuus, tunc gravior & ponderoſior fiet lanx iſta, quàm omnia peccata noſtra & univerſa Dei ira, &c.* Dicta Patrum vide apud Chemnic. lib. de duab. Natur. cap. 16. p. 104. cap. 17. p. 112.

196. Quæritur h. l. 1. *An ſubjectum in hiſce propoſitionibus notet perſonam ſimplicem an verò σύνθετον?* Affirmamus poſterius 1. ille Deus paſſus dicitur qui habet carnem, ille Deus Eccleſiam redemiſſe dicitur, qui habet ſanguinem, quia dicitur carne paſſus & proprio ſanguine Eccleſiam redemiſſe. Jam verò Deus ſeu ὁ λόγος ſeu Filius Dei ἄσαρκος, qui eſt perſona ſimplex, non habet carnem nec ſanguinem, nec eſſentialiter nec perſonaliter, ſed Deus ſeu ὁ λόγος ἔνσαρκος qui eſt perſona σύνθετος. Ergo non ἄσαρκος ſed ἔνσαρκος λόγος dicitur paſſus. 2. Sicut Natura divina τοῦ λόγου eſt ἀπαθὴς, ita quoque ſimplex ὑπόστασις τοῦ λόγου quæ divinæ tantum Naturæ eſt hypoſtaſis itidem eſt ἀπαθὴς. Ergo quando λόγος dicitur paſſus intelligitur λόγος ἔνσαρκος ac perſona σύνθετος. 3. Propoſitio illa, *Deus eſt paſſus*, explicatur per illam, *Chriſtus eſt paſſus*. In ſchola quidem Neſtorianorum ſunt oppoſitæ, ſed in ſchola Orthodoxorum ſunt quoad rem ipſam æquipollentes. Jam verò nomen Chriſti eſt nomen perſonæ σύνθετου.

Quæſtiones de ἰδιοποιήσει. 197. Q. 2. *Quâ ratione Filio Dei tribuatur paſſio?* Reſpon. non παθητικῶς καὶ ἀλλοιώτως quaſi in ipſa Natura divina mutationem ac paſſionem quandam ſuſtinuerit ſed 1. ὑποστατικῶς quatenus caro aſſumta, quæ dolores & cruciatus ſuſtinuit, in ipſam λόγου ὑπόστασιν evecta unam cum eo conſtituit perſonā. Athanaſ. Dial. 4. de Trinit. tom. 2. p. 204. οὐ ψιλὸς ἄνθρωπος ἐσταυρώθη, ἀλλὰ θεὸς ὢν ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς βουληθεὶς σταυρωθῆναι ὑπὲρ ἡμῶν ἥνωσεν ἑαυτῷ σῶμα ἔμψυχον λογικὸν τὸ δυνάμενον σταυρωθῆναι μετὰ ἑκουσίου πάθους. *Non nudus homo crucifixus eſt, ſed Dei Filius, qui verè Deus eſt, cùm vellet crucifigi pro nobis, ſibi univit corpus animatum & rationis particeps, quod poſſet crucifigi voluntariè patiendo.* Et poſteà. *Paſſus eſt* ὁ λόγος οὐ φύσει θεότητος ἀλλὰ ἑνώσεως οἰκονομίᾳ *non Natura Deitatis ſed unionis diſpenſatione, uniens nimirum ſibi corpore, quod pati poſſet.* Orat. 4. contra Arian. pag. 274. *Verbum infirmitates carnis* ἐβάσταζεν *ut ſuas, erat enim caro ipſius.* pag. 275. *Ut hoc proprium ejus corpus, ita & corporis paſſiones ipſius paſſiones appellantur atqui non pertingant ad ipſius divinitatem.* Epiphan. lib. 3. tom. 2. contra Dimocritas hæreſ. 77. pag. 333. *Patiente carne non diviſa ſeu ſeparata erat divinitas & humanitas ſed σὺν ἓν una erat divinitas & humanitas, cùm in cruce paſſus eſt Chriſtus carne.* Vigilius lib. 2. contra Eutych. *Paſſio propriè pertinet ad carnem ſecundùm Naturam, ad Verbum autem ſecundùm perſonam, quia & Verbi & carnis una eſt perſona, &c.* Nequaquam igitur in paſſione deſiit perſonalis unio Deitatis impaſſibilis & carnis patientis ſed immota permanſit, nec hypoſtaſis λόγου in carnis aſſumtæ paſſione deſiit eſſe carnis hypoſtaſis, ſed Chriſto in carne patiente ipſum Dei Filium διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτότητα pati neceſſe eſt, quia non alius eſt Filius qui paſſus & alius qui non eſt paſſus, ſed unus idemque Dei Filius τῇ θείᾳ φύσει ἀπαθὴς καὶ ἀναλλοίωτος ὤν, τῇ δὲ σαρκὶ παθών, 2. ἰδιοποιητικῶς *appropriativè*, quia Filius Dei appropriando ſibi carnem per unionem etiam appropriavit ſibi carnis paſſiones per communicationem. Quod ſi enim Chriſtus ſibi ipſi appropriat paſſiones, quas corpus ejus myſticum & ſpirituale ſuſtinet, quantò ineffabiliter magis paſſiones, quas in corpore ſuo proprio ac perſonali ſuſtinuit, ὁ λόγος ſibi appropriat. Cyrillus lib. de incarnat. unig. cap. 12. *Quantum ad conviciatorum petulantiam pertinuit, divinitate ſua paſſus eſſet, ſi pati poſſit, impaſſibilis autem eſt & manet ut Deus* Athan. Dial. 4. de Trin. tom. 2. p. 208. τῆς ἀνθρωπότητος τὰ πάθη ἑαυτοῦ πάθη ἐλογίζετο, *duxit ſuas eſſe affectiones.* Epiphan. d. l. *Paſſio non relata eſt ad humanam Naturam ſolam, ut ne impleretur in ſalutis diſpenſatione illud dictum. Maledictus omnis qui ſpem habet in homine, ſed reputata eſt etiam ad Deitatem, cùm Deitas non ſit paſſa, quo in Deitate reputetur ſancta Dei Eccleſiæ paſſionis ſalus.* 3. λογιστικῶς σχετικῶς *objectivè ac relativè.* Blaſphemiis, opprobriis & convitiis, quæ in ipſum Filium Dei conjecta ſunt, ejus æterna divinitas præcipuè fuit petita. Iohan. 10. verſ. 33. Matth. 26. verſ. 63. & 65. cap. 27. verſic. 40. 43. Ignominia Chriſto patienti illata in ipſum τὸν λόγον redundavit non minùs ac ſi in ipſa Deitate illam paſſionem ſuſtinuiſſet, quia hypoſtaſis Verbi tota facta eſt carnis hypoſtaſis ac proinde ſemper manet utriuſque Naturæ hypoſtaſis indiviſibiliter & inſeparabiliter. Nequaquam tantum σχετικῶς paſſio Chriſti ad λόγον pertinet, ſed etiam ὑποστατικῶς, interim σχέσις non eſt ſimpliciter excludenda. 4. βουλητικῶς. Chriſtus non paſſus eſt *coactè* ſed *voluntariè* ergo ὁ λόγος per divinam συγκατάθεσιν in paſſionem conſenſit. Pſal. 40. verſ. 9. *Ecce venio.* Eſa. 53. verſ. 7. *oblatus eſt, quia voluit* Actor. 2. verſ. 23. *Chriſtus definito conſilio & præſcientia Dei traditus.* Actor. 4. verſ. 28. *convenerunt Herodes & Pilatus facere, quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri.* Ab hoc conſilio Sacroſanctæ Trinitatis ὁ λόγος non fuit excluſus. Epiphan. d. l. ὑπὸ εὐδοκίας τῆς θεότητος τῇ ἀνθρωπότητι καὶ συγκατάθεσις εἰς τὰ εὔλογα.

Idem,

Idem, *cùm Filius Dei vellet pro ſalute hominum pati, poſtquam divinitas, quæ in ſe impaſſibilis eſt, pati non poterat, aſſumſit noſtrum paſſibile corpus ut in illo* συνευδοκοῦσαν *pati & noſtras paſſiones* ἀναδέξηται *ad ſe referret* ἐν σαρκὶ συνούσης θεότητος *divinitate coexiſtente in carne.* 5. συγχωρητικῶς *permiſſivè.* Divinitas potuiſſet à carne repellere uno nutu omnes paſſiones ſed propter ſalutem generis humani permittit eam modis tam indignis tractari, quam permiſſionem Chriſtus vocat *derelictionem* Pſal. 22. verſ. 1. Matth. 27. verſ. 46. Irenæus libr. 3. adv. hæreſ. cap. 21. & ex eo Theodor. Dial. 3. ὥσπερ γὰρ ἦν ἄνθρωπος ἵνα πειρασθῇ, οὕτω καὶ λόγος ἵνα δοξασθῇ· ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σταυροῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν, quæ verba adducens Philippus Melanchth. in loc. ſubjungit. *Hic Irenæus uſus eſt ſingulari conſilio hac inſigni deſcriptione, quieſcente Verbo, id eſt, tunc non exerente ſuam potentiam in repellenda paſſione & morte* Cyrillus libro 6. Dial. *Divina Natura conquievit ad paſſionem carnis, ut ſecundùm eam Filius DEI pati, crucifigi & mori poſſet.* Leo ſerm. 16. de paſſ. *Non impias furentium manus immiſit in ſe Dominus ſed admiſit.* Damaſcenus libr. 3. cap. 16. συγχωρήσει τῆς θεότητος. 6. ἐνεργητικῶς *effectivè & quidem* dupliciter, primò ratione humanæ Naturæ patientis *eam ſuſtentando, corroborando & conſervando*, ut præter externas corporis paſſiones immenſum onus peccatorum noſtrorum & iræ divinæ illis debitæ ſuſtinere poſſet. Eſai. 63. verſ. 5. *Salvavit mihi brachium meum.* Irenæus d. l. ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου, συγγινομένου δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾷν καὶ ὑπομένειν καὶ χρηστεύεσθαι καὶ ἀνίστασθαι καὶ ἀναλαμβάνεσθαι *præſente & cooperante Verbo cum illo homine, ut poſſet vincere, ſuſtinere, nobis prodeſſe, reſurgere & in cœlum aſcendere.* Gregor. Nyſſen. Humanitas in omnibus fuit θεοποιητός. Deinde ratione ipſius paſſionis divinâ ſuâ & infinitâ virtute reddens eaſdem coram Deo precioſas ac pro totius mundi peccatis ſatisfactorias, &c. Cypr. in expoſ. Symb. *Divina Filii Dei virtus veluti hamus quidam erat habitu humana carnis obtectus, ut à ſerpente Leviatan devoratus per illam paſſionis ac mortis infirmitatem caperet & ſuperaret fortem illum armatum.* Damaſc. lib. 3. cap. 15. παθούσῃ σαρκὶ συνημμένη οὖν ἡ θεότης, ἀπαθὴς διέμεινε, καὶ τὰ πάθη ἀπέλυσε τὰ σωτήρια καὶ ζωοποιά. *Patienti carni conjuncta erat divinitas impaſſibilis manens & paſſiones reddens ſalutares.*

198. Q. 3. *An uſurpandæ ſint in hoc genere prædicationes abſtractivæ, Deitas eſt paſſa, divinitas eſt mortua?* Quidam eas uſurpari poſſe arbitrantur, ita tamen ut addatur, *Deitas paſſa eſt carne.* Wirtenberg. in Exam. cap. 6. p. 510. *ex quo apparet divinam Filii Naturam reverà pati.* Jac. Andr. in Diſp. reſpond. Puchenio theſ. 248. 299. 301. Brentius contra Bulling. f. 11. Selnecc. in Widerlegung der Aufflagen p. 192. repudiat phraſin Theodoreti 1. *In quantum Deus, non fuit obnoxius paſſioni.* Quidam etiam ſic loquuntur. *Chriſtus quoad utramque Naturam eſt paſſus, licet non in divina Natura vel ſecundùm eam.* Sed præſtat ab hiſce propoſitionibus abſtractivis abſtinere, quod probamus. 1. *ex Scripturæ ſilentio.* Scriptura nuſpiam dicit, Deitas eſt paſſa, ſed Deus eſt paſſus, Filius Dei eſt in mortem traditus, atque addit particulas diſtinctivas, quibus oſtendit, quod paſſio non tribuatur Chriſto ſecundùm divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem. 1. Petr. 3. verſ. 18. cap. 4. verſ. 1. & c. 2. ex *Deitatis Natura.* Deitas eſt ἀπαθὴς, ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος. Ergo non poteſt illi paſſio tribui. Deitas eſt toti Trinitati ſive omnibus tribus perſonis Deitatis communis, quòd ſi ergo Deitas in ſeſe diceretur paſſa, tota Trinitas paſſa eſſet ac Sabellianorum & Patripaſſianorum error in Eccleſiam revocaretur. Obvertunt, *ſe non ſimpliciter ſic loqui, Deitas eſt paſſa, ſed Deitas Filii paſſa eſt carne vel in carne.* Reſpond. ne ſic quidem loquitur Scriptura, *ſed Chriſtum paſſum carne, Deum paſſum carne*, unde etiam pii veteres Scripturæ phraſin imitati propoſitionem illam Deitas paſſa eſt carne, repudiarunt. Damaſcenus lib. 3. cap. 18. φύσιν τοῦ λόγου παθοῦσαν σαρκὶ οὐδέπω καὶ νῦν ἀκηκόαμεν, Χριστὸν δὲ παθόντα σαρκὶ ἐδιδάχθημεν. cap. 26. ἰστέον, ὅτι θεὸν μὲν σαρκὶ παθόντα φαμέν, θεότητα δὲ σαρκὶ παθοῦσαν ἢ θεὸν διὰ σαρκὸς παθόντα οὐδαμῶς. 3. *experientia.* Metuendum, ne propter uſum harum propoſitionum Theopaſchitarum error, qui docuerunt Divinitatem in Chriſto doluiſſe & paſſam eſſe, cùm caro ejus figeretur in cruce, noſtris Eccleſiis affricetur. Auguſtinus de hæreſ. cap. 73. Niceph. lib. 15. cap. 28. &c. (Anteſignani eorum fuêre Dioſcorus Epiſc. Alex. ſub Martiano & Valentiniano. Impp. & Petrus Goaphæus ſub Zenone.)

Referunt Cedrenus & Zonaras Theopaſchitarum errorem eleganti commento fuiſſe refutatum. Cùm enim Alamundurus Saracenorum Princeps baptizatus eſſet, Severus Monachus miſit duos Epiſcopos, qui eum labe Eutychiana inficerent, quos ille refutans dixit. *Hoc ipſo die ſe literas accepiſſe, Michaelem Archangelum eſſe mortuum*, quod nuncium cùm ipſi falſum eſſe aſſirmarent, cùm in Angelos mors non cadat, ſubjecit ille. *Quomodo ergo vos affirmatis divinitatem eſſe mortuam, eò quod in carne ſua in novam Naturam tranſierit, cùm ne quidem Angeli moriantur?* Itaque Severi Legati cum dedecore diſceſſerunt. 4. *ex unionis conditione.* Per unionem non ſublatum eſt diſcrimen Naturarum, ſed hypoſtaſis λόγου facta eſt carnis hypoſtaſis ad unam perſonam σύνθετον conſtituendam, poteſt igitur aliquid de tota perſona prædicari ſecundùm humanam Naturam & tamen minimè conſequens eſt, idem quoque tribuendum divinitati. Actiones & paſſiones ſunt perſonæ, non Naturæ, rectè igitur dico, DEUS paſſus eſt carne, ſed non poſſum dicere divinitas τοῦ λόγου eſt in carne paſſa, unde in Concil. Chalcedon. act. 15. tom. 1. Concil. p. 885. rectè definitum, *Naturas duas divinam & humanam in Chriſto eſſe unitas* ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. 5. *ex diſparitate primi & ſecundi generis. Divina Natura proprias ſuas glorificationes carni communicat, ſed manet ipſa paſſionum carnis expers* ait Damaſcenus libro tertio, capite ſeptimo, ratio pendet ex ſumma ejuſdem perfectione & immutabilitate. In ſecundo igitur genere dicere poſſum, *caro eſt vivifica*, ſed in primo non poſſum dicere, *Deitas eſt paſſa.* 6. *ex veterum autoritate. Qui paſſionem unigeniti Deitati ipſius aſſcribere, atque ita Divinitatem ejus paſſibilem aſſerere audent, hos ſacroſancta & œcumenica Synodus Chalcedonenſis*

ſolam Naturam humanam pro me paſſam eſſe, profectò Chriſtus mihi non magni precij Salvator erit, ſed ipſe tandem Salvatore eget. In ſummis verbis explicari non poteſt, quid Diabolus per hanc allœoſin moliatur. Et poſtea. Si forte venefica illa domina ratio, cujus neptis eſt ipſa allœoſis, reclamare voluerit, dicens. Divinitas neque pati neque mori poteſt. Tu reſpondebis. Verum id quidem eſt, nihilominus tamen quia divinitas & humanitas in Chriſto unã perſonam conſtituunt, Scriptura propter hypoſtaticam illam unionem etiam divinitati omnia illa tribuit, quæ humanitati accidunt & viciſſim humanitati quæ divinitatis ſunt. Et ſanè revera ita ſe res habet. Hoc enim fateri te neceſſe eſt. Hæc perſona (monſtrato Chriſto) patitur, moritur. Hæc autem perſona eſt verus Deus. Rectè igitur dicitur. Filius Dei patitur. Etſi enim una ipſius pars (ut ſic loquar) Deitas videlicet non patiatur, tamen ea perſona, quæ Deus eſt, patitur, in altera ſua parte, nimirum humanitate. Revera enim Filius Dei pro nobis crucifixus eſt, hoc eſt, perſona, quæ Deus eſt. Ipſa enim ipſa inquam perſona crucifixa eſt ſecundùm humanitatem, &c. Idem in lib. de Concil. & Eccleſ. tom. 7. Witeb. fol 530. & tom. 7. Jen. p. 264. b. *Si in una lance appendantur peccata noſtra & ira Dei peccatis noſtris debita, ac in altera lance ponatur tantum humana Natura mors aut homo tantum pro nobis paſſus, tunc altera lanx ad infernum uſque nos deprimit. Quod ſi verò in adverſa lance ponatur Dei paſſio, Dei mors, Dei ſanguis, ſeu Deus pro nobis paſſus & mortuus, tunc gravior & ponderoſior fiet lanx iſta, quàm omnia peccata noſtra & univerſa Dei ira, &c.* Dicta Patrum vide apud Chemnic. lib. de duab. Natur. cap. 16. p. 104. cap. 17. p. 112.

196. Quæritur h. l. 1. *An ſubjectum in hiſce propoſitionibus notet perſonam ſimplicem an vero σύνθετον?* Affirmamus poſterius 1. ille Deus paſſus dicitur qui habet carnem, ille Deus Eccleſiam redemiſſe dicitur, qui habet ſanguinem, quia dicitur carne paſſus & proprio ſanguine Eccleſiam redemiſſe. Jam verò Deus ſeu ὁ λόγος ſeu Filius Dei ἄσαρκος, qui eſt perſona ſimplex, non habet carnem nec ſanguinem, nec eſſentialiter nec perſonaliter, ſed Deus ſeu ὁ λόγος ἔνσαρκος qui eſt perſona σύνθετος. Ergo non ἄσαρκος ſed ἔνσαρκος λόγος dicitur paſſus. 2. Sicut Natura divina τοῦ λόγου eſt ἀπαθὴς, ita quoque ſimplex ὑπόστασις τοῦ λόγου quæ divinæ tantum Naturæ eſt hypoſtaſis itidem eſt ἀπαθὴς. Ergo quando λόγος dicitur paſſus intelligitur λόγος ἔνσαρκος ac perſona σύνθετος. 3. Propoſitio illa, *Deus eſt paſſus*, explicatur per illam, *Chriſtus eſt paſſus*. In ſchola quidem Neſtorianorum ſunt oppoſitæ, ſed in ſchola Orthodoxorum ſunt quoad rem ipſam æquipollentes. Jam verò nomen Chriſti eſt nomen perſonæ συνθέτου.

Quæſtiones de ἰδιοποιήσει.

197. Q. 2. *Quâ ratione Filio Dei tribuatur paſſio?* Reſpon. non παθητικῶς καὶ ἀλλοιώτως quaſi in ipſa Natura divina mutationem ac paſſionem quandam ſuſtinuerit ſed 1. ὑποστατικῶς quatenus caro aſſumta, quæ dolores & cruciatus ſuſtinuit, in ipſam λόγου ὑπόστασιν evecta unam cum eo conſtituit perſonã. Athanaſ. Dial. 4. de Trinit. tom. 2. p. 204. οὐ ψιλὸς ἄνθρωπος ἐσταυρώθη, ἀλλὰ θεὸς ὢν ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς βουληθεὶς σταυρωθῆναι ὑπὲρ ἡμῶν ἥνωσεν ἑαυτῷ σῶμα ἔμψυχον λογικὸν τὸ δυνάμενον σταυρωθῆναι μετὰ ἑκουσίου πάθους. *Non nudus homo crucifixus eſt ſed Dei Filius, qui verè Deus eſt, cùm vellet crucifigi pro nobis, ſibi univit corpus animatum & rationis particeps, quod poſſet crucifigi voluntariè patiendo.* Et poſteà. *Paſſus eſt ὁ λόγος οὐ φύσει θεότητος ἀλλὰ ἑνώσεως οἰκονομίᾳ non Natura Deitatis ſed unionis diſpenſatione, unito nimirum ſibi corpore, quod pati poſſet.* Orat. 4. contra Arian. pag. 274. *Verbum infirmitates carnis βαστάζει ut ſuas, erat enim caro ipſius.* pag. 275. *Ut hoc proprium ejus corpus, ita & corporis paſſiones ipſius paſſiones appellantur atqui non pertingant ad ipſius divinitatem.* Epiphan. lib. 3. tom. 2. contra Dimocritas hæreſ. 77. pag. 333. *Patiente carne non diviſa ſeu ſeparata erat divinitas & humanitas ſed οὐσιῶν una erat divinitas & humanitas, cùm in cruce paſſus eſt Chriſtus carne.* Vigilius lib. 2. contra Eutych. *Paſſio propriè pertinet ad carnem ſecundùm Naturam, ad Verbum autem ſecundùm perſonam, quia & Verbi & carnis una eſt perſona, &c.* Nequaquam igitur in paſſione deſiit perſonalis unio Deitatis impaſſibilis & carnis patientis ſed immota permanſit, nec hypoſtaſis λόγου in carnis aſſumtæ paſſione deſiit eſſe carnis hypoſtaſis, ſed Chriſto in carne patiente ipſum Dei Filium διὰ τὴν τῆς ὑποστάσεως ταυτότητα pati neceſſe eſt, quia non alius eſt Filius qui paſſus & alius qui non eſt paſſus, ſed unus idemque Dei Filius τῇ θεϊκῇ φύσει ἀπαθὴς καὶ ἀναλλοίωτος ὤν, τῇ δὲ σαρκὶ παθών, 2. ἰδιοποιητικῶς *appropriativè*, quia Filius Dei appropriando ſibi carnem per unionem etiam appropriavit ſibi carnis paſſiones per communicationem. Quod ſi enim Chriſtus ſibi ipſi appropriat paſſiones, quas corpus ejus myſticum & ſpirituale ſuſtinet, quantò ineffabiliter magis paſſiones, quas in corpore ſuo proprio ac perſonali ſuſtinuit, ὁ λόγος ſibi appropriat. Cyrillus lib. de incarnat. unig. cap. 12. *Quantum ad conviciatorum petulantiam pertinuit, divinitate ſua paſſus eſſet, ſi pati poſſit, impaſſibilis autem eſt & manet ut Deus* Athan. Dial. 4. de Trin. tom. 2. p. 208. τοῦ ἀνθρωπότητος τὰ πάθη ἑαυτοῦ πάθη ἐλογίζετο, *duxit ſuas eſſe affectiones*. Epiphan. d. l. *Paſſio non relata eſt ad humanam Naturam ſolam, ut ne impleretur in ſalutis diſpenſatione illud dictum. Maledictus omnis qui ſpem habet in homine, ſed reputata eſt etiam ad Deitatem, cùm Deitas non ſit paſſa, quo in Deitate reputetur ſancta Dei Eccleſia paſſionis ſalus.* 3. λογιστικῶς σχετικῶς *objectivè ac relativè.* Blaſphemiis, opprobriis & convitiis, quæ in ipſum Filium Dei conjecta ſunt, ejus æterna divinitas præcipuè fuit petita. Iohan. 10. verſ. 33. Matth. 26. verſ. 63. & 65. cap. 27. verſic. 40. 43. Ignominia Chriſto patienti illata in ipſum τὸν λόγον redundavit non minùs ac ſi in ipſa Deitate illam paſſionem ſuſtinuiſſet, quia hypoſtaſis Verbi tota facta eſt carnis hypoſtaſis ac proinde ſemper manet utriuſque Naturæ hypoſtaſis individibiliter & inſeparabiliter. Nequaquam tantum σχετικῶς paſſio Chriſti ad λόγον pertinet, ſed etiam ὑποστατικῶς, interim σχέσις non eſt ſimpliciter excludenda. 4. βουλητικῶς. Chriſtus non paſſus eſt *coactè* ſed *voluntariè* ergo ὁ λόγος per divinam συνευδοκίαν in paſſionem conſenſit. Pſal. 40. verſ. 9. *Ecce venio.* Eſa. 53. verſ. 7. *oblatus eſt, quia voluit* Actor. 2. verſ. 23. *Chriſtus definito conſilio & praſcientia Dei traditus.* Actor. 4. verſ. 28. *convenerunt Herodes & Pilatus facere, quæ manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri.* Ab hoc conſilio Sacroſanctæ Trinitatis ὁ λόγος non fuit excluſus. Epiphan. d. l. ἐπιδεδωκυίας τῆς θεότητος τῇ ἀνθρωπότητι καὶ συνευδοκούσης εἰς τὰ εὔλογα.

Idem,

Idem, *cùm Filius Dei vellet pro ſalute hominum pati, poſtquam divinitas, quæ in ſe impaſſibilis eſt, pati non poterat, aſſumſit noſtrum paſſibile corpus ut in illo* συνευδοκῶν *pati & noſtras paſſiones* ἀναδέξηται *ad ſe referret* ἐν σαρκὶ συνούσης θεότητος *divinitate coexiſtente in carne.* 5. συγχωρητικῶς *permiſſivè.* Divinitas potuiſſet à carne repellere uno nutu omnes paſſiones ſed propter ſalutem generis humani permittit eam modis tam indignis tractari, quam permiſſionem Chriſtus vocat *derelictionem* Pſal. 22. verſ. 1. Matth. 27. verſ. 46. Irenæus libr. 3. adv. hæreſ. cap. 21. & ex eo Theodor. Dial. 3. ὥσπερ ἦν ἄνθρωπος ἵνα πειρασθῇ, οὕτω καὶ λόγος ἵνα δοξασθῇ ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σταυροῦσθαι καὶ ἀποθνήσκειν, quæ verba adducens Philippus Melanchth. in loc. ſubjungit. *Hic Irenæus uſus eſt ſingulari conſilio hac inſigni deſcriptione, quieſcente Verbo, id eſt, tunc non exerente ſuam potentiam in repellenda paſſione & morte* Cyrillus libro 6. Dial. *Divina Natura conquievit ad paſſionem carnis, ut ſecundùm eam Filius DEI pati, crucifigi & mori poſſet.* Leo ſerm. 16. de paſſ. *Non impias furentium manus immiſit in ſe Dominus ſed admiſit.* Damaſcenus libr. 3. cap. 16. συγχωρήσει τῆς θεότητος. 6. ἐνεργητικῶς *effectivè & quidem* dupliciter, primò ratione humanæ Naturæ patientis *eam ſuſtentando, corroborando & conſervando*, ut præter externas corporis paſſiones immenſum onus peccatorum noſtrorum & iræ divinæ illis debitæ ſuſtinere poſſet. Eſai. 63. verſ. 5. *Salvavit mihi brachium meum.* Irenæus d. l. ἡσυχάζοντος μὲν τοῦ λόγου, συγγινομένου δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐν τῷ νικᾶν καὶ ὑπομένειν καὶ χρηστεύεσθαι καὶ ἀνίστασθαι καὶ ἀναλαμβάνεσθαι *præſente & cooperante Verbo cum illo homine, ut poſſet vincere, ſuſtinere, nobis prodeſſe, reſurgere & in cœlum aſcendere.* Gregor. Nyſſen. Humanitas in omnibus fuit θεοκίνητος. Deinde ratione ipſius paſſionis divinâ ſuâ & infinitâ virtute reddens easdem coram Deo precioſas ac pro totius mundi peccatis ſatisfactorias, &c. Cypr. in expoſ. Symb. *Divina Filij Dei virtus velut hamus quidam erat habitu humanæ carnis obtectus, ut à ſerpente Leviatan devoratus per illam paſſionis ac mortis inſtructam caperet & ſuperaret fortem illum armatum.* Damaſc. lib. 3. cap. 15. πάσχούσῃ σαρκὶ συνημμένη ἦν ἡ θεότης ἀπαθὴς διαμένουσα, καὶ τὰ πάθη ἐκτελοῦσα τὰ σωτήρια καὶ ζωοποιά. *Patienti carni conjuncta erat divinitas impaſſibilis manens & paſſiones reddens ſalutares.*

198. Q. 3. *An uſurpandæ ſint in hoc genere prædicationes abſtractivæ, Deitas eſt paſſa, divinitas eſt mortua?* Quidam eas uſurpari poſſe arbitrantur, ita tamen ut addatur, *Deitas paſſa eſt carne.* Wirtenberg. in Exam. cap. 6. p. 510. *ex quo appareat divinam Filij Naturam reverà pati.* Jac. Andr. in Diſp. reſpond. Pucherio theſ. 248. 299. 301. Brentius contra Bulling. f. 11. Selnecc. in Widerlegung der Aufflagen p. 192. repudiat phraſin Theodoreti 1. *In quantum Deus, non fuit obnoxius paſſioni.* Quidam etiam ſic loquuntur, *Chriſtus quoad utramque Naturam eſt paſſus, licet non in divina Natura vel ſecundùm eam.* Sed præſtat ab hiſce propoſitionibus abſtractivis abſtinere, quod probamus. 1. *ex Scriptura ſilentio.* Scriptura nuſpiam dicit, Deitas eſt paſſa, ſed Deus eſt paſſus, Filius Dei eſt in mortem traditus, atque addit particulas diſtinctivas, quibus oſtendit, quod paſſio non tribuatur Chriſto ſecundùm divinitatem, ſed ſecundùm humanitatem. 1. Petr. 3. verſ. 18. cap. 4. verſ. 1. &c. 2. *ex Deitatis Natura.* Deitas eſt ἀπαθὴς, ἀτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος. Ergo non poteſt illi paſſio tribui. Deitas eſt toti Trinitati ſive omnibus tribus perſonis Deitatis communis, quòd ſi ergo Deitas in ſeſe diceretur paſſa, tota Trinitas paſſa eſſet ac Sabellianorum & Patripaſſianorum error in Eccleſiam revocaretur. Obvertunt, *ſe non ſimpliciter ſic loqui, Deitas eſt paſſa, ſed Deitas Filij paſſa eſt carne vel in carne.* Reſpond. ne ſic quidem loquitur Scriptura, *ſed Chriſtum paſſum carne, Deum paſſum carne*, unde etiam pii veteres Scripturæ phraſin imitati propoſitionem illam Deitas paſſa eſt carne, repudiarunt. Damaſcenus lib. 3. cap. 18. φύσει τοῦ λόγου παθοῦσαν σαρκὶ οὐδέποτε καὶ νῦν λέγομεν, καὶ εἰς ἐν πάθει τῷ σαρκὶ λέγομεν. cap. 26. εἰ ᾔτιον, ὅτι θεὸν μὲν σαρκὶ παθόντα φαμὲν, θεότητα δὲ σαρκὶ παθοῦσαν ἢ θεὸν διὰ σαρκὸς παθόντα οὐδαμῶς. 3. *ex periculo.* Metuendum, ne propter uſum harum propoſitionum Theopaſchitarum error, qui docuerunt Divinitatem in Chriſto doluiſſe & paſſam eſſe, eùm earo ejus figeretur in cruce, noſtris Eccleſiis affricetur. Auguſtinus de hæreſ. cap. 73. Niceph. lib. 15. cap. 28. &c. (Anteſignani eorum fuêre Dioſcorus Epiſc. Alex. ſub Martiano & Valentiniano, Imp. & Petrus Gnaphæus ſub Zenone.)

Referunt Cedrenus & Zonaras Theopaſchitarum errorem eleganti commento fuiſſe refutatum. Cùm enim Alamundurus Saracenorum Princeps baptizatus eſſet, Severus Monachus miſit duos Epiſcopos, qui eum labe Eutychiana inficerent, quos ille refutans dixit. *Hoc ipſo die ſe literas accepiſſe, Michaëlem Archangelum eſſe mortuum*, quod nuncium cùm ipſi falſum eſſe affirmarent, cùm in Angelos mors non cadat, ſubjecit ille. *Quomodo ergo vos affirmatis divinitatem eſſe mortuam, eò quod in carne ſua in novam Naturam tranſierit, cùm ne quidem Angeli moriantur?* Itaque Severi Legati cum dedecore diſceſſerunt. 4. *ex unionis conditione.* Per unionem non ſublatum eſt diſcrimen Naturarum, ſed hypoſtalis λόγου facta eſt carnis hypoſtaſis ad unam perſonam σύνθετον conſtituendam, poteſt igitur aliquid de tota perſona prædicari ſecundùm humanam Naturam & tamen minimè conſequens eſt, idem quoque tribuendum divinitati. Actiones & paſſiones ſunt perſonæ, non Naturæ, rectè igitur dico, DEUS paſſus eſt carne, ſed non poſſum dicere divinitas τοῦ λόγου eſt in carne paſſa, unde in Concil. Chalcedon. act. 15. tom. 1. Concil. p. 885. rectè definitum, *Naturas duas divinam & humanam in Chriſto eſſe unitas* ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως οὐδαμῶς τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης διὰ τὴν ἕνωσιν σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος *indiſpar* φύσεως καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης. 5. *ex diſparitate primi & ſecundi generis.* *Divina Natura proprias ſuas gloriſicationes carni communicat, ſed manet ipſa paſſionum carnis expers* ait Damaſcenus libro tertio, capite ſeptimo, ratio pendet ex ſumma ejusdem perfectione & immutabilitate. In ſecundo igitur genere dicere poſſum, *caro eſt vivifica*, ſed in primo non poſſum dicere, *Deitas eſt paſſa.* 6. *ex veterum autoritate.* *Qui paſſionem unigeniti Deitati ipſius aſcribere, atque ita Divinitatem ejus paſſibilem aſſerere audent, hos ſacroſancta & œcumenica Synodus Chalcedonenſis*

Exegeſis

de Con-

de Concilio Sacerdotum repellit. tom.1.Conc. Colon.ed.p.884. Huic conforme eſt, quod habetur in profeſſione fidei Catholicæ, quam Damaſus miſit ad Paulinum libr.9.Hiſtor.Tripart.cap.16. *Si quis dicit in paſſione crucis dolorem ſuſtinuiſſe Dei Filium divinitate & non carne & anima rationali, quam aſſumſit in forma ſervi, ut dixit ſacra Scriptura, anathema ſit.* Athanaſius tom. 2. de incarnat. Verbi p. 37. *Qui Deitatem Filij dicit paſſibilem, hunc condemnat ſancta Eccleſia.* Cyrillus in Apolog. contra Theodoret. *Aliud eſt dicere Deum ſeu Filium Dei pati in carne & aliud ſimpliciter dicere pati divinitatis Naturam. Imò, quia idem Filius Dei ſimul Deus eſt & homo, impaſſibilis quidem eſt ſecundùm divinitatis Naturã, paſſibilis ſecundum humanitatem. Neque abſurdum eſt, ſi in Natura, quæ pati poteſt, dicatur paſſus, paſſionem neſciente impaſſibili.* Epiphan.lib.3.tom.2.p. 333. *Mirabiliter confitemur Dominum paſſum in veritate & paſſionis exortem in veritate, Deitate non paſſa propter immutabilitatem & alienitatem a paſſione & coeſſentialitatem cum Patre. Carne vero paſſus eſt, non diviſa Deitate a præſentia in carne in ipſa paſſione, &c.* Damaſcenus libr. 3. cap. 6. οὐδὲ δυνάμεθα εἰπεῖν, ἡ φύσις τοῦ λόγου ἔπαθεν, οὐδὲ ἐσθίειν ἡ θεότης ἐν αὐτῷ. Eadem ſententia repetitur à Luthero in Confeſſ. majori de cœna tom. 3.Jen.p.542. *Rectè dicitur, Filius Dei patitur. Etſi enim una ipſius pars (ut ſic loquar) divinitas ſc. non patitur, tamen ea perſona, quæ Deus eſt, patitur, in altera ſua parte, nimirum in humanitate.* Form. Concord. in declar.art.de perſon.Chriſti.p.766. *Propter hypoſtaticam unionem quæ ſine vera communicatione Naturarum nec cogitari nec ſubſiſtere poteſt, non nude & ſola humana Natura, cujus proprium eſt, pati & mori, pro totius mundi peccatis eſt paſſa. Sed ipſe Filius Dei verè ſecundum tamen humanam Naturam aſſumtam paſſus eſt ac mortuus, etſi divina Natura neque pati neque mori poteſt.* Similia occurrunt in Apolog. Form. Cõcord. p. 57. apud D. Rungium in refut. Catech. Ubiq. p.84.& Gerlach. in aſſert. p.322.

199. Contrariæ ſententiæ patroni urgent hæc argumenta. 1. *Si rectè poſſum dicere, Deitas Filij eſt incarnata, utique etiam rectè poſſum dicere, Deitas Filij eſt paſſa.* Reſpond. eſt diſpar ratio. Nam τὸ *incarnari* non eſt humanæ duntaxat Naturæ proprietas, ſed unionem duarum Naturarum exprimit, quia ut Symbolum Nicenum ἐνσάρκωσιν explicat, *Filius Dei de cœlo deſcendit & homo factus eſt*, ergo ἐν τῇ ἐνσαρκώσει ſimul exprimitur Natura divina τοῦ λόγου quæ in carnem ſe demiſit, eamque in perſonæ ſuæ unitatem aſſumſit, & Natura humana aſſumta quæ in ipſam λόγου hypoſtaſin eſt evecta. At pati carnis aſſumtæ eſt proprietas. ** Divina Natura eſt incarnata. Ergo etiam aſſumta, quia humana aſſumta. Damaſcenus lib.3.de Orth.fid. cap.6. diſtinguit inter propoſitiones, *quæ actum incarnationis* & illas, quæ *ſtatum incarnati* deſcribunt.** 2. λόγος *& Deitas* λόγου *non differunt realiter. Quodſi ergo poſſum dicere,* λόγος *eſt paſſus, utique etiam dicere poſſum, Deitas* λόγου *eſt paſſa.* Reſpond. 1. Scriptura dicit, *Dominum gloriæ eſſe crucifixum*, ſed Deitatem crucifixam eſſe nuſpiam dicit. 2. Deitas Chriſti & perſona Chriſtus non paria ſemper admittunt prædicata. ὁ λόγος perſona ſecunda dicitur factus caro. Sed Deitas λόγου non dicitur facta caro. Deitas Filii eſt Deitas Patris & Spir. ſanct. ſed perſona Filii non eſt perſona Patris & Spiritus ſanct. ** λόγος & ὑπόστασις λόγου ſunt ταυτό τι. Ergo ſi homo eſt λόγος, homo erit etiam ὑπόστασις. ** 3. Quando dicitur quod unus Chriſtus ſint duæ Naturæ & duæ Naturæ unus Chriſtus, non eſt ſenſus, quod quæcunque de Chriſto prædicantur, de duabus Naturis prædicentur, ex quo multa ſequerentur abſurda. **(Totus Chriſtus eſt utraque ſua Natura. Ergo quælibet Natura eſt utraque ſua Natura. Non ſequitur**) ſed quod Chriſtus non ſit tertiũ quid præter ambas ſuas Naturas, unde Damaſcen. libr. 3. cap. 3. & 11. oſtendit inter λόγου ὑπόστασιν & Deitatem aliquod diſcrimẽ ſtatuit. 4. De λόγῳ ἀσάρκῳ concedimus, quod inter Deitatem τοῦ λόγου & ejus hypoſtaſin non ſit reale aliquod diſcrimen. Sed in his propoſitionibus ſubjecti loco ponitur λόγος ἔνσαρκος, qui & divinam & humanam Naturam in perſonæ ſuæ unitate inſeparabiliter conjunctas exprimit. Quamvis ergo reſpectu perſonæ ſimplicis ſive λόγου ἀσάρκου inter hypoſtaſin τοῦ λόγου & Deitatem τοῦ λόγου non ſit reale diſcrimen, ex eo tamen inferri nequit, quod idem obtineat inter λόγον ἔνσαρκον & ejus Deitatem, quia poſt factam incarnationem ὑπόστασις τοῦ λόγου ἐνσάρκου non ſolùm divinæ ſed etiam Naturæ aſſumtæ eſt hypoſtaſis, ac proinde non ſtatim quod de λόγῳ ἐνσάρκῳ ſive hypoſtaſi prædicatur, etiam divinitati rectè tribuitur. 3. *Apoſtoli dicuntur ipſum* λόγον *vitæ, qui fuit* ἀπ᾽ ἀρχῆς *oculis ſuis vidiſſe & manibus contrectaſſe* 1. Johan. 1. verſ. 1. *ergo etiam verè dicere poſſumus ipſum* λόγον *vitæ, qui fuit ab initio eſſe paſſum, ac proinde etiam Deitatem τοῦ λόγου eſſe paſſam.* Reſpond. non eſt alia perſona λόγος ἄσαρκος qui fuit ab initio & λόγος ἔνσαρκος, quem Apoſtoli viderũt, ideò rectè potuit dicere Johannes, quod Apoſtoli illum ipſum λόγον vitæ, qui fuit ab initio viderunt, quo ſenſu etiam facilè concedimus, ipſum illum λόγον qui fuit ab initio eſſe paſſum, ſed quemadmodum Apoſtoli viderunt & contrectarunt λόγον non in ſua Deitate, juxta quam fuit ab initio ſive ab æterno, ſed in aſſumta carne, ſtatim enim additur verſ. 2. καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη videlicet ἐν σαρκὶ 1. Timoth. 3. verſic. 16. ita quoque addendum eſt, λόγον eſſe paſſum non in ſua Deitate ſed in aſſumta carne, proinde & Deitatem non eſſe paſſam, ſed DEUM in carne. 4. *Pro mundi vita pati non eſt proprietas carnis, ſed totius perſonæ ſecundùm utramque Naturam. Ergo etiam Deitati paſſio tribui debet.* Reſpond. diſtinctæ ſunt propoſitiones. *Chriſtus eſt paſſus & Chriſtus paſſus eſt pro mundi vita.* In priore proprietas humanæ Naturæ prædicatur de perſona in concreto, ideoque pertinet ad *primum genus communicationis.* In poſteriore commune ἀποτέλεσμα prædicatur de Chriſto ſecundùm utramque Naturam & in utraque Natura agente, ideoque pertinet ad *tertium genus communicationis.* Pati & mori in ſe ac per ſe conſideratum humanæ Naturæ proprietas eſt, ſed pro peccatis humani generis pati & pro totius mundi vita mori, non eſt ſolius humanæ Naturæ proprietas, verùm ob infinitum pondus, precium ac virtutem ad totam perſonam ſpectat ac proinde eſt ἀποτέλεσμα Chriſti Mediatoris ac Redemtoris, quod ſecundùm utramq; Naturam ipſi tribuitur. In ἀποτελέσμασι involvuntur etiam proprietates, quæ per particulas diſtinctivas ſuis Naturis vendicantur. Jam verò paſſio & mors ut ſic ſunt propria ipſius carnis. Sed paſſio & mors vivificatrix

&re-

Digitized by Google

& redemtrix ut talis eſt ἀποτέλεσμα. 5. Deitas eſt paſſa *communicativè* vel *approbativè*. Reſpond. 1. Ergo etiam dici poterit, quod humanitas ſit infinita. 2. quod Deitas ſit exaltata *communicativè*. 6. *Pij veteres dicunt. Vita in ligno moritur, Deitas clavis eſt confixa.* Auguſtinus in medit. capite 6. *Deitas qua meam carnem induit, crucis patibulum aſcendit & in carne aſſumta triſte tulit ſupplicium.* Reſpond. hæc & ſimilia explicanda ſunt juxta ſidei analogiam. *Vita in ligno moritur*, i. e. Princeps vitæ eſt interfectus. *Deitas eſt crucifixa*, i. e. Deus crucifixus eſt carne, illud n. volunt notanter exprimere, quod non nudus homo ſit paſſus & crucifixus, quodque paſſio non debeat ad ſolam humanitatem referri, ſed quod perſonæ, quæ verè Deus eſt & verè homo, tribuenda ſit, interim tamen non in divinitate ſed in carne paſſionem ſuſtinuit.

Uſus pract. 200. *Uſus practicus.* Quemadmodum ex unione perſonali reſultat talis communicatio, quâ ὁ λόγος carnis aſſumtæ propria & paſſiones ſibi οἰκειοῦται: ita quoque ex unione ſpirituali Chriſti & fidelium talis oritur communicatio, quâ Chriſtus ea, quæ in fideles bona vel mala conferuntur, ſibi per quandam οἰκείωσιν attribuit, quæ tamen οἰκείωσις à priori diſtinguenda. hæc enim eſt σχετικὴ duntaxat ac προσωπικὴ, illa verò φυσικὴ καὶ οὐσιώδης ut loquitur Damaſcenus lib. 3. cap. 25. hæc eſt figurata, illa propria; illa perſonalis, hæc ſpiritualis; Zach. 2. verſ. 8. *Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit* Matth. 10. verſ. 40. *Qui vos recipit, me recipit* cap. 25. verſ. 40. & 45. *Quicquid uni eorum de his fratribus minimis feciſtis vel denegaſtis, mihi feciſtis vel denegaſtis.* Actor. 9. v. 4. *Saul Saul! quid me perſequeris.* Poſſunt quidem hæc non incommodè ſic accipi, quod injuria Legato illata redundet in ipſum Dominum, quare cùm Apoſtoli & miniſtri Eccleſiæ *legatione Chriſti nomine fungantur.* 2. Corinth. 5. verſ. 20. ideò quicquid boni vel mali ipſis infertur, in ipſum Deũ redundat. 1. Sam. 8. verſ. 7. *non te rejecerunt ſed me.* Sed fidei analogia & textus circumſtantiæ oſtendunt, reſpectum etiam haberi ad unionem illam myſticam, quæ Eccleſiæ cum Chriſto & cuique fideli animæ cum Deo intercedit. Quia enim *Pater & Filius manſionem faciunt in cordibus piorum.* Joh. 14. v. 23. quia *Chriſtus per fidem habitat in cordibus credentiũ.* Eph. 3. v. 17. quia fideles ſunt Chriſti membra & corpus aliquod myſticum, cujus caput eſt Chriſtus 1. Cor. 12. v. 12. Col. 1 v. 18. ideò, quæ piis bona conferuntur, vel mala inferuntur, ea Chriſtus ſibiipſi appropriat, unde notanter dicit Apoſtolus Col. 1. verſ. 24. ἀνταναπληρῶ τὰ ὑστερήματα τῶν θλίψεων τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ σαρκί μου ὑπὲρ τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἐκκλησία. & 2. Corint. 4. verſ. 10. *mortificationem Ieſu Chriſti in corpore noſtro circumferimus, &c.* Auguſtinus ſerm. 40. de temp. *Paulus, cùm eſſet adhuc Saulus, audivit. Saule, Saule, quid me perſequeris, quoniam corpus capiti adjungitur. Et cùm jam Chriſti prædicator pateretur ab aliis, quæ perſecutor ipſe fecerat, ut ſuppleam, inquit, quæ deſunt preſſurarũ in carne mea, ad preſſuras Chriſti oſtendens pertinere id quod patiebatur; quod non poteſt intelligi ſecundùm caput, quod jã in cœlo nihil tale patitur ſed ſecundùm corpus, id eſt, Eccleſiam.* Idem in præfat. Pſalm. 142. *Qui dignatus eſt mors pro nobis, nos membra ſua fecit. Aliquando itaque ex perſona membrorum ſuorum loquitur, aliquando ex perſona ſua tanquam capitis noſtri. Apoſtolus dicit, ut ſuppleam quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea: Ut ſuppleam inquit quæ deſunt preſſurarum, non mearum ſed Chriſti, in carne, non jãm Chriſti, ſed mea. Patitur, inquit, adhuc Chriſtus preſſuram, non in carne ſua, in qua aſcendit in cœlum, ſed in carne mea, quæ adhuc laborat in terra. Chriſtus inquit patitur preſſuram in carne mea. Vivo enim jam non ego, vivit in me Chriſtus. Niſi enim Chriſtus etiam in membris ſuis, id eſt, fidelibus ſuis preſſuram ipſe pateretur, Saulus in terra Chriſtum in cœlo ſedentẽ non perſequeretur &c.* Hæc exhibent 1. *exhortationem* graviſſimam ad beneficentiam: Quicquid boni fidelibus Chriſti membris præſtatur, ipſi Chriſto exhibetur; qui pauperem cibat, Chriſtum ipſum cibat. 2. *dehortationem*, ne quis injurias proximo, & perſecutiones Eccleſiæ inferat. Qui pios tangit, pupillam oculi Chriſti tangit, nequaquam igitur illud impunè feret. 3. *conſolationem* in adverſis. Ecquod majus eſſe poſſit in calamitatibus ſolatium quàm quod Chriſtus ipſe noſtram crucem reputet ſuam, quod ipſius *Chriſti ſtigmata & mortificationem in corpore noſtro circumferamus, ut etiam vita Chriſti in nobis manifeſtetur?* Gal. 6. v. 17.

Exegeſis

Cap. XII.

De ſecundo genere communicationis idiomatum.

261. Theſis generalis. *Secundum genus communicationis idiomatum eſt, quo divina Natura Filii propriam ſuam gloriam & excellentiam humanæ Naturæ communicat manens ipſa paſſionum carnis expers.* *Secundum genus communicationis idiomatum.* Circa hoc genus notanda, 1. *Fundamentum.* Quia Natura aſſumta in unione ac per unionem particeps facta eſt hypoſtaſeos τοῦ λόγου, ideò etiam divinorum idiomatum verè & realiter particeps eſt facta. Quia Filius Dei hoc fine in perſonæ unitatem aſſumſit humanam Naturam, ut in ea ac per eam opus redemtionis ac ſalutis noſtræ perficeret, & officium ſuum Propheticum, Sacerdotale & Regium adminiſtraret, ideò ταῖς θείαις ἐνεργείαις ἐπλούτισε τὴν σάρκα, ut eſſet ſalutare & idoneum divinorum ἀποτελεσμάτων organum, οὐκ ἀεργὸν καὶ ἄψυχον, ſed ἐνεργητικὸν, non ſeparatum ſed unitum. 2. *appellationes.* Vocatur hoc genus in Scripturis ὑπερύψωσις, ὕψωσις, δόξα, δόξασις, εἴσοδος εἰς δόξαν, στεφάνωσις μεγαλοσύνη ἐν ὑψηλοῖς &c. A Patribus Græcis θέωσις, ἀποθέωσις, μετάληψις θείας ἀξίας. Juſtinus. μετάδοσις καὶ μετοχὴ θείας ἐξουσίας. Baſilius. μεγάλη προσθήκη, βελτίωσις, θεοποίησις, θεολόγωσις, πλήρωσις. Athanaſius. δυνάμωσις, συνδυνάμωσις. Epiphanius. μεταποίησις, Nyſſenus. εἰς τὸ ἴδιον τῆς θεότητος ὕψος διὰ τῆς ἑνώσεως ἀναγωγή. Idem: δύναμις καὶ δόξα ἐπίκτητος. Euſtachius. ἰσόθεος δύναμις. Euſebius. μετοχὴ τῆς θείας ἐλλάμψεως, πλοῦτος τῶν θείων ἐνεργειῶν ἐκ τῆς πρὸς τὸν ὕψιστον λόγον ἑνώσεως καὶ συμφυΐας τῇ σαρκὶ προσγενόμενος, μετάδοσις τῶν θείων αὐχημάτων. Damaſcenus. A Patribus Latinis *communicatio majeſtatis, transformatio aſſumtæ Naturæ in divinam gloriam & operationem, provectio Naturæ humanæ &c.* 3. *Subjectum.* In ſubjecto propoſitionum ad hoc genus communicationis pertinentium ponitur non tantùm *nomen perſonæ*, ſed interdum

etiam *Nomen Naturæ humanæ* ſive carnis, quod tamen non notat humanam Naturam ſeparatam vel ſcorſim ſubſiſtentem, quia poſt factam incarnationem nec ὁ λόγος eſt extra carnem, nec caro extra λόγον, ſed quatenus eſt τῷ λόγῳ unita & in ipſa τῆς λόγου ὑποστάσει ſubſiſtit, hoc eſt, notat Naturam humanam non nudi hominis, ſed hujus hominis, qui eſt perſonaliter Filio DEI unitus, & quidem quatenus eſt unitus, proinde non conſiderātur hîc in Natura aſſumta *attributa eſſentialia*, quæ ex eſſentialibus principiis ipſi competunt, ſed attributa divina quæ ex unione & per unionem ipſi ſunt collata. 4. *Species & exempla 1. ratione prædicati.* In quibusdam prædicationibus divina majeſtas & gloria in tempore data prædicatur de Chriſto homine in genere, in quibusdam verò divina omnipotentia, omniſcientia, vis vivificandi in ſpecie exprimitur, ut ex ſequentibus apparebit. 2. *ratione ſubjecti.* In quibusdam prædicationibus ſubjecti loco ponitur *concretum perſonæ*, ut Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra Matth. 28. verſic. 18. in quibusdam ſubjecti loco ponitur *concretum Naturæ humanæ*, ut Filius hominis eſt Dominus Sabbathi Marc. 2. v. 28. an etiam abſtractum Naturæ humanæ quandoque ſubjecti locum occupet, de eo videbimus in quæſtionibus. 5. *reciprocatio.* In hoc communicationis genere reciprocatio non habet locum, ut in primo, ratio hæc eſt, quia divina Natura eſt ſimpliciter ἀναλλοίωτος καὶ ἀμετάβλητος, ideò per unionem nec perfici, nec minui, nec evehi, nec deprimi potuit Malach. 3. verſic. 6. humana autem Natura, quia humilis eſt & ἐνδεὴς, ideò per unionem potuit exaltari, evehi ac perfici. Nec eſt quod regeras, *unionem eſſe reciprocam, proinde etiam communicationem.* Quamvis autem unio reſpectu ſimipſius conſiderata ſit æqualis & reciproca, tamen ratione unitarum Naturarum conſiderata exhibet nobis hanc differentiam, quod in unione ὁ λόγος ſit aſſumens caro autem ſit aſſumta, ὁ λόγος aſſumſit carnem, caro autem non aſſumſit λόγον, ſed eſt aſſumta à λόγῳ. jam verò *aſſumti provectio eſt, non aſſumentis*, ut dicunt pii veteres. 6. *Particulæ* διορισμ*ικαὶ*. Quandoque in hoc genere adhibentur particulæ κατὰ, ὅτι, de quibus accuratiſſimè notandum, quod earum uſus alius ſit *in primo*, alius *in ſecundo genere communicationis.* In primo genere particulæ illæ ſunt notæ proprietatis, cui ſcilicet Naturæ competant illæ proprietates, quæ in prædicato exprimuntur, verbi gratiâ, quando dicu Chriſtus paſſus eſt κατὰ σάρκα, tunc ſenſus eſt, quando paſſio ſit proprietas humanæ Naturæ, quæ prædicetur de perſona in concreto propter unionem perſonalem. Sed in ſecundo genere explicant *tum objectum*, quia oſtendunt ſecundùm quam Naturam talia Chriſto in tempore data ſint, & prædicatum propoſitionis ad humanam Chriſti Naturam in ipſa unione conſideratam referendum eſſe admonent, *tum cauſam & originem*, quia oſtendunt, unde caro iſtam ſuam eminentiam & dignitatem obtineat, videlicet ex unione. v. g. *quando dico, Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra* κατὰ σάρκα. *Chriſto data eſt poteſtas judicii* ὅτι, *quia eſt filius hominis*, tunc ex primo objectum dationis, quod ſcilicet de Chriſto quatenus homo eſt, hoc eſt, de carne Chriſti accipiendum ſit, quod omnis poteſtas ac proinde etiam poteſtas judicii in tempore data. Quando dico, caro Chriſti eſt vivifica & omnipotens κατ' ἄλλο, ſenſus eſt, quod ſit vivifica non ex Naturæ ſuæ proprietate, ſed ſecundùm unionem ſive propter unionem, ex qua & per quam hanc dignitatem accepit vel quod idem eſt, ſignificatur unionem eſſe cauſam, cur Chriſti caro vivificandi vi prædita ſit, quæ ex eſſentialibus principiis minimè ipſi competat. Improbat hanc diſtinctionem Pelarg. in antih. apologet. contra Bald. theſ. 89. *Diſtinctio* (inquit) *particulæ* κατ' ἄλλο *in primo & tertio genere antiquitati orthodoxæ prorſus incognita nova eſt, nempe quod in primo genere proprietatem, in tertio originem & cauſam notet. Veteres ſemper illa ſubjectum vel Naturam denotarunt, juxta quam aliquid de Chriſto dicatur.* Sed ex dictis veterum apparebit, fundamenta hujus diſtinctionis in ipſa antiquitate extare. Confer art. de perſona Chriſti §. 134.

202. Cæterùm cùm de hoc ſecundo communicationis genere graviſſimæ in Eccleſia agitentur controverſiæ, ideò ut ejus confirmatio ſit illuſtrior, progredimur hoc modo, ut dicamus, quod in hoc genere conſideranda ſint duo, 1. *Ipſa communicatio*, 2. *Communicatorum uſurpatio* κοινωνία καὶ τῶν κοινωνητῶν χρῆσις. In ipſa communicatione ſpectanda, 1. *Eſſentialia*, 2. *Circumſtantialia* τὰ οὐσιώδη καὶ τὰ περιστατικά. *Eſſentialia* ſunt 1. *Termini*. 2. *Materia communicationis. Termini duo ſunt: Terminus à quo*, videlicet is qui communicat, *& terminus ad quem*, videlicet is cui communicatur. *Materia communicationis* eſt illud ipſum quod communicatur. *Circumſtantiæ* communicationis ſunt *modus ac tempus*, de quibus omnibus in ſpecie hîc agendum.

203. Sit ergo theſis ſpecialis: 1. *Is qui communicat, eſt* ὁ λόγος *ſeu Deitas* τῆς λόγου θεότης. Ut enim in unione ὁ λόγος aſſumit, Natura humana aſſumitur, ita quoque ὁ λόγος ſeu Deitas τοῦ λόγου communicat, Naturæ autem humanæ communicatur. Ut Filius ipſe dicitur *conſediſſe ad Dei dextram* Marc. 16. verſ. 19. Hebr. 1. verſ. 3. cap. 8. verſ. 1. *profectus in cœlum ſubjectis ſibi Angelis & poteſtatibus & virtutibus* 1. Petr. 3. verſ. 22. ita quoque ipſe carnem aſſumtam in propriam extulit celſitudinem. Cyrillus lib. 8. theſauri cap. 1. *Altiſſimus Filius ſemper eſt ut Deus, exaltatur ut homo; nullius rei indiget ut Deus, & tamen multa ut homo accipit. Naturæ humanæ proprium eſt a Deo accipere, ut homo igitur per gratiam à Deo ea accipit, quam Deus naturaliter habet. Quare ipſe quoque ipſo ut a Deo ipſemet accipit ut homo. Nam ſi omnia Pater per Filium facit, neceſſe eſt credere, quod ipſe ſibi exaltationem dedit & gratiam Patris Deificato aſſumto templo. Gratia igitur ipſi ut homini accidit & exaltari dicitur propter carnem.* libro 6. Dial. de Trinit. p. 127. *Secundùm Naturam ſanctus eſt ut DEVS, ſanctificatus autem nobiſcum ut homo proprio Spiritu ſuum ipſe templum inungens.* Athanaſius de Naturæ humanæ ſuſc. p. 471. *Evidens eſt omnia Patrem per eum facere atque ita fieri, ut ipſe à Patre per ſeipſum excitetur, ipſe per ſeipſum ſanctificetur, ipſe per ſeipſum extollatur, ipſe ſibi vitam largiatur.* p. 465. *cum dicit vitam dedit Filio Pater, carni vitam datam eſſe intelligere oportet, Pater per Filium corporis Filii excitationem perfecit.* Greg. Nyſſen. contra Eunom. *Ipſa dextra Dei unitum ſibi hominē* εἰς τὸ ἴδιον ὕψος *ἀνήγαγεν*. Damaſc. lib. 3. orth. fid. c. 7. καὶ αὐτὸ μὲν

1. *Is qui communicat eſt* ὁ λόγος.

(θεία

(θεία φύσις) τῶν οἰκείων αὐχημάτων τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχ☉, *ipſa quidem divinâ Natura proprias glorificationes carni tradit, manens ipſa paſſionum carnis expers.* Confer art. de perſ. Chriſti §.86.

Antitheſis. 204. *Antitheſis.* Qui communicationem divinorum idiomatum carni Chriſti factam eſſe negant, urgent, quod *Pater dicatur Filium exaltaſſe ipſiq́; omnem poteſtatem dediſſe.* Dan. 7. verſ. 13. *Filius hominis in nubibus cœli usque ad Antiquum dierum pervenit.* verſ. 14. *& dedit ei poteſtatem & honorem & regnum.* Matth. 11. verſ. 26. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo* Johan. 3 verſ. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus.* Iohan. 5. v. 27. *Pater dedit poteſtatem faciendi judicium Filio.* Epheſ. 1. verſ. 20. *Deus ſuſcitavit Chriſtum à mortuis, & conſtituit ad dextram ſuam in cœleſtibus.* Philip. 2. verſ. 9. *Propter quod exaltavit illum Deus, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Hebræor. 2. verſ. 6. *Quid eſt homo, quod memor es ejus.* verſ. 7. *gloriâ & honore coronaſti eum.* Ex his & ſimilibus locis concludunt hoc modo: *Si Pater exaltavit Filium, eiq́; omnem poteſtatem dedit, utique erit relatio inter Patrem, ut dantem, & inter Filium ut accipientem, non autem inter Deitatem τοῦ λόγου ut dantem, & inter humanitatem aſſumtam ut accipientem.* Reſpond. 1. dicta illa Scripturæ theſin noſtram tantum abeſt ut evertant, ut eandem potiùs validiſſimè confirment. Cùm enim Filius ſecundùm Deitatem ſit Patri ὁμοούσι☉ *ideò quæcunque Pater facit ταῦτα καὶ ὁμοίως facit filius* Johan. 5. verſ. 19. eſt namque trium divinitatis perſonarum ut una eſſentia, ita quoque una potentia, una agendi δύναμις. Si Pater ageret δίχα τοῦ υἱοῦ ſine Filio, non amplius eſſet una Patris & Filii actio & per conſequens nec una eſſentia. Quare in omnibus Scripturæ dictis, in quibus Pater dicitur Filium exaltaſſe, & omnem poteſtatem ei dediſſe confirmatur noſtra theſis, quod Filius ſeipſum ſecundùm carnem, hoc eſt, aſſumtam humanitatem exaltaverit, cùm ſolo opere ad intra ſive generatione utpote proprietate characteriſtica exceptâ quicquid agit Pater, illud etiam agat Filius. 2. unde utrumque Scriptura aſſerit, quod *Pater collocaverit Filium ad dextram ſuam* Epheſ. 1. verſ. 20. *& quod Filius conſederit ad dextram Patris*, *quod Pater unxerit Filium Spiritu & virtute* Pſalm. 45. verſ. 8. Eſai. 61. verſ. 1. Actor. 10. verſ. 38. & quod ὁ λόγ☉ humanam Naturam aſſumendo eandem proprii ſui Spiritus plenitudine unxerit Dan. 9. v. 24. Pater *dat* Filium Iohan. 3. verſ. 16 *mittit* Galat. 4. verſ. 4. *tradit in mortem* Rom. 8. verſ. 32. & *Filius tradit ſeipſum* Gal. 2. verſ. 20. Pater *ſuſcitat Filium*, & Filius propriâ virtute reſurgit. Pater *ponit inimicos ſub pedibus Chriſti* Pſalm. 110. v. 1. *& Chriſtus ipſe ſubjicit ſibi hoſtes ſuos* 1. Corinth. 15. verſ. 22. 3. Quamvis verò una ſit exaltatio, una actio, ac proinde una Patris & Filii actio, quâ aſſumta Chriſti caro divinorum, idiomatum particeps eſt facta, tamen ut terminus aſſumtionis non eſt Pater vel Spiritus ſanctus, ſed ſolus ὁ λόγ☉ : ita quoque Pater exaltavit Chriſti carnem non in ſua propria, ſed in Filii perſona, ſolus enim ὁ λόγ☉ humanam Naturam in perſonæ ſuæ unitatem aſſumendo eandem propii ſui Spiritus plenitudine unxit, ut propriam ſuam carnem. 4. inde quidam diſtinguunt inter δόσιν καὶ κοινωνίαν, *inter dationem & communicationem* ſtrictè acceptam. A Patre & Spiritu ſancto dicuntur divina illa αὐχήματα Chriſto ſecundùm humanam Naturam *dari*, ſed non *communicari*, ſi ſtrictè & in rigore loqui velimus, quia communicatio, de quâ hîc loquimur, eſt & vocatur perſonalis, proinde ſi ἀκριβῶς velimus loqui, præſupponit unionem perſonalem, jam verò unio perſonalis non eſt inter Patrem & carnem Chriſti, vel Spiritum ſanctum & carnem Chriſti, ſed inter λόγον & aſſumtam ipſius carnem; quia ergo ſolus Filius, eſt aſſumtę carni perſonaliter unitus, non Pater, non Spiritus ſanctus, ideò etiam ſolus Filius divinas ſuas proprietates charactere hypoſtatico inſignitas aſſumtæ humanitati perſonaliter communicavit, non excluſo interim à datione Patre & Spiritu ſancto, ſicut etiam ab incarnationis opere non excluduntur, ut oſtendimus ſuperiùs. 5. Cogitandum verò de cauſis, propter quas Scriptura ſacra illam μετάδοσιν καὶ ὑπερύψωσιν ad Patrem ut plurimùm referat 1. Deus Pater ut eſt fons Deitatis, in ipſo eſt πηγαία θεότης, ita quoque eſt fons noſtræ redemtionis ac ſalutis, unde toties Chriſtus à Patre ſe in hunc mundum profitetur eſſe miſſum; ſeque veniſſe, ut faceret non ſuam ſed Patris voluntatem Johan. 6. verſ. 38. cap. 8. verſ. 42. &c. 2. Sicut Pater λόγῳ ἀνάρχῳ per æternam generationem ſuam eſſentiam & omnia eſſentialia attributa communicavit, ita quoq; λόγῳ ἐνσάρκῳ in reſpectu ad unionem hypoſtaticam λόγου & carnis omnia in manus dare dicitur. 3. Ut ipſa miſſio Filii & officii ejus confirmatio divinâ voce cœlitùs factâ ac miracula Deo Patri aſſignari ſolent, ac tota obœdientia in diebus carnis à Chriſto præſtita Deo Patri dicitur præſtita: ita quoque ad Patrem tanquam ad fontem referuntur divina illa αὐχήματα, quibus ut homo per unionem hypoſtaticam & exaltationem ad Dei dextram fuit ditatus. 4. Quemadmodum Pater dicitur Filium in mortem pro nobis tradidiſſe, ita quoque ex clauſura & carcere eum dicitur eduxiſſe, & divinâ gloriâ & honore decoratum ad dextram ſuam in cœleſtibus collocaſſe, ut ſufficientiſſimum ac pleniſſimum λύτρον ſibi eſſe præſtitum ipſo facto & eventu demonſtraret. Breviter dicendo eſt in illis dictis relatio inter Patrem dantem & Filium accipientem ſcilicet in tempore & per gratiam unionis & exaltationis, ex quo colligitur, hanc relationem inter Patrem & Filium intelligendam eſſe non reſpectu divinæ Naturæ Filii, juxta quam eandem cum Patre habet eſſentiam ab æterno, ſed reſpectu aſſumtæ hum. Nat: juxta quam in tempore dona illa accepit. Confer art. de perſona Chriſti §. 85. & 87. Ex hoc fundamento facilè reſpond. ad ſophiſma Bellarmini libro 3. de Chriſto cap. 8. *Si Pater aut Spiritus ſanctus Naturæ humanæ Chriſti ſua idiomata communicat, ſequitur inde unio inter Patrem & carnem &c.* Reſpond. 1. pari ratione concludere poſſem. Tota Trinitas formavit corporis habitaculum, quod λόγος in perſonæ ſuæ unitatem aſſumſit. Ergo tota Trinitas eſt incarnata. 2. Tota Natura divina dicitur carni unita in una ſui ipſius ὑποστάσει. Ergo unita eſt humana Chriſti Nat. Spir. ſancto, ſed tamen illi non eſt perſonaliter unita. 3. Invertimus: Si ipſa ὑπόστασις τοῦ λόγου carni communicata, quæ tamen τοῦ λόγου maximè eſt propria, quomodo non potuerint communicari attributa divina toti Trinitati communia.

2. Is cui facta communicatio eſt Chriſtus ſecundùm humanā Naturam.

205. Theſis. 2. *Is cui communicatio facta eſt Chriſtus ſecundum humanam Naturam vel quod idem aſſumta Natura humana Chriſti.* In deſcriptione ſubjecti harum prædicationum jam ante monuimus, perinde eſſe ſive dicatur Chriſto ſecundùm humanam Naturam illam communicationem eſſe factam, ſive humanæ Chriſti Nat. eam obtigiſſe. Perſonæ Chriſti facta eſt illa cōmunicatio, ſed cùm in perſona illa ſint duæ diſtinctæ Naturæ, ideò porrò explicandum, juxta quam Naturam illa communicatio dicatur ipſi facta, ubi diſertè reſpondemus, ſecundùm humanam. Hanc theſin in art. de perſ. Chriſt. §. 89. & ſeqq. demōſtravimus 1. *ex diſerta carnis expreſſione* Johan. 6. verſ. 51. 54. 55. caro Chriſti eſt vivifica. Excipiunt adverſarii, Danæus contra Chemnic. p. 285. 305. Herbornenſes & reliqui Calviniani, *Nuſpiam carnem Chriſti vocari vivificam, ſed quod detur pro mundi vita, & quod manducant hanc carnem habeat vitam æternam.* Reſpond. ſubordinata non ſunt oppoſita, ſed ſeſe mutuò potiùs ponunt. Manducans Chriſti carnem inde atque ideò habet vitam, quia caro Chriſti data eſt pro mundi vita. Caro Chriſti inde atque ideò dari potuit pro mundi vita, quia eſt λόγου Verbi omnia vivificare volentis propria caro, ut Concil. Epheſ. contra Neſtorium cap. 11. rectè pronunciavit. Cyrill. in defenſ. hujus anath. contra Theod. *Quia Verbi propria facta eſt caro, ideo eſt vivificatrix.* Applicatio requirit acquiſitionem, acquiſitio requirit ſive præſupponit communicationem, communicatio unionem, inde Chriſtus ſic concludit Iohan. 6. v. 51. *Ego ſum panis vivus* ὁ ἄρτος ὁ ζῶν *qui de cœlo deſcendit.* Ergo, *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum, & panis quem ego dabo, caro mea eſt* ἡ σάρξ μου ἐστὶν *quam ego dabo pro mundi vita.* Et poſtea verſ. 54. *Qui manducat carnem meam, habet vitam.* verſ. 55. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus ſcilicet vivificus*, inde atque ideò quia eſt mea caro & meus ſanguis. 2. *ex particula determinativa adjectione* Johan. 5. verſ. 27. *Pater dedit Filio* ἐξουσίαν *faciendi judicium* ὅτι, *quia eſt Filius hominis*, ut notetur objectum, quod ſcilicet Chriſto, ut eſt filius hominis ſive ſecundùm humanam Naturam illa poteſtas ſit data. Particula ergo ὅτι propriè loquēdo hîc non eſt αἰτιολογική, quia humana Natura non eſt cauſa illius dationis, aliàs omnes homines haberent hanc poteſtatem, cùm poſitâ cauſâ & non impeditâ effectus ſequatur, ſed eſt διοριστικὴ καὶ δεικτικὴ oſtendens Naturam cujus reſpectu illa datio Chriſto in tempore obtigerit, q: ſit καθὼς vel καθότι, quod patet etiam ex v. ſeq. inde enim atque ideò Chriſtus voce ſuâ humanâ mortuos ex ſepulchro poterit excitare, quia ipſi ut homini poteſtas judicium faciendi ac proinde etiam mortuos excitandi data. *Etſi* (ſcribit Pulargus in comm. h. l.) *quidam veterum ut Tertull. contra Prax. cap. 16. Ambroſ. lib. 2. de fid. cap. 4. Chryſoſt. homil. 38. in Iohan. ad generationem referunt æternam, qua Pater Filio largitus eſt omnia, expreſſè tamen Evangeliſta determinat, datam eſſe ipſi hanc poteſtatem* ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου, *quia filius hominis eſt*, hoc eſt, διὰ *&* κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα. Cyrillus lib. 2. in Iohan. cap. 14. *Chriſtus cauſam ſubjecit, quare vitam & poteſtatem judicii ſibi à Patre datam dixerit, quia filius hominis eſt, ut intelligamus omnia ſibi data eſſe ut homini. Vnigenitus verò Filius non vitæ particeps, ſed vita naturaliter eſt.* cap. 140. *In quantum quidem Verbum Dei, & Deus eſt, habet hanc poteſtatem naturaliter, in quantum autem homo factus eſt accepiſſe ſe hanc poteſtatem apertè profitetur.* Toſſan. Calvin. ſic exponit, *quia filius hominis eſt, hoc eſt, quia humiliavit ſeipſum in aſſumta ſervi forma, & fuit obœdiens patri uſque ad mortem.* Philip. 2. verſ. 9. hanc interpretationem non repudiamus, ſed tamen addimus, ſecundùm eandem Naturam Chriſto datam poteſtatem exercendi judicii, ſecundùm quam eſt humiliatus, quia illa datio ἐξουσίας κριτικῆς pertinet ad exaltationem, quæ exinanitionem & humiliationem eſt ſecuta. Jam verò ſecundùm humanam Naturam Chriſtus eſt humiliatus. Ergo ſecundùm eandem accepit illam poteſtatem, & per conſeq. objectum dationis connotatur. Quidam ex Calvinianis ſic exponunt, *quia filius hominis eſt, hoc eſt, quia viſibili formâ veniet ad judicium.* Atqui τὸ eſſe filium hominis, in quo Scripturæ loco ſignificat viſibilem ad judicium reditum? nec viſibilis adventus eſt cauſa hujus dationis, ſed unio hypoſtatica & exaltatio ad Dei dextram. Sic ergo corrigimus hanc interpretationem. Quia Chriſtus in viſibili forma ad judicium rediturus voce ſuâ mortuos excitabit, & ad tribunal ſuum judiciarium vocabit, ideò etiam ipſi *ut homini* poteſtas judicium faciendi data intelligitur, ut hac ratione non cauſa, ſed conſequens hujus dationis reditus ad judicium exercendum ſtatuatur. &c. 3. *ex circumſtantiarum notatione*, quibus digitus ad humanam Naturam intenditur. Apocal. 1. verſ. 13. cap. 5. verſ. 5. 6. & 12. Pſalm. 8. verſ. 7. Johan. 3. v. 35. Epheſ. 1. verſ. 22. Excipiunt *perſonæ duntaxat unitatem ejuſmodi deſcriptionibus exprimi, quod is, cui talia tribuuntur, ſit etiam verus homo & hominis filius.* Reſpond. imò verò non tantum perſonæ unitas, ſed etiam illud objectum, illa Natura exprimitur, juxta quam talis cōmunicatio Chriſto facta. Quæ enim hæc eſſet præſentiæ deſcriptio? Filius hominis ambulans in medio candelabrorum aureorum veſtitus eſt podere, caput & capilli ejus ſunt candidi inſtar nivis, hoc eſt, Chriſtus tantum ut Deus Eccleſiæ ſuæ præſens eſt, ſed Natura humana, juxta quam ipſi competunt caput, capilli, pedes, &c. in remotiſſimo à nobis loco verſatur? Quæ hæc foret analyſis? Agnus ſtans tanquam occiſus dignus eſt accipere virtutem, hoc eſt, Chriſtus ſecundùm humanam Naturam occiſus, ſecundùm divin. Nat. talia accepit. Chriſto omnia in manus data, hoc eſt, ipſius divinitati juxta quam nō competit ipſi habere manus ac pedes, omnia ei ſunt data? 4. *ab exinanitionis & exaltationis connexione.* Exaltatio deſcribitur ut immediatum conſequens exinanitionis. E. etiam ſecundùm eam Naturam competit Chriſto exaltatio, juxta quam fuit exinanitus, hoc eſt, juxta Naturam humanam Pſalm. 8. verſ. 6. & 7. Pſalm. 110. v. ult. Luc. 24. verſ. 26. Roman. 14. verſ. 9. Epheſ. 1. v. 20. Phil. 2. v. 9. Hebr. 2. verſ. 9. 5. *à præſtantioris nominis collatione.* Secundùm quam Naturam Chriſtus Angelis præſtantior factus κρείττων γενόμενος, & præſtantius nomen ſortitus, ſecundùm eandem etiam eſt exaltatus & divinam gloriam accepit. Jam verò ſecundùm humanam Naturam prius ipſi competit Heb. 1. verſ. 4. Phil. 2. verſ. 9. 6. *ex temporis determinatione.* Quæ in tempore Chriſto data dicuntur, non poſſunt illi data intelligi ſecundùm Deitatem, juxta quam omnia habet ab æterno. Jam verò in tempore illa dicuntur Chriſto data,

Digitized by Google

Dan. 7.verſ.13.cap.9.verſ.24.Iohan.17.verſ.1.7. *a Deitatis conditione.* Divina Natura eſt immutabilis, perfectiſſima, αὐτάρκης. Ergo per unionem in tempore factam & per exaltationem dies carnis ſecutam ipſi addi nihil potuit. 8. *ex finis conſideratione.* Quæ Chriſto in tempore data ſunt, fine eo data ſunt, ut Chriſtus officium Mediatoris exequatur. Jam verò Chriſtus ſecundùm Deitatem per eſſentiam ab æterno obtinet divinam potentiam & ἐνέργειαν ad officii Mediatorii opera requiſitam. Ergo non fuit opus ut ſecundùm divinam Naturam quicquam ei in tempore daretur.

206. Hiſce argumentis dicto loco latiùs expoſitis conjungenda ſunt ſequentia: 1. *à divinitatis inhabitatione* in aſſumta Chriſti carne. In qua Natura habitat tota plenitudo Deitatis, illi etiam divina gloria ac majeſtas verè & realiter eſt communicata. Ratio eſt, quia tota plenitudo Deitatis non eſt, nec eſſe poteſt abſque divina gloria & majeſtate, ac inhabitatio totius hujus plenitudinis nō eſt, nec eſſe poteſt abſque communicatione, ut oſtendimus in cap.8. de communicatione Naturarum. Jam verò in aſſumta Natura humana tota plenitudo Deitatis habitat, ut ibidem oſtendimus ex vocab. κατοικεῖν & σωματικῶς. Quod ſi enim vocem σωματικῶς exponamus *corporaliter*, non poterit per eam deſcribi modus inhabitationis, quippe qui nō eſt corporeus, ſed notatur ſubjectum, ut ſic loquar, h.e. Natura illa, quę eſt inhabitantis plenitudinis Deitatis templum & habitaculum. Idem colligitur ex Coloſſ.1.v. 19. *Complacuit Patri in ipſo habitare κατοικῆσαι omnem plenitudinem*, quæ inhabitatio ibidem refertur ad εὐδοκίαν. Jam verò quod Chriſtus ab æterno eſt plenus & perfectus Deus, id non pertinet ad εὐδοκίαν, ſed ad φύσιν & Naturam, ergo agitur de inhabitatione plenitudinis in aſſumta Natura, juxta quam etiam caput Eccleſiæ conſtitutus eſt, poſtquam per ſanguinem ſuum omnia pacificaverat v. 18. & 20. 2. *ex Spiritus ſancti unctione.* Juxta quam Naturam Chriſtus in tempore unctus eſt Spiritu ſancto, juxta eandem etiam accepit virtutem divinam & infinitam, quæ per miracula divina ſe exeruit Actor.10.verſ.38. Jam verò juxta humanam Naturam Chriſtus in tempore unctus eſt Spiritu ſancto. Ergo. Aſſumtum probatur *tum ex proprietate perſonali Deitatis*, quia ſecundùm div. Nat. Spirit. ſanct. ab omni æternitate à Chriſto Dei Filio non minùs quàm à Patre procedit, ac ſecundùm divinam Naturam eſt ungens, tum *ab unctionis tempore*, quia Dan.9.verſ.24. expreſsè determinatur tempus, quando ungendus ſit ſanctus ſanctorum. Confer Eſai.61.verſ. 1. Johan.3.verſ.31.35. Actorum 10.verſ.38. Idem magno conſenſu docent pii veteres. Irenæus libro 3. cap.10.pag.180. *Secundùm id quod Verbum Dei homo erat ex radice Ieſſe; & filius Abrahæ ſecūdùm hoc requieſcebat Spiritus Dei ſuper eum, & ungebatur ad evangelizandum humilibus.* Cyrill. in c. 11. Eſa. *Licet interdum Chriſtus dicatur Spiritum accipere, cùm ſit tamen ipſe choragus & ſubminiſtrator Spir. ſanct. & non ex menſura det, ſed ex propria plenitudine illud dignis impertiat, hoc pro mēſura & modulo exinanitionis intelligatur accipere.* Chryſoſtomus hom. de ſanct. & ador. Spir. *Nullus ſic impius, ut credat quod divinitas accipiat Sp. ſanct. habuit, igitur caro Spir. ſanct. non partem donariorum ſicut nos, cùm uni ſapientiâ, ſacrata datur, ſed omnia habuit dona.* Oecum. in cap.1. Heb. *unxit te Deus tuus* τὸ σοῦ διὰ τὴν σάρκα. *Ungitur enim humanitas Spir. ſancto, unctio v. eſt q. tota ungentis præſentia.* Damaſcenus 4. orth. fid. capite 1. *Uncta eſt caro Deitate, unctio enim ipſa ad humanitatem ſpectat.* 3. *ex collatione ad Dei dextram.* Secundùm quam Nat. Chriſtus ad Dei dextram collocatus, ſecundùm etiam divinam majeſtatem accepit, ut poſteà demonſtrabitur. Jam verò ſecundùm hum. Natur. eſt ad dextram Dei collocatus, quod probatur primò *ex Natura Deitatis*, ſecundùm divinitatem eſt ipſa Dei dextra & virtus Luc. 1. verſ. 35. 1. Corinth. 1. verſ. 24. ſecundò *ex tempore collationis.* Chriſtus in tempore collocatus eſt ad dextram Dei, Marc.16.verſ.19. *poſtquam locutus eſt, aſſumtus eſt in cœlum, & conſedit à dextris Dei.* Matth.26.verſ.64. *amodo videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei*, (in quo dicto quatuor obſervanda ſunt. 1. denominatur Chriſtus à Nat. humana. 2. aſſignatur temporis ratio. 3. connectitur ſeſſio ad dextram Dei cum adventu in nubibus cœli. 4. Filius ſecundùm Deitatem eſt ipſa dextra Dei. Ergo non poteſt dici ſecundùm Deitatem ſedere ad dextram Dei.) tertiò *ex modo concludendi Apoſtolico.* Paulus 1. Corinth. 15. verſ. 8. probat Chriſti reſurrectionem ex ſeſſione ad dextram Dei, inde ſic inferimus: Cujus Naturæ eſt id quod demonſtratur, ejuſdem Naturæ etiam argumentum eſſe oportet alias non eſſet ductum ἐξ οἰκείων ſed ἐξ ἀλλοτρίων, nec eſſet rei demonſtratæ & medii demonſtrativi apta connexio. Jam verò reſurrectio eſt Naturæ humanæ, & ex ea demōſtratur ex ſeſſione ad dextrā Patris. E. quartò *ex deſcriptione illius collocationis.* Paulus Eph. 1. v. 19. *aſſerit Deum omne ſuum robur exeruiſſe* τὴν ἐνέργειαν τοῦ κράτους τῆς ἰσχύος *in Chriſto reſuſcitando, & ad dextram ſuam in excelſis collocando.* At hoc non poteſt intelligi de Chriſto ſecundùm Deitatem. 4. *ex gratiæ adjectione.* Paulus Philip.2.verſ. 9. utitur verbo ἐχαρίσατο *Deus ex gratia donavit Chriſto nomen.* Jam verò Chriſtus ſecundùm Deitatem nihil habet ex gratia, alioqui non eſſet Natura Deus. 5. *ex dominii collatione.* Actorum 2. verſ.36. Chriſtus dicitur in tempore *factus Dominus.* Jam verò hoc ſecundùm divinam Naturam de eo dictum accipi nequit, quippe ſecūdùm quam natus eſt Dominus ab æterno, per ſcilicet à Patre generationem.

207. *Dicta Patrum* magno numero citantur in Apolog. Form. Concord. & in lib. Chemnicii de duabus Naturis cap.25.p.370. quædam eorum adducta ſunt in art. de perſ. Chriſti §. 98. quibus adjungenda ſunt ſequentia. Regula communi antiquitatis ſuffragio comprobata proponitur à Theodor. Dial. 2. ὅσα λέγει ἡ γραφὴ, ὅτι ἔλαβεν ὁ υἱὸς καὶ ἐδοξάσθη, διὰ τὴν ἀνθρωπότητα αὐτοῦ λέγει, οὐ τὴν θεότητα. Athanaſius orat.4. contra Arian. p. 279. *dicit ſe poteſtatem accepiſſe ut hominem, quā ſemper habet ut Deus; dicit glorifica me, qui alios glorificat, ut oſtenderet carnem ſe habere rerum iſtarum indigam, ac proinde carne ſua humanitatis glorificationem accipiente ita loquitur, quaſi ipſe eam accepiſſet.* Euſebius Emiſſ. homil. poſt Dom. Paſſ. *Nos Chriſtum ſecundùm humanitatem omni virtute & gratia plenum eſſe confitemur.* Baſil. libr. 2. contra Eunom. tom.2.p.322. in cap.2. Act. *Non de eſſentia ipſa Verbi Dei, quod in principio erat apud Deum, ſed de eo, qui ſeipſum exinanivit in forma ſervi & factus eſt conformis corpori humili-*

tatis noſtræ, & crucifixus eſt ex imbecillitate palàm verba facit. libro 4. contra Eunom. *Data eſt mihi omnis poteſtas. Glorifica me eâ gloriâ &c. eam intelligere oportet de incarnatione & non de Deitate.* Hieron. in comm. cap. 2. Phil. *Humiliationem & exaltationem ad humanã Chriſti Naturam referẽdam eſſe docet.* Cyrill. lib. 4. theſauri cap. 2. fol. 36. *Quia vita ſecundùm Naturam Filius eſt, accipere vitam à Patre dicitur, non in quantum verbum aut imago Patris, ſic enim ipſe quoq; naturaliter vita eſt, ſed in quantum homo factus.* Epiſt. 1. ad ſucceſſ. *Si quis illud Chriſti corpus divinum dicat, ſicut & hominis humanum à decentiſſima ratione non deviat, quia corpus eſt Dei & ineffabili gloria illuſtratum.* Chryſoſtomus homil. 4. in Epiſt. Hebræor. col. 1687. Baſ. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus,* hoc propriè aptatur ad Chriſtum ſecundùm carnem. Auguſtinus tom. 6. cõntra ſerm. Arian. c. 12. *Illud ſede à dextris meis in carne completum eſt efficaciter, & ſuo tempore in carne ſedet ad dextram Patris.* libro 2. contra Maximin. cap. 5. *In qua forma crucifixus eſt, ipſa exaltata eſt, ipſi donatum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut cùm ipſa forma ſervi nominatur, Filius unigenitus DEI intelligatur.* tract. 111. in Iohan. *Illa forma ſervi levata eſt quam ſumſit ex virgine, & ad dextram Patris collocata.* Theophyl. in cap. 28. Matth. p. 906. Baſil. *Quia hum. Natura priùs condemnata, nunc unita Dei verbo perſonaliter in cœlo ſedet, & ab Angelis adoratur, meritò dicit, data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, etenim humana Natura priùs ſerviebat, nunc in Chriſto imperat omnibus.* In cap. 7. Hebr. ſuper verba, *Excelſior cœlis factus:* τὸ δὲ γενόμενος δῆλον πάλιν, ὅτι περὶ τοῦ κατὰ σάρκα· ὡς γὰρ Θεὸς λόγος ἦν ἀεὶ τῶν οὐρανῶν ὑψηλότερος. Theodoretus Dial. 2. *Corpus eſt divina gloria glorificatum, & à cœleſtibus adoratur poteſtatibus.* Primaſius in cap. 2. Hebr. *In hoc, quod homo eſt, accepit hereditatem mundi, honore coronatus eſt in confeſſione æternæ majeſtatis. Sicut Verbo omnia creata ſunt, ita ille homo aſſumtus à Verbo cum Verbo poſſidet omnia.* Leo ſerm. 3. de paſſ. in perſona Chriſti: *Vobis præſtatur hæc aſcenſio & ſuper omnes cœlos, ad Patris dextram collocanda veſtra in me humilitas elevatur.* Epiſt. 41. *Quicquid in tempore Chriſtus accepit, ſecundum hominem accepit, cui quæ non habuit conferuntur, quæ in forma ſervi accepit, eadem in forma Dei etiam ipſe donavit.* Vigil. libr. 4. contra Eutych. *Quæ Natura eſt cui dixit, ſede ad dextram meam, eſto meæ particeps ſedis, illa nimirum Natura, quæ audiverat, terra es, & in terram ibis.* Dacius Clarus adverſ. Varimund. in hæreſ. col. pag. 258. *Si oppoſuerint Ariani tibi illud in Actis, Dominum & Chriſtum fecit Deus, reſponde, non ſecundum Deitatis Naturam dicitur factus filius Dominus, ſed ſecundum aſſumti hominis formam.* Confer Damaſcen. per totum lib. de orth. fid.

Antitheſis. 208. *Antitheſis.* Veritatis adverſarii in diverſas hîc abeunt partes: Quidam concedunt ea, *quæ Chriſto in tempore dicuntur data, ſecundum humanam Naturam donata dici.* Beza part. 1. reſp. ad act. Coll. pag. 237. 144. 145. 146. 148. 161. 164. 170. Danæus in exam. Chemnic. pagina 361. Genev. *Sed negant illa eſſe dona verè divina & infinita*, contra quos theſi ſequente diſputabitur. 2. Quidam agnoſcunt *dona verè divina & infinita Chriſto data, ſed negant eadem ipſi ut homini ſive ſecundum humanam Naturam eſſe data,* diſputant enim *perſona Mediatoris eſſe data, ibique eſſe ſubſiſtendum.* Trelc. in loc. pag. 58. & 59. contra quos in artic. de perſona Chriſti §. 100. & in Harm. de reſurrect. cap. 12. pag. 438. produximus hanc regulam: Quicquid de perſona Chriſti prædicatur, illud vel ſecundùm divinam tantùm, vel ſecundùm humanam tantùm, vel ſecundùm utramque Naturam ipſi tribuitur. Sadeêl opponit contrarium theorema in lib. de veritat. hum. Nat. *Quædam de Chriſto dici, quæ ſecundum ejus perſonam tantum intelligenda, hoc eſt, quæ privatim & propriè non pertinent ad alteram ex Naturis.* Sed negamus hoc theorema idoneo aliquo exemplo confirmari poſſe. Sadeêl producit ſequentia: Primum ex Matth. 17. verſ. 5. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Reſpond. eſt hæc propoſitio perſonalis, ideoque ad unionis hypoſtaticæ deſcriptionem pertinet, non autem de datis in tempore agit. Secundum ex phraſi: *Filius DEI de cœlo deſcendit.* Reſpond. in ea deſcribitur incarnatio & *inclinatio* illa, ut loquuntur veteres, quâ divina majeſtas Filii in ipſa ἰσκαχώσει ad carnis noſtræ infirmitatem ſeſe dimiſit, unde in Symbolo Niceno ſtatim additur explicatio: *ET HOMO FACTVS EST.* Tertium *ex propoſitionibus, in quibus Chriſtus dicitur Rex & Sacerdos noſter.* Reſpond. illæ pertinẽt ad tertium genus communicationis, ſunt enim nomina officii, quod competit Chriſto ſecũdum utramque Naturam. Alii addunt hoc Sophiſma: *Quicquid Chriſto in tempore datum ſecũdum humanam Naturam ipſi datum. Unio data ipſi in tempore. Ergo ſecundùm humanam Naturam. Concluſio eſt abſurda. Ergo aliqua ex præmiſſis. Non minor, ergo major.* Reſpond. unio propriè & accuratè loquendo non dicitur Chriſto data, ſed divinæ & humanæ Naturæ unio in tempore dicitur facta. Unio non pertinet ad communicationem idiomatum, ſed eſt communicationis illius fundamentum, inde enim atque ideò caro divinas ἐξοχὰς accepit, quia λόγῳ perſonaliter eſt unita, & ad Dei dextram collocata. Huic Sadeêlis & Trelcatii opinioni affinis eſt Bellarmini exceptio, quâ lib. 3. de Chriſto cap. 15. diſputat *ſeſſionem ad dextram DEI datam eſſe humanitati, non ipſi in ſe, ſed in ſuppoſito. Non enim factum eſt, ut humanitas in ſeipſa ſedeat ad dextram DEI, ſed ut ſit humanitas illius perſona, quæ ſedet ad dextrã DEI.* cap. 16. *data eſt gloria Dei Patris humanitati Chriſti, non in ipſa, ſed in ſuppoſito.* Reſpond. Bellarmin. ex ſubordinatis facit pugnantia. Sic enim concludimus: Cui communicata eſt divina hypoſtaſis, illi etiam ſeſſio ad dextram Dei obtigit, & dona verè divina ſunt communicata. Sed aſſumtæ Chriſti carni communicata eſt hypoſtaſis divina. E. Vitioſa proinde eſt illa oppoſitio. Data hæc ſunt carni quatenus in hypoſtaſi τοῦ λόγου ſubſiſtit. Ergo non ſunt data ipſi carni. Vide Diſp. 2. de gloria Dei §. 14. 3. Quidam donata in tempore referunt ad Chriſtum *ſecundum Deitatem, κατά τι propter antegreſſam exinanitionem & ſecutam gloriæ manifeſtationem.* Beza p. 1. reſp. ad Coll. pag. 96. 97. *Deitas ſeſe quodammodo exinanivit.* p. 145. *Nemo negat hanc Verbi omnipotentiam quadantenus ſub velo carnis ad tempus deliтuiſſe, & quodammodo quod ad manifeſtationem attinet videri poſſe ipſi τῷ λόγῳ ratione ſuæ Deitatis fuiſſe reſtitutam, cum in hac quoque carne Chriſtus per actus ipſius infirmitatis diebus ſupra omne nomen eveheretur.* Sohnius in exeg. p. 120. *Chriſtus actu habuit*

buit gloriam æqualem cum Deo Patre, ſed ad tempus ea q. ſe abdicavit. Cõtra quos diſputavimus art. de perſona Chriſti p.101. hoc loco ſic concludimus. Secundùm quam Naturam Chriſtus exinanitus, ſecundùm eandem etiam eſt exaltatus. Atqui non ſecundùm divinam ſed ſecundùm humanam duntaxat Naturam eſt exinanitus, ut docet definitio exinanitionis tradita ab Apoſtolo Philip. 2. verſ. 9. quod ſit Chriſti [illegible] in forma ſervili humilis obœdientia uſque ad mortem crucis. Si obvertant *per glorificationem & exaltationem Deitatis attributam ſe non intelligere majeſtatis & gloriæ reſtitutionem, ſed duntaxat manifeſtationem ac patefactionem.* Toſſan. in notis Johan. 17. *Da ut cùm poſt obtentam victoriam contra Diabolum, mortem & peccatum ad te in cœlum aſſumtus fuero, totus mundus cognoſcat. quod ego ſim filius tuus unigenitus unà tecum verus Deus.* Tilenus part. 2. Diſput. 7. §. 2. *Divina Natura exaltata eſt κατὰ τι patefactione majeſtatis, quæ in ſtatu exinanitionis ſe quodammodo occultaverat.* Reſpondemus nos libenter fateri, quod exaltatio in quibusdam Scripturæ dictis DEO attributa ſignificet majeſtatis divinæ agnitionem, prædicationem, glorificationem ac nominis divini celebrationem, ſed quòd exaltatio & glorificatio, quæ Chriſto in tempore obtigit, nihil aliud quàm æternam duntaxat manifeſtationem, quæ reſpectu noſtri tantùm fiat, denotet, illud verò eſt quod negamus ſequentibus permoti argumentis: 1. Chriſtus Johan. 17. verſ. 5. petit ſe glorificari παρὰ Πατρὶ *apud Patrem*, jam verò gloria Deitatis Chriſto competens nunquam fuit Patri abſcondita. Ergo glorificatio, quam petit Chriſtus, non poteſt exponi de manifeſtatione duntaxat gloriæ Deitatis coram hominibus hactenus abſconditæ. Confer Johan. 12. verſ. 28. & 30. 2. Exaltatio & glorificatio Chriſti ſic deſcribitur Hebr. 1. verſ. 4. quod per eam *in ſeipſo Chriſtus ſit factus* κρείττων *melior ac præſtantior.* Ergo non ſignificat nudam manifeſtationem. 3. Chriſtus in medio exinanitionis ſtatu aſſerit, & verè quidem aſſerit, *omnia ſibi à Patre tradita* Matth. 11. verſ. 27. Johan. 17. verſ. 2. Confer. Joh. 3. verſ. 35. ubi manifeſtatio nullâ veritatis ſpecie urgeri poteſt, quia gloria divina Chriſto data ſub velo carnis adhuc delitescebat. 4. Pleniſſima divinæ gloriæ Chriſto datæ manifeſtatio demum ſequetur in die noviſſimo. Heb. 2. verſ. 8. *nunc nondum videmus ei omnia ſubjecta,* unde dies adventus vocatur ἀποκάλυψις τῆς δόξης αὐτοῦ 1. Petr. 4. verſ. 13. ergo glorificatio, quæ jamdum Chriſto obtigit, non poteſt de nuda manifeſtatione accipi. 5. Ephes. 1. verſ. 19. dicit Apoſtolus, quod Deus [illegible] *exeruerit in Chriſto reſuſcitando*, & ad dextram ſuam in excelſis collocando. At ſi exaltatio tantum reſpectu hominum accipienda, tunc Deus robur illud in hominibus, potiùs quàm in Chriſto exercuiſſe dicendus foret, excitando ſcilicet illam gloriæ Chriſti agnitionem. 6. Explicatio de manifeſtatione gloriæ coràm hominibus. non poteſt ad omnia Scripturæ dicta, quæ de datis in tempore loquuntur applicari, ut patebit ex theſi ſequente. Ergo laborat vitio particularitatis. 7. Patres omnes, qui contra Arianos & Photinianos diſputarunt, ea quæ in tempore Chriſto data, ad humanam ipſius Naturam referunt, nequaquam verò de quadam Deitatis manifeſtatione gloriam illam exponunt. 8. Illa ipſa manifeſtatio gloriæ non niſi ad aſſumtam Naturam humanam referri, & illius reſpectu intelligi poteſt, aliàs etiam Pater & Spiritus ſanctus eodem modo eſſent glorificati in Chriſti glorificatione, quo Chriſtus dicitur in ſua exaltatione glorificatus. Sicut Patris & Filii una Deitas, eſſentia una, ita quoque una operandi potentia, ideoque Filii Deitas etiam in media exinanitione non minùs ſe exerit in gubernatione cœli & terræ, quàm Deitas Patris Johan. 5. verſ. 17. in carne autem ſe non exerit, hoc eſt, per carnem radios ſuos plenâ luce in ſtatu exinanitionis non ſe diſperſit. Quod ſi propterea Chriſtum ſecundum Deitatem velimus dicere exinanitum, conſequens fuerit, Deum toties exinaniri, quoties præſentiam majeſtatis in aliqua creatura evidenter non exerit. 9. Chriſtus ita exaltatus & glorificatus eſt, ut in illa exaltatione ſit *factus Dominus* Actor. 2. v. 36. & *ex gratia acceperit nomen, quod eſt ſuper omne nomen.* Philip. 2. v. 9. *ac ſubjecta ſint omnia ſub pedibus ejus* Epheſ. 1. v. 22. quæ non poſſunt de nuda tantum manifeſtatione accipi. 10. Si ex hominum agnitione & prædicatione glorificatio Chriſti duntaxat æſtimanda, non poſſet dici in reſurrectione & aſcenſione exaltatus, quia reſurrectio & aſcenſio tunc temporis paucis in Judæa ſunt notæ; tunc ergo demum dici deberet exaltatus, quando progreſſu temporis per prædicationem Evangelii in omnes gentes a populis quàm plurimis pro Dei Filio, ac cœli terræque Domino fuit agnitus. 11. Denique ut Chriſtus non tantum reſpectu humanæ agnitionis, ſed reſpectu ſui, conceptus, natus, paſſus, mortuus, reſuſcitatus, & in cœlum elevatus: ita quoque non hominum duntaxat, ſed ſui ipſius reſpectu ad dextram majeſtatis in cœleſtibus collocatus dicitur. 4. Quidam *ſecundùm utramque Naturam ea Chriſto data eſſe ſtatuunt, & Chriſtum ſecundum utramque Naturam exaltatum eſſe aſſerunt, alter tamen reſpectu humanitatis, alter reſpectu Deitatis.* Anhald. in Apolog. oppoſita Electoralib. p. 463. in defenſ. arg. 38. *In aliis locis Scriptura loquitur de exaltatione totius perſonæ juxta utramque Naturam ad perpetuum regnum & Sacerdotium, per quam utriusque Naturæ proprietas non tollitur, velut data eſt mihi omnis poteſtas, Deus conſtituit eum ſuper omnia.* Polanus in Syntagm. lib. 6. cap. 22. p. 415. *Chriſtus eſt exaltatus non tantum ſecundum humanam, ſed etiam ſecundum divinam Naturam. Hæc theſis eſt orthodoxa, Catholica ac pia* Contra hos diſputavimus in art. de perſ. Chriſti §. 102. hoc loco explicabimus argumentum, quod pro illa hypotheſi de exaltatione utriusque Naturæ afferre ſolent: *Sedere ad dextram Dei, eſt regnare. Chriſtus ſecundùm utramq. Naturam regnat. Ergo ſecundùm utramque Naturam ſedet ad dextram Dei.* Reſpond. ambiguitas eſt in voce Regnandi. Regnat Chriſtus ut Deus per naturalem ſive eſſentialem ſuam omnipotentiam, quam per æternam generationem à Patre accepit. Regnat Chriſtus ut homo ab exaltationis tempore non per eſſentialem humanitatis ſuæ omnipotentiam, ſed per ſeſſionem ad dextram Dei, unde ſeſſio ad dextram Dei non ſimpliciter & abſolutè ſignificat regnum, ſed etiam connotat cauſam, unde illud ſit profectum, ut monet Nazianzenus lib. 4. de Theol. Chriſtus ut Deus propriè & accuratè loquendo non ſedet ad dextram Dei, ſed eſt ipſa Dei dextra, ſed ut homo in tempore ad dextram Dei evectus vi illius ſeſſionis omnia in cœlo ac terra gubernat.

209. Illa

209. Theſis. 3. *Id quod communicatur ſive materia communicationis eſt divina majeſtas, gloria ac potentia, & proinde dona vere infinita & divina.* Non negamus prærer eſſentiales humanæ Naturæ, proprierates etiam *dona quædam habitualia* ſubjectivè Chriſto homini inhærere, quæ etſi ſunt excellentiſſima, & omnium hominũ ac Angelorum dona longo intervallo excedunt, tamen ſunt & manent finita; ſed addimus præter hæc dona habitualia & finita etiam *dona vere infinita & immenſa* per unionem perſonalem & exaltationẽ ad dextram Patris eſſe Chriſto homini communicara, ac proinde τὸ πρᾶγμα κοινωνητὸν eſſe ipſam divinam majeſtarem & gloriam τῦ λόγυ, quod ut fiat manifeſtiùs, primò *in genere*, ſecundò *in ſpecie* de illis κοινωνητοῖς agemus.

Id quod cõmunicatur, eſt divina majeſtas & gloria.

210. 1. *In genere* divinam majeſtatem & gloriam, adeoque dona verè infinita Chriſto ſecundùm humanam Naturam data eſſe probamus ſequentibus fundamentis: 1. *ab ὑποςάσεως communicatione.* Si λόγ☉ ſeipſum totum ac ſuam perſonam & Naturam carni aſſumtæ communicavit, utique non tanrum finira, quædam dona, ſed verè infinira αὐχήματα carni ſunt communicata, quia λόγυ Narura & perſona non eſt aliquod finirum, ſed verè infinitum & immenſum. Sed verum prius, ut ſuo loco probavimus. E. & poſterius. Si obverras, *communicationem ὑποςάσεως pertinere ad perſonalem unionem, non autem ad idiomatum cõmunicationem.* Reſpond. nos hoc libenter concedere, interim tamen ex ὑποςάσεως communicatione rectè probatur non finira duntaxat dona habitualirer carni inhærentia eſſe Chriſto, ut homini communicara, ſed majeſtatem & idiomata verè divina, cùm τῦ λόγυ ὑπόςασις cõplexu ſuo idiomata verè divina & immenſa coniiner, ſicut ipſa quoq; divina eſt & immenſa. 2. *à Spiritus ſancti unctione.* Qui plenitudine Spiritus ſancti unctus eſt, ac Spiritum ſanctum *non ad menſuram*, ſive ſine menſura accepir, illa data ſunt dona verè divina & infinita. Ratio eſt, quia dari ſine menſura neceſſariò infert donum illud quod datur eſſe immenſum, conrrà verò ἀντιφατικῶς ſibi invicem opponuntur, dona Chriſto dara eſſe finita, & ramen Spiritum ſanctum ipſi darum ſine menſura. Jam verò Chriſtus unctus eſt plenitudine Spiritus ſancti, ac Spiritum ſanctum accepit ſine menſura. Quod probamus 1. ex Pſalm. 45. verſ. 8. Hebr. 1. verſ. 9. *unxit te Deus tuus oleo lætitiæ* מֵחֲבֵרֶךָ *præ conſortibus tuis*, ſupra conſortes tuos παρὰ τὺς μετόχυς συ, ubi unctio Spiritus non tantum *gradibus*, ſed etiam *ſpecie* diſtinguirur ab unctione, quæ membris Chriſti propter ipſum contingit, ut clarius patebit ex ſequentibus. 2. ex Iohan. 3. verſ. 34. *Nõ dat Deus Spiritum ad menſuram.* (Socinus dubitat, *an hic locus ad Chriſtum referri debeat* in tract. de Deo, Chriſto & Spir. ſanct. p. 16. *cùm nulla fiat in his verbis Chriſti mentio*, exiſtimat igitur *commodius ad totum Evangelij prædicationis miniſterium referri.* Sed ex toto contextu manifeſtum eſt, non niſi de Chriſto hîc ſermonem eſſe. Confer verſ. 30. 31. 32. 33. & 35. - idem oſtendit res ipſa, quia Chriſti membris darur Spiritus ſanctus, *opulentè* quidem Tit. 3. verſ. 6. interim tamen ad menſuram Rom. 12. verſ. 3. 1. Corinth. 12. v. 7. unde *primitias Spiritus* accipere dicuntur Romanor. 8. verſ. 23.) Quòd ſi ergo non ad menſuram accepir Chriſtus Spiritum ſanctum, utique dona quæ accepit, ſunt immenſa. In paraphraſi Syriaca habetur vox בִּכְיָלָא *in menſura, modio*, à rad. כִּיל quod ſignificat *menſurare, metiri.* Senſus igitur eſt, quod Chriſto non ſit datus Spiritus ſanctus ad menſuram, quæ poſſit exhauriri, *ſed cum omni redundantia*, ut loquitur Tertull. lib. de Trinit. *Spiritus ſanctus* (inquit) *habitat in ſilo Chriſto plenus & totus, nec in aliqua menſura aut portione mutilatus, ſed cum tota ſua redundantia cumulatè admiſſus; ut ex illo deliberationem quandam gratiarum ceteri conſequi poſſint, totius ſancti Spiritus in Chriſto fonte remanente, ut illo donorum atque operum vena ducerentur Spiritu ſancto in Chriſto affluenter habitante.* Alcuinus lib. 2. de Trinit. cap. 11. *Hominibus ad menſuram dat, unico autem Filio ad menſuram non dedit, quia omnis plenitudo divinitatis in ipſo habitat. Ipſe enim eſt, qui dat ſanctus, ipſe eſt qui accepit, & quia potens eſt ad menſuram dare, ideò non debuit ad menſuram accipere.* Inanis igitur ἀδολεσχία, imò ἀντίφασις eſt, quando Martin. in inciſ. p. 23. exponit *de bonis Spiritus ſanct. ſine menſura, non tamen immensè donatis*, cui contradicunt Polan. in Syntagm. pag. 160. Piſcat. in comm. h. l. obſervat. 17. qui fatentur, *immenſa Spir. ſanct. dona intelligi.* Toſſanus in not. marg. *non ad menſuram ſicut credentibus, ſed perfectè. abundanter.* Si obvertere velint, *dici Spiritum ſanctum Chriſto datum ὐκ ἐκ μέτρυ, quia fons, ex quo Spiritus datio procedit, eſt immenſus & infinitus*, reſp. non tantum *terminum a quo*, ſed etiam *terminum ad quem*, à Johanne exprimi, quod Chriſto Spiritus ſanctus ſine menſura datus ſit, ut connexio oſtendit, ſtatim enim ſubjungitur verſ. 35. *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus.* 3. ex Iohan. 1. verſ. 16. *de plenitudine ejus omnes accepimus.* Cùm plenitudo illa Spiritus in Chriſto habirans, *requieſcens*, Eſa. 11. verſ. 1. *& manens* Iohan. 1. v. 32. in membra corporis myſtici dimanet, ut illa *in odore unguentorum ejus* currant Cant. 1. verſ. 1. ideò neceſſe erat omnem Spiritus ſancti redundantiam in illo capite reſidere. Quod finirum eſt & menſurarum illud diminuitur, ſi illi quippiam detrahas. 4. ex Act. 10. verſ. 38. *unctus Spiritu & virtute ſanavit oppreſſos a Diabolo.* Unctio Spiritus conjuncta fuit cum divina & infinita virtute, quæ per miracula ſeſe exeruit. Ut enim humana Chriſti Narura ad miraculorum operationem, Dæmoniorum ejectionem & officii regii adminiſtrarionem eſſet idonea, ideò requirebarur, ut non finitâ Spir. ſanct. potentiâ ungeretur, ſed immenſa & infinita. 5. *ex deductione ad abſurdum.* Si humana Chriſti Natura per unionem perſonalem cum λόγῳ pervenit rantum ad finitorum Spir. ſanct. donorum communionem, cõſequens eſt, illam τῷ λόγῳ itidem ad certum gradum & q. partem vel menſuram unitam eſſe, ut ſic inter unionem τῦ λόγυ cum propria carne & ipſius inhabitationem in Sanctis ſit quædam proportio, quod Neſtorianum.

211. 3. *Ex totius plenitudinis Deitatis inhabitatione.* Tota plenitudo Deitatis complectirur, non tantùm finita quædam, ſed verè divina & infinita αὐχήματα. Jam verò *tota plenitudo Deitatis habitat in Chriſto* ſecundùm humanam Naturam Coloſſ. 2. verſ. 9. Ergo etiam dona verè divina & infinita ipſi ſecundùm humanam Naturam competunt, inhabitationem enim illam non eſſe abſque communicatione oſtendimus ſuperiùs cap. 8. 4. *ex gloria Chriſto data deſcriptione.* Talis gloria Chriſto in tempore ilata, 1. quam habuit ab æterno apud Patrem Johan. 17. verſ. 5. 2. quæ eſt ipſi in

Deita-

Deitate cum Patre eſſentialiter communis Matthæi 16. verſ. 27. cap. 24. verſ. 30. cap. 25. verſ. 31. 2. Petr. 1. verſ. 17. Apoc. 5. verſ. 13. 3. quæ ſe exerit per divina miracula Johan. 2. verſ. 11. 4. quæ eſt gloria *tanquam unigeniti à Patre* Iohan. 1. verſ. 14. ubi particula ὡς eſt βεβαιώσεως καὶ ἀναμφιβόλου διορισμοῦ confirmationis & indubitatæ definitionis, ut monet Chryſoſtomus homil. 11. in Iohan. reſpondens כ Hebræo, quod vocatur כ *veritatis*. Atqui talis gloria non eſt finita, ſed infinita, divina & immenſa. Confer art. de perſona Chriſti §. 106. & 107.

212. 5. *Ex collocatione ad dextram Dei.* Juxta quam Naturam Chriſtus ad dextram Dei evectus, juxta eam accepit dona vere divina & immenſa, ac particeps factus eſt divinæ majeſtatis, gloriæ ac potentiæ. Ratio connexionis patet ex omnibus Scripturæ locis, quæ dextram Dei per divinam potentiam, ſeſſionem ad dextram Dei per regnum ac dominium deſcribunt, de quibus ſuo loco. Jam verò Chriſtus ſecundùm humanam Naturam evectus eſt ad Dei dextram. E. (Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 45. *Per dextram Dei a multis intelligitur beatitudo æterna non autem majeſtas aut potentia divina.* Epheſ. 2. *conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto.* Reſpond. aliud eſt conſeſſus in cœleſtibus omnibus beatis communis, aliud verò ſeſſio ad dextram Dei ſoli Chriſto propria Hebr. 1. verſ. 5. Adde quod Bellarm. hoc ipſum poſteà repudiat §. nec etiam. *Non eſt ſenſus*, inquit, Eph. 2. *omnes nos eſſe ſeſſuros ad dextram Dei in propriis perſonis, ſed in Chriſto, juxta tota Scriptura ſoli Chriſto tribuit ſedere ad dextram Dei.*) 6. *ex illatione a minori ad majus.* Si nos erimus κοινωνοὶ τῆς θείας φύσεως in altera vita, quando Deus *erit omnia in omnibus* 1. Corinth. 15. verſ. 28 quinimò etiam inchoativè in hac vita, multò magis carni Chriſti cõmunicata eſt divina majeſtas & idiomata verè divina. Sed verum prius 2. Petr. 4. 1. Johan. 1. verſ. 6. Connexio probatur, quia Deus nobis tantum adeſt παραστατικῶς καὶ πνευματικῶς, λόγος verò aſſumtam carnem ſibi univit ὑποστατικῶς.

213. 2. *In ſpecie* τὰ κοινωνηθέντα in triplici à quibuſdam ſtatuuntur differentia: 1. Quædam ſunt ἰδιώματα τοῦ λόγου propriè & ſpecificè ſic dicta, ut παντοκρατορία, παντοσοφία, καὶ παντοπαρουσία *omnipotentia, omniſcientia & omnipræſentia.* 2. Quædam ſunt divina ἐνεργήματα. Chriſto homini communicata, utpotè 1. *verbi ejuſdem efficacia*, 2. *miraculorum operatio*, 3. *opus redemtionis*, 4. *juſtificatio & ſanctificatio*, 5. *Collectio, gubernatio & protectio Eccleſiæ*, 6. *miſſio Spiritus ſancti*, 7. *poteſtas faciendi judicium*, 8. *viviſicatio.* 3. In tertia claſſe locum habet ἀξίωμα θεολατρείας *cultus adorationis.* Quidam *divina gloria & potentia* nomine πάντα τὰ κοινωνηθέντα complectuntur, ac παντοδύναμιν Chriſto ſecundùm humanam Naturam communicatam diſpeſcũt in tres q. ſurculos: 1. in δύναμιν ζωοποιητικὴν. 2. δύναμιν θαυματουργικὴν. 3. δύναμιν δικαστικὴν. Sed quia in hiſce diſtributionibus non omninò nihil deſiderari poteſt, ideò hac vice ſic progredimur. Quemadmodum argumenta, ex quibus vera Chriſti Deitas probatur, in quatuor claſſes diſpeſcuntur, quarum prima continet *divina nomina*, ſecunda complectitur *divina attributa*, tertia *opera divina* & quarta *cultum divinum*: ita quoque hæc omnia certo modo, videlic. non φυσικῶς ſed ὑποστατικῶς de Chriſto homine prædicari poſſunt, quia aſſumta Natura humana in ipſam τοῦ λόγου ὑπόστασιν evecta unam cum eo conſtituit perſonam. 1. Quòd Chriſto ſecundùm humanam Naturam datum ſit *nomen verè divinum*, patet ex ſequentibus Scripturæ dictis: Luc. 1. verſ. 36. *Sanctum, quod ex Maria virgine naſcetur, filius Dei vocabitur.* Secundùm quam Naturam Chriſtus ex Maria virgine in tempore natus, ſecundùm eandem etiam Dei Filius vocari debuit. Jam verò ſecundùm humanam Naturam Chriſtus ex Maria virgine natus eſt. Ergo. Bernhard. homil. 1. de laud. virg. *Non ſolùm qui eſt in ſinu Patris, in uterum tuum veniens, obumbrabit ſibi, ſed etiam id quod de tua ſubſtantia ſociabit ſibi, ex hoc jam vocabitur Dei Filius &c.* Confer quæ dicta ſunt ſuperiùs cap. 7. & 9. 2. Actor. 2. verſ. 36. *Deus hunc Ieſum fecit Chriſtum & Dominum.* Hoc de humana Chriſti Natura accipiendum eſſe paulò ſuperiùs probavimus, ex eo, quòd Chriſtus in tempore dicitur factus Dominus in ſua ſcilicet aſcenſione & collocatione ad dextram Dei, ut patet ex v. 34. jam verò ſecundùm divinam Naturam non eſt factus in tempore Dominus, ſed ab æterno natus eſt Dominus per ſuam à Patre generationem. Athanaſ. orat. 4. contra Arian. p. 540. *Verbum ſemper erat Dominus, humanitatem ergo fecit & Chriſtum.* Baſil. libro 1. contra Eunom. *Non de ipſa eſſentia τοῦ λόγου loquitur, ſed demonſtrativa voce humanitatem deſignat atque ipſi principatum & dominium à Patre commiſſum dicit.* Scholiaſtes notat τὸ ἐποίησεν ἀντὶ τοῦ κατέστησε καὶ κατέστησεν ἀλλ' οὐχὶ τὸ ἐκτισεν hìc uſurpari. Neque verò dominium Chriſto datum eſt inferius aliquod dominium à divino diſtinctum & certis vel objectis vel limitibus determinatum, ſed verè divinum & infinitum, ut inferiùs demonſtrabitur. Ergò etiam nomen Domini ipſi datum eſt, verè divinum nomen, ac proinde ſecundùm utramque Naturam eſt ille Dominus, per quem omnia & nos per ipſum 1. Corinth. 8. v. 6. 3. Philip. 2. verſ. 9. *Deus ſuperexaltavit illum, & dedit illi nomen (ἐχαρίσατο) quod eſt ſupra omne nomen.* Quodnam verò eſt illud nomen? reſpondet D. Chemnicius de duabus Naturis pag. 173. *veteres hoc nomen ita interpretari* 1. quod *homo ille ſeu Filius Mariæ vocetur, Deus & Filius Altiſſimi.* Epiphan. hæreſ. 69. p. 341. *ut homo cum Deo verbo vocaretur Filius Dei.* 2. *ratione redemtionis, mediatoris, Regis & Pontificis, quia nomina officij competunt Chriſto ſecundùm utramq; Naturam.* 3. *nomen interpretantur datum aſſumtæ Naturæ gloriam, majeſtatem & poteſtatem, quod omnis creatura ipſum pro Domino agnoſcere, ſeque ei ſubmittere cogãtur, quia ſtatim additur v. 10. ut in nomine Ieſu flectat ſe omne genu*, Confer quæ ſuperiùs dicta, in cap. 9. in antitheſ. membr. ult.

214. 2. Quòd Chriſto ſecundùm humanam Naturam data ſint *idiomata vere divina*, patet ex eo. 1. quia data ipſi dicitur *Omnipotentia.* Matth. 28. verſ. 18. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & terra*, quam eſſe poteſtatem non finitam & circumſcriptam, nec nudam ἐξουσίαν δυνάμει deſtitutam, ſed infinitam & verè divinam ſatè confirmavimus in Harm. de reſurrect. cap. 12. pag. 431. hìc notamus illud, quod ἐξουσία iſta Luc. 22. verſ. 69. appelletur δύναμις θεοῦ, jam verò conſtat, δύναμιν & ἐξουσίαν in Deo minimè diſtingui, ergo etiam ἐξουσία Chriſto in tempore data à δυνάμει non diſtinguitur. Idem patet 1. ex ſequentib. *Scripturæ dictis*: Dan. 7. verſ. 13. *Filius hominis ad Antiquũ dierum perveniet.* verſ. 14. *& dedit ei poteſtatem, ho-* *Data eſt Chriſto homini 1. Omnipotentia*

norem & regnum, & omnes populi tribus & linguæ ipſi ſerviant, poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum ejus, quod non corrumpetur. Hanc eſſe deſcriptionem divinæ potentiæ patet ex illis Scripturæ dictis, in quibus poteſtas Dei Patris hoc modo deſcribitur, Dan. 4. verſ. 31. cap. 6. verſ. 26. &c. Johan. 17. verſ. 2. *dediſti ei ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς omnis carnis*, vel in omnem carnem, quam eſſe deſcriptionem verè divinæ & infinitæ poteſtatis patet ex Num. 16. v. 22. cap. 27. verſ. 16. Jerem. 32. verſ. 27. &c. Apoc. 5. verſ. 12. *Agnus, qui occiſus eſt, dignus eſt accipere δύναμιν, & divitias & ſapientiam & fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem*, ubi obſerva ſedenti in throno & agno, hoc eſt, Deo Patri & Chriſto ſecundùm humanam Naturam eandem poteſtatem tribui v. 13. 2. *ex deſcriptione illius potentiæ Chriſto datæ.* Pſalm. 8. verſ. 7. 1. Corinth. 15. verſ. 27. Hebræor. 2. verſ. 8. *Omnia ſubjecta ſunt pedibus ejus.* Matth. 11. v. 26. *Omnia ipſi tradita ſunt à Patre.* Johan. 3. v. 35. *Pater dedit omnia in manus ejus.* Epheſ. 1. v. 20. *Conſtituit eum ad dextram in cœleſtibus.* verſ. 21. *ſupra omnem poteſtatem, principatum & virtutem & dominationem & omne nomē, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro.* verſ. 22. *& omnia ſubjecit ſub pedibus ejus.* Hebræor. 2. verſ. 8. *in eo quod ſubjecit illi omnia nihil dimiſit ei non ſubjectum.* 3. *ex effectis illius potentiæ.* Luc. 4. v. 36. ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει imperat *Spiritibus &c.* Luc. 9. verſ. 1. dat Apoſtolis δύναμιν & ἐξουσίαν *ſuper omnia Dæmonia &c.* per hanc potentiam ſuam Chriſtus aliquando omnes homines vocabit ad judicium, ac ſententiam potentiſſimè exequetur. Actor. 10. v. 38. *Deus unxit Jeſum Spir. ſanct. & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes à Diabolo oppreſſos.* Jam verò virtus, qui in miraculorum operatione & Dæmoniorum ejectione in Chriſto ſe exeruit, eſt virtus verè divina & infinita. Phil. 3. v. 21. *Chriſtus per efficaciam roboris poteſt ſibi ſubjicere omnia*, utique ergo omnipotentia verè divina ipſi data. 4. *ex ſeſſione ad Dei dextram.* Dextra Dei complectitur verè divinam & infinitam virtutem, unde etiā vocatur *dextra virtutis* Matth. 26. v. 64. Marc. 14. v. 62. Luc. 22. v. 69. jam verò Chriſtus ſecundum human. Naturam ad Dei dextram eſt evectus. Ergo. Dicta veterum enumerat Dn. Chemnic. libr. de duab. Natur. cap. 25. quædam eorum adducta ſunt in art. de perſona Chriſti §. 105. quibus hæc addenda. Cyrill. Dial. 6. *Cum carne unigenitus dominatur omnibus.* lib. 2. in Johan. cap. 140. *In quantum Deus, hanc poteſtatem naturaliter habet, in quantum autem homo factus eſt, accepiſſe ſe hanc poteſtatem apertè profeſſus eſt.* Baſil. in Pſalm. 2. *Cùm Naturâ ut Deus ſit omnium Dominus, ut homo, tamen horum dominium à Patre accipit.* Theophylact. in cap. 3. Johan. *Omnia dedit in manus Filij juxta humanitatem.* Sedulius in cap. 1. Epheſ. *Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, h. e. ſub dominatione humanitatis ejus.* Nicephorus lib. 18. Hiſt. cap. 36. *Chriſtus à diſcipulis in monte Galilææ conſpicitur, & ibi à Patre ſummam poteſtatem cœli & terræ juxta humanam Naturam ſibi traditam eſſe confirmat.* Conjunge ſuffragia adverſariorum fulgore & vi veritatis ab ipſis extorta, 1. *ex Pontificiis.* Thomas in Johan. 3. *Dedit omnia in manus ejus ſecundùm humanitatem, dominatur enim omnium eorum, quæ in cœlo ſunt & terra.* Lyra in cap. 2. Luc. *Chriſtus non ſolùm in quantum Deus, ſed etiam in quantum homo regnabit in æternum, non ſolum ſuper homines, ſed etiam ſuper Angelos.* Matth. Bredenbachius in comm. ſuper Matth p. 270. edit. Col. 1560. *Hæc poteſtas data eſt Chriſto tanquam homini, quia ut Deus ab æterno eam habuit.* Bellarminus libro 3. de Chriſto capite 16. *Chriſti humanitati conceſſa eſt potentia in omnes creaturas.* 2. *ex Calvinianis.* Zanchius libr. 2. de incarnat. quæſt. 12. pag. 400. refellit diſtinctionem inter δύναμιν καὶ ἐξουσίαν. lib. 2. de Natur. Dei cap. 6. pag. 117. *Humanam in Chriſto Naturam infinitæ virtutis eſſe dicimus, quâ virtute infinitâ factum eſt, ut ſint expiata mundi peccata. Quomodo verò infinitæ virtutis eſt? non per ſe & ſuapte Natura, ſed ex accidenti & per aliud, hoc eſt, propter Deitatem, cui hypoſtaticōs eſt unita.* Vorſtius in reſp. ad 2. part. diſcept. Slad. pag. 70. *Licet Matth 28. verſ. 19.* πᾶσα ἐξουσία non ſit idem prorſus quod πᾶσα δύναμις, hanc tamen ſub illa hîc neceſſariò contineri, *cùm illa alioqui otioſa ſit & fruſtranea, niſi per iſtam actu ſe exerere poſſit.*

215. 2. Quia ipſi data eſt *omniſcientia.* Luc. 2. verſ. 40. *cùm Chriſtus creſceret ſapientia* (habituali) erat πληρούμενος σοφίας *plenus ſapientia* divinâ & infinitâ perſonaliter in ipſo habitante, quæ per plenitudinem ſapientiæ notatur. Coloſſ. 2. v. 3. *In Chriſto omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi ſunt.* Socin. in defen. anim. p 222. ſapientiæ ac ſcientiæ nomine intelligitur id, quod ſapere ac ſcire poſſumus ac debemus &c. (Piſcator in comm. ex connexione hujus verſiculi cum præcedentibus colligit, ſenſum eſſe, *quod vera & perfecta ſapientia ſit in cognitione Chriſti, hoc eſt, ut Chriſtum juxta perſonam & officium rectè agnoſcamus.* Et ſanè eodem modo textum Apoſtolicum expoſuit Luth. tom. 6. Jenenſ. f. 200. tom. 3. Witeb. fol. 237. fac. a. ſed hæc interpretatio non debet opponi illi, quâ hic locus accipitur de ſapientia divina in ipſo Chriſto perſonaliter habitante, & ſub velo carnis abſcondita. Hilarius lib. 9. de Trinitat. *Inſunt theſauri ſapientiæ, ſed ſi profeſſione extarent, non eſſent abſconditi. Nam inde atq; ideò in cognitione Chriſti eſt perfecta ſapientia, quia in Chriſto reconditi ſunt omnes theſauri ſapientiæ; inde verò atq; ideò in Chriſto reconditi ſunt omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauri, quia tota plenitudo Deitatis in ipſo habitat corporaliter* verſ. 9.) Coloſſ. 1. verſ. 19. *In Chriſto complacuit omnem plenitudinem habitare non ſolum potentiæ, ſed & ſapientiæ ac ſcientiæ, inde etiam novit omnia.* Johan. 21. verſ. 17. *ſciebat quid eſſet in homine.* Johan. 2 verſ. 25. *quiareq quieſcit ſuper eum Spiritus ſcientiæ, ſapientiæ & intellectus.* Eſa. 11. verſ. 1. *non ad menſuram, ſed ſine menſura ipſi datus* Johan 3. v. 34. ergo etiam ſapientia ac ſcientia infinita ipſi data. Idem probatur 1. *ex poteſtate judiciaria* Chriſto data, quippe ad quam requiritur manifeſtatio, ac proinde etiam introſpectio occultorum cordis 1. Corinth. 4. v. 5. 2. *ex cultu adorationis*, is enim præſupponit, Chriſtum etiam ut hominem occultos cordis noſtri gemitus intueri & intelligere. 3. *ex comparatione.* Petrus Actor. 5. verſ. 3 introſpicit cor Ananiæ, Eliſæus per revelationem Spiritus videt, quid ſervus Gehaſi abſens agat 2. Reg. 5. verſ. 26. quod ſi hoc efficere potuit præſentia gratioſa, donum Prophetiæ & revelatio Spiritus in ſanctis Dei hominibus, quantam ſapientiæ ac ſcientiæ lucem ex perſonali omniſcii λόγου præſentia ſtatuendam putabimus

Omniſcientia.

ſan-

ſancti in vita æterna Deum à facie ad faciem videntes, non amplius ex parte in ænigmate, ſed plenâ & perfectâ viſione cognoſcunt 1. Cor. 13. v. 10. ecquis ergo vellet animæ Chriſti, cui ipſa divina ſapientia perſonaliter unita eſt, omniſcientiam denegare? Dicta Patrum vide in art. de Chriſto §. 109. adde ſuffragium Lyrani in cap. 3. Johan. *Chriſtus in divina Natura habet eandem ſcientiam cum Patre, in humana Natura omnia cognoſcit, qua Deus cognoſcit notitiâ viſionis.* Et Dionyſii Carthuſiani Apoc. 1. fol. 194. *Omnium rerum cognitio univerſorumq́; ſecretorum revelatio facta eſt animæ Chriſti in primo incarnationis inſtanti.*

3. *Vis vivificandi.* 216. 3. Quia ipſi data eſt *vis ζωοποιητικὴ vivificandi*, quæ eſt attributum verè divinum & infinitum. Johan. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit Filio vitam habere in ſeipſo.* (Quidam ex veteribus accipiunt de divina Chriſti Natura, juxta quam per æternam generationem Filius à Patre divinam eſſentiam & vitam accepit. Alcuin. lib. 1. de Trinit. cap. 15. *Dedit Filio vitam habere in ſemetipſo, h. e. genuit Filium vitam in ſemetipſo habentem &c.* quæ interpretatio probari poteſt ex Syriaca paraphraſi, quæ reddidit בְּקְנוּמֵהּ *in ſua eſſentia*, interim negari non debet, poſſe etiam hunc locum exponi de datione per unionem perſonalem temporali, quæ ſecundùm humanam Naturam Chriſto obtigit, quo modo Athanaſius & Cyrillus h. l. exponunt. Illi enim data eſt vita, ac vis vivificandi, cujus voce ac prædicatione homines in peccatis ſpiritualiter mortui vivificantur verſ. 25. & cujus voce corporaliter mortui è ſepulchris aliquando excitabuntur verſ. 28. Jam verò Chriſti hominis voce, & prædicatione homines in peccatis mortui vivificantur, quia vox humana arguit Naturam humanam. Ergo. Præterea ſicut Pater dedit filio poteſtatem judicii, ita quoque dedit ei vitam & poteſtatem vivificandi v. 26. & 27. Jam verò dedit filio poteſtatem faciendi judicium ſecundùm carnem, ut patet ex *ἀποδιορισμοῦ* verſ. 27. ὅτι, *quia filius hominis eſt.* Ergo. Johan. 6. verſ. 55. *Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus vivificus* ſcilicet, quia caro datur pro mundi vita, & qui ex hoc pane manducaverit, vivet in æternum. Idem probatur 1. *ex oppoſitione* Apoſtolica 1. Corinth. 15. verſ. 21. *per hominem mors & per hominem reſurrectio mortuorum, ſicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificantur.* v. 45. *factus eſt primus homo in animam viventem, noviſſimus in Spiritum vivificantem.* Non commutata eſt aſſumta Chriſti caro in Spiritum, ſed filius hominis per unionem perſonalem factus eſt in Spiritum, ita ut non tantùm ipſe ratione corporis per reſurrectionem factus ſit ſpiritualis, hoc eſt, ſpiritualibus proprietatibus ornatus, & à terrenis δυσχερείαις liberatus, ſed omnia vivificans & corpora noſtra vivificaturus. Primus Adam præditus fuit animâ vivente, ſecundus Adam unctus fuit Spiritu vivificante. Ac ſicut corpus Adæ propter unionem cum Spiritu vivente ſeu anima factum eſt formaliter vivens: ſic homo aſſumtus propter puriſſimam ad λόγον unionem factus eſt in Spiritum vivificantem, hoc eſt, homo aſſumtus factus eſt Deus propter unionem cum Spiritu vivificante unctus, adeoque poteſtate vivificandi inſtructus. Lyranus h. l. *Plenitudo vivificantis Spiritus non ſolùm fuit in Chriſto ad ſufficientiam, ſed etiam per redundantiam ad alios.* 2. *ex affectis.* Voce ſuâ excitat mortuos, manu tangit loculum, ut humanam Naturam aſſumtam virtute vivificandi ditatam eſſe oſtendat. Dicta Patrum vide in art. de perſ. Chriſti §. 111. quibus hæc addenda. Athanaſ. de Nat. hum. ſuſc. *Spiritus vivificans eſt caro Domini, quoniam ex Spiritu vivificante concepta eſt.* Cyrill. lib. de incarn. cap. 7. *Communes facit tanquam cum ſua carne divinæ ſuæ majeſtatis operationes, ut poſſit etiam vivificare mortuos, ſervare infirmos.* lib. de rect. fid. ad Regin. *Corpus Chriſti* vocat *vivificum.* Theophyl. in cap. 7. Luc. *Chriſtus non tantùm verbo miracula operatur* (reſuſcitationis ex mortuis) *ſed & loculum tangit, ut diſcamus, quod corpus ejus vivificum ſit. Quoniam enim caro ejus facta eſt propria Verbi vivificantis omnia, propterea vivifica eſt & ipſa, tollit mortem & corruptionem.*

4. *Poteſtas faciendi judicium.* 217. 4. Quia ipſi data eſt *poteſtas judicium faciendi*, quæ eſt attributum verè divinum & infinitum. Johan. quint. verſ. vigeſ. ſext. *Pater dedit Filio vitam habere in ſeipſo.* verſ. vigeſ. ſeptim. *& dedit ei poteſtatem etiam judicium faciendi, quia Filius hominis eſt.* Hanc poteſtatem faciendi judicium 1. eſſe attributum verè divinum patet ex eo, quia complectitur tùm *omniſcientiam*, tùm *omnipotentiam.* Omniſcientia elucet ex omnium etiam occultiſſimorum manifeſtatione 1. Corinth. quart. verſ. 5. φωτίσει τὰ κρυπτὰ τοῦ σκότους καὶ φανερώσει τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν, quo reſpectu dies judicii vocatur φανέρωσις. Omnipotentia elucet ex mortuorum reſuſcitatione judicii prævia, omnium hominum ad judiciarium tribunal citatione & congregatione, ſententiæ deciſivæ promulgatione & efficaci ejuſdem executione, ad quorum operum verè divinorum conſortium ut humanam Chriſti Naturam aſſumendam eſſe intelligamus, ideò in gloria, virtute & poteſtate, quæ ſoli vero Deo competit, Chriſtum ad judicium rediturum Scriptura aſſerit. 2. Eandem Chriſto etiam ſecundùm humanam Naturam competere, patet 1. *ex appellatione.* Judex hîc vocatur *Filius hominis* Dan. ſept. verſ. decim. tert. Matth. decim. ſext. verſ. vigeſ. ſept. cap. decim. non. verſ. vigeſ. octav. cap. vigeſ. quart. verſ. trigeſ. cap. vigeſ. ſext. verſ. ſexageſ. quart. jam verò Filius hominis ab humana Natura denominatur, abſq; qua & ſine qua Filii hominis appellatio neutiquam ipſi competit, vocatur *Chriſtus* Act. 10. verſ. 42. Rom. 2. v. 16. cap. 14. verſ. 10. 2. Cor. 5. v. 10. jam verò nomen Chriſti & ungentem Deitatem & unctam humanitatem complectitur, ut ſuperiùs oſtendimus. Vocatur *Vir* Actor. 17. v. 31. jam verò nomen viri propriè ſecundùm humanitatem ipſi competit. Vocatur *Dominus* 1. Theſſ. 4. verſ. 16. 2. Theſſ. 1. v. 7. Jud. v. 14. jam verò non ſolùm ab æterno natus eſt à Patre Dominus juxta divinitatem, ſed etiam in tempore *factus eſt Dominus* juxta humanitatem Actor. 2. v. 36. 2. *ex judicis hujus deſcriptione.* Dicitur hîc judex *venturus in nubibus cœli* Dan. 7. v. 13. Matth. 24. v. 30. cap. 26. v. 64. *ſeſſurus ſuper ſedem gloriæ* Matth. cap. 25. verſ. 31. (conſpiciendus ab omnibus Zach. cap. 12. verſ. 10. Matth. 24. v. 30. Apoc. 1. v. 7. compellamus electos & damnatos. Matth. 25. v. 34. &c. dicitur *definitus ſeu conſtitutus judex.* Actor. 10. v. 43. cap. 17. v. 31. dicitur *de cœlo deſcenſurus* 1. Theſſ. 4. verſ. 16. *omnes dicuntur ante ejus tribunal ſtatuendi* Rom. 14. verſ. 10.

2. Cor. 5. v. 10. quæ omnia oſtendunt Chriſto ſecundùm humanam Naturam poteſtatem judicium faciendi competere. 3. *ex temporis determinatione.* Poteſtas hæc κριτικὴ dicitur Chriſto in tempore data. Dan. 7. v. 13. Luc. 22. v. 69. Johan. 5. v. 22. & 27. jam verò quæ in tempore Chriſto data, ea ſecundùm humanam Naturam ipſi data. 4. *ex particulæ διοριστικῆς καὶ δεικτικῆς adjectione.* Johan. 5. v. 27. *dedit ei poteſtatem faciendi judicium ὅτι, quia filius hominis eſt*, cujus dicti πρὸς διορισμὸν emphaſin expendimus ſuperiùs. 5. *ex antegreſſu exinanitione.* Adminiſtratio judicii pertinet ad ſtatum exaltationis. Jam verò exaltatio exinanitioni oppoſita competit Chriſto ſecundùm humanam Naturam Philip. 2. v. 9. Ergo etiam adminiſtratio judicii. 6 *ex aſcenſionis & reditus ad judicium collatione.* Chriſtus ita redibit ad judicium, ſicut aſcendit in cœlum Actor. 1. v. 11. jam verò aſcendit viſibiliter ſecundùm humanam Naturam. Ergo juxta eandem viſibiliter judicium adminiſtrabit. 7. *ex muneris hujus conditione.* Judicium facere pertinet ad officium Chriſti regium. Jam verò quæ ad officium Chriſti pertinent, ſecundùm utramque Naturam ipſi competunt. Idem docent pii veteres: Cyprian. ſerm. de aſcenſ. *Humilitas carnis noſtræ throno judiciario honorata eſt.* Cyrill. lib. 2. in Johan. cap. 144. *Chriſtus cauſam ſubjecit, quare poteſtatem judicii à Patre ſibi traditam dixerit, addens quia Filius hominis, ut intelligamus omnia ſibi data eſſe ut homini.* Auguſtin. Pſal. 74. *Quia ut filius hominis accepit poteſtatem judicandi, ideò ait in Evangelio, dedit ei poteſtatem judicii faciendi, quia filius hominis eſt, ſecundùm quod Filius Dei nunquam accepit poteſtatem judicandi, quia nunquam caruit poteſtate judicandi.* Ex Pontificiis idipſum agnoſcit Thomaſius Comment. Theol. tract. 2. cap. 57. *Quia poteſtas judiciaria ad Chriſti exaltationem pertinet, ſicut & reſurrectionis gloria, ideo Chriſtus in judicio apparebit non in humilitate, quæ pertinebat ad meritum, ſed in forma glorioſa ad præmium pertinente.* Ex Calvinianis Tilenus part. 1. Diſput. 67. th. 5. *Autoritas illa ac poteſtas judiciaria, quæ eſt in Deo per Naturam, in Chriſto qui homo eſt per gratiam* (unionis & exaltationis) theſ. 6. *Nec judicabit Chriſtus ut judex delegatus, ſed omnino ut principalis, quia θεάνθρωπος.* Plura in hanc ſententiam adduximus in tract. de extr. jud. §. 30.

Chriſto homini competit II. Omnipræſentia.

218. 3. Quòd Chriſtus etiam ſecundùm humanam Naturam *opera verè divina* efficiat, patet ex eo 1. quia ſecundùm humanam Naturam verè præſens omnia in cœlo ac terra potentiſſimè gubernat, quod præſens ac potens Chriſti dominium *omnipræſentia* vocatur. Obſervandum enim omnipræſentiam, quæ Chriſto ſecundùm humanam Naturam tribuitur, in duplici ſignificatione ab orthodoxis quibuſdam Theologis accipi. *Primo*, ut notet præſentiam carnis ad λόγον ac λόγου ad carnem per ἀδιαστασίαν ſive indiſtantiam ex unione & περιχωρήσει perſonali immediatè profluentem. Quia enim caro Chriſti in primo ſtatim incarnationis momento in ipſam λόγου ὑπόστασιν eſt evecta, eidemque perſonaliter unita, ideò poſt factam incarnationem, nec ὁ λόγος eſt extra carnem, nec caro extra λόγον, ac proinde ὁ λόγος nunquam & nuſpiam eſt à carne ſeparatus, nec caro à λόγῳ divulſa, ſed ubi ponis λόγον, ibi etiam te oportet carnem ponere, ne introducatur Neſtoriana perſonæ ex utraque Natura ſubſiſtentis divulſio, ut B. Luth. loquitur in lib. *quod verba adhuc firmiter ſtent, Hoc eſt corpus meum.* Caro ſubſiſtit in λόγῳ illocaliter & indiſtanter, inde locorum διαστήματα carnis ad λόγον præſentiam impedire vel intervertere non poſſunt, ſed ſicut ὁ λόγος ex Deitatis ſuæ infinitate & immenſitate eſt omnipræſens, ita aſſumta caro in infinita λόγου ὑποστάσει illocaliter ſubſiſtens ex unione perſonali eſt omnipræſens, h. e. præſentiſſima τῷ λόγῳ, & ab eodem nullo unquam tempore, vel loco diſſeparata, cùm omnes creaturæ ac tota cœli terræque machina in comparatione ad λόγον, ejusque ὑπόστασιν, in qua aſſumta caro ſubſiſtit, ſit inſtar minutiſſimi puncti, imò tanquam nihilum Eſa. 40. verſ. 12. 15. 17. Dan. 4. verſ. 32. Sap. 11. verſ. 23. Hanc præſentiam per ἀδιαστασίαν ex περιχωρήσει perſonali immediatè profluentem quidam nolunt vocare omnipræſentiam, cùm tamen remipſam minimè negent, ideò in *ſecunda* tantùm ſignificatione omnipræſentiæ vocem accipiunt, quâ notat *præſentiſſimum ac potentiſſimum dominium*, quo Chriſtus ad dextram Dei evectus omnia in cœlo ac terra plenâ majeſtatis ſuæ exertione conſervat & gubernat. Et ſanè negari nequit præſentiam Chriſti θεανθρώπου ad omnes creaturas diſtinguendam eſſe à præſentia hypoſtatica carnis ad λόγον ac λόγου ad carnem, hoc eſt, Naturarum invicem unitarum præſentia. Nam 1. præſentia hypoſtatica Naturarum ad ſe invicem, præciſè & formaliter conſiderata nullum infert reſpectum ad creaturas, cùm remotis omnibus creaturis, remota cœli terræque ſyſtemate, nihilominus præſentia λόγου ad carnem, & carnis ad λόγον poſt factam unionem indiſſolubilis maneat, quippe quæ pro ſubſtantialibus ſive eſſentialibus habeat perſonam τοῦ λόγου & Naturam humanam ſine ullo loci vel temporis reſpectu. Sed omnipræſentia CHRISTI in poſteriore ſignificatione accepta neceſſariò ad creaturas refertur, cùm ſit attributum relativum, quid enim eſt omnipræſentia quàm ad omnes creaturas præſentia? ideò illa vocari poteſt *intima*, hæc verò *extima.* 2. Illa cœpit à primo incarnationis momento & perpetuò ac immutabiliter manet eadem, hæc verò ratione plenarii uſus in exaltatione demum eſt ſecuta. Quamvis enim in medio exinanitionis ſtatu CHRISTUS hujus majeſtatis ſibi communicatæ plenam lucem exerere potuerit, & reipſa quoſdam ejuſdem radios exeruerit, tamen plenarius ejus uſus, ac plena dominii uſurpatio in exaltatione demum eſt ſecuta. 3. Illa unicè, immediatè, adæquatè & ſimpliciter dependet ab hypoſtatica unione & perſonali περιχωρήσει, hæc verò certo reſpectu etiam ab exaltatione, quoad plenarium ſcilicet uſum divinæ majeſtatis, jam ante per & propter unionem perſonalem cum λόγῳ carni communicatæ. Unio hypoſtatica in ſe & per ſe conſiderata eſt ſufficiens, & adæquatum principium omnipræſentiæ in poſteriore ſignificatione pro plenario dominii collati uſu acceptæ, ſed quia exinanitionis ſtatus interceſſit, per quam CHRISTUS ſponte ſeipſum exinanivit, & ſervi formam accepit, ideò in exaltatione demum omnipræſentia fuit ſecuta. 4. Illa excludit omnem loci reſpectum, cùm unio facta ſit ἀδιαστάτως cùmque λόγου ὑπόστασις, in quam caro per unionem eſt aſſumta, nec locus ſit, nec locorum διαστήμασι

ſub-

ſubjecta; hæc verò *relationem quandam ad loca habet*, qnid enim eſt omnipræſentia aliud quàm in omnibus locis præſentia? quamvia oon ſit localis, aliud enim eſt eſſe *in loco præſentem*, aliud *localiter præſentem*, prius objectum, poſterius modum præſentiæ exprimit. 5. Illa poteſt eſſe ſine hac, ut oſtendit ſtatus exinanitionis, in quo Chriſtus non ſemper & ubique in carne & per carnem divinam ſuam majeſtatem per unionem hypoſtaticam ſibi communicatam exeruit; hæc verò ſine illa nunquam & nuſpiam eſt vel eſſe poteſt. Neque enim Chriſtus in carne & per carnem omnibua creaturis præſens dominari poſſet, niſi caro in λόγου ὑπόστασιν evecta divinæ majeſtatis & gloriæ participa fuiſſet facta, ex quo etiam intelligitur, quo ſenſu ac reſpectu omnipræſentia ex unione hypoſtatica deducatur. Quamvis verò hæc omnia ita ſe habeant, tamen ad ſanum ſenſum reduci poteſt, ac debet ſeotentia illorum, qui omnipræſentiæ nomine in duplici ſignificatione utuntur, ac per eam intelligunt ooo tantum plenarium dominii in cœlo ac terra uſum, ſed etiam *præſentiſſimam* illam carnis ad λόγον in medio exinanitionis ſtatu præſentiam, quâ ὁ λόγος omnibua creaturis præſena non fuit à carne ſua ſeparatus, ſed eam ſibi habuit prælentiſſimam, imò magis præſentem, quam ullam aliam in cœlo ac terra creaturam, quippe quæ perſonaliter ipſi fuit unita, quod de nulla alia creatura in cœlo ac terra affirmari vel cogitari poteſt. Agnoſcunt enim ipſimet vel certè agnoſcere coguntur totalem & plenum majeſtatis divinæ per unionem carni communicatæ uſum in exaltatione demùm fuiſſe ſubſecutum, ac proinde talem omnipræſentiam, h.e. plenarium dominii uſum in exinanitione nondum habuiſſe locum.

219. Cæterùm probamus Chriſti hominis omnipræſentiam, h. e. præſena ae potens in cœlo & terra dominium, 1. *ex unione perſonali*. Quamvis enim poſt exaltationem demùm Chriſtus in carne & per carnem omnia in cœlo ac terra ratione plenarii uſus gubernare cœperit, tamen in medio exinanitionis ſtatu majeſtatem omnipræſentiæ perſonaliter communicatam habuit, ac niſi ſponte propter nnſtram ſalutem ſeſe exinaniviſſet, potuiſſet in primo ſtatim incarnationis momento plenarium Univerſalia dominii uſum in carne & per carnem exerere, in cujus rei teſtimonium radios quoſdam illiua majeſtatis quandoque exeruit, quod ipſum evidenter probat, unionem perſonalem à fundamentis omnipræſentiæ minimè omnium ſeclndendam eſſe, eum ejuſdem ſit primum & præcipuum fundamentum. Quòd ſi omnipræſentiæ vocula in priore ſignificatione uſurpetur pro ἀδιαστασίᾳ carnis & λόγου ex περιχωρήσει perſonali orta, tum unio non tantùm primum & præcipuum, ſed etiam unicum, immediatum & adæquatum eſt ejuſdem fundamentum. Nam poſtquam unio Naturarum facta, inpoſterum ea nee ſolvi nec dividi unquam poteſt, proinde ὁ λόγος nunquam & nuſpiam abeſt à ſua carne, nec caro à λόγου, ſed ubicunqne eſt ὁ λόγος, ibi eſt non ἄσαρκος, ſed ἔνσαρκος habitans in ſua carne perſonaliter ſibi unita, & ubicunque eſt λόγου ὑπόστασις, ibi etiam eſt humana Natura in ὑπόστασιν illam evecta, cùm ea non tantùm divinæ ſed etiam aſſumtæ humanæ Naturæ ſit ὑπόστασις. Aſſumta caro eſt proprium τοῦ λόγου templum, extra quod nunquam & nuſpiam poſt factam unionem eſt vel eſſe poteſt ὁ λόγος, aliàs ſolveretur unio ac λόγος magis præſens eſſet aliis creaturis quàm aſſumtæ carni. Λόγος ſeipſum totum cum omni plenitudine ac totam ſuam hypoſtaſin carni communicavit. Ergo cogitari nequit, quod *pars* quædam ὑποστάσεως ſit creaturia præſens extra carnem, *pars* verò carni præſens, ſed ubicunque eſt λόγου ὑπόστασις, ibi adeſt ut utriuſque Naturæ ὑπόστασις, ac proinde etiam ibi non poſſum unam Naturam ponere extra alteram. 2. *ex promiſſione*. Matt. 18. v. 20. *Vbi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum*. Matth. 28. verſ. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi*. Johan. 14. verſ. 23. *Si quis diligit me &c. Ego & Pater ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. v. 18. *non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*. Hic loquitur Chriſtus θεάνθρωπος, promittit ergo præſentiam ſuam gratioſam, non tantùm ſecundùm divinam, ſed etiam ſecundùm humanam Naturam. Pronomen *Ego* eſt totiua perſonæ nomen. Ergò etiam totius perſonæ ſecundùm utramque Natur. præſentiam infert. Excipiunt *de ſola Deitate hanc promiſſionem intelligendam*. Piſcat. in Schol. Matth. 2. p. 185. *illud quod toti tribuitur, non ſtatim competere ſingulis partibus, cùm aliud ſit ὅλος*, aliud v. ὅλον docente Damaſc. lib. 3. de orthod. fid. cap. 7. *Vt ergò non ſequitur, totus homo intelligit. Ergo & venter: ita quoque inferri nequit. Totus Chriſtus eſt omnipræſens. Ergo etiam Natura ipſius humana*. Keckerm. lib. 1. Syſtem. Log. cap. 20. 22. lib. 3. Syſtem. Theol. cap. 2. p. 318. Reſp. Diſcipuli eo nomine vel maximè contriſtabantur, quod Chriſtum ſecundùm humanam Naturam abiturum audirent Johan. 16. verſ. 7. hiſce ergo cogitationibua de omnimoda ipſius juxta Naturam humanam abſentia oppoſita eſt hæc promiſſio, quæ nititur verbix proximè præcedentibus de poteſtate in cœlo ac terra CHRISTO data. Jam verò illa poteſtas ſecundùm humanam Naturam ipſi data. Ergo hæc promiſſio etiam humanam Chriſti Naturam complectitur. Idem probari poteſt ex loeo Matth. 18. verſ. 20. 1. ponitur nomen totius perſonæ. Ego. 2. additur, fiet illis à Patre meo, juxta quam Naturam Chriſtus eſt Dei Filius, juxta eandem eſt in medio precantium, ut oſtendit particula γὰρ. Jam verò juxta utramq; Naturam eſt Dei Filius. 3. Nomen Chriſti notat non ſolùm Naturam divinam, ſed totius Chriſti, Dei & hominis, Mediatoris & Salvatoris noſtri mandatum & fiduciam. Juxta quam Naturam Chriſtus eſt noſter Mediator, & nos precari juſſit & exauditionem promiſit, & à nobis fiducialiter apprehenditur, juxta eandem nobis precantib. præſens adeſt. Jam verò juxta utramq; Naturam eſt noſter Mediator &c. Hoc ipſum probat arctiſſima Naturarū unio. Tota θεανθρώπου perſona non poteſt dici præſena, ubi abeſt humanitas, quæ poſt factam incarnationem eſt illius perſonæ quaſi quædam pars. Quoties ergo de Chriſto incarnato præſentia prædicatur, prædicata illa competunt ipſi ſecundùm utramq; Naturam, licet non eodem modo, nec ex eodem principio. Ubicunq; non eſt humana Chriſti Natura, ibi et Chriſtus non eſt homo, niſi quis dicere velit, Chriſtum alicobi abſq; hum. Nat. eſſe hominem, Notanda igitur hæc diſtinctio. Quando de

paſſionibus, operationibus & affectionibus totius quæſtio eſt, ibi non ſemper à toto ad ſingulas partes valet illatio, quia totum agit ac patitur quædam ſecundùm alterutrã, quædam ſecundùm utramq; partem. Sic totus homo intelligit, ſed reſpectu unius partis videl. animæ totus vulneratur ſed reſpectu unius partis videl. corporis. Quando verò *de præſentia totius* eſt quæſtio, tũc à toto ad omnes partes rectè proceditur, quia *partes ut tales ſemper ſunt & manent cum toto unita*, quæ unio realem unitorum præſentiam infert. Sic quia anima & corpus ſunt eſſentialiter in homine unita, ideò durante illâ unione, ubicunq; eſt totus homo, ibi etiam eſt non ſolùm anima, ſed etiam corpus. Pari ratione, quia divina & humana Natura in Chriſto ſunt perſonaliter unitæ, ideò durante illâ unione ubicunque eſt totus Chriſtus, ibi etiam eſt non ſolùm divina ſed etiam humana Natura, quippe cùm ſint quaſi partes totius perſonæ, quæ ex utraque & in utraque Natura ſubſiſtit. Quod ſi ergò juxta unam duntaxat Naturam Chriſtus nobis eſſet præſens, non haberemus totum & integrum Chriſtum nobis præſentem. Si juxta divinam tantùm Naturam nobis præſens eſſet, tunc juxta eam Naturam, juxta quam eſt ignis conſumens, nobis adeſſet, ſed juxta eam Naturam, ratione cujus eſt frater noſter, longiſſimè à nobis abeſſet. Quæ igitur conſolatio ex illa promiſſione hauriri poſſet? Atqui inquiunt, Joh 8. v. 55. *Pronomen ego de divina tantum Natura accipitur.* Reſp. eſſe rationem diſparem. Ibi enim ſermo eſt de λόγῳ ἀσάρκῳ nondum incarnato ſive perſona ſimplice, hic verò agitur de λόγῳ ἐνσάρκῳ incarnato, ac de perſona compoſita, de ὑποςάσει συνθέτῳ, quæ utramque Naturam complectitur, ibi ſermo eſt de æterna λόγου etiam ante incarnationem exiſtentia, hic verò de λόγου ἐνσάρκου apud pios præſentia. Confer Harm. de reſurr. cap. 12. pag. 474.

§ 220. 3. *Ex aſcenſione.* Chriſtus ita in cœlos aſcendit *ut cœlis factus ſit excelſior.* Hebr. 7. v. 26. *ut aſcenderit ſuper omnes cœlos* Epheſ. 4. v. 20. ergò ipſius aſcenſio ab Enochi & Eliæ in cœlos aſſumtione longiſſimè diſtat. De Enocho & Elia rectè inferre poſſum. Aſcenderunt in cœlos. Ergo in terris non amplius ſunt præſentes (niſi per extraordinariam & miraculoſam Dei actionem, ut in transfiguratione Chriſti Elias adfuit) ſed de Chriſto non licet ſic inferre, quia terminus aſcenſionis non eſt locus aliquis circumſcriptus, ſed ipſa infinita Dei dextra, unde addimus. 4. argumentum *ex ſeſſione ad dextram Dei.* Secundùm quam Naturam Chriſtus conſedit ad dextram Dei, ſecundùm candem præſens in cœlo & terra omnia gubernat. Jam v. Chriſtus ſecundùm hum. Nat. conſedit ad Dei dextram. E. Minor ſuperius in theſi ſecunda fuit confirmata ex Pſalm. 110. verſ. 1. Marc. 16. v. 19. Epheſ. 1. v. 20. Hebr. 1. v. 13. cap. 10. v. 12. Apoc. 3. v. 21. Majoris confirmatio peti poteſt *ab explicatione tum termini ſimplicis* dextræ ſcil. divinæ, *tum phraſeos compoſita*, ſeſſionis ſcilicet ad dextram Dei in Scripturis tradita, unde naſcitur duplex ſyllogiſmus Majoris propoſitionis confirmationi inſerviens. Prior ſic habet: Qualis eſt Dei dextra, taliter quoque ſeſſio ad dextram Dei intelligenda. Jam v. dextra Dei non eſt locus aliquis corporeus, circũſcriptus, limitatus, definitus, ſed eſt infinita Dei poteſtas ac præſentiſſima ejus majeſtas in cœlo & terra, eſt præſentiſſimum ac potentiſſimum illud dominium, quo Deus omnia conſervat & gubernat. Sic enim deſcribitur in ſac. literis Dei dextra, quod *magnificata ſit fortitudine & confringat inimicos* Exod. 15. v. 6. quod *pios fulciat.* Pſal. 18. v. 36. *ſalvet ſive liberet.* Pſ. 44. v. 4. Pſal. 108. v. 7. *ac ſuſtentet.* Pſal. 63. v. 9. *quod omnia mutare poſſit.* Pſal. 77. v. 11. quod *faciat virtutem.* Pſal. 118. v. 16. *quod in cœlo, in inferno, in noviſſimo maris præſens adſit*, Pſal. 139. v. 7. 8. 9. *quod palmo metiatur cœlos.* Eſa. 48. v. 13. Ex quibus & ſimilibus Scripturæ locis talis colligitur dextræ divinæ deſcriptio, quod ſit infinita Dei potentia ubique in cœlo ac terra præſentiſſimè & potentiſſimè omnia gubernans, moderans & adminiſtrans, unde etiam vocatur *dextra δυνάμεως virtutis* Matth. 26. v. 64. Luc. 22. v. 69. *& dextra majeſtatis* Hebr. 1. v. 3. *thronus μεγαλωσύνης* Hebr. 8. v. 1. *dextra ſedis Dei* Hebr. 12. verſ. 2. *thronus δόξης* Matth. 25. v. 31. Ergo etiam ſeſſio ad dextram Dei ſic explicanda & intelligenda, ut per eam divinæ poteſtatis, majeſtatis ac dominii in cœlo & terra participatio intelligatur. Poſterior ſic habet: Quo modo ac ſenſu ipſa Scriptura ſeſſionem ad dextram Dei explicat; eo modo ac ſenſu quoque omnium rectiſſimè ac ſimpliciſſimè accipitur. Jam verò ipſa Scriptura ſeſſionem ad dextram Dei explicat de præſentiſſimo ac potentiſſimo cœli terræque dominio. Ergo. Minor probatur ex collatione locorum: Pſ. 110. v. 2. *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, hunc locum allegans Apoſtolus 1. Cor. 15. v. 25. ſic infert: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos ſuos ſub pedibus ſuis.* v. 27. *Omnia enim ſubjecit ſub pedibus ejus.* Quod Davidi eſt ſedere ad Dei dextram, id Apoſtolo eſt regnare, & omnia ſibi ſubjecta habere. Sic Marc. 16. v. 19. *Dominus Ieſus aſſumtus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei*, cum hoc loco conferimus dictum Apoſtolicum Epheſ. 4. v. 10. *Chriſtus aſcendit ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia.* Ergo ſedere à dextris Dei, & omnia implere præſentiâ ſc. majeſtatis ſunt ἰσοδυναμοῦντα. Et quia illa potentia ac præſentia majeſtatis peculiariter ſeſe exerit per opera gratiæ in Eccleſiæ collectione, conſervatione, protectione &c. ideò apud Marcum ſequitur v. ult. *Apoſtoli prædicaverunt ubiq; Domino cooperante*, apud Paulum ſequitur v. 11. *ipſe dedit quoſdam Prophetas, quoſdam Apoſtolos, alios Evangeliſtas*, ac præcedit v. 8. *dedit dona hominibus.* Ac Petrus Act. 2. v. 33. effuſionem Spir. S. miraculoſam fructum & conſequens hujus ſeſſionis ad Dei dextram ſtatuit: *Dextra Dei exaltatus & promiſſione Spir. S. acceptâ à Patre effudit, hoc quod videtis.* Cumprimis notanda eſt emphatica deſcriptio ſeſſionis ad dextram Dei tradita à Paulo Epheſ. 1. verſ. 20. 21. & 22. ac Petro 1. Epiſt. 3. verſ. 22. Verba Pauli ſic habent: *Deus robur virtutis ſuæ exeruit in Chriſto, ſuſcitans eum ex mortuis, & conſtituens eum ad dextram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem, & omne quod nominatur non ſolũ in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, & omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ*, ubi nota verbis illis poſterioribus *dedit ipſum caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ*, non limitari vel reſtringi illam præſentiam ac potentiam ad Eccleſiam, ſed illis deſcribi effectum & fructum illius dominii ſuper omnia Chriſto collati. Ut enim Deus totum mundum conſervat propter Eccleſiam: ita quoque Chriſto ſecundùm huma-

Digitized by Google

humanam Naturam divina illa potentia ac majeſtas communicata, ut ſit Rex & Protector Eccleſiæ. Verba Petri ſic habent: *Chriſtus eſt in dextra Dei profectus in cœlum ſubjectis ſibi Angelis & poteſtatibus & virtutibus.* Denique notandum & illud, quòd Chriſtus, quando veniet in nubibus cœli ad judicium, nihilominùs *ſeſſurus ſit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ & à dextris virtutis Dei* Matth. 24. v.30. c.25. v.31. c.26. v.64. ergò dextra Dei non eſt aliquis finitus ac circumſcriptus in cœlo locus, aliàs Chriſtus in nubibus ad judicium veniens non amplius ad Dei dextram ſederet. Item quòd Chriſtum judicem conſpecturi ſint omnes homines corā tribunali ejus ſiſtendi. Zach. 12. v.10. Matt. 24 v.30. Apoc. 1. v.7. Atqui ſi Chriſtus cum corpore ſuo glorificato λόγῳ perſonaliter unito, & ad dextram Dei evecto ad determinatum aliquem in cœlo locum ita aſtrictus eſſet, ut non niſi in unico illo loco adeſſe & conſpici poſſet, quomodo omnes homines multitudine innumerabiles in uno illo loco ſimul ac ſemel ipſum intueri poſſent? ſi ſedes majeſtatis, in qua Chriſtus ad judicium veniens ſedebit tot milliarium *διεστῶσα* à terris eſſet remota, quomodo omnes homines uno eodemque intuitu ipſum videre poſſent?

221. Excipiunt contrà hoc argumentum ex ſeſſione ad Dei dextram pro omnipræſentia aſſerenda formatum. 1. *quòd Chriſtus dicatur ſedere ad Dei dextram in excelſis* Hebr. 1. v.3. *& in cœlis* Eph. 1. v.20. *Ergò dextra Dei ſignificat certum in cœlo locum.* Piſc. in ſchol. 1 Petr. 3. v.22. Reſp de ipſo Deo nulli loco incluſo, à nullo loco excluſo dicitur, *quòd in altis habitet, quod ſit in cœlis, quòd è cœlo reſpiciat ſuper filios hominum*, neque tamen quiſquam inde colligit vel colligere poteſt, quòd tantùm in certo aliquo cœli loco dominetur. Altitudinem enim illam Dei & dextræ Dei Spiritus S. non loci ſublimitate, ſed gloriæ & majeſtatis cœleſtis inenarrabili celſitudine definit. Athanaſ. Cyryl. Auguſt. Philippus & ipſe Calvinus *in cœlis & in excelſis* exponunt de cœleſti ſublimitate & gloria, ut probat etiam procemium orationis Dominicæ: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Dicitur autem Chriſtus ſedere ad dextram Dei *in cœlis*, quia regnum ipſius cœleſte eſt ac divinum, non autem terrenum, ac cœleſti non autem terreno modo adminiſtratur. Sedere dicitur ad dextram Dei *in cœlo*, ſed non in cœlo ſolo, qui veniens in nubibus nihilominùs ad dextram Dei ſedebit, nec ut in certo & circumſcripto quodam loco, quia dextra Dei localis non eſt, nec loco circumſcribitur, verùm in cœlo, i. e. in cœleſti, divina & excelſa gloria, ſuper omnem principatum & poteſtatem Epheſ. 1. v.21. *ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν* Eph. 4. v. 10. ut *ſit ipſis cœlis excelſior.* Hebr. 7. v.25. Chryſoſtom. in cap. 1. Epheſ. *Ad dextrā majeſtatis in excelſis, non loco ipſum includit, ſed omnibus oſtendit eminentiorē, quoniam ad ipſum uſque pervenit thronum paternæ claritatis.* Oecum. in c. 1. Hebr. *τύπος τοῦ καθίσας τὸ ὁμότιμον σημαίνει.* 2. *quòd dicatur ſurſum ad dextrā Dei ſedere* Coloſſ. 3. v.1. Reſp. non loci, ſed majeſtatis altitudo ac gloriæ ſublimitas deſignatur, id quod patet *ex oppoſitione. Quæ ſurſum ſunt, quærite*, id eſt, cœleſtia, ſpiritualia, divina; *non quæ ſuper terram*, id eſt, carnalia, terrena, mundana. *Mortificate ergò membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram.* 3. *quòd Stephanus uno tantùm in loco videat Chriſtum ſtantem à dextris Dei.* Actor. 7. v.56. Reſp. non ſequitur, Chriſtus uno in loco videtur ſive conſpicitur ſtans à dextris Dei. Ergò uno tantùm in loco ſedet ad deſtram Dei. Agitur enim hîc de peculiari quadam revelatione & viſione Stephano manifeſtata, quæ majeſtatem Chriſti ubiq; potentiſſimè & præſentiſſimè regnantis non labefactat nec limitat, ſed potiùs cōfirmat. Quod ſi enim juxta adverſariorum hypotheſin corpus Chriſti eſt tantùm in cœlo, & cœlum eſt proximè ſupra firmamentū, quomodo potuit Chriſtus ſtans à dextris Dei à Stephano videri, cùm corpus Chriſti quantitatem incomparabiliter minorem obtineat quàm minutiſſimæ ſtellæ? Viſibiliter ergò Chriſtus ſtans à dextris Dei in uno loco apparet, interim inviſibiliter ubiq; ad dextram Dei ſedet. Apparet autem *ſtans*; id eſt, paratus ad ferendum auxilium & hoſtes puniendos. Ambroſius lib. 10. Epiſt. 82. *Stabat Jeſus quaſi advocatus, ſtabat quaſi ſolicitus, ut Stephanum athletam ſuum certantem juvaret. Stabat quaſi paratus, ut coronaret ſuum Martyrem.* Idem ſerm. 60. *Pro poteſtate Regis ſedere dicitur, pro bonitate interceſſoris ſtare ſuggeritur. Judex eſt Chriſtus, cùm reſidet, advocatus eſt cum aſſurgit. Judex planè Judæis, advocatus Chriſtianis.* Gregorius in homil. aſcenſ. *Sedere eſt judicantis, ſtare verò pugnantis & adjuvantis. Stephanus ergò in labore certaminis potius ſtantem vidit, quem adjutorem habuit, ſed tunc poſt aſcenſionem Marcus eum ſedere deſcribit, quia poſt aſcenſionis gloriam judex in fine videbitur* (quamvis ſtare phraſi Hebræa aliquando ſimpliciter pro exiſtere uſurpetur. 2. Sam. 24. v.16. 1. Paralip. 21. v.15.) 4. *quòd juſtorum animæ dicantur eſſe in manu Dei, nec tamen ſint omnipræſentes.* Sap. 3. v.1. Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 15. Reſp. aliud eſſe in Dei manu, aliud ſedere ad dextram Dei. Manus ac dextra Dei ſignificat primò divinam majeſtatem & omnipotentiam, præſens ac potens in cœlo & terra dominium; hoc ſenſu uſurpatur, quando Chriſtus ad dextram Dei ſedere dicitur; id enim Apoſtolus per τὸ regnare & omnia implere exponit. Secundò vindictam ac judicium divinum Exod. 3. v. 19. 1. Sam. 5. v. 6. Tertiò glorioſam Dei protectionem, tutelam, defenſionem, feliciſſimum ac beatiſſimum ſtatum Deut. 33. v.3. Joh. 10. v.29. hoc ſenſu juſtorum animæ dicuntur eſſe in manu Dei, in illa ſc. manu, de qua Pſal. 16. v.11. *delectationes tuæ in dextra tua uſque in æternum*, de qua Pſ. 31. v.6. Luc. 23. v.46. *in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Argumenta ſuperiùs adducta, præſertim collatio locorum Scripturæ oſtendit, quando Chriſtus ad dextram Dei ſedere dicitur, in illa phraſi plus contineri, quàm quando animæ piorum eſſe in manu Dei aſſeruntur. 5. *quod piis promiſſa ſit ſeſſio in throno Chriſti* Apoc. 3. v. 21. *qui tamen non ſint omnipræſentes.* Reſp. manifeſtum ſtatuitur ibi diſcrimen inter *thronum Patris*, ad quem Pater cœleſtis Chriſtum evexit, & inter *thronum Chriſti*, ad quē Chriſtus Sanctos evehit. In throno Dei Patris nullus Angelorum multò minùs Sanctorum ſedet Heb. 1. v.13. ſed in throno Chriſti ſedent Sancti. Thronus Patris eſt infinita ipſius majeſtas, poteſtas ac gloria, thronus Chriſti, quem cum Sanctis communicat, eſt peculiaris quidam honor in judicio & æterna in cœlo beatitudo. Ille infinitus eſt & ubique; hic verò finitus & in Paradiſo. Ille unicus, horum verò plures Matt. 19. v.28. Apoc. 4. v.4. c. 20. v.4. Ille æternus & increatus, hi videntur parati Matth. 25. v.34. ac poſiti Dan. 7. v.9.

222. 5. *Ex omnium impletione. Aſtendit Chri-*

ſtus ſuper omnes cœlos, ut omnia impleret Epheſ.4. verſ. decim. omnipræſente ſcilicet majeſtate & omnipotente dominio, hunc enim eſſe phraſeos illius ſenſum, patet ex Jerem.23. verſ.23. Sap.1.v.7. Excipiunt 1. *ad divinam Chriſti Naturam hanc omnium impletionem eſſe referendam.* Druſius 7. præterit.p.281. *Chriſtus aſcendit ſupra omnes cœlos ut impleret omnia ceu verus Deus. qui propterea* מָקוֹם *appellatur, i.e. locus quod omnia impleat, nec ullus locus ſit, qui ab eo non impleatur.* Reſp. acceptamus, quod conceditur, τὸ implere omnia de omnipotentia eſſe explicandum, ſed negamus ad divinam tantùm Chriſti Naturam hoc prædicatum eſſe referendum, quia aſcenſio & omnium adimpletio immediatè cohærent, ut oſtendit contextus. Ergò ſecundùm quam Naturam Chriſto competit aſcenſio, ſecundùm eandem etiam omnium adimpletio ipſi tribuenda. Quæ enim hæc foret connexio. *Chriſtus ſecundùm humanam Naturam aſcendit in cœlum, ut ſecundùm divinam Naturam omnia impleret?* Quin potiùs cùm finis & conſequens aſcenſionis ſit omnium adimpletio. ideò omninò ſecundùm illam Naturam adimpletio omnium Chriſto tribuenda, ſecundùm quam ipſa aſcenſio ut antecedens & finitum ſive actus ad hunc finem ordinatus competit. Adde quòd Chriſtus etiam ante aſcenſionem Deitate ſuâ jam antè omnia impleverat, quâ igitur veritatis ſpecie dici poteſt, Chriſtum ideò aſcendiſſe, ut ſuâ divinitate omnia inciperet implere. Quantò rectiùs Theophyl. in com.h.l. *Ob hanc cauſam hæc omnia efficit, ut omnia impleat dominatione operationeq; ſuâ, idq; in carne, quandoquidem divinitate jam antè cuncta compleverat.* Occum. ibid. *Nudâ divinitate olim omnia implebat, incarnatus autem deſcendit & aſcendit, ut μετὰ σαρκὸς omnia impleret. 2. de impletione vaticiniorum hunc locum eſſe intelligendum.* Bellarm. lib.3. de Chriſto cap.16. ex Hieron. Bernh. & Sedulio. Reſp. πλήρωσις τῶν πάντων eſt ipſiſſima definitio omnipræſentiæ divinæ à Spiritu S. tradita. Jer.23.v.23. Sap.1.v.7. quando verò de Scripturarum complemento ſermo eſt, tunc perpetuò diſerta Scripturæ vel dicti Prophetici mentio adjicitur Matth. 1.v.22. cap.2.v.17. & 23. cap.4.v.14. &c. hîc verò nulla fit Scripturæ mentio, quin potiùs ex contextu apparet, Apoſtolum rationem reddere, cur Chriſtus debuerit ſupra omnes cœlos aſcendere, nimirùm ut impleret omnia, quo ipſo aſcenſionem Chriſti ab Eliæ aſcenſione longiſſimè diſtinguit. Quòd ſi enim Chriſtus tantùm in cœlos aſcendiſſet ut Elias, non potuiſſet omnia majeſtate & dominatione ſuâ implere, quia verò non tantùm in cœlos, ſed *ſupra omnes cœlos* aſcendit, ipſis *cœlis excelſior factus*, & ad infinitam Dei dextram in ſua aſcenſione ac per ſuam aſcenſionem collatus, ideò omnia implere potuit. Adde quòd per aſcenſionem nondum omnia vaticinia impleta, quia reſtant adhuc implenda, quæ de reditu ipſius ad judicium à Prophetis ſunt edita. Deniq; ſi vel maximè concedamus, Apoſtolum loqui de Scripturarum impletione, nondum tamen inferri poteſt dictum Apoſtolicum de omnipræſentia non poſſe nec debere accipi. Invertimus enim argumentum. Quia Prophetæ de præſentia & dominio Chriſti ut hominis etiam ſunt vaticinati Pſal.8.v.8. Dan.7.v.14. &c. ideò hæc quoq; vaticinia compleri oportuit. *3. explicandum eſſe hunc locum de impletione per collationem donorum Spiritus S.* Piſc. in ſchol. *Apoſtolus hoc vult dicere, Chriſtum aſcendiſſe in cœlum, ut inde miſſo S.S. impleret illis donis omnia Eccleſiæ membra*, ut patet ex v. ſeqq. Piſcatorem, uti in aliis, ita quoq; hoc in loco ſequitur Toſſanus in notis margin. urgens v.8. Hilar. & Ambroſ. *ut Eccleſiam ſponſam ſuam cœleſtibus S.S. donis ornaret.* Reſp. Scriptura quando verbo implendi de donorum collatione utitur, ſemper expreſſam *donorum* mentionem addit. Col.1,9. Phil. 1.v.11. hîc verò Apoſtolus in genere dicit, *ut impleret omnia*, non autem ut impleret Eccleſiam vel omnia Eccleſiæ membra. Concedimus impletionem omnium Eccleſiæ membrorum factam per collationem donorum S. S. eſſe conſequens & effectum impletionis omnium, i.e. divinæ majeſtatis Chriſto homini collatæ, ut apparet ex v.8.10.11 & 12. & ex Act. 2.v.33. Eph.1.v.23. ſed negamus illam omnium impletionem eſſe limitandam & reſtringendam ad impletionem omnium Eccleſiæ membrorum, cùm ex generali ſpeciale inferatur, non autem per ſpeciale generale limitetur. Adde quòd ſit opus verè divinum & infinitæ virtutis donis ad ſalutem neceſſariis omnia Eccleſiæ membra ornare, & hac ratione omnia implere. Quòd ſi ergò verè & ex animo credunt, Chriſto homini hoc opus competere, agnoſcant hoc opus verè divinum & infinitæ virtutis ipſi ut homini tribui. 4. *ipſummet Apoſtolum Epheſ.1.v.23. hanc impletionem omnium ad Eccleſiam reſtringere.* Reſp. Eccleſia vocatur *Chriſti πλήρωμα. complementum*, ſive plenitudo, non quòd impletio illa omnium, de qua Epheſ.4.v.10. ad Eccleſiam tantùm reſtringenda ſit, ſed quia Chriſtus eſt Eccleſiæ caput, quod eſſet mancum & mutilum, niſi Eccleſiam tanquam corpus ſuum myſticum ſibi haberet arctiſſimè conjunctum, ſicut corpus naturale non eſt plenum & integrum, niſi unà cum capite etiam alia membra adſint. Quamvis enim Chriſtus in ſe ac per ſe perfectus ſit, nec noſtri ullâ ratione indigeat, tamen quia ex immenſa dilectione voluit eſſe caput Eccleſiæ, ideò hoc reſpectu ad complementum & plenitudinem ipſius Eccleſiæ pertinet. Quod additur τὰ πάντα ἐν πᾶσι πληρουμένου duplici modo accipi poteſt. Primò quidem *paſſivè*, quo modo Chryſoſt. interpretatur, ut ſit ſenſus Chriſtum impleri in omnibus, i.e. ſingulos fideles utpotè membra Eccleſiæ pertinere ad Chriſti complementum, cùm Eccleſia ſit corpus Chriſti capitis ex fidelibus tanquam membris compactum. Secundò *activè*, ut in διαθέσει media poſitum intelligatur, quæ ſignificatio textui videtur convenientior, quia additur πάντα πληρουμένου. Cùm enim dixiſſet Apoſtolus, Eccleſiam eſſe Chriſti πλήρωμα, ne quis exiſtimet, Chriſtum per ſe hoc ſupplemento indigere, ideò addit, *Chriſtum omnia in omnibus implere*, id eſt, eſſe per divinam ſuam majeſtatem & operationem omnibus rebus præſentiſſimum, omnia in omnibus efficere, & tanquam caput corpori conjunctum omnia in Eccleſia operari. *5. poſſe intelligi de impletione locorum, ſed per effectus ſuos. Voluit enim Chriſtus omnia replere gloria ſua, & in omnibus operari mirabilia.* Bell. d.l. Reſp. ab illis effectis ſubſtantialis præſentia non eſt excludenda, quia divina poteſtas Chriſto ſecundùm humanam Naturam communicata non abſens, ſed præſens dominatur & operatur. *6. poſſe intelligi de repletione locorum ſucceſſiva, accipiendo per loca gratia locorum. Chriſtus fuerat in terra, ambulaverat ſuper mare, fuerat in aere, in cruce, fuerat ſub*

terra

terra in inferno. Debuit ergò aſcendere in cœlum, ut omnia loca præſentiâ ſuâ illuſtraret & impleret. Reſp. per ſucceſſivum & localem progreſſum non poſſunt dici omnia impleri, ſed hoc ipſum requirit ſimultaneam in omnibus locis præſentiam. Cur diſcedere velimus ab interpretatione Scripturæ Jer. 23. v. 24. 7. *hic locus docet, Chriſtum non replevisse omnia præſentia ſuæ carnis. Nam deſcendere, & poſteà aſcendere repugnat repletioni, debuiſſet potiùs ſe diffundere, quàm deſcendere & aſcendere, ſi omnia ſimul replere volebat.* Bell. d. l. Reſp. removeantur humanæ rationis cogitata. Deus ad ſui præſentiã nec expanſione, nec diffuſione indiget.

223. 6. *Ex omnium ſubjectione.* Omnia Chriſto ſecundùm humanitatem ſunt ſubjecta Pſal. 8. v. 8. 1. Cor. 15. v. 27. Eph. 1. v. 22. Hebr. 2. v. 8. *omnia ſubjecit pedibus ejus*; quam univerſalitatem Paulus in Epiſt. ad Corinth. & Hebr. dictis locis ſic explicat, quòd *nihil quicquam* ab illa univerſalitate *ſit exceptum, præter eum, qui ſubjecit Chriſto omnia. In eo,* inquit, *quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei.* It. *Cùm dicat, omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubjecit ei omnia.* Quòd ſi ergò omnia omninò Chriſto ſunt ſubjecta, ergò etiam omnia loca & omnia locorum διαστήματα, ut nullâ ratione impedire ipſum poſſint, quò minùs promiſſionem ſuam implere, nobiſq; præſens adeſſe queat. Chriſto ſubjectum eſt *quicquid nominari poteſt non ſolum in hoc, ſed etiam in futuro ſeculo.* Eph. 1. v. 21. inter illa ὀνομαζόμενα ſunt etiam διαστήματα locorum. Ariſtot. lib. 2. de cœlo c. 4. locum competere corporibus aſſerit ſolùm propter θνητὴν δυσχέρειαν, *propter mortalem imbecillitatem.* At ſi Chriſto ad dextram Patris exaltato omnia ſunt ſubjecta, utiq; non amplius mortali illi infirmitati ipſe ſubjectus eſt, ut non poſſit eſſe, niſi in uno loco præſens, ac loco corporeo circumſcribatur. 7. *Ex dominatione.* Chriſtus ſecundùm humanam Naturam *factus eſt Dominus* Actor. 2. v. 36. & ad dextram Patris exaltatus regnat ac *dominatur in medio inimicorum ſuorum* Pſalm. 110. v. 2. 1. Corinth. 15. v. 25. *dominatur à mari uſq; ad mare* Pſal. 72. v. 8. Zachar. 9. v. 10. Ergò etiam præſens eſt in cœlo ac terra. Excipiunt, *ad dominium non ſtatim requiri præſentiam.* Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 16. *Chriſti humanitas præeſt omnibus creaturis, & jus habet in omnes, ex quo non ſequitur, quod ſit ubiq;. Cur enim non poſſit jus habere in rem abſentem? Nonne apud homines id ordinariè cernimus, ut Rex in univerſum ſuum regnum jus habeat, & tamen non occupet præſentiâ ſuâ, niſi exiguum angulum domus vel cubiculi unius?* Reſp. dominium illud non eſt *terrenum vel mundanum,* ſed *cœleſte ac divinum,* ideò de eo non eſt cogitandum vel pronunciandum juxta morem hujus ſeculi ac regum terrenorum. Humanæ imbecillitatis eſt, quod Reges terreni non poſſunt omnibus ſuis regnis ac provinciis præſentes adeſſe, ſed per vicarios ſuos regunt. Contrà v. divinæ majeſtatis ac poteſtatis eſt, quòd Deus verè & eſſentialiter præſens omnia gubernat & adminiſtrat. Hæc majeſtas & poteſtas cum Chriſto ſecundùm hum. Nat. data ſit, ideò ſubſtantialis præſentia ab ejus dominio minimè excludenda. Sic E. concludimus. Unum eſt dominium, quo Chriſtus ut Deus & homo dominatur, non v. multiplex ac diverſum. Ergò ut ſecundum divinitatem non abſens, ſed præſens dominatur, ita quoq; ſecundùm humanitatem præſens omnia adminiſtrat.

224. 8. *Ex capitis conditione.* Chriſtus eſt Eccleſiæ caput non ſolùm ſecundùm divinam, ſed etiam ſecundùm humanam Naturam, ut oſtendit capitis & membrorum ὁμογένεια Eph. 5. v. 24. & 30. & probatur ex eo, quia per collocationem ad Dei dextram & omnium ſubjectionem Chriſtus *datus* ſive conſtitutus eſt *caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ,* i. e. in ſalutem Eccleſiæ Epheſ. 1. v. 22. Col. 1. v. 18. quam collocationem ad Dei dextram & omnium ſubjectionem Chriſto ſecundùm humanam Naturam competere oſtendimus ſuperiùs. Jam v. non convenit caput à membris per locorum διαστήματα ſejungi ac ſeparari. *Profectò,* inquit Chemn. lib. de duab. Natur. cap. 30. p. 507. *caput Eccleſiæ non eſt à ſuis membris avulſum vel ſeparatum, ſed iſtis conjunctiſſimum. Eſt autem Chriſtus caput noſtrum non tantùm ſecundùm divinam Naturam, ſed etiam ſecundùm eam Naturam, ſecundùm quam nobis membris ſuis cognatus & conſubſtantialis eſt. Illud enim ad rationem capitis pertinere etiam Scholaſtici rectè docent.* Excipiunt. 1. *Chriſtus per fidem habitat in cordibus noſtris* Ephel. 3. v. 17. Reſpond. fides non opponitur præſentiæ humanitatis Chriſti, ſed apertæ Dei viſioni 2. Corinth 5. v. 7. 2. *Chriſtum corpore ſuo in cœlo exiſtentem Spiritu ſuo fideles tanquam membra corporis ſui ſibi conjungere.* Reſp. Spiritum illum Chriſtus fidelibus largitur non abſens, ſed præſens, aliàs monſtroſum inde naſceretur corpus, cujus caput eſſet longiſſimo intervallo à membris ſeparatum. Sicut ergò à capite Aaronis balſamum deſcendebat in ipſius membra, non ſeparata & ſejunctá, ſed capiti arctiſſimè & præſentiſſimè conjuncta: ſic Spiritus ſanctus oleum à Chriſto tanquam capite in fideles tanquam membra corporis myſtici deſcendit, non ſeparata à capite, ſed eidem arctiſſimè & præſentiſſimè unita. Abſit igitur, ut humanam Chriſti Naturam, juxta quam donationem Spiritus ſancti fidelibus promeruit, ab illa diſtributione Spiritus ſejungere velimus.

225. 9. *Ex regii officii adminiſtratione.* Nomina *officii competunt Chriſto ſecundùm utramq; Naturam* juxta Canonem Concil. Chalced. Adeſſe Eccleſiæ, eandem regere ac defendere, dominari in medio inimicorum &c. ſunt nomina & opera officii, Regii ſcilicet. Ergò ſecundum utrãmq; Naturam Chriſto competunt. Excipiunt, *addi in iſto canone, quòd qualibet Natura agat quod ſuum eſt. Iam vero humanæ Naturæ non eſſe proprium, ubiq; Eccleſiæ adeſſe.* Reſp. disertè adjicitur, quamlibet Naturam agere quod ſuum eſt μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας, *cum communicatione alterius.* Quare cùm τὸ ubiq; adeſſe non ſit Naturæ humanæ proprium & tamen ad officii regii adminiſtrationem requiratur, ideò ὁ Λόγος per hypoſtaticam unionem & glorioſam ad dextram Dei exaltationem hoc αὔχημα καὶ ἀξίωμα eidem communicat, quâ de re in tertio communicationis idiomatum genere uberiùs agetur. 10. *Ex invocatione.* Secundùm quam Naturam Chriſtus à nobis invocandus eſt, ſecundùm eandem etiam nobis præſens eſt, quia objectum religioſæ Invocationis ejuſdem præſentiam requirit. Deut. 4. v. 7. Pſalm. 91. v. 15. Pſal. 145. v. 18. Eſai. 55. v. 6. &c. Jam verò Chriſtus ſecundùm utramq; Naturam eſt à nobis religioſè invocandus, ut poſteà demonſtrabitur. E. 11. *Ex Chriſti apparitione.* Paulus in via ad Damaſcum *videt Ieſum* Act. 9. v. 27. ſequenti nocte *aſſiſtens ei Dominus, ait: Conſtans eſto* Act. 23. v. 11. *Dominus mihi adſti-*

tit, & corroboravit me. 2.Tim.4.v.17.ex quibus apparitionibus Apoſtolus probat Chriſti reſurrectionem 1.Cor.15. v. 8. id quod fieri nullâ ratione potuiſſet, niſi etiam Chriſtus ſecundùm hum. Naturam Paulo in terris fuiſſet viſus. Stephanus *videt Ieſum ſtantem a dextris Dei.* Act.7.v. 59. Johannes videt Chriſtum *ambulantem in medio candelabrorum aureorum*, i.e. Eccleſiarum Apocal.1. v.13. cui typo omninò reſpondere oportet antitypum Excipit Zanch.libr.2.de Nat. Dei c. 6.p.138. *Chriſtum ſua Deitate, quæ ubiq́; eſt, corpus novum ſibi formaſſe, atq́; ſub illo in terris apparuiſſe, ſuo naturali corpore interim in cœlo relicto.* Sed hac ratione periclitabitur Naturæ humanæ veritas, introducetur corporum διπλότης ſive dualitas, & labefactabitur argumentum reſurrectionis ex hiſce apparitionibus deductum, unde ipſemet Zanchius ab aliis admonitus hanc opinionem poſteà correxit.

226. 12. *Ex ſacra Cœnæ inſtitutione.* Secundùm eam Naturam Chriſtus in terris eſt præſens, cujus præſentiæ teſtimonium in ſacra Cœna datur. Atqui in ſacra Cœna datur teſtimonium præſentiæ non ſecundùm divinam tantùm, ſed etiam ſecundùm humanam Naturam, quia mediante benedicto pane diſtribuit nobis ſuum corpus, & mediante benedicto vino diſtribuit nobis ſuum ſanguinem, unde Johannes inter *teſtes in terra teſtificantes* refert non ſolùm *Spiritum & aquam*, ſed etiam *ſanguinem*, putà Chriſti, qui in ſacra Cœna communicantibus exhibetur, & teſtimonium gratiæ credentibus offert. 1.Joh.5.v.8. Ergò Chriſtus etiam ſecundùm humanam Naturam in terris eſt verè præſens. Excipit Bellarminus libr. 3. de Chriſto cap. 13. *Ubiquitatem pugnare cum Sacramento Euchariſtiæ, pro quo ſtabiliendo fuerit excogitata. Nam ſi caro Chriſti eſt ubiq́;, certè non egemus Euchariſtia, cùm domi habeamus in pane, & vino & aliis omnibus cibis corpus CHRISTI* Reſp. confunditur præſentia *Sacramentalis* cum præſentia *majeſtatica.* Corpus & ſanguis Chriſti eſt in ſacra Cœna per *Sacramentalem præſentiam*, quæ propriè & accuratè loquendo non dependet *a præſentia majeſtatica* ſive omnipræſentia, ſed a Chriſti inſtitutione & voluntate, interim rectè dicimus, ſacram Cœnam eſſe evidens teſtimonium, quod Chriſtus ſecundùm humanam etiam Naturam in terris præſens adſit, ac proindè falſum eſſe, quod Calvioiani toties repetunt, *corpus Chriſti tantùm in cœlo eſſe uſq́; ad diem judicii extremi.*

227. Atque hæc ſunt immota illa fundamenta, ex quibus omnipræſens dominium in cœlo ac terra Chriſto homini aſſerimus. *Poteſtas & voluntas* ſunt duo actionum principia & neceſſaria & ſufficientia. Voluntas Chriſti, quod velit nobis in terris eſſe præſens, patet ex *promiſſionib.* Matth.18. v.20. cap.28.v.20. Poteſtas ſive facultas dependet tùm *ex perſonali unione*, quæ eſt ἀδιάςατος καὶ ἀδιάσπαςος, tùm *ex idiomatum communicatione*, quia enim ὁ Λόγος ſe totum aſſumtæ carni communicavit, ideò etiam divinam illam majeſtatem & gloriam, quâ poſſit eſſe omnipræſens, tùm *ex collocatione ad infinitam & omnipotentem DEI dextram.* Qui omnipræſentiam carnis ad creaturas non credit, ejuſdem carnis intimam, ἀδιάςατον & indiſſolubilem præſentiam ad Λόγον ſeu cum Λόγῳ ſincerè nunquam credet. Illa enim reſpicit entia creata, quæ omnia ſunt finita; hæc Λόγον, qui eſt abſolutè infinitus. Ad hanc facultatem & voluntatem Chriſti accedit *Eccleſiæ neceſſitas*; neceſſarium enim eſt, ut juxta eam Naturam Chriſtus nobis præſens adſit, juxta quam eſt frater noſter, quia cum nuda divinitate, quæ eſt ignis conſumens, agere non poſſumus; & *officii Chriſti dignitas*, quia præſentem eſſe Eccleſiæ competit Chriſto ut Regi, imò etiam ut Prophetæ & Sacerdoti.

228. *Dicta Patrum* de omnipræſentia adduximus in tractat. de perſona Chriſti §.122. quibus hæc ſunt addenda. Hieronym. adv. Vigilant. *Tune Apoſtolis vincula injicies? ut uſq́; ad diem judicii teneantur cuſtodia, nec ſint cum Domino ſuo? de quibus dictum eſt, ſequuntur Agnum quocunque vadit. Si Agnus ubique eſt, ergò & hi qui cum Agno ſunt, ubique eſſe credendi ſunt.* (in eo quidem à tramite veritatis aberrat Hieronymus, quòd omnipræſentiam ſanctis defunctis tribuit ex loco Apocalyptico perperam expoſito, ut oſtendimus in tract. de Morte §.341. in eo tamen rectè ſentit, quòd *Agno*, id eſt, Chriſto ſecundùm humanam Naturam omnipræſentiam tribuit) Ambroſius in cap. 10. Luc. lib.7. cap. 47. *Licet ubique ſis & ſtans in medio noſtrûm non cernaris a nobis, erit tamen tempus, quando univerſa caro te aſpiciet revertentem.* in cap. 4. Hebr. *Num quia in multis locis offertur, multi Chriſti ſunt? nequaquam, ſed unus ubique eſt Chriſtus, & hic plenus exiſtens & illic plenus.* Chryſoſt. hom. de Joh. Bapt. *Ultra cœlos eſt Chriſtus, ultra terram eſt, ubicunque voluerit, eſt; ubicunq́; eſt, totus eſt; ubicunque eſt & ubicunque fueris tu ipſe, qui illum quæris, in ipſo es, quem quæris.* Theophyl. in cap.19. Joh. *Itaque ſanctum Chriſti corpus indiviſibile, & dividitur & communicatur in quatuor orbis partes, diſtribuitur enim ſingulis & uniuſcujusque animam ſanctificans cum corpore per carnem ſuam & integer & indiviſus in omnibus eſt ubique exiſtens.* Conjunge hasce Patrum hypotheſes. 1. carnem Chriſti in Cœna pluribus in locis eodem tempore in his terris adminiſtrata verè præſentem ſtatuunt. 2. Λόγον extra carnem aſſumtam eſſe negant. Athanaſ. orat. 2. & 4. contra Arian. Cyrill. lib. 2 ad Regin. 3. Naturas in Chriſto ἀδιαςάτως, *inſegregabiliter, indiſtanter* unitas eſſe aſſerunt. Conc. Chalced. Damaſc. 3. de orth. fid. cap. 3. 4 hypoſtaſin τοῦ Λόγου carni communicatam eſſe docent. 5. infinitæ majeſtatis & gloriæ communicationem carni factam eſſe agnoſcunt. 6. exaltationem carnis ad infinitam Dei dextram propugnant. 7. Univerſalem Chriſti hominis in toto mundo dominationem agnoſcunt.

229. *Ex adverſariis* videntur idipſum quodammodo agnoſcere fulgore veritatis convicti. 1. *Pontificii*, tùm *veteres*, ut Hugo de S. Victore libr. 2. de Sacram. part. 8. cap. 12. *Corpus CHRISTI habet hanc dignitatem ex Natura unionis cum divinitate, ut ſimul ſit in multis locis.* Bielius 4. ſent. diſt. 11. *Non ſolùm in diverſis locis poteſt eſſe corpus CHRISTI definitivè & Sacramentaliter, ſed etiam & ipſum & aliud corpus quodlibet eſſe poteſt per divinam potentiam in pluribus locis circumſcriptivè.* Adde quod plurimi ex Scholaſticis ſtatuunt, *quodlibet corpus naturale per divinam potentiam in pluribus locis ſimul præſens eſſe poſſe*, ut poſteà videbimus; tùm *recentiores*. Jac. Faber Stapulenſis. *Ubicunque ſanè Chriſtus eſt, incarnatus eſt. Incarnatus autem ſine corpore non eſt, & magna eſt fides cognoſcens Chriſtum corporaliter eſſe, ubi Sacramentaliter eſt. Sed major fides eſt cognoſcere eum abſolutè abiq́; corporaliter eſſe; nam hoc eſt ſine modo cognoſcere, illud

lud cum modo: fides autē abſq; modo major eſt, quàm qua modum habet. In Epiſt. 1. Corinth. 12. *Corpus Chriſti eſt, ubicunq; λόγος eſt, nam Verbum caro factum eſt, quia Verbum nunquam ſine carne eſt, nec caro ſine Verbo.* Paulus Kemerius in propoſitionibus ſcribit, *facilimum eſſe multis & firmis rationibus probare Chriſtum eſſe ubiq; ſuo corpore.* Eas deducit ex *aſſumtione Chriſti in gloriā Dei, ex indiviſibili unitate perſonæ & ex omnipotentiæ communicatione.* Idē ſtatuunt Johannes Ertlius & Caſpar Francus, qui in ſcripto, quo cauſas ſuæ defectionis exponit, ad probandam invocationem Sanctorum adducit dictum Hieronymi: *Si agnus ubiq; eſt &c.* Barrad. in Harm. Evang. in comm. Matt. 28. v. 20. *Quemadmodum in cœlo Chriſti humanitas cum divinitate conjuncta colitur & adoratur in cœlo à B. Angelis & hominibus; ita eandem humanitatem cum divinitate conjunctam voluit in terris eſſe, & ab hominibus, qui in terra degunt, in terra coli atque adorari. 2. Calviniani.* Beza part. 1. quæſt. p. 24. edit. Gen. Ann. 73. (in operib. f. 659.) *Si vis, illud etiam concedam, Chriſti quoque humanitatem adeſſe præſentem ſed κατ' ἄλλο, id eſt, non in ſeſe ſive ſui eſſentiâ, ſed quatenùs cohæret hypoſtaticâ unione cum τῷ λόγῳ, qui eſt ubique* (Sublumo. Hypoſtaſis λόγου ubique præſens carni realiter per unionem perſonalem eſt communicata. Ergò etiam caro Chriſti vi unionis hypoſtaticæ λόγῳ eſt ubiq; præſentiſſima.) Bucerus in cap. 12. Johan. *Fimbriæ Domini vel tapetes replent templum majeſtate, ſiquidē ejus etiam hominis omnia in Eccleſia ejus plena ſunt, virtusque regni ejus pervenit ad omnes.* Zanch. in præfat. libr. de relig. in Epiſt. ad lector. *Dixi carnē Chriſti dici poſſe ſine ulla cōtradictione & omnipotētem & non omnipotentem, ubiq; præſentem, & non ubiq; præſentē, diverſis nimirùm reſpectibus, ſuâ n. propriâ οὐσίᾳ non eſſe, eſſe a. ἀπὸ τῆς [illegible], qua illi cū Natura divina communis eſt.* lib. 2. de incarnat. f. 201. *Ego certè non contradixero, & ita omnes docti ac pii concedunt, humanam Chriſti Naturam perſonaliter eſſe omnipotentem, ubique præſentem.* Et paulò pòſt: *Non incongruè dicitur caro perſonaliter omnipotens & ubique præſens, quia licet talis non ſit realiter in ſeipſa, eſt tamen talis in perſona.* Tigurini in ſua Apologia pag. 108. *Dicimus itaque Chriſtum, id eſt, illam perſonam quæ verus Deus & verus homo ſimul eſt, omnibus rebus adeſſe cœlumque & terram regere, idque ſecundum utrāq; Naturam. Filius enim Dei poſt aſſumtam humanam Naturam ubicunque eſt & agit ut Chriſtus, hoc eſt, ut perſona, quæ ſimul Deus eſt & homo, adeſt & agit.* (idipſum tamen poſteà ſic depravant, & quod unâ manu dederunt, alterâ iterùm eripiunt. *Secundùm divinam Naturam quidem eſſentiâ, ſecundùm humanam conſenſu & efficaciâ adeſſe eum ſtatuimus. Nam agit hæc omnia ὁ λόγος ſciente & conſentiente humanâ ſeu aſſumtâ Naturâ, ut ita actio ſit totius perſonæ*) Sohnius tom. 2. operum pag. 398. *Si humanitas non eſt ubicunque, eſt divinitas videlicet perſonaliter ſeu perſonali ſubſiſtentiâ, hoc eſt, ſi non eſt una ubique duarum Naturarum perſona, aut ſi non ubique duæ hæ Naturæ unitæ ſunt, duas perſonas fieri neceſſe eſt.* pag. 399. *Si perſonaliter intelligunt, ita ut humana Natura dicatur ubique præſens, quatenùs in perſona Filii Dei ſubſiſtit, & ſuum eſſe perſonale habet ſalvis proprietatibus naturalibus, ſententia talis dici poteſt, & à noſtris hominibus quandoque datur* (Quamvis verò poſtea per inſignem ſπιθαλότητα hæc ita detorqueat, ut humanam Chriſti Naturam præſentem in terris eſſe neget, tamen ex conceſſis firmiter concludimus. Humana Natura in perſona Filii Dei verè ſubſiſtit. Ergò etiam verè præſens eſt.) Martinius in iucif. contra D. Mentzer. pag. 33. *Si adeſſe vellet Chriſtus corpore, quis eum poſſe negaret?* (Subſumimus. Chriſtus vult nobiſcum eſſe præſens ſuo corpore, ut patet ex inſtitutione Cœnæ. Ergò poteſt) Denique quia adverſarii ad conſenſum Philippi Melanchthonis & Tilemanni Heſshuſii provocant, notanda ſunt hæc ipſorum dicta. Phil. in Epiſt. ad Mart. Gòrlic. *Ego mori malim, quàm hoc affirmare, quod illi affirmant, corpus Chriſti non poſſe eſſe niſi in uno loco, ideò conſtanter eos argue.* Idem in Epiſt. ad Oecolampad. *In promiſſionibus de præſentia Chriſti nihil opus eſt divellere humanitatem à Deitate.* Pappus defenſ. 3. contra Sturm. pag. 105. *Vidi aliquando, & deſcripſi è Pſalterio cujuſdam M. Johannis Galeni Witebergenſis, qui hic Argentorati ſtudiorum gratia fuit Anno 1563. ſequentia verba: D. Philippus Melanchthon propria manu ſcripſit hæc verba de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti in Dominica Palmarum Anno 1560. in libellum D. Majoris: Verum corpus & verus ſanguis exhibetur in pane & in poculo. Quæſtio jam oritur, quomodo Chriſtus poſſit eſſe corporaliter in Sacramento, cùm ideò corpus non poſſit eſſe in diverſis locis? Reſpondeo, Chriſtus dixit, ſe affuturum. Ergò verè adeſt in Sacramento & corporaliter, nec quærenda eſt alia ratio. Verbum ita ſonat. Ergo neceſſe eſt ita fieri. Quod verò ad corpus attinet, Chriſtus quando vult, poteſt eſſe, ubicunque vult. Quare alia jam eſt ſui corporis & noſtri ratio. De Ubiquitate non eſt diſputandum in hac controverſia, nec Scholaſtici dicunt de hac Ubiquitate, ſed recitant ſimplicem ſententiam de corporali præſentia Chriſti. Deitas neque corpus neque ſanguinem habet, & eſt conjuncta humanitati Chriſti, & eſt ubique humanitas Chriſti conjunctiſſima divinitati, & ſunt Deitas & humanitas in Chriſto inſeparabiles, ergo Chriſti corpus & ſanguis in Sacramento ejusq; actione ſunt ubique, juxta verbum: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. Et, Ero vobiſcum usque ad conſummationem ſeculi.* Heſshuſ. in comm. 1. Epiſt. ad Corinth. *Sexta prærogativa carnis Chriſti eſt, quod eſt caput totius Eccleſiæ paſſim per totum terrarum orbem diſperſæ, quæ omnibus ætatibus miniſterio verbi colligitur, quod fovet, ſuſtentat, cuſtodit, regit, conſervat & tuetur ſingula membra, & omnia in omnibus adimplet & efficit. Hæc quoque gloria & proprietas nulli creaturæ competit. Nullus Apoſtolus aut Propheta tali modo Eccleſiæ & ſingulis membris adeſſe poteſt, nullus item Angelus ſingulis piis opem ferre, omnia pericula depellere, in omni neceſſitate ſuccurrere poteſt. Chriſti autem humanitas, quia unita eſt λόγῳ unione perſonali, & quia conſtituta eſt caput totius Eccleſiæ, omnibus membris ſui corporis adeſt, ſingulos pios fovet ſuo Spiritu &c. præſentes etiam habet in ſua manu omnes creaturas, juxta promiſſionem Matth 18. & 28. Etſi autem hæ promiſſiones in concreto ſunt enunciatæ, tamen fingendum non eſt, quòd tantùm Divinitatis ſuæ præſentiam promiſerit, ſed perſonæ atque etiam carnis ſuæ, licet eam exterioribus ſenſibus non comprehendamus. Ne de carnis ſuæ præſentia dubitemus, ſacroſanctam Cœnam inſtituit &c. Paulus Eph. 1. dicit: Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus. Ergo omnes creaturæ etiam humanæ Chriſti Naturæ reſuſcitatæ à mortuis ſunt præſentes & ſubjecta &c. Epheſ. 4. affirmat a-*

mat Apoſtolus, hunc Chriſtum, qui ſupra omnes cœlos aſcendit, omnia implere, non tantum de ejus operatione, vel efficacia loquitur, ſed & de ipſius præſentia, ideoque inquit, Aſcendit ſuper omnes cœlos, ut omnia adimpleret. Quomodo autem hoc fieri poſſit, ut humana Chriſti Natura, quæ finita eſt, omnia impleat, noſtris ingeniis comprehendere non poſſumus, ſicut nec de Divinitate capere aut intelligere poſſumus, quomodo ea impleat omnia, nulla enim moles, nulla extenſio imaginanda, quia verò Spiritus S. per Apoſtolos hæc myſteria in Eccleſia patefecit, omninò illis aſſentiri debemus.

2. θαυματουργία. 230. 2. Quia Chriſtus per carnem, in carne & cum carne divina miracula operatur. *θαυματουργία* eſt opus verè divinum, uti conſtat. Jam v. aſſumta caro eſt ὄργανον. non *ἄεργον & otioſum vel merè paſſivum*, ſed *σύνεργον, efficax & activum*, non *ſeparatum*, ſed *unitum*, per quod Chriſtus miracula eſt operatus. Ergò aſſumtæ Chriſti carni opus verè divinum competit. Minor probatur 1. *ex miraculorum principio*. Principium agendi, à quo miracula procedunt, eſt vis *θαυματουργικὴ, δύναμις καὶ ἐξουσία* verè divina. Jam verò vi illa *θαυματουργικὴ, δύναμις καὶ ἐξουσία* verè divina Chriſto ſecundùm humanam Naturam eſt communicata. Act. 10. v. 38. *Deus unxit Ieſum Spiritu S. & virtute, qui pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes à Diabolo oppreſſos, quoniam Deus erat cum illo*, inde ſic inferimus. Secundùm quam Naturam Chriſtus unctus eſt Spiritu S. ſecundùm eandem etiam donatus eſt virtute *θαυματουργικῇ*, ut oſtendit connexio. Jam v. ſecundùm hum. Naturam Chriſtus unctus eſt Spiritu ſancto. Ergò. Secundùm quam Naturam Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ſecundùm eam etiam efficax eſt in miraculorum operatione. Jam verò ſecundùm hum. Nat. data eſt ipſi omnis poteſtas in cœlo & in terra Matth. 28. v. 16. Ergò. Secundùm quam Naturam Deus erat cum Chriſto, ſecundùm eandem miracula fecit & ſanavit omnes à Diabolo oppreſſos, ut connexio oſtendit. Jam verò ſecundùm humanam Naturam Deus erat cum Chriſto. Ergò. Inde eſt, quod *κατ᾽ ἐξουσίαν ἐν ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει imperat Spiritibus immundis* Marc. 2. v. 27. Luc. 4. v. 36. in illa ſcilicet *ἐξουσίᾳ*, quam ſibi ſecundùm carnem eſſe datam profitetur; quæ *δύναμις ab ipſo egreditur ſanans omnes* Marc. 5. v. 30. Luc. 6. v. 19. illa ſcilicet *δύναμις*, quæ ipſi ut *agno mactato* data Apoc. 5. v. 12. Agit enim Chriſti humanitas in miraculis, non modò per virtutem, quæ illi naturaliter & eſſentialiter eſt propria, ſed etiam per potentiam verè divinam ab unita Deitate ſibi communicatam, velut Apoſtolus loquitur, agit Chriſti humanitas juxta unctionem Spiritus & virtutis. *2. ex agentis conditione & ſtatu*. Chriſti vox mortuos ad vitam revocans non eſt tantùm humana, ſed etiam divina vox; Chriſti manus leproſos tangens non eſt tantùm humana, ſed etiam divina manus, qui enim ore loquitur, ac qui manu tangit, non tantùm homo, ſed & Deus eſt in perſonæ unitate. Vox illa, *Lazere veni foràs* Joh. 11. v. 43. non eſt tantum humana vox aërem verberans & aures aſtantium feriens, ſicut vox reliquorum hominum, ſed eſt omnipotens ipſius Filii Dei vox Lazarum defunctum in vitam revocans. Joh. 5. v. 28. Manus Chriſti tangens leproſum Matth. 8. v. 3. nō eſt tantùm humana manus, tangens leproſum eo modo, quo aliorum etiam hominum manus eum tangere potuiſſet, ſed eſt omnipotens ipſius Filii Dei manus leproſum tangendo ſanans. Quod ſi ergò manus hominis viventis opera animatæ ſubſtantiæ propria efficere poteſt, quia eſt hominis animati propria, quidni manus Chriſti opera verè divina, miracula ſc. efficere poſſet, quia eſt ipſius Filii Dei omnipotentis propria manus. 3. *ex univerſali dominio*. Secundùm quam Naturam Chriſtus factus eſt omnium Dominus, omnia ipſi ſubjecta, conſtitutus ſuper omnem principatum & dominationem &c. ſecundùm eandem etiam miracula facere poteſt. Sed Chriſtus ſecundùm hum. Nat. *factus eſt omnium Dominus* Act. 2. v. 36. *omnia ipſi ſunt ſubjecta* Pſ. 8. v. 8. *conſtitutus eſt ſuper omnem principatum & dominatum* Eph. 1. v. 20. E. Major eſt manifeſtæ veritatis, quia ſi Chriſtus eſt omnium Dominus, ergò etiam in miraculis præter & contra communem rerum ſeriem agere, Naturam efficaciter mutare & omnia pro arbitrio ſuo diſponere poteſt. 4. *ex adhibito in miraculis Naturæ humanæ miniſterio*. Chriſtus miracula faciens corporeo uſus eſt miniſterio & attactu, voce enim excitavit mortuos, manus tactu ſanavit leproſos, luti illitu oculos cœcorum aperuit &c. ut humanam ſuam Naturam *δυνάμεως θαυματουργικῆς* participem eſſe oſtenderet. Si enim humanam Naturam à miraculorum operatione voluiſſet excluſam ac ſegregatam, divino tantum nutu illa feciſſet, nec humanæ Naturæ miniſterium adhibuiſſet. Athanaſ. orat. 5. contra Arian. *Verbum manum ſuam extendens ſanavit febricitantē, vocem humanam edens ſuſcitavit Lazarum, manibus ſuis in cruce protenſis proſtravit aëris Principē* orat. de blaſph. in Spiritum. *Spuebat quidem ut homo ſputamentum tamen illud divinum erat ſiquidem per illam ſalivam oculos cæci ſanavit.* Dial. 5. de Trinit. pag. 184. *λόγον unitum hominis edere prodigia non ſeparatim à Natura aſſumta, ſed placuiſſe ei per ipſam in ipſa, cum ipſa potentiam ſuam divinam exerere.* De incarnat. Verbi p. 50. *carnem Chriſti eſſe organon, quo divinitas in miraculis uſa.* Cyrill. de incarn. unigenit. cap. 7. *λόγος communes facit cum ſua carne divinæ majeſtatis operationes, ut tactu mortuos vivificet, leproſos ſanet, cæcos illuminet & reliqua miracula edat.* Auguſt. in enarr. Pſal. 56. *Chriſtus per carnem operatus eſt miracula* Damaſc. lib. 3. c. 15. *Divinitas operabatur θεοσημίας ſed non ſine carne.* lib. ejuſd. cap. 17. *Non ſecundùm propriam ἐνέργειαν ſed propter unitum ſibi verbum caro Domini divina operatur Verbo per eam propriam ſuam ἐνέργειαν oſtendente ac manifeſtante.* Theoph. in cap. 5. Luc. *Interim & hoc indicabo, quod ſancta ejus caro divinam habeat virtutem & purificet & vivificet, utpote quæ ſit Dei caro.* in cap. 7. Luc. *Non verbo tantum miracula operatur, ſed & loculum tangit, ut diſcamus quod corpus ejus eſt vita corpus.* Conferatur Leo Epiſt. 10. ad Flavian. Thomas part. 3. q. 43. art. 2. *Anima Chriſti conſideratur dupliciter; primò ſecundùm propriam virtutem ſive naturalem ſive gratuitam* (habitualiter & ſubjectivè ipſi inhærentem) *ſecundò ut eſt inſtrumentum Verbi Dei ſibi perſonaliter uniti, ſic enim habuit inſtrumentalem virtutem ad immutationes miraculoſas faciendas.* Gerſon. in ſerm. de quat. domib. Dominica 19. poſt Pent. *Humanitatem propter ipſius ad Verbum hypoſtaticam unionem tanquam cauſſam ſecundam in omnibus Chriſti miraculis communicaſſe.* Paræus in Iren. pag. 268. *Si igitur Chriſtus homo eſt Deus, utique non alienam ut Petrus ſed propria ſua virtute miracula fecit. Docemus*

mus verò hanc virtutem propriam fuiſſe Deitatis formaliter, humanitatis perſonaliter propter unitatem hypoſtaſeos.

3. opus redemtionis.

231. 3. *Quia opus redemtionis*, in carne & per carnem perfecit. Opus redemtionis eſt opus verè divinum Pſ.49.v.8. Eſ.59.v.16.&c. jam verò ab opere redemtionis humana Chriſti Natura non eſt excluſa ſed in ea, per eam & cum ea Chriſtus divinum illud opus perfecit, quod probant ſequentia dicta. Zach.9.v.11. *tu in ſanguine Teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu, &c.* Matth.20.v.28. *Filius hominis venit, ut daret animam ſuam λύτρον pro multis.* cap.26.v.28. *Hoc eſt ſanguis N.T. qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Luc. 22.v.19. *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur,* Joh.1.v.29. *Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi.* cap.6.v.51. *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam dabo pro mundi vita.* 1.Pett.2.v.24. *peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* In his ac ſimilibus Scripturæ dictis corporis Chriſti oblationi & ſanguinis effuſioni in ara crucis ſactæ redemtionis λύτρον tribuitur, utiq; ergo in aſſumta Natura & per aſſumtam Naturam opus illud verè divinum eſt peractum.

4. conſtitutio Miniſterii & collectio Eccleſiæ.

232. 4. Quia *conſtitutio Miniſterii & collectio Eccleſiæ* Chriſto etiam ut homini tribuitur. Conſtitutio Miniſterii & collectio Eccleſiæ eſt opus verè divinum Pſ.68.v.12. Pſ.147.v.15. Eſ.6.v.8. c.41.v.27. Oſ.12.v.10.&c. Jam v. hoc opus tribuitur Chriſto etiam ut homini. Mat.28.v.18. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, v.19. euntes ergo docete omnes gentes, & v.20. & ecce ego vobiſcū ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſeculi*, ubi obſerva particulam illativam οὖν. Mihi data eſt omnis poteſtas, ergò euntes docete & adduam promiſſionem. Ecce ego vobiſcum ſum, ex quo ſic concludimus. Secundùm quam Naturam Chriſto data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, ac ſecundùm quam Naturam præſens nobis adeſt uſque ad ſeculi conſummationem, ſecundùm eandem etiam conſtituit & conſervat miniſterium, ac colligit ſibi ex genere humano Eccleſiam perpetuam. Jam verò ſecundùm humanam Naturam data eſt Chriſto omnis poteſtas, &c. Ergo. Confer. Harm. de reſurr. cap.12.p.448. Marc.16.v.19. *Dominus Ieſus poſtquam hæc locutus eſt Apoſtolis, aſſumtus eſt in cœlum & ſedet ad Dei dextram v.20. illi autem profecti prædicaverunt ubiq; Domino cooperante, &c.* Deſcribitur in his verbis complementum promiſſionis apud Matthæum propoſitæ. *Ecce ego vobiſcum ſum.* Senſus eſt. Quia Chriſtus poſt ſuam aſcenſionem conſedit ad dextram Dei ubiq; præſentem & potenter dominantem, ideò etiam Apoſtolis Evangelium prædicantibus ubiq; adeſſe & cooperari potuit vi ac virtute illius ſeſſionis ad infinitam Dei dextram. Epheſ. 4.v.10. *aſcendit Chriſtus ſuper omnes cœlos, ut impleret omnia* v.11. *& dedit alios Prophetas, alios Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios doctores* v.12. *ut ſancti præparentur ad opus Miniſterii.* Fructus proinde aſcenſionis Dominicæ eſt inſtitutio & conſervatio Miniſterii. Ergo ut ſecundùm humanam Naturam aſcendit in cœlum, ita quoque ſecundùm humanam Naturam inſtituit & conſervat miniſterium. Hûc referenda ſunt vaticinia V.T. Pſal.22. v.23. *narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te*, id eſt, ex paſſione & morte liberatus inſtituam & conſervabo miniſterium verbi, per quod beneficia paſſione & morte in Eccleſia diſtribuantur. Eſ.53.v.10. *Cùm poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.*

5. miſſio & effuſio Spiritus ſancti.

233. 5. Quia *miſſio & effuſio S.S.* Chriſto etiam ut homini competit. Effuſio ac miſſio Spiritus S. eſt opus verè divinum, ut conſtat. Jam verò Chriſtus etiam ſecundùm humanam Naturam effundit Spiritum S. ſuper Apoſtolos & mittit eum in corda credentium, quod probatur 1. *ex perſonali unione.* Humana Chriſti Natura per unionem perſonalem *uncta eſt oleo lætitiæ* ſive Spiritu ſancto *ultra conſortes* Pſ.45.v.8. *accepit Spiritum ſanctum ſine menſura.* Joh.3.v.34. ac Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt *plenus Spiritu ſancto* Luc. 4.v.1. *ex hac ergo plenitudine omnes accepimus.* Johan. 1. v.16. 2. *ex capitis appellatione.* Sicut unctio à capite Aaronis in ipſius membra deſcendebat, ſic à Chriſto capite vigor Spiritus in omnia corporis myſtici membra dimanat. Jam verò Chriſtus eſt Eccleſiæ caput etiam ſecundùm humanam Naturam. Ergo etiam ſecundùm humanam Naturam donat credentibus Spiritum ſanctum. 3. *ex Chriſti precatione.* Joh 14.v.16. *Ego rogabo Patrem & alium paracletum dabit.* Qui rogat, ut Pater det S.S. rogando docet, quod hanc δύναμιν & ἐξουσίαν mittendi Spiritum ſanctum per ſe non obtineat, ſed à Patre eandem accipiat. Jam verò hoc de Chriſto ſecundùm divinam Naturam intelligi nequit, quia Chriſtus ut Deus hanc δύναμιν & ἐξουσίαν obtinet Naturâ per æternam ſcilic. à Patre generationem. Ergo Chriſtus quâ homo Deum Patrem rogat & poteſtatem mittendi S.S. impetrat. 4. *ex inſufflatione.* Chriſtus per flatum corporeum diſtribuit Apoſtolis Spiritum ſanctum Johan.20.v.22. ut oſtenderet ſibi etiam ut homini datam eſſe poteſtatem conferendi Spiritum ſanctum. 5. *ab exaltatione.* Miſſio S.S. eſt ſalutaris finis & effectus exaltationis Chriſti ac ſeſſionis ad dextram Dei. Joh.16. v.7. *Si abiero, mittam vobis paracletum.* Actor. 2. v.33. *Dextra Dei exaltatus & promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre effudit hoc, quod videtis.* Jam verò Chriſtus ſecundùm humanam Naturam exaltatus & ad dextram Dei collocatus eſt. Ergo. 6. *Ex officii Chriſti adminiſtratione.* Miſſio Spir. S. pertinet ad officium Chriſti Propheticum & ad Regium, quia ipſe ad dextram Dei evectus Spiritum ſanctum Eccleſiæ doctorem conſtituit ac per eum in cordibus hominum ad converſionem & ſalutem efficax eſt, confirmat eos adverſus omnes Satanæ & mundi inſultus. Jam verò adminiſtratio officii Prophetici & Regii competit Chriſto ſecundum utramq; Naturam.

6. mundatio à peccatis.

234. 6. Quia *mundatio à peccatis* Chriſto etiam ut homini tribuitur. Remiſſio peccatorum & mundatio à peccatis eſt opus verè divinum. Eſ.43. v.25. Marc.2 v.7. Luc. 5. v. 21. jam verò hoc opus tribuitur Chriſto etiam ut homini. Matth. 9. v.6. Marc.2.v.10. Luc.5.v.24. *Filius hominis habet in terra poteſtatem remittendi peccata*, ubi nota emphaſin in phraſi ἐπὶ τῆς γῆς. Quod ſi ergo filius hominis habet in terra poteſtatem remittendi peccata, utique qua homo nō abeſt à poteſtate clavium, quæ in peccatis remittendis ſuper terram exercetur, & quia ſalutaris manducatio corporis & bibitio ſanguinis ipſius credentibus cedere debet in peccatorum remiſſionem ideò corpus ſuum non in cœlo, ſed in terra cum pane & vino manducantibus ac bibentibus exhibet in confirmationem promiſſionis de remiſſione peccatorum. Luc. 24. v.47 ju-

v. 47. jubet *prædicare in nomine ſuo remiſſionem peccatorum*. Jam verò Chriſti nomen complectitur nnu ſolùm divinam, ſed etiam humanam Naturam. 1. Johan. 1. v. 7. *Sanguis Jeſu Chriſti filij Dei mundat nos ab omnibus peccatis*. Utiq; ergo Chriſti ſanguis obtinet vim mundandi ac purgandi nos à peccatis Hebr. 9. v. 13. *Si ſanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis* verſ. 14. *quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum æternum obtulit ſeipſum Deo, ſanctificabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis*.

7. reſuſcitatio mortuorum. 235. 7. *Quia reſuſcitatio mortuorum* Chriſto ut homini competit, quam conſtat eſſe opus merè divinum. Joh. 5. v. 29. *Qui in monumentis ſunt audient vocem Filii hominis & qui audierint procedent*. *8. adminiſtratio judicii.* 8. Quia *adminiſtratio judicii* Chriſto ut homini tribuitur quæ itidem eſt divinum aliquod opus. Joh. 5. v. 27. *Dedit ei poteſtatem faciendi judicium quia Filius hominis eſt*. Confer quæ de virtute vivificandi & poteſtate faciendi judicium in ſecundo membro dicta ſunt. Quatenus enim reſuſcitatio mortuorum & judicii adminiſtratio cōſideratur *ratione principij* virtutis ſcilicet efficaciter agentis, eaten..s ad ſecundam datorum claſſem pertinet; quatenus verò *ratione effecti atq; operis* ſpectatur, eatenus ad hanc tertiam datorum claſſem referri poteſt. *9. piorum glorificatio* 9. Deniq; quia *piorum ſalvatio & glorificatio* Chriſto etiam ut homini competit. Matth. 1. v. 23. *Vocabis nomen ejus Jeſum, quia ſalvum faciet populum ſuum*. Jam verò Chriſtus non ſolùm ratione divinæ, ſed etiam ratione humanæ Naturæ eſt noſter Jeſus. Act. 4. v. 12. *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum, &c.* At hoc nomen complectitur non ſolùm divinam, ſed etiam humanam Naturam.

4. cultus religioſæ adorationis. 236. 4. Oſtendimus hactenus *divina nomina, attributa atq; opera* Chriſto homini competere, reſtat ut demonſtremus *divinum religioſæ adorationis cultum* etiam ſecundùm humanam Naturam ipſi deberi, ubi nota Chriſtum nec ſecundum divinam, nec ſecundùm humanam tantùm, ſed ſecundùm utramque Naturam adorandum à nobis ſtatui, ac humanam illam Naturam ſive aſſumtam carnem eſſe ac dici προσκυνητὴν 1. non *per ſe & ex ſe*, ratione eſſentialium proprietatum, quia enim per ſe non ſubſiſtit, ideò etiam per ſe adoranda non eſt. 2. *neq; ex accidente*, ſicut Rege honorato per accidens etiam purpura honoratur, quia enim in λόγῳ non ſubſiſtit ut accidens, ſed pars perſonæ, ideò etiam non eſt ex accidente adoranda 3. neq; propter *habitualem excellentiam ſubjectivè ei inhærentem*, qua Angelis & hominibus eſt ſuperior, quo ſenſu & reſpectu ὑπερδουλείαν illi tribuunt Pōtificii. 4. neq; propterea quod ſit in *divinam Naturam ſubſtantialiter mutata* vel à divina Natura abſorpta, quæ fuit Eutychetis & Suenckfeldii hæreſis. 5. neq; eo ſenſu, quod *peculiarem & diſtinctam à λόγῳ conſtituat perſonam*, quam opinionem in Neſtorio damnavit Concilium Epheſinum anathem. 8. *Si quis audet dicere, aſſumtum hominem coadorari cum Deo Verbo oportere & conglorificari & connuncupari Deum, tanquam alterum cum altero, nam conſyllaba ſuperadjecta hoc cogit intelligi, ac non potiùs unà adoratione, veneratur Emanuelem, eiq; glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum eſt, anathema ſit*, ſed ideò una eademque adoratione Chriſtus Deus & homo adoratur, quia utriuſque Naturæ eſt una & indiviſa ὑπόςασις.

237. Hanc ſententiam noſtram probamus. 1. *ex manifeſtis Scripturæ dictis*. Pſal. 72. v. 11. *adorabunt eum omnes Reges, omnes gentes ſervient illi* (Hunc Pſalmum non de Salomone typico ſed de Salomonis antitypo Chriſto ſcilicet qui *Salomone longè præſtantior* Matth. 12. v. 41. accipiendum eſſe, totus contextus & N. T. allegatio manifeſtum faciunt. Is ſecundùm eam etiam Naturam dicitur adorandus, cujus reſpectu dicitur *deſcendere ſicut pluvia in vellus & ſicut guttæ irrigant terram v. 6.* id eſt, cujus ratione de cœlo deſcendet & ex virgine Maria veram carnem aſſumet & cujus reſpectu *à mari usq; ad mare dicitur dominari* v. 7. ea verò etiam ſecundùm humanam Naturam ipſi competunt. Ergò quoque adoratio) Pſ 97. v. 7. *Adorent eum omnes Angeli* (quæ verba ad Chriſtum θεάνθρωπον ut primogenitum à Patre cœleſti in orbem terræ introductum accommodat autor Epiſtolæ ad Hebr. cap. 1. v. 6. Theophyl. in c. 1. Hebr. *Pater introducit Filium in mundum non aliter quàm in carne*) Pſal. 118. v. 26. *Hoſianna ô Domine, da proſperos ſucceſſus, benedictus qui venit in nomine Domini* (Hac gratulatione, benedictione & invocatione populus Hieroſolymitanus Chriſtum Davidis filium excipit Matth. 21. verſ. 9. Marc. 11. verſ. 9. Luc. 19. v. 38. quod contra Phariſæos ratum ac gratum Chriſtus habet ac defendit. Ergò. Chriſto etiam ut Filio Davidis invocatio ac benedictio competit) Eſa. 11. v. 1. *Egredietur virga de radice Jeſſæ & virgultum de radice ejus aſcendet* v. 2. *& requieſcet ſuper eum Spir. Domini, &c. v. 10. ipſum gentes deprecabuntur* (Ergò Chriſto etiam quatenus eſt virga de radice Jeſſe orta adeoq; verus homo, adorationis cultus debetur. Paul. Rom. 15. v. 12. vaticinium illud Propheticum his allegat verbis. *Erit radix Jeſſe ſcilicet* celebris καὶ ὁ ἀνιςάμενος *& qui exurget regere gentes, in eo gentes ſperabunt*. Ergò in Chriſtum quatenus ut homo ex radice Jeſſe exurget, gentes ſperabunt, eumque invocabunt) Eſa. 45. v. 23. *In meipſo juravi, egredietur de ore meo verbum juſtitiæ, quia mihi curvabitur omne genu & jurabit omnis lingua &c.* (hunc locum Paulus Rom. 14. v. 11. refert ad Chriſtum futurum mundi judicem in die noviſſimo. Jam verò Chriſtus non tantùm ſecundùm divinam ſed etiam ſecundùm humanam Naturam judicium illud adminiſtrabit. E. Addimus etiam ex textu tale argumentum. Secundùm quam Naturam Chriſtus eſt noſtra juſtitia, ſecundùm eandem quoq; omne genu ipſi curvandum, ut oſtendit immediata connexio. *Mihi curvabitur omne genu & jurabit omnis lingua: In Domino mea juſtitia*. Jam v. Chriſtus non ſecundùm divinam tantùm, ſed etiam ſecundùm hum. Nat. eſt noſtra juſtitia. Jer. 23. v. 5. c. 33. v. 15. 1. Corinth. 1. v. 30. Erg.) Dan. 7. v. 13. *aſpiciebam in viſione noctis & ecce cum nubibus cæli quaſi filius hominis veniebat & usq; ad Antiquum dierum pervenit & in conſpectu ejus appropinquare fecerunt eum. v. 14. & dedit ei poteſtatem & honorem & regnum & omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient.* (Secundùm quam Naturam Meſſias eſt filius hominis, venit cum nubibus cœli, accepit in tempore à Patre cœleſti poteſtatem & regnū, ſecundùm eandem etiam religioſè ipſi ſerviendum. Atqui ſecundùm hum. Nat. eſt filius hominis, &c. Erg.) Joel. 2. v. 32. *Qui invocaverit nomen Domini, ſalvus*

erit

erit (hoc ad Chriſtum θεάνθρωπον applicat Paulus Rom.10.verſ.13.) Iohan.5.verſ.22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium καθὼς ſicut honorant Patrem* verſ.27. *& poteſtatem dedit ei etiam faciendi judicium, quia filius hominis eſt* (Secundùm quā Naturam Pater dedit Chriſto omne judicium, id eſt, totam totius mundi & imprimis regni gratiæ gubernationem, ac poteſtatem faciendi judicium, ſecundùm eandem quoque eſt religioſè adorandus & æquali honoris cultu cum Patre afficiendus. Ratio connexionis pendet ex particula ἵνα, quæ exprimit finem, propter quem Pater omne judicium dedit Filio & ex particula καθὼς, quæ æqualitatem honoris arguit. Jam verò Pater dedit Filio omne judicium & poteſtatem faciendi judicium ſecundùm hum. Naturam, ut patet ex προσδιορισμῷ verſ.27. ὅτι *quia filius hominis eſt* & ex particula καὶ in eod. verſ. quæ humanam Chriſti Naturam cum divina indivulſo nexu conjungit. Ergo) Phil.2.verſ.9. *Propter quod & Deus in ſummam ſublimitatem ipſum extulit & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen verſ. 10. ut in nomine Ieſu flectatur omne nomē cœleſtium, terreſtrium & inferorum verſ.11. & omnis lingua confiteatur quia Dominus eſt Ieſus Chriſtus in gloriam Patris* (ſecundùm quam Naturam Chriſtus eſt exinanitus & exaltatus ac nomen ex gratia accepit, quod eſt ſuper omne nomen. ſecundùm eandem etiam omne genu illi flectendum, id eſt, religioſè ab omnibus creaturis eſt adorandus. Sed ſecundùm humanam Naturam eſt exinanitus & exaltatus, &c. Ergo) Apoc.5.verſ.12. *Angeli & viginti quatuor Seniores*, id eſt, tota triumphans Eccleſia dicit. *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt accipere virtutē & divitias & ſapientiam & robur & honorem & gloriam & benedictionem. v.13. Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt & in terra & ſub terra & quæ in mari & omnia quæ ſunt in eis audivi dicentes. Sedenti in throno & Agno, Benedictio & honor & gloria & robur in ſecula ſeculorum, v. 14. & adorarunt viventem in ſecula.* (Secundùm quam Naturam Chriſtus eſt agnus occiſus & in thronum Patris collocatus, ſecundùm eandem etiam ab Eccleſia triumphante adoratur. Jam verò ſecundùm humanam Naturam eſt agnus occiſus, &c. Ergo)

238. 2. Ex *rationibus*. 1. à *perſonali unione*. Quæ Natura unam cum Dei Filio conſtituit perſonam, illi religioſæ adorationis cultus debetur. Aſſumta Natura Chriſti humana unam cum Filio Dei conſtituit perſonam. Ergo. Utraque præmiſſarum deducitur ex cap.1. Hebr. ubi de Chriſto dicitur verſ.4. *tantò præſtantior factus eſt Angelis* (utique ſecundùm humanam Naturam) *quanto excellentius nomen eſt ſortitus* (κεκληρονόμηκεν itidem ſecundùm humanam Naturam) verſ.5. *Cui enim Angelorum dixit Filius meus es tu, &c. v. 6. Rurſum autem cùm introducit primogenitum in orbem terrarum dicit. Et adorent eum omnes Angeli.* Ex quibus evidenter ſequitur Chriſtum propter perſonæ majeſtatem ab Angelis adorandum non ſecundùm divinam tantum ſed etiam ſecundùm humanam Naturam. Qui verò honor Chriſto ab Angelis exhibetur ille multò magis ab hominibus illi exhibendus: Sed honor religioſæ adorationis Chriſto ſecundùm humanam Naturam ab Angelis exhibetur. Hebr.1.verſ.6. Secundùm eam enim Naturam ab Angelis adoratur, juxta quam præſtantius nomen eſt ſortitus. Ergo. (λόγος cum ſua carne eſt ſecunda Trinitatis perſona. Ergo etiam λόγος cum ſua carne eſt adorandus.) Hypoſtaſis λόγου poſt factam incarnationem non eſt divinæ tantùm ſed etiam humanæ Naturæ hypoſtaſis, ac perſona Filii Dei incarnati non ſubſiſtit in una tantum & ex una Natura ſed in duabus & ex duabus Naturis, qui ergo unam tantùm Naturam, præteritâ & excluſâ alterâ colit & adorat, is non colit & adorat integram perſonam, ſed unionem ſolvit. 2. à *majeſtatis & gloriæ divinæ communicatione*. Secundum quam Naturam Chriſto communicata eſt divina majeſtas ac gloria, omnis poteſtas in cœlo ac terra, omniſcientia, omnipræſentia, &c. ſecundùm eandem etiam eſt religioſè colendus & invocandus. Ratio connexionis patet ex Dan.7.verſ.14. *Antiquus dierum Filio hominis dedit poteſtatem & regnum ut omnes tribus & linguæ ipſi ſerviant* & ex eo, quod fundamentum religioſæ invocationis eſt omnipotentia, omniſcientia & omnipræſentia ejus, qui eſt religioſè invocandus. Urſin. in comm. Eſ.2.f.81. *adorationi tribuit inſpectionem cordium, præſentiam in omnibus locis & infinitam potentiam juvandi omnes invocantes.* Junius de invoc. ſanct. fol.1703. oper. *Quicunq; adorandus eſt pio animi affectu, in eo tria ſint oportet, ſcire, velle, poſſe.* Jam verò Chriſto ſecundùm humanam Naturam communicata eſt divina majeſtas ac gloria, omnis poteſtas in cœlo & terra, &c. Ergo. 3. *ab officii adminiſtratione*. Secundùm quam Naturam Chriſtus eſt noſter Mediator, Redemtor, Salvator, noſter Jeſus, Judex vivorum & mortuorum, Rex & Dominus, ſecūdùm eandem etiam eſt religioſè à nobis invocandus. Ratio eſt, quia ſecundùm quam Naturam beneficia ſpiritualia & cœleſtia nobis confert, ſecundùm eandem etiam eſt à nobis invocandus & ſpiritualia beneficia ab ipſo petenda: Et ſecundùm quam Naturam Chriſtus beneficia ſpiritualia & cœleſtia nobis acquiſivit ac promeruit, ſecundùm eandem etiam religioſè à nobis invocandus & diſtributio cœleſtium beneficiorum ab ipſo petenda. Jam verò Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt noſter Mediator, Redemtor, Salvator, &c. Ergo. 4. *ab exaltatione*. Secundùm quam Naturam Chriſtus eſt exaltatus & ad dextram Dei collocatus, ſecundùm eandem etiam eſt religioſè invocandus. Ratio connexionis pendet ex dicto Apoſtolico Phil.2.verſ.9. *ſuperexaltavit eum & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Ieſu flectatur omne genu*, & ex δοξολογία Eccleſiæ triumphantis Apoc.5.v.12. *agnus qui occiſus eſt; dignus eſt accipere virtutem & benedictionem*: Jam verò Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt exaltatus. Ergo. 5. *à Baptiſmi inſtitutione & collatione*. In cujus nomen baptizamur, ille etiam eſt religioſè invocandus. (Ratio petitur ex Act.22. v.16. *Exurge & baptizare & ablue peccata tua invocato nomine Domini.* ex genuina hujus phraſeos εἰς ὄνομα interpretatione tradita in tr. de bapt. §.80. & ex eleganti illo Baſilii in Epiſt.78. *Sicut baptizamur, ita adoramus; ſicut adoramus, ita credimus.*) Jam v. baptizamur in nomen Chriſti etiā ſecundùm humanam Naturam, quia nomen Filii complectitur non ſolùm divinitatem ſed etiam aſſumtam humanitatem, cùm non duplex ſed unus ſit Filius, quia baptizari dicimur *in Chriſti mortem* Roman.6.verſ.4. quia Chriſto poteſtas cœli & terræ, ex qua Baptiſmum inſtituit Matth. 28.v.18. ſecundùm humanam Naturam data, quia

Exegeſis.

Baptiſmi virtus ex merito Chriſti θεανθρώπου pendet, quia baptizari dicimur *in nomine Chriſti* Act. 2 v.38. *& Jeſu* Act.19.v.5. quod utramque Naturam complectitur, &c. Ergo etiam Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt à nobis religioſè invocandus. 6. *ex fidei & invocationis connexione.* In quem credimus & ſperamus, eum etiam religioſè invocamus Rom.10.v.14. Jam verò credimus & ſperamus in Chriſtum θεάνθρωπον non ut Deum tantùm ſed etiam ut hominem Pſal. 2.v.10. *Beati omnes qui confidunt in eo*, Eſa.28.v.16. *Qui credit, non feſtinet*, quod Paulus Rom.10.v.11. ad Chriſtum θεάνθρωπον accommodat. *Omnis qui credit in eum, non confundetur.* Johan.14.v.1. *Creditis in Deum, etiam in me credite.* Ergo.

239. 3. *Ab exemplis.* Chriſtum ut Deum & hominem etiam in ſtatu exinanitionis adorarunt *Magi* Matth.2.v.11. *diſcipuli in navi* Matth.8. v.25. *Petrus* Matth.14.v.30. *Cananæa* Matth. 15.v.22. Marc.7.v.25. *Pater Lunatici* Matth.17. v.15. Marc.9.v.24. *cœci* Matth.20.v.3. Marc.10.v. 47. Joh.9.v.37. *leproſi* Luc.17.v.14. *latro in cruce* Luc. 23.v.43. in ſtatu exaltationis poſt reſurrectionem *diſcipuli* Matth.28.v.17. Luc.24.v.52. *Thomas* Johan.20.v.28. poſt aſcẽſionem in cœlos *Stephanus* Act.7.v.60. *Paulus* in exordiis ſuarum Epiſtolarũ *gratiam, pacem & miſericordiam*, non tantùm *a Deo Patre*, ſed etiam *a Chriſto* Eccleſiis precatur. Calvinus in Conc. Evang. & in comm. ſuper Joh. pleraque exempla hactenus adducta, utpote Magorum, Centurionis, cœci, Joh.9. Thomæ, &c *de civili duntaxat honore* accipit, ſed textus circumſtantiæ, petitionis qualitas & fidei commendatio adoratoribus ejuſmodi à Chriſto tributa teſtantur, religioſam adorationem in illis exemplis deſcribi, id quod multi ex ipſis Calvini aſſeclis agnoſcunt.

240. 4. *Patrum dicta* adduximus in tract. de perſ. Chriſti §.115. quibus hæc addenda. Cyprian. ſerm. de aſc. Chriſti f. 475. *Cœleſtis Angelorum exercitus feſtivis affectibus veneratur hominem ſupra ſe ſublimatum, quem gloria & honore coronaverat Pater & ad dextram ſuam collocavit hoc dato ei privilegio ſingulari, ut in nomine ejus omne genu flecteretur.* Athanaſ. in Epiſt. ad Adelphium contra Arian. p. 133. *Incarnatum Dei Verbum adoramus. Nam etſi caro ipſa per ſe pars ſit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta eſt, neq; iſtiusmodi corpus ſeorſim diſcriminatum a Verbo adoratione proſequimur, neq; Verbum adoraturi, Verbum a carne longè ſeponimus.* Cyrill. de rect. fid. ad Regin. col. 286. & in defenſ. anathem. 8. *Si quis dicat inadorabilem Domini noſtri carnem ut hominis, & non adorandam ut Domini & Dei carnem, hunc anathematizat ſancta & Catholica Eccleſia.* Ambroſius lib.3. de Spiritu ſancto cap.12. f. 149. *Videamus, ne terram illam dicat adorãdam Propheta, quam Dominus Ieſus in carnis aſſumtionem ſuſcepit. Itaq; per ſcabellum terra intelligitur, per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoq; in myſteriis adoramus & quam Apoſtoli in Domino Ieſu adorarunt. Neque enim diviſus eſt Chriſtus.* Ibid. *Certè Angeli adorant non tantum divinitatem Chriſti, ſed & ſcabellum pedum ejus.* Leo ſerm. 8. quadrageſ. *Noli cogitare, quaſi in Chriſto aut ſola ſit humanitas, aut ſola divinitas, ſed utrumq; fideliter credite, fideliter adorate.* Theodoret. in c. 1. Hebr. *Chriſtus ſemper ab Angelis accepit cultum & adorationem, erat n. ſemper Deus, jam vero ipſum etiam adorant ut hominem* Id. *Corpus Dominicum divinâ glorificatum gloriâ a cœleſtib. poteſtatibus adoratur.* Theophylact. in cap.28. Matth. f. 51. *Quia humana Natura prius condemnata, nunc unita Dei verbo perſonaliter in cœlo ſedet & ab Angelis adoratur, merito dicit, data eſt mihi omnis poteſtas.* Oecumen. in cap. 1. Hebr. f. 804. in Gr. μετὰ σαρκὸς προσκυνησάτωσαν οἱ ἄγγελοι τὸν υἱὸν καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ τῷ μετὰ σαρκός. Philip.2. f. 66. εἰς τὸν ἐνανθρωπήσαντα ὄντα καὶ οὐκ εἰς θεότητα ταῦτα δεῖ ἐννοεῖν quod ſcilic. Chriſto tale nomen datum. Beda Phil.2. f. 856. *Donavit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen Chriſto ſecundum hominem, Chriſto ſecundum carnem mortuo, reſurgenti, aſcendenti donavit nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen &c.* Damaſcenus lib.3. cap.8. εἷς ἐστιν ὁ Χριστὸς θεὸς τέλειος καὶ ἄνθρωπος τέλειος, ὃν προσκυνοῦμεν σὺν πατρὶ καὶ πνεύματι μιᾷ προσκυνήσει μετὰ τῆς ἀχράντου σαρκὸς αὐτοῦ οὐκ ἀπροσκύνητον τὴν σάρκα λέγοντες· προσκυνεῖται γὰρ ἐν τῇ μιᾷ τοῦ λόγου ὑποστάσει, ἥτις αὐτῇ ὑπόστασις γέγονεν, οὐ τῷ κτίσει λατρεύοντες· οὐ γὰρ ὡς ψιλὴν σάρκα προσκυνοῦμεν, ἀλλ' ὡς ἡνωμένην θεότητι, καὶ ὡς εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν τοῦ θεοῦ λόγου τῶν δύο αὐτοῦ ἀναγομένων φύσεων. Ib. δέδοικα τὸν ἄνθρακα ἅψασθαι διὰ τὸ τῷ ξύλῳ συνημμένον πῦρ, προσκυνῶ τοῦ Χριστοῦ τὸ συναμφότερον διὰ τὴν τῇ σαρκὶ ἡνωμένην θεότητα. *Vnus eſt Chriſtus & Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum Patre & Spiritu & una adoratione cum immaculata ejus carne. Neque inadorabilem eſſe carnem dicimus, nam adoratur in una verbi hypoſtaſi, quæ & ipſi hypoſtaſis eſt facta. Neque ut creaturam colimus, nam non ut nudam carnem adoramus, ſed continuam divinitati & ut in unam perſonam & in unam hypoſtaſin DEI Verbi duæ ſunt revocatæ Naturæ.* Ibid. *Timeo quidem carbonem propter ignem ligno copulatum, adoro Chriſti* τοῦ Χριστοῦ τὸ συναμφότερον *propter carni conjunctam conunitamque divinitatem.* Confer eundem lib.4. cap.3.

241. 5. Ex *adverſariis* veritati ſuffragium ferre quidam videntur, quamvis poſtea idipſum in peregrinum detorqueant ſenſum. 1. Ex *Pontificiis* Buſæus in Diſp. contra Gerlach. th. 78. ſcribit. *Caro ratione Verbi cui perſonaliter unita eſt, eſt unâ adoratione cũ divinitate adoranda* (Sed poſtea idipſum ſic declarat vel potius pervertit, ſenſum eſſe non quod caro, quatenus λόγῳ perſonaliter unita eſt, ſit religioſæ adorationis objectum, ſed quod *ſit caro ejus qui eſt adorationis objectum*, declarat enim idipſum ſimilitudine à purpura Regis ſumta, quæ honorato Rege ipſa quoque honoratur, non quod ſit honoris objectum, ſed quod ſit purpura ejus, qui honoratur) 2. Ex *Calvinianis Beza* ad quartam Brentiani libri partem de adorat. Chriſti fol. 619. *Profitemur nos planè aſſentiri iis, quæ ex Auguſtino citas. In Chriſto Domino humanitatem non ſolam aut nudam ſed divinitati ſuæ unitam unum Dei Filium, Deum verum & hominem verũ, qui adorare contemſerit, æternam mortis pœnam patietur.* Et paulò pòſt. *Sit ſanè illa caro Dei, non Deus ac proinde adoretur non nuda ſeu per ſe conſiderata, ſed ut ejus caro, qui cum Deus ſit, non adorari totus ſine extremo exitio nõ poteſt.* p. 1. reſp. ad act. Coll. p. 162. *ad ipſam quoque carnem, id eſt, humanitatem Chriſti adorationem & invocationem dirigi, non tamen ſimpliciter ad αὐτὰ τί, id eſt, non quatenus ſimpliciter & in ſe eſt creatura. eſſet enim hæc mera idololatria. ſed quatenus eſt Filii Dei humanitas.* (Quomodo hæc, quæ videntur rectè

dicta,

dicta, aliis in locis pervertat, in antitheſi apparebit) P. Martyr claſſ. 4. loc. com. cap. 10. §. 49. *Carnem Chriſti adorandam eſſe propter conjunctionem, quam habet cum Natura divina minimè inficiamur*, in orat. de morte Chriſti f. 202 *Num adoratio hæc humanitati datur an divinitati? Toti Chriſto, non diſtinguuntur Naturæ, neq; cum adoramus Regem, jubemus ut deponat purpuram, quamvis ratio adorationis ſumatur à divinitate.* in defenſ. de Euch. contra Gardiner. f. 365. *Quid ergo ajunt? carnem Chriſti in myſteriis adorari, hoc nos fieri oportere non negamus.* Zanch. lib. 2. de trib. Eloh. c. 1. p. 28. *Flectitur etiam omne genu homini Chriſto verùm non ſimpliciter, ſed quia* ὑποςατικῶς *unita eſt illa humana Natura cum divina.* Id. in cap. 2. Epiſt. Philipp. f. 128. *Nomen Ieſu nomen eſt unius perſonæ, quæ duabus conſtat Naturis divina & humana. Si ergo ad nomen Ieſu debet omne genu ſe flectere, ſequitur totam perſonam hanc eſſe adorãdam, ideoq; & carnem cum Deitate, idq; una adoratione, ut definivit Concilium Epheſinum & Apoſtolus hic expreſſè aſſerit. Perſonæ enim toti debetur adoratio, nec dividẽda eſt adoratio quia nec dividi poteſt perſona, ſed ſicut una & eadem eſt perſona ſic una & eadem adoratione adoranda eſt. Verum eſt Deitatem per ſe adorari, humanam autem Chriſti carnem non niſi in perſona & propter Deitatem, ſed cùm ad totã perſonam Apoſtolus doceat adorationem eſſe dirigẽdam, non eſt cur ab adoratione Deitatis ſeparetur caro.* Id. de Filii Dei incarnat. lib. 2. f. 199. *Cum Athanaſio, cum Synodo Epheſina, Cyrillo & aliis Patribus ſentimus adorandam eſſe carnem Dei, id eſt, Chriſti, quia pars eſt perſonæ, quatenus aſſumta eſt in unitatem perſonæ.* Franc. Junius in theſibus de perſon. Patris & Filii f. 1631. *Probat ſextò divinitatem λόγου gloria & majeſtas religioſo cultu à nobis colenda (de naturali & eſſentiali loquor, quæ perſonæ eſt ſecundum divinitatem per ſe, ſed ſecundum humanitatem per unionis gratiam)* in diſp. de oratione p. 170. *Referenda eſt oratio religioſa ad Filium tanquam Mediatorem & unicum Interceſſorem noſtrum apud Patrem, idq; non quà homo, aut homo tãtum ſed quà Deus & homo eſt unitate perſonæ duabus Naturis inſeparabiliter unitis.* Urſin. de Sacramentis cap. 5. f. 435. *In omni loco, in quo corporaliter Chriſtum præſentem ſcimus; in eo adorationis honorem ipſi debemus & liberè cum Auguſtino in Pſal. 98. aſſerimus, quod nemo carnem Chriſti manducet, niſi prius adoraverit & non ſolùm non peccemus adorando, ſed etiam peccemus non adorando.* Sohnius tom. 2. oper. in expl. Pſ. 65. p. 231. *Chriſti carnem adorandam eſſe quidam orthodoxi Patres ut Cyrillus contra Neſtorium dixerunt, non ratione eſſentiæ, ſed ratione hypoſtaſeos ſeu ſubſiſtentiæ & quia non alicujus per ſe hominis, ſed Filii Dei caro eſt per unionem hypoſtaticam.* (Qui opera Sohnii edidit, ei hæc placere non potuerunt, ideò in margine annotavit. *Scriptura nuſquam affirmat, carnem Chriſti adorandam eſſe, ſed hominem Chriſtum.*) Hoſpinianus de orig. & progreſſu Form. Cõcord. f. 293. b. *Extra controverſiam eſt apud Orthodoxos totum Chriſtum Deum & hominem una invocatione adorari debere & humanitatem nec poſſe nec debere in adoratione à divinitate ſeparari, propterea quod Dei humanitas & cum Verbo unita ſit, quæ propriè adoratur in humanitate tanquam in templo ſuo, unde Cyrillus eam vocat adorabilem Naturam. Nam propter unionem totus Chriſtus, adeoque cum Verbo etiam caro adoratur.* f. 295. *Nemo negat totum Chriſtum Deum & hominem adorari debere & humanam etiam Naturam hujus adorationis participem eſſe. Cauſa verò hujus honoris vel adorationis hujus eſt ſola unio carnis cum Verbo adorabilis, quæ propriè adoratur.* (At non unio ipſa adoratur, verùm Naturæ unitæ) Bucanus in loco 28. f. 267. *Humana in Chriſto Natura in ſeſe conſiderata adorari non poteſt, cùm ſit creatura, ſed tantùm quatenus perſonæ Filii Dei inſeparabiliter unita eſt, adoratur enim una hypoſtaſis una adoratione cum carne ejus ab omni creatura, ait Damaſcenus.* f. 371. *Chriſtus duplici nomine invocandus, primùm ut Deus autor omnium bonorum ſecundò ut Mediator & interceſſor.*

242. *Antitheſis.* Realem divinorum idiomatum communicationem carni Chriſti factam negant tum *Pontificii* tum *Calviniani* vulpecularum Simſonianarum inſtar caudis invicem hic devincti, licet in aliis doctrinæ partibus capitibus invicem diſſideant. 1. *Pontificii.* Tempore exhibitæ Auguſtanæ Confeſſionis, cùm nondum nati eſſent Jeſuitæ, Pontificii in noſtra de perſona & officio Chriſti doctrina nihil deſiderabant. Sic enim loquuntur Carolus V. Imper. & Principes Romano-Catholici in reſp. ad art. 3. *In tertio articulo nihil eſt, quod offendat, cùm tota Confeſſio cum Symbolo Apoſtolorum & cum certa fidei regula conveniat.* Proteſt. in art. Schmalc. Anno 37. *De his articulis* (de Deo uno & trino & de Filii incarnatione) *nulla eſt inter nos & adverſarios* (Papiſtas) *controverſia, cùm illos utrinque confiteamur.* Neque verò tum temporis ignota fuit Lutheri doctrina de reali idiomatum cõmunicatione & majeſtate Chriſti hominis, quippe quam in publicis ſcriptis contra Carolſtadium & Zuinglium expoſuerit, ac cujus ſumma in illo ipſo articulo 3. repetita extat. Confitentur enim Ecclesię noſtræ in eo; *quod Chriſtus aſcenderit ad cælos, ut ſedeat ad dextram Patris & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis*, ubi obſervatum *denominationem illius Naturæ*, juxta quam Chriſtum ad dextram Dei evectum confitemur, quia ut ſecundùm humanam Naturam in cœlum aſcendit, ita quoque ſecũdum eandem ad dextram Dei ſedet, tum *explicationem ſeſſionis ad dextram Dei*, quod ſit collatio Dominii in omnes creaturas. Verùm progreſſu temporis Jeſuitæ ſecuti exemplum Calvinianorum realem illam divinorum idiomatum communicationem impugnare cœperunt, ſicq; reipsâ teſtatum fecerunt, Luther. in libr. de Conc. & Eccleſ. rectè ſcripſiſſe, *inter Papiſtas, realem tum Naturarum tum idiomatum communicationem in Chriſto negantes, plurimos latere Neſtorianos.* Bellarminus lib. 3. de Chriſto cap. 1. *Lutherani duo docent, ex quibus ſequitur, eos eſſe vel Neſtorianos, vel Eutychianos; vel monſtrum ex utraque hæreſi compoſitum, dicunt enim Chriſti carnem habere attributa divinitatis. Si volunt iſta attributa conjungi eſſentialiter humanitati, ſunt Eutychiani; ſin accidentaliter, ſunt Neſtoriani* (At Bellarmin ipſe cap. 8. ſeq. agnoſcit, dari tertium, videlicet communicari illa attributa *perſonaliter.* Confer Diſput. 2. de glor. Dei §. 12.) In theſibus Jeſuitarum Ingolſtad. Witeberg. à Crypto Calv. cum commendatione Rectoris Anno 64. excuſis theſ. 34. *Idiomata divina neque voce, neque reipſa Naturæ humanæ poſſunt aſcribi.* Eadem inculcarit Buſæus contra Gerlachium, Gregorius de Valentia contra Heerbrandum, &c.

243. 2. *Calviniani.* Apol. Admon. Neoſtad. p.14. *Tertium genus prædicationis* (quod hoc loco ſtatuimus ſecundum, quo divina idiomata de aſſumta Natura prædicantur) *novum & antehac inauditum nihil aliud eſt quàm monſtrum partim ex Eutychetis delirio partim ex Neſtorij blaſphemia, Monophyſitarum & Monotheletarum ſomniis conflatum, feneſtram ad Arianiſmum & alios errores aperiens.* Idem repetunt Theologi Saxonici Crypto Calviniani in Synodo Dreſdenſi Anno 71. quorum verba adduximus tract. de perſ. Chriſti §. 124. Beza in Coll. Momp. p. 262. *Nulla poteſt eſſe communicatio omnipotentiæ & propriorum ejus, in Natura humana, niſi id divinitatem mutetur.* p. 265. *Fatemur nos quoq; ſumma dona Deitatis, quæ in creaturam cadere poſſunt & quorum capax eſt Natura humana, in humanitatem Chriſti collata eſſe, ſed hæc dona non ſunt proprietates Deitatis, quæ incommunicabiles ſunt, ſed habitualia dona creata, quæ Natura humana in ſe habet, quib. omnes creaturas ſuperat.* part. 1. reſp. ad Colloq. p. 93. *Liquet nihil verè dici de humanitate poſſe, niſi quod vel ipſa eſt eſſentialiter vel quod accidentaliter & ſubjectivè ipſi inſit* (ex hac hypotheſi promptè infertur unionis perſonalis ſolutio, quia ἐνύπαρξις τοῦ λόγου nec eſſentialiter, nec accidentaliter carni competit) Dan. in exam. contra Chemn. p. 294. *Nullum eſſentiale idioma λόγου eſt ulli rei creatæ realiter κοινωνητὸν, id eſt, communicabile & participabile, niſi eſſentiam quoq; ipſam divinam eſſe reipſa communicabilem & participabilem a carne aſſumta blaſphemè dixerimus.* Bucanus loc. 2. p. 16. inter hæreticos numerat *Vbiquitarios, qui humanitati Chriſti tribuant propria eſſentialia divinitatis, parum memores dicti: Tollens proprietates, tollit Naturam, &c.* Confer diſp. 7. de glor. Dei §. 26. & 27. ubi plura in hanc ſententiam ex Calvinianis adduximus.

244. *In ſpecie* negant Chriſto homini communicatam eſſe 1. *omnipotentiam*, tum *Pontificij.* Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 16. *Potentia collata Chriſti humanitati in omnes creaturas non eſt abſolute omnipotentia, nam ſolùm verbis illis, omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, Pater omnia dedit ei in manus, &c. ſignificatur omnibus creaturis Chriſti humanitatem præeſſe & jus habere in omnes.* Greg. de Valent in deſtruct. Labyrinth. pag 56. *Chriſto communicata eſt ſaltem potentia non omnipotentia;* tum *Calviniani*, Coll. Mompelg. p. 279. *Omnis poteſtas, de qua loquitur Chriſtus Matth. 28. non eſt intelligenda de omnipotentia Dei, ſed tantum de dominio Chriſti, quod ei ſecundum humanitatem poſt exaltationem ad dextram Dei datum eſt. Nam omnis hæc poteſtas diverſa prorſus eſt ab eo, quæ eſt in Deo eſſentialis & abſolutè conſideratur.* Tilen. in notis ad l. 1. Bell. de Chriſto c. 8. *Non de omnipotentia, ſed de ἐξουσίᾳ, ſive facultate loquitur Chriſtus, neque Chriſtus qua homo omnipotentiæ capax ſtatui poteſt, quin proprietates Naturarum cõfundantur, & quod ſoli divinæ competit, in humanam trãsfundatur, quæ Eutychianorum veterum & novorum eſt amentia.* Similia occurrunt apud Danæum contra Chemn. p. 363. Piſcat. volum. 2. Diſp. p. 11. Toſſanum in notis Bibl Germ Matth. 28 v. 19. quorum verba adduximus Diſp. 7. de glor. Dei §. 30. 2. *Omniſcientiam.* Coll. Momp. p. 310. Adm. Neoſtad. p. 23. Bucan loc. 38. q 7. Verba adduximus d. Diſp. §. 23. Nahum in Conc. Evang. 1. poſt Epiph. urget argumentum, quod *Chriſtus dicatur creviſſe ſapientia.* 3. *Vim vivificandi.* Coll. Momp. p. 338. *Vis vivificandi ita eſt Deitatis propria, ut neq; carni Chriſti, neq; ulli creaturæ communicari poſſit, niſi in divinitatem convertatur.* Dan. contra Chemn. p. 118. *Ad opera divina vivificationis, ſanationis, &c. non plus contulit caro Chriſti, quam ad edita ab Apoſtolis miracula caro Apoſtolorum aut virga Moſis ad edenda miracula Moſi profuit.* Confer p. 285. 305. Martin. contr. Mentz. 4. *Poteſtatem faciendi judicium.* Bellarmin. lib. 3. de Chriſto cap. 16. *dictum Chriſti* Joh. 5. *Pater dedit ei poteſtatem faciendi judicium, quia filius hominis eſt, poteſt intelligi eo ſenſu, ut agatur de poteſtate judicandi, non quomodocunq; ſed exterius & ſenſibiliter.* Adm. Neoſtad. p. 23. Bucan. loc. 38. q. 5. Verba adduximus d. Diſp. §. 34. 5. *Omnipræſens dominium. Ex Pontificiis* Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 11. *Vbiquitas repugnat expreſſis Scripturis, quæ dicunt, Chriſtum hominem ratione humanitatis alicubi nõ fuiſſe* cap. 12. *pugnat Vbiquitas cum articulis Symboli de Chriſti conceptione, nativitate, morte, ſepultura, deſcenſu ad inferos, reſurrectione, aſcenſione & deſcenſu ad judicium.* cap. 13. *pugnat Vbiquitas cum Sacramento Euchariſtiæ.* Idem docent Jeſuitæ reliqui & omnes *Calviniani.* Beza in Colloq. Mompelg. pag. 33. Petrus Martyr. in Dial. contra Brent. f. 6. cõtra Steph. Gardinerum object. 2. Palatinus Kednadon Dial. de perſ. union. pag. 96. *Nulla vi ne quidem divinâ fieri poſſe ſtatuunt, ut Chriſti corpus ſit in pluribus locis ſimul ac ſemel præſens.* Conf. d. Diſp. §. 37. 6. *poteſtatẽ θαυματουργικὴν.* Adm. Neoſt. p. 23. Danæus cõtra Chem. p. 157. Verba adducta ſunt d. Diſp. §. 35. 7. *poteſtatẽ mundandi à peccatis.* Bell. 3. de Chriſto cap. 16. *Chriſtus ut homo remittebat peccata ut inſtrumentum divinitatis, quod non requirit infinitam virtutem.* Dan. contra Chemn. p. 371. *ipſe ſanguis Chriſti non condonat nobis peccata.* 8. *poteſtatem reſuſcitandi mortuos.* Coll. Momp. p. 277. *Reſuſcitatio mortuorum eſt opus ſolius divinitatis, quod humanitas tribui nequit.*

245. *Deniq; religioſa adorationis cultum* Chriſto homini derogant. 1. *Pontificij.* Tannerus in 2. 2 Thom. Diſp. 4. §. 27. *Ex fide conſtat Chriſtum hominem, cùm ſimul & Deus ſit, eâdem adoratione, qua Deus adoratur, adeoq; perfectiſſima latria adorandum eſſe. De Chriſto ut homine, adeoq; humanitate ipſa difficultas eſt. Et negare videntur aliqui, Alenſis, Biel, Paludanus, Cordula apud Vaſquez lib. 1. num. 26. eam poſſe perfecta latria adoratione coli, quâ Verbum incarnatum colitur. Alij ut Vaſquez d. 4. c. 4. citans Bonavent. VValdenſ. Cathar. Sanct. Clichtov. hac ſola adorari decenter cenſent. Sed in medio videtur conſiſtere veritas. Etenim certum eſt Chriſtum ut hominem, ſi vocula & non reduplicativè ſed ſpecificativè accipiatur, adeoq; humanitatem Chriſti ſimul cum Verbo eadem adoratione latriæ rectè ſimul coli & adorari, quod quidam de fide cenſent, ſed diverſa ratione. Quia Verbum eſt adorationis ſeu latriæ objectum per ſe, abſolutum & primarium intrinſecè continens rationem adorandi, at verò humanitas tantùm eſt objectum adorationis materiale & quidem ſecundarium tantum & quaſi reſpectivum, hoc eſt, quod propter excellẽtiam non propriam ſibi, ſed quaſi alienã ita colitur* (Hæc videri poterant ſana & orthodoxa, ſed notandum, quod humanitatem adorationis objectum *tantum per accidens* ſtatuunt, dicunt enim *carnem adorari* cum λόγῳ *eo modo, quo purpura honorato*

Rege

Rege per accidens honoratur, unde ſubjicit Tannerus §.28.) *Quocirca Durandus etiam dixit* 3. ſent. diſt. 9. *Chriſtum per ſe adorari latriâ, humanitatem, ejus per accidens. Quem modum loquendi licet ut ſingularem & vitandum non nemo reprehẽdat Suarez. tom. 1.* Diſput. 53. ſect. 2. *quod eo ſignificetur, humanitatem Verbo tantum per accidens junctam, volens potiùs dicendum adorari per ſe non primò, ſed ſecundo, quidam tamen Vaſquez, ſcilicet* lib. 1. verſ. 76. *ut probum defendit. Sed melius & ſecurius alij dixerunt, Thom. Bonav. Richard. 3.* Diſt. 9. *ita ex conſequenti adorari, nec malè quidam, ita coli per aliud. Exemplum habemus in corpore quod cum perſona qualibet rectè ſimul colitur, etiamſi excellentia propter quam colitur, ſit in anima, non in corpore.* (Hoc exemplum propiùs ad rem accedit, quàm illud alterum quo communiter utuntur de *Regis purpurâ* per accidens unà cum Rege honorata, interim tamen notandum, unionem animæ & corporis eſſe eſſentialem & ſeparabilem, quia in morte anima a corpore ſeparatur, unionem verò λόγου & carnis perſonalem & inſeparabilem, adeoque arctiorem, proinde nec hoc exemplum eſſe omnibus modis ſimile) Pergit Tannerus n. 29. *Interim fatendum quoque ex communi Chriſtum præcisè ut hominem, adeoq́; etiam humanitatem ipſius ſecundùm ſe nude ſpectatam rectè nihilominus ſubinde coli poſſe (paſſim enim ita coli nec decet, nec expedit) inferiori aliquo cultu, quem communiter hyperduliam vocant, in quo ratio colendi ſit dignitas ejus & excellentia creata, nempe vel ipſa gratia unionis, quo caſu à quibusdam hic cultus etiam vocatur latria quadam imperfecta & ſecundùm quid ac probabiliter ab ipſa virtute religionis procedit, vel gratia habitualis & ſanctitas creata animæ ejus inhærens, quo caſu propriè etiam hyperdulia vocatur, ac juxta veriorem habitu non differt à dulia cæteris ſanctis delata.* §. 30. *Ratio hujus ſententiæ eſt. Quia Chriſtus etiam ut ſic ſpectatus egregiam quandam & inſignem habet excellentiam adeoque dignus eſt aliquo cultu, non autem perfecta latria, ut quæ nulli rei tribui poteſt, niſi propria & immediata ratio colendi ſit excellentia increata, quæ hîc non eſt.* (Chriſti humanitas ut poſt factam unionem non ſubſiſtit ſeorſim & ſeparatim, ſed in λόγῳ à quo eſt aſſumta, ita quoque non poteſt nec debet ſeorſim & ſeparatim vel religioſâ latriâ, vel hyperdulia coli, unde Conc. Epheſin. anath. 8. & Conc. 5. Conſtant. collat. 8. can. 9. Neſtorianam hæreſin eſſe ſtatuunt *carnem cũ Verbo coadorare & cõglorificare*, quia ex eo perſonæ ſolutio ſequitur. Regerit quidem Tannerus, *haſce Conciliorum definitiones oppoſitas eſſe duntaxat Neſtorianis, non autem illis, qui cum unam Chriſti adorationem ex parte perſonæ tanquam termini completi & totalis agnoſcant, adorationem Chriſti ſolùm duplicant ſecundùm duplicem adorãdi rationem, vel in ordine ad duos terminos incompletos, aut unum completum & alterum incompletum.* Sed hæc continent manifeſtam petitionem principii. De eo ipſo enim quæritur, an Chriſti adorationem quocunque modo ac reſpectu duplicare liceat. Concilia & Patres illud negant, quia ex duplici adoratione perſonæ διττότης infertur, unde ipſe Tannerus fatetur, nec *decere nec expedire, ut humanitas Chriſti ſecundùm ſe ſpectata paſſim ita colatur*, nimirum quia cum præſentiſſimo Neſtorianæ divulſionis periculo hoc ipſum vidit eſſe conjunctum.)

Exegeſis

246. 2. Calviniani. Dan. contra Chemnit: p. 417. Beza vol. 2. oper. Apol. 3. ad Selnecc. pag. 462. Herb. inciſ. 86. Spin. p. 171. Pelarg. in comp: correct. p. 372. Verba adducta vid. d. Diſp. §. 38. Paræus in meth. controv. Ubiq. p. 30. *Unâ adoratione Chriſtum adoramus non reſpectu & gradu, ſed numero.* in Iren. p. 144. *Ut fide, ſic adoratione Naturas in Chriſto ſecundùm Scripturas diſcernimus.* Matth. Martin in notis ad Method. p. 445. *qui ſic carnem Chriſti ut Deitatem in nomine adorabit, eã faciet Deitatem à qua blaſphemia ipſa caro Chriſti quam maximè abhorret.* Ubi nota contra ſpecioſos quorundam Calvinianorum prætextus, quod ſublatâ reali omnipotentiæ, omniſcientię & omnipræſentis dominii communicatione carni Chriſti facta non poſſit religioſæ adorationis cultus Chriſto homini deferri, cùm illa hujus ſit fundamentum.

247. Argumenta adverſariorum generalia ducuntur. 1. *à diſerta communicationis negatione. Deus expreſſè teſtatur ſe gloriam ſuam alteri nõ daturum.* Eſa. 42. v. 8. cap. 48. v. 11. *Ergo Chriſto ſecundùm humanam Naturam nõ ſunt data dona divina & infinita.* Reſp. non dat gloriam ſuam alteri extra ſe & ſuam divinam Naturam exiſtenti; Vide plenam hujus reſp. explicationem Diſput. 9. de glor. Dei §. 1.

248. 2. *à divinorum idiomatum multiplicatione. Si divina omnipotentia, omniſcientia, poteſtas vivificandi, &c. humanæ Chriſti Naturæ dicuntur communicata, duæ omnipotentiæ, duæ omniſcientiæ, duæ virtutes vivificandi ſtatuuntur.* Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 10. *ex communicatione idiomatum ſequitur, duo eſſe in mundo omnipotentia, immenſa & infinita, nimirum Deitatem & humanitatem Chriſti.* Reſp. ex phyſica tranſfuſione & ſubjectiva inhæſione, non ex perſonali communicatione ejuſmodi multiplicatio inferri poteſt: Vide d. Diſp. §. 2.

249. 3. *à fundamentorum Deitatis ſubverſione. Qui aſſumtæ Chriſti carni divina & infinita dona realiter communicata ſtatuit, fundamenta, quibus Deitas Chriſti contra Photinianos & Arianos probatur, ſubvertit.* Reſp. per inverſionẽ. Doctrina de reali idiomatum communicatione veram & æternam Chriſti divinitatem potiùs præſupponit & palmarium Arianorum argumentum contra Deitatem Chriſti directum ſolidè refellit; ut oſtendit Diſp. 2. de fund. conſol. §. 139. & d. Diſput. §. 13.

250. 4. *à vera humanitatis everſione. Per hypotheſin de idiomatum divinorum communicatione carni facta vera Chriſti humanitas convellitur.* Reſpond. aliud eſt phyſica & eſſentialis divinorum idiomatum in Naturam humanam transfuſio & eſſentialium humanæ Naturæ proprietatum abolitio; aliud verò perſonalis divinorum idiomatum communicatio. Illam repudiamus, hanc amplectimur. Vid. Diſput. 4. de fund. conſol. §. 34. & ſeqq: Diſp. 9. de gl. Dei §. 19.

251. 5. *Ab immenſitatis introductione. Si humanitas Chriſti eſt realiter omnipotens, omnipræſens, &c. erit etiam infinita & immenſa.* Reſp. Ut humana Natura ſalvâ eſſentiæ ſuæ finitate potuit in infinitam *λόγου ὑπόστασιν* evehi & infinitæ hypoſtaſeos particeps reddi: ſic per unionem perſonalem & exaltationem ad DEI dextram ſalvâ eãdem eſſentiæ ſuæ finitate idiomatum divinorum particeps fieri potuit. Vide d. Diſp. 9. §. 17.

252. 6. *Ab unionis perſonalis labefactatione. Si attributa divinitatis carni tribuuntur eſſentialiter, introducitur Eutychianiſmus; ſi accidentaliter, Neſtorianiſmus, utrobiq; perſonalis unio labefactatur.* Reſp. nec *eſſentialiter*, nec *accidentaliter* aſſumtæ carni ea communicata dicimus. Vide d. Diſp. 9. §. 18. It. Diſput. 2. de glor. Dei. §. 12. ubi ex ipſo Bellarmino oſtendimus, tertium neceſſariò dandum, quod ipſum ex articulo de Trinitate probari poteſt. τὸ *gignere* de Patre, τὸ *naſci* de Filio, τὸ *procedere* de Spiritu S. nec eſſentialiter nec accidentaliter prædicatur, non illud, quia eſſet omnibus perſonis commune, non hoc, quia in Deum non cadit accidens. Ergò perſonaliter.

253. 7. *A finitis conditione. Finitum non eſt capax infiniti. Caro eſt finita, idiomata divina infinita. Ergo caro aſſumta illorum capax eſſe nequit.* Reſp. triplex eſt capacitas. 1. *Unionis*, quâ unum cum altero quoquo modo unitur & ei conjungitur vel conjungi poteſt. 2. *Cognitionis*, quâ potentia cognoſcens aliud cognoſcit & cognoſcendo recipit. Eaq; eſt vel *adæquata*, quâ omne quod ad eſſentiam rei pertinet, adæquatè intelligendo comprehenditur, vel *inadæquata* ſeu imperfecta, quâ quocunq; modo aliquid cognoſcitur. 3. *Comprehenſionis phyſica ſeu quantitativa*, quâ quantum a quanto comprehenditur, ut dolium à vino. Finitum nō eſt capax infiniti, quod actu tale, capacitate phyſicæ comprehenſionis ſeu quantitativa nec capacitate cognitionis adæquatæ, interim finitum eſt capax infiniti capacitate inadæquatæ cognitionis, quia intellectus humanus & Angelicus & finitus Deum infinitum cognoſcit & capacitate unionis. 1. quia Deus infinitus omnibus creaturis finitis præſens eſt per potentiam, fidelibus per gratiam, quæ præſentia ſine quadam unione & participatione locum habere nequit. 2. quia aſſumta caro finita infinitæ hypoſtaſeos τοῦ λόγου per unionem perſonalem particeps eſt facta, quod myſterium Irenæus his verbis deſcribit. lib. 3. c. 18. p. 203. *Filius Dei factus eſt hominis Filius, &c. portante homine & capiente & complectente Filium Dei.* lib. 4. cap. 75. p. 310. *Conſuetum eſt homini Verbum Dei & ſic capax effectus, quemadmodum homo illum capere potuit.* 3. quia tota plenitudo Deitatis, quæ certè non eſt finitum quid, ſed infinitum, in Chriſto corporaliter ſive in Chriſti corpore finito dicitur habitare, quæ inhabitatio capacitatem quandam unionis propriam includit. Vid. tract. de perſona Chriſti §. 128.

254. 8. *A negata propriorum communicatione. Propria non poſſunt communicari. Sed idiomata divina ſunt λόγου maximè propria.* Ergò. Bell. lib. 3. de Chriſto cap. 50. *Si communicantur, ergo non ſunt amplius proprietates, ſed communitates.* Reſp. Si ἀποτόμως abſolutè ac ſimpliciter negatur propriorum communicatio, neganda erit ipſa unio. Sic enim concludimus. Negata hypoſtaſeos communicatione, neganda eſt perſonalis unio, quia formale unionis conſiſtit in hypoſtaſeos cōmunicatione, ut ſuperius oſtendimus. Jam verò abſolutè & ſimpliciter omni propriorum communicatione negatâ, neganda eſt hypoſtaſeos cōmunicatio. Ratio eſt quia hypoſtaſis τοῦ λόγου Filio Dei eſt maximè propria, atque adeò quidem propria, ut nihil magis proprium illi dici poſſit, quia per eam in ſimpliciſſima divinæ eſſentiæ unitate à Patre & Filio diſtinguitur. Ergo negatâ abſolutè & ſimpliciter omni propriorum communicatione, neganda eſt perſonalis unio. Quinimò dari quandam propriorum communicationem teſtatur exempla *corporis animati* & *ferri igniti*, quia corpus vitam, ſenſum & motum, ab anima, ferrum ignitum vim lucendi & urendi ab igne participat. Scal. exerc. 12. ſect. 3. de qua communicatione κατὰ συνδύασιν. Ariſtotel. 2. de part. animal. cap. 2. ſic loquitur. ὁ μὲν γὰρ ποτὲ τυγχάνει ὂν τὸ ὑποκείμενον οὐ θερμόν, συνδυαζόμενον δὲ θερμόν. Ad eam Philoſophi tria dicunt requiri, primò ut ſubjectum proprii cui tanquam πρώτως δεκτικῷ inhæret cum alio cui communicatur, aliquo unionis modo uniatur, ſecundò ut alterum unitorum agere, alterum pati ſive recipere aptum natum ſit, tertiò ut communicatio illa fiat συνδυάσει, quæ omnia κατ' ἀναλογίαν ad perſonalem communicationem applicari poſſunt. Conſiderantur propria vel ἐνυπαρκτικῶς καὶ πρώτως *ſecundùm inhæſionem propriam* & ſic uni ſolum inſunt ſubjecto, vel συνδυαστικῶς καὶ δευτέρως *ſecundùm uſurpationem & denominationem communem* & ſic alteri communicantur. Vid. Havenreut. in theorem. Regium in prob. Log. de accid. D. Cramer. in org. de prædic. D. Schrod. in lib. de comm propr. D. Mentzerum contra Martin. pag. 290. 366. 552.

255. 9. *A negata idiomatum divinorum inhæſione. Dici de aliquo requirit ineſſe. At divina idiomata non inſunt carni Chriſti ſubjectivè.* Ergo. Reſp. terminus *ineſſendi* in axiomate illo Philoſophico accipiendus eſt non ſtrictè & ſpecialiter pro *ſubjectiva inhæſione* aliàs enim veritatem ſuam tueri non poſſet, ſed latè & generaliter pro quacunq; *attributione*. Quòd ſi enim τὸ ineſſe accipere velimus ſtrictè, pro ſubjectiva duntaxat inhæſione, multis involveremur difficultatibus. Actio dicitur de agente, interim actio tranſiens non ineſt agenti ſubjectivè. De ente dicitur, quod ſit verum, bonum, Omnipotentia, omniſapientia dicitur de Deo nec tamen ineſt illi ſubjectivè. Creatio prædicatur de Deo, nec tamen ſubjectivè ei inhæret. Philoſophus 4. Phyſ. cap. 3. *octo ineſſendi modos* recenſet. Primus eſt, quo pars eſt in toto. 2. quo totum eſt in partibus. 3. ſpecies in genere. 4. genus in ſpeciebus. 5. accidens in ſubjecto. 6. principiata in principiis. 7. ſubordinata in ſuo fine. 8. locatum in loco. Interpretes addunt. 9. quo forma eſt in materia & 10. res in tempore. Sed nullus iſtorum modorum in regula illa intelligitur, cùm multa dicuntur de aliis, quibus tamen nullo è dictis modo inſunt. Generaliſſimus ergo intelligendus eſt ineſſendi modus, qui nihil aliud notat, quàm rei veritatem, quando ſcil. intellectus componit, prout res ipſa requirit. *Dici de aliquo requirit ineſſe*, id eſt, veritas prædicationis fundamentum habet in reipſa, nec poteſt verè alicui aliquid in prædicatione attribui, niſi res per prædicatum expreſſa ſubjecto verè competat, adeoq; rerum unionem in componendo mens ſequi debet. Quibus probè obſervatis facilè apparet, quòd minor in argumento ſit limitanda. Divina idiomata non inſunt carni per *ſubjectivam inhæſionem*, interim tamen inſunt, id eſt, verè illi competunt per *perſonalem communicationem*, diſtinguendum enim inter *ſubjectum prædicationis & inhæſionis*. Subjectum inhæſionis eſt etiam ſubjectum prædicationis, ſed non vice verſa ſubjectum prædicationis ſtatim eſt ſubjectum inhæſionis.

256. 10. *A ſufficiente enumeratione. Si divina idiomata eſſent carni communicata, aut omnia aut*

qua-

quadam eſſent communicata. Nō omnia, quia hum. Natura non eſt infinita, æterna, immenſa. Nec quadam, quia idiomata divina realiter ſunt ταυτὸν τι nec poſſunt invicem realiter ſeparari. Ergo nulla ſunt communicata. Sadeēl in vol. oper. Theolog. f. 154. b. *Si realiter communicantur proprietates. Ergo omnes, quia Deitatis proprietates ſunt realiter indiviſibiles & inſeparabiles.* Grab. in refut. libr. D. Hunn. de perſ. Chriſti p. 115. in not. ad q. 88. *Eſſentia divina ita ut Deitatis plenitudo ſeu idiomata à Dei eſſentia ſeparari non poſſunt. Quare optima conſequentia eſt, ſi humanitas Chriſti realiter eſt omnipotens, eadem eſt æterna, vel non eſt æterna. Ergo etiam realiter non eſt omnipotens.* Idem repetit liber Badenſis p. 110. Reſp. 1. concluſio hujus argumenti repugnat diſertis Scripturæ dictis, quæ de datis in tempore loquuntur. Ergo in Eccleſia non eſt audienda. Quinimò eſt concluſio hæretica, Samoſateniana ſcil. Samoſatenus enim docuit τὰς δύο φύσεις παντάπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι. Ergo audiri non debet. 2. Structura hujus argumenti unicè nititur hoc fundamento, *quod eorum, quæ ſunt realiter unum, communicato uno neceſſario etiam communicetur alterum.* At hęc propoſitio in divinis myſteriis multas patitur ἐνστάσεις. Hypoſtaſis & eſſentia in Deo Patre ſunt realiter unum, interim Pater per æternam generationem Filio communicavit ſuam eſſentiam, non autem hypoſtaſin. Hypoſtaſis, eſſentia & attributa λόγου æternitas ſc. infinitas ſunt realiter unum & tamen λόγος ὑπόστασιν ſuam infinitam & æternam communicando aſſumtæ carni, eandem non reddidit infinitam & æternam. Hypoſtaſis & perſonalis proprietas in λόγῳ ſunt realiter unum, & tamen propter λόγου ὑπόστασιν carni communicatam caro non poteſt nec debet dici ab æterno à Patre genita, quæ perſonalis eſt λόγου proprietas. Confer orat. Appendicis loco tract. de perſ. Chriſti tom. 1. Loc. ſubjectam. 3. In ipſa Natura occurrunt exempla, quæ Univerſalitatem hujus pronũciati infringere poſſunt. Anima eſt ὅλη ἐν ὅλῳ & ἀδιαίρετος nec à ſuis potentiis realiter differt, interim tamen corpori communicat vim ſentiendi, movendi, non autem ſpiritualitatem, immortalitatem, &c. Ignis ferro communicat vim urendi & lucendi, non autem levitatem. 4. Diſtinguimus ergo inter communicationem immediatam ac mediatam. Tota plenitudo Deitatis habitat in aſſumta carne, Col. 2. v. 9. quæ inhabitatio non poteſt eſſe abſq; communicatione. Jam verò tota plenitudo Deitatis ambitu ſuo complectitur omnia divina idiomata. Proinde ut tota plenitudo Deitatis τοῦ λόγου eſt carni communicata, ita quoq; omnia idiomata τοῦ λόγου eidem communicata ſunt dicenda, ſi non immediatè, tamen mediatè. Sic infinitas, æternitas, immenſitas τοῦ λόγου non eſt immediatè carni communicata, quia per inhabitationem totius plenitudinis τοῦ λόγου & per unionem perſonalem λόγου infiniti & immenſi caro non eſt facta infinita, immenſa & æterna; aliàs Deus ageret, quæ veritati Naturæ ſuæ repugnant, communicaret enim aliquid ei quod nondum eſt, cùm hum. Chriſti Nat. non fuerit ab æterno, ſed cœperit in tempore, in primo ſcilicet incarnationis momento; ac veritas humanæ Naturæ everteretur, quia infinitas, immenſitas, æternitas, ſpiritualitas, finitati & corporeitati (ut ſic loquar) humanæ Naturæ contradictoriè opponuntur: interim tamen mediatè etiam hæc idiomata carni aſſumtæ ſunt communicata, quia hypoſtaſis τοῦ λόγου carni communicata eſt infinita & æterna; omnipotentia carni communicata eſt infinita & æterna, &c. 5. *Immediata communicatio parit immediatam prædicationem, mediata communicatio mediatam*, non autem immediata, i. e. quia æternitas, infinitas & immenſitas non immediatè ſed mediatè carni communicata ſunt, ideò non poſſum immediatè de carne Chriſti eadem prædicare, ut dicam, Caro Chriſti eſt æterna, immenſa & infinita, ſed duntaxat mediatè, ut dicam, Caro Chriſti hypoſtaſin infinitam eſt ſortita, Humana Chriſti Natura æternæ & immenſæ omnipotentiæ particeps eſt facta. 6. Fundamentum hujus diſtinctionis cōſiſtit in diſtinctione divinorum attributorum, quam tradit Athanaſius in ſerm. de ſanctiſſ. Deipara & amplectuntur Zanchius, Sohnius atque alii ex Calvinianis inter proprietates *primi & ſecundi generis* ſive inter attributa Dei ἀνενέργητα καὶ ἐνεργητικά; *Primi generis* attributa ſunt, quæ in eſſentia ac Natura divina ita verſantur & conſiderantur, ut per operationes exterius ſeſe non exerant. *Secundi generis* attributa ſunt, quibus Natura divina ceu actibus ſubſtantialibus & energeticis conſtat, quæque per operationes ſe exerunt erga creaturas. Quamvis enim attributa καθ' αὑτὰ intra ipſum divinitatis complexum conſiderata nihil aliud ſint quàm ſimpliciſſima Dei eſſentia, quâ ratione nec ab eſſentia Dei nec à ſe invicem diſtinguuntur: tamen ſi πρὸς ἔξω & ratione ἐνεργείας conſiderentur, invicem à ſe diſtinguuntur, alia enim opera tribuuntur divinæ omnipotentiæ, alia juſtitiæ, alia miſericordiæ. 7. Quæcunq; ergo proprietates divinæ Naturæ ita ſunt carni communicatæ, ut eas non tantùm per unionem perſonalem in ipſa τοῦ λόγου ὑποστάσει poſſideat, ſed etiam ὁ λόγος per operationem eas in carne exerat, illæ etiam ita ſunt communicatæ, ut de carne aſſumta immediatè prædicentur. V. g. omnipotentia τοῦ λόγου ita eſt aſſumtę carni communicata, ut eam Natura aſſumta non tantùm in perſona τοῦ λόγου poſſideat, ſed etiam ut ὁ λόγος omnipotentiæ opera per carnem exerat in omnipræſente cœli ac terræ dominio, in miraculorum operatione, in mortuorum reſuſcitatione, &c. Ergo etiam omnipotentia immediatè de aſſumta Natura prædicatur, ut poſſim dicere. Chriſtus ſecundùm hum. Nat. eſt omnipotens. Quæcunq; v. proprietates ita ſunt communicatæ, ut caro eas in perſona τοῦ λόγου poſſideat, non autem per operationem exerat, illæ non prædicantur immediatè de aſſumta Natura V. g. infinitas τοῦ λόγου non exerit ſe per aſſumtam carnem, ergo etiam infinitatem non poſſum immediatè de aſſumta carne prædicare. Cauſa, quod aſſumta caro omnes divinæ Naturæ proprietates in perſona τοῦ λόγου ſibi communicatas habeat, & tamen non omnes & ſingulæ de aſſumta carne immediatè prædicentur, non eſt quod κατ' εἴσω conſideratæ realiter invicem diſtinguantur vel à ſe invicem ſeparentur, ſed quod κατ' ἔξω conſideratæ in operatione ſeſe non omnes exerant. (Regerit Bellarm. 3. de Chriſto cap. 10. *Etiamſi omnia Deitas per humanitatem ageret & attributa omnia in actione conſiſterent, adhuc non poſſet dici humanitas omnipotens, &c. nec enim epitheta cauſæ principalis conveniunt inſtrumento, alioqui cùm quis doctè & ſapienter ſcriberet, calamus doctus & ſapiens diceretur.* Reſp. diſt. inter inſtrumentum *ſeparatum* & ἄεργον, ac inter inſtrumentum *unitum* & σύνεργον. Calamus eſt inſtrumentum ſcribentis

ſeparatum, caro verò eſt inſtrumentum λόγου perſonaliter ei unitum.) 8. Scriptura nos deducit ad finem incarnationis & ex eo de idiomatum divinorum communicatione judicandum eſſe docet. Filius Dei ideò aſſumſit humanam Naturam, ut in ea & cum ea officium Mediationis, redemtionis ac ſalvationis exequeretur, illa igitur idiomata divina aſſumtæ carni communicavit, quorum uſus erat in officio Mediationis, redemtionis ac ſalvationis, qualia ſunt, omnipotentia, omniſcientia, virtus vivificandi, omnipræſens cœli ac terræ dominium, poteſtas faciendi judicium, vis mundandi à peccatis, &c. hæc enim omnia ad officii Prophetici, Sacerdotalis & Regii adminiſtrationem requirebantur, ſed æternitas, infinitas & immenſitas in operibus officii exequendis ſeſe non exerũt, ac horum attributorum uſus per ſe ac ſeorſim non ſpectatur in adminiſtratione illius officii; dico *per ſe & ſeorſim*, quia nihilominus verùm manet, potentiam illam quæ in operibus officii agit, eſſe infinitam, immenſam & æternam, ſicque mediatè non autem immediatè de carne prædicatur.

257. 11. *Ab unionis reciprocatione. Ut unio eſt reciproca, ita quoq; ex unione orta communicatio. Iam verò reciproca idiomatum communicatio locum tantum habet in concreto ſive in perſona, non autem in Naturis. Ut ergo Deitas non poteſt dici mortalis, ita nec Natura humana omnipotens.* Reſpond. reciprocatio illa in primo, non autem in ſecundo communicationis genere (de quo hîc agimus) locum habet. Quamvis enim *unio* Naturarum ſit æqualis & reciproca, tamen *conditio* Naturarum unitarum non eſt æqualia. λόγος eſt perſona aſſumens, humana Natura aſſumitur. λόγος ὑπόστασιν ſuam carni communicat, ſed caro in illam ὑπόστασιν aſſumitur & evehitur. Deitas λόγου carni unita eſt puriſſimus actus, eſt perfectiſſima & immutabilis, eſt inſtar ἐντελεχείας, ideò per unionem ei in ſe nihil accedere potuit, ſed humana Natura potuit perfici & divinis ἐξοχαῖς ditari, eſt enim inſtar δυνάμεως, unde Scriptura nuſpiam dicit *Deitatem Chriſti mortuam, ſicut carnem Chriſti dicit vivificam.* Damaſcenus lib. 3. orth. fid. cap. 7. *Sciendum quod etſi invicem immeare Naturas dicimus, tamen ſcimus* ὡς ἐκ θείας φύσεως ἡ περιχώρησις γέγονεν, quod *ex divina Natura immeatio provenit, nam omnia pertranſit quemadmodum vult & permeat omnia per ipſam autem nihil.* Quod autem in περιχωρήσει Naturarum perſonali, illud etiam in communicatione idiomatum perſonali locum habet. Confer tract. de perſona Chriſti §. 131.

258. 12. *Ab unionis ratione. Ut propter unionem non poſſum dicere, Humana Natura eſt Deus, ita propter communicationem non poſſum dicere, Humana Natura eſt omnipotens.* Reſpond. Prædicata illa eſſe Deum & eſſe omnipotentem reſpectu humanæ Naturæ abſolutè & ſimpliciter loquendo non per omnia eodem ſe habent modo. Nam Chriſtus humanam ſuam Naturam non vocat Deum, ſed interim vocat eam vivificam Joh. 6. v. 51. ac proinde etiam omnipotentem, quia virtus vivificandi & omnipotentia in Deo ſunt unum. Prædicatio illa, *Humana Natura eſt Deus*, eſt Synonymica, quia Deus & Deitas in articulo de Trinitate non differunt. Altera illa, Humana Chriſti Natura eſt omnipotens, vel Chriſtus ſecundùm hum. Nat. eſt omnipotens, eſt prædicatio Paronymica, utique ergo hæc prædicata non pariter & eodem modo ad humanam Naturam ſeſe habent. Quicquid cum altero καθ᾽ ἕνωσιν communicatur, non συνωνύμως ſed παρωνύμως de eo prædicatur, unde non dico humana Chriſti Natura eſt DEUS vel Deitas, ſed eſt Deo unita, Deificata, λόγῳ ἐνυπόστατος, &c. Sicut non dico, Ferrum hoc lucet & urit. Ergo eſt ignis, ſed ergo eſt ignitum. Corpus hoc vivit & ſentit. Ergo eſt anima, ſed eſt animatum. Quicquid enim de altero prædicatur παρωνύμως καθ᾽ ἕνωσιν, de eodem etiam prædicari debet ſubjectum illius prædicati non ὁμωνύμως ſed παρωνύμως. Sanè Lutherus in Poſt. domeſt. in feſto annunc. ſic loquitur. *Caro & ſanguis noſter eſt Deus*, verùm ibi prædicatum accipit non συνωνύμως pro Deitate ſed παρωνύμως pro Deificato, in Deum aſſumto, Deo perſonaliter unito, quo ſenſu etiam poſt factam incarnationem *Verbum dicimus eſſe carnem & carnem dicimus eſſe Verbũ*, videlicet non per converſionem, non per mutationem, nec per adoptionem, ſed per hypoſtaticam unionem. Sic pii veteres dicunt, *humanam Chriſti Naturam eſſe Deificatam*, Athanaſ. orat. 4. contra Arian. *Deitate unctam* Nazianz. orat. 5. in paſch. Damaſc. libr. 3. cap. 3. *humanitatem divinam*. Auguſt. libr. de uvib. *corpus Chriſti Deificatum*. Athanaſ. Epiſt. ad Epict. *corpus Deitate plenum*. Athanaſ. ibid. Epiph. contra Dimerit. libr. 3. tom. 2. corpus ἔνθεον Id. l. 1. tom. 1. de adv. Chriſti *corpus divinũ* Cyrill. ad Succeſſ. Epiſt. 1. Theodoret. Dial. 2. *aſſumtum templum Deificatum* Cyrill. lib. 8. in Joh. cap. 1 *caro dicitur Deificata* Naz. in Theoph. θεωθεῖσα Damaſc. lib. 3. cap. 17. &c. quæ omnia accipienda ſunt tum de unione perſonali carnis ad λόγον, tum de idiomatum divinorum communicatione carni facta. Confer tract. de perſ. Chriſti §. 132.

259. 13. *A negata perſonalium idiomatum communicatione. Si perſonales proprietates non communicantur, ergo nec eſſentiales, cùm in λόγῳ realiter non differant.* Reſpond. 1. Sicut Pater per æternam generationem Filio communicare potuit eſſentiam & eſſentiales proprietates, ut interim ὑποστάσεως ratione ab eo manſerit diſtinctus, ita quoque eſſentiales ſuas proprietates ὁ λόγος carni aſſumtæ communicari potuit, ut interim perſonalem proprietatem non communicaverit. 2. Eſſe ab æterno à Patre genitum, quæ eſt perſonalis λόγου proprietas, non potuit ſalvâ Naturæ finitate & nativitate ſecundùm carnem in tempore, aſſumtæ humanitati communicari. Jam v. eorum communicatio facta, quæ Nat. humanam non deſtruunt aut evertunt. 3. Opera Dei *ad extra* ſunt liberrimæ voluntatis & οἰκονομίας. Ergo potuit ὁ λόγος aſſumtæ Naturæ communicare quid, quantum & quomodo voluit. 4. Scripturam in cõmunicatione perſonalium proprietatum non habemus præviam, ut in communicatione divinæ omnipotentiæ, omniſcientiæ, &c. ut ergo ſimpliciſſimum, ita quoque tutiſſimum, Scripturam ducem ac lucem unicè ſequi. 5. Nullus intellectus finitus comprehendere poteſt, quomodo ὑπόστασις λόγου carni communicata fuerit, (quam communicationem perſonalis unio omninò requirit) atque interim communicatâ hypoſtaſi non communicetur perſonalis λόγου proprietas, quæ tamen realiter ab hypoſtaſi non differt, inde firmiter colligimus, rationem in his myſteriis ſub fidei *obſequium* eſſe captivandam. 6. Illa attributa ſunt aſſumtæ carni communicata, quorum uſus

erat

erat *in operibus officij*. Sed ea non requirebatur proprietas perſonalis τοῦ λόγου, verùm eſſentialis, omnipotentia ſcil. omniſcientia, vis vivificandi, poteſtas judicium faciendi.

Argumenta contra omnipræſentiam. 260. Argumenta ſpecialia contra *omnipræſentiam. 1. ex dictis Scripturæ. Omnipræſentia* ait Bellarm. lib. 3. de Chriſto cap. 11. *repugnat. 1. Illis Scripturæ dictis, quæ teſtantur, Chriſtum hominem ratione humanitatis alicubi non fuiſſe & proinde nō ſemper ubique fuiſſe Ioh. 6. Cùm vidiſſet turba, quia Ieſus non eſſet ibi Ioh. 11. Gaudeo, quod ibi non fuerim. Matth. 28. Non eſt hic, ſed ſurrexit.* Reſp. à negatione præſentiæ *naturalis & localis* ad negationem præſentiæ *perſonalis* non poteſt legitimè procedi, cùm à negatione ſpeciei ad negationem generis, ab eo quod κατά τι negatur, ad abſolutam negationem non liceat argumentum ducere. Ut enim ex Naturæ humanæ eſſentiali proprietate finitate ſcilicet non eſt neganda ejuſdem humanitatis in infinita τοῦ λόγου ὑποστάσει ſubſiſtentia & ejuſdem ad dextram Patris infinitam collocatio: ita ex præſentia naturali & locali non tollitur perſonalis, quia humanitas Chriſti quatenus eſt in λόγῳ & in Dei dextra, eatenus non eſt in loco, cùm nec λόγος nec Dei dextra ſit localis. Sic ergo progredimur. Ubi plures dantur præſentiæ modi, ibi negato uno præſentiæ modo vel gradu nō ſtatim negantur omnes reliqui. Sic præſentiæ divinæ ſtatuuntur quatuor modi ſive gradus, præſentia *potentiæ, gratiæ, gloriæ & hypoſtaſeos*, quibus aliqui addunt præſentiam ὁμουσίας, quâ Filius eſt in Patre, & *typicam, Symbolicam, Sacramentalem* præſentiam, quæ ad gratioſam reduci poteſt. Ergo à negatione præſentiæ gratioſæ non licet progredi ad abſolutam omnis præſentiæ negationem. 1. Reg. 19. v. 11. dicitur, *Deus non erat in vento, in terræ motu, in igne*, nec tamen abſolutè negatur DEI præſentia, illa ſc: quæ vocatur præſentia potentiæ. Pari ratione, quia duo dantur præſentiæ modi in Chriſto *perſonalis ſ. & majeſtaticus* ex unione perſonali & ſeſſione ad dextrā Dei promanans ac *naturalis* ex eſſentialib. hum. Nat. proprietatib. profluens, ideò à negatione unius præſentiæ modi ad abſolutam omnis præſentiæ negationem non licet progredi. Luc. 24. v. 44. dicit Chriſtus ad diſcipulos: *Hæc locutus ſum vobis, cùm eſſem vobiſcū*. Atqui tamen erat illis præſentiſſimus? quomodo ergò dicit, *cùm eſſem vobiſcum*? niſi ſecundùm alium præſentiæ modum, quàm cùm antea apud ipſos erat. Nimirum alius præſentiæ modus carnis Chriſti eſt, quando conſideratur *in ſe & phyſicè*, alius quando conſideratur ut *corpus glorificatum*, alius quando conſideratur *in unione*, alius quando conſideratur in *ſeſſione ad Dei dextram*, ac proinde quando humana Natura negatur alicubi præſens localiter & naturaliter, non eſt ex eo ſtatim inferendum, quod abſolutè negetur ejus præſentia, illum enim περιορισμὸν de præſentia naturali & locali ſuppeditant ipſæ circumſtantiæ. *Cur quæritis vivum apud mortuos?* inquit Angelus, *ſurrexit, nō eſt hic. Pauperes*, inquit Chriſtus, *ſemper habetis vobiſcum & cùm vultis, poteſtis illis benefacere, me autem non ſemper habebitis* illo ſc. modo ut in propria perſona indigentiam meam ſublevare, mihique benefacere poſſitis. Quæ ἰστάτως loco Bell. profert, præſupponunt illud, quod abſolutè Chriſti præſentia in allatis dictis negetur.

261. 2. *Illis dictis, quæ teſtantur Deum eſſe ubiq;, ut hoc modo illum diſcernant ab omnibus creaturis.* Jer. 23. *Cœlum & terram impleo. Pſal. 139. Quò ibo à Spiritu tuo. Sap. 1. Spiritus Domini replevit orbem terrarum, ex quo probant Patres, Spiritum S. eſſe verum Deum.* Reſp. Deus eſt omnipræſens *eſſentialiter*, aſſumta Chriſti Natura eſt omnipræſens *perſonaliter*. Major propoſitio, in argumento quod pro Deitate Filii & Spir. S. aſtruenda à Patribus affertur. *Qui eſt omnipotens & omnipræſens eſt Deus. Filius eſt omnipotens & omnipræſens.* Ergo Deus, ſic limitanda eſt. Qui eſt omnipotens & omnipræſens *per ſe & eſſentialiter*, quâ ratione omnipotentia & omnipræſentia de humana Chriſti Natura non poteſt prædicari, illa enim non eſt omnipotens vel omnipræſens per *eſſentiam*, ſed per *unionis gratiam*, quatenus in λόγῳ illocaliter ſubſiſtit & ad infinitam Dei dextram eſt evecta. Regerit Bellarm. *nihilominus labefactari argumētum, quod pro Spir. ſanct. Deitate ex omnipræſentia affertur. Dicent enim Ariani, Spir. ſanct. eſſe quidem ubiq;, ſed per accidens & ideò non eſſe verum Deum, ſed creaturam.* Reſp. integrum argumentum ſic habet. *Quicquid eſt omnipræſens vel eſt Deus per Naturam, vel λόγῳ perſonaliter unitum. Iam verò Spiritus ſanctus eſt omnipræſens. Ergo eſt vel Deus per Naturam vel Deo perſonaliter unitus.* Poſterius dici nequit, manet ergo prius. Vel hoc modo. Quicquid eſt eſſentialiter omnipræſens, eſt verus Naturâ Deus. Spir. ſanct. eſt eſſentialiter omnipræſens. Ergo.

262. 3. *Illis dictis, quibus Patres probant, duas eſſe in Chriſto Naturas. Præcipuus eſt locus.* Joh. 3. *Nemo aſcendit in cœlum.* Reſp. probationi huic nihil quicquam decedit per hypotheſin de omnipræſentia Chriſti hominis. Nam eſſe omnipræſentem, manet proprietas eſſentialis Deitatis, ſicut eſſe in loco, procedere de loco in locum, manet proprietas humanitatis. E. ut ex proprietate illâ eſſentiali Deitatis rectè probatur Chriſti Deitas, ita ex proprietate humanitatis rectè probatur vera Chriſti humanitas. Frivolum eſt, quod Bell. addit, *corpus Chriſti non poſſe in eodem loco viſibiliter & inviſibiliter ſimul præſens ſtatui, quia hac ratione bis in eodem loco ſtatuatur*, quia modus diverſus nō diverſificat rem ipſam. Caro Chriſti quatenus localiter & viſibiliter in uno loco fuit creaturis præſens, eatenus non fuit λόγῳ præſens, ſed perſonaliter & inviſibiliter, quia λόγος nec localis eſt nec viſibilis.

263. 2. *Ex fidei articulis. Omnipræſentia pugnat 1. cum conceptione Chriſti. Nam fides habet in ſolius Mariæ utero fuiſſe carnem Chriſti. At ſecundum Vbiquiſtas mox à conceptione fuit illa caro in uteris omnium mulierum. 2. cum nativitate Chriſti. Fides docet, Chriſti corpus poſt nonum menſem prodyſſe ex utero in lucem & ſic verè eſſe natum. At ſecundum Vbiquiſtas ante nonum menſem imò primò die conceptionis fuit extra uterum & poſt decimum menſem adhuc erat in utero, imò inde nunquā exiit. 3. cū morte Chriſti. Fides requirit ut in morte Chriſti corpus & anima ſeparata fuerint & corpus quidem in ſepulchro jacuerit, anima ad infernum deſcenderit. At ſecūdum Vbiquiſtas in ſepulchro etiam erat anima cum corpore & in inferno erat caro cum anima 4. cum ſepultura & deſcenſu ad inferos 5. cum reſurrectione. 6. cum aſcenſione in cœlum. 7. cum reditu ad judicium.* Reſpond. agitur h. l. propriè de omnipræſente Chriſti hominis in cœlo ac terra domino, quod ex *collocatione ad dextrā Dei* deducimus, igitur argumenta *ex conceptione, nativitate,*

morte,

morte,&c. ſunt à quæſtione aliena. Nos in illis fidei articulis τὸ ῥητὸν ſimpliciſſime tuemur ac tenemus, nec carnem Chriſti in uteris aliarum mulierum ſed in ſolo Mariæ virginis utero conceptam & geſtatam dicimus, nec aſcenſionem convertimus in diſparitionem vel evaneſcentiam ſed literalem verborum ſenſum exactè ſequimur, interim cùm fidei articuli mutuò ſeſe nō evertāt, ideò hęc non ſunt opponenda *illocali præſentiæ modo*, quem ex ſubſiſtentia in λόγῳ caro accepit, nec *majeſtatico dominio*, quod ex ſeſſione ad dextram Dei humana Natura eſt collatum. Terminus enim aſcenſionis ultimus non eſt circumſcriptus aliquis in cœlo locus, ſed ipſa Dei dextra, quam corporeo & circumſcripto quodam loco definiri ex Scripturis probari minimè poteſt.

264. 3. *Ex Sacramento Euchariſtiæ. Omnipræſentia pugnat cum Sacramento Euchariſtiæ, pro quo ſtabiliendo eſt excogitata. Nam ſi caro Chriſti eſt ubique, certè non egemus Euchariſtia & fruſtra imus ad templa, fruſtra recitamus verba cœnæ, fruſtra paramur ad illam cœnam, cum domi habeamus in pane & vino & aliis omnibus cibis corpus Chriſti.* Reſp. confunditur modus præſentiæ *perſonalis & majeſtaticus* cum præſentia *Sacramentali.* Præſentia Sacramentalis unicè dependet ex inſtitutione & ordinatione Chriſti, quod autem ſeſſio ad dextram Dei pro fundamento illius præſentiæ adducitur, id propterea fit, quia Calviniani blaſphemè negant, Chriſtum quod promiſit præſtare poſſe. *Voluntatem* igitur Chriſti ex verbis inſtitutionis unicè probamus, *facultatem* ex communicata Chriſto per unionem & ſeſſionem ad Dei dextram, infinita majeſtate ac poteſtate.

265. 4. *Ex teſtimoniis Patrum.* Reſpond. illa probant, Chriſtum ſecundùm humanam Naturam non eſſe eo modo præſentem, quo DEUS, *eſſentialiter* ſcilicet, ac omnipræſentiam nunquam fieri proprietatem humanæ Naturæ eſſentialem, interim non negant, Chriſtum hominem eſſe omnipræſentem perſonaliter, ac ſecundùm utramque Naturam Regium ſuum officium adminiſtrare. Hiſce Bellarmini argumentis addunt alii ex Jeſuitis & Calvinianis. 1. *varia abſurda. Caro Chriſti non poteſt eſſe in pluribus locis ſimul præſens, niſi vel multiplicetur, vel expendatur vel extendatur.* Reſpond. præſentia illa hypoſtatica & majeſtatica, quam Chriſto homini tribuimus, eſt divina non humana ex eſſentialibus Naturæ humanæ principiis orta. Jam verò de divinâ omnipræſentia dici vel cogitari nequit, quod Deus per eſſentiæ ſuæ multiplicationem vel expanſionem vel extenſionem præſens ſit, quá de re latè tractat Athanaſ. in orat. contra Gregales Sabellii poſt medium. 2. *Scripturæ dicta, quæ de Chriſti ad Patrem abitu loquuntur.* Reſpond. Sicut Chriſtus à Patre miſſus in hunc mundum venit non loci mutatione ſed carnis aſſumtione & viſibili in ea apparitione ita quoque ad Patrem abiit & mundum reliquit, non loci mutatione, ſed formæ ſervilis depoſitione & majeſtatis ſibi communicatæ pleniſſimâ uſurpatione.

Contra cultū adorationis.

266. Argumentum ſpeciale contra *cultum adorationis ex dicto Apoſtolico Gal.6.v.8. Cùm ignoraretis Deum, ſerviebatis iis, qui non ſunt Naturâ Dii. Iam v. humana Chriſti Natura non eſt Deus φύσει.* Ergo. Reſp. 1. propoſitio Apoſtolica loquitur de adorationis objecto *perſonali* (ut ſic loquar) *non reali*, id eſt, ſenſus dicti eſt, nullam perſonam eſſe adorandam, quæ non ſit Naturâ Deus, ex eo v. inferri nequit, quod Natura Chriſti humana non ſit verum & reale adorationis objectum, etſi enim non ſit diſtincta à λόγῳ perſona, tamen eſt pars, ut ſic loquar, illius perſonæ, quæ eſt Naturâ Deus, nec adoratur quatenus eſt Natura humana, ſed quatenus ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ perſonaliter ſubſiſtit, ut hac ratione adoratio non dirigatur ad aliam perſonam, quàm quæ eſt Naturâ Deus. 2. Loquitur Apoſtolus de idolis gentium, quæ per ἀφιδρύσεων conſecrata proponebantur ut objectum religioſi cultus. Ergo hoc dictum opponi nequit religioſæ adorationi Chriſti hominis. Quinimò idolis illis gentium Apoſtolus directè opponit Chriſtum, ad quem Galatæ ab idolis erant cōverſi. Gal.cap.3.v.26.27. 4.v.6.7.& 8. Confer Eph. 2. v.12.13. 3. Si latius illud dictum extendatur & generaliter accipiatur neceſſariò, uti diximus diſtinguendum inter adorationis objectum perſonale & reale, unde hæc duo reſultant theoremata. Prius eſt *concretivum*, h.e. loquitur de perſona in cōcreto. Quiſquis adorandus eſt, illum oportet eſſe Naturâ Deum, neq; n perſona adorari poteſt, quę non ſit Naturâ Deus, ſed perſona κατ᾽ οὐσίαν divina eſt immediatum adorationis objectum. Poſterius eſt *abſtractivum*, i.e. loquitur de Natura in abſtracto. Quicquid adoratur, illud vel Natura Deus eſt vel illi qui Naturâ Deus eſt perſonaliter unitum. Duplex n. eſt adorationis principium. θεϊκὴ φύσις & ὑποστατικὴ ἕνωσις Natura divina & unio hypoſtatica cum Natura divina, ut argumenta noſtræ ſententiæ confirmant. 4. Proinde quod Apoſtolus profert *in concreto*, nullum eſſe adorandum qui non ſit Naturâ Deus, illud non eſt commutandum *in abſtractum*, nihil eſſe adorandum, quod non ſit Naturâ Deus.

267. *Theſis ſpecialis 4. Modus communicationis, qua Chriſto ſecundum hum. Nat. dona verè divina & infinita ſunt communicata eſt & vocatur perſonalis.* Qualis unio, talis etiam communicatio ex unione orta. Jam verò unio. 1. non eſt *verbalis* tantum, ergo nec communicatio. Quòd ſi communicatio illa, de qua hoc loco agimus, eſſet verbalis tantum, ac modus duntaxat loquendi, nullam βελτίωσιν realem aſſumtæ Naturæ attuliſſet. Contrarium aſſerit Apoſtolus Hebr. 1. v. 4. neque quicquam in reipſa, i.e. in Chriſti perſona huic prædicationi reſponderet, ideoq; prædicatio illa veritatem tueri non eſſet. Verba enim ſunt rerum σύμβολα, ac ut res ſe habet in eſſe, ita quoque in prædicari. Tolle rei veritatem, & ſuſtuliſti etiam veritatem prædicationis. 2. Unio non eſt *eſſentialis*. Ego nec communicatio. Quod unius Naturæ in Chriſto proprium, illud nunquam fit alterius Naturæ proprium, ſed ἰδιότης eſt & manet ἀκίνητος; divina idiomata nec per ἐκχώρησιν nec per ἔκχυσιν in carnem aſſumtam tanquam in aliud ſubjectum derivantur ac transfunduntur, ſed manent τοῦ λόγου propria, unde etiam communicatio non eſt nec dici poteſt eſſentialis. Quando in divinis Pater per æternam generationem Filio divinam eſſentiam & omnia eſſentialia divinitatis idiomata communicat, hæc eſt *eſſentialis communicatio*, ex quâ Patris & Filii ὁμοουσία dependet; ſed quando ὁ λόγος aſſumtæ Naturæ ſua idiomata communicat, illa non eſt eſſentialis communicatio, quia λόγου & aſſumtæ humanitatis non eſt una eſſentia, nec una Natura. 3. Unio non eſt *accidentalis*. Ergo nec communicatio. Si divina illa idiomata per

4. Modus communicationis eſt perſonalis.

acci-

accidens humanæ Naturæ competerent, tum Naturæ humanæ ſubjectivè ineſſent atque inhærerent. Id verò dici nequit, cùm divina idiomata non ſint accidentia, nec ſubjectivè alteri inhærere poſſint. 4. Unio non eſt *phyſica & naturalis.* Ergo nec communicatio. Si naturalis eſſet communicatio, idiomata illa divina φυσικῶς ac naturaliter aſſumtæ Naturæ competerent, quod abſit. 5. Unio eſt perſonalis. Ergo etiam communicatio. Ut enim aſſumta Natura in ipſam λόγου ὑπόστασιν per unionem perſonalem eſt evecta, ita quoque in κοινωνίαν ἰδιωμάτων in illa ipſa evectione eſt aſſumta. Diviña Filii Natura intra intimum ὑποστάσεως ſuæ complexum divina idiomata retinet, aſſumendo antem Naturam humanam in ſuam hypoſtaſin, eandem quoque in κοινωνίαν ἰδιωμάτων ſuę illius hypoſtaſeos aſſumit, ac proinde humana Nat. divinam majeſtatem habet nō *à ſe* originaliter ſed à λόγῳ nec *per ſe* eſſentialiter, nec *in ſe* ſubjectivè, ſed in λόγῳ, verè quidem & realiter, ſed tamen hypoſtaticè ac perſonaliter, quâ de re ſic loquuntur pii veteres Athanaſ. ad Epictet. *Communicatio facta eſt* ἐκ τῆς τοῦ λόγου πρὸς τὸ ἀνθρώπινον κοινωνίας καὶ ἑνώσεως. Gregor. Nyſſen. διὰ τῆς ἑνώσεως. Cyrill. de rect. fid. *Caro Chriſti vivificat non ſecundùm propriam Naturam, ſed ſecūdum unionem cum vivente ac vivificante.* Verbo, id eſt, *non* κατ' ἑαυτὴν *ex naturalibus eſſentia ſua principiis, ſed* κατ' ἄλλο propter arctiſſimam & puriſſimam ad λόγον unionem. Declarant etiam hunc communicationis modum ſimilitudinibus *corporis animati* (Juſtin. Athanaſ. Cyrill. Auguſt.) *ferri igniti* (Baſil. homil. in ſ. nativ. Auguſt. de incarnat. Verb. Orig. 2. de princ. cap. 6. Athanaſ. Cyrill. Damaſcen. 3. orth. fid. c. 15. & 17.) & *lucis primogenia* (Juſt. de exp. fid. Athanaſ. Dial. 5. de Trin. Oecū. Col. 2.) Ut enim lux primogenia ſe totam cōmunicavit corpori ſolari, ut ignis ſe totum inſinuat & communicat ferro ignito; ut anima per informationem & animationem ſuas proprietates & operationes corpori communicat; ita divina Natura τοῦ λόγου omnem ſuam gloriam & potentiam communicat aſſumtæ carni ſine converſione, confuſione, abolitione & exæquatione. Neque enim lux fit corpus ſolare, neque ignis fit ferrum, nec anima fit corpus, ſed ſolare corpus fit lucidum, ferrum fit ignitum, corpus fit animatum.

Antitheſis.

268. *Antitheſis. Jeſuita & Calviniani. 1. communicationem illam* ſtatuunt *merè verba* ut ſuperius in cap. 10. de comm. idiom. in genere oſtendimus. Tilenus quidem in notis ad lib. 3. Bellarm. de Chriſto cap. 9. imitatus Bellarmini loquelam, *communicationem illam diverſo reſpectu & verbalem & realem eſſe aſſerit. Verbalis eſt,* inquit, *non quod ſit ficta aut nihil niſi verba det, ſed quod pertineat ad rectam verborum ſive phraſium expoſitionem, cum quæritur de duabus Chriſti Naturis oppoſitè, ne unius Naturæ proprietates cum altera Natura communicari exiſtimentur. Realis vocatur, cum de Naturis non oppoſitè ſed compoſitè in perſona agitur, id eſt, cum utriusq; Naturæ proprietates cum ipſa perſona communicantur.* Sed meros verborum fumos vendit. Quod ſi enim quæras, an aſſumta Chriſti Natura *verè & realiter* ſit omnipotens, reſpondet, *in perſona eſt omnipotens, h. e. eſt Natura illius perſona, quæ eſt omnipotens, ipſa autem non eſt omnipotentia particeps,* perinde ut Bellarmin. nugatur libr. 3. de Chriſto cap. 15. *data eſt humanitati ſeſſio ad dextram Dei non in ſe ſed in ſuppoſito. Non enim factum eſt ut humanitas in ſeipſa ſedeat ad dextram DEI, ſed ut ſit humanitas illius perſona, quæ ſedet ad dextram DEI,* quod declarat hac ſimilitudine. *Cum Rex induit purpuram & ſedet in ſolio ſuo, evehit purpuram ad illud ſolium, non ſic ut purpura dicatur ſedere aut regnare, ſed ut dicatur veſtis ſedentis aut regnantis & ut dicatur Rex purpuratus ſedere aut regnare.* capite 16. *data eſt gloria Dei Patris humanitati Chriſti non in ſe ſed in ſuppoſito.* Cui Sophiſticationi opponimus hanc diſtinctionem. *Seſſionem ad Dei dextram datam eſſe humanitati Chriſti non in ſe ſed in ſuppoſito* ambiguè dicitur. Vel enim intelligitur hoc modo, quod data ſit non ſeorſim ac ſeparatim, nec ſecundùm eſſentiales proprietates, ſed quatenus in perſona τοῦ λόγου conſiſtit cōſideratæ vel intelligitur eo modo, quod ad ipſam humanitatem planè non pertineat illa ſeſſio ſed tantum ad hypoſtaſin ſive ſuppoſitum. Priori ſenſu aſſertionem concedimus poſteriori negamus. Quia enim per unionem ὑπόστασις λόγου eſt aſſumtæ carni verè & realiter communicata, & ad ipſam Dei dextram aſſumta caro poſtmodùm evecta, ideò etiam verè & realiter divina dona majeſtaa & gloria eidem carni eſt communicata. Vitioſiſſima ergo eſt hæc oppoſitio. Seſſio ad dextrā Dei & gloria divina data eſt humanitati, quatenus in ὑποστάσει τοῦ λόγου ſubſiſtit. Ergo non eſt data ipſi humanitati. Contrarium potius inferendum. Ergo data eſt ipſi humanitati, quæ in ὑποστάσει τοῦ λόγου ſubſiſtit. Cōf. Diſp. 2. de glor. Dei §. 14.

269. 2. Per calumniam nobis tribuunt, quod per *hanc noſtram de donis infinitis Chriſto homini communicatis doctrinam introducamus Eutychianam Naturarum confuſionem, earundem exæquationem, humanæ Naturæ abolitionem,* quod ſtatuamus *duplicem omnipotentiam, duplicem omniſcientiam, adeoque duplicem divinitatem, &c.* Sed hæc ac ſimiles calumniarum nebulæ Sole veritatis, id eſt, diſertâ & perſpicuâ ſententiæ noſtræ expoſitione ſtatim diſſulvuntur. Bucanus in locis p. 15. Eutychetis hæreſin ſic deſcribit, quod docuerit *Naturam Chriſti humanam poſt unionem donatam eſſe proprietatibus divinitatis,* nimirum ut ſpecie quadam propter doctrinam de communicatione divinorum idiomatum Eutychianiſmi nos reos agere poſſit, ſed ex Hiſtoria Eccleſiaſtica & ſcriptis piorum veterum Eutychetis hæreſis longè aliter deſcribenda Evagr. libro 2. cap. 4. Eutyches ſtatuit in Chriſto factum eſſe ἐξ ἑτέρου εἰς ἕτερον τροπήν. Theodor. in Epit. hæret. fabul. οὗτος καὶ τοῦ σώματος ἠρνήθη τὴν πρόσληψιν· οὐδὲν γὰρ ἔφη τὸν θεὸν λόγον ἀνθρώπινον ἐκ τῆς παρθένου λαβεῖν, ἀλλ' αὐτὸν ἀτρέπτως τραπέντα καὶ σάρκα γενόμενον. Damaſcenus libr. 3. orthod. fid. cap. 3. ἐκ δύο φύσεων τελείων θείας τε καὶ ἀνθρωπίνης φαμὲν γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν οὐ κατὰ φυρμὸν ἢ σύγχυσιν ἢ σύγκρασιν ἢ ἀνάκρασιν, ὡς ὁ θεήλατος à Deo repulſus ἔφη Διόσκορος, Εὐτυχής τε καὶ Σευῆρος καὶ ἡ τούτων ἐναγὴς συμμορία ſcelerata eorum cohors. Conf. tract. de perſ. Chriſti §. 137. Diſp. D. Rung. de Eutychianiſmo.

270. Theſis 5. *Tempus communicationis eſt ipſum momentum incarnationis.* Diſtinguendum inter κοινωνίαν ipſam & κοινωνίαν τῶν χρήσεων, inter *communicationem & plenariam communicatorum uſurpationem.* Communicatio divinorum attributorum facta eſt in primo incarnationis momēto. 1 quia communicatio eſt immediatū effectū & con-

5. Tempus communicationis eſt ipſum momentum incarnationis.

conſequens unionis hypoſtaticæ. 2. nulla poteſt aſſumtæ Naturæ major obtingere majeſtas & gloria, quàm aſſumi in unitatem perſonæ τῦ λόγυ & fieri proprium templum, in quo tota plenitudo Deitatis habitet. 3. Ipſa Scriptura hoc tempus determinat. Eſa. 11. verſ. 1. *egredietur virga de radice Ieſſa, ſuper quam requieſcet Spiritus*, cum omni ſcilicet plenitudine ſua, quia Spiritus *non ad menſuram* illi datus Johan. 3. verſ. 34. propter hanc Sp. ſanct. unctionem dicitur *Chriſtus* in primo incarnationis momento, ac *illud quod ex Maria natum*, vocatur *ſanctum* ob Spiritus ſanct. communicationem Luc. 1. verſ. 36. unde ὁ λόγος caro factus dicitur *plenus gratia & veritate* Johan. 1. verſ. 14. & quando *Chriſtus profecit ſapientia & ætate & gratia apud Deum & homines* Luc. 2. verſ. 52. erat πληρώμενος σοφίας v. 40. non eo duntaxat ſenſu, quo Stephanus dicitur *plenus fide & virtute* Act. 6. verſ. 8. propter gratioſam Spiritus ſanct. inhabitationem, ſed modo lõgè ſublimiori propter perſonalem τῦ λόγυ cum tota Deitatis plenitudine inhabitationem. Johan. 1. verſ. 14. Coloſ. 2. verſ. 9. quo reſpectu etiam *omnes theſauri ſapientia & ſcientia in ipſo dicuntur reconditi*. Coloſſ. 2. verſ. 3. 4. Communicatorum uſurpatio præſupponit ſive prærequirit communicationem. Jam verò Chriſtus ante ſuam exaltationem in medio exinanitionis ſtatu radios divinæ majeſtatis ſibi communicatæ exeruit in occultarum cogitationum inſpectione, divinorum miraculorum operatione, in transfiguratione, in Euchariſtiæ inſtitutione, &c. unde poſt Baptiſmum in Jordane ſuſceptum *plenus Spiritu ſanct. a Iordane* regreſſus dicitur Luc. 4. verſ. 1. quippe qui in Baptiſmo non ſolùm ſuper *ipſum deſcenderat*, Luc. 3. verſ. 22. ſed etiam perpetuò *manſerat*, Johan. 1. verſ. 3. Plenaria communicatorum uſurpatio ſecuta demùm eſt in glorioſa Chriſti exaltatione, quia Chriſtus in diebus carnis glorioſam & divinam majeſtatem per unitatem perſonalem ſibi ſecundùm carnem communicatam non ſemper exeruit, ſed radios duntaxat quoſdam ejusdem emiſit, unde jam naſcitur diſtinctio inter *ſtatum exinanitionis & exaltationis*, de quâ inferius dicitur plenius.

Antitheſis. 271. Antitheſis. Ex hac diſtinctione inter communicationem & plenariam communicatorum uſurpationem multa poſſunt ſolvi argumenta, quæ ab adverſariis contra communicationem divinorum idiomatum carni Chriſti factam excogitantur, qualia ſunt. *Chriſtus profecit ætate & ſapientiâ. E. non fuit omniſcius. Chriſtus progreſſus eſt de loco in locum. Ergo non fuit omnipræſens. Chriſtus in cruce mortuus eſt. Ergo caro ejus non fuit vivifica.* Reſp. diſtinguendum eſſe inter ſtatum *exinanitionis & exaltationis*, itemq; divinorum idiomatum *perſonalem communicationem & plenariam eorundem uſurpationem*. Chriſtus in medio exinanitionis ſtatu omnia à Patre ſibi tradita aſſerit. carnem ſuam vivificam vocat, in medio precantium ſe fore promittit, & tamen propter nos dicitur factus egenus, verè in cruce mortuus eſt & judicii diem ſe ignorare profeſſus eſt. Plenaria omnipotentiæ, omniſcientiæ, omnipræſentis dominii uſurpatio, cum infirmitatibus, quas Chriſtus propter nos & noſtram ſalutem ſuſcepit & cum morte, quam propter nos ſuſtinuit, non conſiſtit, ſed perſonalis horum divinorum idiomatum communicatio, optimâ ratione cum exinanitione conſiſtit. Quòd ſi enim plenitudo Deitatis in carne habitans non obſtitit, quo minùs Chriſtus ſervilem formam aſſumeret & in carne mortem ſuſtineret, utique nec communicatio omnipotentiæ, virtutis vivificandi, &c. obſtitit.

272. Quæritur h. l. 1. *Quomodo hoc ſecundum genus communicationis differat a primo?* Reſpon. quatuor potiſſimùm modis 1. *ratione ſubjecti*. In propoſitionibus primi generis ſubjecti loco ſemper ponitur *vox concretiva* ſive nomen perſonæ, ſed in hoc ſecundo genere ſæpè ponitur *vox abſtractiva* ſive nomen Naturæ humanæ, quæ tamen non notat Naturam humanam ſeparatim & ſeorſim ſubſiſtentem, ſed quatenus ea in λόγῳ ſubſiſtit & unum cum eo hypoſtamenon conſtituit. 2. *ratione prædicati*. In primo genere & divina de Chriſto homine & humana de Chriſto Deo ac viciſſim divina de Chriſto Deo, hum. de Chriſto homine prædicantur, ac de eſſentialibus proprietatibus cuique Naturæ vindicandis & aſſerendis agitur, ſed in hoc ſecundo genere divina αὐχήματα de Chriſto ſecundùm humanam Naturam prædicantur ac de ὑπερυψώσει humanæ Naturæ unicè agitur, prædicatum ergo ſemper ac tantum eſt idioma divinum. 3. *ratione reciprocationis*. In primo genere locum habet reciprocatio. Ut enim divina de Chriſto homine, ita ἐναλλὰξ humana de Chriſto Deo prædicantur. Sed in hoc ſecundo genere reciprocatio non habet locum. Neque enim ut caro dicitur vivifica, ita Deitas dicitur mortalis vel mortua. Ratio diverſitatis eſt, quia ὁ λόγος aſſumſit carnem, non autem caro aſſumſit λόγον, jam verò aſſumentis non aſſumti eſt dare & viciſſim *aſſumti eſt provectio non aſſumentis*. Divina Chriſti Natura eſt perfectiſſima, nullius indiga, nulli mutationi obnoxia, quia apud Deum non eſt παραλλαγὴ Jac. 1. verſ. 17. ſed humana Chriſti Natura indiga eſt, ut accipere, perfici & exaltari poſſit. 4. *ratione phraſeos κατ' ἄλλο*. In primo genere phraſis κατ' ἄλλο eſt *diſtinctiva*. Ut Dominus gloriæ eſt crucifiſus nimirum κατ' ἄλλο, i. e. ſecundùm propriam ſuam humanitatem ſive κατὰ σάρκα. In ſecundo genere eſt *cauſalis*. Caro eſt vivifica, omnipotens κατ' ἄλλο, id eſt, non ex Naturæ ſuæ proprietate, ſed per ac propter unionem perſonalem. 5. *prædicationis modo*. Divinum idioma in hoc tertio genere prædicatur & conſideratur, ut eſt communicatum carni, ſed in primo genere prædicatur & conſideratur, ut eſt proprietas Deitatis. Confer quæ in prioc. hujus capitis 12. dicta ſunt ſuperius.

Quæſtiones de ſecundo communicationis idiomatum genere.

273. Q. 2. *Rectène in hoc communicationis genere ſubjecti loco ponantur locutiones abſtractiva ſive nomina Naturæ hum.?* Calviniani id ægerrimè ferunt, ſed notandum, quod terminus abſtracti ſit ambiguus, (Abſtr. Philoſ. eſt quidditas rei, τὸ κατ' αὐτὸ ἡ οὐσία, ipſum τὸ εἶναι, τὸ τί ἦν εἶναι quando *res in ſe, per ſe, ex ſua Natura, ſecundùm naturales ſuas proprietates & ſecundùm propriam ſuam definitionem conſideratur*, quo ſenſu negamus humanam Chriſti Naturã in abſt. eſſe omnipotentem.) Quandoque enim abſtracti nomine intelligitur Natura Chriſti humana, quatenus ex ſe & per ſe, id eſt, formaliter conſideratur; quandoque verò intelligitur hoc nomine Natura Chriſti humana, non ex ſe & per ſe, ſed ſecundùm unionis gratiam conſiderata, quatenus ſcilicet in λόγῳ ſubſiſtit, ex qua & propter quam unionem μεγάλη προσθήκη ipſi facta. Caro Chriſti, dum eam cum intimo alterius Naturæ & communicatæ hypoſtaſeos com-

plexu

plexu cogito concretum non eſt, ſed ſi conſeratur cum tota perſona duabus Naturis conſtaote eſt concretum. Ex hac diſtinctione ſolvi poteſt illud ἐναντιοφανὲς quod inter noſtros de uſu locutionũ abſtractivarum occnrrit. Heſahuſius negabat humanam Chriſti Naturam *in abſtracto* adorandam, id eſt, extra unionem à λόγῳ ſeparatam, quia Nat. Chriſti humana ex ſe & per ſe non habet ut adoretur. Wigandus contrà ſtatuebat, humanam Chriſti Naturam *in abſtracto* eſſe adorandam, i. e. eam eſſe religioſæ adorationis, quatenus in ipſo λόγῳ ſubſiſtit & unam cum eo perſonam conſtituit. Eadem diſtinctio opponenda eſt Sophiſticationib. Pelargi apoſtatæ, qui in antitheſ. Apologet. cont. D. Bald. theſ. 83. Sic ſcribit. *Concreti nomine perſonam, abſtracti nomine Naturam Lutherum & Philippum & ſinceriores omnes Lutheranos accepiſſe certiſſimum eſt, nova hodie ſubdiſtinctiones de abſtracto diſtracto, concreto non concreto Sophiſticũ aut Utopiſticum profectò aliquid ſubolent,* ac th. 85. adducit locum ex Selneccero in exam. Ordin. p. 1. pag. 387. in quo improbat *locutiones abſtractivas. Humana Natura eſt omnipotens & ubiq.* Potuiſſet addere dictum Lutheri in cap. 53. Eſai. *Credendum eſt in concreto & de abſtracto prorſus tacendum.* Sed quilibet videt Selneccerum abſtracti nomine in priore uti ſignificatione, ut abſtractum idem ſit, quod divulſum ac diſtractum. In poſteriore n. ſignificatione abſtracti nomen loco ſubjecti ponere congruum eſt 1. *Scriptura*, quæ carnem Chriſti vocat vivificam, ſanguinem Chriſti à peccatis noa mundare aſſerit & corpus CHRISTI in mortem pro nobis traditum eſſe docet. 2. *Patribus orthodoxis*, qui à locutionibus abſtractivis in hoc communicationis genere minimè abhorruerunt, ut ex illorum dictis ſuperiùs citatis apparet. 3. *rationi*. Quòd ſi n. carni Chriſti verè & realiter divina idiomata ſunt communicata, utiq; etiam de carne Chriſti eadem optimo jure prædicari poſſunt. Quidam concretum & abſtractum hoc modo deſcribuut. *Concretum eſt, quando vel tota perſona, vel dua Natura perſonaliter unita, vel altera Natura, quatenus non in ſe ſeparatim aut ſeorſim, ſed in ipſa perſona Filij Dei & reſpectu unionis perſonalis conſideratur. Abſtractum eſt, quando Natura in ſe, per ſe & ex ſe, ſuisq; naturalibus & eſſentialibus proprietatibus citra mutuum unionis complexum conſiderantur.* Quòd ſi juxta has deſcriptiones de uſu concreti & abſtracti judicare velimus, ἀπαρτόμως negandum erit, abſtractivas locutiones in hoc genere debere uſurpari, quia de carne Chriſti in ſe & extra unionem conſiderata divina idiomata prædicari non poſſunt, aliàs οὐσιωδῶς ei competerent, cùm tamen non niſi ὑποστατικῶς competant. οὐσιωδῶς de Natura Chriſti humana prædicari dicuntur illa, quæ per eſſentiam ei competunt & quæ cum aliis habet communia, ut conſtare corpore & anima, eſſe finitam, habere partem extra partem, &c. ὑποστατικῶς de ea prædicantur, quæ dicuntur de ea non propter ſuam Naturam ſed per & propter unionem perſonalẽ, ut ſubſiſtere in λόγῳ, participem eſſe divinæ omnipotentię, collocatam eſſe ad Dei dextram, quæ de nullo alio homine prædicari poſſunt. Notandum etiam illud, quod duplex ſit abſtractio mentalis. *Una præciſionis*, quâ rem conſidero ſine aliis, quæ cum re conjuncta ſunt, ita tamen, ut contrarium non aſſumam: altera *poſitiva*, quâ non ſolùm abſtraho conjuncta, ſed ſimul pono contraria. Quando dicimus carnem Chriſti conſiderari abſtractivè in priore ſignificatione, tum intelligenda eſt abſtractio *non poſitiva ſed nuda præciſionis*, per quam caro ſemper in λόγῳ exiſtens & nunquam à λόγῳ abſtracta in ſua Natura & eſſentialibus ſuis proprietatibus conſideratur, quod ſi enim carnem Chriſti abſtractione mentis poſitiva à λόγῳ abſtraheremus, eamq; ut propriâ ſubſiſtentiâ extra λόγον ſubſiſtentẽ conſideramus, in Neſtorii caſſes incideremus. Geſner. Diſp. 11. in L. Conc. D. 11. *Aliud eſt abſtractũ τὸ κατ᾽ ἀφαίρεσιν & aliud avulſum τὸ κεχωρισμένον. Nam abſtractio fit τῇ νοήσει mente, ubi res manet integra: avulſio a. fit in re & τῷ ὄντι τῷ πράγματι quà res deſtruitur & in partes diſtribuitur, aliud porrò eſt abſtrahere & diſtinguere.*

274. Q. 3. *An communicatio divinorum idiomatum carni facta per vocabulum effuſionis deſcribi poſſit?* Brent. in lib. de Majeſtate Chriſti eodẽ ſæpius utitur, quo nomine Eutychianiſmi reus à Calvinianis peragitur. Sed notandum, quod non intelligat *phyſicam* quandam *transfuſionem*, quâ propria è ſubjecto in aliud ſubjectum tranſeunt, ſicut aqua ex uno vaſe in aliud effunditur, talem namque effuſionem diſertis verbis aliquoties negat, nec modum communicationis hac phraſi voluerit exprimere ſed per idiotiſmum Hebræis proprium effuſionis nomine intelligit realem & plenariam majeſtatis communicationem ac inhabitationem nõ particulæ cujusdam ſed totius plenitudinis Deitatis in aſſumta carne; & reſpicit effuſionis voce 1. *ad donantis gratiam*. Pater cœleſtis ἐχαρίσατο ex gratia illud nomen, quod eſt ſupra omne nomen Chriſto donavit. Hæc gratia effuſionis nomine inſinuatur, quò enim major donantis gratia & liberalitas, eò copioſius ſua erogat dona. 2. *ad donorum copiam*. Quod largiter & opulentè confertur, illud in Scripturis *effundi* dicitur Eſa. 44. v. 3. Ezech. 36. v. 25. Joel. 2. v. 28. Zach. 12. v. 10. Act. 2. v. 17. Tit. 3. v. 6. &c. quia ergo Sp. ſanct. non ad menſuram ſed cum tota ſua plenitudine Chriſto homini datus, ideò meritiſſime in eum dicitur effuſus. 3. *ad donationis efficaciam. Ex illa enim plenitudine*, Spiritus ſuper Chriſtum effuſi & in ipſo habitantis etiam nos accipimus Joh. 1. v. 16. *oleum effuſum nomen tuum, in odore unguentorum tuorum curremus.* Cant. 1. v. 1.

275. Q. 4. *An ſit eſſentialis cujusq; corporis proprietas eſſe circumſcriptum loco?* Calviniani affirmant & ex hoc principio omnipræſens Chriſti hominis dominium vel maximè impugnant. Sed notandũ, τὸ circumſcribi referri 1. *ad corporis eſſentiam* 2. *ad locum externum*. Prior vocatur *circumſcriptio interna*, poſterior *externa*. Prior eſt perpetua & inſeparabilis corporis proprietas ac nihil aliud quàm eſſentię finitatẽ notat, quę eſt neceſſarium accidẽs omnis Entis præter ſolũ Deum, quod enim propriis eſſentię terminis non circumſcribitur, eſt infinitum, jam verò nullum corpus eſt infinitum. In poſteriore diſtinguendus eſt *actus primus à ſecundo vel potentia ab actu* propriè ſic dicto. Actum primum circumſcriptionis omni corpori eſſentialem, inſeparabilem ac perpetuum eſſe concedimus, omne n. corpus loco circũſcribi poteſt propter eſſentiæ ſuæ corporeæ finitatẽ, ſed actum ſecundùm circumſcriptionis omni corpori eſſentialem ac inſeparabilem eſſe negamus, quia à fortiori agente impediri poteſt ſalvo manente actu primo, probamus hoc. 1. *à DEI potentia.* Quod per divinam potentiam à corpore

ſalvâ ejusdem eſſentia ſeparari poteſt, non eſt eſſentialis, perpetua & inſeparabilis corporis proprietas. Atqui circumſcribi loco externo per divinam potentiam à corpore ſalvâ ejusdem eſſentia ſeparari poteſt, ut in proxima quæſtione demonſtrabimus. Ergo. 2. *ab exemplorum evidentia.* Si circumſcribi loco externo eſſet perpetua & inſeparabilis cujusque corporis proprietas, tum. nullum daretur corpus, quod non eſſet loco externo actu circumſcriptum. Sed conſequens eſt falſum. Nam 1. cœlum extimum & ſummum juxta Ariſtotelis hypotheſes non eſt in loco. Sic enim diſſerit Philoſophus libro 1. de cœlo capite 9. Δῆλον ὅτι οὐδὲ τόπος, οὐδὲ κενὸν, οὐδὲ χρόνος ἐστὶν ἔξω τοῦ οὐρανοῦ. Διόπερ οὔτ' ἐν τόπῳ τἀκεῖ πέφυκεν οὔτε χρόνος αὐτὰ ποιεῖ γηράσκειν, &c. Scal. exerc. 5. ſect. 1. *Primum cœlum in loco non eſſe pro confeſſo accipiunt omnes. quod tamen corpus aliorum corporum regula eſt.* 2. Corpus die primo creatum verum fuit corpus, nec tamen fuit loco externo corporeo circumſcriptum, quia præter illud non fuit aliud creatum. 3. Corpora glorificata eſſentiæ ratione erunt vera corpora, nec tamen neceſſariò circumſcribentur loco externo, quod in tractat. de vit. æterna latè confirmatum dedimus ex ſpiritualitate, ex agilitate & ſubtilitate, ex conformitate cum Angelis, ex corporis Chriſti proprietate, ex loci conditione, ex loci definitione, ex cœli conſtitutione, ex cauſarum locationis remotione, &c. 4. Corpus Chriſti, quatenus in λόγῳ ſubſiſtit, eatenus loco non circumſcribitur, quia λόγος nec in loco nec localiter ſubſiſtit. 3. *ex firma conſequentia.* Si locus eſſet omnibus omninò corporibus neceſſarius, ita ut ſine illo non poſſent exiſtere, foret neceſſarius vel à *priori* vel à *poſteriori.* Sed neutrum veritati congruum. Non illud quia non ingreditur λόγον τῆς οὐσίας, quod tamen neceſſariò fieri oportebat. Scalig. exerc. 307. ſect. 17. Non hoc, quia nullum corpus ſine eo poſſet exiſtere, cujus contrarium exempla allata teſtantur. 4. *à Philoſophorum* ὁμοψηφίᾳ. Ariſtot. 4. Phyſ. cap. 1. & 5. *locum convenire ait corpori duntaxat* αἰσθητῷ καὶ κινητῷ 2. de cœlo cap. 4. diſputat, *locum competere corporibus ſolummodo* ob θνητὴν δυσχέρειαν *ob mortalem imbecillitatem* libr. 2. Metaphyſ. cap. 4. *Locum convenire duntaxat corpori* φθαρτῷ. Scal. exercitat. 5. ſect. 6 *Fateor locum non eſſe de eſſentia corporis, neq; eſt corpori neceſſarium quatenus corpus eſt.* (Quod ibidem addit, *corpus non poſſe eſſe ſine loco*, id accipiendum juxta hypoſtaſin ſect. 3. propoſitam. quod locus non ſit exterioris corporis ambiens ſuperficies, ſed id quod intra eam ſuperficiem continetur videlicet cavum intra corpus) Zabarell. de Nat. ſcient. conſtit. cap. 12. *Locus eſt externa* περιοχὴ *& corporum naturalium peregrinum accidens.*

276. Q. 5. *An per divinam potentiam fieri poſſit, ut corpus unum ſit in pluribus locis?* Scaliger exerc. 5. ſect. 6. negat, ſed modeſtè addit. *De naturali corpore ſermo eſt, non de ſupercœleſti ſynaxi, poteſt enim in pluribus illud eſſe.* Calviniani abſolutè & ſimpliciter negant de ipſo etiam Chriſti corpore, quibus meritò opponimus Diſputationes Scholaſticorum, quod per divinam potentiam quodvis naturale corpus in pluribus locis eſſe poſſit. Johan. Duns Scotus in comm. ad 4. libr. Lomb. diſt. 10. q. 2. *Utrum idem corpus poteſt localiter eſſe ſimul in diverſis locis? Hic tenetur à multis concluſio negativa. Sed diverſi diverſimodè probant.* Poſt recitata aliquot Doctorum & ſua argumenta addit. *Contra iſtam opinionem, negantem ſcilic. hoc ſufficit in genere, quod quodlibet tenendum eſt eſſe Deo poſſibile, quod nec eſt ex terminis manifeſtum impoſſibile, nec ex eo impoſſibilitas vel contradictio evidenter concluditur.* Et poſt refutata argumenta priùs allata, concludit. *Dico ergo ad quæſtionem, quod eſt maxima mihi certiſſima, quod Deo eſt poſſibile omne, quod nō includit evidenter contradictionem, & ad quod non ſequitur neceſſariò contradictio. Hoc eſt hujusmodi. Ergo eſt poſſibile Deo, ut patebit ſolvendo rationes. Dico ergo, quod Deo ſimpliciter eſt poſſibile, idem corpus ſimul facere in diverſis locis localiter, hoc patet ex intellectu terminorum, quod cùm quodlibet cōcedam ſecundum maximam mihi notam eſſe poſſibile, quod non includit contradictionem evidenter, nec aliquo autore aſſeritur includere; & iſtud ſit hujusmodi, quia rationes, quæ inducuntur ad probādum contradictionem non videntur concludere, ut patebit reſpondendo, concedo ſimpliciter poſſibile Deo, idem corpus localiter ſimul eſſe in diverſis locis.* Franc. Maronis lib. 4. ſent. diſt. 11. q. 3. *Utrum Deus poteſt facere, quod idem corpus ſit ubiq;? Dico quod ſic, quia quandocunq; eſt aliquid determinatum ad unum ſi ſit indeterminatum ad plura ejusdem rationis, eadem ratione ad quæcunq; ſe extendit. Cùm igitur unum corpus non determinet ſibi unum locum numero, ſequitur, quod omnia poterit occupare divinâ virtute. Sed hoc difficile eſt, ſi poteſt eſſe in locis infinitis. Dico quod ſic. Sed contra quia eſſet infinitum. Dico quod non ſequitur, tum quia hoc fit divina virtute, tum quia ratio localis eſt ratio extrinſeca.* Biel. 4. ſent. diſt. 11. *Non ſolùm in diverſis locis poteſt eſſe corpus Chriſti definitivè & Sacramentaliter. ſed etiam ipſum & aliud corpus quodlibet eſſe poteſt per divinam potentiam in pluribus locis circumſcriptivè.* Hanc ſententiam confirmamus ſequentibus fundamentis. 1. *Deus poteſt plura præſtare quam nos intelligimus* ab ipſo præſtari poſſe. Eph. 3. v. 20. Ergo quamvis nos non intelligamus, quomodo fieri poſſit ut corpus unū ſit ſimul in pluribus locis, Deus tamen id præſtare poteſt. Quæſtiones illæ, quid & quantum Deus poſſit. cautè ſunt tractandæ, nec in infinitam Dei potentiam ſimus injurii. 2. Corpus unum eſſe in uno loco pendet à Dei voluntate & ordine illo, quem Naturæ præſcripſit. Jam verò Deus in agendo naturali rerum ordini non eſt adſtrictus, ſed eſt & manet Naturæ Dominus. Hugo lib. 2. de Sacram. part. 8 cap. 12. *Quomodo corpus unum eodem tempore in pluribus locis eſſe poteſt? hic eſt & ibi eſt & totum ubiq; eſt. Noli mirari, qui locum fecit, corpus fieri & locum in corpore & corpus in loco, & qui ut unum corpus in uno loco eſſet, fecit, ſicut voluit, fecit; & ſi voluiſſet, aliter facere potuiſſet.* 3. Nullam involvit contradictionem, unum corpus eſſe in pluribus locis, quia locus non ingreditur corporis definitionem, ſed uno loco circumſcribi eſt externum corporis accidens. Omne autem accidens præter eſſentiam accedit ad ſuum ſubjectum. Negatâ igitur locali & externâ circumſcriptione, non negatur corporis eſſentia, ſed id quod præter eſſentiam ejus accedit, ſublato autem eo, quod eſt præter eſſentiam, non ſtatim tollitur ipſa eſſentia. 4. Deus quando voluit, per miraculoſam & extraordinariam actionem potuit proprietates ἐνεργητικὰς ſegregare à rebus & creaturis, ut à ferro 2. Reg. 6. v. 6. ab aqua Ex. 14. v. 21. Joſ. 3. v. 16. ab igni Dan. 3. v. 94. à Sole Joſ. 10. v. 13. non deſtructis,

ctis, ſed manentibus illarum eſſentiis. Ergò etiam poteſt τὸ circumſcribi uno loco à corpore ſemovere non deſtructâ corporis eſſentiâ. 5. Non eſſe adeò abſurdum, Ens unum in multis Ubi conſiſtere probant exempla in Natura. Sonus, qui unus eſt, in ſingulis tamen audientium auribus ſine ſui diviſione & ſine aurium coarctatione totus eſt. Mens noſtra diverſiſſimarum & remotiſſimarum rerum ſpecies ſive εἴδωλα concipere poteſt, eaſque animo ſecum circumferre. Auguſtinus de Spiritu & anima cap.2. Unum corpus in multis oculis & ſpeculis ſui imaginem exhibet. Angeli ſunt toti in hoc & toti in illo Ubi ſine ſui multiplicatione, non enim partes habent, ſecundùm quas in Ubi exiſtant, ubi ergò ſunt, toti ſunt. Anima tota eſt in capite & tota in pedibus.

277. Q. 6. *Rectène dictum à Lombardo 3. ſent. diſt. 22. B. Chriſtus non ubicunq; erat, homo erat, nec modò ubicunq; eſt, homo eſt, quia ubique eſt ſecundùm Deitatem, nec ubique homo, quia non ubique homini unitus, ſed ubicunq; eſt ſecundùm hominem, ibi homo eſt?* Cupidè hoc amplectuntur Jeſuitæ & Calviniani, ſed reſp. falſum eſſe hoc Lombardicum principium. Nam 1. Unio λόγου & carnis nec ad locum, nec in loco tanquam termino, ſed in ipſa ὑποστάσει divina τοῦ λόγου facta eſt, ad quam nulla locorum pertingunt διαστήματα, cùm λόγος nec locus ſit, nec loco circumſcribatur, proindè caro in illocalem λόγου ὑπόστασιν aſſumta illocalem ſubſiſtendi modum eſt ſortita. 2. Chriſtus ubi eſt poſt factam incarnationem & glorioſam ad Patris dextram exaltationem, ibi homo eſt, & ibi ſecum habet aſſumtam Naturam humanam, utpotè cum qua ὁ λόγος perſonaliter unitus, quæ unio perpetua eſt & indiſſolubilis. 3. Proindè ut Filius Dei poſt factam incarnationem ſemper, ita quoque ubique homo eſt & manet ſine ulla temporum vel locorum exceptione. Ubicunque enim non eſt humana Chriſti Natura, ibi etiam Chriſtus non eſt homo, niſi quis dicere velit, Chriſtum abſque Natura humana eſſe hominem. 4. Sic ergò concludimus. Qui ſemper & ubique humanitati perſonaliter unitus eſt, is ſemper & ubique homo eſt. Sed λόγος humanitati ſemper & ubique unitus eſt, quia aliàs unio loco & tempori eſſet ſubjecta, ac proindè localis & temporaria, quod abſurdum. Ergò λόγος ſemper & ubique homo eſt. 5. Sicut durante animæ & corporis unione in homine ubicunque eſt totus homo, ibi etiam anima & corpus adſunt: ita durante perſonali divinæ & hum. Naturæ unione, ubi eſt totus Chriſtus, ibi adeſt ut θεάνθρωπος, ac proindè ſecundùm utramque Naturam.

278. Q. 7. *An Chriſti ad cælos aſcenſio evertat ipſius ſecundùm humanam Naturam in terris præſentiam?* Aff. Calviniani, ſed notandum, ex aſcenſione Chriſti eandem potiùs ſtabiliri. Nam aſcenſio Chriſti conſideranda eſt non tantùm ratione *termini à quo*, & motus localis, quòd Chriſtus à monte oliveti in ſublime evectus, & à diſcipulis elevatus fuerit, ſed etiam ratione *termini ad quem*, qui non eſt circumſcriptus aliquis locus, ſed ipſa infinita & immenſa DEI dextra. Quidam id ſic efferunt: Aſcenſio Chriſti conſideratur vel *abſtractè & diſtinctè*, ut ſit ſolus ille aſcenſionis motus, quo Chriſti corpus conſpicuâ formâ ſubindè altiùs atque altius à conſpectu diſcipulorum ſurſum verſus eſt elevatum, quâ ratione aſcenſio & exaltatio ad Dei dextram diſtinctè deſcribuntur Marc. 16. v. 19. Actor. 1. v. 9. vel *concretè & conjunctè*, ut aſcenſio complectatur & involvat exaltationem ad Patris dextram Pſalm. 68. v. 19. Actorum 2. v. 33. Epheſ. 4. v. 10. 1. Petr. 3. verſ. 21. &c. Quæ exaltatio cùm ſecundùm humanam Naturam Chriſto obtigerit, ideò ab aſcenſione non poteſt argumentum duci ad inferẽdam omnimodam humanæ Naturæ abſentiam, ſed contra potiùs ad infinitam ejus majeſtatem & effectus divinæ virtutis aſſerendos, exemplo Scripturæ in locis proximè allegatis.

279. Q. 8. *An reditus Chriſti ad judicium opponatur ipſius apud nos præſentiæ?* Calviniani & Jeſuitæ affirmant. Contrarium oſtendimus in tractat. de Extrem. judic. §. 24. & 34. Q. 9. *An Pontificij de omniſcientia Chriſti hominis eadem nobiſcum doceant?* De eo non poteſt rectiùs fieri judicium, quàm ſi utriusque partis ſententia proponitur. Docemus in noſtris Eccleſiis animam Chriſti in primo ſtatim incarnationis momento, ut aliis divinis ἐξοχαῖς, ita quoque omniſcientia τοῦ λόγου propriâ perſonaliter eſſe ditatam per & propter realem, arctiſſimam & indiſſolubilem cum λόγῳ omniſcio unionem & κοινωνίαν, ſed ut aliis donis verè ac realiter ſibi communicatis in ſtatu exinanitionis non ſemper eſt uſus, ita quoque omniſcientiam perſonaliter ſibi ut homini cõmunicatam non ſemper actu ſecundo exeruit, ac proindè anima Chriſti juxta *naturalem & habitualem ſcientiam* verè profecit, λόγῳ omniſcio ἐνέργειαν ſuam, quæ eſt actu omnia ſcire & cognoſcere per aſſumtam humanitatem non ſemper exerente, ſed in ſtatu exaltationis plena demùm omniſcientiæ uſurpatio fuit inſecuta. Quam ſententiam probamus 1. ex Marc. 6. v. 6. *mirabatur propter incredulitatem ipſorum.* Ubi locum habet admiratio, ibi actualis omniſcientia ſtatum nequit, quia admiratio ex rei inopinatæ & improviſæ objecto oritur. Sed Chriſtus homo in diebus carnis admiratus eſt Nazarethanorum incredulitatem. Si excipere velis κατὰ δόκησιν & *opinione hominum Chriſtum fuiſſe miratum*, urgemus τὸ ῥητὸν, à quo abſque urgente neceſſitate in fidei articulis diſcedere non eſt integrum, aliàs nulla manebit fidei certitudo. Quod ſi enim κατὰ δόκησιν tantùm & hominum opinione Chriſtus fuit admiratus, Manichæus poterit dicere, Filium Dei κατὰ δόκησιν fuiſſe incarnatum, κατὰ δόκησιν ambulaſſe de loco in locum, cibum aſſumſiſſe &c. hæretici Docetæ ex eo dicti ſtatuere potuerunt, Chriſtũ κατὰ δόκησιν fuiſſe contriſtatum ac paſſum, Calviniani poterunt θέσιν ſuam φυλάττειν, Chriſtum pro reprobis κατὰ δόκησιν duntaxat mortuum. 2. Marc. 13. v. 32. *De die illa & hora nemo novit, ne Angeli quidem, qui in cælo ſunt, nec ipſe Filius, ſed ſolus Pater.* Utiq; ergò Chriſtus in ſtatu exinanitionis verè quædam ignoravit. Varias hujus loci explicationes enumeratas vide apud Bell. lib. 4. de Chriſti anim. cap. 5. & in tractat. de extrem. judic. §. 76. hoc loco emphaſin textus urgemus; eamque duplici argumento explicamus. Primò, Quæ diei noviſſimi ſcientia Angelis & hominibus denegatur, eadem etiam Filio hominis denegatur. Ratio eſt, quia utitur Chriſtus comparatione imparium, ut oratio ipſa magis magisque aſſurgat. *De die illa & hora*, inquit, *neq; homines ſciunt*, qui tamen multarum rerũ notitiam ſibi acquirere poſſunt, *nec Angeli in cælis*, qui quod faciem Patris ſemper intuerentur, maximè ſcire videbantur, imò *nec Filius*

novit. Jam verò Angeli & homines ignorant diem illum non aliis tantùm, ſed etiam ſibipſis, id eſt, non eo tantùm modo ignorant, ut aliis dicere nolint, ſed actu & ὄντως. Ergò & Filius eodem modo ignorat. Si a. Filius ſciret, ſed non ſciret tantùm ad revelandum aliis, id non eſſet majus, nec oratio aſſurgeret in comparatione. Secundo. Quæ dici noviſſimi ſcientia Patri tribuitur in membro poſteriore, ea hominibus Angelis & hominibus denegatur in membro priore, ut oſtendit oppoſitio. Jam verò etiam Pater non ſcivit diem illum ad revelandum aliis, cùm eum non revelârit. Ergò Filius non aliis tantùm, ſed ſibi etiam illum ignoravit. 3. Luc. 2. v. 40. *puer creſcebat & confortabatur Spiritu πληρούμενος, ſapientiâ*. verſ. 52. *proficiebat ſapientiâ & ætate*, ubi nota primò ὄντως affirmari, quòd Chriſtus ſapientiâ profecerit. Jam verò profectus ſapientiæ cũ actuali omniſcientia non conſiſtit. Secundò, eandem phraſin de puero Samuele uſurpari 1. Sam. 2. v. 21. & 26. at negari nequit, illum verè profeciſſe. Tertiò, conjungi hæc duo, quòd *Chriſtus profecerit ætate & ſapientia*. Jam verò ὄντως & verè profecit ἡλικίᾳ ſive ſtaturâ corporis & membrorum quantitate. Ergò etiam ὄντως & verè profecit ſapientiâ. Quartò, dici de ipſo, quòd profecerit ſapientiâ non ſolùm *apud homines*, ſed etiam *apud Deum*. Bellarm. d. l. hunc *προσδιορισμὸν ad gratiam* duntaxat refert, *cùm reliqua membra (ſapientia & ætas) ſint abſoluta nec poſſit quis apud alios dici proficere ſapiẽtia vel ætate*. Sed modus loquendi idem de Samuele d. l. uſurpatus contrarium oſtendit. Quidam exponũt *apud Deum & homines, id eſt, in his quæ Dei ſunt & hominum ſive ad laudem Dei & utilitatem hominũ*. Alii exponunt *excellentiori & divino modo*. Simpliciſſima expoſitio peti poteſt ea phraſi 2. Cor. 8. v. 21. ut apud Deum creſcere ſit non *ficte & ſimulatè, ſed Deo ipſo teſte judice & approbatore verè & ſinceré in his proficere, apud homines creſcere, ſit hominum judicio, quibus profectus ille innoteſcit, creſcere*. Sic Chriſtus Luc. 24. v. 19. dicitur *vir Propheta potens in opere & ſermone coràm Deo & omni populo*, cujus phraſeos explicationem vide in Har. de reſur. Ex his facilè judicari poteſt, quid ſtatuendum de exceptione Tom. p. 3. q. 12. art. 2. Lomb. 3. ſent. diſt. 13. lit. B. & E. Bellarm. 4. de Chriſto cap. 5. quòd Chriſti humanitas non profecerit *in ſe, ſed tantùm in effectu ratione demõſtrationis*, quodque profecerit eo modo, *quo doctor Eccleſiæ & ſcholæ dicitur proficere, diſcipulis per ipſius ſapientiam proficientib*. Quidam addunt, quòd *κατὰ δόκησιν tantùm & hominum opinione profecerit*. Sed argumenta in medium adducta contrarium oſtendunt, ac ſi licet ſtatuere Chriſtum κατὰ δόκησιν tãtùm ſapientia profeciſſe, utique etiam Manichæo licebit dicere, quòd ſtaturâ κατὰ δόκησιν tantùm profecerit. Quando Lucas in eod. cap. v. 48. Joſephum vocat *patrem Chriſti*, ſtatim addit explicationem c. 3. v. 23. Chriſtus erat filius Joſephi *ὡς ἐνομίζετο*, quod ſi noluiſſet hoc nos intelligere, quòd Chriſtus verè profecerit, eandem explicationem huic verſiculo v. 40. c. 2. addidiſſet. 4. Phil. 2. v. 7. *Chriſtus cum eſſet in forma Dei, ſeipſum exinanivit formam ſervi accipiens in ſimilitudine hominum conſtitutus. v. 8. & figura repertus ut homo*. Quemadmodum Chriſtus in diebus carnis ſuæ omnipotentiam ac majeſtatem divinam aſſumtæ Naturæ hum. per unionem perſonalem verè & realiter cõmunicatam non ſemper nec pleno uſu exeruit, ita quoque omniſcientiam non ſemper per Naturam hum. exeruit, pugnat enim cum ſtatu exinanitionis plenum omniſcientiæ uſum ipſo actu exercere. 5. Hebr. 2. v. 17. *debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, abſq; tamen peccato* Heb. 4. v. 5. Naturale eſt animæ humanæ in ſcientia proficere. Jam v. Chriſtus in omnibus naturalibus, non tamen in peccato, neque in perſonalibus ægritudinibus nobis ſimilis factus. Ergò. Adde quod Chriſtus non ſolùm veram, integram & perfectam Nat. hum. & eſſentiales hum. Naturæ proprietates, ſed etiam infirmitates & defectus noſtros ſuſceperit, ut ſuperiùs oſtendimus, non quidem *cõditionis neceſſitate*, ſed *miſerationis voluntate*. Aug. 14. de C. D. cap. 9. nec defectus omnes, ſed illos, quos aſſumi redemtionis operi erat condecens, nec defectus *culpæ*, ſed *pœnæ* Jam v. proficere in ſapientia itidem pertinet ad illos defectus. Ergò. *Patrum dicta* enumeravimus tract. de extr. jud. d. l.

280. Atq; hæc eſt noſtra *de omniſcientia Chriſti hominis* ſententia. Pontificii animæ Chriſti à primo inde increationis momẽto *actualem omniſcientiam* adſcribunt, *ita ut omnia, quæ Deus ſcit, ſciverit, nihilq; eorum illum unquam latuerit*. Thõ. Lomb. Bellarm. d. l. Oſor. tom. 1. conc. pag. 256. ac eorum ſentẽtiam, qui ſtatuunt, *humanam Chriſti Naturam in ſtatu exinanitionis non quovis tempore omnia ſciviſſe*, accuſant hæreſeos. Bell. 4. de anim. Chriſti cap. 1. Piſtor. Spiritu 4. cap. 13. & 14. a. 20a. 2. Animæ Chriſti modò *triplicem*, modò *quadruplicem*, modò *quintuplicem* adſcribunt ſcientiam. 1. *Increatam*, quâ nullo unquam tempore caruerit. 2. *Creatam*, quâ videt in Verbo omnia, quæ eus videt ſcientiâ viſionis. Hanc alii vocant *beatam*, quam ſic deſcribunt, ut animam Chriſti recepto Verbi lumine ſimpliciter omnia ſcire dicant, quæ Deus ſcit, atque inde illi omnium ſine exceptione ſcientiam attribuunt. Quidam tamen addunt divinam τοῦ λόγου ſcientiam excedere animæ Chriſti ſcientiam tùm quo ad *ſciendi modum*, tùm quo ad *numerum ſcitorum*, unde hanc creatam ſive beatam animæ Chriſti ſcientiam faciunt cõmunem cum beatis animab. ſervatâ duntaxat graduũ differentiâ. 3. *Infuſam*, quem Angelicæ ſimilem dicunt, eamq; infuſione omnium ſpecierum intelligibilium, adeo que omnium rerum ac Natur. etiam immaterialium notitiâ animæ Chriſti à primo cõceptionis momento impreſsâ definiunt. *Acquiſitam* ſcientiam vocant, quâ intellectus agens ſpecies intelligibiles à phantaſmatib. abſtrahit, quod cum ſimul fieri non poſſit, ſed ſucceſſivè, ideò exiſtimant Chriſtum non niſi in perfecta ætate ex iis, quæ ſenſibus percepit propter rationis vim eximiam arguendo & ratiocinando in omnium, quæ hoc intellectu cognoſci poſſunt, notitiam perveniſſe. 5. *Experimentalem*, quidam cum acquiſita conjungunt, & pro eadem habent, quidam v. ab ea diſtinguunt. Reſp. 1. horum omnium probationẽ requirimus ex Scripturis. 2. quinimò dicimus hæc non poſſe conciliari cum dictis Scripturæ modò expoſitis. 3. Si per increatam omniſcientiam hoc intelligunt, quòd Chriſto homini unà cum aliis divinis idiomaſi communicata ſit omniſcientia, cujus tamen plenum uſum non in diebus carnis ſive in ſtatu exinanitionis, ſed in exaltatione demùm exeruerit, habent nos ſibi ὁμοψήφους. 4. Sin verò omniſcientiam illam increatam ac beatam *ſubjectivè* animæ Chriſti inhærere ſtatuunt, & animã Chriſti ſubjectum inhæſionis illius ſcientiæ, quâ omnia

ſciat

ſciat quod Deus ſcit, conſtituunt, quod omninò facere videntur, cùm idiomatum communicationem perſonalem impugnent, tùm duas in Chriſto ſtatuunt omniſcientias, divinam ſcil. τ̃ λόγυ propriam & beatam ſubjectivè animæ Chriſti inhærentem. 5. ex quo ſequitur, ipſos verè eſſe Agnoëtas, Themiſtianos & Neſtorianos, quia dum omniſcientiam aliquam beatam ſubjectivè inhærẽtem fingunt, prioris communicationem rejiciũt, & ſic reipsâ negant humanitatem Verbo ſecundùm ſubſiſtentiam unitam omnia ſcire, ſive quod idem eſt, negant humanitati Chriſti per unionem perſonalem omniſcientiæ idioma eſſe communicatum. 6. Infuſam aliquam ſcientiam non minùs quàm alia Spiritus ſanct. dona habitualia & finita in Chriſti anima locum habere concedimus, ſed negamus in ſtatu exinanitionis eam tàm perfectã fuiſſe, ut in ea proficere non potuerit. 7. In ſtatu exaltationis demùm poſt reſurrectionem, ut Chriſtus habet corpus glorificatum, ita quoque animam glorificatam, Angelicis donia perfectiſſimè ditatam. 8. Acquiſita & experimentalis ſcientia per increatam, beatam & infuſam tolluntur. Quod ſi enim Chriſti anima omnia abſolutè & perfectè novit ſcientiâ beatificæ viſionis, quomodo per ſpecies intelligibiles quædam cognoſcere cœpit? Si in mente Chriſti fulſit omnium ſpecierum intelligibilium & immaterialium ſubſtantiarum, omniumque ſingulatim, præteritorum, præſentiũ & futurorum notitia, quis acquiſitæ & experimentalis ſcientiæ erit uſus ac locus? Si omnes ſpecies intelligibiles Chriſti animæ in primo conceptionis momento fuêre infuſæ, quomodo quædam ignoravit? 9. Neque eſt quod ad ſcientiæ manifeſtationem & oſtenſionem confugiant, ecquis enim dixerit, Adamum ſcientiæ lumine pleniſſimè colluſtratum in ſapientia profeciſſe, cùm adductis ad ſe animalibus nomina imponeret? Sapientiſſimum ſe eſſe oſtendit, ſed in ſapientia nullum accepit incrementum. De hæreſi Agnoëtarum, quam nobis affricare conantur Pontificii, actum fuit tract. de extr. judic. §. 31.

Vſus pract. 281. *Vſus practicus* eſt 1. *conſolatorius.* Chriſtus ſecundùm eam Naturam juxta quam eſt frater noſter, accepit omnem poteſtatem in cœlo & terra, eſt nobis præſentiſſimus, eſt calamitatum noſtrarum conſcius &c. quomodo ergò nos averſari poterit, quomodo deſtituetur virtute nos juvandi. 2. *didaſcalicus.* Ut ex perſonali duarum Naturarum in Chriſto unione μετουσία perſonalis, ita ex ſpirituali Dei & fidelis animæ, Chriſti & Eccleſiæ unione ſpiritualis μετουσία oritur, per quam & propter quã opera divina fidei & homini Chriſtiano reſpectu fidei tribuuntur. Marc. 9. v. 23. *omnia ſunt poſſibilia credenti*, ex quo loco B. Luth. in cap. 3. Gal. rectè infert, *quòd fides ſit res omnipotens, ac virtus ejus inæſtimabilis & infinita.* Fides noſtra *eſt victoria, quæ vincit mundum* 1. Johan. 5. v. 4. eadem vincit infernalem Draconem Apocal. 12. v. 11. juſtificat, regenerat, ſalvat credẽtem Marc. 16. v. 16. quæ eſſe opera verè divina nemo negare poteſt. Hûc pertinent omnia miracula, quæ ex fide & per fidem perficiuntur Marc. 16. v. 17. *Signa eos, qui crediderint hæc cõſequentur, in nomine meo ejicient Dæmonia &c.* Matt. 17. v. 20. *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapi, dicetis monti huic tranſi hinc, & tranſibit.* Joh. 14. v. 12. *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora his faciet.* Hebr. 11. v. 33. *per fidem pii devicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt promiſſiones, obturaverunt ora leonum.* v. 34. *extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt infirmitatibus &c.* Item divinæ virtutis opera, quæ Eccleſiæ miniſtri in officii ſui partibus perficiunt, utpotè quod *demoliuntur omnem celſitudinem, quæ extollitur adverſus omnem Dei cognitionem.* 2. Cor. 10. v. 5. quòd *homines regenerant & ſalvant* 1. Cor. 4. v. 15. Galat. 4. v. 19. 1. Tim. 4. v. ult. &c. Neque tamen virtus, quâ talia perficiuntur, homini vel *eſſentialiter* vel *ſubjectivè* vel *formaliter* ineſt, ſed gratia Dei eſt, quæ talia perficit, virtus Chriſti eſt, quæ in his operatur, interim Deus illa operatur, non ſeparatus à piis, ſed in ipſis, cum ipſis ac per ipſos propter ſpiritualem illam unionem, quæ piis per fidem cum Chriſto intercedit, quæ omnia facili negotio latiùs deduci poſſunt. Confer D. Philip. Nicol. lib. 1. de omnipræſ. cap. 4.

Exegeſis.

Cap. XIII.

De tertio communicationis idiomatum genere.

282. Theſis. *Tertium genus communicationis idiomatum eſt, quo in operibus officii utraq; Natura agit, quod ſibi proprium eſt cum communicatione alterius.* Circa hoc genus itidem notanda. 1. *Fundamentum.* Filius Dei inde atque ideò aſſumſit Naturam humanam, *ut in ea, cum ea & per eam* opus redemtionis & partes officii Mediatorii perageret 1. Johan. 3. verſ. 8. &c. Proinde in operibus officii non agit ut Deus tantùm, nec ut homo tantùm, ſed ut θεάνθρωπος, Deus & homo, ac quod idem eſt, Naturæ in Chriſto duæ in operibus officii non agunt diviſè ſed unitè. Ex perſonæ unitate profluit unitas ἀποτελέσματος. 2. *Appellationes.* Vocatur hoc genus à Cyrillo Epiſt. 29. κοινοποιΐα ac κοινοποίησις, quia perſona ſecundùm utramque Naturam agit & communia utrique facit officii opera, κοινωνία ἐνεργειῶν *communicatio operationum, communicatio propriorum utriusque Naturæ ad perſonam.* Item à Damaſcen. l. 3. c. 19. περίφρασις. quando utriusque Naturæ operationes in una locutione comprehendimus. 3. *Subjectum.* In ſubjecto propoſitionum ad hoc tertiũ genus pertinentium ſemper ponitur nomen perſonæ in utraque & ex utraque Natura conſtantis, vel quod idem eſt nomen utriusque Naturæ in una perſona ſubſiſtentis, cùm perſona non ſit tertium aliquod ab utraque Natura diſtinctum, ſed duæ Naturæ perſonaliter unitæ ſunt, unus Chriſtus ἐξ ὧν ἐν αἷς καὶ αἵτινες, ut pii veteres loquuntur. In hoc igitur genere idem eſt ſive dicas, perſonam Chriſti ἐνεργεῖν κατ' ἄμφω τὰς φύσεις agere ſeu operari ſecundùm utramque Naturam vel perſonam Chriſti ἐνεργεῖν ἑκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας operari in utraque forma ſeu Natura cum communicatione alterius, vel utramque Naturam in Chriſto operari, cum communione alterius quod cujusq; proprium eſt. 4. *Species & exempla.* Pertinent ad hoc genus omnes illæ propoſitiones, in quibus nomina & opera officii de Chriſto prædicantur. 1. Cor. 15. v. 3. *Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris.* Galat. 1. v. 4. *Chriſtus dedit ſeipſum pro peccatis noſtris.* Eph. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos & dedit ſeipſum pro nobis hoſtiam & oblationẽ Deo.* Quare cùm triplex ſit Chriſti officium, *Propheti-*

De tertiò communicationis idiomatum genere.

eum, Sacerdotale & Regium, ideò etiam tres claſſes propoſitionum ad hoc genus pertinentium conſtitui poſſunt.

283. 5. *Reciprocatio.* In hoc propoſitionum genere diverſo reſpectu reciprocatio habet & non habet locum. Locum habet in ἀποτελέσματι ſive effecto communi, quod ex utriuſque Naturæ actione provenit, quod veteres appellant θεανδρικὴν ἐνέργειαν. Damaſc. lib. 3. cap. 19. *Non diviſas dicimus actiones neq; diviſè agentes Naturas, ſed ἡνωμένως unitè, unamquamq; cum alterius communicatione agentem idipſum quod propriũ habuit. Neque enim humana ἀνθρωπίνως humanè operabatur, quandoquidem non nudus erat homo, neq; divina θεϊκῶς tantum ſecundùm Deum ſolum, nam non erat nudus Deus, ſed Deus ſimul exiſtens & homo. Animadvertendum igitur eſt, quod de D. N. I. C. quãdoq; ut de duabus Naturis ſermonem agitamus, quandoq; verò ut de una perſona & hoc & illud in unam referimus intelligentiam. Nam duæ Naturæ unus eſt Chriſtus & unus Chriſtus duæ Naturæ. Idẽ igitur eſt dicere, agit Chriſtus ſecũdũ utrãq; ſui ipſius Naturam & agit utraque in Chriſto Natura cũ communicatione alterius.* cap. 15. id declaraverat exemplo inciſæ combuſtionis. *In ignito gladio,* inquit, *quemadmodum Naturæ ſalvantur ignis & ferri, ſic & duæ actiones, & perfectiones eorum. Habet enim ferrum incidendi virtutem & ignis urendi & inciſio actionis ferri perfectio, abſolutioque operis, combuſtio verò ignis. Et ſalvatur horum differentia in combuſta inciſione & in inciſa combuſtione, tametſi nec cõbuſtio ſine inciſiõe fiat, nec inciſio ſine cõbuſtione, & neq; propter duplicitatẽ naturalis actionis duos ignitos gladios dicimus, neq; propter ſingularitatem igniti gladij confuſionẽ ſubſtantialis eorum differentiæ inducimus. Sic & in Chriſto divinitatis ejus divina & omnipotens actio, humanitatis autem ejus quæ ſecundùm nos, abſolutio autem humanitatis quod tenuit puellam manu & erexit, divinitatis vivificatio.* Non habet locum reciprocatio in agendi principio formali ſeu veritate ac ἐνεργείᾳ: Quia enim humana Natura ex ſe & eſſentialibus ſuis proprietatibus non eſt inſtructa divinâ ejuſmodi virtute, quæ in operibus officii peragendis requiritur, ideò divina Natura eam perſonaliter human. Natur. communicat, ut in ſecundo genere communicationis demonſtravimus, ac proinde humana Natura in officii operibus non tantùm agit juata naturales ſuas vires & proptietates, ſed etiam juxta divinam virtutem perſonaliter ſibi communicatam, qualis communicatio proprietatum & paſſionum carnis ad divinam Naturam locum non habet, quá de re ſic ſcribit Damaſc. lib. 3. c. 15. *Divina ſigna operabatur divinitas, ſed non ſine carne & caro humana, ſed non ſine Deitate. Patienti enim carni conjuncta erat Deitas impaſſibilis manens & paſſiones perficiens ſalutares, & operanti Dei Verbi divinitati conjuncta erat ſancta anima intelligens & videns, quæ perficiebantur. Igitur proprias glorificationes divinitas carni communicat, at ipſa manet paſſionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem divinitas Verbi operabatur, hunc etiam in modum per divinitatem ejus caro patiebatur. Nam caro divinitatis organum erat,* unitum ſcil. non ſeparatum & externum. cap. 17. id evidentius declarat *Caro Domini* τὰς θείας ἐνεργείας ἐπλούτησε διὰ τὴν πρὸς τὸν λόγον ἀκραιφνεστάτην ἕνωσιν, *divinis actionibus ditata eſt propter puriſſimam ad Verbum unionem, id eſt, hypoſtaſin nequaquam naturalium proprietatum excidentiam paſſa. Non enim ſecundum propriam ἐνέργειαν, ſed propter Unitum ſibi Verbum divina operatur Verbo per eam propriam manifeſtante actionem,* τοῦ λόγου δι' αὐτῆς τὴν οἰκείαν ἐνδεικνυμένου ἐνέργειαν. *Nã & uris ignitum ferrum non naturali ratione uſtivam, poſſidens actionem* τὴν καυστικὴν ἐνέργειαν, *ſed ex unione ignis ad ferrum illud poſſidet. Ipſa igitur mortalis erat propter ſeipſam & vivificans propter unionem ad verbum ſecundum hypoſtaſin &c.* Quæ opponenda ſunt illis, qui diſputant humanam Chriſti Natur. in operibus officii & redemtionis agere tantum quæ ſunt humana, ſicut divina agit, quæ ſunt divina. Committunt illi *fallaciã compoſitionis & diviſionis*, dum inſufficientem definitionem hujus generis proponunt. Veriſſimum quidem eſt, *in operibus officij utramq; Chriſti Nat. agere, quodcuiq; proprium eſt*, ſed eo non abſolvitur integra definitio, verùm addendum etiam illud, quod Canon Concilii Chalcedonenſis addit *cum communicatione alterius*, quæ communicatio quomodo comparata ſit, jam antè in præcedentibus fuit expoſitum. Ac ſi quis diligenter attendat, in verbis illis μετὰ θατέρου κοινωνίας differentia ſpecifica hujus generis continetur, niſi enim hæc προσθήκη addatur, nulla in hoc genere eſſet idiomatum κοινωνία. Quare in hoc genere tria accuratè ſunt notanda, ut κοινωνία in eo ſit illuſtrior. Primò quòd utriuſque Naturæ operationes in uno apoteleſmate & ad unum apoteleſma concurrant. Secundò quòd unâ Natura in officio Mediationis ac redemtionis aliquid agente, altera non ſit otioſa, & nihil agat, multò minùs ſit ſeparata, ſed agenti alteri perſonaliter unita maneat. Sic patiente humanitate, non eſt otioſa divinitas, ſed adeſt perſonaliter Naturæ patienti, eamque corroborat & ſuſtentat, ut poſſit immenſum illud onus peccatorum totius mũdi & iræ divinæ peccatis illis debitæ ſuſtinere & efficit paſſiones illas ſalutares ac coram toto mundo precioſas. Tertiò quod hum. Natura in operibus officii agit non tantum quæ ſibi propria ſunt per eſſentiales ſuas proprietates, ſed etiam quæ verè divina per communicatam ſibi majeſtatẽm & virtutem. Quædam enim officii opera talia ſunt, ut ea non poſſit Natura divina præſtare ſine aſſumta humanitate, ut dare corpus ſuum pro mũdi vita, effundere ſanguinem in remiſſionem peccatorum, dare animam ſuam ἀντίλυτρον pro multis; quædam verò etſi poſſet ex ſola ſua Deitate perficere, tamen ex divinâ εὐδοκίᾳ & libera ac bona voluntate ad illa præſtanda adhibet aſſumtam humanam Naturam tanquam organon perſonaliter & inſeparabiliter ſibi unitum, ubi hum. Nat. agit non ex naturalibus ſuis proprietatibus & viribus, ſed ex communicata ſibi per unionem hypoſtaticam divinâ poteſtate.

284. 6. *Particula diſtinctiva.* In deſcriptione officii quandoque ſimul involvitur proprietas aliqua humanæ Naturæ, quæ diligenter evolvenda eſt, ne confuſio Naturarum ſequatur. Sic pati & mori eſt humanæ Naturæ proprietas, ſed pati pro totius humani generis peccatis, mori pro mũdi vita eſt opus officii & commune aliquod ἀποτέλεσμα, in quo utriuſque Naturæ proprietas concurrit. Eſa. 53. verſ. 5. *livore ejus ſanati ſumus.* Act. 20. verſ. 28. *Deus ſuo ſanguine redemit Eccleſiam.* Rom. 5. v. 9. *Iuſtificati in ſanguine ejus, ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Hebr. 2. v. 14. *Chriſtus per mortem deſtruxit eum, qui habebit mortis imperium.*

rium. 1. Petr. 1. verſ. 18. *redemti eſtis precioſo ſanguine Agni immaculati &c.* Sanare, juſtificare, redimere Eccleſiam, deſtruere regnum Diaboli, &c. ſunt opera officii, quæ ſecundùm utramque Naturam de Chriſto prædicantur, interim tamen non dicimus Chriſtum eſſe paſſum & mortuum ſecundùm utramque Naturam, ſed Chriſtum eſſe paſſum carne, Chriſtum eſſe mortuum ſecundùm carnem, ut in primo genere communicationis oſtendimus.

285. Cæterùm cùm opera officii ita de Chriſto ſecundùm utramque Naturam prædicentur, ut Naturarum diſcrimen ſalvum atque integrum maneat, notandum eſt ex Damaſceno libro 3. de orth. fid. cap. 15. diſcrimen inter ἐνέργειαν καὶ ἀποτέλεσμα. *Duas*, inquit, ἐνεργείας *dicimus in Chriſto, habuit enim ut Deus & Patri* ὁμοούσιος *ſimiliter & æqualiter* τὴν θείαν ἐνέργειαν *& ut homo factus ac nobis* ὁμοούσιος, *humana Natura* ἐνέργειαν. *Sciendum v. quod aliud ſit* ἐνέργεια, *& aliud* ἐνεργητικὸν *& aliud* ἐνέργημα *& aliud ὁ* ἐνεργῶν. ἐνέργεια *actio quidem eſt* ἡ δραστικὴ καὶ οὐσιώδης τῆς φύσεως κίνησις *efficax & ſubſtantialis Naturæ motus.* ἐνεργητικὸν *activum eſt* ἡ φύσις *Natura ipſa, ex qua prodit* ἐνέργεια. ἐνέργημα *actus eſt* τὸ τῆς ἐνεργείας ἀποτέλεσμα *actionis abſolutio & res ipſa geſta.* ἐνεργῶν *agens* ὁ κεχρημένος τῇ ἐνεργείᾳ ἤτοι ἡ ὑπόστασις, *quod utitur actione, id eſt, hypoſtaſis. Dicitur etiam* ἡ ἐνέργεια καὶ ἐνέργημα καὶ τὸ ἐνέργημα ἐνέργεια, ὡς καὶ τὸ κτίσμα κτίσις. οὕτω γὰρ φαμὲν πᾶσα ἡ κτίσις τὰ κτίσματα δηλοῦντες. Sciendum quod ἐνέργεια ſit κίνησις καὶ μᾶλλον ἐνεργεῖται ἢ ἐνεργεῖ, εἰ δὲ ἐνέργεια ἐστιν, ἐνεργηθήσεται δηλονότι καὶ οὐκ ἐνεργήσει καὶ ὁμοῦ τῷ ἐνεργηθῆναι παύσεται *ſiquidem actio eſt, agetur ſcil. non aget & ſimul atq; acta fuerit, quieſcet.* Quæ omnia ibidem illuſtrat exemplo corporis animati & ferri igniti, eaque ad Chriſtum hoc modo applicat. *In Chriſto Domino noſtro*, inquit, δύναμις θαυμάτων fuit ἐνέργεια *divinitatis* ἡ δὲ χειρουργία καὶ τὸ θελῆσαι καὶ τὸ εἰπεῖν θέλω καθαρίσθητι *humanitatis ipſius erat* ἐνέργεια. ἀποτέλεσμα *humanitatis erat panum fractio & quod audiret leproſus, volo; divinitatis v. panum multiplicatio & leproſi mundatio, per utraſque enim & animæ & corporis actiones unam & eandem congeneam & æqualem demonſtrat ſui ipſius actionem. Ut enim agnoſcimus Naturas unitas* τὴν ἐν ἀλλήλαις ἐχούσας περιχώρησιν *& earum differentiam non negamus, ſed & numeramus & eaſdem inſeparabiles* ἀδιαιρέτως *agnoſcimus, ita quoq; voluntatem & ἐνεργειῶν actionum* καὶ τὸ συναφὲς γινώσκομεν καὶ τὸ διάφορον ἐπιγινώσκομεν *conjunctionem & differentiam agnoſcimus, & numeramus & diviſionem haudquaquam introducimus.* Et poſtea. *Unus eſt & hoc & illud exiſtens* τοῦτο κἀκεῖνο ὢν καὶ οὕτως κἀκείνως ὑπάρχων θεϊκῶς καὶ ἀνθρωπίνως θέλων καὶ ἐνεργῶν *Divinitus & humanitus volens & agens. Duas igitur* ἐνεργείας *in Chriſto aſtruere neceſſarium propter duplicem Nat.* διὰ τὸ διττὸν τῆς φύσεως. *Nã quorum Nat. diverſa, illorũ diverſa actio, & vice verſa,* ὧν γὰρ ἡ φύσις παρηλλαγμένη, τούτων διάφορος ἡ ἐνέργεια, καὶ ὧν ἡ ἐνέργεια παρηλλαγμένη, τούτων ἡ φύσις διάφορος. *Et è diverſo, quorum Natura eſt eadem, eor. etiam* ἐνέργεια *eſt eadem, & quorum* ἐνέργεια *eſt una, eorum quoq; Natura eſt una ſecundùm divinorum interpretes Patres.* Cum hiſce ex Damaſceno adductis cõſonat regula Scholaſticorum: *Agere eſt ſuppoſiti perſonaſeu hypoſtaſeos, ſed forma ſeu Natura eſt agendi cauſa.* Scal. ex. 251. *Actiones ſunt ſingularium, ut ſunt ſingularia.* Philoſophi diſtinguunt inter *ſubjectum quod & ſubjectum quo.* Subjectum quod eſt ipſum ſuppoſitum ſive compoſitũ quod operatur, ſubjectum quo eſt agendi virtus, quâ operatur. Sic in hoc noſtro argumento ſubjectum quod eſt Chriſtus, perſona illa, quæ eſt Deus & homo, ſubjectum quo eſt Natura humana vel divina, ſecundùm quam Chriſtus dicitur operari, agere, vel etiam pati, ubi tamen nomine Naturæ intelliguntur etiam *ἰδιώματα* Naturæ. ἐνέργεια eſt ipſa operatio, ſeu motio vel actio, quæ proficiſcitur ex Natura ſive proprietate naturali, quia Natura hîc conſideratur, quatenus in ea eſt facultas ſeu vis operandi. ἐνέργημα eſt effectum ἐνεργείας, quare refertur ad hanc vel illam Naturam. ἀποτέλεσμα eſt effectum commune ex utriuſque Naturæ operatione proveniens, quod Damaſcen. d. l. vocat ἐνέργειαν θεανδρικήν. Declarari hæc poſſunt exemplo hominis. Homo eſt ἐνεργῶν, videl. totum illud ſuppoſitum ſive compoſitum. In uno illo homine eſt corpus & anima, quæ ſunt eſſentiales ejus partes, utriuſq; alia eſt Natura, alia proprietas, ergò etiam alia ἐνέργεια. Quædam igitur tribuuntur toti Chriſto ſecundùm alterutram partem, videlicet vel ratione animæ vel corporis, quædam verò ſecundùm utramque partem, in quibus ſcil. & animæ, & corporis Natura, proprietas, efficacia & actio concurrunt, ut quando dico: Homo loquitur, ſcribit, videt &c.

286. *Dicta Patrum* adducta ſunt in loc. de perſ. Chriſti §. 80. quibus ſequentia adjungi poſſunt. Athan. orat. 5. contra Arianos. *Verbum manum ſuam extendens ſanavit febricitantem, vocem humanam edens ſuſcitavit Lazarum, manibus ſuis in cruce protenſis, proſtravit aeris Principem.* Cyrillus Epiſt. 10. & 29. docet, *Evangelicas voces, quæ uni perſonæ Chriſti tribuuntur, alias competere divinitati ejus, alias humanitati ejus, alias verò voces dicit eſſe medii ordinis ac quodammodo communicativas, quæ ſimul ad utramq; & humanitatem & divinitatem reſpiciant.* De rect. fid. ad Theod. *Anima unionem ſortita ad Verbum deſcendit in infernum, divinâ autem virtute dixit compeditis. Egredimini.* Nazianzenus orat. 4. de Theolog. *Quædam quæ de Chriſto prædicantur, non ſunt unius tantùm Naturæ propria, ſed utrique communia.* Leo ſerm. 1. de paſſ. *Nec Verbum ibi disjunctum eſt ab homine, nec homo diſſociatus à Verbo: Non eſt faſtidita humilitas, quia nec imminuta majeſtas, nihilque nocuit Naturæ inviolabili, quod oportebat inferri paſſibili, totumq; illud Sacramentum & humanitas conſummavit & Deitas.* Epiſt. 81. *In tantam unitatem ab ipſo concepta Virginis Deitas & humanitas connexa ſunt, ut nec ſine homine divina, nec ſine Deo agerentur humana.* Damaſcen. libr. 3. cap. 3. εἷς ἦν καὶ ὁ αὐτὸς ὢν καὶ τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπινα ἐνεργῶν ἐν ἑκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας. cap. 14. θέλει καὶ ἐνεργεῖ ἐν ἑκατέρᾳ μορφῇ μετὰ τῆς θατέρου κοινωνίας. c. 19. allegat dictũ Dionyſ. *Ex hominib. ultra homines & ſupra homines verè homo factus eſt, ut poſthac nec ſecũdùm Deũ div. operetur, nec ſecundùm hominẽ humana, ſed Deo homine ſeu viro facto novam quandam Dei virilem actionem* θεανδρικὴν *nobis adminiſtravit.* Comment. Damaſc. ad lib. 3. c. 15. *Humana Chriſti actio habet divinam virtutem coeffectricem, divina ejus actio habet humanam operationem more conjuncti organi cooperatricem, atq; ita divina actio non eſt expers humanæ, neque humana divina.*

Antitheſis.

287. *Antitheſis.* 1. *Monotheletæ* unam & eandem in duabus Chriſti Naturis ſtatuebant voluntatem, ſicque diſcrimen inter θελητικὸν, θέλησιν, θέλημα καὶ τὸ θελητὸν, adeoque inter ἐνέργειαν καὶ ἀποτέλεσμα confundebant, contra quos habitum fuit Concilium VI. Univerſale ſub Conſtantino V. Pogonato A.C. 681. in quo damnatus fuit *Sergius* Epiſcop. Conſtantinop. hæreſeos hujus autor, qui ex lacunis *Monophyſitarum* poſt factam unionem unam in Chriſto Naturam ſtatuentium eandem hauſit. Labes hujus erroris ad ipſam ſedem Romanam, quam ab omni errore immunem fingunt, penetravit. Sic enim ſcribit Honorius Papa in Epiſt. ad Sergium. *Intuentes ſatis providè circumſpectéq; fraternitatem veſtram ſcripſiſſe laudamus, unam Domini noſtri Ieſu Chriſti voluntatem fatemur, &c.* ibid. dicit, *non eſſe quærendum de una vel duabus energiis Chriſti, eſſe illa Grammatica & Philoſophica, ſatis eſſe ſi credamus & cōfiteamur, Dominum Ieſum Chriſtum unum operatorem divinæ & humanæ Naturæ, & eum in duabus Naturis operatum divinitus & humanitus.* Addit etiam hoc argumentum. *Si dicantur operationes duæ videri hoc poſſe Neſtorianum, ſin una Eutychianum.* Sed hæc Honorii Epiſtola in dicto Concilio Univerſali. 6. fuit prælecta & publicè damnata ac concremari juſſa act. 13. In Pontificali de Leone II. dicitur, quod *ſuſceperit 6. Synodum, in qua cōdemnati ſunt Sergius & Honorius, qui unam in Chriſto voluntatem & operationem ſtatuerunt.* Concilium Romanum ab Adriano II. habitum diſertè fatetur, *Honorium propter hæreſeos accuſationem eſſe damnatum.* Synodus 7. act. ult. Honorio & cæteris Monotheletis dicit anathema. Synodus 8. act. 7. probat Epiſtolam Concilii Romani ſub Adriano II. in qua Papa cum Concilio aſſerit, *Honorium poſt mortem damnatum eſſe à 6. Synodo, quia de hæreſi fuerat accuſatus.* Ægrè hoc ferunt Romanæ ſedis patroni Baronius, Bellarminus, Gretſerus, &c. ideò in varias ſeſe torquent formas, modo aſſerunt *acta Synodi eſſe corrupta,* modò pugnant *in Epiſtola Honorij nihil erroneum contineri,* quibus præter cætera meritò hoc opponitur, quod Melchior Canus lib. 6. locor. c. ult. ſine circuitione fateatur, *Honorium fuiſſe Monotheletam.* Opponimus autem huic errori 1. *dictorum Scripturæ perſpicuitatem.* Matth. 26. verſ. 39. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis* Joh. 6. v. 28. *Deſcendi de cœlo non ut faciam meam voluntatem, ſed ejus qui me miſit, &c.* 2. *humanæ Naturæ veritatem atque integritatem.* Filius Dei aſſumſit integram & perfectam humanam Naturam. Ergo etiam veram animam intelligendi & volendi facultate præditam. 3. *Naturalem dualitatem.* Quorum eadem ἐνέργεια, eorum etiam eadem Natura & quorum Natura diverſa, eorum etiam operatio eſt diverſa, diſtincta autem operatio promanat ex diſtincta voluntate. Dicta piorum veterum adducuntur à Damaſc. libr. 3. de orth. fid. c. 14. & ſeqq. ubi etiam Monothelitarum argumentis reſpondet. Confer Cent. Magd. 7. c. 5. p. 129. c. 7. p. 224. cap. 9. p. 414.

288. 2. *Calviniani.* 1. diſputant, *humanam Chriſti Naturam in operibus officij humana tantùm agere ex naturalibus ſuis proprietatibus,* ſicq; evertunt illum Canonem Concil. Chalced. *quòd utraque Natura agat cum cōmunicatione alterius, quod cujusq; proprium.* (Contrà in ſecundo genere demonſtratum fuit, quòd Chriſti caro τὰς θείας ἐνεργείας ἐπλούτησε. *propter puriſſimā ad Verbum unionem,* ut loquitur Damaſc. l. 3. c. 17. Quia enim officia & beneficia Chriſti Mediatoris, Redemtoris ac Salvatoris talia ſunt, in quorum multis ſeu plerisque humana in Chriſto Natura ſolis naturalibus viribus ſeu eſſentialibus proprietatibus non poteſt divinæ cooperari, ideò præter & ultra naturales proprietates dona verè divina & infinita hum. Nat. ex hypoſtatica unione & ſeſſione ad Dei dextram tradita ſunt, quæ in operibus officii efficaciter ſeſe exerunt, unde Athanaſius, Cyrill. & Damaſcen. carnem Chriſti vocant *organon,* putà non ſeparatum aut diviſum, ſed unitum, nec ἄεργον & otioſum, ſed activum & efficax, in quo, cum quo, & per quod officia Mediatoris Chriſtus exequitur. Athanaſ. lib. 4. contr. Arian. p. 259. *Natura hum. facta fuit Deitatis organum, ut ſuam ἐνέργειαν per illud exerceret.* Cyrill. lib. 4. in Joh. cap. 14. *Humanam Nat. vocat Deitatis cooperatricem in edendis miraculis.*) 2. *carnem Chriſti ad miracula concurriſſe* dicunt, *ut nudum tantùm & ἄεργον inſtrumentum, quod quid Deitas λόγου efficeret, aurib. vel oculis hominum demonſtraret.* Danæus in Epiſt. ad frat. Tubing. p. 1513. oper. *carnem Chriſti non plus contuliſſe ad miracula faciēda, quàm fimbria veſtis ad ſanandam hæmorrhouſam.* Sadeel. de verit. hum. Nat. pag. 141. *ad efficienda opera vivificationis, ſanationis &c. non plus contuliſſe carnē Chriſti, quàm ad edita ab Apoſtolis miracula, caro Apoſtolorū contulit aut virga Moſis ad edenda miracula Moſi profuit.* Danæus in exam. Chemnit. libr. cap. 4. pag. 118. & 156. Adm. Neoſtad. pag. 270. (Contrà. 1. maxima in his exemplis eſt diverſitas. Neque enim caro Apoſtolorum multò minùs virga Moſis in ipſam τοῦ λόγου ὑπόστασιν eſt aſſumta, vel ad dexteram Dei evecta ut Chriſti caro. Neque uſpiam dicit Scriptura baculum Moſis virtute θαυματουργίας præditum, quemadmodum Chriſtus *Spiritu & potentiâ ad miracula facienda unctus dicitur.* Actor. 10. v. 38. 2. conſequens foret, Naturam humanam eſſe externum duntaxat λόγου accidens, inſtrumentum ἄεργον & otioſum, carnem Chriſti eſſe ſolo nomine vivificam &c. 3. Quid verò fiet emphaticis illis Scripturæ oraculis. Marc. 5. v. 30. *Ieſus in ſemetipſo cognoſcebat virtutē, quæ de ſe exierat.* Luc. 6. v. 19. *δύναμις ab illo exibat, & ſanabat omnes.* Confer, quæ de hac θαυματουργίᾳ ex Scriptura & Patribus adducta ſunt in c. prox. antecēd.) 3. carnem Chriſti *ab operibus officij, Regij & applicatione beneficiorum morte Chriſti partorum prorſus* excludunt. Danæ. in exam. p. 285. *negat carnē Chriſti eſſe vivificam.* p. 371. *ipſe ſanguis Chriſti non condonat nobis peccata.* Herborn. in Spic. p. 120. negāt *per carnem nobis applicari ſalutem &c.*

289. Quæritur hoc loco. 1. *An in hoc genere propoſitionum ſit communicatio idiomatum?* Quidam negant argumento uſi eo, *quod plurimum differāt* ἀποτέλεσμα *ſeu nomen officij & proprietas.* Reſp. 1. Ubi definitio locum habet, ibi definitum negati nequit. Sed in hoc genere definitio communicationis idiomatum locum habet. Concil. Chalcedonenſe illud ſic definit, *quòd utraque Natura agat, quod ſibi propriū* (ubi habes τὸ ἴδιον) *cum communicatione alterius* (ubi habes κοινωνίαν.) Quod ſi conjungas ἴδιον καὶ κοινωνίαν, habebis idiomatū κοινωνίαν. Cyril. Epiſt. 10. & 29. *quaſdā Evangeliſtas voces, quæ uni perſonæ Chriſti tribuuntur, eſſe quodammodo communicativas κοινοποιηθείσας, quæ ſimul ad utramque Naturam, divinam & humanā reſpiciant, & de perſona vera eſſe ſecundū utrāq; Nat. intelli-*

Quæſtiones de tertio cōmunicationis idiomatū genere.

telligantur.2.Si eſt vera *ἰδιωμάτων κοινωνία*, quando unius Naturæ proprietas prædicatur de perſona, omninò etiam erit *κοινωνία ἰδιωμάτων*, quando utriusque Naturæ proprietas ſimul tribuitur perſonæ & de ea prædicatur. Prius eſt in confeſſo ex primo genere communicationis. Ergò & poſterius negari nequit. Ratio connexionis in Majore eſt petenda ex fine incarnationis, qui eſt executio officii redemtionis & ſalvationis. 3. Sanguis Chriſti emundat nos ab omnibus peccatis aut citra aut per communicationem idiomatum. Prius dici nequit, quia naturali virtute ſanguis non poteſt à peccatis mundare. Relinquitur ergò poſterius. Nimirùm Natura Chriſti humana in operibus officii non agit tantùm virtute naturali, ſed etiam divina ex unione hypoſtatica ſibi comunicata. 4. Nec poteſt eo modo concludi: *Nomina officij competunt Chriſto ſecundùm utramque Naturā & ἀποτέλεσμα ab ἐνεργείᾳ diſtinctum prædicatur de Chriſto ſecundùm utramque Naturam. Ergò in illis prædicationibus non eſt κοινωνία ἰδιωμάτων.* Contradicit enim expreſsè Canon Chalcedonenſis, affirmans utramque Naturam agere, *quod ſibi proprium eſt cum communicatione alterius.* 5. Diſtinguenda igitur acceptio vocis *proprij* Theologica à Philoſophica. Philoſophis proprium id eſt, quod eſt eſſentiâ poſterius adjunctum ſuo ſubjecto ſoli & ſemper competens, unde *ἐπουσιῶδες* & *ſecundùm Naturæ momentum* dicitur; diſtinguunt etiam proprium ceu actum primum ab operatione ceu actu ſecundo. Theologi verò per terminum proprii generaliter intelligunt omne id, quod uni ſoli rei ſemper convenit, ſive ſit eſſentia, ſive adjunctum, ſive effectum, ſive alio quocunque nomine veniat. Sic *κοινωνίαν* divinorum *αὐχημάτων* referunt ad *κοινωνίαν ἰδιωμάτων*, cùm tamen divina illa *αὐχήματα* non ſint τοῦ λόγου adjuncta ab eo velut accidentia diſtincta, ſed unum ταυτὸ cum λόγῳ.

290. Q. 2. *Quomodo hoc genus differat à præcedentibus?* A *primo* differt eo modo, quòd illud veo dicet proprietates ſuæ quasque Nat. hoc verò conjungat ſeu connectat utraſque in officio Chriſti. A *ſecundo* differt tum ratione *ſubjecti*, quia in illo ponitur ſubjecti loco nomen Naturæ hum. in hoc v. nomen perſonæ vel utriusque Nat. tum *prædicati*, quia in illo divina *αὐχήματα*, in hoc v. opera officii prædicantur.

291. Q. 3. *Num intentatam Neſtorianæ divulſionis accuſationem ſufficienter depellat Paræus, quando in Iren. pag. 267. ſcribit: Quomodo doceremus, Chriſtum hominem non propriâ virtute miracula edidiſſe, quem propriâ Deitate Deum eſſe credimus?* Reſp. 1. Paræus & ſibi & fidei ſuæ ſociis contradicit. Illud, quia h. l. Chriſtum hominem *propriâ virtute* miracula edidiſſe aſſerit, cum tamen alibi præter externam actionem voluntatis, vocis, imperii &c. nihil ei relinquat. Hoc, quia negant carnem Chriſti plus contuliſſe ad miracula, quàm virga Moſis ad miracula efficienda contulit. 2. aliud quæritur, aliud reſpondet. Quæritur *de Chriſto homine*, id eſt, de Chriſti humanitate prout λόγῳ perſonaliter eſt unita, ipſe reſpondet *de Chriſto Deo*, quem propriâ Deitate Deum eſſe rectè quidem aſſerit, ſed *ἀπροσδιονύσως*, ſi ad propoſitam quæſtionem id referatur. 3. Vocabulo *hominis* per Cinglianā *ἀλλοίωσιν*, intelligit tãtū λόγον. Illud n. vocabulo hominis in priore membro intelligit, quod in Chriſto non alienâ, ſed propriâ virtute miracula operatur, & propriâ Deitate Deus eſt, ut apparet ex membro poſteriore. Jam verò Chriſtus non quâ homo, ſed quâ Deus propriâ virtute miracula facit, & propriâ Deitate Deus eſt; quâ homo verò non propriâ, ſed à λόγῳ ſibi perſonaliter communicata virtute miracula operatur. Ergò Paræus hìc non intelligit Chriſtum quâ hominem, ſed per Zuinglianam allœoſin quâ Deum. 4. Et quomodo Chriſtum hominem ſive ſecundùm hum. Naturam virtute divinâ miracula operatum fuiſſe aſſerere poſſit, cùm p. 265. & 268. expreſsè ſcribat, *ἐνέργειαν* miracula edendi non eſſe humanitati Chriſti à λόγῳ realiter communicatam?

292. *Uſus practicus.* Ut ex unione perſonali *κοινοποιία* perſonalis, ita ex unione ſpirituali inter Deum & fidelem animam, Chriſtum & Eccleſiam ſpiritualis quædam *κοινοποιία* oritur, quæ conſiſtit in productione communis alicujus ἀποτελέσματος, ad quod Deus & fidelis homo concurrit. Chriſtus Rex & Sacerdos Eccleſiæ credentes facit coram Deo *Reges & Sacerdotes* Apoc. 1. verſ. 6. *ut regnent ſuper terram* Apoc. 5. v. 10. *ſint genus electum, Regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, prædicans virtutem ejus, qui vocavit ipſos à tenebris in lucem admirabilem* 1. Petr. 2. verſ. 6. ſint *Sacerdotium ſanctum, & offerant ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Chriſtum*. v. 5. *ut exhibeant corpora ſua hoſtiā viventem, ſanctam, DEO placentem* Roman. 12. v. 1. *ut per Chriſtum offerant hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Hebr. 13. v. 15. In his ac ſimilibus, ἀποτελέσμασι non Deus ſolùm agit, nec credentes ſolùm agunt, ſed credẽtes ſunt Dei *σύνεργοι* 1. Cor. 3. v. 9. ita enim *aguntur à Spiritu Dei* Rom. 8. v. 14. ut ipſi quoque agant. Johan. 15. v. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multū, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Auguſt. lib. de corrept. & grat. cap. 2. *Intelligant ſi filij Dei ſunt, Spiritu Dei ſe agi, ut quod agendum eſt, agant, & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant.* Quemadmodum eo fine duarum Naturarum unio in Chriſto facta eſt, ut Filius Dei in aſſumta Natura humana, & per aſſumtam Naturam humanam opera Mediatoris exequeretur; ſic unio ſpiritualis inter Deum & fidelem animam ideò coaleſcit, ut fiant opera illa Deo grata & Eccleſiæ ſalutaria. Quod ſi ergò ſcire velis, an ſpiritualis unio inter Chriſtum & animam tuam locum habeat, an *Chriſtus per fidem in corde tuo habitet* Eph. 3. v. 17. an *Chriſtus in te ſit* 2. Cor. 13. v. 5. an *in te vivat*. Gal. 2. v. 20. illud reſpice, an opera ſpiritualis Regis & Sacerdotis à te perficiantur, an carni tuæ domineris, an mundum, id eſt, *concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum & ſuperbiam vitæ* per fidem vincas, an Deo offeras fructum labiorum tuorum, an corpus tuum exhibeas hoſtiam viventem, &c. niſi enim hæc opera ſequantur exteriùs, fruſtrà glorieris de interiore Chriſti inhabitatione, Chriſtus enim ubi vivit & habitat in alicujus corde, non eſt otioſus, ſed efficax per charitatem & alia pietatis exercitia &c. *Uſus pract.*

CAP.

CAP. XIV.

De ſtatu exinanitionis & exaltationis.

De ſtatu exinanitionis.

293. Theſis. 1. *Exinanitio definiente Apoſtolo Philip 2. verſ. 7. & 8. eſt Ieſu Chriſti θεανθρώπου in forma ſervili humilis obœdientia ſive ſubjectio ad mortem uſq; crucis.* Diximus ſuperiùs diſtinguendum eſſe inter *communicationem & communicatorum uſurpationem*. Communicatio divinorum idiomatum facta eſt in primo incarnationis momento, ſed plenam eorũ uſurpationem diſtulit Chriſtus in ſuã ad cœlos aſcenſionẽ, & ad dextram Dei collocationem, inde promanat diſtinctio inter ſtatum exinanitionis & exaltationis. Exinanitio Chriſti accipitur in ſenſu 1. *Eccleſiaſtico. 2. Biblico.* Eccleſiaſticè, id eſt, ſecundùm ſtylum Eccleſiæ doctorum ſumitur pro clementi inclinatione, quâ ὁ λόγος ſe inclinavit ad miſerendum noſtri, & ad ſuccurrendum nobis, ac de cœlo deſcendens humanam Naturam aſſumere eſt dignatus. Hæc exinanitio impropriè & in ſenſu Eccleſiaſtico ſic dicta vocatur *humiliatio incarnationis*. Item, *χρηστότης*, quâ Filius Dei ſe humiliaſſe dicitur *inclinatione miſerationis*. Iohan. 1. verſ. 14. cap. 3. v. 13. 1. Timoth. 3. v. 16. Hebr. 2. v. 16. Explicandum hoc θεοπρεπῶς de ἐνδόσει, ex incorporali majeſtate ad vilitatem corporis. Juſtin. in ἐκθ. πίστ. p. 299. οὐκ ἦν σώματος ἡ κατάβασις, ἀλλὰ θείας ἐνεργείας βούλησις. Athanaſ. contra gregal. Sabell. tom. 1. p. 516. *Cùm majeſtas & magnificentia in Deo ſupercœleſte quiddã nominatur, id quod huic contrarium eſt humile terreniter γηΐνως dicatur, & in terris verſari, faciliimè cõperis deſcenſum Verbi inclinationem eſſe ex incorporali majeſtate ad vilitatem corporis* ἡ κατάβασις ἐυρίσκεται τοῦ λόγου ἡ ἐκ τῆς ἀσωμάτου μεγαλοπρεπείας εἰς τὸ τοῦ σώματος εὐτελὲς ἐπίδοσις &c. Leo ſer. 7. de nativ. *Verbum Dei Deus Dei Filius ita ſe ad ſuſceptionem humilitatis noſtræ ſine diminutione ſuæ majeſtatis inclinavit, ut manens quod erat, aſſumensq; quod non erat, veram ſervi formam ei formæ, in qua Deo Patri æqualis eſt, uniret, & tanto fœdere utramq; Nat. conſereret, ut nec inferiorem conſumeret glorificatio, nec ſuperiorem minueret aſſumtio.* Damaſc. lib. 3. orth. fid. c. 1. circ. fin. εὐδοκίᾳ τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς ὁ μονογενὴς υἱὸς καὶ λόγος τοῦ θεοῦ καὶ θεὸς &c. ὁ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων κλίνας οὐρανοὺς κατέρχεται, τουτέστι τὸ ἀταπείνωτον αὐτοῦ ὕψος ἀταπεινώτως ταπεινώσας συγκαταβαίνει ἄφραστόν τι καὶ ἀκατάληπτον (τοῦτο γὰρ δηλοῖ ἡ κατάβασις) καὶ θεὸς ὢν τέλειος ἄνθρωπος τέλειος γίνεται. *Bona voluntate Patris unigenitus DEI Filius & Verbum Dei & Deus &c. in forma DEI exiſtens inclinavit cœlos, & deſcendit, hoc eſt, inhumiliabilem ejus altitudinem inhumiliatè humiliavit & deſcendit deſcenſu ineffabili & incomprehenſibili, hoc enim oſtendit deſcenſio & perfectus Deus exiſtens homo perfectus fit.* Sed de hac exinanitione impropriè & Eccleſiaſticè ſic dicta hoc loco non agitur.

294. In *ſenſu Biblico* ſive ſecundùm ſtylum Apoſtoli Phil. 2. exinanitio propriè accipitur pro ipſa Ieſu Chriſti ſive λόγου incarnati κενώσει, quæ exinanitio cùm Philip. 2. tanquam in propria ſede deſcribatur, ideò loci illius analyſin inſtituemus. *Scopus Apoſtoli* eſt, Philippenſes & omnes fideles exhortari ad humilitatem v. 3. exemplo Chriſti v. 5. qui *cùm in forma Dei eſſet*. v. 7. *ſeipſum humiliavit*. v. 8. *propter quod Deus ipſum exaltavit*. verſ. 9. quem affectum ac ſenſum in omnibus fidelibus requirit Apoſtolus, quos Chriſti Magiſtri ſui veſtigiis æquum eſt inſiſtere, ut ipſi quoque, poſtquam ſe ſub *potenti manu Dei humiliaverint, ſuo tempore exaltentur*. 1. Petr. 5. v. 6. *Subjectum propoſitionis* Apoſtolicæ eſt *Chriſtus Ieſus* verſ. 5. quo nomine multi ex Calvinianis & Pontificiis intelligunt λόγον ἄσαρκον, ut hac ratione incarnatio Filii hoc loco deſcripta intelligatur, & per ſervilis formæ acceptionem inſinuetur, ut patet ex Beza p. 1. reſp. ad acta Colloq. pag. 138. Bellarmino libr. 1. de Chriſti anim. cap. 6. cui ſententiæ opponimus 1. *Scopum Apoſtolicum*. Scopus Apoſtoli eſt, quòd velit Philippenſes hortari ad humilitatem intuitu in Chriſti exemplum facto. Ergò præſentis non futuri temporis exemplum illis exhibet. Proponit eis imitandum Chriſti exemplum tanquam vitæ regulam. Ergò conſiderat facta Chriſti, quæ in oculos incurrunt, in quorum numero non eſt incarnatio. In eo Apoſtolus jubet Philipp. imitari Chriſtum, in quo ſimiles ipſi nondum erant, ſed ſimiles fieri poterant & debebant. Atqui erant illi jam ante veri homines, ſed inflati ac ſuperbi, Chriſtum igitur eos imitari, & humiliati ſtudere jubet, incarnatione verò nemo Filio Dei ſimilis fieri poteſt. 2. *ſubjecti periphraſin*. Illum, qui ſe exinanivit, vocat Apoſtolus *Ieſum Chriſtum*. Utraque appellatio poſt incarnationem ei competit. Ieſus enim & Salvator noſter eſt ſecundùm utramque Naturam Matth. 1. verſ. 21. & unctio, cujus ratione Chriſtus vocatur, ſecundùm humanam Naturam ipſi obtigit Dan. 9. verſ. 24. Filius Dei ſeu ὁ λόγος propriè dicitur incarnari, ſed Ieſus Chriſtus θεάνθρωπος propriè non dicitur incarnari, utpotè jam homo exiſtens. 3. *conſiderationem prædicati*. De Chriſto Ieſu dicitur, *quod fuerit in forma Dei* verſ. 6. Conſtat verò λόγον ἄσαρκον non tàm fuiſſe in forma Dei, quàm eſſe ipſam Dei formam Hebr. 1. v. 3. Chriſto hîc aſſeribitur quædam κένωσις verſ. 7. At κένωσις propriè dicta ad λόγον ἄσαρκον & ſimplicem Deitatem, utpotè immutabilem & invariabilem accommodari nequit. Chriſto hîc aſcribitur *humiliatio*. v. 8. At humiliatio propriè ſic dicta ſimplici Deitati aſſcribi nequit, infert enim quandam mutabilitatem Nat. humiliatæ. Chriſto hîc tribuitur, quòd *σχήματι inventus fuerit ut homo & patri obœdiens factus uſq; ad mortem* v. eod. At in λόγον ἄσαρκον, nec σχῆμα, nec mors competunt. Chriſto hîc tribuitur talis exinanitio & humiliatio, quæ per exaltationem poſtmodùm eſt ſublata v. 9. At incarnatio, id eſt, humana Natura non eſt ſublata per exaltationem. Secundùm quam Naturam Chriſto competit exaltatio ſecundùm eandem etiam exinanitio, ut oſtendit Apoſtolica oppoſitio verſ. 8. & 9. Jam verò in ſimplicem λόγου Deitatem non cadit exaltatio. Ergò nec exinanitio & per conſeq. Apoſtolus hîc non agit de λόγῳ ἀσάρκῳ ejuſdemq; incarnatione. 4. Patrum interpretationẽ, de qua poſteà. 5. Suffragium adverſariorum. Piſcar. in ſchol. rectè ſtatuit, *hunc locum propriè & exquiſitè loquendo non eſſe exponendum de incarnatione Filij Dei, ſed de incarnati humiliatione.* Atque hactenus *de ſubjecto*.

295. In *prædicato* tria de Chriſto explicantur. 1. *qualis eſſe potuerit. 2. qualis eſſe voluerit. 3. qualem*

lem Pater cœleſtis ipſum fecerit. Ad primum membrum pertinet hoc prædicatum, quod Chriſtus dicitur *fuiſſe in forma Dei*, ἐν μορφῇ Θεοῦ. Hanc phraſin Jeſuitæ & Calviniani communiter ſic exponunt *eſſe Naturâ DEUM.* Sed notandum, quòd forma DEI, etſi ſubjecto & reipsâ non ſit multiplex, ſed una, geminam tamen ſortiatur rationem & conſiderationem. Nam vel *in ſeipſa* ὡς ἐν κτίσει ac ratione οὐσίας, quatenùs habetur, conſiderari poteſt, vel *reſpectu creaturarū* ὡς ἐν χρόνῳ, ratione ἐξουσίας, quatenùs foràs ſuis operationibus progreditur, ac ſenſib. humanis exteriùs ſeſe conſpiciendam exhibet. Hoc loco negamus πρώτως καὶ κυρίως ſignificari hac phraſi ipſam eſſentiam & Naturam divinam in ſe & abſolutè ſecundùm τὸ εἶναι conſideratam, ſed dicimus intelligi per eam *ſtatum divinum*, ſeu conditionem divinam, nempè gloriam & majeſtatem divinam, quod ſeqq. confirmatum damus argumentis. 1. Forma & id quod eſt in forma, ſunt diſtincta, cùm idem non poſſit dici eſſe in ſeipſo. Jam verò Filius Dei ſecundùm Deitatem eſt ipſa Dei forma, imago & character Deitatis. Col. 1. verſ. 15. Hebr. 1. verſ. 3. Ergò ſecundùm Deitatem non poteſt dici eſſe in forma Dei. Eſſe igitur in forma Dei abſolutè & ſimpliciter non eſt eſſe Naturâ Deum, ſed gerere ſe tanquam Deum, declarare ſe ut Deum, exercere divinam majeſtatem divina opera perficiendo.** Calvinus in comm. ſuper h. l. noſtræ expoſitioni favet. Danæus contra Chemnit. q. 1355. μορφὴν diſtinguit ab οὐσίᾳ, approbante Zanchio. **. 2 Si phraſis hæc *eſſe in forma Dei* idem prorſus ſignificaret, quòd eſſe Naturâ Deum, conſequens erit, etiam de Patre & Spiritu ſanct. dici poſſe, quòd ſint in forma Dei, quod hactenùs in Eccleſia non fuit uſitatum. 3. Quo modo in textu Apoſtolico accipitur *forma ſervi*, eo modo etiam debet accipi *forma Dei*, ut oſtendit oppoſitio. Jam verò forma ſervi non poteſt accipi de Natura & eſſentia humana, tùm quia Chriſtus non eſt Naturâ ſervus, tùm quia formam ſervi Chriſtus in exaltatione depoſuit, humanam verò Naturam non depoſuit. Hoc argumentum preſsè urget B. Lutherus in Poſt. Eccleſ. 4. Ejuſmodi hic intelligitur forma Dei, quæ ab hominibus poterat conſpici, & de qua Joh. 1. verſ. 14. dicitur: *Vidimus gloriam ejus.* Apparet hoc ex ſcopo, quia Paulus exemplo Chriſti ad humilitatem nos hortatur, à quo non poteſt exemplum imitationis peti in rebus ignotis & inconſpicuis. Jam verò Natura & eſſentia divina in ſe non poteſt oculis humanis conſpici Johan. 1. verſ. 18. 1. Timoth. 6. verſ. 16. ſed in operib. duntaxat conſpicitur, in quibus per potentiam & majeſtatē ſuâ ſeſe exerit. 5. Apoſtolus loquitur de forma Dei, quatenus Chriſto competit ἐνυπαρκτικῶς non οὐσιωδῶς, dicit enim ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων. At hoc ſenſu non poteſt niſi ad humanam Chriſti Naturam referri, quæ in ὕπαρξιν ſive ὑπόστασιν λόγου eſt aſſumta. 6. Ex textûs cohærentia apparet Apoſtolum tribus hiſce vocibus μορφὴ, ὁμοίωμα & σχῆμα rem unam eandemque ſignificare, jam verò σχῆμα & ὁμοίωμα non ad eſſentiam ſed æternum ſtatum humanæ Naturæ pertinent. Ergo etiam vox μορφῆς non notat divinam Naturam & eſſentiam, ſed ſtatum & conditionem divinam. 7. Significatio iſta μορφῆς, quæ pro forma ſubſtantiali ſeu Natura & eſſentia rei accipitur, ſolis Philoſophis nota eſt & uſitata. ** Piſcator in anal. *Per formam Dei non puto Apoſtolum intelligere ipſam Naturam divinam, ſicut Ariſtoteles in Philoſophia ſua vocabulo μορφῆς intelligit Naturam ac eſſentiam rei. Neq; enim probabile eſt Apoſtolum hac voce in ea ſignificatione uti, quæ ſolis Philoſophis nota erat, populo vero ignota. Deinde apparet ex cohærentia ſententiæ, Apoſtolum tribus vocibus μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα rem unam eandemq; ſignificare.* ** 8. Patres & Theologi recentiores eodem modo exponunt. Ambroſius in comm. Phil. p. 367. *Formam explicat per virtutem, poteſtatem, operationem divinam, quæ Chriſtum demonſtravit eſſe Deum. In forma Dei*, inquit, *erat, quia cum homo videretur, opera Dei faciebat, ut in rebus geſtis appareret Deus eſſe, qui tantùm homo eſſe putabatur. Opera enim formam ſignificabant, ut quia opera ejus non utiq; hominis opera ſunt, hic qui in opere vel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid eſt, niſi exemplum, quo Deus apparet, dum mortuos excitat, ſurdis reddit auditum, leproſos mundat.* Lutherus tom. 1. Witeber. Lat. p. 69. in conc. de dupl. juſt. *Forma Dei hìc non dicitur ſubſtantia DEI, quia hac Chriſtus nunquam ſe exinanivit, ſicut nec forma ſervi dici poteſt ſubſtantia humana, ſed forma Dei eſt ſapientia, virtus, juſtitia; bonitas, deinde libertas.* Similia occurrunt tom. 1. Jen. Lat. fol. 179. in Poſt. major. tom. 1. Epiſtol. Ep. 94. &c. Eraſm. in annot. Phil. 2. itidem accipit phraſin illam *in forma Dei eſſe* de Natura Chriſti humana locupleta divinis dotibus & operationibus ab ipſo λόγῳ. Selnec. in lib. de noviſſ. verb. David. ſtatuit, reſpectum haberi ad 1. Paral. 17. v. 17. *aſpexiſti me in forma hominis, qui es Deus in supernis.* Chemn. de duabus Nat. pag. 352. *Appellatur μορφὴ, quando Natura ſeu eſſentia aliqua ita conſideratur, ſicut idiomatis attributis & conditionibus vel divinis vel humanis prædita, & q. veſtita atque ornata eſt.* Senſus igitur eſt, quod Chriſtus jam inde à primo incarnationis momento divinam gloriam, majeſtatem & virtutem ſibi ſecundùm humanam Naturam communicatam plenâ uſurpatione exercere, tanquam Deum ſe gerere potuerit, &c. quò referri etiam poteſt illud, quod B. Luther. monet, *tres eſſe modos eſſendi in forma ſeu ſumendi formam & habitum externum. Aliàs enim conſideratur eſſentia ſeu Natura ſine forma, geſtu & operatione externâ, aliâs eſſentia & forma ſeu geſtus externus ſimul, aliàs externa forma & operatio rei ſine Natura & eſſentia, quæ talem edit, formam veritate.* Tertius modus alienus eſt à Chriſto, cadit autem in Diabolum & ejus miniſtros. Primus in ſtatu exinanitionis, ſecundus in ſtatu exaltationis Chriſto competit.

296. Ad ſecundum membrum pertinet 1. quòd ἀρνητικῶς vel potius ἀορίστως de Chriſto dicitur οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Quidam ſtatuunt τὸ ἡγεῖσθαι ἁρπαγμὸν ſimpliciter poſitum eſſe pro ἁρπάζειν, *rapere, inſtar rapinæ uſurpare, pro libitu & temerè abuti*, ſicut Hebræor. 10. verſ. 29. κοινὸν ἡγησάμενος ponitur pro κοινώσας vel κοινωσάμενος, ut ſit ſenſus, non uſus vel abuſus eſt eâ re pro arbitrio, non uſurpavit ſibi eam, ſed potius ejus uſu abſtinuit ſeſe exinaniendo. Iſidor. Peluſiota lib. 1. Epiſt. 139. rapinæ vocem ſatis jejunè impertinenter ſic explicat: *Cum eſſent gentiles* (Philippenſes) *ſupremum Deum ſuo Patri eas partes, quæ ad gignendum deſtinatæ ſunt, præcidiſſe didicerant, illud videlicet metuentem, ne alij filij exiſterent, regniq; ſocij & conſortes ac divinitatis arreptiones & diſſidia de ea ac bella orirentur, addubitabant,*

bant, an DEI Filius relictis cœli ſedibus, nec ullam atq; imperii commutationem veritus ad nos veniẽs carnem ſuſcepiſſet. Huic igitur eorum ignorantiæ vel potius amentiæ divinus vir atque arcanarum rerum Doctor medicinam afferens, his verbis utitur, Non rapinam &c. hoc eſt, Deum tem ac regnum haudquaquam per vim arripuit, verùm ante ſecula innatum habuit: Neq; item ut ſibi eriperetur, ſubtimuitur verùm, cùm & cœleſtium & terreſtrium & infernorum Dominus eſſet, nec ſupra reliquit & ad nos acceſſit, imo etiam ad inferos uſq; profectus eſt, ut per omnia graſſatus, undique omnia in ſalutem aſſereret. Quidam ſic exponunt: *Non duxit rapinam eſſe ſe æqualem Deo, hoc eſt, non oſtentavit gloriam ſuam divinam, ſicut victores ſpolia hoſtib. detracta oſtentare ſolent in triumphis, ſed gloriam illam occultavit.* Simpliciſſima explicatio colligitur ex ſingularum vocum accurato examine; ἡγεῖσθαι Apoſtolo eſt *certò & indubitatò ſtatuere* Philip. 2. v. 3. & 25. cap. 3. v. 7. & 8. ἁρπαγμὸς eſt idem quod τὸ ἅρπαγμα *rapina ſeu rapius*, cui opponitur τὸ ἴδιον *proprium*, quo ſenſu ἁρπαγμὸς eſt, quod quis ſibi injuſtè rapit & vendicat, cùm id verè ac propriè illi non competat, quod rapere dicitur, ſicut vice verſa nemo dicitur furari vel rapere, quod ipſius eſt proprium. Per particulam negandi οὐχ tollitur ἁρπαγμὸς, contrà verò ponitur ἴδιον, quod non eſt ἁρπαγμὸς, referturque hęc vocula negans non ad verbum ἡγήσατο, ſed jungenda eſt ἁρπαγμῷ, ut ſit *propoſitio affirmans*, non ſimpliciter negans. Si enim purè negantem velimus ſtatuere, Apoſtoli oratio non eſſet plena, quia nihil certi affirmaret, quo ſcilicet loco, tempore exinanitionis Chriſtus habuiſſet illud τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ ac dubius eſſet ſenſus, rapuiſſetné ſibi Chriſtus divinos honores, an verò non? neceſſe itaque fuerit, ut ſtatuamus eſſe enunciationem affirmantem, ſed *indefinitam* ἐκ μεταθέσεως negantem, ut ſit ſenſus, Chriſtum etſi in ſtatu exinanitionis fuerit noviſſimus virorum, non tamen dubitaſſe ſed certò ſibi perſuaſum habuiſſe, à ſe hoc minimè eſſe alienum nec raptum, ſed à Nat. ſua ſibi hoc eſſe proprium ut ſit Deo ἴσος, ἰσότιμος, καὶ ὁμοούσιος, ac proinde ratione perſonæ æquo & pari jure cum Patre & Spir. ſanct. ſibi competere unam eandemque divinitatis Naturam. Sic ergo ut ex Luthero notat Selneccerus lib. de noviſſ. verb. David tria hac phraſi exprimuntur. 1. *Natura.* Chriſtus ſecundùm divinam Naturam nihil rapuit, ſed οὐσίᾳ ac φύσει omnia habet. 2. *Collatio cum hoſte* ſive ἀντιπάλῳ. Diabolus per rapinam voluit aſſumere ἴσα Θεῷ idem fecerunt primi parentes, ſed Chriſtus modo egit contrario. 3. *Potentia.* Chriſtus potuiſſet jam inde à primo incarnationis momento majeſtatem ſibi ſecundùm carnem communicatam exerere &c. Adjectivum plurale ἴσα generaliter in neutro genere συνθετικῶς poſitum exiſtimãt ſive pro adverbio ἴσως, ſive pro nomine generis maſculini ἴσον ſeu ἐν ἴσῳ. Sed magis emphaticum eſt, ſi ſtatuatur τὸ εἶναι ἴσα ſimpliciter poſitum eſſe pro nomine ἰσότητος, quia articulus neutri generis totam infinitivam orationem in nomen transformat, ἴσον εἶναι eſt ἰσότιμον, ὁμότιμον, parem & æqualem eſſe, εἶναι ἴσα Θεῷ eſt per omnia & in omnibus Deo parem & æqualem eſſe. Senſus igitur Chriſtum jam inde à primo incarnationis momento etiam in medio exinanitionis ſtatu, non tantùm ſecudùm humanam Naturam divinis donis & αὐχήμασι perſonaliter fuiſſe ditatum, ut gloriam & majeſtatem divinam exerere potuerit, quò pertinet, quod dicitur ὑπάρχειν ἐν μορφῇ Θεοῦ, ſed etiam ſecundùm divinam Naturam naturaliter & eſſentialiter fuiſſe verum Deum, quò pertinet quod dicitur οὐχ ἡγήσατο ἁρπαγμὸν τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ. Auguſtinus Epiſt. 66. *Chriſto in forma Dei æqualem eſſe Deo, non rapina fuit, ſed Natura, quoniam id naſcendo ſumſit, non ſuperbiendo præſumſit.* Neque quenquam turbet, quod prius prædicatum *reſpectu humanæ*, poſterius *reſpectu divinæ Naturæ* Chriſto tribui atque eum, qui ſeſe ſecundùm humanam Naturam exinanivit, ſecundùm divinam Naturam Deo æqualem dici ſtatuamus. Quia propter ὑποστάσεως unitatem utraque de una eademque perſona prædicantur, & quæ carni ſive humanæ Naturæ accidunt, non carni ſeorſum, ſed illi qui Deo per Naturam æqualis eſt, quique hanc carnem perſonaliter ſibi appropriavit eveniunt τῷ λόγῳ ſcilicet, qui naturaliter & eſſentialiter eſt verus Deus Patri per omnia æqualis, ex quo naſcitur hæc propoſitio Apoſtolica, illum qui eſt Deo æqualis, ipſum ſcilicet Dei Filium ſeſe exinaniviſſe, videlicet juxta Naturam aſſumtam.

297. 2. Quod θετικῶς dicitur, ἑαυτὸν ἐκένωσε. Vulg. *ſemetipſum exinanivit*, vel potiùs *inanivit*. In Græco enim eſt non ἐξεκένωσε ab ἐκκενόω, ſed ἐκένωσε à κενόω quanquam & ſimplici & compoſito verbo tùm apud Gręcos tùm apud Latinos idem ſignificetur. Κένος ſignificat *inane, vacuum*, ἐκένωσε igitur eſt *inanivit, vacuavit*. Expoſitio hujus vocabuli petenda ab illis exemplis, quæ loquuntur non de Phyſica aliquâ effuſione & omnimoda rei amiſſione, quo modo evacuari ſolet poculum, quando vinum ex eo effunditur, ſed de virtutis & efficaciæ retractione, quæ prout ſe non exerit, dicitur κενὴ Eſa. 55. verſ. 11. 1. Corinth. 1. verſ. 17. 2. Corinth. 6. verſ. 1. Theſſ. 2. verſ. 1. ſic ergo exinanitio Chriſti non eſt indigentia aliqua naturalis, vel effuſio & evacuatio donorum per unionem perſonalem ſibi cōmunicatorum, ſed voluntaria & ſpontanea humiliatio (ſicut ipſe Apoſtolus poſteà exponit) non ſemper in aſſumta carne & per aſſumtam carnem exerentis & uſurpantis divinitatis majeſtatem, quæ alioqui σωματικῶς ſive *perſonaliter* in ea habitabat. Dicitur proinde gloriâ divinâ ſeſe quaſi evacuaſſe ac eam quodammodò videri depoſuiſſe, quatenus eam non perpetuò manifeſtavit & plenâ luce exeruit. Neque tamen Apoſtolus *de ſimulatione* loquitur, ſed *de vera & reali exinanitione*, unde ἐξηγήσεως loco ſubjungitur, quod Chriſtus ſe eâ ratione exinaniverit, quatenus *ſervi formam ſuſcepit, in ſimilitudine hominum factus & habitu ut homo inventus ſeipſum humiliavit factus obœdiẽs Patri uſq; ad mortem, mortem autem crucis*, quæ non fuiſſe ficta vel ſimulata, ſed omnia in veritate rei geſta, & particula aſſeverandi Prophetica אָכֵן Eſai. 53. verſ. 4. & Hiſtoria Evangelica & redemtionis noſtræ veritas & Marcioniſmi publica damnatio liquidò teſtantur.

298. 3. Quod μορφὴν δούλου *ſervi formam accepiſſe* dicitur. Quidam ſimpliciter accipiunt de incarnatione, quæ Hebræor. 2. verſ. 16. ſimili ferè phraſi per τὸ ἐπιλαμβάνεσθαι σπέρματος Ἀβραὰμ deſcribitur. Sed hoc loco per ſervilis formæ acceptionem non primariò ac principaliter humanam Naturam verùm ſervilea Naturæ illius conditiones & infirmitates intelligi, ac proinde non in prædicamen-

dicamento ſubſtantiæ, ſed qualitatis formam ſervi conſiderari ſequentibus demonſtramus argumentis: 1. *ex oppoſitione.* Forma Dei & forma ſervi hîc ſibi invicem opponuntur. At *in forma Dei* eſſe principaliter hîc ſignificat gloriam & majeſtatem Deo convenientem exerere. Ergò ſervilem formam aſſumere ſignificat infirmitates ſervo convenientes ſpontè aſſumere. 2. *ex depoſitione.* Humanam Naturam, quam ſemel aſſumſit, ὁ λόγος nunquam deponit, ſed formam ſervi in ſtatu exaltationis depoſuit, quando ſcilicet *datum eſt illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen* Phil. 2. verſ. 10. quando *factus eſt Dominus* Act. 2. v. 38. ecquis enim diceret eum in ſtatu exaltationis adhuc habere formam ſervi & eſſe noſtrum conſervum, *cùm ad dextram Dei ſupra omnem principatum, poteſtatem & virtutem & dominationem & omne quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro fuerit evectus* Epheſ. 1. v. 21. Si exinanitio præciſè & immediatè eſt humanæ Naturæ aſſumtio, vi oppoſitionis exaltatio erit ejusdem depoſitio. 3. *ex diſtinctione.* Forma ſervi ſic explicanda eſt, ut ex ea diſtinctio inter ſtatum exinanitionis & exaltationis peti poſſit. Jam verò diſtinctio illa non poteſt primò ac proximè vel à divina vel ab humana Natura peti, ut enim Chriſtus in ſtatu exinanitionis verè fuit non tãtùm homo, ſed etiam Deus: ſic in ſtatu exaltationis eſt non tantùm Deus, ſed etiam homo. 4. *ex ſubjecti conſideratione.* Subjectum propoſitionis Apoſtolicæ eſt Jeſus Chriſtus θεάνθρωπος. At de Chriſto θεανθρώπῳ non poteſt dici quod fuerit incarnatus, ſed ὁ λόγος dicitur caro factus, Filius Dei dicitur ſemen Abrahæ aſſumere. 5. *ex textus connexione.* Quâ ratione exinanitio Chriſto tribuitur, eâ etiam ratione ſervilis formæ aſſumtio. Jam verò exinanitio non tribuitur Chriſto reſpectu Deitatis. Ergo etiam acceptio ſervilis formæ non poteſt eo ſenſu exponi, quod Deitas τοῦ λόγου aſſumſerit humanam Naturam. Chriſtus dicitur *ſeipſum exinaniviſſe* ante aſſumtionem ſervilis formæ. Si ergo per formam ſervilem venit ipſa Nat. humana, ergo λόγος in ſeipſo ſeu Deitate ſua ſeſe evacuavit, quod ἄτοπον. 6. *ex annexa explicatione.* Quid per aſſumtionem ſervilis formæ propriè accipiendum ſit, Apoſtolus ipſe exponit ſubjungens, *quod Chriſtus fuerit inventus in ſimilitudine hominum, quod ſeipſum humiliaverit factus Patri obœdiens usque ad mortem.* At hæc non poſſunt abſolutè & ſimpliciter de incarnatione accipi. 7. *ex Interpp. teſtificatione.* Ambroſ. in comm. h. l. *Non mihi ſicut quibusdam videtur ſic formam ſervi accepiſſe, dum homo natus eſt.* Et paulò antè: *Servi formam accepiſſe dicitur, dum quaſi peccator humiliatur. Servi autem ex peccato fiunt, ſicut Cham filius Noë, qui primus meritò nomen ſervi accepit.* Cyprian. vel Ruffinus ſerm. de reſurrect. *Agunt in cœleſtibus hæc Paſchalia gaudia Angelici Spiritus & reſurgentis Domini gloriam admirantur. Lætantur & delectantur in eo, quod forma ſervi reverſa ſit in formam Dei & exinanitio humilitatis ad depoſitæ altitudinis redierit majeſtatem.* Eodem modo formam ſervi exponit gloſſa Genevenſium Eſa. 52. verſ. 14. ** Piſcator in anal. p. 173. *Notandum, Apoſtolum in eadem ſententia accipere has voces μορφὴ, ὁμοίωμα, σχῆμα* p. 171. *per formam ſervi intelligi conditionem ſervilem, humilem & abjectam.* Adde Bezam in annot. major. fol. 391. Martin. in Spic. p. 164. *quod dicitur de forma ſervi, non ſimpliciter intelligo humanam Naturam ſed vilem ejus conditionem quæ fuit ad tempus.* Conf. & Zanchius in hoc loco & lib. 2. de Natura Dei cap. 6. p. 175.** Quod autem Patres per formam ſervi ipſam humanitatem quandoque videntur intelligere, id accipiendum eſt ἑπομένως & per *conſequentiam*, quia forma ſervi non poteſt eſſe abſque humanitate, quippe quam ante ſe requirit, unde ex hoc loco rectè demonſtrarunt Chriſti humanitatem, quia fieri nequit, ut non ſit verus homo, qui ſervi formam aſſumſit, ac à poſitione πάθους ſeu propriæ affectionis ad poſitionem ipſius ſubjecti, cujus eſt illa affectio propria, firmiter poſſumus progredi. Nimirũ ut ex eo, quod Chriſtus dicitur *fuiſſe in forma Dei*, rectè colligitur vera ipſius Deitas, quia Chriſtus nõ potuiſſet in carne & per carnem divinam majeſtatem exerere, niſi eam habuiſſet perſonaliter ſibi cõmunicatam, perſonaliter verò communicatam habere non potuiſſet, niſi Naturâ eſſet verus Deus: ita ex eo, quod Chriſtus dicitur *ſervi formam aſſumſiſſe*, rectè colligitur vera ipſius humanitas, quia infirmitates humanæ præſupponunt veritatem eſſentiæ humanæ.

299. 4. Quòd *factus fuerit ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων in ſimilitudine hominũ.* Vel ex hac ἐξηγήσει manifeſtum eſt, per aſſumtionẽ ſervilis formæ nõ eſſe principaliter & directè hum. Nat. aſſumtionem intelligendam, quia per incarnationem Filius Dei nõ tãtùm factus eſt ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων ſive ὅμοιος duntaxat hominibus, quod aſſerere Marcioniticũ foret, ſed iisdem ὁμοούσιος. Quod enim ὁμοίωμα non ad Naturæ noſtræ ſubſtantiam, ſed ad infirmitates & converſationis humilitatem, qua Chriſtus reliquis hominib. ſimilis fuit, referatur, patet 1. *ex propria hujus vocis acceptione*, quâ ſemper prò qualitatum congruentia, non autẽ immediatè prò Natura & eſſentia ſumitur. Rom. 1. v. 23. gentiles dicuntur *gloriam Dei incorruptibilis mutaſſe ἐν ὁμοιώματι imaginis corruptibilis hominis*, quod nõ poteſt de ſubſtantia humana accipi. Rom. 6. v. 5. dicimur facti σύμφυτοι τῷ ὁμοιώματι *mortis Chriſti.* c. 8. v. 3. *miſit filium in ſimilitudine carnis peccati*, ubi vox ὁμοιώματος non ad carnem ſimpliciter; ſed ad determinationem ab Apoſtolo adjectam *peccato obnoxia* pertinet, quam emphaſin pulchrè expendit Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 3. tom. 1. p. 153. cujus verba adduximus in cap. 6. 2. *ex vocum æquipollentium collatione.* Apoſtolus tanquam ἰσοδυναμοῦντα cõjungit μορφὴν, ὁμοίωμα, σχῆμα. At μορφὴν nunquam accipi pro ipſa eſſentia ſeu forma ſubſtantiali, ſed tantùm pro ſpecie externa ſeu forma accidẽtali patet ex omnium locorum inductione; Per ὁμοίωμα igitur intelligitur conformitas vitæ in operationibus naturalibus ac infirmitatibus cum aliis hominibus. Hoc fuit illud ὁμοίωμα ἀνθρώπων eo ferè ſenſu ſic dictum, quo *imaginem terreni* dicimur *gerere*, 1. Cor. 15. v. 50. Neq; enim Apoſtolus ὁμοίωμα illud opponit veritati humanæ in Chriſto Naturæ, nec propoſitum eſt ei dicere, qualis fuerit Nat. Chriſti humana ratione ſuæ eſſentiæ, ſed qualem ſeſe Chriſtus tempore exinanitionis inter homines & in converſatione vitæ geſſerit, videl. quòd fuerit ὁμοιοπαθὴς, quod ſimiles affectiones, quales cœteri homines ſuſtinent, in corpore & anima fuerit perpeſſus. Ut Hebr. 2. v. 17. dicitur, quod debuit per omnia fratribus ὁμοιωθῆναι: cap. 4. v. 15. πεπειραμένος κατὰ πάντα καθ' ὁμοιότητα χωρὶς ἁμαρτίας, ita quoque hoc loco ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος eſt ὅμοιος ἀνθρώποις γενόμενος.

Exegeſis.

...ar. in not. ad h. l. ἀλλοιάζουσα ἡ φράσις τῇ ἰδέᾳ, ἀφ' ἧς ἐκτῆσατο pro eo quod ὅμοιος τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις γενόμενος.

300. 5. Quod *σχήματι inventus fuerit ut homo*, σχῆμα ſignificat actiones in convictu & converſatione cum hominibus σχέσιν ſpeciem & habitudinem, quâ ſeſe homo ad alios, quibuſcum verſatur, componit & conformat, nam συσχηματίζεσθαι 1. Petr. 1. verſ. 15. *per ἀναστροφὴν converſationem* explicatur Rom. 12. v. 2. 1. Petr. 1. verſ. 15. Sic 1. Cor. 7. v. 31. *σχῆμα hujus mundi* dicitur *præterire*, hoc eſt, converſatio hujus ſeculi, vita in hoc mundo, actiones hujus vitæ atque unà totus mundus aliquando præteribit. Senſus igitur eſt, quod Chriſtus in habitu converſationis (Luth. an Geberden) inventus fuerit ut alius homo, quòd non ſegregaverit ſe à communi hominum conſortio, quod *venerit non ut Johannes, nec bibens vinum, nec mãducans vulgares cibos* Matth. 11. v. 17. Luc. 7. v. 33. *ſed manducans ac bibens*, hoc eſt, cum aliis in communi convictu cibum capiens, in conviviis præſens, quin & cum peccatoribus veſcens.** Jacob. ad Portum cap. 22. p. 207. ſcribit, *quod habitus ille humanus, quo Chriſtus inventus dicitur, primò atq; per ſe non ipſam hum. Naturam & eſſentiam, cujus perfectio in forma interiori conſiſtit, ſed vitæ perpeſſionem atq; mortis Chriſti ſchema ſignificet, ſecundario v. & conſequenter humanam Naturam deſignet.***

301. 6. Quòd *humiliaverit ſeipſum factus obediens uſq; ad mortem, mortem autem crucis*, id eſt, quod toto vitæ & converſationis tempore à prima inde conceptione uſq; ad glorioſam reſurrectionem & aſcenſionem humilem obœdientiam præſtiterit Patri cœleſti, τὸ μέχρι enim non tàm *temporis quantitatem*, quàm *obœdientiæ intenſionem* notat, quod non recuſaverit ex vera & ſincera erga Deum obœdiẽtia propter ſalutem humani generis varias paſſiones ac tandem ignominioſiſſimum & acerbiſſimum mortis genus crucifixionem ſcil. ſuſtinere.

302. *Ad tertium membrum* pertinent hæc prædicata. 1. quod *Deus Chriſtum ὑπερύψωσε in ſummam extulit ſublimitatem*. 2. quod *dederit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen*, de quibus in ſeq. th. 3. pleniùs agetur. Ex hiſce, quæ de exinanitione Chriſti dicta ſunt, duo colligimus poriſmata. Prius eſt, quod *exinanitio Chriſto, non ſecundum divinam, nec ſecundum utramq; ſed ſecundum humanam Naturam ſit tribuenda*. Probamus hoc 1. *ex definitione*. Exinanitio definitur ab Apoſtolo, quod ſit Jeſu Chriſti in forma ſervili humilis obœdientia ſive ſubjectio uſque ad mortem crucis, unde ſic colligimus. Secundùm quam Naturam Chriſtus eſt exinanitus, ſecundùm eandem fuit mutabilis, fuit ſervus, fuit in cruce mortuus. Jam verò non ſecundùm divinam, ſed ſecundùm humanam Naturam fuit mutabilis, ſervus, & in cruce mortuus. Ergo etiam ſecundùm eandem exinanitus. 2. *ex oppoſitione*. Secundùm quam Naturam Chriſtus eſt exinanitus, ſecundùm eandem etiam exaltatus, ut oſtendit particula διὸ καὶ v. 9. Jam verò Chriſtus ſecundùm humanam Naturam eſt exaltatus, ut ex definitione exaltationis infrà patebit. 3. *ex divina Naturæ conditione*. Nat. divina eſt ἀμετάβλητος immutabilis & invariabilis, juxta eã cum Patre & Spiritu ſancto ſemper operatur Johan. 5. verſ. 17. Ergo juxta eam non poteſt κένωσις quædam Chriſto tribui.

303. Poſterius eſt. *Exinanitio, quam Apoſtolus Chriſto ſecundum humanam Naturam tribuit, non eſt omnimoda carentia vel abſentia divinæ potentiæ, nec abſoluta privatio, ablatio, deſpoliatio, exutio, abjectio, depoſitio, remotio, defectus, nuditas ac vacuitas plenitudinis Deitatis ac communicatæ carni majeſtatis, ſed retractio uſus & intermiſſio, quâ Chriſtus homo in forma ſervili conſtitutus & infirmitate tectus divinam potentiam, gloriam & majeſtatem verè & realiter ſibi communicatam non ſemper exeruit, ſed retraxit & retinuit, donec tempus exaltationis ſequeretur*. Probamus hoc 1. *ex unionis definitione*. Apoſtolus Coloſſ. 2. verſ. 9. unionem definit *per inhabitationem totius plenitudinis Deitatis in aſſumto corpore ſive humana Natura*. Ut ergo in ſtatu exinanitionis non deſiit unio, ita quoque non deſiit illa plenitudinis Deitatis in aſſumta carne habitatio. 2. *ex Apoſtolica explicatione*. Apoſtolus κένωσιν illam deſcribit per aſſumtionem ſervilis formæ, humiliationem & obœdientiam uſque ad mortem crucis. Atqui hæc non inferunt omnimodam communicatæ majeſtatis divinæ abſentiam & abjectionem. 3. *ex miraculorum operatione*. Chriſtus in medio exinanitionis ſtatu divina miracula in carne, & per carnem operatus eſt, in quibus *manifeſtavit gloriam ſuam* Johan. 2. v. 11. transfiguratus eſt coram diſcipulis Matth. 17. verſ. 3. inſtituit ſacram Euchariſtiam, in qua mediante benedicto pane ſuum corpus & mediante benedicto vino ſuum ſanguinem diſcipulis diſtribuit &c. qui fuêre particulares quidam, ut ita loquar, radii divinæ potentiæ majeſtatis ac gloriæ ſibi ſecundùm carnem communicatæ; cujus plenarius uſus tandem in exaltatione fuit ſecutus, interim ex illis immotè colligitur, Chriſtum etiam in medio exinanitionis ſtatu non fuiſſe illâ potentiâ & gloriâ deſtitutum, ſed ſpontè ac liberè ab ejus uſu plenario abſtinuiſſe. 4. *ex piorum veterum teſtificatione*. Hilarius libr. 12. de Trin. p. 253. *Non deficit ex ſe, qui ſe evacuavit in ſe, cùm virtutis poteſtas in evacuãdi ſe poteſtate permãneat, & in formam ſervi tranſiiſſe non ſit Naturam Dei perdidiſſe*. Nazianzen. tract. de fid. p. 834. (in al. exempl. tom. 2. fol. 134.) *Ut Sol cum nube tegitur, claritas ejus comprimitur non cæcatur, & lumen illud, quod toto orbe diffuſum claro ſplendore cuncta perfundit, parvo admodum obſtaculo nubis includitur, non aufertur: ſic & homo ille, quem Dominus Ieſus Salvator noſter, hoc eſt, Deus Dei que Filius; Deum in illo non intercepit ſed abſcondit*, quam ſententiam totidem verbis repetit. Ambroſ. lib. de fid. contra Arianos cap. 8. p. 175. Idem Ambroſ. in comm. Phil. 2. *Exinanivit ſe, hoc eſt, poteſtatem ſuam ab opere retraxit, ut humiliatus otioſâ virtute infirmari videretur*. Ibid. *In forma DEI erat, quia cùm homo videretur, opera Dei faciebat, ut in rebus geſtis appareret Deum eſſe, qui homo videbatur* (communis) *retinens autem virtutẽ ſuam, ne appareret in eo, ut homo viſus eſt*. Auguſtinus de fide ad Petrum cap. 2. *Chriſtus non amiſit plenitudinem illam in exinanitione, alioqui quod de ea nobis daret, utique non haberet*. Beda in cap. 2. Philip. ex Auguſtino: *Semetipſum exinanivit non formam DEI amittens, ſed formam ſervi ſuſcipiens*. Theodoretus Dial. 3. ex Chryſoſtomo: *Aliquando enim divinitas Verbi aſſumtam Naturam humanam ἔρημον καὶ γυμνὴν ἀφῆκε τῆς οἰκείας ἐνεργείας nudam & quaſi deſtitutam operatione divinâ reliquit tempore exinanitionis,*

ut

ne oſtenſione infirmitatis ipſam Naturam humanitatis comprobaret, aliquando verò infirmitatem oſtenſione divinitatis occultavit, quoniam non nudus homo erat. Leo Magnus definit exinanitionẽ, *quod ſit forma ſervilis obumbrata divina majeſtatis immenſitate ſusceptio.* Fulgent. libr. de incarnat. & grat. cap. 2. *Exinanitio unigeniti Dei acceptio fuit forma ſervilis, non amiſſio vel diminutio Deitatis.* Quidam declarant hoc typo *Davidis Regis* in exilium ab Abſolone pulſi, quo tempore nihilominus Rex fuit 2. Sam. 15. ac dicto Apoſtolico Galat. 4. verſ. 1. Confer Apol. Form. Concord cap. 4.

304. Theſis 2. *Ad ſtatum exinanitionis pertinet conceptio in utero nativitas, incrementum ætatis & ſapientiæ, obædientia in forma ſervili usque ad mortem crucis, quam ſecuta eſt ſepultura.* Status exinanitionis incipit in primo incarnationis momento, & durat uſque ad tempus ſepulturæ incluſivè, quod totum vitæ Chriſti in his terris curriculum Apoſtolus Hebr. 5. v. 7. vocat *dies carnis*, quibus per Hebraiſmum ſignificatur illud tempus, quo Chriſtus inter homines paſſibiles fuit verſatus 2. Corinth. 5. verſ. 16. quo fuit infirmitatibus carnis abſque tamen omni peccato obnoxius. Auguſt. lib. 11. contra Fauſtum cap. 7. *Carnem hoc loco nõ ipſam corporis noſtri ſubſtantiam, quam Dominus etiam poſt reſurrectionem ſuam carnem appellat. Luc. 24, ſed corruptionem mortalitatemq; carnis vult intelligi, quæ poſt reſurrectionem nõ erit in nobis, ſicut jam in Chriſto non eſt.* Hoſce dies carnis, hoc eſt, actus ad ſtatum exinanitionis pertinentes, Thaddæus unus ex LXX. diſcipulis à Thoma Apoſtolo Edeſſam miſſus, in concione, quam de Chriſto coram Agbaro Rege habuit, inter cætera hiſce deſcribit verbis apud Euſebium libro 1. Hiſtor. Eccleſ. cap. 14: *Docebo de adventu Ieſu, deq; Apoſtolatu ejus &c. & quàm diminutus ac tenuis; quamque in externo hominis conſpectu humilis fuerit, & quomodo ſeipſum humiliaverit, mortuusq; ſit ac divinitatem ſuam diminuerit* ἐσμίκρυνεν αὐτῦ τὴν θεότητα (quod non poteſt de ipſius Deitatis utpote immutabilis diminutione in ſeipſa; ſed de retroctatione & quaſi diminutione ejuſdem in externa manifeſtatione intelligi) *& quanta à Iudæis perpeſſus fuerit.* Neque cuiquam mirum vel dubium videatur; quod ad exinanitionis ſtatum referamus non ſolùm *paſſionem, crucifixionem; mortem ac ſepulturam Chriſti*, ſed etiam ipſius *conceptionem ac nativitatem*, quia diſtinguendum inter *incarnationem & incarnationis modum*. Potuiſſet Dei Filius immediata creatione humanam Naturam formare, eandemque in perſonæ unitatem aſſumendo homo fieri; ſi vel maximè non fuiſſet in utero matris conceptus, quæ fuit, ut ſic loquar, *nativitas interna*, in utero matris per novem menſes geſtatus & ex utero in lucem editus; quæ fuit *nativitas externa*: Conſtat enim Adamum verum fuiſſe hominem, qui tamen nec in utero nec ex utero natus; ſed propter nos & noſtram ſalutem non ſolùm homo fieri, ſed etiam ex noſtra carne humanam Naturam aſſumere & infirmitatibus, quæ in conceptione ac nativitate infantulis accidere conſueverunt, ſponte ſeipſum ſubjicere voluit, ut immundam noſtram conceptionem & nativitatem ſanctificaret ac ipſis infantibus utero adhuc concluſis ſalutem impetraret.

305. Hac de re antiquiſſimi Eccleſiæ Scriptores pulcherrimè ſic diſſerunt. Juſtin. in Dial. cum Tryph. p. 204. γεννηθῆναι σαρκοποιηθέντα ὑπομένειν, p. 222. διὰ τῆς παρθένου ἄνθρωπος γεννηθῆναι ὑπομένειν (quâ ipsâ voce in paſſionis deſcriptione utitur Apol. 2. pro Chriſt. p. 75. *Chriſtus propter ſalutem ipſi credentium* καὶ γεννηθῆναι καὶ παθεῖν ὑπέμεινεν.) Iren. lib. 2. cap. 39. p. 137. *Chriſtus omnem ætatem ſanctificavit per eam, quæ erat ad ipſum ſimilitudinem. Omnes enim venit per ſemetipſum ſalvare, omnes inquam, qui per eum renaſcuntur in Deum infantes, & parvulos & pueros & juvenes & ſeniores, ideò per omnem venit ætatem & infantibus infans factus ſanctificans infantes, in parvulis parvulus ſanctificans hanc ipſam habentes ætatem, ſimul & exemplum illis pietatis effectus & juſtitiæ & ſubjectionis. Iuvenibus juvenis exemplum juvenibus fiens & ſanctificans Domino, ſic & ſenior in ſenioribus, ut ſit perfectus Magiſter in omnibus non ſolùm ſecundum expoſitionem veritatis; ſed ſecundùm ætatem ſanctificans ſimul & ſeniores* lib. 3. cap. 4. p. 172. *Chriſtus Dei Filius eam, quæ eſt ex virgine generationem ſuſtinuit, ipſe per ſe hominem adunnat Deo.* lib. 3. cap. 20. p. 218. *Per omnem venit ætatem omnibus reſtituens eam; quæ eſt ad Deum communionem.* libr. ejusd. c. 31. p. 220. *Quare non iterum ſumſit limum Deus* (& ex eo formavit humanam Chriſti Naturam, ſicut in Adamo erat factum) *ſed ex Maria operatus eſt plaſmationem fieri? ut non alia plaſmatio fieret, neque alia eſſet plaſmatio, quæ ſalvaretur, ſed eadem ipſa recapitularetur ſervatum ſimilitudine.* Hilarius lib. 2. de Trin. p. 20. *Dei imago inviſibilis pudorem humani exordij non recuſavit, & per conceptionem partum, vagitum & cunas omnes noſtræ Naturæ contumelias tranſcurrit, humilitas ejus noſtra eſt nobilitas, contumelia ejus noſter honor.*

306. Theſis. 3. *Exaltatio eſt Ieſu Chriſti poſt obædientiam ad mortem usque crucis præſtitam in ſummam ſublimitatem evectio & nominis, quod eſt ſupra omne nomen, in quo omnium genua flectenda ſunt, donatio* Phil. 2. v. 9. 10. velut in aliis Scripturæ dictis deſcribitur, eſt ſolennis inthroniſatio & inauguratio Chriſti ex mortuis reſuſcitati ad plenam ac perfectam cœleſtis imperii uſurpationem & gubernationem cœli ac terræ; inprimis Eccleſiæ: Quemadmodum de exinanitione diximus, quod accipiatur in ſenſu tùm *Eccleſiaſtico*; tùm *Biblico*: ita vi oppoſitionis de exaltatione idem omnino ſtatuendum. *Exaltatio in ſenſu Eccleſiaſtico* accepta eſt humanæ Naturæ in ipſam λόγου ὑπόστασιν evectio, quæ vocari poteſt *exaltatio incarnationis.* Sicut erat quædam humiliatio; quando Filius Dei ex arcana majeſtatis ſuæ ſede prodiens in carnem noſtram ſeſe demiſit, ſic exaltatio vocari poteſt, quod aſſumta Natura humana in ipſam λόγου hypoſtaſin per unionem perſonalem eſt evecta, quodque in unione ac per unionem divinorum idiomatum divinæ majeſtatis & gloriæ verè ac realiter particeps eſt facta, unde in medio exinanitionis ſtatu antequam plenariam dominii in cœlo ac terra uſurpationem acciperet, vocatur Rex & Dominus Luc. 2. verſ. 11. Matth. 21. verſ. 5. Johann. 18. verſ. 37. Exaltatio *in ſenſu Biblico* accepta reſpicit propriè dictam exinanitionem Philip. 2. verſ. 5. deſcriptam, quæ vocari poteſt *exaltatio glorificationis, exaltatio ad DEI dextram.* Deſcribitur ab Apoſtolo l. d. in his verbis verſ. 9. *Propter quod & DEUS illum ſuperexaltavit; & ex gratia dedit illi*

De ſtatu exaltationis.

Exegeſis.

n ,men ſuper omne nomen. verſ.10. *ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cœleſtium & terreſtrium & infernorum*. v.11. *& omnis lingua confiteatur, quod Dominus ſit Chriſtus Jeſus in gloriam DEI Patris.*

307. *Subjectum* ut in exinanitione, ita in exaltatione eſt *Chriſtus Ieſus*, ut oſtendit relativum αὐτὸν. Plena igitur propoſitio Apoſtolica ſic habet, Chriſtus Ieſus, qui ſeipſum exinanivit formâ ſervi acceptâ & ſeipſum humiliavit factus obœdiens uſque ad mortem crucis, eſt à Patre cœleſti exaltatus. Rectè proinde dicimus θεάνθρωπον perſonam compoſitam totam Chriſti perſonam eſſe ut exinanitam atque exaltatam, actiones enim & paſſiones ſunt totius compoſiti. Sed ſi porrò quæratur, cùm in Chriſto duæ ſint Naturæ, divina & humana, ſecundùm quam Naturam Chriſto tribuatur exaltatio? reſpondendum eſt ſecundùm humanam Naturam, ut paulò pòſt confirmatum dabimus. Atque in eo exaltatio in ſenſu Biblico & propriè accepta ab exaltatione in ſenſu Eccleſiaſtico acceptâ diſtinguitur. Illa enim tribuitur perſonæ τοιούτῳ ſed ſecundùm humanam Naturam, perinde ut exinanitio propriè dicta itidem perſonæ compoſitæ ſive Chriſto θεανθρώπῳ ſecundùm humanitatem tribuitur, hæc verò humanæ Naturæ tribuitur, ſicut exinanitio impropriè in ſenſu Eccleſiaſtico accepta divinæ Naturæ ac λόγῳ ſimplici tribuitur.

308. *Ad prædicatum* pertinet 1. ὑπερύψωσις *ſuperexaltatio, in ſummam ſublimitatem evectio, ſupra modum exaltatio*, quam emphaſin præpoſitio ὑπὲρ verbo ſimplici addita exprimit. Dn. Chemnitius in Harm. cap.28. p. 151. monet, quod Chriſti exaltatio tribus modis in Scripturis accipiatur, 1. *pro paſſione & crucifixione*, Johan.8. v. 28. *cum exaltaveritis filium hominis de terra, cognoſcetis quod ego ſim*. cap.12. v.32. *cùm exaltatus fuero de terra, omnia traham ad me ipſum. 2. quod tanquam victor peccati & mortis ad dextram DEI eſt exaltatus* Actorum 2. v.33. Hebræor. 9. v. 24. 3. *quod meritum Chriſti per miniſterium Evangelij tanquam erecto vexillo omnibus proponatur* Eſa. 11. verſ.10. hoc loco in ſecunda ſignificatione accipitur, ut patet ex contextu, quia opponitur κενώσει καὶ ταπεινώσει exinanitioni ac humiliationi. Hæc exaltatio verbis perquam emphaticis deſcribitur Eſa. 52. verſ. 13. *Ecce prudenter aget ſervus meus* יָרוּם וְנִשָּׂא וְגָבַהּ מְאֹד *exaltabitur, elevabitur & ſublimis erit valde*, quod poſtremum per τὸ ὑπὲρ Apoſtolus videtur exprimere voluiſſe. Hanc ὑπερύψωσιν ita deſcribit Apoſtolus, ut 1. addat particulam διὸ καὶ, quæ non deſcribit *cauſam meritoriam exaltationis*, ſed duntaxat *ordinem & conſequens præmium exinanitionis*; ut infrà demonſtrabitur. 2. Deo tribuat illam ſuperexaltationem, ubi nomen Dei vel accipiendum οὐσιωδῶς prout totam Trinitatem & omnes tres Deitatis perſonas exprimit vel ὑποστατικῶς ut ad primam perſonam, Patrem ſcilicet referatur, utraque enim explicatio fidei analoga, ut conſtat ex aliis Scripturæ locis: Pſalm. 2. verſ. 9. *conſtitui Regem tuum* Pſalm. 42. v. 11. *Tu Domine fac me reſuſcitari*. Pſalm. 110. v.7. *Ipſe exaltabit caput*. Iohan. 17. v.5. *glorifica me Pater apud teipſum*, Act. 2. v.36. *Deus fecit hunc Chriſtum & Dominum*. cap. 5. v.31. *Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextrâ ſuâ &c.* Confer quæ in ſecundo genere communicationis theſi ſpeciali 1. ſunt allata.

309. 2. Quòd *Pater ipſi dederit nomen ſuper omne nomen &c.* Pii veteres hoc nomen ſic interpretantur 1. quòd homo ille ſeu filius Mariæ vocatur Deus & Filius Altiſſimi. Epiphan. hæreſ. 69. p.341. *Vt homo cum DEO Verbo vocaretur Filius Dei.* 2. quòd humanæ Naturæ divina majeſtas, gloria ac potentia ſit communicata, quia nomen apud Hebræos ſignificat rem ipſam & vocari ipſis eſt eſſe. Confer Eph. 1. v.20. Hebr. 1. v. 4. 3. quòd Chriſtus etiam ſecundùm human. Nat. ſit noſter Mediator, Redemtor, Sacerdos ac Rex ſuo Spiritu nos regens, ſuâ potentiâ defendens, ſuâ gratiâ liberans ac ſalvans, unde *in nomine Ieſu* (quod utramque Naturam complectitur) dicuntur *flecti debere genua cœleſtium & terreſtrium & inferorum, ac omnis lingua debet confiteri, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus.* Per γονυκλισίαν hîc intelligitur ſubjectio, quia etiam ἐπουρανίοις & καταχθονίοις genua tribuuntur. Origen. lib.9. comm. ad Rom. cap.14. *Genu flectere & omnem linguam confiteri Deo, non eſt carnaliter accipiendum, ut putemus etiam cœleſtia, quæ dicit, genu flectere, carnalibus membris hæc facere, verbi cauſa, ut putetur Sol vel Luna, vel ſtella, vel etiam Angeli vel quæcunq; ſunt quæ cœleſtia notantur, corporalibus inflexa genibus adorare, aut etiam lingua carnali & tali membro, quali nos loquimur, putentur confiteri Deo, de quibus dicitur, quod ſint Spiritus & ignis, Et quæ genua in Spiritibus eſſe creduntur? aut quæ lingua in ignis ſpecie requiruntur, ſed genu flectere ſubjecta, eſſe cuncta & cultus Dei obedire declarat*, quæ expoſitio confirmatur ex Epheſ. 1. verſ. 20. Thomas lect. 3. in cap. 2. Philipp. *Omnis creatura rationalis ſive Angeli, ſive homines, ſive Dæmones ſubjiciuntur Chriſto. Eſt autem duplex ſubjectio, una voluntaria, altera involuntaria. Angeli ſancti & beati ſubjiciuntur Chriſto voluntariè. ſed Dæmones & damnati non ſic, verùm involuntariè.* Deniq; quod additur εἰς δόξαν Θεοῦ πατρὸς eò pertinet 1. quòd *qui Filium honorat, is etiam Patrem honoret* Iohan. 5. verſ. 23. 2. quòd in Chriſti exaltatione ſumma Dei erga nos gratia conſpiciatur. 3. quòd gloria Dei ſit finis ultimus tùm exaltationis Chriſti, tùm noſtræ glorificationis, quam Chriſto exaltato deferimus. In aliis Scripturæ locis hæc Chriſti ὑπερύψωσις ſic deſcribitur, quod Pater ipſum ex mortuis reſuſcitatum *collocaverit ad ſuam dextram in cœleſtibus* Pſal. 110. v. 1. Act. 2. v.33. Epheſ. 1. v.20. *Supra omnem principatum & poteſtatem & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur non ſolùm in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro*, v.21. *& omnia ſubjecerit pedibus ipſius, & ipſum dederit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ*. v.22. *quòd dederit ei poteſtatem & honorem & regnum, ut omnes populi tribus & linguæ ipſi ſerviant*. Dan. 7. v.14. *quod fecerit ipſum Dominum*. Act. 2. v.36. *quod in thronum majeſtatis ſuæ ipſum collocaverit* Hebr. 8. v.1. &c.

310. Ex hiſce, quæ de exaltatione Chriſti diximus, duo colligimus poriſmata. Prius eſt, *quod exaltatio propriè dicta* Philipp. 2. verſ. 9. *deſcripta non competat Chriſto ſecundùm divinam vel ſecundùm utramq;, ſed ſecundum humanam Naturam*, quod iiſdem probamus argumentis, quibus exinanitionem Chriſto ſecundùm humanam Nat. competere ſuperiùs, 1. *ex definitione*. Exaltatio definitur ab Apoſtolo, quod ſit Jeſu Chriſti poſt humilem obœdientiam ad mortem uſque crucis Patri præſtitam in ſummam ſublimitatem evectio & no-

nominis, quod eſt ſupra omne nomen, donatio. At hæc definitio non poteſt Chriſto ſecundùm divinitatem tribui, quia ſecundùm divinitatem nō accepit quicquam in tempore. *2. ex oppoſitione.* Secundùm quam Naturam Chriſto competit exinanitio, ſecundùm eandem etiam exaltatio, ut oſtendit oppoſitio. Jam verò ſecundùm humanam Naturam Chriſto tribuitur exinanitio, ut vidimus. Cumprimis hîc urgemus particulam διὸ καὶ. Quia Chriſtus ſeſe humiliavit: ideò Deus ipſum exaltavit. At quæ hæc foret connexio: Chriſtus ſecundùm humanitatem ſeſe humiliavit factus Patri obœdiens uſque ad mortem crucis, ideò Deus ſecundùm divinitatem ipſum exaltavit. *3. ex divina Nat. conditione.* Juxta divinam Naturā Chriſtus eſt altiſſimus, neque quicquam in tempore ex gratia accipit, ſed per æternam à Patre generationem Naturâ habet omnia. Jam verò hæc exaltatio in tempore ex gratia unionis Chriſto obtigit, ut oſtendit vox ἐχαρίσατο. Ergo ſecundùm divinitatem Chriſto tribui nequit. Hieronym. in cap. 2. Philipp. *Quia ſe aſſumtus homo humiliare dignatus eſt, divinitas, quæ humiliari non poteſt, eum qui humiliatus fuerat, exaltavit, ſed & illi donatum eſt nomen, quia antea non habuit.* Didymus Alexand. libro 3. de Spiritu ſancto: *Deo Verbo exiſtenti Filio Dei omnis creatura tanquam Regi omnipotenti ſubdita eſt. Et quoniam hic Deus λόγος hominem aſſumſit, eumque ſuſcitans poſt mortem ſuper omnes Principatus, poteſtates & virtutes, & dominationes conſtituit, huic (aſſumto homini) omnes Angeli Dei juſſu eum adorare, ſubjecti ſunt, ſcientes eum noſtri cū Dei verbo, cùm in dextra divinitatis ſit, & in nomine ejus non ſolùm terrena & inferna, ſed etiam cœleſtia genu flectant, & omnis lingua ad gloriam DEI Patris Ieſum eſſe Dominum confiteatur.* Hûc referri poſſunt omnia argumenta, quibus in ſecundo genere communicationis theſi ſpec. 2. demonſtravimus, Chriſto homini ſive ſecundùm humanam Naturam data eſſe dona verè divina & infinita. Confer Append. lib. Concord. p. 831. Apolog. ejusdem p. 36. Chemnit. de duabus Naturis cap. 25.

311. Poſterius eſt: *Exaltatio, quam deſcribit Apoſtolus, non præſupponit omnimodam carentiam & abſentiam divinæ majeſtatis, poteſtatis & gloriæ, quippe quæ per unionem perſonalem jam ante Chriſto erat cōmunicata, ſed infert plenarium duntaxat illius majeſtatis & dominij uſum, ac ſolēnem, uti diximus, inthroniſationem Chriſti ad plenam & perfectam dominij ſecundùm humanam Naturam ipſi dati uſurpationem.* Confirmatio hujus poriſmatis petenda ex illis, quæ de exinanitione & exaltatione Chriſti dicta fuêre, hactenus & in quæſtionibus paulò pòſt dicentur.

312. Theſis 4. Ad ſtatum exaltationis pertinent deſcenſus ad inferos. Reſurrectio ex mortuis, aſcenſio ad cœlos & ſeſſio ad Dei dextram. De hiſce actibus ad ſtatum exaltationis pertinentibus, tùm in diſputatione de Reſurrectione Chriſti, tùm in Harmonia Evangelica latiſſimè fuit actum.

Antitheſis.

313. *Antitheſis. 1. Ieſuitæ* doctrinam de exinanitione & exaltatione Chriſti multis modis pervertunt: 1. exinanitionem & formæ ſervilis aſſumtionem abſolutè & immediatè de opere incarnationis exponunt. Cornel. à Lap. in comm. Phil. 2. Salmeron ibid. 2. *Seſſionem ad Dei dextram*, in qua Chriſti exaltatio præcipuè conſiſtit, *datam eſſe dicunt humanitati non in ſe, ſed in ſuppoſito, neque enim factum eſſe, ut humanitas in ſe ſedeat ad dextram DEI, ſed ut ſit humanitas illius perſonæ, quæ ſedet ad dextram Dei.* Bellarminus libro 3. de Chriſto cap. 15. 3. exaltationem & ſeſſionem ad Dei dextram exponunt *definita quadam potentia & dominio abſentis*, ſicut Rex Hiſpaniæ per Vicarios ſuos in novis Inſulis dominetur, ac ne quid deſit impietati, diſputat Bellarminus d. l. *ſedere à dextris apud antiquos minus honorificum fuiſſe, quâm ſedere à ſiniſtris.* 4. de actibus ad ſtatum exinanitionis & exaltationis pertinentibus multos fovent errores, ut ſuo loco oſtenditur.

314. *2. Calviniani. 1. Chriſtum ſecundùm utramque Naturam exinanitum & exaltatum eſſe ſtatuunt.* Beza p. 1. reſp. ad Colloq. p. 96. Sohnius in exeg. p. 246. Anhald. in apol. Germ. contra Elector. pag. 417. Jacobus ad portum defenſ. fid. p. 209. cui erroneæ hypotheſi opponenda ſunt argumenta ex textu Apoſtolico Philip. 2. ſuperiùs propoſita. Polanus in ſyntagm. libro ſexto capite 22. pag. 2681. utitur hoc argumento: *Ut Chriſtus exinanivit ſe quoad Deitatem, non exuendo ſe ea, ſed occultando eam in aſſumta ſervi forma: ita rurſus quoad eandem exaltatus eſt potenter, & plenè ipſam patefaciendo in carne glorificata.* Reſpond. 1. nec exinanitio nec exaltatio in textu Apoſtolico eo modo definiuntur. 2. *Si exinanitio* definienda eſt occultatione Deitatis & divinæ potentiæ, exaltatio verò ejusdem patefactione, tùm exinanitionis ſtatus ſæpè fuit quodammodo ſtatus exaltationis & vice verſâ. Nam Chriſtus in ſtatu exinanitionis *manifeſtavit quandoque gloriam ſuam* Johan. 2. verſ. 12. 3. *nondum videmus Chriſto omnia ſubjecta eſſe* Hebræorum 2. verſ. 8. ergo nondum Chriſtus eſſet exaltatus. 4. juxta hanc definitionem etiam Patri tribui poſſet exinanitio & exaltatio, quando ſcil. auxilium ſuum priùs differt, poſtea verò potentiā adverſus hoſtes exerit. Confer D. Mentzer. in diſp. contra Martinium.

315. 2. Exaltationem definiunt per donorum finitorum duntaxat communicationem. Sohn. tom. 1. oper. Diſp. 7. th. 55. *Exaltatio ſeu glorificatio Chriſti ſecūdùm hum. Naturam nihil aliud eſt, quâm qualitatum finitarum ſeu donorum in Natura humana tanquā in ſubjecto per Deitatem perſonaliter inhabitantem effectio & velut creatio, ac genere ſeu ſpecie non differt à glorificatione beatorum Angelorum & hominum, ſed quantitate, hoc eſt, multitudine & magnitudine.* Contrarium probari poteſt ex Epheſ. 1. v. 20. Philip. 2. verſ. 9. Hebræor. 1. v. 13. 3. exinanitionem & formæ ſervilis aſſumtionem de incarnatione ſimpliciter accipiunt. 4. de actibus ad ſtatum exinanitionis & exaltationis pertinentibus multos fovent errores, ut ſuo loco demonſtrabitur. Confer Diſp. 8. de gloria Dei §. 14. & ſeqq.

Quæſtiones de ſtatu exinanitionis & exaltationis.

316. Quæritur h. l. 1. *An exinanitio rectè deſcribatur per κρύψιν, exaltatio per φανέρωσιν.* Reſpond. 1. ſi per κρύψιν ſive occultationem *ſimulatio* intelligatur, negamus exinanitionem per eam deſcribendam, quia fuit vera & realis exinanitio, quæ complexa fuit tum ἄρσιν, hoc eſt, remotionem uſus non cujuslibet ſed plenarii communicatæ divinæ majeſtatis & virtutis, quam Apoſtolus vocat κένωσιν, tum θέσιν, h. e. aſſumtionem ſervilis formæ & extremam humiliationem, quam κενώσεις Apoſtolus conjungit, ſicut è contrario exaltatio complectitur, tum ἄρσιν videl. depoſitionē

Exegeſis

ſervilis formæ ac infirmitatum humanarum, quas Chriſtus ſpontè aſſumſerat, tùm θέσιν videlic. plenariam uſurpationem & adminiſtrationem dominii in toto univerſo, quæ omnia non ſimulatè vel κατὰ φαντασμα, ſed verè Chriſto tribuuntur. 2. κρύψις illa referri poteſt tùm *ad majeſtatis communicationem*. tùm *ad communicatæ majeſtatis uſurpationem*. Reſpectu priori rectè ita vocari poteſt, quia majeſtas divina in aſſumta carne fuit abſcondita, non autem ab ea penitùs ſeparata, ac omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ dicuntur in ipſo *abſconditi* Coloſſ. 2. v. 3. Poſteriori verò reſpectu nō fuit tantùm κρύψις, ſed vera ac realis κένωσις, ut oſtendit aſſumtio formæ ſervilis, quam in exaltatione Chriſtus poſtmodum depoſuit.

317. Q. 2. *Quo ſenſu accipiendum, quòd Chriſtus in ſtatu exinanitionis actu primo dicitur omnipotens, Dominus cœli ac terra &c.* Reſp. actus primus quandoque ſignificat *nudam potentiam*, cui opponitur actus, ut quando dico, puer eſt Grammaticus actu primo, quia progreſſu temporis poteſt fieri Grammaticus: quandoque verò ſignificat *habitum*, qui ſe externo opere non exerit, cui opponitur actus ſecundus ſive operatio, ut quando dico, Priſcianus etiam in ſomno eſt Grammaticus actu primo, licet hanc ſcientiam Grammatices non exerat actu ſecundo. Quando Chriſtum in ſtatu exinanitionis dicimus omnipotentem ac Dominum cœli ac terræ, actu primo, tùm uſus hujus termini magis accedit ad poſteriorem quàm priorem ſignificationem. Quamvis enim omnipotentia habitualiter & ſubjectivè non competat aſſumtæ carni, tamen verè ac realiter per unionem perſonalem ipſi competit. Proinde quod Chriſtus homo dicitur omnipotens in ſtatu exinanitionis actu primo, non eſt eo ſenſu accipiendum, quod progreſſu demùm temporis Chriſto danda fuerit omnipotentia, ſed quod tota plenitudo Deitatis, ac proinde etiam omnipotentia perſonaliter habitaverit in aſſumta carne, quamvis ὁ λόγος hanc omnipotentiam carni communicatam, non ſemper plenâ luce exeruerit, ſed radios duntaxat quoſdam in miraculis aliquando emiſerit.

318. Q. 3. *An Chriſtus in ſtatu exinanitionis verè quædam ignoraverit?* Aff. Luth. in Poſt. Eccleſ. in Epiſt. feſt. Nativ. *Quamvis*, Inquit, *humanitas Chriſti domicilium ſit & organum divinitatis illaq; perſonaliter cum omni ſua plenitudine in carne, tanquam in proprio ſuo templo habitet, tamē in ſtatu exinanitionis non quovis tempore omnia cogitavit, intellexit, ſcivit, eò quod divinitas ſuam ἐνέργειαν non ſemper per illam exeruerit.* Hanc Lutheri ſententiam confirmavimus ſuperiùs cap. 12. q. 9. ex Marc. 6. v. 6. c. 13. v. 32. Luc. 2. v. 40. Phil. 2. v. 7. Hebr. 2. v. 17.

Vſus pract. 319. *Vſus practicus 1 Conſolatorius* ad expendendam Chriſti φιλανθρωπίαν ac benignitatem. Hūc uſum monſtrat Apoſtolus 2. Cor. 8. v. 9. *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos pauper eſt, cum eſſet dives, ut illius inopiâ vos divites eſſetis.* Dives erat Chriſtus propter veram & realem divinorum idiomatum carni factam communicationem, quia *tota plenitudo Deitatis habitat in ipſo corporaliter* Coloſſ. 2. v. 9. dives erat ob nominis, quod eſt ſupra omne nomen, donationem Hebr. 1. verſ. 4. dives erat ob communicatam potētiam ad cœli terræque gubernationem Matt. 28. v. 18. dives erat ob infinitæ ac divinæ ſcientiæ participationem, quia *omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ erant in ipſo reconditi* Coloſſ. 2. v. 3. dives erat propter omnium ſubjectionem Matth. 11. v. 26. Joh. 3. v. 35. hiſce divitiis jam inde à primo incarnationis momento ditatus erat Chriſtus, ut oſtendit tùm perſonalis unio, tùm miraculorum operatio, tùm particularis quædam hujus majeſtatis & poteſtatis demonſtratio, ſed pauper factus eſt exinanitione, humiliatione, formæ ſervilis aſſumtione, inde pauper naſcitur in ſtabulo, in pauperculæ matris quieſcit gremio, in paupere reclinatur tugurio, à Magis donatur auro honorario, præſentatur Domino cum pari turturum, quod pauperum erat, pauper educatur in parentum domicilio, pro paupelli fabri habetur filio, paupertatem ſentit in jejunio, proprio indiget habitaculo, in cruce exuitur veſtimento, ac in ſepulchro tandem ponitur alieno, quæ omnia ad Chriſti paupertatem & exinanitionem pertinent. Sed hac paupertate fecit nos divites. Sicut morte ſuam vitam nobis promeruit, ita paupertate ſuâ cœleſtes divitias nobis reſtituit, unde paupertas ejus ut lætitiæ materia nobis proponitur Zach. 9. v. 9. Chriſti paupertas noſtrum patrimonium, in vita peculium, in morte viaticum, quia hac paupertate cœleſtes divitias nobis acquiſivit 2. *informatorius* ad imitandam Chriſti humilitatem. Hunc uſum monſtrat Apoſtolus Philip. 2. v. 5. τοῦτο φρονείσθω ἐν ὑμῖν *is ſit in vobis affectus, qui fuit in Chriſto Ieſu &c.* proponit nobis 1. *exemplum Chriſti* ἀξιομίμητον. *Erubeſcat ſuperbire hum. infirmitas, cùm ita ſe humiliaverit divina majeſtas.* Auguſt. ſerm. 39. de verb. Dom. *Dignare humilis eſſe propter Deum, quia Deus dignatus eſt humilis eſſe propter te.* Chriſtus ſe exinanivit, ut penè videretur nihil, ſine quo factum eſt nihil, & tu in immenſum gloriaris & exiſtimas te eſſe aliquid cùm his nihil. Quā abſurdum ac præpoſterum eſt humiliari ſummam ſublimitatem & extollere ſe velle ſummam vilitatem? 2. *conſequens humilitatis præmium*. Chriſtus humiliavit ſe, ideò Deus ipſum exaltavit: pari ratione non pervenies ad celſitudinem niſi per humilitatis vitam, ἀρίστη ὁδὸς ὑψώσεως ἡ ταπείνωσις. Bernh. ſerm. 2. aſcenſ. Chriſtus cùm per Naturam divinitatis non haberet, quò creſceret, per deſcenſum quomodo creſceret, invenit: pari ratione non niſi per humilia tibi patebit aditus ad ſublimia.

Cap. XV.
& ultimum.

De Chriſti officio.

320. Theſis 1. *Officium Chriſti conſiſtit in opere Mediationis inter Deum & homines, quod eſt finis incarnationis* 1. Tim. 2. v. 5. Egimus hactenus *de perſona Chriſti*, reſtat ut de ſalutari ejuſdem officio agamus, quia unio divinæ & humanæ Naturæ in Chriſto ideo facta eſt, ut Mediatoris ac Redemtoris officio Filius Dei in aſſumta Naturâ fungi poſſet. 1. Joh. 3. v. 8. *in hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolveret opera Diaboli*. Matth. 20. v. 28. *Filius hominis non venit, ut ſibi miniſtraretur, ſed ut ipſe miniſtraret, & daret animam ſuā λύτρον pro multis.* Joh. 6. v. 38. *Deſcendi è cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.* Symb. Nycen. *Propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & homo factus eſt &c.* Aug. Conf. art. 3. *Verbum ſive Filius Dei aſſum-* *De Chriſti officio.*

ſumſit humanam Naturam, ut reconciliaret nobis Patrem, & hoſtia eſſet pro peccatis, non tantùm pro culpa originis, ſed etiam pro omnibus actualibus peccatis.

Triplex Chriſti eſt officium. 321. Theſ. 2. *Officium Chriſti vulgò triplex ſtatuitur: Propheticum, Sacerdotale & Regium,* quod tamen revocari poteſt ad duo membra, ita ut duplex Chriſti ſtatuatur officium, *Sacerdotale & Regium.* Sacerdotis enim eſt non ſolùm ſacrificare, orare, intercedere & benedicere, ſed etiam docere, quod ad Propheticum officium referunt. Sufficientia hujus diſtributionis probatur, 1. *ex dictorum Scripturæ coordinatione.* Quot ſunt claſſes, in quas referri poſſunt appellationes, quæ ratione officii Chriſto tribuuntur & dicta Scripturæ, quæ de Chriſti officio loquuntur, tot etiam partes officii Chriſti rectè ſtatuuntur. Jam verò tres ſunt claſſes, in quas referri poſſunt appellationes, quæ ratione officii Chriſto tribuuntur &c. E. 1. Reſpectu *Prophetici officij* Chriſtus vocatur *Paſtor* Ezech. 34. v. 23. cap. 37. v. 29. & cum προσδιορισμῷ *Paſtor unus omnium.* Ibid. *Paſtor ille bonus* Joh. 10. v. 11. *Paſtor magnus ovium* Hebr. 13. v. 20. ἀρχιποίμην 1. Petr. 5. v. 4. *Propheta* Deut. 18. v. 15. *Propheta magnus* Luc. 7. v. 19. c. 24. v. 19. *Apoſtolus confeſſionis noſtræ* Hebr. 3. v. 1. *Evangeliſta* Eſa. 41. verſ. 27. *Rabbi* Marc. 9. v. 5. Johan. 1. v. 38. c. 3. v. 2. *Doctor, Magiſter,* Matth. 23. v. 10. *Præceptor* Luc. 17. v. 13. *Præceptor gentium* Eſa. 55. v. 4. *Legiſer noſter* Eſa. 33. v. 22. *Conſiliarius* Eſa. 9. v. 6. *miniſter circumciſionis* Rom. 15. v. 8. &c. *autor & conſummator fidei* Heb. 12. v. 2. 2. *Reſpectu Sacerdotalis officij* vocatur noſter *Sacerdos* Pſal. 110. v. 4. *Sacerdos magnus ſuper domum Dei* Hebr. 10. verſ. 21. *noſter Pontifex* Hebr. 3. v. 1. *Pontifex fidelis ad propitianda delicta* Hebr. 2. v. 17. *Pontifex magnus* Hebr. 5. v. 10. *Pontifex futurorum bonorum* Hebr. 9. v. 11. λειτουργὸς *Sanctorum & veri tabernaculi quod Deus præparavit* Hebr. 8. v. 2. *noſter Advocatus* 1. Ioh. 2. v. 2. λύτρον καὶ ἀντίλυτρον 1. Tim. 2. v. 6. *agnus Dei* Joh. 1. v. 19. *agnus qui occiſus ab origine mundi* Apoc. 13. v. 8. *Paſcha noſtrum* 1. Cor. 5. v. 7. *propitiatoriũ* Rom. 3. v. 25. *noſtra pax* Eph. 2. v. 14. &c. 3. Reſpectu *officij Regij* vocatur noſter *Rex* Eſa. 33. verſ. 22. Zach. 9. v. 9. *David, Rex ſuper populum ſuũ* Ezech. 37. v. 24. *Princeps eorum in perpetuum* v. 25. *Rex David* Oſe. 3. v. 5. *Dux* Dan. 9. v. 25. *Dux gentium* Eſa. 55. v. 4. *Princeps pacis* Eſa. 9. v. 6. *Dominator Iſraelis* Mich. 5. v. 2. *Iudex noſter* Eſa. 33. v. 22. *Dominator, quem quæritis* Malach. 3. v. 1. *Dux qui regat populum Iſraël* Matth. 2. v. 6. *Rex ſuper domũ Iacob in æternum* Luc. 1. v. 33. *Dux & autor vitæ* Act. 3. v. 15. *Dux & autor ſalutis* Hebr. 2. v. 10. *Rex juſtitiæ, Rex pacis* Heb. 7. v. 2. &c. ubi notandum appellationes quaſdam eſſe *generales*, quæ reſpectu omnium officii partium Chriſto tribuuntur; ut quod vocatur noſter *Ieſus & Salvator* Matth. 1. v. 21. *Salutare* Luc. 2. v. 30. *Salus* Eſa. 49. v. 6. *Mediator* 1. Tim. 2. v. 4. *Redemtor* Job. 19. v. 25. *Deſideratus gentibus* Hag. 2. v. 8. *Sponſus* Ioh. 3. v. 29. *caput corporis ſui* Coloſſ. 1. v. 18. *fundamentum* 1. Cor. 3. v. 11. *lapis angularis* Pſalm. 118. v. 22. *Leo de tribu Iuda* Apoc. 5. v. 5. &c. quarum & ſimilium appellationum rationes expoſuimus ſuperiùs in cap. 3. 2. *ex ſtatus noſtri conditione.* Propter ignorãtiam mentis per peccatum introductam, egebamus Doctore ſeu Propheta Joh. 1. v. 18. *Deum nemo vidit unquam, filius qui eſt in ſinu Patris, enarravit nobis.* Propter peccata & peccatorum pœnas indigebamus Sacerdote reconciliante nos Deo; ſatisfaciente pro nobis & intercedente coram tribunali. Eſa. 59. v. 2. *Peccata veſtra diviſerunt inter Deum & vos,* ſed per Chriſtum facta reconciliatio 2. Cor. 5. v. 19. Propter infirmitatem voluntatis egebamus Rege nos ducente ac defendente. Pſal. 119. v. ult. *Ecce, ego ſicut ovis, quæ periji, require ſervum tuum Domine.* 3. *ex beneficiorum Chriſti enumeratione.* Chriſtus peccatorum noſtrorum reatum apud Deum expiat, maculas iniquitatum noſtrarum tegit, ac benedictionem à Deo nobis impetrat, quod eſt proprium *Sacerdotis.* Chriſtus conſilium Dei de redemtione ac ſalute noſtra nobis promulgat, quod eſt *Prophetæ.* Chriſtus beneficium redemtionis & ſalutis precioſo ſuo ſanguine partum efficaciter nobis applicat, regit nos ſceptro verbi & Spir. ſanct. coërcet hoſtes noſtros ac poſt noviſſimum judicium nos glorificat, quod eſt *Regis.* Hæc omnia ex ſpeciali cujusque officii Chriſti conſideratione erunt clariora.

322. Officium Chriſti *Propheticum* eſt, quò arcanum Dei conſilium de redemtione & ſalute noſtra nobis revelat. Partes ejus duæ ſunt: 1. *Functio docendi.* 2. *Doctrinæ efficacia.* Functio docendi eſt, qua Chriſtus Eccleſiam ſuam informat in illis, quæ ad ſalutem ſcitu & creditu ſunt neceſſaria. Eſtque vel *immediata* vel *mediata.* Immediata eſt, quâ Chriſtus ipſe in propria perſona tempore miniſterii ſui per triennium & ſemeſtre in his terris obiti auditores informavit, legem divinam à corruptelis Phariſaicis repurgavit, Evangelium prædicavit, Apoſtolos in Scholam ſuam aſcitos ad miniſterium præparavit ac omnibus officii partibus, quæ in fideli Doctore requiruntur, ſtudio indefeſſo defunctus eſt, ut Evangelica Hiſtoria teſtatur. Mediata eſt inſtitutio & conſervatio miniſterii in Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſorib. uſque ad diem noviſſimum. Chriſtus enim non ſolùm in propria perſona prædicavit, ſed etiam cùm exacto miniſterii ſui curriculo in gloriam ſuam intrare vellet docendi miniſterium priùs Apoſtolis commendavit Joh. 20. v. 21. in totum terrarum orbem cum mandato de Evangelii prædicatione eos ablegavit Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. & adhuc hodie exaltatus ad Dei dextram *dat Eccleſiæ ſuæ Doctores & Paſtores* Eph. 4. v. 11. *ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij in ædificationem corporis ſui myſtici* v. 12. Efficacia doctrinæ eſt divina illa vis, quâ Chriſtus per Spir. ſanct. efficaciter movet corda hominum ad doctrinã fidei amplectendam. Pſal. 68. v. 35. *dabit voci ſuæ virtutem;* Iob. 6. v. 45. *omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.* Ad hoc igitur officium Chriſti pertinet conſilii divini de redemtione generis hum. in Evangelio promulgatio, Miniſterii Eccleſ. inſtitutio & conſervatio, Sacramentorum ordinatio, Spir. ſanct. donatio & efficax cordium humanorum per illum immutatio, illuminatio, regeneratio, renovatio, ſanctificatio &c.

323. Officium Chriſti *Sacerdotale* eſt, quo ſeſe medium inter Deum & homines peccatores ponens, Deo totum genus humanum reconciliavit, legi divinæ perfectè ſatisfaciendo, pœnas peccatorum in ſe recipiendo, & apud Deum intercedendo. Duæ ergo ſunt hujus officii partes: 1. *Satisfactio*, quâ Chriſtus λύτρον ἰσόῤῥοπον pro totius mundi peccatis Patri ſuo præſtitit, ac juſtitiam & vitam æternam generi humano acquiſivit. In hac ſatisfactione occurrit *obœdientia tàm activa quàm* *2. Sacerdotale.*

paſſiva. Activa in perfecta legis impletione conſiſtit. Paſſiva in ſufficientiſſima perſolutione pro peccatis humani generis Deo præſtita, ubi tamen notandum, quòd activa & paſſiva obœdientia in ſatisfactione Chriſti ſint arctiſſimè connexæ, quia paſſio ejus fuit activa, & actio fuit paſſiva. 2. *Interceſſio* eſt, quâ Chriſtus vi meriti & ſatisfactionis à ſe præſtitæ apud Patrem cœleſtem intercedit, & quidem tum *generatim* pro omnibus hominibus, adeoque etiam pro hoſtibus ſuis & crucifixoribus Eſa.53.v.12. Luc.23.v.34. tum *ſpeciatim* pro ſolis fidelibus Joh.17.v.9. Rom.8.v.34. 1. Joh.2. v.1. quæ duæ interceſſionis ſpecies non ſunt ſibi invicem opponendæ.

3. Regium.

324. Officium Chriſti *Regium* eſt, quo Chriſtus θεάνθρωπος omnia in cœlo ac terra gubernat, ac imprimis Eccleſiam ſuam adverſus hoſtes tuetur. Regnum illud Chriſti conſideratur vel *in hac vel in futura vita.* In hac vita dicitur regnũ *potentiæ vel gratiæ. Regnum potentiæ* eſt generale dominium ſuper omnia videlicet gubernatio cœli & terræ Pſ.8.v.7. Dan.7.v.14. Matth.28.v.18. Eph.1.v.21. Subjectio omnium creaturarum 1. Cor.15.v.27. Eph.1.v.20. Heb.2.v.8. dominium in medio inimicorum, quos reprimit, coërcet & punit Pſ.2.v.9. Pſ.110.v.2. 1. Cor.15.v.25. &c. *Gratiæ regnum* eſt ſpecialis opatio gratiæ in Eccleſia videl. miſſio, illuminatio & cõſervatio Apoſtolorũ, Evãgeliſtarũ Doctorum & Paſtorum in Eccleſia Matt.28.v.19. Marc.16.v.15. Luc.24.v.47. Act.1.v.8. Eph.4.v.11. Collectio Eccleſiæ per prædicationem Evangelii & diſpenſationem Sacramentorum, ibid. regeneratio, renovatio, illuminatio, ſanctificatio credentium per verbum & Sacramenta Joh.3. v.5. c.17.v.17. Eph.5.v.26. Tit.3.v.5. &c. applicatio ſui meriti, protectio & conſervatio piorum Matth.28.v.20. effuſio variorum donorum Eph.4. v.8. &c. *In altera vita* dicitur *regnum gloriæ,* quod cõſpicietur in reſuſcitatione mortuorum & univerſali judicio, ejuſque executione, in damnatione reproborum, & glorificatione electorum Matth.25.v.46. Joh.5.v.29. quando Chriſtus *tradat regnum ſuo Patri* 1. Cor.15.v.24. *ut ſit Deus omnia in omnibus* v.28.

Adminiſtrat Chriſtus officiũ ſecundùm utrumq; Naturam.

325. Theſis 3. *Hoc ſuum officium adminiſtrat Chriſtus ſecundùm utramq; Naturam.* Probamus hoc 1. *ex diſerta utriusq; Naturæ denominatione.* De humana Natura dubitari nequit, quin per eam & in ea Chriſtua officium Mediationis exequatur ꝑpter protevangeliũ *de ſemine mulieris* cõtrituro caput ſerpentis Gen.3.v.15. ac evidentiſſimũ dictũ Apoſtolicum 1. Tim.2.v.4. *Unus eſt Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus.* De divina Natura hæc loquuntur dicta: Eſa.35.v.4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos.* Oſe.1.v.7. *Salvabo eos in Domino Deo ſuo.* Act.20.v.28. *Deus proprio ſuo ſanguine Eccleſiam redemit.* Rom.5.v.10. *reconciliati ſumus Deo per mortem Filij ipſius.* Hebr.1.v.3. *Filius Dei purgationem peccatorum noſtrorum fecit per ſeipſum.* Hebr.9.v.14. *Chriſtus per Spiritum æternum obtulit ſeipſum Deo.* 1. Joh.1.v.7. *Sanguis Ieſu Chriſti Filij Dei emundat nos ab omni peccato,* ex quibus ſic concludimus: Quodcunque opus tribuitur Deo, ac Filio Dei ab eo divina Filii Natura excludi nequit. Opus Mediationis ac redemtionis tribuitur ipſi Deo ac Filio Dei. 2. *ex Filij Dei incarnatione.* Filius Dei eo fine humanam Naturam in tempore aſſumſit ac mirabilis illa divinæ & humaoæ Naturæ unio facta eſt, ut ſecundùm utramque Naturam officium ſuum exequeretur 1. Joh.3.v.8. *In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolveret opera Diaboli,* ex quo ſic inferimus: Sublatâ divinæ Naturæ ἐνέργεια ἐξ ἀποτελέσματι officii Mediatorii tollitur incarnationis fiois. At conſequens illud eſt abſurdum. 3. *ex Mediatoris conditione.* Mediatorem noſtrum oportuit eſſe Deum & hominem, ut ſuperiùs multis demonſtravimus. Ergò etiam divina & humana Natura ad Mediationis officium cõcurrunt. Conſequentia probatur; Quod ſi enim Chriſtum Mediatorem ut talem oportuit eſſe θεάνθρωπον, ergo ad Mediationis officium utraque Natura concurrit. Anshelm. lib.2. cur Deus homo cap.18. *Ad hoc in Chriſto valuit diverſitas Naturarum & unitas perſonæ, ut quod opus erat fieri ad hominum reſtaurationem, ſi humana non poſſet Natura, faceret divina, & ſi divina minime conveniret, exhiberet humana: & non alius atq; alius, ſed idem ipſe eſſet, qui utrumque perfectè exiſtens, per humanam ſolveret, quod illa debebat & per divinam poſſet, quod expediebat.* 4. *ex neceſſaria divinæ Naturæ in officio Mediatorio operatione.* Reatus ex peccatis totius humani generis peccatis ortus erat infinitus, utpotè in infinitam Dei juſtitiam impingens. Læſum erat infinitum bonum, requirebatur ergo infinitum precium. Jam verò actiones & paſſiones humanæ Naturæ ſunt finitæ ac certi temporis, exinanitionis ſcil. periodo terminatæ. Ut ergo redemtionis precium eſſet analogum noſtro debito & infinito reatui, neceſſarium erat, ut ad illius perſolutionem non finitæ tantùm videlicet humanæ, ſed etiam infinitæ divinæ ſcilic. Naturæ actio ſive mediatio concurreret ac paſſio & mors Chriſti aliunde videlicet à divinæ Naturæ efficaciſſima operatione infiniti precii valorem acquireret, adeoq; bonum infinitum malo infinito opponi poſſet. Reconciliare Deum toti humano generi iratum, infinitæ juſtitiæ æquivalẽtem ſatisfactionem præſtare, peccatum, quod eſt malum infinitum abolere, perfectam juſtitiam adducere, ſuperare Diabolum, mortem & infernum, perfectiſſimam legi obœdientiam pro aliis præſtare, peccatorum remiſſionem aliis promereri, introſpicere arcanum Dei de redemtione & ſalute hominum conſilium, amiſſa bona cœleſtia recuperare, Eccleſiam ſibi ex genere humano colligere & contra omnes hoſtium ſpiritualium & corporalium impetus tueri ſunt ejuſmodi opera, quæ divinam & infinitam ἐνέργειαν requirunt, ut conſtat. Jam verò hæc opera omnia ac ſingula in officio Mediatoris requiruntur. Ergo. 5. *ex abſurdi conſecutione.* Si divina Chriſti Natura ab officio Mediationis excluditur, conſequens eſt, non fuiſſe neceſſariam divinæ & hum. Nat. in Mediatore unionem, obœdientiam Chriſti tàm activam quàm paſſivam non eſſe infiniti precii ac meriti, cùm finita Natura, quâ talis non poſſit per ſe & ex ſe cauſa eſſe infiniti effectus, ac proinde nos eſſe adhuc ſub dominio peccati, mortis ac Diaboli, opus redemtionis non eſſe cõſummatum & perfectum, redemtionem eſſe opus merè humanum, in V.T. Eccleſiam non habuiſſe Mediatorem. 6. *à piorum veterum teſtificatione.* Decretum Concilii Chalcedonenſis, dicta Irenæi lib.3. adv. hæreſ. cap.20. Auguſt. lib.9. de civit. Dei cap.15. homil. de ovib. cap.12. Anshelm. lib.2. Cur Deus homo cap.18. Damaſc. 3. orth. fid. cap.15. recitavimus in tract. de perſ. Chriſti §.165. & ſeqq. quibus

quibus addenda ſunt ſequentia. Iren. libr. 3. cap. 20. p. 211. *Si homo non viciſſet inimicum hominis, non juſtè victus eſſet inimicus. Rurſus autem niſi Deus donaſſet ſalutem, non firmiter haberemus eam & niſi homo conjunctus fuiſſet Deo noſtro, non potuiſſet particeps fieri incorruptibilitatis.* Cyrill. de rect. fid. ad Reg. *aſſerit, Chriſtum eſſe Pontificem noſtrum in aſſumta Naturâ humanâ, ea autem quæ fecit aut paſſus eſt, ideò efficacia eſſe quod ſint propter unionem non hominis ſed Dei opera.* Athanaſ. ad Maxim. Philoſ. *Ipſum verbum ſuum corpus obtulit pro nobis, ne in hominē ſpe aut fiducia moveremur, ſed in ipſo Deo Verbo fiduciam noſtram conſtitutam haberemus.*** Ambroſ. in cap. 7. Rom. *Quamvis ad tempus mortuus eſſet in carne, tamen in æternum divinitate & humanitate Mediator inter Deum & homines ſemper vivens eſt, ad interpellandum pro nobis.*** Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 42. *Mediator inter Deum & homines oportebat, ut haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus, ne in utroq; ſimilis hominibus longè eſſet a Deo, & in utroq; ſimilis Deo longè eſſet ab hominibus, atq; ita Mediator non eſſet.* In Enchir. ad Laurent. cap. 108. *Nam neq; per ipſum liberaremur unum Mediatorem Dei & hominum, hominem Ieſum Chriſtum, niſi eſſet & Deus?* Theodoret. Dial. 2. *Interceſſoris nomē hic & divinitatem & humanitatem ſignificat.* Vigil. lib. 5. contra Eutych. *Talis victima requirebatur, quæ ita media eſſet inter Deum & hominem, ut morti ſuccumberet, per illud quod hominis habebat, & mortem revinceret, per id quod in ſe divinitatis tenebat. 7. ex adverſariorum confeſſione.* Thom. part. 3. q. 48. art. 6. *Dicendum, quod duplex eſt efficiens, Principale & Inſtrumentale. Efficiens quidē principale humanæ ſalutis eſt Deus. Quia v. humanitas Chriſti eſt divinitatis inſtrumentum, ideò ex conſequenti omnes actiones & paſſiones Chriſti inſtrumentaliter operantur in virtute divinitatis ad ſalutem humanam, & ſecundum hoc paſſio Chriſti efficienter cauſat ſalutem humanam.* Dionyſ. Carthuſian. in comm. 1. Tim. 2. *Eſt Mediator Dei & hominum propriè loquendo, nec ut Deus, nec ut homo, ſed ut Deus homo, ſeu ut Deus incarnatus. Sic quippe competit ei & ſatisfacere ſeu reconciliare & idoneitas vel efficacia recōciliādi, quorum primum competit ei ratione aſſumtæ Naturæ ſecundùm verò ratione Deitatis unitæ, ex qua opera & pœna Chriſti hominis infinitam quodammodo dignitatē & efficaciam ſortiuntur.* Claud. Eſpenſæus in comm. 1. Tim. 2. tract. de Chriſto Mediat. cap. 2. & 5. *Miratiſ ſumus aliquos tueri Chriſtum ſecundùm humanam Naturam tantùm eſſe, dici; Mediatorem & ſecus ſentientes apertè Arianiſmi & id genus hæreſium inſimulari &c. Quidam urgent locum Apoſtolicum* 1. Tim. 2. *ſed quæro ego viciſſim, cur Patres hunc locum enarrantes, ex eodem loco & vocabulo; Chriſtum eſſe Deum, eliciunt & urgent? Si Apoſtolus hic Chriſtum Mediatorem eſſe tantum, quatenus hominem intellexerit, atq; vocabulum tantum, quod introducit, Apoſtolus non appoſuit, quod qui addunt, timeāt plagas huic malo denunciatas.* Apocal. 22. *Nec modò non appoſuit, verum etiam contrarium adjecit, Chriſtus Ieſus, inquit; quorum illud nomen eſt non meri hominis, ſed à Deo uncti & in unionem perſonæ aſſumti* Hebr. 1. Act. 4. Pſalm. 44. *poſterius etiam nomen eſt Dei hominis, ut Angelus docet Matth. &c.* Et poſteà: *Habemus ex Græcis & Latinis magno conſenſu de utriusq; Naturæ ad Mediatoris nomen concurſu neceſſario velut graviſſimum, & unanime Senatusconſultum, inter quos ſic (Chryſoſtomus* (ut citatur à Vigilio lib. 5. contra Eutychen) *ut quis ſe interponens, ut litem diſcordiamq; diſſolvat, hunc quidem dextrâ illum ſiniſtra tenens, utroſq; in amicitiā reducit: ſic Chriſtus inter nos & Deum ſe medium ingeſſit, Vtramq; Naturam ſociavit, unione Naturarum divinitatis & humanitatis, meritò Mediator & Interceſſor dictus,* ut inquit Theodoret. (in Dial.) *& Leo hujus nominis primus idemq; magnus Pontifex* (de incarnat.) *Quâ ratione,* inquit, *Mediatoris veritatem impleret, niſi in forma Dei æqualis Patri, in formâ ſervi particeps eſſet & noſtri.* Ex Cyrillo (Epiſt. 86.) *Nec propter carnis diſpenſationem Mediator vocatur, ut alij Græci Patres de ratione Mediationis utramq; Naturam eſſe ſentiunt, idq; ex Bernhardo* (ſerm. de circumc.) *videre eſt, de ratione Mediationis ſalvifica eſſe utramq; Chriſti Naturam, quia oportebat Mediatorem non modò ſatispati, verum etiam ſatisfacere, quod purus homo nequit, & actio Chriſti dicitur* θεανδρικὴ *Dei virilis, ſeu ut ita dicam humani divina, ut deducit eximius Theologus* Damaſcen. lib. 3. de orth. fid. cap. 19. &c. *Quod ſi Auguſtinus videtur negare, Chriſtum Mediatorem eſſe quoad divinam Naturam, tūc ibandus ſibi erat; non nobis objectandus, nimirum quia negat Chriſtum Mediatorem fuiſſe, niſi vel ut hominem jam factum, vel olim promiſſum agnoſcimus, quia eadē erat veterum fides de Chriſto venturo & noſtra inventum. Idem Auguſtinus negat Chriſtum Mediatorem eſſe ut Deum, hoc quoq; cognoſcimus. Sed intelligit, ut Deum purum, nullo reſpectu habito ad hominem factum vel faciendum, ſed in ſua immortali & impatibili Natura conſideratum. Hæc expoſitio violenta nō eſt, ſed ex mente Auguſtini, ut patet. Mediatorem,* inquit, lib. 9. de civit. Dei cap. 15. *habere oportet & humanitatem tranſeuntem & beatitatem permanentem. Ad argumentum, quod Chriſtus ſi ſtatuatur ſecundum divinam etiam Nat. Mediator, Patre inferior ſtatuendus ſit,* latiſſimè ex Patribus reſpondet & tandem ſubjicit. *Scholaſtici meritum, ſatisfactionem, Mediationem, Redemtionē; Naturæ quidem humanæ adſcribunt, ſed quatenus talem, hoc eſt, quatenus eſt tantæ dignitatis, efficientia, ſufficiētia, & ut ita dicā ſuperſufficientia, quam Natura divina, ſeu perſonali cum eadem unioni tribuunt. Mereri, mediare, ſatisfacere Naturæ aſſumtæ eſt,* inquit Cajetanus. *Vt autem ea tanta in ſatisfaciendo efficaciæ ſint, ex divinitate habent.* Et Gabriel Biel obſervat ex illo: *Per Chriſtum Dominum noſtrum, Per,* inquit, *præpoſitio Mediatorem ſignificat, Chriſtus Dominus, utramq; Naturam:* Idem habet gloſſa Anſhelmi: *Summa omnium eſt; ſicut pro ſalute noſtra exorare Deus niſi homo factus, ita exorare homo niſi Deus ſimul exiſtens non poterat. Lachrymas, preces, reliquaq; Mediationis executiones non ſimpliciter contemplamur, ſed ut redemtrices, expiatrices, propitiatrices, expiatrices, propitiatrices, exoratrices, ſatisfactrices, & ut tales non magis ab homine tantum, quam à Deo tantum, ſed ab homine Deo profectas.* Salmeron tom. 7. tractat. 25. *Egimus ad redemtionem Deitate ſimul & humanitate quaſi humeris. Etſi enim* Eſa. 9. *dicatur in ſingulari: Factus eſt principatus ſuper humerum ejus, quia ſola humanitas crucem ſuſtulit, per humerū tamen interpretari poſſumus Deitatem, quæ tanquam humerus quidam ſuppoſito tamen panno ſive veſte humanitatis onera peccatorum noſtrorum portavit.* Maldonatus in comm. Joh. 10. v. 18. non impro-

improbat ſi quis ſtatuat, *quod Chriſtus & tanquam homo, & tanquam Deus vitam ſuam poſuerit.* Ozorius tom. 4. conc. Domin. 3. Advent. in Joh. 1. *Medium utroq; extremo participare debet. Ecce extrema Deus & homo, omninò extrema iſta ſicut cœlum & terra, ecce medium participans iſta extrema Chriſtus Dominus, qui Deus & homo eſt.* Pineda in comm. Jobi 7. v. 33. *Nõ eſt qui valeat manum, ponere in ambobus. His verbis* ait Tert. lib. de patient. circa fin. *Jobus Mediatorem deſiderat inter ſe & Deum & prophetare videtur de Chriſto Mediatore. Et ſanè hic Mediator ponit manum in ambobus. Nam hic quidem dextra Patris eſt, per quam Pater jurat, ſtq; magnificat, tum etiam nobis dexteram dedit eûm nobis Naturam humanam copulavit Mediator veriſſimus non ſolùm officio & munere, ſed etiam ſubſtantia & Natura.* Suarez in Thomam tom. 1. q. 1. art. 2. Diſp. 4. ſect. 5. §. ſed hic. *Hic modus loquendi, qui negat Chriſtum & ſibi & toti Trinitati pro nobis ſatisfeciſſe, omnino mihi diſplicet, eſt enim apertè contra Scripturas* 2. Corinth. 5. *Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Vbi ſicut Deus dicitur eſſe in Chriſto ratione divinæ Naturæ, ita ratione ejusdem Naturæ dicitur reconciliaſſe mundum ſibi.* Ibid. *Chriſtus vocatur Mediator Dei, quatenus Deus, ut latè tractat Cyrillus.* Gregor. de Valent. lib. 1. de Unit. & Trin. cap. 22. *Chriſtus obijt munus Mediatoris apud ſeipſum ut Deus, qui unà cum Patre & Sp. S. erat peccatori infenſus, ac tantùm abeſt, ut Chriſtus qua Deus & homo eſt, non potuerit eſſe Mediator noſter apud Deũ, ut contra potius ſequatur, niſi Deus & homo eſſet perfectus, eſſe Mediator non potuerit, ut pulcrè Patres omnes demonſtrant.* Idem libr. de Chriſto Redempt. part. 1. cap. 4. diſtinctione utendum eſt. *Nam ſi quæſtio eſt, per quid propriè munus Mediatoris obierit, dicendum eſt, tantùm Mediatorem ut hominem. Si per quid fuerit, ſive à quo valorem acceperit ejus muneris functio, orthodoxa eſt Patrũ ſententia conjunctim, ut Deum & hominem. Non paſſus eſt pro nobis ſecundùm divinitatem, tamen ſecundum utramque Naturam operatus eſt reconciliationem Deo.* Bellarminus libr. 2. de Juſtif. cap. 5. *Deus non acceptat in veram ſatisfactionem pro peccato niſi juſtitiam infinitam, quoniam peccatum offenſa eſt infinita, ſed ut aliqua juſtitia ſit infinita, id eſt, infiniti pretij & valoris, non eſt neceſſe, ut ſit juſtitia Dei eſſentialis, ſed ſatis eſt, ut ſit juſtitia perſonæ infinita, qualis eſt Chriſtus Deus & homo. Itaq; obœdientia, paſſio & mors Filij Dei, quãvis in ſe & eſſẽtialiter fuerit creata & finita, tamẽ ratione perſonæ obediẽtis, patiẽtis, & morientis infinita fuit, & ex vero juſtitiæ rigore ꝓpitiatio fuit pro totius mũdi peccatis.*

Antitheſis. 326. *Antitheſis.* 1. *Iudæi* de officio Meſſiæ graviſſimos fovent errores: 1. in officio *Prophetico* negant Meſſiam quicquam aliud præter legem Moſaicam promulgaturum, & nihil novi prorſus allaturum, quantum ad doctrinam neque alia Sacramenta inſtituturum ſomniant. 2. In *Regio* officio prorſus cæci ſunt. Somniant Meſſiam fore Regem terrenum, qui aliorum Monarcharũ more in terris regnaturus, omnes gentes debellaturus & Judæos in terram Canaan reducturus, &c. ibique omnium rerum affluentiâ & abundantiâ beaturus &c. 3. *Sacerdotale* Chriſti officium penitùs tollunt, cùm propriis operibus juſtitiam & vitam æternã mereri ac propriis ſatisfactionib. Deo ſe reconciliari poſſe perſuaſum habeant. Contra quos errores latiſſimè diſputat, & ex propriis autoribus Judæos refellit D. Helvicus tom. 4. diſput. Giſſenſ. Diſp. 6. & 7. ſive Elencho Judæorum 3. & 4. 2. *Stancarus* Chriſtum *ſecundum humanam Naturam tantùm* Mediatorem eſſe docuit, ſicut Andreas Oſiander *ſecundum divinam tantum Naturam* Mediationis opus ei tribuit. Confer tract. de perſ. Chriſti §. 168. & ſeqq. 3. *Pontificij* 1. Stancari errorem ſequuntur, Chriſto itidem ſecundùm humanam tantùm Naturam Mediationis officium tribuentes. Lorinus in comm. 1. Epiſt. Johann. p. 32. ſcribit, *illum poſſe Chriſtum Catholicè deprecari, ut pro ipſo oret, qui norit diſtinguere inter divinitatem & humanitatem juxta quam noſter Advocatus eſt & pro nobis orat.* Buſæus in Diſp. de perſ. Chriſti th. 79. *Chriſtus ſecundum humanitatem tantùm Deo obedivit, ſacrificavit, obtulit, ſatisfecit, oravit, impetravit & meruit nobis juſtitiam.* Bellarmin. libr. 5. de Chriſto c. 5. §. 4. *Ne aliquo modo, hoc eſt, nullo modo ſecundum divinam Naturam Chriſtum Mediatorem dici poſſe.* Confer Melchior. Canum in loc. Theol. Suarez tom. 5. com. in part. 3. Thom. Diſp. 46. ſect. 2. Gregor. de Valent. lib. 2. de Chriſto part. 2. cap. 4. Argumenta ipſorum ad veritatis trutinam expendimus in tractat. de perſ. Chriſti §. 179. & ſeqq. 2. circa ſingulas officii Mediatorũ partes graviſſimos fovent errores. *In genere* 1. plures Mediatores & Salvatores introducunt. 2. Gentiles ſine Chriſti cognitione ſalvatos fuiſſe aſſerunt. *In ſpecie* 1. contra officium *Propheticum*, 1. Magiſterium fidei Rom. Pontif. tribuunt. 2. Chriſtum fuiſſe novum legiſlatorem aſſerunt. 3. Nova Sacramenta Chriſto & Apoſtolis ignota introducunt. 4. Baptiſmi integritati quædam à Chriſto minimè inſtituta addũt. 5. Euchariſtiæ inſtitutionem à Chriſto factam mutant. 2. Contra officium Chriſti *Sacerdotale.* 1. obœdientiam & ſatisfactionem Chriſti pro nobis præſtitam, adeoque ſanctiſſimum ipſius meritum multis modis convellunt, utpote negando Chriſti ſatisfactionem ſimpliciter ad redemtionẽ & ſalutem fuiſſe neceſſariam, divinæ Naturæ *ἀπο-τέλεσμα* à ſatisfactione & merito Chriſti excludendo, rationem ac precium ſatisfactionis à Chriſto præſtitæ in nuda acceptatione ſtatuendo, Chriſtum iram Dei & dolores infernales in paſſione ſenſiſſe inficiando, Chriſtum pro peccatis & peccatorum pœnis perfectè ſatisfeciſſe negando, merito Chriſti noſtra merita addendo Chriſtum ſuâ obedientiâ & ſatisfactione talem juſtitiam, quæ per fidem nobis imputetur, promeruiſſe pertinaciter negando, Chriſtum ſuâ obœdientiâ & paſſione corporis gloriam & exaltationem ſibi promeruiſſe aſſerendo, Chriſti paſſionem eſſe ſolam & totalem meritoriam juſtificationis & ſalutis noſtræ cauſam negando, meritum Chriſti pecuniis vendendo. *Satisfactio per ſufficientiam* (à Chriſto præſtita) *non meretur nomen ſatisfactionis, nec redemtio, nec reconciliatio per ſufficientiam merentur hæc nomina.* Tapperus in art. de ſatisfact. p. 241. *Chriſtus eſt cauſa ſalutis univerſalis, ſed non totalis, nec integra.* Miletus in diſcuſſ. primam promiſſionem Gen. 3. v. 15. referunt ad Mariam &c. 2. Sacrificium Chriſti in ara crucis oblatum per Miſſaticum ſacrificium convellunt. 3. ad Sanctorum merita & interceſſiones homines ablegant. 4. purgatorium quendam ignem peccatorum reliquias poſt hanc vitam abluentem introducunt. 3. Contra officium *Regium* 1. Naturam Chriſti humanam ab omnipræſente in cœlo ac terra dominio

minio excludunt. 2. Pontificem Chriſti vicarium ſtatuunt. 3. Honorem, dignitatem, opera & nomina Chriſto Regi propria ad Rom. Pontif. transferunt. 4. Regnum temporale ſub prætextu vicariatus Chriſti ad Pontificem transferunt. De hiſce Pontificiorum erroribus latiſſimè egimus Diſp. 2. & 3. de gloria Dei.

328. 4. *Calviniani* 1. contra *Propheticum* Chriſti officium propugnant, 1. abſolutum reprobationis decretum. 2. docent Baptiſmum non eſſe efficax organum ac medium regenerationis & renovationis. 3. ἀπουσίαν corporis & ſanguinis Chriſti a cœna. 2. Contra *Sacerdotale* Chriſti officium 1. paſſionem Chriſti per ἀλλοίωσιν periculoſam ad ſolam Naturam humanam referunt. 2. in nuda patris acceptatione rationem meriti ſtatuunt. 3. Chriſti meritum & ſatisfactionem pro omnibus hominibus præſtitam eſſe negant. 4. activam Chriſti obœdientiam ex ordine cauſæ meritoriæ excludunt. 5. ſibi aliquid promeruiſſe aſſerunt. 6. gentilibus abſque fide in Chriſtum ſalutem tribuunt. 3. Contra *Regnum* Chriſti officium pugnat. quod humanam ejus Naturam ab omnipræſente & omnipotente in cœlo ac terra dominio excludunt. Confer Diſp. 8. de gloria Dei.

329. 5. *Photiniani*. 1. contra *Propheticum* Chriſti officium ſtatuunt. Chriſtum nova quædam præcepta legi divinæ addidiſſe. 2. Contra *Sacerdotale* Chriſti officium pugnat, quod negant Chriſtum ſua morte pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe aut ad promerendam nobis ſalutem eſſe mortuum; negant Chriſtum nos Deo reconciliaſſe; negant Chriſtum, pro nobis in ara crucis ſe Deo in ſacrificium obtuliſſe, negant Chriſtum fuiſſe Sacerdotem, antequam ingreſſus eſſet cœlum, negant per Chriſti ſacrificium quicquam aliud intelligendum, quàm liberationem ex noſtris neceſſitatibus, negant Chriſtum pro nobis propriè intercedere cùm per interceſſionem ipſius nihil aliud intelligendum ſit, quàm quod potentiam ſuam, per quam agit, à Patre habeat. 3. Contra *Regnum* Chriſti officium pugnat, quod 1. negant Chriſtum poſt ſuam in cœlos aſcenſionem in terra præſentem dominari, ac potentiam Chriſto datam limitant & reſtringunt. 2. ſtatuunt regni Chriſti fore finem. Confer Diſp. 10. de gloria Dei. §. 31.

Q. An Chriſtus etiam ſibi aliquid promeruerit.

330. Quæritur hoc loco: *An Chriſtus etiam ſibi aliquid promeruerit?* Affirmant 1. *Pontificij*, Thom. p. 3. q. 19. art. 3. q. 49. art. 6. Lomb. 3. ſent. diſt. 18. Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 9. *Chriſtum corporis gloriam & nominis exaltationem ſibi promeruiſſe diſputant*. Salmeron Hebr. 1. Diſput. 8. §. dubium, *Chriſtum meruiſſe ſibi ſua paſſione adorationem latriæ*. 2. quidam *Calviniani*. Zanch. libr. 2. Epiſt. ad D. Stuckium p. 212. Zanchius in ſcriptis ſuis ſæpe hoc repetit, *Chriſtum ſua obœdientia ſibi promeruiſſe vitam æternam.* ** Sic tom. 8. de rel. Chriſt. cap. 12. aphor. 15. p. 502. *Credimus, Chriſtum ſua perfecta obœdientia non ſolum ſibi, ſed etiam nobis vitã æternã promeruiſſe*. Piſc. in Luc. 2. obſ. 19. ** item in cap. 2. Phil. v. 9. p. 173. Vorſtius in Anti-Bellarm. p. 55. 56. Ravenſpergerus in pentade 5. Cenſuræ & judicii de illuſtrioribus Theologorũ quæſtionibus q. 2. ubi pro ſua ſententia citat Bullingerum in Apocal. ſerm. 27. & addit: *Duo ſunt, quæ Chriſtum ſibi meruiſſe ſtatuimus, videl. vita æterna ac ſumma illa & ſingularis gloria, quâ pro Filio Dei ab omnibus creaturis rationalibus agnoſcitur, ac proinde ut verus Deus adoratur, quarum illam ſibi meruit obſervatione legis, juxta illud. Qui fecerit ea homo, vivet in eis*, Levit. 18. v. 5. *hanc verò per multas ac varias paſſiones atque inprimis per mortem crucis*. Philip. 2. v. 9. Huic aſſertioni opponimus 1. *perſonæ Chriſti dignitatem*. Chriſtus in ipſa unione ſecundùm aſſumtam Naturam humanam nomen multò præſtantius Angelis ſortitus eſt, cùm aſſumta illa Natura humana in ipſam λόγῳ ὑπόστασιν ſit evecta, quâ gloriâ & dignitate non poteſt major cogitari Hebr. 1. v. 5. Ergo ratione ſui nullo indiguit merito. 2. *Communicationis veritatem*. Chriſto ſecundùm humanam Naturam in primo incarnationis momento dona verè divina & infinita verè ac realiter ſunt communicata; ut oſtẽdimus ſuperiùs. Potuiſſet igitur Chriſtus in prima ſtatim conceptione majeſtatem & gloriam ſibi communicatam plenâ luce exerere, niſi redemtionis ac ſalutis noſtræ ratio requiſiviſſet, ut ſeſe priùs exinaniret ac formam ſervi aſſumeret. In exaltatione, quæ eſt exinanitionis conſequens, non eſt Chriſto data nova quædam poteſtas; quam per unionem perſonalem non acceperit, ſed collata eſt plena poteſtatis illius executio & regni adminiſtratio. 3. *meriti Chriſti qualitatem*. Quicquid Chriſtus in officio ſuo promeruit; id nobis, non ſibi promeruit. Eſa. 45. v. 24. Zachar. 9. v. 9. Joan. 17. v. 19. 1. Tim. 1. v. 15. *Nobis enim natus, nobis datus eſt* Eſa. 9. v. 6. *Nobis factus eſt juſtitia, ſapientia, ſanctificatio & redemtio* 1. Cor. 1. v. 30. 4. *conſequentem abſurditatem*. Si Chriſtus per paſſionem adorationem latriæ ſibi promeruit, conſequens fuerit, Chriſtum in diebus carnis non potuiſſe nec debuiſſe honorari adoratione latriæ. Conſequens eſt abſurdum, quia argumenta; quibus ſuperiùs demonſtravimus; Chriſto homini adorationem latriæ competere, probant etiam in ſtatu exinanitionis ipſum fuiſſe latriâ adorandum & exempla piorum oſtendunt, Chriſto in dieb. carnis latriæ cultum fuiſſe ſæpiùs delatum, quem etiam minimè recuſavit. 5. *adverſariæ opinionis varietatem*. Adverſarii in hoc dogmate ſibi non cõſtant. 1. *Ex Pontificijs* Salmeron ſtatuit, *Chriſtum ſibi ſua paſſione meruiſſe adorationem latriæ*. Sed reliqui diſputant; *Chriſto homini non latriam ſed hyperduliam competere*, quam etiam in ſtatu exinanitionis Chriſto delatam fuiſſe aſſerunt. Catech. Tridentinus in explic. art. 4. Symb. *commoda & bona paſſionis Chriſti enumerans ſolius meriti pro nobis, nullius autem pro Chriſto meminit*. Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 9. ex Auguſtino libr. de prædeſtin. Sanctor. cap. 15. rectè negat. *Chriſtum meruiſſe ſibi unionem hypoſtaticam*, eamque refert inter illa, quæ quis mereri non poteſt. Sed Maximil. Sandæus Jeſuita Herbipol. in caſtig. de prodig. liberal. pag. 261. diſputat; *Deum potuiſſe conferre humanitati gratiã unionis hypoſtaticæ non abſolutè; ſed tanquam ſub conditione atque cum quadam dependentia à futuris operibus, & ſic ut in præmium eorum*. 2. *Ex Calvinianis* ipſe Calvinus libr. 2. Inſtit. cap. 17. §. 6. in Pontificiis ex profeſſo hunc errorem refellit. Franc. Junius ſcribit, *Fidem Chriſtianam nihil laborare, ſivè dogma illud probetur; ſive improbetur*.

331. Pro affirmante quæſtionis parte urgetur potiſſimùm locus Apoſtolicus Philip. 2. verſ. 9. διὸ καὶ ὑπερύψωσε. Reſp. 1. exinanitio non ſtatuitur cauſa meritoria exaltationis, ſed exaltatio deſcribitur, ut conſequens præmium exinanitionis. Particulæ enim διὸ καὶ διὰ τοῦτο non ſemper ac ubique

notant

notant cauſam rei meritoriam, ſed interdum etiam finalem, ſæpius autem conſequentiam & ratiocinationem, quâ unum aliquid ex altero concluditur. Confer Gen.2.v.24. Matt.19.v.5. Marc.7.v.29. Rom.2.v.1. 2.Cor.4.v.13.cap.6. verſ.17. Eph.4.v.8.& 25.&c. quod tàm evidens eſt, ut nec ab ipſis Pontificiis negari poſſit. Hebr.1.v.9. *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem* διὰ τοῦτο *propterea unxit te Deus.* τὸ διὰ τοῦτο eſt ejusdem ſignificationis cum τῷ διὸ, jam verò illud διὰ τοῦτο Thomas in annot. Hebr.1.lect.4. Ribera in com. h.l. Melchior Canus in locis Theologicis libr. 12. cap.13.§.tertiò demùm. Suarez in Thomam tom. 1. Diſp 10.ſect.4. non *de cauſa meritoria* ſed *finali* accipiendum eſſe docent. 2. Conferimus igitur cum loco Apoſtolico parallela dicta: Luc.24.v.26. *Nonne hæc oportebat Chriſtum pati, & intrare in gloriam ſuam.* In vulg. verſ. additur, *ita intrare in gloriam.* Ergo hic ordo fuit divinitùs conſtitutus, ut Chriſtus per paſſionem & poſt paſſionem in gloriam intraret. Hebr.2.v.9. *eū qui modico quàm Angelis minoratus eſt, videmus Ieſum* διὰ τὸ πάθημα (quidam verba ſic ordinant, ut Chriſtus dicatur factus Angelis minor διὰ τὸ πάθημα) *per paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum.* v.10. *decebat enim eum propter quem omnia & per quem omnia &c. autorem ſalutis* διὰ παθημάτων *per paſſiones conſummare.* 1.Petr.1.v.11. *Spiritus pronunciavit* τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας. 3. Græcum διὸ componitur ex articulo ὁ & præpoſitione διὰ, reddendum igitur, *proinde, quocirca*, ut ordo & conſequentia paſſionis ac gloriæ, nō autem effectus meriti innuatur. 4. χαρίζεσθαι ſignificat *gratis donare vel largiri.* Jam verò ubi gratis ſeu donum gratuitum, ibi exulat meritum ſecundùm debitum. 5. *Scopus Apoſtoli* non eſt, ut fiduciam meriti inculcet, ſed ut humilitatis ſtudium commendet, ut à Deo gratuita humilitatis præmia expectemus.

Uſus pract.

332. *Uſus practicus. 1. Conſolatorius.* Chriſtus eſt noſter *Doctor*, in veritatis igitur ſemita nos deducet. Eſt noſter *Sacerdos*, apud Patrem igitur pro nobis intercedet. Eſt noſter *Rex*, ergo adverſus omnes hoſtes nos defendet Joh.14.v.6. Chryſoſt.tom.1.col.971. *Gratias tibi Domine agimus; quia tria iſta præſtitiſti nobis; noſſe, quæ ignorabamus, veritatem, quia falſitatem tenebamus; viam, quam neſciebamus, per quem ambularemus; vitam, quia morti inhæſeramus, & mors nobis propinata erat ab illo homine, cui dictum eſt: Morte morieris. Mortuus vitam donavit, mendacibus veritatem præſtitit, errantibus viam oſtendit.* Hilarius libr.7. de Trinit.pag.129. *Non nos in erratica atq; invia deducit ille, qui via eſt; neq; illud per falſa, quia veritas eſt; nec in mortis relinquit errore, qui vita eſt.* Auguſtin.lib.1.de doct.Chriſt.cap.34. *Chriſtus eſt per quem venitur, ad quem pervenitur; in quo permanetur.* lib.9.de civ.Dei cap.15. *Idem in inferioribus via, qui in ſuperioribus vita.* Tract.22.in Johan.col.195. *Ambulare vis? ego ſum via. Falli non vis? ego ſum veritas. Mori non vis? ego ſum vita. Hoc dicit Salvator tuus. Non eſt quò eas, niſi ad me; non eſt, quâ eas, niſi per me.* De verb.Dom. ſerm.54. *Qua vis ire? ego ſum via. Quò vis ire? ego ſum veritas. Ubi vis permanere? ego ſum vita.* Bernhard.ſerm.2.de aſcenſ.in fine: *Sequamur te, per te, ad te, quia tu es via, veritas & vita. Via in exemplo, veritas in promiſſo, vita in præmio.* Gloſſ. interlin. *Via ſine errore quærentibus, veritas ſine falſitate invenientibus, vita ſine morte permanentibus.* Gerſon in præfat.lib.de vita ſpirit. *Eſt vita animans, via movens, veritas ſtabiliens.* Hugo de prat.ſerm.1.de ſpin.Coron. *Eſt via ducens, veritas lucens, vita indeficiens. 2. Exhortatorius.* Chriſtus Rex & Sacerdos noſter fecit nos coram Deo Patre Reges & Sacerdotes. Imperemus igitur carni, dominemur peccato, reſiſtamus Diabolo, ut Reges; offeramus corpora noſtra victimā ſpiritualem Deo, ut Sacerdotes. Chriſtiani à Chriſto dicimur, æquū igitur eſt, ut Chriſto capiti nos conformemus, in ipſius clientelam nos reſignemus, ab ipſo nos regi patiamur, ſalutem noſtram unicè ipſi commendemus; Clamat ad nos, *Ego ſum via*, ergo exemplum ejus imitemur. *Ego ſum veritas*, ergo verbis ejus fidem habeamus. *Ego ſum vita*, ergo in morte animas noſtras ipſi commendemus; ipſi ſit laus, honor & gloria in ſempiterna ſecula Amen.

F I N I S.

NB.

(Index Generalis materiarum, ab ipſo Authore Operis Operi ipſi præmiſſus eſt, ſequitur ergò.)

INDEX SECUNDUS ΕΧΕΓΕΣΕΩΣ,

Continens dicta Sacræ Scripturæ, partim explicata, partim ſic allegata, ut ex ipſa citatione dicti ſententia appareat.

Notandum verò Numerum ſignificare paginam, literas a. & b. Columnas.

EX VETERI TESTAMENTO.

Cap.	Verſ.	GENESEOS.	
1	1	*In principio creavit.*	372.b.376.b.350.a.
		Creavit Elohim.	221.a.
	2	*Spiritus Elohim.*	221.a.377.b.
	26	*Faciamus.*	390.a.
	27	*faciamus hominem.*	374.b.375.a.
		ad imaginem noſtram.	269.b.
2	7	*Spiritus vivens.*	271.b.
3	15	*Semen mulieris.*	133.a.455.b.410.b.
	15	*conteret ipſa.*	208.b.
	22	*unus ex nobis.*	390.a.b.
4	13	*major eſt iniquitas.*	208.b.
	23	*Lamech homicida.*	202.a.
5	29	*Noach.*	409.b.
6	5	*cogitatio cordis.*	208.b.
	6	*pœnituit Deum.*	282.a.
11	26	*deſcendamus.*	390.b.
12	8	*nomen Dei æterni.*	217.b.
14	18	*proferens panem.*	208.b.
15	1	*Ego ſum Dominus omnipotens.*	220.b.
	6	*imputavit.*	128.b.
	11	*abigebat eas.*	132.b.
16	14	*vocavit.*	128.b.
17	1	*viſus eſt Dominus.*	235.b.
18		*tres viri.*	395.a.
	21	*deſcendam.*	316.a.
19	18	*ad eos angelos.*	236.a.
	24	*à Domino.*	391.a.392.a.
22	14	*Dominus videbit.*	234.a.
28	15	*quo cuſtos tuus.*	383.b.
29	27	*dabimus hanc.*	373.b.
34	25	*arreptis gladiis.*	75.b.
35	5	*terror populi.*	75.b.
	7	*Elohim.*	390.a.
47	31	*incurvavit.*	132.b.
48	2	*annunciavit Iacobo.*	128.b.
48	16	*invocetur ſuper eos.*	208.b.
	15	*Deus patres mei.*	383.b.
49	5	*vaſa violentia.*	75.b.
	11	*pallium ſuum.*	455.a.

Cap.	Verſ.	EXODI.	
2		*alium quoq; genuit.*	130.a.
3	2	*vidi adflictionem.*	383.b.
	13	*quod nomen ejus.*	226.b.
		Iehova.	231.a.& b.
	14	*Ero, qui ero.*	219.a.346.a.
	15	*hoc eſt nomen meum.*	226.a.228.b.
6	3	*Ego ſum Iehova.*	359.a.
7	1	*Moſes Deus.*	221.b.
10	11	*ejecit eos.*	128.b.
	1	*Iehovah.*	384.a.
11	3	*dabit Dominus.*	384.a.
14	19	*Dei nomina.*	224.b.
	24	*columna nubis.*	384.b.
	31	*crediderunt in Moſen.*	369.b.
17	14	*ſcribe hoc.*	14.b.
		dele memoriam.	133.a.
	15	*Iehova Niſſi.*	234.a.
19	11	*Iehova deſcendit.*	232.a.
	12	*termini præfixi.*	218.b.
	19	*locutus Moſes.*	108.a.

Cap.	Verſ.		
20	6	*qui eduxi te.*	382.b.
22	20	*Elohim.*	221.b.
23	13	*alienorum Deorum.*	399.b.
	17	*Adonai.*	235.a.
	17	*ter in anno.*	339.a.
	20	*mittam angelum.*	384.a.
24	1	*quæ ſcripſi.*	15.a.
	7	*volumen fœderis.*	15.b.
25	20	*Cherubim.*	30.b.
32	16	*Scriptura Dei.*	11.a.15.a.
	35	*angelus meus.*	385.b.
33	3	*angelum mittam.*	385.b.
	22	*poſteriora mea.*	218.b.
	14	*facies mea.*	346.a.
34	5	*deſcendit Dominus.*	385.b.
	6	*tardus naribus.*	306.b.
	27	*ſcribo tibi.*	14.b.

LEVITICI.

10	6	*ne alatis comam.*	202.a.
	21	*apertio capitis & pili remotio.*	202.a.
19	4	*Elohim.*	221.b.

NUMERORUM.

6	22	*ſi benedicetis.*	389.b.
10	35	*Arca Iehova.*	232.b.
12	6	*in viſione.*	14.a.
13	24	*uva Cananea.*	30.b.
14	21	*vivo ego.*	386.a.
	42	*non eſt cum impiis.*	290.b.
21	14	*liber bellorum Domini.*	15.b.47.b.
	19	*de puteo.*	202.a.
22	6	*percutiemus eum.*	373.b.
24	17	*Stella.*	408.b.
28	9	*populus poſſidebit.*	202.a.
32	20	*coram Iehovah.*	233.a.

DEUTERONOMII.

4	2	*non addetis.*	144.a.175.b.
	19	*diviſit Deus.*	244.b.
	28	*dùs alienis.*	202.a.
	37	*facie ſua.*	346.a.
5	6	*eduxi te.*	382.b.
5	26	*de medio ignis.*	383.a.
	33	*per viam.*	175.b.
6	4	*Deus unus.*	258.b.
12	7	*coram Iehovah.*	233.a.
	32	*non addetis.*	144.a.
19	17	*coram Iehovah.*	232.a.
25	19	*dele memoriam.*	133.a.
28	64	*Dìs alienis.*	202.a.
30	11	*non eſt occultum.*	165.a.
31	24	*ſcribe verba legis.*	35.a.
33	16	*habitator rubi.*	231.b.384.a.
34	9	*Corpus Moſis.*	112.b.

JOSUÆ.

10	13	*liber Iuſtorum.*	15.b.47.b.51.b.
24	1	*coram Iehovah.*	233.a.
	19	*Elohim ſanctus ipſe.*	390.a.
24	3	*Patres veſtri Thare.*	17.a.
	26	*ſcripſ. Ioſua.*	35.a.

JUDICUM.

6	22	*Angelum Domini.*	236.a.
	Cap. Verſ.		
6	24	*Iehovah pax.*	234.a.
17	3	*Domino.*	230.b.

I. SAMUELIS.

10	25	*ſcripſi in libro.*	35.a.
12	6	*Dominus perfecit.*	376.a.
28	13	*Elohim.*	221.a.

II. SAMUELIS.

6	2	*arca Domini.*	233.a.
7	23	*iverunt Elohim.*	390.a.
23	2	*Spiritus Domini locutus.*	16.a.

I. REGUM.

8	23	*cœli cœlorum.*	290.b.
10	19	*caput rotundum.*	133.a.
18	22	*ite poſt eam.*	229.b.
19	11	*Deus non erat in vento.*	513.a.
	13	*operit pallio.*	210.b.

II. REGUM.

23	8	*Iehoſchua.*	403.b.

I. PARALIPOMENON.

15	1	Hiram der König/ꝛc.	211.a.

II. PARALIPOMENON.

19	6	*ſermo Elohim.*	221.b.
31	11	*Ieſchua.*	404.a.
34	14	*librum legis inveni.*	35.a.

ESDRÆ. I.

8	3	*legit Eſdras in libro.*	199.a.

ESDRÆ. IV.

	14	*Eſdra dictata.*	48.a.& b.
	3	*Ieſus.*	401.a.

NEHEMIÆ.

7	7	*Ioſchua.*	404.a.
8	1	*attulit Eſdras.*	48.b.
	8	*lectio.*	13.b.
9	19	*tu Domine.*	386.b.

ESTHER.

2	6	*de Mardochæo.*	79.a.& b.

JOBI.

4	19	*conterent.*	128.b.
5	1	*voca ſi quis eſt.*	209.a.
7	3	*conſtituerunt.*	128.b.
12	7	*interroga jumenta.*	243.a.
14	1	*homo natus ad laborem.*	284.a.
26	13	*in ſpiritu ejus.*	381.a.
27	27	*complodet manus.*	128.b.
32	8	*da intelligentiam.*	172.b.
33	4	*Spiritus Dei.*	381.b.382.a.
	23	*ſi fuerit pro eo.*	209.a.
35	10	*Deus factores.*	390.a.376.a.

PSALMI.

2	7	*filius meus es tu.*	421.a.
4	6	*lumen vultus.*	244.a.

omnia

Cap. Verſ.
8 8 omnia ſubjecis. 499.a.
10 4 Deum non eſſe. 250.b.
14 1 dixit in corde. 250.b.240.a.
18 27 cum perverſis pervertitur. 304.a.
19 1 cœli enarrant. 244.&c.
5 haec coram. 129.b.
canon. 143.a.174.b.
8 lex perfecta. 142.b.
9 [illegible]x. 133.b.
mandatum lucidum. 165.a.
22 17 foderant manus. 129.a.
24 8 Iehovah fortis. 234.a.
33 6 verbo Domini. 378.b.
36 7 Iudicia Dei abyſſus. 317.b.
40 8 in capite libri. 30.a.
45 2 ſtylus ſcribæ. 14.b.16.a.
8 unxit te Elohim. 221.a.374.a.396.a.
48 15 ſicut lavenintem. 141.a.
53 1 non eſt Deus. 240.a.
59 14 manibus palpare. 247.a.
65 1 tibi ſilentium. 226.a.
11 in Elohim laudabo. 220.a.
68 2 exſurgat Deus. 232.b.
21 Deus ſalvos faciendi. 401.a.
27 fontes Iſrael. 121.b.
72 11 adorabant eum. 504.b.
17 filiatum eſt. 393.a.
75 2 in umbra alarum. 368.a.
76 12 de voto fides. 211.a.
81 10 non erit tibi Deus. 332.b.336.a.b.
82 1 Deus ſtat. 232.b.
83 19 Iehovah ſolus. 229.a.
86 8 non eſt ſimilis tui. 221.a.
88 11 mortui reſurgent. 133.a.
89 27 Pater meus es tu. 393.a.
91 6 à peſte. 133.a.
95 3 Deus magnus ſuper omnes Deos. 229.b.
96 5 Dii gentium. 229.b.
102 28 immutabilis Chriſtus. 419.a.
104 30 emitte ſpiritum. 381.b.
105 4 convenite Dominum. 394.b.
115 16 cœli Jehova. 232.a.
118 22 lapis angularis. 407.b.
26 Hoſianna. 504.b.
119 18 da intellectum. 170.a.
105 lucerna. 133.b.165.b.
120 5 habitavi. 133.a.
122 1 qui habitas in cœlis. 290.a.
132 8 Surge Domine. 232.b.
135 13 Iehovah nomen tuum. 228.b.
139 2 à longe cognoviſti. 314.b.
17 honorificati ſunt. 209.a.
148 9 Iudicium ſcripti. 183.a.
149 2 in factoribus ſuis. 376.a.390.a.
150 1 in ſanctis ejus. 209.a.

PROVERBIORUM.

6 23 lucerna. 165.b.
8 22 ἔκτισέ με. 379.a.
9 1 mulier ſtulta. 381.a.
25 27 inveſtigatio animæ. 211.a.219.a.
30 1 Ithiel & Uchal. 410.b.
4 nomen filii. 393.b.
31 10 Lutheri rythmus. 211.a.

ECCLESIASTES.

9 1 neſcit homo. 209.a.
Exegeſis.

CANTICORUM.

Cap. Verſ.
2 14 foraminum petræ. 408.a.
6 13 duo uberu. 30.b.
7 4 fructus veteres. 30.b.

ESAIÆ.

1 2 Audite cœli. 375.b.
5 17 arietes. 133.a.
6 8 quis ibit nobis. 390.b.
7 14 Immanuel. 407.a.&b.
8 1 ſcribe in eo. 14.b.
ſtylo hominis. 120.b.
16 ad legem. 176.a.387.b.
9 6 mem clauſum. 50.b.
vocabit eum. 128.b.
fortis. 211.a.
10 27 propter oleum. 403.b.
11 1 egredietur virga. 504.b.
17 11 doloris deſperati. 133.a.
26 4 confidite in Domino. 390.a.
28 10 præceptum ad. 174.b.
29 13 doctrina hominum. 155.b.
30 8 ſcribe illud. 14.b.35.a.
40 12 Spiritus Dei. 381.b.
41 10 Ego ipſe ſum. 262.b.
22 accidentia futura. 315.b.
42 1 Ecce ſervus meus. 394.b.
7 lux. 408.b.
8 Ego Iehovah. 228.b.229.a.
42 8 gloriam meam. 328.a.
44 2 Factores. 376.a.
45 8 aperiat ſe terra. 401.a.
45 23 in meipſo juravi. 504.b.
48 16 Adonai. 394.b.
52 13 exaltabitur. 332.a.
57 16 Spiritus qui eſt. 381.b.
61 1 Spiritus Domini. 395.a.
63 8 Angelus faciei. 346.a.386.a.395.a.
63 10 Spiritus ſanctitatis. 386.a.
11 recordatus eſt. 230.a.

JEREMIÆ.

23 6 vocabit eum. 128.b.
24 implero. 290.b.
29 ignis. 27.a.
30 2 ſcribe tibi. 14.b.
31 33 dabo legem in. 21.b.
33 16 Iehovah juſtitia. 234.a.&b.
36 2 ſcribe in eo. 14.b.

EZECHIELIS.

24 2 ſcribe. 14.b.
34 16 fortem diſpergam. 211.b.
43 11 ſcribe. 14.b.
44 2 porta clauſa. 153.b.
48 35 Dominus nomen ejus. 133.a.235.a.
1 Iehovah ibi. 234.a.

DANIELIS.

2 38 dicemus Regi 373.b.374.a.

Cap.	Verſ.		
3	66	*Verſuum omiſſio.*	211.b.
5		*Tres digiti.*	339.b.
7	9	*antiquus dierum.*	417.b.
	13	*filius hominis.*	430.a.504.b.
9	23	*vir deſiderabilium.*	63.a.
12	4	*occulta Propheciam.*	170.b.

H O S E Æ.

3	1	*amatam à ſocio.*	133.a.
8	12	*ſcripſi illis.*	19.a.b.

M I C H Æ.

4	5	*in nomine Dei ſui.*	229.b.

H A B A C U C.

2	2	*ſcribe.*	14.b.

H A G G A I.

2	6	*& Spiritus meus.*	395.a.

Z A C H A R I Æ.

3	1	*Ihoſchua.*	403.b.
	9	*ſeptem oculi.*	408.a.
9	9	*ſalvatus.*	401.a.

M A L A C H I Æ.

1	6	*Adonim.*	236.a.
3	1	*Spiritu meo.*	395.a.
4	2	*Sol.*	408.a.

J U D I T H.

5	22	*ante hos annos.*	73.b.75.b.
9	2	*Simeon & Levi.*	75.b.
16	30	*non fuit que perturbaret.*	74.b.

S A P I E N T I Æ.

Cap.	Verſ.		
3	1	*in manu Dei.*	497.b.
6	12	*ſpiritus incorruptibilis in omnibus.*	382.a.
13	4	*ſi mirantur virtutem.*	245.a.

T O B I Æ.

5	18	*Angeli familia.*	71.a.
6	8	*cor ex piſce.*	71.b.
12	9	*Eleemoſyna.*	71.72.a.
	15	*angelus offert preces.*	72.a.
	16	*ſeptem angeli.*	72.b.

S I R A C I D E S.

3	22	*altiora te ne.*	219.a.
	33	*eleemoſyna.*	86.b.
5	5	*de propitiato.*	209.a.
16	15	*miſericordia facit.*	209.a.
42	15	*improbitas viri.*	87.b.
43	2	*in viſitatione gloria.*	245.a.
	25	*Ieſus.*	401.a.

B A R U C H.

1	11	*pro vita Balthaſari.*	88.a.
3	36	*Deus noſter.*	262.b.
	38	*in terris viſus eſt.*	88.b.

II. M A C C A B.

2	1	*Ieremias.*	91.b.
	8	*in congregatione.*	91.b.
	27	*non facilem laborem.*	90.b.
12	41	*pro mortuis oblatio.*	92.a.
14	42	*Razias.*	92.a.
15	39	*ſi bene.*	90.a.

EX NOVO TESTAMENTO.

M A T T H Æ I.

Cap.	Verſ.		
1	21	*Ieſus.*	399.a.
3	16	*hic eſt filius meus.*	359.b.
1	22	*Immanuel.*	234.a.
5	14	*lux mundi.*	165.b.
	16	*luceat lux.*	166.a.
	18	*Iota unum.*	131.b.
6	11	*quotidianum.*	211.b.
	13	*quia tuum eſt regnum.*	140.a.212.a.
7	15	*cavete à falſis.*	182.a.
10	27	*dicite in luce.*	157.b.
13	52	*vetera & nova.*	30.b.
16	17	*revelavit tibi.*	172.b.
17	5	*hunc audite.*	12.b.
		hic eſt filius.	488.b.
18	20	*Ego ſum in medio.*	495.b.
19	17	*unus Deus.*	261.a.
23	34	*Zacharias.*	65.a.
	37	*volui congregare.*	68.b.
24	37	*Noach.*	409.b.
28	18	*omnis poteſtas.*	491.b.492.b.503.a.
	19	*docete omnes gentes.*	20.a.
		in nomine Patris.	363.b.467.a.370.a.
	20	*Ecce ego vobiſcum ſum.*	495.b.

M A R C I.

6	6	*mirabatur.*	519.b.

Cap.	Verſ.		
11	26	*ſi non remiſeritis.*	212.a.
13	32	*niſi Pater.*	262.b.
		nec ipſe filius.	519.b.

L U C Æ.

1	3	*Theophile.*	193.b.
		ex ordine ſcribere.	17.a.
	4	*ἀσφάλεια.*	148.a.
	17	*precedat ante.*	416.b.
	28	*ave Maria.*	209.a.
		gratiâ plena.	212.a.
	35	*ἐπελεύσεται.*	347.a.
		obumbrabitur.	438.a.
	36	*quod ex te naſcetur.*	422.a.
	48	*reſpexit humilitatem.*	209.a.
	55	*locutus ad Patres.*	15.b.
2	14	*bona voluntatis.*	209.a.
		gloria Deo.	456.a.
	40	*creſcebat.*	520.a.
	52	*ſapientiâ creſc.*	419.a.
6	17	*unus apex.*	131.b.
8	11	*ſemen verbi.*	27.a.
10	16	*qui vos audit.*	12.b.
	35	*ſupererogaveris.*	209.a.
12	7	*capilli numerati.*	314.b.
	20	*reportent.*	128.b.

Sp.S.ſug-

Cap.	Verſ.		
14	26	*Sp. S. ſuggeret vobis omnia.*	209.a.
15	7	*non poſita juſtis.*	69.a.
16	22	*mortuus eſt dives.*	208.a.
	29	*audiant Moſen.*	12.b.31.a.67.a.143.a. 148.a.176.a.
24	24	*in Moſe.*	31.a.34.b.
	26	*oportebat pati.*	440.a.
	27	*à Moſe.*	33.b.
		interpretabatur Chriſtus ſcripturam.	p.170.a.
	32	*cor ardebat.*	27.a.

JOHANNIS.

1	1	*ἐν ἀρχῇ.*	418.b.
		erat verbum.	377.a.
	14	*caro factum eſt.*	431.a. 450.b.
		habitavit in nobis.	459.b.
		tanquam unigeniti.	491.a.
	16	*de plenitudine.*	490.b.
	18	*ipſe enarravit.*	16.a.
	29	*agnus Dei.*	408.a.
2	22	*templum corporis.*	160.b.
3	19	*lux venit.*	166.b.
	34	*Spiritus ad menſuram.*	490.a.
4	24	*Spiritus eſt Deus.*	138.a. 249.272.a.
	38	*miſi vos metere.*	254.b.
	42	*Samaritani.*	27.b.29.b.
5	18	*æqualis.*	419.b.
	19	*ſimiliter & filius.*	369.a.
		nihil facit niſi.	419.b.422.b.
	26	*habet vitam in ſe.*	275.a.419.a.
	22	*dedit filio.*	505.a.
	26	*vis vivificandi.*	493.a.493.b.
	27	*quia eſt filius hominis.*	486.a.493.b.
	37	*qui miſit me.*	359.b.
	39	*ſcrutamini Scripturas.*	20.b.67.a.192.b. 148.a.
	47	*ſi non creditis Moſi.*	26.a.
6	35	*panis vitæ.*	408.b.
	36	*ſunt Spiritus & vita.*	120.b.
	51	*caro vivifica.*	486.a.
7	49	*audiebant Sabbathis.*	199.a.
8		*Adultera.*	98.b.140.a.
	26	*τὴν ἀρχὴν.*	171.a.
	55	*Ego ſum.*	496.
10	3	*Oſtiarius.*	172.b.
	22	*Encænia.*	90.a.
	27	*oves audiunt vocem.*	181.b.
	30	*unum ſumus.*	391.a.
	35	*Dii.*	417.a.
11	43	*veni forâs.*	502.a.
14	16	*alium paracletum.*	370.b.
	26	*paracletus.*	ibid.
		quæcunq; dicam.	209.a.
15	1	*vitis.*	408.b.
	26	*qui procedit.*	370.b.371.a.
	27	*perhibetis teſtimonium.*	20.a.
16	12	*multa habeo.*	159.a.460.b.
17	3	*Hæc eſt vita æt.*	218.a.
		ſolus verus Deus.	261.b.
	5	*glorifica me.*	328.a.
		apud Patrem.	489.a.
	21	*ut omnes unum ſint.*	264.a.
21	22	*ſi volo eum manere.*	207.a.b.
	31	*hæc ſcripta ſunt.*	145.a.148.a.
		Exegeſis.	
21	24	*ſcripſi hæc.*	20.a.
	25	*ſunt alia multa.*	159.b.

ACTORUM.

1	8	*Eritis mihi teſtes.*	20.a.
2	36	*Deus hunc fecit.*	491.b.
	38	*in nomine Chriſti.*	365.b.367.a.
3	23	*omnes Prophetæ.*	33.b.
7	30	*Angelus.*	231.a.
	56	*dextra Dei.*	497.a.b.
8	35	*an intelligat.*	170.a.
9	27	*aſſiſtens ei Dominus.*	499.b.500.a.
10	38	*unctus Spiritu.*	490.b.
	41	*præordinatis teſtibus.*	20.a.
	48	*in nomine Chriſti.*	365.b.367.a.
13	23	gezeuget.	212.a.
14	16	*non ſine teſtimonio.*	245.b.
	27	*voces Prophetarum.*	12.b.
15	21	*Moſes ab antiquis.*	12.b.
	28	*viſum eſt Spiritu S.*	16.b.20.b.
	41	*præcepta Apoſtolorum.*	212.a.
17	11	*Berrhoenſes.*	177.a.
	16	*incitabatur Spiritus.*	21.a.
	27	*non longè abeſt.*	291.a.& b.
20	27	*non ſubterfugi.*	143.b.
26	22	*nihil extra dicens.*	67.b.143.b.
28	25	*Spiritus S. locutus eſt.*	16.a.

ROMANORUM.

1	2	*ſacra Scriptura.*	11.a.
		quod ante promiſerat.	144.b.
	19	*quod notum eſt Dei.*	247.b. 248.a. 254.b.
	20	*inexcuſabiles.*	254.a.255.a.
2	12	*ſine lege peccarunt.*	249.b.
	14	*gentes naturâ faciunt.*	249.a.
3	2	*Judæis credita ſunt.*	35.a.
		λόγια.	125.b.192.a.
	19	*lex loquitur.*	182.b.
	28	*ſolâ fide.*	212.b.
4	15	*tantum.*	212.b.
9	4	*διαθῆκαι.*	35.a.
8	3	*in ſimilitudine carnis.*	432.b.
10	9	*hoc eſt verbum fidei.*	12.b.
	17	*fides eſt ex auditu.*	26.a.141.b.
11	6	*ſi non ex operibus.*	209.a.
	29	*ἀμεταμέλητα.*	158.a.
	32	*concludit Deus.*	182.b.
	34	*quis cognovit.*	86.a.219.a.
12	1	*cultus λογικός.*	191.a.
	6	*fidei analoga.*	214.b.
	11	*Domino ſervientes.*	139.b.
14	6	*qui obſervat diem.*	212.b.
15	4	*Scripturæ utilitas.*	141.a.
16	26	*per ſcripturas Propheticas.*	33.b.

I. CORINTH.

		cum ſublimitate ſermonis.	320.a.
2	1	*niſi Ieſum Chriſtum.*	262.b.
	2	*animalis homo.*	251.a.341.a.
	14	*dedit incrementum.*	172.b.
3	7	*diſpenſatores.*	209.a.
4	1	*in nomine.*	364.b.
6	11	*melius eſt nubere.*	212.b.
7	9		

I N D E X II.

Cap.	Verſ.		
	25	de virginibus.	19.b.
	33	diviſus eſt.	139.a.
8	4	Idolum.	221.b.
	6	unus Deus.	263.b.
9	5	poteſtatem habemus.	212.b.
10	2	in Moſen baptizati.	366.b.
	4	Petra.	407.b.
11	34	cætera diſponam.	160.b.
14	16	ſi benedixeris.	209.a.
15	3	tradidi vobis.	163.a.
	21	per hominem mors.	493.a.
	47	ſecundus homo.	138.b.

II. CORINTHIORUM.

3	6	litera occidens.	191.b.
	3	Epiſtola noſtra vos.	21.b.22.a.
	14	libri.V.& Nov. Teſt.	142.b.
4	3	ſi Evangelium opertum.	166.b.
	4	Diabolus Deus.	221.b.
	6	illuxit in cordibus.	172.b.
5	20	Dei legati.	21.A.
8	9	dives erat Chriſtus.	534.a.
	18	miſimus fratrem.	97.A.

GALATARUM.

1	8	præterquam quod evangeliz.	146.A.
3	10	qui ſunt ex operibus legis.	212.b.
	22	concludit Scriptura.	182.183.a.
4	8	non natura Dii.	514.a.
	30	quid dicit Scriptura.	182.b.
6	16	hanc regulam.	143.a.175.a.

EPHESIORUM.

1	20	ad dextram ſuam.	496.b.
	22	caput Eccleſia.	407.b.
	23	πλήρωμα.	498.b.
2	10	creati ſumus.	209.A.
	19	ſuper fundamentum. 26.a. 143.a.30.b. 33.b.126.a.	
3	17	Chriſtus per fidem habitat.	499.b.
4	6	Unus Deus.	263.b.
	8	impleret omnia.	290.b.
	11	Propheta.	67.a.
	20	impleret omnia.	498.&c.
5	18	luxuria.	212.b.
	32	Sacramentum.	209.a.
6	13	perfecti.	209.b.

PHILIPPENSIUM.

2	3	in forma Dei.	526.a.
	6	μορφῇ.	396.b.
	7	ἐν σχήματι.	432.b.
		in forma Dei.	149.520.a.
	9	donavit illi nomen.	505.b.
		exaltavit.	531.b.539.b.491.b.
3	1	eadem vobis ſcribo.	17.b.
	9	venter Deus.	221.b.
	16	στοιχεῖν.	175.a.

COLOSSEN.

1	19	complacuit Patri.	487.a.
2	9	tota plenitudo. 451.a. 459.a. 490.b. 492.b.	
	12	operatio Dei.	172.b.
3	1	ſurſum ad dextram.	497.A.
4	16	epiſtola Laodicæa.	151.a.

I. THESSALON.

4	3	abſtineatis à fornicatione.	212.b.
5	20	Prophetias nolite.	215.b.
	21	omnia probate.	182.a.

II. THESSALON.

1	9	ἀπὸ προσώπου.	313.a.
2	15	traditiones.	161.b.

I. TIMOTH.

3	15	firmamentum.	28.b.36.a.
	16	columna veritatis.	182.a.
		in carne.	451.b.
4	13	attende lectioni.	20.b.
6	16	Solus.	419.a.
	20	depoſitum.	162.a.b.

II. TIMOTHEUM.

3	8	Iambres.	15.a.163.a.
	15	ſacra litera.	11.a.148.a.
	16	ad doctrinam.	141.a.
		θεόπνευστοι. 13.a.15.a.19.b.33.b.67.a.	
	17	ut perfectus ſit homo. 142.&c.146.b. 148.a.	

TITUM.

1	11	Epemenedes Propheta.	1.b.

I. PETRI.

1	11	Spiritus Chriſti prædixit.	16.a.
	24	ut gramen.	87.b.
	25	Verbum Domini manet.	12.b.
3	21	interrogatio conſcientia.	365.a.
	22	in dextra Dei.	496.b.
5	12	breviter ſcripſi.	104.b.
	13	Babylon.	104.a.

II. PETRI.

1	10	per bona opera.	213.a.
	12	commoneo.	180.a.
	15	de quibus ſcribo.	17.a.
	19	ſermo Propheticus.	33.b.
		lux. 133.b.148.a.165.b.176.a.	
	20	omnis Prophetia.	213.b.
	21	φερόμενοι Spiritu.	16.b.21.a.
		non voluntate humanâ.	181.b.
3	14	charus frater Paulus.	107.a.
	16	difficilia.	170.b.

I. JOHANNIS.

1	3	quod vidimus.	12.b.20.a.
		ſcribere.	20.b.
	4	hæc ſcribimus.	148.b.
3	8	deſtrueres opera diaboli.	455.b.
3	2	videbimus eum.	273.a.

Cap.	Verſ.		
4	1	*nolite omni ſpiritui.*	182.a.
	2	*venit in carne.*	452.b.
	8	*Deus eſt charitas.*	258.a.
5	7	*Tres ſunt.*	138.a.213.a.360.a.370.a.
	20	*hic eſt verus Deus.*	223.a.

II. JOHAN.

	12	*multa habens.*	163.a.

III. JOHAN.

	13	*multa habens.*	163.a.

HEBRÆORUM.

1	1	*multis vicibus Deus.*	14.a.15.& 16.
		per Prophetas.	33.b.
	3	*ſplendor gloriæ.*	85.b.
		per ſeipſum.	209.b.
		character hypoſtaſeos.	349.b.350.a.
		portavit omnia.	423.b.
	4	*præſtantior Angelis.*	505.a.
	9	*propterea unxit.*	540.a.
2	3	*Apoſtolorum diſcipulus.*	107.b.
	9	*per paſſionem.*	540.a.
	11	*ficus pueri.*	459.b.
	16	*ſemen Abrahæ.*	452.a.
	17	*fratribus ſimilis.*	520.b.
4	12	*vivus Dei ſermo.*	183.a.
	13	*omnia ſunt nuda.*	87.b.
5	7	*dies carnis.*	531.a.
6	1	*catechiſmus.*	107.b.
		negata pœnitentia.	107.b.
9	1	*ϛοιχεῖα.*	108.a.
	4	*tabula lapidea.*	108.a.
	28	*ad exhaurienda.*	209.b.
10	7	*ἐν κεφαλίδι.*	30.a.
11	6	*requirentibus ipſum.*	247.a.
	16	*Deus illorum.*	223.a.
	35	*ἐτυμπανίσθησαν.*	90.a.
12	2	*dux fidei.*	172.b.
12	17	*non invenit locum.*	107.b.
12	21	*Moſes expavefactus.*	107.b.
12	24	*Habel.*	409.b.
13	2	*exceperunt Angelos.*	235.b.236.a.
	16	*promeretur.*	209.b.

JACOBI.

1	10	*ut flos.*	87.b.
	25	*lex libertatis.*	110.a.
2	2	*Synagoga.*	110.b.
4	6	*propterea dicit.*	213.a.
5	15	*allevabit.*	209.b.

JUDÆ.

		de Enochi vaticinio.	15.a.

APOCALYP.

1	2	*teſtificatus eſt.*	20.a.
	3	*beatus qui legit.*	117.b.
	4	*qui erat.*	219.b.348.a.
	13	*ποδήρη.*	408.b.455.a.486.b.
	11	*ſcribe in libro.*	20.b.
	19	*ſcribe.*	20.b.
2	1	*ſcribe.*	ibid.
	7	*arbor vitæ.*	408.b.
	8	*ſcribe.*	20.b.
	18	*Eccleſia Tyatirenſis.*	117.b.
3	14	*principium omnis creaturæ.*	423.b.
	21	*in throno Chriſti.*	497.b.
5	5	*Spiritus aperit.*	172.b.
		Leo de tribu Iuda.	408.a.
	6	*agnus.*	408.a.
	8	*viginti quatuor Seniores.*	32.b.
	12	*δύναμις.*	492.a.502.a.
		dignus eſt agnus.	505.a.
8	3	*Angelus offerens preces.*	72.a.
21	14	*murus civitatis.*	67.b.
22	16	*Stella.*	408.b.
22	18	*ſi quis addiderit.*	148.a.

Finis hujus Indicis Secundi, Exegeſeos:

INDEX TERTIVS,

Qui oſtendit, quomodo, & in qua ſententia Patres, & alii Autores ſint allegati.

A.

ABba Saul, de nomine Jehova.226.a.
R. Aben Ezra, de Jobo. 56. a.
de Elohim. 220.a. depunctis. 132.b.
Acoſta. de lingua originali.123.b.
de Scripturæ perfectione.150.b.
lectione.197.a.
Admonitio Neoſtad. de communicatione naturarum. p.460.b.475.b.
de propoſitionibus perſonalibus. 463.a.
Alanus Copus. de Canonibus.76.b.
Albertus. de Theologia.1.a.
Albertus Hung. de Script. perfectione. 150. b.
Albertus Ingolſtad. de vulgata.208.b.
Albertus Piggh. de Judice controverſiarum.187.a.
Alcoran. de Dei Miſericordia.307.a.
Trinitate.340.a.
credendi & vivendi modo quovis ſalutari. p.252.b.
Alcuinus. de Dei immutabilitate.265. a.
Præcone.271.a.
Dei apparitionibus.272.b.
Ubiquitate.288.b.
Cœlo.290.a.
Ipſius hymno.331.a.
Creatore. 375.a.
duabus naturis.411.b.
Chriſti conceptione.439.b.
Chriſto homine.462.b.
Spiritu S. in Chriſto habitante.490.b.
Joh.5.v.26. 493.a.
Alexand. Alenſ. de Theologia.2.a.
practica.3.a.
Dei cognitione.4.a.
Infantibus Vet. Teſtam. ante diem octav. morientibus.152.a.
Unionis modis.433. b.
Alex. ab Ales. de Deo.257.a.
perſona.354.a.
Alex. Polyhiſt. de Jeremia.62.a.
Alphonſ. de Caſtro. in verſ.47. 1.Corinth.15. 138.b.
de verſione Scripturæ. 200.a.
Alphonſ. Toſtat. de Scripturæ perfectione.150.b.
Alphonſ. Virveſius. de lectione Script.197.a.
Alſtedius. de Syriaca N.T. verſione.204.b.
nomine Jehovah.228.a.
Dei potentia.301. a.
Unione perſonali.449.a.
Ambroſius. de Theologia.2.a.
de Jobo.56.b.
Luca.97.a.
latina verſione Bibl.122.a.
Script. perfectione. 149.b.
perſpicuitate.168.a.
interpretatione.214.a.
voce Dei.222.a
Angelo in rubo.231.b.
notitia Dei.248.a.
Eſſentiæ unitate.260.b.
Spiritu.272.b.
Dei infinitate.285.a.
Ubiquitate. 288.a.
miſericordia.306. b.
Juſtitia.310.a.
Omniſapientia.318.a.
Gloria.327.b.
Homouſio.348.b. ibid.
θεοφανείᾳ in Baptiſmo Chr. 361.b.363. b.
Unitate eſſentiæ divinæ. 365.a.
Creatore.375.b.
Chriſti cognitione.398.a.
natura.425.a.
ſimilitudine carnis. 432.b.
Chriſti juſtitia.434.b.
Spiritu Sancto.440.a.
carne Chriſti.447. b.
omnipræſentia.500.b.
adoratione Chriſti hominis.506.a.
forma Dei.527.b.
ſervi.529.b.
Exinanitione.530.b.
in Pſalm.19.244.a.245. a.
Actor.7.497.b.
Romanorum.12.137.b.
II.Cor. cætera. 161. a.
Epheſ.2. 30.b.
II. Theſſal.2.15. p.161. b.
Ambroſ. Catharin. de Papæ decretis.5. b.
Hieronymo.39.b.
Scripturæ perſpicuitate. 169. b.
Pictore quodam. 200. b.
Amphilochius. de canone librorum. 38. b.
Eſaia. 62.a.
Sapientiæ libro.85.b.
Apocalypſi. 114. a.
Andradius. de Script. autoritate.23.b.
vulgata.124.a.
Hebræo textu.127.a.
Deſcenſu Chriſti ad Inferos. 153.b.
norma controverſiar.179. b.
Judice controverſiar.184.a.
cognitione Chriſti implicata.254.a.
gentilium ſalute.254. b.
Pſal.22.v.17. 129.a.
Andreas Fricius. de Script. autoritate. 28. a.
perſpicuitate.169.b.
norma controverſiarum.179.a.
Anbaldin. de exaltatione totius perſonæ.489.b.
Andreas Oſiander. de Prophetis.66.a.
Epiſtola Hebræorum.106.a.

Anshelmus. de Philemone. 103.b.
Dei miſericordia.306.a.307.b.
nomine Jeſu.401.b.402.a.
Chriſto Deo & homine.412.b.
Mediatore.536 b.537.b.
Trinitaris ſimilitud.437.b.
Antoninus.de gloſſa ordinsria. 40.a.
libris Apocryphis.40.b.
Canonicis.42.a.
Scripturæ perfectione.150.a.
Papâ.184.b.
Anton. Braciol. de libris Canonicis.40.b.
Anton.Erem. de libro naturæ.255.b.
Anton.legat.de electione Script.197.a.
Appollinar. de Scripturæ perfectione.150.a.
Apollo. Colophon. de Deo, quid ſit? 257.a.
Arnobius.de Deo incorporeo.268.b.
Dei immutabilitate.280.b.
Ariſtæas. de Jobo.56.b.
70. Interpretatione.203.a.b.
Ariſtotelea. de Sapientia.2.b.
animi hominis cœcitate.173.a.
Judice.186.b.
genere Eacis.255.b.
Dei definitione.257.a.
Trinitate.339.b.
propriorum in communicatione.510.b.
compoſira ſubſtantia.479.a.
cœlo, an ſit in loco. 518.a.
Aslacus.455.b.
Athanaſius. de Scriptura S. 13.b.
Chriſto. 19.b.
Canonicis libris.38.b.
Eſaia.62.a.
libro Eſther.79.b.
Epiſtola Hæbræor.106.a.
omiſſo nomine Pauli in Epiſtol. Hebræorum. p.107.a.
argumento ipſius Epiſtolæ.108.b.
Apocalypſi Johannis.115.a.
Scripturæ perfectione. 149.a.
norma controverſiarum.178.a.
inquiſitione.218.b.
Dei nomine.239.a.
ſolo Imperatore.263.a.
Unitatis ſtudio.264.a.
Dei omnipræſentia.288.b.
loco.294.a.
neceſſirate myſterii Trinitat.332.a.
S. Scriptura.335.b.
Vocabulis ἀγράφοις in myſterio Trinitatis. p.344.b.345.a.
Eſſentia.346.b.
Homouſio 348.b.
gloria Patris. 397.b.
unctione Chriſti.402.b.
Chriſto. 403.a.
Jeſuitiſmo. 405.b.
generatione filii.427.b.428.b.429.a.b.
Incarnatione.438.a.456.b.
Spiritu S. an ſit Chriſti Pater.440.a.
unionis ſpeciebus.443.b.
unione perſonali.445.b.
una Chriſti perſona.447.a.
I. genere communicationis. 477.b.
communicante.484.b.
Scripturæ lectione.195.b.
Chriſto homine.487.b.491.b.
appropriatione Chriſti.479.a.
Chriſto crucifixo.480.a.493.b.
miraculis hominis Chriſti.502.b.
adoratione hominis Chriſti.506.a.
communicarione officiorum.523.b.
humiliatione Chriſti.526.a.
Mediatore.537.a.
Athenagoraa. de Ubiquitate. 288.a.
Avenarius. in Pſalm.22.v.17. 129.a.
de literarum abſentia.134.a.
Aventinus. de pinguendo Deo.271.a.
Auguſtinus. de Theologia.1.a.2.a.
de Fide.2.a.
Sapientia.2.b.
Theologia practica.3.a.
beatorum.3.b.
theologiæ fine.6.b.
iis quæ ſcripta ſunt.13.a.
literis invitatoriis.13.b.
Enochi ſcriptis.15.a.
libris Canonicis.16.b.19.b.36.b.
ſcriptis Apoſtolorum.19.b.
Autoritate Scripturæ.22.b.27.b.
Verbi effecto.27.b.
Eccleſiæ autoritate.29.b.
Vet.& Nov. Teſtam. typo.30.b.
διαθήκαις.35.a.
Canonicorum librorum cuſtodia.35.b.
Conciliis.37.a.
Scripturs Canonica.46.a.b.194.b.
Apocrypha.ibid.
Canone.3.b.13.b.
libris hiſtoricis & Propheticis.48.a.
libro Enoch.48.a.
libro Joſuæ.51.b.
temporibus Judicum.53.a.
Rutb.53.a.
Regum.54.a.
Jobo.36.b.
Ejus uxore.58.a.
Authore Pſalterii.59.a.
Pſalmis.59.b.
Cantico Canticorum.61.a.
Eſaia.61.b.62.a.
Jeremia. 62.a.
12.Prophetis minoribus.63.a.
Hoſea.63.b.
Jona.64.b.
Malacbia.65.b.
Prophetis.66.a.
libro Judith.76.a.
Sapientiæ.82.b.83.a.
Siracide.82.b.87.b.
Maccabæorum.92.b.
libris Scripturæ.95.b.
Johanne Evangeliſta. 97.b.
Adultera Joh.8.99.a.140.a.
quatuor Evangeliſtis.99.a.100.a.
Paulo.101.a.b.
Ejus Epiſtolis.101.b.
ad Titum.103.b.
ad Hebræos.105.b.
Epiſt. Jacobi.110.a.
Epiſtolis Catholicis.113.b.
Apocal. Johannis.116.a.
excellentia Canonicorum librorum.
Stylo S. Scripturæ.119.b.
latina verſione Bibliorum.122.b.
integritate Hebræi textus.340.125.b.126.a.
gente Judaica.126.a.

libris

libris Canonicis.92.b.32.b.33.a.
ſcriptione. N.T.145.b.
Scripturæ perfectione.149.b.
Scripturæ autoritate. 163.b.
perſpicuitate.168.b.169.a.
Jejunio.158.b.
Vet. Teſtam.167.a. 359.a.
figuris in ſacris.171.a.b.
norma controverſiarum.178. b.
Judice controverſiarum.183.b.
Scripturæ lectione 196.a.
lingua Græca.198.a.
latinis verſionibus. ibid.
tribus linguis.199.b.
peccatis magnorum virorum.200.b.
Græca Vet. Teſtam. verſione.202.b.
70.interpretatione.ibidem.
ipſorum cellulis.203 a.
Syriaca Vet. Teſtam.verſione.205.a.
Johannis morte.207.a.
vulgata.208.b.
Scripturæ interpretatione. p.214.a.214.b.
215.b.
Dei ignorantia.218.a.
difficultate notitiæ Dei. ibid.
Dei immutabilitate.219.b.
creaturis Deum laudantibus.244.b.
libro naturæ & ſcripturæ.241.a.
notitia Dei.248.a.
libr. naturæ.250.a.
gentilium ſalute.253.a.254.b.
bonis operibus.253.a.& b.
Deo, quid ſit? 257.b.
gentilium πολυθεΐα. 259.a.b.
particula Solus.261.b.
ſolo vero Deo. 263.a.
attributis Dei.265.a.
Deo incorporeo.269.a.
imagine Dei.269.b.
Dei loquela.270.b.
anima vivente.272.a.
divina eſſentia.256.a.
viſione. 272.b.
apparitione. 272. b.
ſimplicitate.273.
mundi anima.275.a.
Dei æternitate.276.b.
immutabilitate. 280.a. 283.a.
voluntate.281.b.
creatione. 281.b. 282.a.
pœnitentia.282.a.
immortalitate.283.b.
anima.284.a.
ubiquitate.288.a.b.293.a.
deſcendere.290.b.
omnipotentia.824.297.a. 297.b.280.b.
302.a.302.b.
bonitate.303.b.305.a.b.
Amore.305.b.
Juſtitia.310.b.312.b.
miſericordia.849.306.a.&b.307.a.
ita.312.b.
omniſcientia.315.a.316. b.
omniſapientia.318.a.
voluntate.319.b. 321.a.b.323.b.
perfectione.326.b.
beatitate.329.b.
tribus viris Abrahamo apparentibus.339.a.
Veſtigiis Trinitatis in natura.338. a.
gentilium Dei cognitione.340.b.
natura humana.342. a.
vocabulis ἀγράφοις in myſterio
Trinitatis.344.b.
vocabulis nobis.345.b.
Eſſentiâ.347.a.353.a.
Homouſio.348.b.
Imagine.349.b.
Trinitate.355.b.357.a.
Trinitate in Baptiſmo Chriſti.361.b.
gloriâ Patris.397.b.
Chriſto.398.a.402.b.403.b.
Meſſia.402.a.
Creatore. 372.b. 375. a.
Typis Chriſti.409.a.
duabus naturis.411.a.
Spiritu incubante.377.b.
principio.418.b.
Humanitate Chriſti.431.a.b.432.a.
Unione perſonali.436. b.
Incarnatione filii.437.b.
neceſſitate incarnationis. 441.b. 456.b.
457.a.
fructu incarnationis.458.b.
Spiritu S.440.a.
Unione ſpirituali.476.b.
communicatione myſtica.483.a.
Chriſto exinanito.488.a.
Judicandi carnis Chriſti poteſtate.494.a.
miraculis hominis Chriſti.502. b.
forma Dei.528.b.
Exinanitione. 530.b.
diebus carnis.531. a.
malis quibus benè eſt.312. b.
Mediatore.537.a.
Chriſto Propheta.540.b.
Cicerone.315.a.316.b.
Cerdonianis.432.a.
Manichæis.ibid.
Apelle.433.a.
Diabolo.304.a.
In Exod.23.v.20. 384.b.
Pſalm.14.v.1.250.b.
18.v.27.305.a.
53.v.1. 240.a.
68.v.21. 401.a.
Johann.5.v.39. 193.a.
Galat.1.v.8. 146.a.
Pſ.72. 304.b.
Auguſtinus Nebriſſenſ. de verbo foderunt. in Pſalm.
22. pag.129.a.
Autor gloſſæ ordinariæ de angelo Tobiæ 5.mentiente.
p.71.a.
Autor libri de mundo. de Dei definitione.257.a.
Autor de mirabil. Scripturæ. de libro Maccabæorum.
p.41.b.
Autor Oneris Eccleſ. de Scripturæ autoritate. 28.a.
179.a.
Autor lib. de cogn. veræ vitæ. de ubiquitate.288.a.

B.

BAlſamon. de Trullana Synodo.39.a.
Barradius. de omnipræſentia Chriſti.501.a.
Baronius. de epiſtola Chriſti ad Agbarum.16.a.
de Canone Apoſtolorum.68.b.
Græco Matthæi textu.96.a.
Marco.96.b.
Petro.104.a.

Maria Lauretana. 302.a.
Baſilius. de S. Scriptura.13.b.
de Scribæ ſtylo.14.b.
Eſdra.48.a.
Pſalmis.59.b.
Evangelio Johannis.97. a.
Canone.143.a.180.b.
Scripturæ perfectione.149. b.
perſpicuitate.168.a.
lectione.195.b.
Interpretatione.214.a.215.a.
Maria ſemper virgine.153.b.
norma controverſiarum.178.a.179.b.
Judice.183.a. Dei nomine.*222*.a.
Dei cognitione.250.a.
Dei ſignificatione.256.b.
Deo uno non numero. 259.a.
Deo noſtro. *262*.b. 263.a.
ſolo vero Deo.263.a.
incorporeo.268.b. 269.a.
dextrâ.291.b.
Dei gloria 327.b.
Eccleſiæ autoritate.334.a.
Trinitate.339.a.
Eſſentia.346.a.
Perſona.351.b.
Baptiſmo.363.b.366.a.
Creatore.375.a.
verbo, incubare.377.b.
principio.418.b.
Chriſti incarnatione.442.a.
communicatione naturarum.460.a.
Chriſto exinanito.487.b.
Chriſto homine.491.b.
dominio carnis Chriſti.*492*.a.
In Prov.8.v.*22*. 86.b.
Joh.5.v.39. 193.a.
de Omnipotentia Dei.297.a.
Baumbach. de Syriaca N. T. verſione. 203.b.
punctis.132.b.136.b.
Becanus. de rigore Juſtitiæ.311.b.
ſcientia Dei. 314.b.
alicubi eſſe.294.a.
Beda. de I. Maccab.41.a. Enochi libro. 111.b.
Actis Apoſtolorum.100.b.101.a.
II. Petri. 111. a.
II. & III. Johannis. 111.b.
Infantib. Vet. Teſtam. ante diem octav. morientibus.152.a.
Theophilo.193.b.
verſione Scripturæ.198.b.
virtute Altiſſimi.*422*.a.
adoratione Chriſti hominis.506.b.
Exinanitione.530.b.
Belgici. de communicatione verbali.475.b.
Bellarminus. de principio theologiæ.5.a.
de Patrum dictis.5.b.
S. Scripturæ appellatione.11.b.
ſcriptionis neceſſitate. 18.a.
traditione non ſcripta apud Judæos.19.a.
Apoſtolorum ſcriptione.19.a.b.21.a.b.
contra v.11. Apoc.1.20.b.
de legis in corde ſcriptione.21.b.
ſcriptionis autoritate.23.b.24.a.b.
Eccleſia h.e. Pontifice Romano.24.b.
fundamento primario & ſecundario.25.b.
Eccleſiæ judicio.*26*.b.
hiſtoria Eſther.34.a.
Judæis doctrinæ cuſtodib. 35.b.
Apocryphis.*36*.a.
Hieronymi teſtimonio.39.b.
hagiographis.4*2*.a.
Hieronymo.4*2*.a.b. 43. a.
triplici ordine librorum ſacrorum.43.b.
libris Canonicis.44.b.
Apoſtolorum canonizandi facultate.45.a.
Cajetano.46.a.
libris Canonicis qui perierunt.47.b.
Eſdra. 49.a.
Luthero.55.b.*62*.b.355.b.
Conciliis.36.b.
Pſalmo.151.p.37.a.
Cano. Apoſtolorum.69.b.
Oratione Manaſſis.69. b.
appendice libri Jobi.69 b.
præfatione Threnorum.ibid.
libro Tobiæ.69.b.
Judith.70.a.73.a.b.76.a.
Eliakim ſacerdote. 75.a.
Eſtheris ſupplemento.77.a.b. 78.79.80.a.
decretis Pontificum.81.a.
Origene.ibidem.
libro Sapientiæ.8*2*.a.b. 83.a.b. 84.a.b.
Euſebio.8*2*. b.
Melitone.85.b.
Siracide.86.b.87.a.
Baruch.88.b.
Suſannæ Hiſtoria.88.b.
Danielis additamentia.89.a.b.
II. Maccabæor.90.a. b.
Antiocho.90.a.91.b.
Juda Maccabæo.91.a.
igne ſacro.91.b.
congregatione.91.b.9*2*.a.
Eraſmo.89.b.
Judæ oblatione.9*2*.a.
αὐτοχειρία Maccabæorum.9*2*. a.
ipſorum libris.9*2*.b.93.a. b.
Apocryphia Novi Teſtam.95.a.b.
Græco textu. N. Teſtam.*96*. b.
Epiſtola Hebræor.106.b.107.b.
fontibus Bibliorum.1*2*3.b.
Ipſiua calumnia.1*2*4.a.
ſcribarum correctione.1*2*7.b.
translatione latina.1*2*4.a.b.
Hebraici textus corruptione.1*2*4. b.
integritate.1*26*.a.1*2*8.b.
fontium puritate.130.b.
punctis vocalibus.136.b.
Græca verſione. 136.a.
Græci textus corruptione.138.b.
Clauſula orationis Dominicæ.149.b.
expreſsè.14*2*.b.
Canonica ſcriptura.15*2*.b.
ſcriptionia N.T. fine.145.a.
Homouſia.153. b.
Concilio Niceno.163.b.
Traditionibus.144.a.b.145.a.b.146.a.b. &c. 15*2*.b.153.a.&c.163.a.b.
diſcrimine. V. & N. Teſt.167.a.
Patrum commentariis.167.b.
Scripturæ perfectione.151.a. b.
perſpicuitate.166.b.168.a.170.a.171.b.
Utilitate.194.b.
lectione.197. a.
autoritate.*121*.a.
verſione.198.b.
Bibliorum lectione.19*2*.b.

Biblia

Bibliis Sclavonicis. 198.b.
verſione vulgata. 206.b.207.a.
Germanira Lutheri verſione. 210.b.
Norma controverſiarum. 179.b.180.a.b.
Judice controverſiarum. 185.b.186.a.
Latina Eccleſia. 210.a.
Philoſophis Chriſtianis. 251. b.
nomine Jehova. 228.a.
voce Hypoſtaſeos. 351.a.
Electione. 208.b.
merito ex condigno. 321.b.
Trinitate. 336.a.
divinitate Chriſti. 427.b.
Chriſti doloribus inferni. 434.b.
filio homiois. 435.b.
inſtrumento. 436.a.
unione hypoſtatica. 448.a.
ſuſtentatione humanæ naturæ. 448.b.
Unione perſonali. 455.a.b.
incarnatione Chriſti. 457.a.
communicatione Naturarum. 460.a.
Verbum caro factum eſt. 463.a.
communiratione Idiomatum 470.b.
unione inter Patrem & carnem. 485.b.
potentia Chriſto data. 492.b.
animis in manu Dei. 497.b.
Chriſti dominio. 499.a.
Ubiqnitate. 500. a.
Communicatione idiomatum divinorum carni facta. 407.b.
Omnipotentia hominis Chriſti. 508.a. 511.b.
propriorum communicatione. 510.a.
dominio omnipræſenti. 508.b.513.a.513.b.
Mediatore. 538.a.b.
merito Chriſti. 539.a.
dextrâ Dei. 491.a.
ſeſſione ad dextram Dei. 488.b.533.b.
Apoſtolorum prædicatione. 531.194.a.
Hæreticis. 138.a.
In Pſalm. 19.v.9.165.a.
Matth. 5.v.14.165.b. cap. 10.27.157.b.
Luc. 2.v.40. 520.a.
Epheſ. 4.v.20. 404.498.a.b.
1. Theſſ. 5.v.21.182.a.
2. Petr. 1.v.19.165.a.
ejus prima & poſteriores editiones. 93.a.b.
R. Benchaim Tunet. de Bibliorum corruptione. 128.a.
B. Ari. Mont. de Apocryphia. 41.b.
Bibliorum translatione. 123.a.
textu Hebraico. 127.a.
clauſula Orationis Dominicæ. 140.a.
Benzo. de novis Indiis. 251.a.
Bernhardus. de Unitate. 259.a.
de Unitate & Trinitate. 260.b.
Dei ootitia. 218.a.
Deo, quid ſit. 257.b.
Dei Eſſentia. 219.b.275.a.
Nomine. 224.a.
Omnipræſentia. 290. a.
Juſtitia. 313.b.
Miſericordia. 307.a.309. h.
verâ generatione. 420.a.
ſcrutatoribus majeſtatis. 219.a.
Scripturæ perſpicuitate. 169.a.
libro naturæ. 255. a.b.
ratione humana. 342. a.
Eſſe omnium. 275.a.
Jeſu. 398.b.401.b.404.a.
Unionis modis. 443.b.
Chriſto homine. 462.b. 491.b.
fructu inrarnationis. 457.b.
officio Chriſti. 540.b.
I. genere communicationis. 475.a.
Philoſophorum virtutibus. 253.b.
Conſrientia. 255.a.
Berthorius. de allegoriis Trinitatis. 339.a.
Beumler. de verbis Cœnæ. 188.a.
Beza. de contraria Dei voluntate. 274 b.
ſuſtentatione humanæ naturæ. 449. b.
Unione perſonali. 448.a.449. a.
duabus unionis ſpeciebus. 455.b.
communicatione naturarum. 460.b.
propoſitionibus perſonalibus. 464. b. 465.a. 464.a.
communicatione Idiomatum. 470. b.
Deitate exinanita. 488. b.
Omnipræſentia Chriſti. 501.a.
adoratione. 506.b.
communiratione idiomatum divinorum Chriſto homini facta. 508.a.
Lucæ Solæciſmo. 172.a.
Pauli nomine in epiſtola Hebræorum. 107. b.
Ind. Corinth. 15.v.47. 139.a.
Biel. de Script. autoritate. 28.a.
infantibus Vet. Teſtam. ante diem octavum morientibus. 152.a.
Unione perſonali. 500. b.
Univoco.
Chriſti incarnatione. 456.a.
corpore naturali. 518.b.
mediatore. 537.b.
Bilſtenius. de triplici communicationum genere. p. 472.a.
Binius. de Conciliis. 37.a.
Biſciola. de Lini libro. 118.b.
Blandrara. 426.a.
Blaſius Viegas. de Mediatore. 426.a.
de Luthero. 117. b.
Angelo Apocal. 8.72.a.
Bodious. de gentilium ſalute. 251.b.
Boetius. de æternitate. 276.a.
Eſſentia. 347.a.
perſona. 353.b. 354.a.
Bonaventura. de theologia practica. 3. a.
Sapientiæ libro. 81.b.
Trinitate 356. a.
Chriſti Incarnatione. 457. b.
Bredenbach. de ſcripturæ perſpiruitate. 169.b.
norma controverſiarum. 179.b.
poteſtate Chriſto data. 492.b.
Brito. de libris Maccabæorum. 41.a.
Bucanus. de communicatione idiomatum. 508. a.
Eutyrhianiſmo. 515.b.
Bucerus. de omnipræſentia Chriſti. 501. a. ad Bullingerum. 252.a.
Bullinger. de cygnea Cinglii cantione. 252.a.
Burgenſis. de Scripturæ perfectione. 150.b.
verſionibus. 123.b.
Buſæus. de communicatione naturarum. 460.a.
adoratione hominis Chriſti. 506. b.
Mediatore. 538.b.
Unione ſubſiſtentiali. 448. a.
Buxdorffius. de ſrholia Judæorum. 49.
Sophrim. 127.b.
punctis vocalibus. 131. a.
Jehova. 235.a.
Meſſia. 415.b.

C. Cajeta-

C.

CAjetanus. de autoritate Scripturæ.28.a.
de libris Canonicis. 40.b.46.a.
Apocryphis.40.b.
Epiſtola Hebræorum.105.b.
Jacobi.109.a.
Judæ.112.a.
depoſito.163.a.
Dei omniſcientia.316.b.
In II. Corinth.161.a.
Mediatore.537.b.
Calvinus. de nomine Trinitatis.345.a.355.a.b.
de Chriſto homine. 478.b.
merito.539.b.
Dei potentia.301.a.
abſoluta.ibid.
verbis Cœnæ.188.a.
epiſtola Hebræorum.106.a.
In Pſalm.133.v.6.378.b.
Hebræorum.1.v.3. 349.b.
Camerarius. de Apocalypſi.114.a.
Campegius. de ſcortationis permiſſione.200. b.
Campianus. de regula librorum Canonicorum. 36.a.
libris Apocryphis.33.b.
libro Eſtheris.77.b.
epiſtola Jacobi.109.a.
Caniſius. de Scripturæ autoritate. 28.a.
perpetuitate.170.a.
perſpicuitate. 151.a.
Canus. de Damaſceno.39.a.
Ruffino. 40. a.
Melitone.42.a.85.b.
Hieronymo.42.b.
Cajetano. 46.a.
Antiocho.90.b.
Honorio. 524.a.
Baruch.88.a.
Scripturæ Canone.77.a.
Sapientiæ libro.85.b.
fontium cognitione. 123.b.
vulgata.124.a.
Conciliorum autoritate.45.b.
diſtinctione inter non recipere & rejicere.
p.44. a.
Capreolus.457.a.
Caranza. de Evangel. Lucæ.37.b.
Florentino Concilio.40.b.
Carolus M. de Scripturæ perfectione.150.a.
perſpicuitate.169.a.
norma controverſiarum.179.a.
Caſſiodorus. de Bibl. verſione latina.122. b.
Epiſtola Jacobi. 109. a.
Dei miſericordia.307.a.
Caſaubonus. de Luca.97.a.
multitudine Apocryphorum.119.a.
verſione. 203.b.
Dei omnipotentia. 302. a.
Caſpar. Franc. de omnipræſentia Chriſti.501.a.
Caſſianus. de Medicina.333.b.
Catharinus. de Scriptura Sacra.44.b.
Apocryphis.36.a.
Catechiſmus Racovienſis. de Scripturæ perſpicuitate.
p.172.a.
Ratione. 188.b.
Divinitate Chriſti. 223.a.
Dei notitia naturali.248.a.
Exegeſis.
Unitate. 260.a.
Omnipotentia. 298. b.
Bonitate.304.a.
Eſſentia.332.a.
æterna generatione.357.b.
Conſilio. ib.
Chriſto Deo.414.a.
1. Corinth.2.v.14. 251. a.
Cenſura Colonienſis. de Scripturæ perfectione.150.b.
perſpicuitate. 169.b.
Centuriæ Magdeburgenſes. de libris N. Teſt.94. a.
II. Petri.111.a.
Judæ. Epiſt. 112.a.
Chemnitius. de ſcriptionis verbi origine. 94.a.
de Apocryphis.N.T. ibid.
Trinitate.335.a.359.a.
vocabulis ἀγράφοις in myſterio Trinit.344.b.
vocabulo Hypoſtaſeos.350.a.
Interrogatione in Baptiſmo.365.a.
Incarnatione. 442. b.
nomine Chriſto dato.491.b.
capite Eccleſiæ.499.b.
forma Dei. 527.b.
Chriſti exaltatione.532.a.
officio Angelorum. 72. a.
In II. Corinth.161.a.
Chamier. de Communicat. Idiom.460. b.
Chryſoſthomus. de Doctoribus.1.b.
de Theologia. 2.a.
practica.3.a.
principio Theologiæ.7.b.
V. & Nov. Teſt. typo.30.b.
libris Canonicis.47.a.
ſtylo S. Scripturæ.120.a.b.
Scripturæ perfectione.149. b.
perſpicuitate.169.a.
effectu. 186.a.
lectione.194.b.195.b.
verſione.198.a.
Jobo.58.a.
Pſalterio.58.b.
Matthæo.95.b.
Johanne.97.b.
contrarietate Evangeliſtar.99.a.
autore Actorum.100.a.101.a.
norma controverſiarum.178.a.
Dei ubiquitate.288.a.295.b.295.b.
Dei miſericordia.306.b.
filio.423. a.
unione perſonali.454.b.
Chriſto cui omnia ſubjecta.488. a.
dextra majeſtatis.497.a.
Officio Chriſti. 540.b.
Ratione humana. 342.a.397. b.
Videntibus.66.a.
Pœnitentia. 200. b.
Jambre.163.a.
Enthuſiaſtis.184.b.
In Johan.5.v.39.193.a.
Actor.1.v.1. 159.b.
II. Corinth.161.a.
Galat.1.v.8. 146.a.
Chriſtophorſonus. de Sapientia Salom.83.a.
Chytræus. de Apocalypſi Johannis.125.a. b.
Cicero. de Deo, quid ſit.257.a.
Dei cognitione.241.b.
Perſona.354.b.
nomine ϑεότης.399.a.

ſenſu divinitatis.249.b.
lingua Græca.198.a.
Conſcientia.249.b.
Cinglius.de Dei juſtitia.312.a.
Claudius Eſpenſ. de Scripturæ lectione.197.a.
Mediatore.537.a.
Clemanges. de Sophiſtarum doctrina.7.a.
Clemens Aleaandr. de S. Scripturæ effectu.u.b.
perſpicuitate.168.a.
voce Θεῶ.220.b.
Dei omnipotentia.297.b.
libro naturæ.255.b.
Philoſophia juſtificante.251.a.
Judæ Epiſtola.112.b.
Clemens Roman. de Scripturæ interpretatione.213.b.
Clichtovæus. de Damaſceno.42.b.
Colloquium Mompelgart. de Deo paſſo.478.b.
Omnipotentia hominis Chriſti.508.b.
vi vivificandi.ibid.
Colloquium Ratisbon. de Script. perfect.150.b. 151.a.
Concilium Ancyr. de Apocalypſi Johannis.115.a.
Concil.Baſil. de Judice controverſ.183.b.184.a.
Concil Chalcedon.de II.gen. communic.524.a.
Concil.Carthaginenſe.112.a.115.a.
Conc.Epheſinum.de communicatione naturar.460.a.
I. gencte communicat.477.b.
adoratione Chriſti hominis.504.a.
Concil. Laodicenſ. de Epiſt. Judæ.112.a.
libris Apocryphis.36.b.
Concil.Syrmienſ. in Geneſ.19.v.24.391.b.
Concil. Toletan. de Epiſt. Judæ.112.a.
de unione perſonal.457.a.
Concil.Tridentin. de libris Canonicis & Apocryphis.
p.33.a.b.
vulgata.124.a.205.b.
Chriſti merito.539.b.
Conſtantin. Imper. de S.Scriptura.335.b.
Conſtantin. M. de Scripturæ perſpicuitate.169.a.
norma controverſiarum.178.b.
Cornel. Agrippa. de Scripturæ lectione. 197.a.
Ariſtotelis ſalute.251.b.
Cornel. Janſenius. de verbis ſcriptis. 26.a.
de Johanne Evangeliſta.207.a.
in Joh.16.v.12. 160.b.
Cornel.de Lapide.de Corinthiis qui ſunt Epiſtols Pauli. &c. 12.b.
Geneſ.18.v.3.p.235.b.
Cornel. Muſſus. de Dei nomine.223.b.
Coſterus. de Script. perfectione.151.a.
perſpicuitate.169.b.
lectione.194.a.
verſione.200.a.
I. Epiſtola Petrina.104.a.
Apoſtolorum ſcriptione.19.a.
Apocryphis.36.a.
Chriſti Epiſtola ad Agbarum.16.a.
Concilio Laodicenſi.37.a.
Gregorio.M.40.a.
Crellius. de propoſitionibus perſonalibus.463.b.
Cunmannus Fliniſchbach. de ſex Patriarchis prioribus.
p.112.b.
Cuſanus. de Scripturæ autoritate. 23.b.
Cyprianus. de Scriptura.73.a.
Scripturæ perfectione.149.a.
fontibus.121.b.
Apocalypſi Johannis.115.a.
norma controverſiarum.178.a.
divinitatis definitione.256.b.
ubiquitate.288.a.
Dei veritate. 325.b.
Chriſto patiente. 481.a.
Chriſti hominis judiciaria poteſtate.494.a.
Chriſti adoratione.506.a.
forma ſervi.529.a.
Cyrillus.de libris Canonicis. p.38.a.
Scripturæ perſpicuitate.169.a.
perfectione.149.a.
lectione.197.a.
an omnia literis comprehenſa.13.a.
quæ ſcripta S. in N. T. 145.b. 146.a.
de Johanne Evangeliſta.97.b.
Paulo.101.a.
norma controverſiarum.178.b.
ſolo vero Deo.261.b.
Dei ſedete.271.a.
immutabilitate.281.b.
gloria.328.b.
ignorantia.218.b.
incarnationis neceſſitate.441.b.
unione perſonali. 450.a.
ἕνωσις.453.a.
copulatione & conjunctione.454.a.
appropriatione Chriſti.479.a.
paſſione hominis Chriſti.479.a.480.b.481.a.
482.a.
communicante. 484.b.
carne vivifica. 486.a.
Chriſto Spiritum accipiente.487.a.
exinanito.488.a.
dominio carnis Chriſti.492.a.
carne Chriſti vivificante.493.b.
miraculis hominis Chriſti.502.b.
adoratione.506.a.
Judicante.494.a.
communicatione officiorum.523.b.524.b.
Mediatore.537.b.
Juliano Apoſtata.197.a.159.b.
In Eſai.45.v.10.263.a.
Johan.5.v.27.486.a.
21.v.25.159.b.
Epiſt.Hebræorum.106.a.

D.

Damaſcenus. de Theologia.2.a.
de libris Canonicis.39.a.
libro Sapientiæ. ibid.
& Siracidis.39.a.
voce Θεῶ.220.b.
Deo, quid ſit.257.b.
Dei notitia naturali.250.a.
natura.256.a.
ſubſtantia.256.b.
unitate.259.a.
æternitate.276.b.
immutabilitate.280.a.
infinitate.285.a.
ubiquitate.288.b.
omnipotentia.297.a.
bonitate.303.b.
voluntate.319.b.
perfectione.326.b.
intellectione.337.a.
eſſentia. 347.a.
hypoſtaſi. 352.a.
membris humanis Deo attributis.270.a.
Deo incorporeo.269.a.
homine ſecundo.1.Corinth.15.139.a.

Chriſto

Chriſtn. 403.a.
Filii æternâ generatione. 418.b. 428.a.
Filio cum Patre operante. 423.a.
Chriſti unctione 221.a. 487.b.
duabus naturis. 410.b. 412.a.
Similibus. 412.b.
humana natura in Chriſto. 431.b. 435.b.
incarnatione. 455.b. 459.a.
obumbratione Sp.S. 438.b.
operatione Sp.S. 440.a. 441.a. 442.b.
unione perſonali. 444.b. 445.a.b. 449.b.
446.b. 454.a.b.
περιχωρήσει. 446.b.
ὑποστάσει. 453.a.b.
Chriſti nativitate. 455.b.
diſparatis. 467.b.
triplici genere communication. 472.a.
I. genere. 473.b. 747.a. 577.b. 478.a. 481.a.b.
communicante. 483.b. 484.b. 485.a.
carne uncta. 487.b.
miraculis Chriſti. 502.b.
adoratione. 506.b.
communicatione officiorum. 523.b.
humiliatione verbi. 526.a.
Mediatore. 537.b.
actionibus Dei virilibus. 522.a.b.
diſcrimine inter ἐνέργειαν & ἀποτέλεσμα.
p. 523.a.
Eutyche. 515.b.
Damaſius Platon. de Trinitate. 339.b.
Danæus. de unione perſonali. 449.b.
de communicatione naturarum. 460.b.
propoſitionibus perſonalibus. 463.b.
triplici communicationis genere. 472.a.
communicatione verbali. 475.b.
Chriſto paſſo. 478.b.
communicatione carni Chriſti facta. 508.a.
vi vivificandi. 508.a.
carne Chriſti in miraculis. 524.b.
Diadochus. de Theologia. 2.a.
Didac. Clarus. de Chriſto exinanito. 488.a.
Didac. Stella. de Scripturæ perfectione. 150.b.
Didymus Alexandr. de Chriſti exaltatione. 533.a.
Sp.S. 223.a.
II. Petr. 111.a.
Dio. Caſſ. de Nerone. 249.b.
Dionyſ. Areopagit. de Script. perfectione. 148.b.
Dei omnipotentia. 297.b.
Dionyſ. Carthuſ. de divinis eloquiis. 13.b.
Apocryphis. 41.a.
Angelo Tobiæ. 5. mentiente. 71.a.
Apocalypſi Joh. 115.a.b. 116.a.b. 117.a.
Chriſti hominis omniſcientia. 493.a.
Mediatore. 537.a.
Luc. 15. v. 14. 207.a.
Dionyſ. Alexandr. de Apocalypſi Joh. 115.a.
Homouſia. 153.b.
Deo, quid ſit. 257.b.
Dei bonitate. 303.b.
Dittenberger. in Eſai. 8. v. 20. 176.a.
Domin. Sotus. de Dei omnipotentia. 299.a.
Dordracenſ. de Judice controverſiar. 188.a.
Dorotheus. de Luca. 19.b.
Hoſea 63.a.
Actis Apoſtolor. 100.b.
Druſius. de Hoſea. 63.a.
apicibus. 131.b.
Joſua. 220.a.
Jehova. 220.a.
in Epheſ. 4. v. 20. 498.a.
Durandus. de norma controverſ. 179.a.
perſona in individuo. 354.a.
Duræus. de Eſtheris appendice. 77.b.

E.

Eccius. de Script. autoritate. 23.b.
perſpicuitate. 169.b.
Pœdobaptiſmo. 154.a.
Ederus. de Concilio Laodicenſ. 37.b.
Damaſceno. 42.b.
argumento. I. Iohan. Epiſt. 105.a.
Elias Levita. de diſtinctione librorum Vet. T. 31.a.
Maſorah. 126.a.b.
punctis. 132.a.
Schem. 239.b.
& aliis Rabinicis Dei nominibus. ibid.
Enjedinus. de Epiſt. ad Hebr. 106.a.
Judice controverſiarum. 189.b.
Deitate filii 222.a.
Dei vocabulo. 223.b.
Jehova in nube. 232.a.
nominibus. 234.a.
Adonai. 235.b.
Jehovah. 228.a.
Θεὸς. 222.a. 238.a.
æternitate Dei. 278.a.
Omnipotentia. 299.a.
Philoſophicis ſpeculationibus. 342.b.
in Eſai. 6. v. 8. 390.b.
Matth. 22. v. 41. 417.a.
28. v. 8. 370.a.
Englinſemius. de Deo corporeo. 269.b.
Epiſcopius. de Dei immenſitate. 291.a.
Epiphanius. de Luca. 19.b.
libris legitimis. 32.a.
Siracide & Sapientia. 38.b.
Daniele. 63.a.
Marco. 96.b.
Actis Apoſtolorum. 100.b.
Apocalypſi Joh. 117.b.
Scripturæ perſpicuitate. 168.a.
norma controverſiarum. 178.a.
Script. lectione. 197.b.
Anaxagora. 240.a.
Marcione. 259.b.
Eſaia. 62.a.
ſolo vero Deo. 263.a.
Dei ſedere. 271.a.
nomine Eſſentiæ. 346.a.
Baſilide. 432.a.
Leucippo. ibid.
Apelle. 433.a.
Chriſti incarnatione. 440.a.
carne patiente. 480.b.
nomine Chriſto dato. 491.b.
I. genere communication. 477.b.
Gnoſticis. 113.a.
Eraſmus. de Apocryphis. 36.a.
Evangeliſtis. 100.a.
Autore Actor. 100.a.b.
Epiſt. Hebræorum. 106.a.
II. Petri. 111.a.
II. & III. Johannis. 111.b.
Juda. 112.a.

Jacobi.109.a.
Apocalypſi.114.a.115.b.116.b.117.a.
authentica lingua N.T. 123. a.
Scripturæ perfectione.150.b.
lectioue.
vulgata. 206.b.208. a.
abnegatoribus Dei. 240.a.
gentilium ſalute.251.b.
Maccabæorum libris. 93.b.
Eſtius de I. Petri. 104.a.
Evagrius. de humana natura. 433.b.434.a.
Eutyche.515.b.
Neſtorio.462.b.
Eucherius. de Script.S. 19. b.
Eugubinus. de Jehova.220.a.
Evodius. de Chriſto. 406.a.
Euſebius. de Chriſti epiſtola ad Agbarum.16.a.
Matthæo.17.a.
Luca.17.b.
Canonicis libris.32.a. b.38.a.
Melitone.85.b.37.b.
Origene. 38.b.
I. libro Moſis.51.b.52.a.
Jobo.56.b.58.a.b.
Samoſateno.59.b.
Sapientiæ libro. 83.a.
tribus ordinibus ſacrorum librorum.94.b.
Novi Teſt.libris.95.b.
Johanne Evangeliſta. 98.a. 99.b.145 b.
adulterâ Joh. 8. 98. b.
Paulo.17.a.101.a.
Papia.104.a.
I. Petri.104.a.
I. Johannis.104.b. 105.a.
Hebræorum.105.a.
Jacobi.108.b.109.a.110.b.
II. Petri 110.b.
Judæ.112.a.
II. & III. Johan.111.b.
Apocalypſi.113.b.114.b.116.b.
Actis Petri.118.a.
Pauli.118.a.b.
Scripturæ lectione.196.b.
Jehova,225 b.
Jeſu.400.a.
Irenæo.149.a.118. a.
Chriſto homine. 487.b.
Dionyſio.114.a.

F.

FAbricius. de Judæorum diſtinctionibus veteris Codicis.31.b.
Scholis Judæorum.49.a.
punctis.132. a.
Fauſtin. de norma controverſiarum. 178.a.
Felix Orgelitan. de filio adoptivo.462.b.
Fevardent. de Luthero.98.a.
Flacius. de generatione Filii.429.b.
humana natura. 433.b.
naturali Dei notitia.242.b.
Formula Concordiæ. de I. genere communicationis. 473.b.474. b. 475.b.
de Chriſti paſſione.482.a.
Forſter. de Adonai.235.a.
Franciſc. Davidis. de Dei Filio.422.a.
Franciſcus Luc. Burg. de N.T. Syriaca verſione.204.b.
Franciſc. Junius. de Theologia.1.a.
de depravatione ſcriptor.42.a.
Lamecho.202.a.
unione perſonali.449.b.
adoratione Chriſti hominis.507.a.
Franciſcus Maronis. de corpore naturali.518.b.
Franciſcus Picus. de libris Canonicis.40. b.
Franciſcus Ruiz. de Apocryphis.41. b.
Fulgentius. de Scripturæ perſpicuitate.169.a.
Dei veritate.303.a.
humanâ in Chriſto natura. 431. b.
Chriſto homine.462. b.
Exinanitione.531.a.

G.

GAlatinus. de Bibliis.13.a.
legis Dei ſcriptione.15.a.
Jehovah. 227.a.
Adonim.236.a.
correctione ſcribarum.127.b.
Rabinis.269.a.
unitate Eſſentiæ divinæ.396.b.
Jeſu.401.a.
Emanuel. 407.a.
duabus natur.410.b.
Unione inconfuſa.447.b.
Galenus. de Dei omnipotentia.297.b.
Ganguinus. de gloſsâ ordinaria. 40.a.
Gelaſius. de I. genere communicationis.475.a.
Apocryphis.118.b.
Gellius. de annalibus.54.b.
Genebrard. de diſtinctione Canonic. Hebræorum & Chriſtianorum.43. a.
de numerandis Pſalmis.59.b.
III. & IV. Eſdræ. 67.a.
Siracide.87.b.
Joſepho.43.a.93. b.
Scripturæ perſpicuitate.169.b.
in Pſalm.22.v.17. 129.a.
59.v.5. 129.b.
de punctis.132.a.b.
Gentianus Hervet. de Baruch.37.b.
Georg. Venet. de nomine Jehovah.227.b.
Gerhard. Mercat. de hiſtoria Judith.73. a.
Gerhard. Veltvyckus. in Pſalm.22.v.17. 129.a.
Gerſon. de Theologia practica. 3.a.
Philoſophiæ uſu. 6.a.
Theologiæ fine.7. b.
Evangelio non crederem.30.a.
norma controverſiarum.179.a.
Dei miſericordia.307.a.
Chriſti miraculis.502.b.
Officio.540.b.
Geſner. de Abſtracto.517.b.
in Pſalm, 22.v.17. 129. a.
Gilbert. Genebrard. de hiſtoria Judith.73.b.
Gloſſa ordinaria. de libris Canonicis.40.a.
Jure Canunico. ibidem.
Goclenius. 449.a. 467.b. 172.a. de Deo.255.b.
Goslavius. de Regulis Dialecticorom. 189.a.
Judice controverſiarum.189.a.
Chriſti Deitate. 223.a.
Dei nomine.224.a.
Perſona.354.b.
in Geneſ. 1.v.2. 378.a.
Matth.3.v.16. 362.a.363.a.
Grabius. de communicatione idiomatum.511.a.
unione perſonali.449.a.

Grana-

Granatenſis. de Filii generatione.428.a.
Graterus. de Apocalypſi Joh. 116.a.
Gratianus. de norma controverſiarum.179.a.
Gregorius. de literis invitatoriis.13.b.
caula inſtrumentali S.Script. 11.b.
V.& N. Typo. 30. b.
libris Maccabæorum.40.a.93.a.
Apocryphis N.T. 95.a.
Scripturæ perſpicuitate.169.a.
verſione Latinâ.209.b.
Dei nomine. 222.a.
membris Deo attributis.270.a.
Dei perfectione.327. a.
beatitate.329.b.
lucifero Chriſto.408.b.
Deo nuncupativo.415.b.
obumbratione.439. a.
ſeſſione ad dextram.497.b.
Gregor. Arimin. de unione perſonali.454.b.
Gregor.M. de libris Maccabæorum. 40.a.
Gregor. Nyſſen. de Dei omnipotentia.297.a.
Beatitudine. 329.b.
Paſſione Filii Dei. 481. a.
Communicante.484.b.
Gregor. de Valent. de Scripturæ autoritate.28.a.b.
perfectione.151.a.
perſpicuitate.169.b.
vulgata.124.a.
norma controverſiarum.178. b.
Judice.186.a.
gentilium ſalute.251.b.
Dei beatitate.304. a.
Juſtitiâ.311.a.
Trinitate.338.a.
Incarnatione Chriſti.457.a.
communicatione idiomat.470.b. 507.b.
omnipotentia hominis Chriſti.508.a.
Mediatore.538.a.
Luthero.355. b.
Gretſerus. de lit. ת.50.b.
Eſteris ſupplemento. 78. b.
Danielis.89.b.
Judice controverſiarum.186.a.
Jeſuitis.405.a.
Grynæus. de Propoſitionib. perſonal. 463. b.
Gualterus. de Omniſapientia.318. b.

H.

HAcker. de Dei bonitate.304.a.
Haffenreffer. de Canonicis & Apocryphis. N.T. 94.b.
Jehova.234.b.
R.Haccadoſch. de Jeſu.399.a. Jehovah.227.b.
Dei nomine proprio.223.b.
attributis.265.a.
Hagoſtratus. de Jeſu.400.a.
Harding. de Scripturæ lectione. 197.a.
verſione.198.a.
Hector Pintus. de S. Script. effectu.142.a.
perfectione.154.b.
Helvicus. de Spiritu & Prophetia. 31. b.
Lamecho. 202.a. Chriſti officio.538.b.
Herborneuſis. de unione perſonali. 449.b.
communicatione creaturarum.460.b.
Chriſto paſſo.478. b.
Hermes. de Dei contrectat.247.b.
ubiquitat.288.b.
Deo, quid ſit.257. a.
Hervæus. de Script. perfectione. 150. a.
Heſhuſ. de Omnipræſentia.501.b.
Heskinſius. de Eccleſiaſte. 61.a.
Heſſel. de Scripturæ perfectione.150.a.
Hieronymus. de Theologiæ objecto. 7.a.
ſcribendi mandato.22.a.
Canonicis. 39. b.
Canone.42.b.
Apocryphis.32.b.
Vet. & N. T. typo.30. b.
Scripturæ perſpicuitate. 168.a.
perfectione.149.b.
lectione.195.b.
V. T. allegatione.129.b.
Bibliis latinis. 198.a.
Hebræo text.125.a.
latin. verſione.198.a.122.a.b.
vulgata. 208.a. 208.a. Geneſi. 51. b.
punctis.137.a.
Judith.11.b.73.a.76.a.b.
Marco.19.b.96.b. ultim.cap.96.b.
Siracide.34.
Tobia.ibid.72.b.
Hebræis.34.b.
Epiphanio.38.b.
Ruffino.39.b.
libro juſtorum.51.b.
Levitico.52.a.
Judicum.53.a.b.
Paralipom.54.b.
Fabulis. 56.a.
Jobo.
Eſaia.62.a.
Daniele.63.a. 3.cap. 211.b.
Hoſea. 63.b.
Amos.ibid.
Jona.64.b.
appendice Jobi.69.b.
Eſtheris ſupplemento.77.b.79.b.
Sapientia.81.b.84.a.b.
Baruch. 88.a.
Danielis additament.88.b.
Matthæi ſcriptione. 95.b.96.a.
Luca.97.a.
Johanne.17. b. 97. b.
adultera Iohan.8.98.b.
Actis Apoſtol.100.a. b.
presbytero Acta corrupere auſo. 101. a.
Paulo.101.a.
Petri Babylon. 104.a.
I. Iohannis.104.b.105.a.
Iacobi.109.a.
II. Petri. 111. a.
II. & III. Iohannis. 111. b.
Iudæ.112.a.
Hebræorum Ep.105.b.106.b.107.a. b.
Catholicis epiſtolia.113.b.
Apocalypſi.114.a.b.115.a.
Mariæ virginitate. 153.b.
Helvidio. 154. a.
Traditionibus.156.a.
Evangelio. 163.a.
teſtimoniis.176.a.
norma controverſiarum.178.a.
Cellulis.70. 203.a.
veritate hiſtoriarum.215.a.b.
Iehovah.219.b.230.a.
decem Dei nominibus.225.a.
Pipis.225.b.

Dei æternitate.277.a.
ubiquitate.288.a.
gradibus præſentiæ Dei.294.b.
Dei omniſcentia.216.a.b.
voce hypoſtaſ.352.a.
Chriſto exinanito.488.a.
Chriſti omnipræſentia.500.b.
Chr. exaltatione.488.a.
24. ſenioribus Apoc.5.v.8.32.b.
In Eſai.48.v.16. 394.b.
Pſalm.18.v.27. 304.b.
Hieronymus ab Oleaſtro. de Script. perſpicuitate. p.169.a.
Hilarius. de Theologiæ fine.6.b.
libris canonicis.39.a.
Pſalterio.58.b.
Script. perfectione.149.a.
perſpicuitate.168.a.
lectore.188.b.
interpretatione.214.a.
verſionibus.122.a.
norma controverſiarum.178.a.
Dei ignorantia.218.a.
ratione cœleſti.218.b.
voce Dei.222.a.
Jehovah.230.a.
angelo cum Moſe loquente.231.b.
Dei definitione.256.b.
ſolo vero Deo.263.a.
incorporeo.268.a.
Deo ſpiritu.272.a.
Dei æternitate.276.
immutabilitate.280.a.
ubiquitate.288.a 295.b.
omniſcientia.315.a.
Trinitatis ſimilitudinibus.339.a.
homonſio.349.a.
eſſentia.353.a.
Jeſu.401.b.
duabus naturis.411.a.
area fœderis.412.b.
Chriſti divinitate.414.b.
Moſe Deo.415.b.
principio.418.b.
filio.418.b.
ejus generatione.429.a.
Spir. S. operatione incarnat.439.b.
theſauris ſapientiæ.492.b.
Exinanitione.531.b.
Chriſto Propheta.540.b.
Creatore.375.a.
R. Hillel. de Theologiæ fine.7.b.
Hocker. de Loco.294.a.
Hoffmeiſter. de traditionibus.158.a.
Hoſius. de Scripturæ autoritate.28.a.
lectione laicorum.197.a.
in II. Petr.1.v.19.165.b.
Hoſpinian. de adoratione hominis Chriſti.507.a.
Hugo. de libris Canonicis.40.b.
angelo Tobiæ 5.p.71.a.b.
femellarum. V.T. juſtificatione.151.b.
omnipræſentia hominis Chriſti.500.b.518.b.
Hugo Cardin. de libro judicum.53.a.
libris Canonicis.40.b.
Hugo Ether. de perſona.354.a.
Hugo de S. Victor. de Canonicis libris.41.a.b.
omnipræſentia.500.b.
Hunnius. de Epiſtol. ad Hebræos.106.a.
Apocryphis Nov. Teſt.94.a.
Humbertus Sylv. de Dei omnipræſentia.302.a.
Huntlæus. de Græci textus N. T. corruptione.138.a.
punctis vocalibus.130.b.131.a.
clauſulâ orationis Dominicæ.140.a.

I.

Jacobus Faber. de Græcis fontibus.123.b.
nomine Jeſu.400.a.
Chriſti omnipræſentia.500.b.
Jacob Nachiantes. de Traditionibus.158.a.b.
Jacob de Voragine. de Antonio Eremita.150.a.
Jamblich. de Dei cognitione.247.b.
Janſenius. de Jehovah.227.b.
Eliæ reditu.86.b.
Ignatius. de fide & charitate.144.a.
Dei miſericordia.306.b.
Trinitate 366.b.
nomine Chriſtian. ·04.b.
Immanuel à Vega. de Trinitate.335.b.
Joh. Driedo. de Judith.73.a.
Baruch.88.a.
Danielis additam.90.a.
Scripturæ perfectione.150.b.
Johan Dalburg. de Judicibus concilii.124.b.
Joh. Ettel. de Chriſti omnipræſentia.501.b.
Joh. Ferus. de Apocryphis.41.a.
norma controverſiarum.179.b.
Joh. Iſaac. de codice Hebræo.125.b.126.b.
punctis.132.a.
Joh. Maria Verratus. de Scripturæ autoritate.23.a.
Joh. Montolein. de Scriptura lectione.197.a.
Joh. Polit. de Cœnæ verbis.188.a.
Jonathan R. de Ezech.48.v.35. p.133.a.
Joſephus. de Sethi ſcriptione.15.a.
libris Apocryphis.32.b.
librorum Canonicorum numero.36.a.
tabulis legum.49.a.
radice à Salomone monſtrata.71.b.
Manaſſe Rege.74.b.
Epiſtola Ahaſveri.77.b.
fœmina.87.b.
libris Canonicis.93.b.
carminibus. Hebræorum.136.a.b.
Joſeph Albonis. de Daniele.63.a.
Irenæus. de verbo Dei ſcripto.12.a.19.b.
filii revelatione.16.a.
Apoſtolorum ſcriptis.17.b.
Johanne Evang. ibid.
Eſdra.48.b.
Deuteronomio.52.a.b.
veritate.85.a.
Marco.96.a.
Luca.96.b.
Johanne.97.b.
4. Evangeliſtis.98.b.
Synagoga Dei.110.b.
Prophetia.114.b.
Apocalypſi Johannis.114.b.115.b.
Apocryphis N.T.118.a.
Scripturæ perfectione.148.b.
hæreticis.156.b.157.a.
Apoſtolorum doctrina.157.b.
Evangelio veritatis.160.a.
Dei auxilio.173.b.
norma controverſiarum.177.b.178.a.
Scripturæ perſpicuitate.186.a.
lectione.197.b.
Interpretibus.202.b.

Inter-

Interpretatione.213.b.
nomine Dei.221.b.
Anaxagora.240.a.
naturali Dei notitia.249.b.250.a.
Dei æternitate.276.b.
infinitate.285.a.
omnipotentia.297.a.
perfectione.326.a.
Creatore.172.b.
nomine Jeſu.399.b.
Chriſto.415.b.
Jeſuitis.405.b.
Diis.415.b.
Ebionitis.429.b.
humana in Chriſto natura.431.b.
Saturnino.432.a.
Valentiniano.433.a.478.a.
Cerintho.440.a.
Carpocrate.440.b.
fructu incarnationis.458.a.
communicatione naturarum.460.a.
I.genere communicat.477.b.
quieſcente verbo.481.a.
verbo Dei homine.487.a.
Exinanitione.531.b.
Mediatore.537.a.
in Geneſ.19.v.24. 391.b.
Eſai.29.v.13. 155.b.
Irenæus Flacian. de humana natura.433.b.
R. Iſaac. de Jobo.56.a.
Iſidorus. de Canonicis libris.41.b.
Apocryphis.46.b.
Conciliis 37.a.
Jobo.561.a.
Canone Apoſtolor.68.b.
Scripturæ perſpicuitate.169.a.
lectione.196.b.
Vulgata 209.b.
filio.418.b.419.a.
Trinitate in Baptiſmo.365.b.
in Philip.2.v.3. 527.b.
Juchatin. de Targum.201.a.
Julius Rucherius. de Hieronymo.39.b.
Gregorio M.40.a.
Traditionibus.156.b.
Junilius. de Judith.77.a.
Sapientiæ libr.41.b.
Apocalypſi.114.a.
Jus Canonicum. de Scripturæ autoritate.200.a.
Juſtinus. de Theologia practica.3.a.
Scriptis Evangeliſt.17.a.
Prophet.34.a.66.b.
Canone N.T.47.b.
Myſter.Scriptur.120.b.
Scripturæ perfectione.148.b.
perſpicuitate.167.b.168.a.
verſione.198.a.203.b.
interpretatione.214.a.
genuflexione.157.a.
mentis humanæ imbecillitate.173.b.
norma controverſiarum.177.b.
Dei eſſentia.239.a.
Deo.221.b.
Angelo cum Moſe loquente.231.b.
Dei nomine.223.b.
Chriſtianis Deum non agnoſcentibus.251.a.
Deo, quid ſit.257.b.
Deo incorporeo.268.b.
Philoſophis Deum ignem dicentibus.269.a.
membris Deo attributis.270.a.
Dei Inviſibilitate.272.b.
ſimplicitate.273.b.
æternitate.276.b.
immutabilitate.280.a.
pœnitentia.282.b.
omnipræſentia.288.a.
Trinitate.342.a.338.a.
λόγου præſentia.295.b.
bonitate.303.b.
miſericordia.306.b.
omniſcientia.315.a.
omnipotentia.297.
textu Græco.128.a.
bonis quibus malè.312.b.
Dei perfectione.326.a.
cognitione.335.b.
rationis argumentis in myſteriis fidei.342.a.
voce προσώπου.352.b.
Creatore.374.b.
ἐνσάρκου incratione.396.b.
Chriſto.403.b.
Diis.415.b.
Dei filio.420.a.
generatione æterna.427.b.
incarnatione.438.a.
unctis.402.a.
unctione.402.b.
operatione Sp.S. in incarnat.439.b.
unione perſonali.447.a.
ſimilitudinibus.455.b.
I. genere communicationis.474.b.
Chriſti humiliatione.526.
exinanitione.531.b.
in Geneſ.19.v.24. 391.b.
Juſtin. Martyr. de appellationibus Filii Dei.406.a.
Orphæi verſiculi de ubiquitate.
p.288.a.

K.

KEckermann. de Germanica Lutheri verſione.
p.210.b.
Jehova.230.b.
Trinitate.338.a.
unione perſonali.449.a.450.a.
ſubjecto paſſionis.479.a.
Præpoſitionibus perſonal.403.b.
Kednadon. de ubiquitate.508.b.
R. Kimchi. de punctis.131.a.
Eccleſiaſte.60.b.
librorum biblic. diviſione.31.a.
Paralipom.54.b.
Kirſtenius. de Marco.96.b.
Pauli Epiſtolis Apocryphis.119.a.

L.

LActantius. de Sapientia.2.b.
de Theologiæ fine.6.b.
libris Eſdræ.55.a.
Prophetis.66.b.
Scripturæ perſpicuitate.168.a.
Judice controverſiarum.183.b.
hominis fine.217.a.
Philoſophis Deum colentibus.253.a.
Ethnicorum bonis operibus.253.b.
Deo, quid ſit.257.b.
Dei cognitione.242.a.

Omniſcientia.315.a.
Juſtitia.310.b.
unctis. 402.a.
unctione.402.b.
Laertius. de Protagora.240. s.
Lampadius. de Luthero.349.a.
Laurentius Valla. de clauſula orationis Dominicæ. p.140.b.
Leo. de humana in Chriſto natura.431.b.
neceſſitate incarnationis. 441.b.
unione perſonali. 444.a.445.b.
I. genere communicationis. 477.b.
Chriſto patiente.481.a.
exaltato. 488. a.
Chriſti hominis adoratione.506.a.
duabus naturis 411.a.
communicatione officiorum.523.b.
humiliatione verbi. 526.a.
exinanitione. 531.a.
Leontius. de una Chriſti perſona.447.s.
libris Canonicis.39.a.
Lindanus. de Apoſtolorum ſcriptione.19.a.
libris Canonicis.33.b.
Apocryphis.ibid.
Synodo Niceno.76.b.
Canone Scripturæ. 84.a.
Epiſtola ad Hebræos. 106.b.
Traditionibus. 158.a.
vulgata. 206.b.
Homeri μώλυ. 158.a.
Scipt. autoritate.29.a.
Lipſius. de cruce. 50.b.
Lombardus. de Scripturæ perfectione.150.a.
infantibus ante diem octavum in N.Teſt.morientibus.152.a.
fœmellarum in V.T. juſtificatione.151.b.
Dei ubiquitate. 293.b.
Loco. 294. a.
gradibus præſentiæ.294.b.
perſona.354.a.
unione perſonali. 454.b.
Chriſti ubiquitate. 518.a.519.a.
Lovanienſes. de Luc.15.v.8. 207.a.
Lorinus. de Mediatore.538.b.
Ludovicus Vives. de Apocryphis. 46.b.
de Sophonia.65.a.
Philone. 82. a.
Habacuc.89.b.
Epiſtola ad Hebr.105.b.
integritate textus Hebraici.122.b.123.a.127.a.
Deo ignoto. 246.a.
Plinio. 297.b.
rationibus.336.b.
Philoſophorum furtis. 340. a.
Dei perfectione.337.b.
humana natura.435.b.
Ludolph. Carthuſ. de nomine Jeſu.405.a.
Lutherus. de Theologia.3.a.
Theologiæ objecto.7.a.
Jobo.55.b.56.b.
Pſalmis. 59.b.
Amos.63.b.
Judith.76.a.
libris Maccabæorum.90.a.
Epiſt. ad Hebræos.106.a.
Jacobi.109.a.
Apocalypſi.114.a.
propoſitionibus perſonalibus.467.b.
punctis vocalibus.132.a.
purgatorio.154.a.
Scripturæ obſcuritate.165.b.
interpretatione.215.a.
illuminatione.174.a.
Schemhamphoras.227.s.
Jehovah.230.a.
Cinglii gentiliſmo.252.a.
Dei naturali notitia.253.a.
Ethnicorum virtutibus. 253.b.
Dei unitate.258.b.
æternitate. 278. b.
omipræſentia. 295.b.
Calvino. 298.b.
voluntate ſigni.320.a.
Vet. Teſtam.332.b.
Abrahami apparitione.339.b.
lumine rationis.340.b.
Nov. Teſtam.359.
Trinitate.437.b.378.b.338.b.
inſtrumento Dei. 427.a.
perſona incarnata.441.s.
veſte divinitatis.455.a.
Unione naturarum.445.b.512.b.
Unione ſpirituali.477.a.
Neſtorio.448.b.
Chriſto patiente. 479.b. 482.a.
forma Dei.527.a.
Hieronymi ſententia.352.a.
Lyra. de principio Theologiæ.5.a.
Canonicis.41.a.
Apocryphis.43.a.
Pſalterio.58.b.
Angelo5. Tobiæ.71.a.
fuga dæmonum.71.b.
libro Eſther.79.b.
Sapientiæ.81.b.
Maccabæorum.93.a.
IV. Evangeliſtis.99.a.
norma controverſiarum. 179.a.
Scripturæ interpretatione.215.a.b.
Dei nominibus.225. b.
pœnitentia.282.b.
datis filii hominis.492.a.
ſcientia ipſius.493.a.
vivificandi.493.a.b.
Pſalm.2.v.7.393.a.
Rom.2.v.3. 35.a.
Lycinius. de ratione humana.342.b.

M.

Macarius. de ſerutatione mentis Dei.218.b.
Macov. de conditionata Dei voluntate.320.b.
antecedente. 321. a.
permiſſiva.321.b.
Magdeburg. Centur. de II. Petri Epiſtol.111. a.
Maimonid. de nomine Jehovah.226.a.
Maldonatus. de Græco textu.123.b.
gentilium ſalute b. 251. b.
Chriſti incarnatione.457.a.
Mediatore.537.b. 538.a.
R. Manahem. de Elohim.220.a.
Marc. Marinus. de Sophrim.127.b.
Marian. Victor. de Canonicis libris.36.a.
diſtinctione Canonis Hebræorum & Chriſtianorum.43.a.
Marloratus. de Epiſt. Hebræorum.106.a.
Maſſil. Epiſcop. de libris Sapientiæ.41.a.
Martinius. de unione accidentali.449.a.
propoſitionibus perſonalibus.464.b.

Deo paſſo. 478.b.
boois Spiritus ſancti. 490.b.
Chriſti omnipræſentia. 501.b.
adoratione carnis Chriſti. 509 b.
Chriſti poteſtate judicandi. 508. b.
Martyr. de principiis Theologiæ. 6. a.
Dei viſione. 273. a.
adoratione Chriſti hominis. 507. a.
Unione. 449. a.
Maxentius. de hypoſtaſi. 453. a.
Maximus. de Dei omnipotentia. 297. a.
Medina. de Rages urbe. 69. b.
Medulla Catechet. de communicatione naturarum. p. 460 b.
Megilla. de Chaldaica paraphraſi. 202. a.
Meiſnerus. 467. a. 212. a. 250. a. 251. a. 247. b.
Melchior Canus. de Epiſtola Chriſti ad Agbarum. 16. a.
de corruptione N. T. textu. 138. b.
Vulgata. 124. a.
Melcb. Hoffinan. de humana natura. 433. b.
Melito. de libro Sapientiæ. 85. a.
Eſtheris. 79. b.
Menno. de humana natura. 433. a.
Mentzer. de Apocryphis N. T. 94. b.
Epiſt. ad Hebræos. 106. a.
hypoſtaſi. 350. a.
Mercerus. in Jobi. 27. v. 13. 381. b.
Proverb. 30 v. 4. 393. b.
Michael. Medina. Evangelio non crederem. 29. b.
Milius. 456. a.
Mioutius Felix. de difficultate Dei cognoſc. 218. a.
Mornæus. de principio Theologiæ. 6. a.
R. Moſes. de Dei ubiquitate. 288. b.
R. Moſes Ægypt. de Traditionibus. 156. a.
R. Moſes Gerund. de Iehovah. 219. b.
R. Moſes Hadarſan. in Prov. 30. v. 4. 394. a.
R. Moſes Maimon. de Iehova. 230. a. b.
Moſſorovius. de Socino. 370.
Muſculus. de Salomonis Proverb. 83. a.
Unione perſonali. 450. b.
Munſter. de Nehemia. 55. a.

N.

NAhum. de Chriſti hominis ſcientia. 508. a.
R. Nathaman. de Elohim. 220. a.
Nazianzenus. de λόγῳ. 16. a.
Canonicis libris. 38. b.
Iohanne Evangeliſta. 98. a.
Epiſt. ad Hebræos. 105. b.
difficultate Deum agnoſcendi. 218. a.
Deo. quid ſit. 257. b.
ſolo vero Deo. 263. a.
Infinita natura. 269. a.
creaturis Deum laudantibus. 244. b.
Dei omnipræſentia. 294. a.
bonitate. 303. b.
Trinitate. 332. a. 355. b.
vocabulis ἀγγράφοις. 344. b.
filio imagine Patris. 350. b.
tribus perſonis. 353. b.
Homouſio. 422. b.
filio Patrem vidente. 423. a.
una Chriſti perſona. 447. a.
Chriſti incarnatione. 456. b.
I. genere communication. 474. b.
officiorum. 523. b.
exinanitione. 530. b.
in Ioh. 5. v. 19. 263. a. 369. a.
de libro Eſther. 79. b.
Nemeſius. de Scripturæ autoritate. 22. b.
unione perſonali. 436. b.
Neoſtadienſ. de communicatione verbali. 475. b.
Nicephorus. de verbo ſcripto. 12. b.
Matthæo, & Marco. 17. a. 95. b. 98. a.
Paulo. 17. a.
libris Teſtamentariis 32. a.
Canonicis. 39. a.
datis filiis hominis. 492. a.
norma controverſiarum. 179. a.
membris humanis Deo tributis. 270. a.
Chriſti incarnatione. 442. b.
Apollinaris dicto. 150. a.
Nicetas. de Eſſentia. 347. a.
Nicol. Clenard. de Arabica lingua. 205. a. b.
Nicol. Fuller. de Maſora. 126. b.
Numen. de Platone. 340. a. 57. b.
Nyſſen. de modis unionis. 443. b.

O.

OCcam. de libris Maccabæorum. p. 41. a. 93. a.
propoſitionibus perſonalibus. 463. a.
Oecolampadius. de verbis Cœnæ. 172. a.
Ethnicorum ſalute. 253. b.
Oecumenius. de Actis Apoſtolorum. 100. b.
Chriſto uncto. 487. b.
implere omnia. 498. a.
adoratione Chriſti hominis. 406. b.
I. Ioh. 104. b.
I. Corinth. 7. v. 33. 139. a.
Onus Eccleſiæ. de norma controverſiarum. 179. a.
de Script. autoritate. p. 28. a.
Origenes. de ſcriptis Apocryphis. 35. b.
Iobi libro. 15. b. 57. a.
Eſtheris ſupplement. 81. a.
IV. Evangel. 99. a.
Epiſt. Hebræorum. 105. a. b.
textu Hebraico. 125.
Scripturæ perfectione. 149. a.
lectione. 195. a.
libris Canonicis. 38. b.
mentis illuminatione 173. b.
norma controverſiarum. 178. a.
difficultate Deum cognoſcendi. 218. a.
Iehovah. 230. a.
Dei immagine. 269. b.
loquela. 270. b.
ſimplicitate. 274. a.
deſcendere. 290. b.
omniſcientia. 315. a.
Deo incorporeo. 268. b.
genuflexione. 532. b.
Iudæis Deum hominem intelligentibus. p. 269. a.
Pſalm. 18. v. 27. 304. b.
Iob. 5. v. 39. 193. a.
1. Cor. 8. v. 6. 262. b.
Orthodox. Conſanſ. de Propoſitionibus perſonalibus. 463. a.
Oſiander. de libro Sapientiæ. 84. a.
libris Novi Teſt. 94. b.
nomine Ieſu. 400. a.
Iacobi Epiſtola. 109. b.
Epiſt. Hebræor. 106. a.
Mediatore. 538. b.

Oſtorodus. de Prophetis. 67.a.
Scripturæ perſpicuitate. 172.a.
Illuminatione 173.b.
naturali Dei notitia. 518.666.682.b.248.a.b.
ratione. 188.b.
Jehovah. 232.a.
γνωςὸν τοῦ θεοῦ. 248.b.a.b.
Dei eſſentia. 252.b.
Trinitate. 335.b.
Chriſti eſſentia. 357. b.
Chriſto Deo. 414.a.
ejus æternitate. 357.b.
Exod. 19.v.11. 232.a.
Ozorius. de meditatione. 538.a.

P.

PAgninus. de Apocryphis. 40. b.
Jehovah. 230.b.
Panormitanus. de Conciliorum ſtatutis. 5. b.
Jeſuitiſmo. 405.a.
Papias. de II. & III. Iohannis. Epiſt. 111. b.
Pappus. de Chriſti omnipræſentia. 501.b.
Paræus. de Epiſt. Hebræorum. 106.b.
communicatione naturarum. 460.b.
propoſitionibus perſonalibus. 463.b.
miraculis Chriſti. 502.b.503. a.
cultu adorationis hominis Chriſti. 509. b.
Paruta. de tribus perſonis. 345. a.
eſſentia. 347.a.
Paulus Kemer. de Omnipræſentia Chriſti. p.501.a.
Pauſanias. de Deo ignoto. 246.a.
Pelargus. de κατ' ἄλλο, in 1. & 3. genere communicat. 484.b.
abſtracto & concreto 517.a.
Ioh. 5.v.27. 486.a.
Pelbartus. de Scriptura. 186. b.
Jeſu. 405.b.
Pererius. de Cajetano. 46. a.
Script. obſcuritate. 170. b.
Jehovah. 235.a.
gentilium ſalute. 251. b.
Pereſius. de intellectu S. literarum. 194. a.
cælibatu Sacerdotum. 160.a.
Perpinian. de Scripturæ perſpicuitate. 169 b.
Petrus à Soto. de Invocat. Sanctorum. &c. 160.a.
Petrus de Aliac. de Scripturæ efficacia. 13. b.
laudibus. ibidem.
Petrus Cantor de Antonio Eremita. 150.a.
Petrus Carolin. de Photinianis. 99.b.
Petrus Cavaller. de Punctis. 132 a.
Petr. Comeſtor. de fumo arboris. 71. b.
Petr. Clun. de Apocryphis. 41.a.
Petr. Domian. de Johan. Evangel. 97. b.
Petr. Galat. de Philone. 82. b.
Petr. Martin. de Charact. Hebraicis 137. a.
Pezel. de unione perſonali. p.450.a.
Petrus Crinitus de Moſe. 156.a.
Philaſtrius. de libris Canonicis. 40. a.
Epiſt. Hebræor. 106.b.
Gnoſticis & Nicolaitis. 59. b.
Philemon. de juſtitia. 310. b.
Philip. Melanthon. de Script. interpretat. 215. b.
filio cogitatione genito. 429. b.
Chriſti Omnipræſentia. 501.b.
Irenæo. 481.a.
Philo. de Dina. 56. b.
Dei immutabilitate. 280.b.
omnipotentia. 297.a.
veritate. 324.b.
70. interpretatione. 203. b.
Dei nomine. 223.b.
Pigghius. de Scripturæ autoritate. 23.a.
Picus Mirandulan. de Moſis lege. 156.a.
Pineda. de Mediatore. 538.a.
Piſcator. de Scripturæ obſcuritate. 172.a.
vocabulo Spiritus. 255.b.
Dei eſſentia. 274.b.
Propoſitionibus perſonalibus. 463. b. 464.a.
Coloſſ. 2. v.3. 492.b.
Epheſ. 4.v.20. 498.a.b.
Unione perſonal. 450.b.
Forma ſervi. 529.a.527.a.b.
Piſcecius. de Apocryphis N. T. 95.a.
Judice controverſiarum. 189.b.
Jehovah. 225. b.
Elohim. 236.b.
Dei omnipræſentia. 291. b.
Nicenæ fidei architectis. 332.b.
fidei principiis. 342. b.
duabus naturis. 411.b.
Dei Filio. 422.a.
forma Dei. 527. a.b.
Piſtorius. de Apoſtolorum. ſcriptione. 19. a.
Scripturæ autoritate. 29.a.23.b.
III. & IV. Eſdræ. 67. b.
II. Petri. 111. a.
homonſia. 153. b.
Platina. de Epiſtol. Hebræorum. 105. b.
vulgata. 208.a.
militibus Jeſu. 404.b.
Plato. de Sapientia. 2.b.
Angelis. 72. a.
Jehovah. 220.a.
Θεὸς. 220. b.
Trinitate. 339. b.
Deo, quid ſit. 257.a.
Plinius. de omnipotentia. 297.b.
Plotinus. de Trinitate. 339. b.
Plutarchus. de Beſſo. 249. b.
R. Pinehas. de Amos. 63. b.
Polanus. de attributis eſſentialibus. 267.a.
Dei omnipræſentia. 292. a.
Chriſti infinito merito. 293.a.
Loco. 293.b.
Chriſti hominis omnipotentia. 302.a.
omniſcientia. 218.b.
divina potentia. 301.a.
abſoluta Dei voluntate. 320.b.
gloria mediatoria 328.a.
totius Chriſti exaltatione. 489. b.
exinanitione. 533.b.
Unione 449.a.
Polycarpus. de ſacrarum literarum lectione. p.195. a.
Dei omniſcientia. 315.a.
Poſſevinus. de libris Canonicis. 33.b.
& Apocryphis ibid.
Canone Apoſtolorum. 68.b.
Trinitate. 335.
Prateol. de Scripturæ perſpicuitate. 169.b.
Primaſius. de Chriſto exaltato. 488.a.
Proclus. de Dei immutabilitate. 280.a.
Syllogiſmo rationis. 342.a.
Materia. 439 b. 440.a.
fructu incarnationis. 458.a.
Procopius. de verbis divinis. 171.a.

Proſper.

Digitized by Google

Proſper. de occultis non ſcrutandis. 218. b.
Dei veritate. 324. b.
Protherus. de omniſcientia Dei. 315. a.
Puccius. de gentilium ſalute. 252. a.
Purchetus. de diſtinctione librorum Veter. Teſtam. p. 31. a.

R.

RAbanus. de libris Canonicis. 40. b.
Radulphus. de Apocryphis. 40. b. 41. a.
Rainer. de Piſis. de triplici Dei foro. 312. a.
Ramban. de Dei immutabilitate. 280. b.
Ravensperger. de Chriſti merito. 539. a.
Raymund. Sabaud. de perſectiooe. 337. a.
Raymund. Lul. de Dei coguitione naturali. 338. a.
Reuchlin. de legis Dei ſcriptione. 15. a. 122. b.
Chaldaica verſione. 201. b.
Trinitate. 339. b.
Remenſes. de Scripturæ perſpicuitate. 170. a.
Ribera. de Græeo textu. 123. b. 124. a.
Hebræo. 127. a.
Richard. de S. Vict. de Apocryphis. 41. b.
fœmellarum juſtificatione. p. 151. b.
Trinitate. 338. a.
Rittershuſius. de Dei omnipræſentia. 288. b.
Robert. Stephan. 1. Cor. 7. v. 33.
de Adultera. Joh. 8. 98. b.
Roffenſis. de Scripturæ perfactione. 150. b.
Roſe Crucia Societas. de libr. IV. Esdræ. 68. a.
Ruffinus. de libris Canonicis. 39. b.
norma controverſiarum. 178. a.
Deo uno non numero. 259. a.
Dei ſimplicitate. 274. a.
virtute Altiſſimi. 438. b.
Scripturæ lectione. 195. b. 197. b.
Rupert. Tuitienſ. de Apocalypſi. 116. a.
Antiquo dierum. 417. b.
Chriſti incarnatione. 456. a.
Joh. 7. v. 49. 199. a.
Rutger. Spey. de Arabica lingua. 205. b.

S.

SAdeel. de priucipio Theologiæ. 6. a.
unione perſooali. 450. b.
communicatione Idiomatum. 488. b. 511. a.
carnis Chriſti operatione. 524. b.
Salom. Glaſſius. de Hebraici textus integritat. 127. b.
Salmeron. de libris Maccabæorum. 90. a. 93. b.
unione hypoſtatica. 448. b.
Chriſti merito. 539. a.
mediatore. 537. b.
Joh. 7. v. 49. 199. a.
1. Cor. 15. v. 47. 138. b.
Salvian. de Scripr. autoritate. 28. a.
Sacroboſcus. de Hieronymo. 122. b.
Samuel. Valer. de Daniele. 63. a.
Sanctius. Eſai. 8. v. 10. 176. a.
Sandæus. de libro Ruth. 53. b.
Chriſti merito. 539. b.
Luthero. 98. a. 355. b.
Savanorola. de Theologia. 2. b.
Spiritu. 268. b.
Dei omnipræſentia. 288. a.
Miſericordia. 307. a.
Infinitate. 285. a.
Scaliger. de nominis interpretatione. 1. a.
artifice. 5. b.
libris Esdræ. 68. a.
ſubſtantia. 256. a.
Dei perſectiooe. 326. b.
definitione. 257. a.
attributis. 265. b.
potentia finita. 302. b.
homine intelligente. 479. a.
loco. 518. a.
rationibus. 523. a. b.
Schegekius. de propoſitionibus paronymicis. 468. a.
Schimberg. de fide. 188. b.
Trioitate. 334. b.
Dei omnipotentia. 298. b.
Scioppius. de Scripturæ teſtimoniis. 176. b.
Schmalzius. de libro Sapientiæ. 84. b.
Ratione. 188. b.
Judice controverſiarum. 189. b.
Θεὸς. 222. a.
Jehovah. 228. a. 232. a.
nomine Dei. 238. a.
natura Chriſti luminis. 269. b.
Dei æternitate 278. b.
omnipræſentia. 291. b.
omnipotentia. 298. b.
bonitate. 304. a.
omniſcientia. 315. b.
Trinitate. 332. a.
Eccleſiæ autoritate. 334. a.
fidei principiis. 342. a.
æterno Patre 357. b.
Filio. 422. a. 357. b.
Spiritu. S. 357. b. 358. a.
Prophetis. 67. a.
duabus naturis. 411. b.
Chriſto Deo. 414. a.
Filio adoptivo. 420. b.
generatione ejus. 357. b.
humana natura. 433. b. 434. b.
incarnatione. 456. b.
Pſalm. 115. v. 16. 232. a.
Eſai. 42. v. 8. 229. a.
63. v. 10. 386. b.
Matth. 3. v. 16. 362. a.
18. v. 19. 367. a.
Joh. 14. v. 16. 371. a.
Schramus. de Matthæi Evangelio. 99. a.
Schröder. de Apocryphis libris Novi Teſtam. 94. b. 95. a.
Schvvengfeld. de humana uatura. 433. b. 434. a.
Scotus. de Scripturæ perſectione. 150. a.
Ente. 255. b.
corpore naturali. 518. a.
Apoc. 22. v. 18. 148. a.
Servetus. de humana natura. 433. b.
Sedulius. de dominatione filii hominis. 492. a.
Seneca. de Conſcientia. 249. b.
Deo. 257. a.
Selneceer. de conviv. colloquiis Lutheri. 55. b.
forma Dei. 518. a.
Sever. Sulpit. de Judith. 73. b.
Sixtus Senenſis. de Damaſceno. 39. a.
de diſtinctione Protocanonicorum. 39. b.
Apocryphis. 42. a.
hiſtoria Maccabæorum. 44. a. 93. b.
Cajetano. 46. a.
Eſtheris complement. 80. a.
Philone. 82. b.

libro Sapientiæ.85.b.
Epiſt.Hebræorum.105.b.
Nabuchodoſoro in libro.Judith.73.a.
Jehova. 230.b.
textu Hebraico.127.a.
Græco Novi T.138.a.
ejus corruptione.138.a.
Scripturæ perfectione.169.b.
perſpicuitate.ibid.
Sleidan. de quodam Gallo.23.b.
Smigleciua.de particul. Solus.263.b.
Dei omnipotentia.299.a.
Socrates. de Amphilochio.38.b.
Jejunio.158.b.
Evagrio.256.b.
Sohniua. de Theologia.1.a.
libris Novi Teſt.95.a.
Baptiſmi efficacia.171.b.
unione perſonali.449.b.
communicatione reali.475.b.
Chriſto Deo exinanito.488.b.489.a.
Chriſti omnipræſentia.501.a.
adoratione.507.a.
exaltatione. 533.b.
Sommer. de Prophetis.67.a.
Judice controverſiarum.189.b.
Trinitate.336.b.
ratione humana.342.b.
Sophron. de Luca.100.b.
Socinus. de Prophetis.66.b.
libro Sapientiæ. 84.b.
Evangeliſtis.100.a.
I. Johan.Epiſt.105.a.
Epiſt.Hebræorum.106.a.
Scripturæ perfectione.172.a.
ratione.188.b.
Filii Deitate.223.a.
Dei nomine.223.a.b.238.a.
Jehovah.230.b.
κύριος.237.b.
naturali Dei notitia.242.b.243.b.
quærere Deum.246.a.b.
innato diſcrimine turpis & honeſti.250.a.
particula Solus.263.b.
ſimplici Dei eſſentia.275.a.
electione mutabili.281.a.
Chriſti incarnatione.456.a.282.a.
Dei omnipræſentia.291.b.
omniſcientia.315.b.
veritate.325.a.
impoſſibili.300.b.
Trinitate.332.a.355.a.335.b.336.b.
Chriſto.333.a.334.b.
λόγῳ.378.b.379.a.
Judicio humanæ rationis.342.b.
æterna generatione.357.b.
Filio.357.b.
Spiritu S.362.b.368.a.
nomine Trinitatis.345.a.343.a.
eſſentia.346.b.347.a.
triperſonato.353.a.
terna repetitione articuli de Baptiſmo.367.a.
Hieronymi autoritate.394.
duabus naturis.412.b.
Chriſto Deo.222.a.357.b.414.a.
Chriſti filiatione.421.a.
verbis honoris.375.a.b.373.a.
Spiritu Creatore.382.a.
Jehovah ignem pluente.392.b.
eſſentiæ ſimplicitate.397.
Chriſto redemptore.425.a.
adoratione.426.a.
Chriſti incarnatione.456.a.
theſauris Sapientiæ.492.b.
Geneſ.1.v.1.373.a.
Jobi.12.v.7. 243.b.
Pſalm.19. 244.b.
Pſalm.33.v.6. 378.b.
Prov.8. 380.a.
Joh.1.v.1.222.a.
Johan.14.v.16.& 26. 371.a.
Actor.17.v.30. 248.b.
Hebr.11.v.19. 247.a.
Matth.28.v.19.367.b.368.a.
dixit.377.a.
Sladus. de Trinitate.355.b.
Staphylus.de Epheſ.5.v.32.209.b.
Stapulenſis. de vulgata.206.b.
Statius. de Dei immenſitate.291.a.
Steuchius. de Prophetiis.14.a.
Scipturæ autoritate.28.a.
Stapleton. de Scripturæ autoritate.23.b.
Prophetis. Epheſ.2.v.20.27.b.
Concil. Laodicenſ.36.b.
fide Mediatoris.154.b.
diſtinctione Protocanonicorum & Deuterocanonicorum.43.b.
Græco textu.138.b.123.b.
Johan.5.v.39. 193.a.
Steinius. de Deo paſſo.478.b.
dextra Dei.291.b.
Suaretz. de voluntate beneplaciti.320.a.
Mediatore. 538.a.
Svithv. de principiis Theologiæ.6.a.
Suidas. de Eſdra.48.a.b.
Jobo.58.a.b.
Trinitate.339.b.
Samoſateno.460.a.
Sulpitius Severus. de Judith.73.b.
Svveiggerus.de Alcorano.478.a.
Sylburg. de unctione.402.b.
Synod. Chalcedon. de duabus naturis.412.a.
unione perſonali.447.a.
Synod. Syrmienſ. de Creatore.374.b.375.a.
Synod. Trulliana.39.a.

T.

TAnnerus. de norma controverſiarum.179.b.
gentilium ſalute.251.b.
Trinitate.355.b.
cultu religioſæ adoration.508.b.
Tapperus. de Chriſti ſatiafactione.538.b.
Tatianus. de myſteriis S. Scripturæ.120.b.
argumentis rationis.342.a.
Tertullianus. de Theologia naturali. 4.a.
Scripturæ autoritate.149.a.27.b.
Canonicis libris.36.b.
Melitone.38.a.
Matthæo.95.b.
Luca.96.b.
Epiſt. Hebræorum.105.b.
Apocalypſi.115.a.
Apoſtolor. doctrinâ.149.a.158.a.
hæreticis.162.b.
veritate.164.a.

Scripturæ

Scripturæ perſpicuitate. 168.a.
controverſiarum norma.178.a.
Sacr. literar. lectione. 195.a.
Dei nomine.239.a.
libro naturæ & Scripturæ.241.a.
notitia Dei, 250.a.
Deo corporeo.269.a.
Dei ubiquitate.294.a.b.
omnipotentia.301.b.
Juſtitia.313.a.b.
omniſcientia.315.a.
voluntate indulgentiæ.321.b.
perſona.353.b.
angelorum apparitione.432.a.
conſcientia.250.a.
ſimilitudine carnis.432.b.
Spiritus S. in Chriſto inhabitatione. 490.b.
Cerintho. 440.a.
1. Timoth.6.v.20. 162.b.
Traditionibus.158.a.
Thalaſſ. de Dei gloria.327.b.
Theobaldus Tammer. de gentium ſalute.251.b.
Theodoretus. de Theologia practica.3.a.
cauſa inſtrumentali Scripturæ.11.b.
Eſdra.49.b.
Ezechiele.62.b.
Scripturæ lectione.196.b.
verſione.198.a.
Deo in rubo. 231.b.
plurali numero quo Deus loquitur.237.b.
creaturis Deum laudantibus. 244.a.
Dei pœnitentia.282.b.
eſſentia & perſona.352.a.
Chriſti humana natura. 433.a.
I. genere communicationis.475.a.b.
Chriſto in carne paſſo.478.a.
Chriſto homine.487.b.
exaltato.488.a.
exinanitione.503.b.
adoratione hominis Chriſti.506.a.b.
Eutyche.515.b.
Mediatore.537.a.
Pſalm.19.244.a.
II. Corinth. cætera.161.a.
Theodor. Mopſveſtanus. de Prophetis.66.b.
Theophil. Antiochen. de Dei immutabilitate.280.a.
Theophil. Nicol. de Prophetis. 67.a.
Chriſto Deo.414.a.
Theophylact. de mandato ſcribendi.21.a.
de verbis ſcriptis.26.a.
Scripturæ perfectione.150.a.
perſpicuitate.169.a.
Canone.180.b.
Theophilo.193.b.
Dei cum animalibus comparatione.270.a.
Dei perfectione.326.a.
obumbratione.439.a.
Chriſto homine.462.b.
exaltato.488.a.
datis filio hominis.492.a.
carne Chriſti vivifica.493.b.
implere omnia.498.a.
hominis Chriſti omnipræſentia.500.b.
miraculis Chriſti.502.b.
Chriſti hominis adoratione.506.b.
Galat.1.v.8. 146.a.
Theupol. de Dei definitione.256.b.
Thomas. de Theologia.1.a.
ejus genere.2.a.
veritate de Deo. 4.a.
principio Theologiæ.5.a.
ejus ſtudio.7.b.
ſcriptionis cauſa. 17.b.
Prophetis & Apoſtolis.26.b.
Rom.11.v.34. 86.a.
libris Siracidis.86.b.
omiſſo nomine Pauli in Epiſt. Hebr.107.b.
Scripturæ effectu.147.b.
perfectione.150.a.
II. Corinth. cætera.161.a.
Scripturæ perſpicuitate.169.a.b.
controverſiarum norma.179.a.
Scripturæ lectione.196.b.
nomine. 223.b.225.a.
Deo, an ſit.240.a.b.
Dei cognitione.241.a.
generatione.255.b.
ſubſtantia.256.a.
Dei viſione.273.a.
nominibus concretis.275.a.
Dei æternitate.278.a.279.a.
ubiquitate.287.a.
potentia infinita.299.b.
omnipotentia.300.a.
amare.308.a.
juſtitia communicativa.311.a.
immutabili voluntate.323.b.
cauſis voluntatis divinæ.323.b.
veritate.325.a.
bonitate. 329.a.
rationis probatione.336.b.
imagine alicujus.351.a.
eſſentiæ ſimplicitate.397.a.
filii generatione.427.b.
incarnatione.457.a.441.a.457.a.
perſona compoſita.446.a.
actionum ſuppoſitis.479.a.
datis filii hominis.492.a.
judiciaria Chriſti poteſtate.494.a.
miraculis Chriſti.502.b.
genuflexione. 532.b.
humana natura. 435.a.b.
Mediatore.537.a.
Hebræorum. Epiſt.12.v.21. 107.b.108.a.
Thomas Bozius. de Scripturæ autoritate.29.b.
Thomas Morus. de translatione latinâ. 122.b.
textu Græco Novi T. 138.a.
Tigurini. de omnipræſentia Chriſti.501.a.
de Cœna.188.a.
Tilenus. de Elohim.237.a.
generatione filii.429.a.
Chriſto paſſo. 478.b.
divinitate exaltata.489.a.
judiciaria Chriſti poteſtate.494.a.
communicatione verbali.515.a.
omnipotentia hominis Chriſti.508.a.
Tiletan. II. Timoth.3.v.11. 147.a.
Toletan. Concil. de libro Sapientiæ.11.b.
Toletus. Rom.12.v.11. 140.a.
de Judæis doctrinæ cuſtodibus.35.b.
Toſſanus. de Germanica verſione Lutheri.210.b.
Johan.5.v.27. 486.b.
Deitate exinanitâ. 489.a.
menſurâ Spiritus S. 490.b.
Toſtatus. de Canonicis libris.41.b.

norma controverſiarum. 179.a.
naturali Dei notitia. 242.b.
Jehovah. 228.a.
Trelcat. de donorum infinitorum communicatione. p.488.b.
Tremellius. de tempore Ruth. 53.b.
Nehemia. 55.a.
Syriaca verſione N. T. verſione. 204.b.
Græca verſione. ibid.
Trithemius. de gloſsâ ordinaria. 40.a.
Turſellinus. de Dei omnipotent. 302.a.
Tympius. de ritibus. 142.b.

V.

VAlla. de perſonâ. 354.b.
Varinus. de Canone. 180.b.
Vega. de Græco Textu. 123.b.
Vergerius. de verſione Scripturæ. 198.b.
Moſe Meridinæo. 204.b.
Franciſco. 404.b.
Victorin. de Deo uno numero. 259.a.
Vigilius. de Manichæo. 260.a.
duabus naturis. 411.a.
Photino. 411.b.
I. genere communicationis. 475.a.
Deo patiente. 479.a.
paſſione. 480.b.
Chriſto exaltato. 488.a.
Mediatore. 537.a.
Vitus Miletus. de Scripturæ autoritate. 23.b.
Vincent. Lirin. de una Chriſti perſona. 447.a.
I. genere communicationis. 475.a.
Scripturæ perfectione. 149.b.
Voidovius. de Chriſto Deo. 413.b.
Vorſtius. de fidei principiis. 154.b.
Jehova. 228 a.
naturali Dei notitia. 242.b.
ſimplicitate. 274.a.b.
Juſtitia. 311.a.
quid ſit? 256.b.
Deo corporeo. 269.a.b.
Viſione. 273.a.
Trinitate. 275.a.
æternitate. 278.a.
mutabilitate. 280.b.
infinitate. 285.b.
immenſitate. 289.a.b.
loco. 293.b. Dei ſapientia. 318.a.
Dei omnipotentia. 299.b.
omniſcientia. 315.a.
voluntate. 322.a.
Dei decretis. 322.a.b.
Chriſti æternitate. 418.b.
triplici Chriſti filiatione. 421.a.
generatione filii. 429.a.
humanâ naturâ. 433.b.
unione perſonali. 450.b.
πᾶσα ἐξουσία. 492.b.
Urſinus. de adoratione Chriſti hominis. p.507.a.
Baptiſmi efficacia. 171.b.

W.

WAſerus. de formâ ſiclorum. 50.a.
Weigelius. de Scripturæ perſpicuitate. 174.a.
Judicio. 191.b.
Weidner. de Pentateucho. 52.b.
Jehovah. 226.b. 235.a.
triplici cognitione Dei. 241.a.
Trinitate. 336.a. 437.b.
Pſalm. 45. v. 8. 394.a.
Chriſti incarnatione. 437.b.
Chriſto Sole. 408.a.
Weidovius. de ratione. 188 b.
Wendelinus. de unione perſonali. 449.b.
Wezelius. de unione perſonali. 449.b.
Wigandus. de Abſtracto. 517.a.
Willetus. de Incarnatione Filii. 456.a.
Widmanſtadius. de Marci linguâ patria. 204.b.
Winshem. de Cœlo Cinglianorum. 252.a.
Witacker. de principio Theologico. 6.a.
Apocryphis N. T. 95.a.
Epiſt. Hebræorum. 106.a.
verbis Cœnæ. 188.a.

X.

XImenius. de Apocryphis. 41.b.

Z.

ZAnchius. de Jehovah. 228.a.
de partibus eſſentiæ Dei. 274.b.
contraria Dei voluntate. 274.b.
unione perſonali. 449.b.
communicatione Idiomatum. 470.b.
diſtinctione ἐξουσίας & δυνάμεως. 492.b.
novo Chriſti corpore. 500.a.
omnipræſentia Chriſti. 501.a.
Chriſti hominis adoratione. 507.a.
merito Chriſti. 539 a.
Zanger. de Lutheri verſione. 211.a.
Zarnovec. de Photinianorum gentiliſmo. 252.a.
Zehner. de Jobo. 56.a.
Zoar. de Punctis. 132.a.
Zuinglius. de gentilium ſalute. 251.b. 252.a.

Finis Indicis Tertii Exegeſeos.

INDEX QVARTVS,

Rerum & Verborum memorabilium.

A.

ABdiaſbir de vitis Apoſtolorum.119.a.
Abſtractio mentulis duplex.517.a.
Abſtractorum conditio.266.b.
Abſtractum.516.b.517.a.
  Philoſophis quintuplex.466.b.
  quibuſdam duplex. ibid.
Acta Apoſtolorum.100.a.
  eorum autor.ibid.
  à quibus rejecta.100.b.
Acta Barnabæ.119.a.
Accidens non mutat rei eſſentiam.12.b.
Actus naturalis & perſonalis.447.b.
Adam typus Chriſti.409.a.
ἀδιαςασία carnis Chriſti cũ λόγῳ an ſit omnipræſent. p.494.a.
Additio alia arbitraria, alia divinitus inſpirata.144.b.
Adonai, ejus derivatio & ſignificatio.235.a.
  myſtica explicatio.236.a.
Adoratio Chriſti hominis.425.b.
  probatur.504.b.
  Patrum dicta.506.
  contraria argumenta.509.b.
Adultera Ioh.8.hiſtoria, an ſit Canonica.98.b.140.a.
ἀίσια.225.a.
Æqualitas Dei 419 b.
  dati & accepti inter opera noſtra & vitam æternam.311.b.
Æternitas Dei quid.276.a.
  probatur.276.a.
  Antitheſis.276.b.
  an ſecundum literam in Scripturis doceatur. 278.a.b.
  an ſit attributum ſolius Dei proprium.279.a.
  duo requiſita ſecundum Philoſophum.276.b.
  participata.277.a.
  an ſit abſolutum attributum ut omnipotentia 279.a.
  an ut in eſſentia, ita & in actibus divinis non ſit ſucceſſio ſecundum prius & poſterius.ibid.
  quomodo differat à tempore & ævo.ibid.
  uſus ejus practicus.279.b.
Affectiones humanæ ſunt vel eſſentiales vel accidentales.431.a.
  cur Chriſtus aſſumſerit.431.b.
Affectus quomodo Deo tribuatur. p.270.b.282.b.283.a. 308.a.
Agnoëtæ.315.a.
Agnus Chriſtus.408.a.
Αναγνώςιμοι libri, ſunt vel Eccleſiaſtici vel Apocryphi. p.46.a.
Alamandurus, de divinitate mortua.481.b.
Albanenſes omniſcientiam Dei negant.315.b.
Alcoranus de Chriſto.100.a.
Alcuinus gloſſæ ordinarie autor.40.a.
Alius, ſc. paracletus.371.b.372.a.
Allegoriarum uſus ſit moderatus.410.a.
ἀλλοίωσις Neſtoriana.465.a.476.a.
Alogi & alogiani.99.b.
Amor Dei.306.b.
  an ſit merè gratuitus.308.b.
  alius benevolentiæ alius concupiſcentiæ.308.a.
  alius amicitiæ,308.a. alius complacentiæ. ibid.
Amos.63.b.
Amphilochius.38.b.
Anabaptiſtæ.433.a.
Angeli ab æterno.277.a.   ſeptem.72.b.
  vocantur Ihova.231.a.
  Elohim.221.a.
  Angelorum tres hierarchiæ imago Trinitatis. p.338.b.
  apparitio.432.a.
  differt à λόγῳ incarnatione. ibid.
Angelus apparens Moſi. Exod.3.an ſit Iehovah. p.231.a. 380.a.
  angelus facies.386.a.387.a.
Anima humanæ facultates imago Trinitatis.339.a.
Anima Chriſti ſcientia.520.b.
  quintuplex ſecundum Pontificios. ibid.
Annales.54.b.
Ἀνόμοιοι.426.b.
ἀντίδοσις.473.b.
Anthropomorphitæ.289.a.
Antonin. Archiepiſc. Florent.40.b.
Antitacta.52.b.
Antitrinitarii.356.a.
Ἀνυπόςατοι,426.b.
ἀνυπόςατον.441.b.442.a.
ἀπαθεῖς.434.b.
Apolliſtæ.433.a.
Apocalypſis.p.113.b.
  an ſit Canonicus liber & Johannis Apoſtoli. p.114.a.b.
  argumenta contraria.115.b.
  cum Danielis Prophetia convenientia.116.a.
  obſcuritas.117.a.b.
Apocryphi libri, unde dicti.32.a.b.
  V. Teſt. qui ſint.33.a.67.b.
  ambiguitas vocis.33.a.
  argumenta contra Canonicam Apocryphorum autoritatem.33.b.
  qua ratione à Patribus allegentur.47.a.
  & Scriptura ſacra appellentur.ibid.
  Nov. Teſtam.118.a.
  an propriè ſic appellentur.95.b.
Apocryphorum multitudo, quid admoneat.119.b.
ἀποθέωσις.483.b.
Apollinaris.434.b.
Apollinis Delphici templi inſcriptio.220.a.
Apparitiones Dei.272.b.
Apoſtoli & Evangeliſtæ an habuerint ſcribendi mandatum.19.a.
  cur non omnes ſcripſerint.20.a.

Exegeſis.

an decla-

an declararint libros Apocryphos eſſe Canonicos.44 b.
Apoſtolica doctrina & ſcriptura an differant.12.a.
Apoſtolici libri.30.b.
Apoſtolorum liber.119.a.
Apoſtolici officii tres partes. 20. a.
Apoſtolorum Canones.119.
Ἀποτέλεσμα.523.b.
ἄψυχοι. 434.a.
Arabica ſcripturæ verſio.205.a.
Arbor vitæ.408.b.
Arca fœderis, Iehovah.232.b.
Arca tria continens imago Trinitatis, 339.a. duplex ſignificatio.108.a.
Ariani de Deo paſſo. 478.
Arius, tria de Filio Dei docebat.426.b.
Arnoldiſtæ.275.a.
ἀρχέτυπος Theologia. 3.b.
ἀρχὴ.418.b.
Artemon.426.b.
Articuli fidei an Theologiæ principia.4.b.
Artificis tria requiſita imago Trinitatis.338.b.
ἄρτιος.147.b.
Aſcenſio Chriſti in cœlum an evertat humanæ naturæ in terra præſentiam.519.a.
Aſchrei.329.a.
Aſtrologia.1.a.
Aſſumptio humanæ naturæ an poſſit comparari cum indutione veſtis.455.a.
Aſſuerus quis fuerit. 79.a.
Athanaſius.38.b.
Attributa divina in genere.265.a.
ſunt unum cum divina eſſentia. ibid.
propt. conceptus noſtri infirmitatem variè diſtinguuntur.265.b.
an eodem modo de Deo & creaturis prædicentur.266.a.
σχετικὰ an ſint realia.266.a.
an in concreto de Deo prædicari poſſint.266.b.
an rectè vocentur propria. ibidem.
an diſtinctè ab intellectu noſtro poſſint concipi. p.267.a.
eſſentialia Chriſto communicata an ab ipſa eſſentia ſeparentur. ibid.
uſus practicus.267.b.
in ſpecie.268.a.
Antitheſis.269.a.
eorum qui Deum corporeum eſſe ſtatuunt. p.269.b.
argumenta eorum.269.b.
uſus practicus.271.b.
alia ſunt ἀνενέργητα. 311.b.
alia ἐνεργητικά. ibid.
Audiani.269.a.
Averroes.315.a.
Auguſtini ſcripta an ſacra ſcriptura. 12.a.
quid ipſi ſit Canonicum 46.a.b.
ejus diſtinctio inter libros hiſtoricos & Propheticos.48.a.
ipſius argumentum pro integritate textus Hebraici.125.b.
Αὐταρτοδοκῆται.434.b.
Authenticum quid ſit.24. b.
Αὐτόθεος an ſit Filius Dei.427.a.
Autor de mirabilibus ſcripturæ.41.b.
ἀξίωμα θεολατρείας. 491.a.

B.

Babylon cujus Petrus mentionem facit, an ſit urbs Ægypti an Roma.104.a.
Baptizari in nomen.364.a.
Baptiſmi noſtri inſtitutio. ibid.
Bara.374.b.
Baruch.37.b.88.a.
Baſilides.478.a.
Beatitas Dei.328.b.
Antitheſis.329.b.
an labefactetur, quando non ſemper voluntas ejus ab hominibus impletur.329.b.
quomodo Deus ſit beatorum beatitudo.330.a.
uſus doctrinæ.330.a.b.
Beati in vita æterna an clarè & intuitivè Deum ſint viſuri.272.b.
an oculis corporeis, glorificatis tamen.473. a.
Beatorum Theologia.3.b.
Beda.41.a.
Βελτίωσις.483.b.
Benedictio Eccleſiaſtica.389.b.
Benedictio triplex.231.b.
Ben. Arias Montanus.41.b.
Benignitas Dei.306.a.
Biſſus.249.b.
Biblia cur. S. Scriptura appelletur.11.b.
Rabini vocant rem ſanctam 13. a.
& domum ſanctuarij. ibid.
germanica ante Lutherum.198.b.
Bonitas Dei probatur.303.a.
Antitheſis 303.b.
an ſolus Deus per eſſentiam bonus.304.a.
an omnia ſint bona bonitate divina. ibid.
creaturarum bonitas quomodo ſit in Deo.304. b.
quomodo cum bonitate Dei conveniat, quod cum perverſo dicatur perverti.304.b.
uſus practicus.305.a.
Bonorum operum Ethnicorum defectus. 253.a.b.
Booz, quis fuerit.53.b.
Brito.41.a.
Bugenhagius diem illum quotannis feſtivum habuit, quo Lutherus ultimam manum germanicæ verſioni impoſuit.210.b.

C.

Canah.379.a.
Cæſarienſis Eccleſia.38.a.
Canon inchoatus & conſummatus.151.a.
Caſtitas an rectè referatur ad ſanctitatem Dei.312.a.
Calviniani accuſant Scripturam obſcuritatis.171.b.
non multum tribuunt Germanicæ Lutheri verſioni. 210.b.
ſtatuunt voluntatem Dei mutabilem.281.a.
Deum finitum.286.b.
Scripturæ negant perſpicuitatem.171. b.
negant eam eſſe unicam fidei normam. p.181.a.
negant judiciariam poteſtatem.188 a.
adſcribunt ſalutem notitiæ naturali. p.252. a.
negant Dei omnipræſentiam 292.a
infinitam ejus potentiam.298.a.b.
miſericordiam.307.b.
bonitatem.303.b.
Iuſtitiam.311. a.
ſapientiam.318.b.
de voluntate ſigni & beneplaciti.320. a.
labefactant Dei veritatem.324.b.
de unione perſonali 448.b.
communicatione naturarum. 460.b.
de propoſitionibus perſonalibus.463.a.
neg. realem communication. idiomat.470. b.

ipſorum

ipſorum de triplici communicationis genere ſententia. 472. a.
de I. genere. 475. b.
de Deo paſſo. 478. b.
negant realem divinorum attributorum carni Chriſti factam communicationem. 508. a.
ſcil. omnipotentia. 508. a.
omniſcientia. ibid.
virtutis vivificandi. 508. b.
poteſtatis faciendi judicium. ibid.
omnipræſentiæ dominii. ibid.
poteſtatis θαυματουργικῆς. ibid.
mundandi à peccatis. ibidem.
cultus adorationis religioſa. ibid.
officiorum. 524. a.
fingunt communicationem verbalem. 515. a.
Chriſtum ſecundum utramq; naturam exinanitum & exaltatum ſtatuunt. 533. b.
oppugnant officium Chriſti Propheticum, Sacerdotale, regium. 539. a.
Canticum Canticorum. 61. a.
Canonici libri. Vet. & N. T. ſoli appellantur propriè ſacra Scriptura. 12. a.
unde nomen habeant. 16. b. 32. a.
diſtinctionis illorum utilitas & neceſſitas. 32. a. 33. a.
V. T. qui & quot. 32. b. 33. a.
Canonicus liber V. T. ſcriptus eſt à Propheta. 33. b. lingua Hebræa.
continet oracula de Chriſto. 34. b.
Canonis Hebræorum & Chriſtianorum diſtinctio. 43. a.
conſtitutio quando facta. 44. b.
dicuntur vel ſtrictè & propriè. 45.
vel generaliter & latè. 45. b.
Canonicum veteribus quid. 46. a. b.
nonnullis libris amiſſis an Canonis hinc ſequatur imperfectio. 47. b. 48. a.
perfectio ejus alia eſt quantitativa, alia objectiva. p. 47. b.
an aliqui libri Canonici perierint. 47. a.
Canonici V. T. qui. 51. a. b.
Canonicum eſſe & computari in numerum ſacrarum literarum non eſt idem. 76. b.
Canonici N. T. 94. a.
qui ſunt ordinis partim primi, partim ſecundi. 95. b. 105. a.
unde Scriptura Canonica dicatur. 174. b.
ejus autoritas. 152. b.
Capacitas triplex. 510. a.
Cappadocia. 38. b.
Capitum in Scriptura diſtinctio, an Eſdræ tribuenda. p. 51. a.
Caput noſtrum Chriſtus. 407. b.
ut etiam Eccleſia. 499. b.
Caro Chriſti. 431. a. ἐνυπόστατος. 446. a.
non eſt αὐτοπόστατος non ἰδιοϋπόστατος, non ἀνυπόστατος. ibid.
per unionem modum ſubſiſtendi illocalem ſortita eſt. 447. b.
aſſumta an ſit τῷ λόγῳ accidens. 449. a.
an à λόγῳ tantum ſuſtentatur. 449. a.
eſt vivifica κατ᾽ ἄλλο. 484. b.
an ſit vivifica. 486. a.
Carminum Hebraicorum ignoratio. 136. a. b.
Carthaginenſe Concilium ne quidem à Pontificiis omnib. approbatur. 45. a.
Catecheſeos conſcriptio an ab Apoſtolis inventa. 21. a. b. Exegeſis.
Catechizandi ratio quando cœperit. 107. b.
Catholici libri. 32. a.
Catholicæ Epiſtolæ. 109. b.
Eccleſiæ digniſ. 164. a.
Chaldaica. V. T. verſio. 211. b.
Character Patris ſubſtantiæ. 350. a. b.
χαρίζεσθαι. 540. a.
Cherubim duo V. & N. T. typus. 30. b.
Chiliaſtici erroris ſemina an in Apocalypſi. 117. b.
Chriſti Epiſtola ad Agbarum. 16. a.
Chriſtus totius Scripturæ centrum & ſcopus. p. 30. a. 406. a.
ipſius ſudor ſanguineus olim in dubium vocatus p. 97. a.
appellatur interdum Θεὸς ſine articulo. 222. b.
Chriſti hominis omnipræſentia. 292. a. b.
an ipſi infinita gloria communicata 328. a.
ejus in Baptiſmo invocatio. 367. b.
an ſit regenerationis cauſa ſecunda, & Dei vicarius. 369. a.
doctrina de Chriſto dignitas. 397. a.
patet ex ejus origine. ibidem.
utilitate, neceſſitate. 398. a.
Antitheſis. 398. b.
uſus practicus. 398. b.
qualis ſit Salvator. 399. a.
etymologia. ibid.
Antitheſis. 399. b.
Vſus. 400. b.
an etiam in V. T. rectè ita appelletur. 402. b.
ὁμωνυμία. 403. b. συνωνυμία. 406. a.
nominum Chriſti diſtributio 406. a. uſus. 410. a.
phragmatologia. 410. a.
appellatur Deus. 415. b.
æternus eſt. 417. b. immutabilis. 417. b.
immortalis. ibid. infinitus. ibidem.
omnipræſens. ibid. omnipotens. 418. a.
omniſciens. 418. a. omniſapiens. ibidem.
liberrimus. ib.
divina majeſtate & gloria præditus. ib.
Patri æqualis. ib.
an propter conceptionem ex Spiritu S. ſit Dei Filius. 422. a.
an ſit totum integrale σύνολον ex duabus naturis tanquam partibus integrantibus conſtitutum. 449. a.
ſecundum quod homo, an ſit ſuppoſitum. 453. b.
an ſecundum humanam naturam ſit duntaxat filius adoptivus. 462. b.
Chriſtus homo an ſit Filius Dei perſonaliter. p. 462. b. 466. a.
an naturalis. 468 b.
an ſecundum utramq; naturam ſit paſſus licet non ſecundum divinam. 481. a.
unus Chriſtus duæ naturæ, & duæ naturæ unus Chriſtus. 482. b.
Chriſtus eſt paſſus, & Chriſtus eſt paſſus pro mundi vita, diſtinctæ propoſitiones. p. 482. b.
an quædam de ipſo dicantur, quæ ſecundum ejus perſonam tantum intelligenda. p. 488. b.
an ſecundum utramq; naturã exaltatus. 489. b. & ad dextram ſedeat. ibid.
Chriſto homini divinum nomen datum. 491. b.
ejus omnipotentia. ib. omniſcientia. 492. b.
vis vivificandi. 493. a.
omnipræſentia. 494. a.

potestas faciendi judicium. 493.b.
θαυματουργία. 502.a. opus redemption. 503.a.
conſtitutio miniſterij & Eccleſiæ collectio. p. 503.a.
miſſio & effuſio Spiritus Sancti. 503.b.
mundatio a peccatis. ibid.
mortuor. reſuſcitatio. 504.a.
Judicij adminiſtratio, cultus religioſæ adorationis, ibid.
ejus nomina reſp. officij Prophetici. 535.a.
Sacerdotalis. 535.a. Regii. ibid.
an etiam ſibi aliquid promeruerit. 539.a.
ipſi data omnis poteſtas κατὰ σάρκα. 484.a.
Chriſtiani hominis officia tria. 141.a.
Chriſtianiſmum abſolvunt fides & opera. 143.b. 144.a.
Chreatcorum libri. 54.b.
Chronologia menda apud LXX. interpretes. 203.a.
in vulgata. 207.b.
Cellula LXX. interpretum. 202.b. 203.a.
Clementia Dei. 306.b.
Cordeniani labefactant Dei bonitatem. 303.b.
Cerinthus, ſolius Marci Evangelium recepit 99.b.
Acta Apoſtolorum improbavit. 100.b.
Circum inceſſio. 355.b.
Circumſcriptum eſſe, an ſit corporis proprietas eſſentialis. p. 517.b.
Cœlum. 290.a.
Cœna inſtitutio an perfectè deſcripta. 161.a.
Cognitio Dei triplex. 241.a.
ejus quadruplex liber. 241.a.
alia Creatoris, alia creationis. 244.a.
Coloſſenſium Pauli Epiſtola. 102.b. 103.a.
Columba qua Spiritus S. deſcendit, an verum animal. 362.b. 432.a.b.
Collutbiani. 311.a.
Commentarij quo fine ſcribantur. 171.b.
Cõmunicatio alia mediata, alia immediata. 267.b. 511.a.
Communicatio idiomatum an ſit formale unctionis. 454.b. 471.a.
duplex naturarum & operationum. 455.b.
Communicatio naturarum. 458.b. 459.a.
an ſit quoq; communicatio hypoſtaſeos. 445.a.
naturarum probatur. 1. Scriptura dictis. 459.a.
2. rationibus. 459.b.
3. ſimilibus. 460.a.
4. Patrum dictis. ibidem.
Antitheſis. ibid.
Communicationem propter realem naturarum an dici poſſit, natura divina eſt humana. 460.b.
uſus. 461.a.
Communicatio fit vel per μίξιν, vel per συνδίασιν. p. 469.b.
Communicatio verbalis. 469.a.
non phyſica, non κατὰ μίξιν, non eſſentialis participatio, non cauſalis, ſed realis. 469.b.
quid ſit. 470.a.
Antitheſis. 470.b.
in genere. 467.a.
unde dicatur. 469.a.
Realis eſt vel phyſica, vel hyperphyſica. ibid.
eſt quintuplex. 469.a.b.
genera. 469.b. 471.b.
fundamenta. 471.b.
Antitheſis. 472.a.
Communicatio idiomatum, an ſit forma, an verè conſequens unionis hypoſtatica. 471.a.
an rectè definiatur per prædicationem. 471.a.
uſus practicus. 471.b.
an rectius quatuor, an tria ſtatuantur genera 472.a.
διχοτομία. 472.b.
an μετάδοσις illa, qua λόγος propriam ſuam gloriam aſſumpta carni communicat, rectius ſecundo vel tertio loco inter genera communicationis ponatur. 473.a.
I. genus. 473.b.
fundamentum ejus. 473.b.
appellationes, ibid.
ſubjectum. ibid.
ſpecies, & exempla. ibid.
reciprocatio. 474.a.
particula diſtinctiva. 474.a.
dicta Patrum. 474.b.
Antitheſis. 475.b.
Propoſitiones an huc pertineant, in quibus de Chriſto prædicatur exinanitio & exaltatio. 476.a.
unde agnoſci poſſit, quæ ſecundum divinam, quæ ſecundum humanam naturam in hoc genere de Chriſto prædicentur. 476.a.
uſus practicus. 476.b.
huc etiã pertinent prædicationes ἰδιοποιητικαί. 477.a
ejus fundament. ibid.
appellationes. ibidem.
ſubjectum. ibidem.
exempla. ibidem.
particula diſtinctiva. 477.b.
dicta Patrum. 477.b.
Antitheſis. 478.a.
an ſubjectum in hiſce propoſitionibus notet perſonam ſimplicem, an verè σύνθετον. 480.a.
an uſurpanda in hoc genere prædicationes abſtractiva. 481.a.
uſus practicus. 483.a.
primi & ſecundi generis diſparitas. 516.b.
Communicatio ſpiritualis. 483.a.
Majeſtatis. 483.b. 484.a.
Communic. II. genus. 483.b.
ejus fundament. 483.b.
appellationes. ibidem. Subjectum. ibid.
ſpecies & exempla. 484.a.
ipſa communicatio, communicatorum uſurpatio. p. 484.b.
communicationis notanda & eſſentialia & circumſtantialia. ibid.
Communicationis in eſſentialibus occurrunt termini ac materia. ibidem.
Terminus in quo & ad quem. ibidem.
1. quis communicet? ibid. antitheſis. 485.a.
communicationem divinorum idiomatum carni factam negantium. 485.a.b.
2. cui ſit facta. ſc. Chriſto ſecundum humanam natur. 486.a. antitheſis. 488.a.
communicationis materia. 490.a.
divina majeſtas & gloria. 490.a.
τὰ κοινωνητὰ in triplici differentia. 491.a.
Chriſto homini divina attributa eſſe donata, quatuor probatur argumentis. 491.a.b. &c.
Antitheſis. 507.b.
adverſariorum argumenta. 509.b.
modus communicationis, non eſt verbalis tantum. 469.b. 514.
non eſſentialis 514.b. non accidentalis. 514.b. neu phyſica & naturalis, ſed perſonalis. 515.a.
Antitheſis. 515.a.
an per hanc communicat. introducatur Eutichianiſmus. 515.b.
Tempus communicationis eſt ipſum momentum incarnationis. 515.b.

Anti-

Antitheſis.516.a.
quomodo hoc genus ſecundũ differat à primo.516.b.
an in hoc genere rectè ponantur ſubjecti loco locutiones abſtractiva 516.b.
an deſcribatur vocabulo effuſionis.517.b.
uſus practicus.521.a.
Communicationis Idiomatum genus Tertium.521.b.
ejus fundamentum.521.b.
appellationes.ibidem. Subjectum. ibid.
Species & exempla.ibid.Reciprocatio.522.a.
tria in hoc gen. notanda.522.b.
particula diſtinctiva.522.b.
dicta Patrum.523.b.
Antitheſis. 524.a.
Monophyſicarum & Monotheletarum.ibid.
Calvinianorum. ibid.
an in hoc gen. ſit communicatio Idiomatum. 524.b.quomodo differat à precedentibus.525.a.
uſus practicus.525.b.
Communicatio & communicatorum uſus differunt. 515.b.516.a.
Compoſitionis modi ſeptem.273.b.
Creationis opus tribuitur Filio Dei.423.b.
in creatione an Deus pluraliter de ſe loquatur honoris ergo.373.b.375.a.b.
an Angelos alloquatur.375.b.
an quatuor Elementa 375.b.
an creationis opus faciat Deum mutabilẽ.281.b.
creatio dupliciter accipitur, & activè & paſſivè.282.a.
Creaturarum tria genera.338.b.
Creatura quomodo Deum laudent.244.a.b. cur ſint finita.285.a.
Creaturarum bonitas quomodo ſit in Deo.304.b. triplex genus, typus myſterij Trinitatis.338.a.
Credenda ſunt duplicis generis.250.b.
Cultus divini reformatio.176.b.
Cultus λογικὸς.191.a.
Cyprus.38.b.
Cyrillus Hieroſolymitan.38.a.
Conceptio Chriſti differt à noſtra.434.a.
eſt à Spiritu S.435.a.
cui cur tribuatur.439.a.
an propter hanc ſit Pater Chriſti.439.b.
conceptionis momentum.442.b.
an ejus omnipræſentiam oppugnet.513.b.
Concilia provincialia.36.b.
Concilium Sardicenſe.352.a.
Concilia alia ſunt vetera, alia recentiora.45.a.
Concilia & Patres an Apocryphos libros pro Canonicis habuerunt.45.a.
Conciliorum Indices quatuor.124.b.
Judicium an ſit infallibile.185.a.
Concretum,517.a. aliud naturale, aliud formale.466.b. & hoc eſt vel natura vel perſona.ibid.
Concretum & Abſtractum quomodo in propoſitionibus perſonalibus accipiantur.466.b.
Conjunctio.454.a.
Conſcientia.255.a.
Conſervationis opus tribuitur Chriſto.423.b.
Contradictoria an in Deo.300.a.b.
an in Script. inveniantur.171.a.
Controverſiarum norma & regula.174.b.
judex.181.a.
Copulatio.454.a.
Corinthus.102.a.
Corinthiorum Epiſtola.I.p.102.a. II.ibid.
Corpus unum ne ſit in pluribus locis, an per divinam potentiam poſſit.518.a.

D.

D*Ageſch, conditio.136.a.*
Damaſcenus.39.a. quomodo neget eſſe ἄνευ ὑποστατικόν.445.b.
Daniel.63.a.
ejus additamenta.88.b.
Davidis Dominus Chriſtus.
θαυματουργία Chriſti hominis.
Decreta Pontificum an S. Scriptura.11.b.
Dei, an contingentia.280.b.
accipiuntur tripliciter.281.a.
conſiderantur vel objectivè vel actuè.322.a.
ſecundum Scholaſticos tria in illis ſpectanda. p.322.a.
Definitio Dei ex Scriptura quinque debet complecti. p.258.a.
Depoſitum.162.b.
Deitas Chriſti probatur.414.b.
ex divinis nominibus.414.b.
ex attributis eſſentialibus.417.b.
ex proprietate filij perſonali.420.a.
nomina ex quibus divinitas ipſius probatur, ſunt triplicia.414.b.
ex operibus ſoli Deo propriis.422.b.
ex divino cultu & honore ſoli Deo proprio.425.a.
Antitheſis.426.b.
Deitas an clavis confixa.483.a.
paſſa carne.481.a.b.482.a.b.
an exinanita.488.b.489.a.
θεάνθρωπος.410.a.
θεανδρικὴ ἐνέργεια.522.a.
θεολογία.410.a.
θεολόγησις.483.b.
θεοποίησις.483.b.
θεὸς.220.b.221.b.
cum articulo & ſine articulo an differant.222.a. 232.a. cum articulo an ſit ὑποστατικὸς.223.a.
prædicati loco poſitus, an nullibi accipiatur pro vero Deo. 223.a.
an nomen officii an verò naturæ.238.b.
θεοπνευστία.1.b.4.a.
θεοσοφία.1.b.4.a.
θεοφάνεια.359.b.
Deorum triplex ordo apud gentes.259.b.
Dei nomen prædicati loco poſitum an nullibi accipiatur pro vero Deo.223 a.
an habeat Deus aliquod nomen proprium.223.b.
an Deus ſit nomen proprium vel appellativum. 223.b.
Deum velle pingere, an pugnet cũ ἀσωματίᾳ ipſius.271.a.
Deus in ſpiritu invocandus.272.a.
Deus eſt inviſibilis.272.b. æternus.276.a.
unus.258.b.259.a.260.a. Simplex.273.b.
Deo quomodo membra & organa corporea tribuantur. 270.a.b.
de Deo an omnis diſputatio prohibita.218.b.219.a.
nominum divinorum etymologia. 219.a.
homonymia.221.a.ſynonymia.224.b.
Deus an ſit.240.a. Deum eſſe, negant aliqui immediatè vel directè, aliqui obliquè.240.a.
alij mediatè & indirectè.ibid.
de Deo quatuor naturâ cognoſcimus, eſſe, velle, poſſe, operari.240.b. eſſe Deum, probatur ex natura, ex ſcriptura.241.a.
an poſſit definiri.255.b. negatur.ibid.
Vorſtius adfirmat.256.b. quomodo definiendus.257.a.

quomodo loquatur.270.b. quomodo locus ipſi tribuatur.271.a.

Deus eſt immutabilis.279.b. an in ipſum cadant affectus. 282.b. 283.a. eſt immortalis.283.a.
 an ſit impaſſibilis.284.a. eſt infinitus.284.b.
 an ſolus infinitus.286.b.
 immenſus.287.a. quomodo ſit ubique.287.a.
 Dei deſcendere & aſcendere.290.a.
 an ſit cum impiis.290.b. eſt omnipotens.296.b.
 an rectè dicatur realiter exſiſtere extra mundum in ſpacio imaginario.294.a.
 an rectè dicatur in omnibus locis præſens.293.a.
 an ipſi competat locus.293.b.
 an poſſit contradictoria.300.a. eſt bonus.303.a. miſericors.306.a.
 an amet ſe & extra ſe omnia.308.a.
 Juſtus.310.a.

Deus eſt paſſus.479.b.480.a.

Deuteronomium.52.a.b.

Deuterocanonici libri.39.b.43.b.

Dextra Dei.291.b.491.a.492.a.496.a.499.a.
 an ſignificet certum cœli locum.497.a.

Διαθῆκαι.35.a.

Dici de aliquo, requirit ineſſe.410.b.
 dictorum divinorum quatuor claſſes.565.a.

Dies carnis.531.a.

Difficultas Deum agnoſcendi.218.a.
 ejus remedia.218.b.

Dii alieni & recentes.332.b.

Dina an Iobi uxor.56.b.58.a.

Διὸ.539.b.540.a.

Dionyſius Carthuſian.41.a.

Diſparata.467.b.

Diſputatio Petri cum Appione.119.a.

Divinitas Chriſti an etiam nota fuerit gentilibus.427.b.
 eam negantium claſſes tres διυπόστατοι, ἑτερούσιοι, ἀνόμοιοι.426.b.
 uſus practicus.429.b.

Divinitas an ſit paſſa.481.a.

Dixit.376.b.377.a.

Doctrina generalis & ſpecialis.143.a.

Doctrinales libri V.T.31.b. N.T.32.a.

Doctrina Chriſti efficacia.535.b.

Docendi functio eſt vel mediata vel immediata.535.b.

Δοκῆται.432.a.

Dominium Chriſto datum.491.b.
 an requirat præſentiam.499.a.

Domus ſanctuarij.13.a.

Dona infinita an Chriſto data, ut perſonæ Mediatoris. p.490.a.

Δόσις & κοινωνία an differant.485.a.b.

Δέξασις.483.b.

Dreyfaltigkeit.356.a.

Δύναμις, ζωοποιητικὴ, θαυματουργικὴ, δικαστικὴ.491.a.

Δυνάμωσις.483.b.

E.

EBionitæ Pauli Epiſtolas rejecerunt.101.b.

Eccleſia eſt Scripturæ teſtis, cuſtos, vindex, præco, interpres.23.b.24.a.26.a.
 an ſit Pontifex Romanus.24.b.
 an ipſius vox prior Scriptura.26.a.
 an antiquior Scriptura.28.b.
 an notior Scripturis.28.b.
 ejus dignitas.28.b.
 Iudicium.ibidem.
 Iudaica eſt cuſtos Canonicorum libror.35.a.
 an ex libro non Canonico poſſit facere Canonicum.44.a.
 ejus teſtificationi quatenus credendum.152.b. 153.a.
 an ſit norma controverſiarum.180.b.
 Eccleſiæ nomine quid Pontificii intellig.180.b.
 eſt Iudex controverſiarum inferior, & miniſterialis.182.a.
 ejus collectio Chriſto tribuitur.425.a. 503.a.

Eccleſiaſtes.60.b.

Eccleſiaſtici libri.32.a.

Effuſionis verbo an communicatio deſcribatur.517.b.

Ἐκίνωσε.528.b.

Ἐκτύπος Theologia.3.b.

Eliakim Sacerdos.75.a.

Elilim.221.b.

Elohim.220.a.373.a.374.a.392.a.
 homonymia.221.a.
 an ſit ab Elohe.225.a.
 in hoc nomine myſterium quærendum eſſe negant Photiniani.236.b.

Eloquia Dei.13.a.

ἔμφυτος Theologia.4.a.

ἐναλλαγὴ.473.b.

ἐνέργεια.523.b. & ἀποτέλεσμα differunt.523.b.

ἐνέργημα.ibidem.

ἐνεργήματα divina Chriſto homini communicata.491.a.

Enochi liber.15.a.112.b.
 vaticinium.15.b.

Entis tres affectiones.338.b.

Ἐνυπόστατος.446.a.

ἕνωσις.445.b.

ἐπόπτικος Theologia.4.a.

Ἐπιλαμβάνεται.452.a.b.

Epheſiorum Epiſtola.102.b.

Epiphanius.38.b.

Epiſtola Pauli ad Corinthios.102.a.
 ad Laodicenſes.119.a.151.a.
 Senecam.119.a.

Ἐπιούσιος.212.a.

Ἐπίζευξις ὀνομάτων.473.b.

Eraſmus.41.a.

Ἐρευνᾶν.192.b.

Eſaias.61.b.404.a.

Eſdras. an libros Propheticos incendio conſumtos reſtituerit.48.a. cur Scriba dicatur.49.b.
 an libros corruptos reſtituerit.49.b.
 an novas literas Hebraicas invenerit.50.a.
 ejus fidelitas.50.a.
 an capita Bibliorum diſtinxerit.51.a.
 an autor librorum Paralipomenon.54.b.
 ejus duo libri.55.a.
 an Propheta dici debeat.55.a.
 liber tertius & quartus.
 quartus.34.b.49.b.81.a.83.a.
 ejus mors.62.b.

Eſſentia divina unitas.258.b.
 alia eſſentia eſt increata & infinita, alia creata & finita.260.b.
 Uſus doctrinæ de eſſentia divina unitate.259.a.

ἔλεγχος negantium Deum eſſe unum, tam in quam extra Eccleſiam.259.a.

Eſſentia unitas an tollat perſonarum Trinitatem.260.a.
 Deum unum eſſe & quo ad Eſſentiam & quo ad perſonam, quomodo probent Photiniani, p.261.a.
 Uſus practicus de Eſſentia unitate.264.a.

Eſſentia

Eſſentia quid ſit in divinis & in homine.347.a.
Eſſentia.353.a.
& creatura.412.a.
Eſtheris libri ſeptem poſtrema capita.77.a.
an à Ioſepho addita.77.b.
pugnant cum Canonico libro Eſtheris.78.a.
& cum veritate hiſtorica.79.a.
Ἐνυπόστατον.426.b.433.a.
Ethnicorum operum defectus.253.a.b.
Salus à nonnullis probatur.254.a.b.
Evagrius.256.b.
Evangelium.30.a.
precursoris Iude.118.a.
veritatis.160.a.
Matthæi an ſit Canonicum & an à Matthæo ſcriptum.153.a.
Evangeliſta an habuerint ſcribendi mandatum,19.a.
cur non omnes ſcripſerint.20.a.
an ſit tantum unus.98.a.
quaternarij numeri Evangeliſtarum typi.98.b. 99.a.
apparens contrarietas.99.a.
Autoritas in dubium vocatur.99.b.
Euſebius Pamphilus.38.a.
Eutyches.433.a.b.470.b.
Eutychianiſmus an ſequatur ex communicatione.515.b.
εἴσοδος εἰς δόξαν.483.b.
Exaltatio an ad I. genus communicationis referenda. 476.a. ſtatus.531.b. accipitur ſenſu Eccleſiaſtico & Biblico.531.b. ſubjectum.532.a.
accipitur tribus modis.532.a.
propriè non competit ſecundum divinam Naturam.532.b.
infert plenariam communicatæ majeſtatis & dominii uſum.533.a. quid huc pertineat.ibid.
Antitheſis.533.a.
uſus practicus.534.a.
Exaltatio incarnationis, glorificationis.531.b.
an ſit φανέρωσις.533.b.
Exinanitionis ſtatus.526.a. ſumitur in ſenſu Eccleſiaſtico & Biblico.526.a.
facta non ſecundum divinam ſed humanam naturam.530.a.
eſt intermiſſio uſus.530.b.
quid huc pertineat.531.a. Patrum teſtimonia. 531.a.b.
an rectè deſcribatur per κρύψιν.533.b.
quomodo in hoc ſtatu Chriſtus dicatur omnipotens actu primo.534.a.
an quædam ignoraverit.ibidem.
Exiſtentia.412.a.
Exodus.52.a.
Extra Neſtorianum.449.b.450.a.
Ἐξουσία.491.b.
Ezechiel.62.b.

F.

Falſa Theologia 3.b.
Fauſtus Manichæus abjecit Evangelia.99.b.
Felix Orgelitan. Chriſtum ſecundum humanam naturam dixit eſſe filium adoptivum.462.b.
Fidei Mediatoris in V. Teſt.154.b.
Filiatio quadruplex.421.a.
Filiatio & ejus declaratio differunt.421.a.
Filij Prophetarum.66.a.
Filius an per eſſentiam bonus.304.b.
an pij Vet. Teſtam. in ipſum crediderint.388.a.
eſt verus Deus.393.a.
appellatur abſolutè.426.b. non adoptivus.426.b.
an ſit αὐτόθεος.427.a.
an rectè dicatur inſtrumentum Patris.427.a.
an Patre poſterior.427.b.
an à Patre genitus voluntate, an neceſſitate.428.a.
an generatio ipſius ſit propria, an vero metaphorica. p.428.a.
an filij generatio etiam poſſit vocari creatio.428.b.
an Pater ex ſua eſſentia generet filium.429.a.
an filius cogitatione à Patre ſit genitus.429.b.
Filius hominis cur Chriſtus dicatur.430.b.
patitur ὑπουργητικῶς.480.a. ἰδιοποιητικῶς.480.b.
λογιστικῶς ἐργετικῶς. θελητικῶς. *ibidem.*
συγχωρητικῶς.481.a.
an ſeipſum ſecundum carnem adſumtam exaltarit. p.485.a.
Fimbriæ in angulis palliorum Iſraelitarum imago Trinitatis.339.a.b.
Finis creati hominis.217.a.
divinæ patefactionis.217.a.b.
Finiti conditio.510.a.
Flaciani.433.b.
Fontium linguarum cognitio.123.b.
Forma ſervi.527.a.528.b. Dei.527.b.
Franciſcus Ieſus typicus.404.b.
Franciſcus Ruizius.41.b.
Fumus cordis piſcini.71.b.
Fundamentum aliud primarium; aliud ſecundarium. p.25.b.
Prophetarum & Apoſtolorum.26.a.

G.

Galatarum Pauli Epiſtola.102.b.
Galeatus Prologus.39.b.
Galenus de Dei omnipotentia.297.b.
Geneſeos liber quando à Moſe ſcriptus.15.b.
unde dicatur.51.b.
ejus diviſio.ibidem.
caput I. prohibitum ne quis ante annum.30.legeret. p.51.b.
Gentiles an habuerint ſcriptum Dei verbum.18.b.
Iuſtificatio ipſorum in V.T.152.a.
Germanica Lutheri verſio.210.b.
loca in quibus carpitur à Pontificiis.211.a.b.
Gloſſa ordinaria Autor.40.a.
Gloria & Majeſtas Dei qualis.327.b.
prædicatur.327.b.
Antitheſis.ibid.
an ſit aliquid ab ipſius eſſentia diſtinctum.ib.328.a.
an gloria infinita Chriſto homini communicatas 328.a.
uſus doctrinæ.328.b.
Chriſto in tempore data.490.b.
Gnoſtici repudiarunt Pſalmos.59.b.
Γραφὸν τοῦ θεοῦ.249.a.
Γυμναστία.532.b.
Græci textus in N.T. integritas.137.b.
corruptum eſſe aliqui probant.138.a.
corruptionis exempla.138.b.
T. Vet. Verſio.202.b.

H.

Habacuc.64.b.
Habel typus Chriſti.409.b.
Haggæus.65.a.
Hagiographa.31.a.
Hæreſium refutatio.154.b.

Hæreti-

Hæreticorum perverſitas.17.b.
ad ſcripturam provocatio.187.a.
an occidendi.333.b.
Hebraicarum literarum an hodiè nova ſit forma.50.a.
Hebraici textus in Vet. Teſtam. integritas.124.b.125.a.
non eſt corruptus Iudæorum malitiâ.125.a.
nec librariorum incuriâ.126.a.
abſurda ex corruptione conſequentia.126.b.
corruptionis duæ cauſa adferuntur.127.a.
exempla corruptionis.128.b.
Hebraica & Chaldaica lingua diverſitas.49.a.
Hebræorum Epiſtola.105.a.quòd ſit à Paulo ſcripta.106.a.
argumenta contraria.107.a.108.a.
Hermæ liber.80.b.
Paſter.118.a.
Heshuſii abſtractum.517.b.
Hierosolymitana Eccleſia.38.a.
Hiſtorici libri. Vet. Teſtam.31.b.
Nov. Teſtam.31.b.32.a.
Honorius Papa.524.a.
Honor divinus Chriſto tribuitur.425.a.
Hoſeas.63.a.403.b.
Hugo Cardinalis.40.b.
Hugo de S. Victore.41.a.
Humana Chriſti natura probatur.430.a.
Antitheſis.432.a.
impugnant. δοκῖται & φανταςικοί.432.a.
ἑτερούσιοι.433.a. ἄψυχοι.434.a.
ἀπαθεῖς.434.b. αὐταξιοδοκῖται.434.b.
an ſit nobis ὁμοούσιος.435.a. an ſit individuum.
435.b. an adſumſerit hominem 435.b.
an ſit λόγου inſtrumentum.436.a. an ſit creatura.436.a. an ſit noſter conſervus etiam in ſtatu gloriæ. ibidem. uſus.436.a.b.
an ὀνυπόστατος.441.b. an ſit Deus.512.a.b.
an tantum operetur humanùs.522.b.
Humiliatio incarnationis.526.a.
Hypoſtaſis λόγου carni communicata.446.a.
non eſt realiter diverſum à divina natura. p.448.a.
an opponatur divinis attributis 448.a.

I.

IAcobi Epiſtola.108.b.110.a.
Jacobitæ Armeni negarunt Dei veritatem.324.b.
Iconium.38.b.
Idioma quid.469.b. divina & humana natura.469.b. 470.a. τοῦ λόγου proprium.491.a.
divina idiomata aut omnia ſunt communicata, aut nulla.510.b.511.a.
perſonalium & eſſentialium communicatio an eodem modo ſe habeant 512.b.
ἰδιοποιΐα, ἰδιοποίησις.477.a.
Idola dicuntur Elohim.221.b.
Ieremias.62.a. Ieremiæ ignis.91.b.
Jehovah 219.a. appellatio.225.a. ſcriptio.225.b. pronunciatio.225.b. punctatio.226.a. origo.226.b. Etymologia & Expoſitio.226.b. myſtica explicatio.227.a. continet myſterium Trinitatis. 227.a. incarnationis.227.b. æternitatis.227.b. quietis.228.a. nominis Ieſu.228.a. an ſit ſoli Deo proprium ibidem.
nominis hujus proprietatio & natura.229.b. 230.a.
Antitheſis.230.b.
an vocetur Magiſtratus.232.a.
an tribuatur locis ſacris.234.a.
an ſit tetragrammaton tantopere celebratum. p.235.a.
imago Trinitatis.338.b.
Ieſus, etymologia.399.a.
Antitheſis.399.b.
Iudæi non legunt. ibid. an rectè ſcribatur Iheſus 400.a. quomodo ex Ieſchuah rectè formetur Ἰησοῦς *& latinum Ieſus.400.b. uſus.401.b.*
homonymia.403.b.
tribuitur etiam aliis. ibid.
Chriſto.404.a. derivatio nominis.404.b.
Ieſuah.404.b.
Ieſuitæ, an rectè faciant ſe à nomine Ieſu appellando.404.b.
communicationem naturarum negant.460.a.
idiomatum realem.470.b.
de Deo paſſo.478.a.
communicationem carni Chriſti factam ponunt verbalem.515.a.
doctrinam de Exinanitione & Exaltatione pervertunt.533.a.
Ignis ſacer.91.b.
Ignis imago Trinitatis.338.b.
Ignotus Deus.246.a.
Ἰησοῦς. 404.a.
Illuminationis neceſſitas in legendis ſacris 172.b.
Spiritus, alia mediata, alia immediata.174.a.
petenda interpreti Scriptura.214.a.
Imago Dei.269.b.
Imago Patris Filius.349.b.350.b.
Immanuel.407.a.410.a.
Immenſitas quomodo accipiatur.287.a.
Dei quomodo intelligenda.287.a.
probatur.287.b.
uſus practicus.295.b.
Antitheſis.288.b.
Immortalitas Dei probatur.283.a.
an vita Dei ab ejus eſſentia differat.283.b.
uſus practicus.284.a.
Impoſſibilia alia ſunt natura, alia naturâ.300.a.
Impletio omnium.497.b.498.a.b.
Immutabilitas Dei probatur.279.b.
an labefactetur per diſtinctionem voluntatis antecedentis & conſequentis.281.b.
an creationis opus faciat Deū mutabilem.281.b.
an opus incarnationis.282.a.
an pœnitentia.282.a.
an eventus prædictionum.282.b.
an libertas voluntatis. ibidem.
uſus practicus.283.a.
Incarnationis opus an faciat Deum mutabilem.282.a.
cur ſolus filius carnem adſumſerit.438.a.
opus hoc deſcribitur inumbratione.438.a.
an natura divina, an verò perſona ſit incarnata. 440.b.
an neceſſarium fuerit λόγον incarnari.441.b.
ejus quatuor actus.442.a.
an Spiritus Sanct. in inſtanti omnia formaverit membra corporis Chriſti.442.a.finis.455.b.
Antitheſis.456.a.
an Filius Dei incarnatus fuiſſet, ſi homo non peccaſſet.456.a.
cur opus incarnationis tam diu dilatum.457.b.
uſus practicus. ibid.
Fructus incarnationis.475.b.
an pertineat ad ſtatum Exinanitionis.531.a.
Incorporeus Deus.268.a.
Individuum dupliciter accipitur.354.a.435.b.
an ſit humana natura.435.b.

Ineſſe

Digitized by Google

Ineſſe requirit dici de aliquo.410.b.
Infinitas Dei probatur. 284.b. Infinitum Philoſophis quid.ibidem. ejus naturalis conditio.ibid modi finitatis.285.a.an ſolus Deus infinitus.286.b.
an attributum mere negativum.ibidem.
an Deus omnimodo infinitus.286.
uſus practicus.ibidem.
Inhabitatio corporalis.459.a.b.
Inſtrumentum Patris an ſit Filius.427.a.
aliud ſeparatum & ὄργανον, aliud unitum & σύνεργον.511.b.
Intellectio Dei. 337.a.
Interceſſio Chriſti.536.a.
Interpretatio S. Scripturæ.213.a.
ejus neceſſitas. ibid. ad quem pertineat.213.a.b.
Canones.213.a.
Inviſibilitas Dei probatur.272.b.
apparitiones Dei an cū ἀορασίᾳ pugnent.272.b.
beati quomodo Deum ſint viſuri.272.b.
non oculis corporeis ſed glorificatis.273.a.
uſus practicus.273.b.
Jobabus & Jobus an idem.56.a.
Jobi liber.15.b. ejus Autor.57.a.
appendix.69.b.
Jobus an fuerit Rex.56.a. &c.
an Moſe antiquior.57.a.b.ejus uxor.57.b.58.a.
Encomia.58.a. libri autoritas.58.b.
Ioel.63.b
Iohannes Theologus.97.a.b.
Evangelij occaſio.17.b.97.b.
viſiones.20.a.
hiſtoria cap.8. de adultera an ſit canonica.98.b.
Cap.21.an ſit Iohannis.98.b.
I. Epiſtola.104.b. II.& III. p.111.b.
an mortuus fuerit.207.a.
Iohan Ferus.41.a.
Iohan Philoponus.259 b.
Iohan Semeca Teuton. Gloſſæ Iuris Canonici autor.40.a.
Ioſua.52.b.399.a.b.403.b.
Iota.131. b.
Ira an Deo rectè tribuatur propter juſtitiam.312.b.
Ithiel vel Uchal.410.b.
Itinerarium Petri.118.b.
Iridis tres colores imago Trinitatis.338.b.
Iuda Epiſtola.112.a.
Iudæi an magis uſi fuerint traditione quàm verbo ſcripto. p.1:8.b.
de officio Chriſti errores 538.a.
Iudæorum R. qua ſit Scripturæ autoritas.23.b.
Iudex miniſterialis eſt vel publicus vel privatus.181.a.
principalis abſolutus & authenticus eſt Deus. p.181.b.
miniſterialis & inferior eſt Eccleſia.182.a.
controverſiarum. 181.a.
non eſt homo non renatus, aut ratio humana. p.184.a.
non Enthuſiaſta.184.a.
non Pontifex Romanus.184. b.
non Concilia.185.a.
non Patres.185.a.
Antitheſis Pontificiorum.185.b.
Photinianorum.188.a.
Calvinianorum.188.a.
Iudicis conditio.187.b.
Iudicum liber.53.a.
Iudiciaria Chriſti hominis poteſtas.493.b.
ſecundum quam naturam Chriſto data.486.b.
Iudicii adminiſtratio opus Chriſti hominis.504.a.
Iudith liber an Canonicus.73 a. 75.b.
Pontificiorum argumenta.76. a.
Iunilius Afer.41.b.
Iuſtitia Dei quomodo accipiatur.310.a.
erga Creaturas eſt quadruplex.310.a.
probatur.310.b.
Antitheſis.310.b.311.a.
num ratio humana ex virib.naturæ agnoſcat.311.a.
an in Deo ſit communicativa.ibid.
Iuſtitia ac miſericordia an Deo æqualiter inſunt.311.b.
an ſint ἄνομοι.312.a.
an Dei voluntas ſummæ juſtitiæ regula.ib.
an labefactetur illa inæqualitate quod bonis male,&c.312.b.
quod parentum peccata in liberis puniuntur. p.313.a.
uſus practicus.313.a.b.
Iuſtini expoſitio fidei de Trinitate homouſia.348.a.
Iſraelitæ quomodo in Moſen crediderint.369.b.
ἴτα.528.a.

K.

Κατ' ἄλλο.516.b.484.b.
Κῖν۞.528.b.
Κοινοποιΐα.521.b.
Κοινοποίησις.ibidem.
Κοινωνία ὀνομάτων.473.b.
Κοινωνία ἐνεργειῶν.521.b.
Κοινωνεῖν σαρκός.452.a.
Κράτιστ۞.193.b.
Κτίσις. 248.b.
Κύρι۞ an ſit Dei nomen proprium.237.b.

L.

LAicos debere ſcripturam legere.192.a.
probatur.192.a.
Antitheſis.197.a.
Laodicenum Concilium.36.b.
Lapis angularis.408.a.
Lectio appellatur compages librorum.S.13.b.
Lectionis Bibliorum fructificatio.194.b.
Legato an tribuatur nomen legantis.230.b.231.a.
Legales libri.31.b.
Laodicenſium Epiſtola.151.a.
Leges Moſis ſecundum Thalmud duplices.156.a.
Legis Dei ſcriptio juxta Rabinos.15.a.
Legis in corde ſcriptio.21.b.
Leo dicitur Chriſtus.408.a.
Leviticus.52.a.
Lex.30.a.
Liber bellorum Domini.15.b.47.b.
Iuſtorum.47.b.15.b.51.b. legis. 13.b.
Iehova.13.b. paſſionis Andrea.118.b.
vitæ.408.b.naturæ.241.a. ſcripturæ.242.a.
Libri Vet. & N.T.30.b.
deperditi an fuerint in Canone.151.a.
Prophetici.30.b.
Apoſtolici.31.a.
ex Canone amiſſi.47.b.
Sacri & Canonici differunt.48.a.
Libror. V.T. diviſio.31.a.32. a. diſtinctio.31.b.
Biblicorum diviſio.30.b.
Libertas voluntatis an faciat Deum mutabilem.282.b.
Lignum vitæ.408.b.
Linguarum trium præſtantia.201.a.

Lini

Lini ſcripta.118.b. de paſſione Petri & Pauli.ib.
Locorum communium principium cur à Deo inchoetur,
  cur à S.Scriptura.11.a.
  an ab Eccleſia incipiendum.ibid.
Locus quomodo Deo tribuatur.271.a. 293.a.
Λόγος. *420.a.b. unde Filius Dei ſic dicatur.16.a.378.b.*
  ejus præſentia in carne.295. a.
  cum propria ſua carne eſt ſecunda Trinitatis perſona.447.b.
  an ſit ita totus in carne ut etiam totus ſit extra illam. 449.b.
  poſt incarnationem non amplius à Iohanne ita appellatur.451.a.
  an ſimul & ſemel animam & corpus adſumſerit, an verò animam immediatè, corpus verò mediatè. 454.a.
  ἔνσαρκος *& Deitas* τοῦ λόγου *differunt.482. b.*
  Λόγος *vita an ſit paſſus.ibid.*
Λοιπά.*1.Corinth.11.161.a.*
Lombardus. de ubiquitate Chriſti.519.a.
Luca Evangelium. 96.b.
  an in Canone.97.a.17.b.
Lutheri convivales ſermones.55.b. 60.b.
  quo ſenſu Iobi librum fabulam appellarit.55.b.
  an Jacobi Epiſtolã appellarit ſtramineam.109.a.
  de Apocalypſi ſententia.117.b.
  an odio habuerit nomen homouſiu.349 a.
  quod de voce hypoſtaſees Hieronymus ſcripſit, Lutherum de voce homouſiu ſcripſiſſe puta. p.352.a.
Lux vocatur Deus.314.b. Chriſtus.408.b.
Lux in I. cap. Geneſ. quinq; vicibus appellata quid ſignificet.52.a.

M.

MAccabæorum liber I. & II. p. 90. a. Secundus. 90.a. III. & IV.68.b.
Maccabæorum αὐτοχειρία. *92.a.*
Magiſtratus an vocetur Jehovah.232.a.
Mahumet.426.b.
Mahumetani de Chriſto crucifixo.478.a.246.b.
Maimerah.16.a.
Μακάριος.*329.a.*
Malachias.65.b.
Malum culpa & pœna.323.a.
Manaſſis captivitas.74.b.
Manes.259.b.
Manus Dei.497.b.
Manichæi rejecerunt omnes V. T. libros.66.b.
  Evangelia. 99.b. Acta.100.b.
  non rectè ſentiunt de Dei omnipræſentia 288.b.
  duo ſtatuunt principia.276.b.303.b.
Marcellini.275.a.
Marci Evangelium.96.a.b. ultimum caput.96.b.
Marcion.259.b.
Marcionita.303.b.
Mariæ virginitas.153.b.
Martiani conſtitutio.333.b.
Marſilia Epiſcopi.41.a.
Maſoræ cuſtodia.126.a.
Matthæus quando ſcripſerit.95.b.18.b.19.a.
  Evangelium ipſius.95.b.
  cujus ſit verſio.96. a.
Mediator Chriſtus.407.a. cur homo, cur Deus.413. a.
  duplex ipſius reſpectus.426.a.
  ſecundum utramq; naturam.536.b.
  Antitheſis.538.a.
Medinum congruentia.424.b.
Μεγάλη προθήκη.*483.b.*
Melchiſedec.410.b.
Melito.37.b.
Memelanſnus.50.b.
Memoriæ humanæ imbecillitas.17.a.
Menno.433.a.
Menſura veritatis & operum.144.a.
Mentis noſtræ imbecillitas.173.a.
Mentis tres operationes imago Trinitatis.338.b.
Meſſias. 405.b.
  varia ejus nomina in Thalmud.415.a.
  mittitur à Spiritu S.389. a.
  diſtincta eſt perſona à Patre.388.b.
  ejus promiſſio.387.
  cur dicatur ſalvatus.401.a.
Μετάδοσις.*483. b.*
Μετάληψις θείας ἀξίας.*483.b.*
Μεταποιΐα *ſpiritualis.521.a.*
Μεταποίησις.*483.b.*
Metaphyſica.1.b.
Methiſta. 433.b.
Μετοχὴ θείας ἐξουσίας.*483.b.*
Meus, vox fidei.417.a.
Micheas.64.b.
Michaelis altercatio cum diabolo 112 b.
Milites Ieſu.404.b.
Miniſterii conſtit[illegible] opus Chriſti hominis.503.a.
Miracula Chriſti non omnia deſcripta.159.b.
  eorum principium.502.a.
  tribuuntur Chriſto.424.a. homini.502.a.
  an Chriſtus potentiam illam miracula faciendi aliunde acceperit.424.a.
Miſericordia unde dicatur.307.a.
  quomodo Deo tribuatur.307.b.
  an ipſi denegetur, quando dicitur legem à renatis non poſſe perfectè impleri.308.b.
  an ſit prorſus abſoluta.309.a.
  Uſus.309.a. Speculum.ibid.
Μονάς.*353.a.*
Μονογενής.*361.a.*
Monophyſitæ.524.a.
Monotheletæ.524.a.
Mopſveſtanus de Prophetis.66.b.
Mortis imperium meu ſex priores Patres.15.a.112.b.
Μορφὴ.*346.b.527.a.*
Moſes.31.a. cur ſcriptionis ſuæ initium fecerit ab hiſtoria creationis.51.b.
Mutationis modi quinq;.279.b.
Myſteriorum divinorum dignitas.164.b.

N.

NAbuchdonoſor.73.a.
Nahum.64.b.
Nativitas Chriſti hominis interna & externa.531.a.
Natura Dei Doctrina neceſſitas, utilitas, difficultas. p.317.a.
Natura in Chriſto ſunt duæ. 407.a.
  Photiniani negant.411.b.
  an ſint in Chriſto contraria.412.a.
  quid ſtatuendum de ſimilitudinibus quibus unio duarum naturarum declaratur.412.b.
  Uſus conſolatorius.412.b.
  naturæ unitæ ſunt ſibi invicem præſentiſſimè præſentes. 446.b.
  eſt intima ipſar. περιχώρησις.*446.b.*

adſumpta an manent extra Trinitatem.447.b.
448.a.
cur natura non prædicetur de natura.467.a.
nec in abſtracto.ibid.
Naturalis Theologia.4.a.
Nazianzenus.38.b.
Nazianzum 38.b.
Neſſium, alii priores, alii poſteriores.31.a.
Neceſſaria an non omnia contineantur in Scripturis.151.b
Nehemias.55.a.
Neronis conſcientia.249.b.
Neſtorius perſonales propoſitiones repudiavit.462.b.
de Chriſto paſſo.478.a.
Nicephorus.39.a.
Nicolaita Pſalmos repudiarunt 59.b.
Noah typus Chriſti.409.b.
Nolens & non volens differunt.321.b.
Nomina Dei Rabinica.239.a.b.
Nomen duodecim literarum.226.b.
42.literarum.ib. 72.literarum.227.a.
Nomen Chriſto homini datum.532.b.
Nominum divinorum variæ diviſiones.224.b.
de divinis nominibus obſervationes.ibid.
decem Dei nomina.225.a.
Non recipere & rejicere an differant.44.a.
Norma & regula controverſiarum.174.b.
norma conditio.177.b.
Notiones in Deitate.335.b.
Notitia alia literæ, alia Spiritus.164.b.170.a.174.a.
Notitia Dei naturalis & imperfecta.240.b.
revelata.241.a.
naturalis eſt vel innata, vel acquiſita.241.a.b.
naturalis negatur à nonnullis.242.b.
Status quæſtionis de naturali Dei notitia. 242.b.
243.a. eſſe aliquam naturalem Dei notitiam
probatur.243.a.b.249.b.250.a.
Antitheſis.250.a.
conſideratur vel abſolutè vel comparatè.251.a.
an ad ſalutem ſufficiens.251.a.b.
uſus.255.a. triplex.reſp.gentilium.255.a.
Novi Teſt.libri, an alii Canonici, alii Apocryphi.94.a.
Numeri.52.

O.

OBadias.64.a.
Obſcuriora explicanda per clariora. 214.b.
Oculi tribuuntur Deo.314.b.
Odium in Deo aliud eſt abominationis aliud inimicitiæ.
p.308.a.b.
Officium Chriſti triplex, Propheticum.535.b.
Sacerdotale.ibid. Regium.536.a.
uſus practicus.540.
Οἰκονομία.410.a.
Οἰκείωσις.477.a.
Ὁμοούσιος.347.b.348.b 349.a.
Ὁμοιούσιος.348.a.349.a.
Ὁμοίωμα ἀνθρώπων.529.b.
Ὁμοίωμα.527.a.
Omnipotentia Dei probatur.296.b.
Antitheſis.297.a.b.
an Deus rectè dicatur non poſſe contraria.300 a.
an in articulis fidei hinc argumenta ducenda.301.b.
an ita Deo ſint propria, ut nec aſſumtæ humanæ naturæ communicetur.302.a.
an poſſit agere in non ens.302.b.
an Deus poſſit melius facere, quàm quomodo fecit.
p.302.b.
Exegeſis.
ut præterita contingentia non fierent. ibid.
Vſus.302.b.303.a.
Omnipotentia Chriſto homini data.491.b.
quo ſenſu Chriſtus homo omnipotens dicatur actu
primo in ſtatu exinanitionis.534.a.
Omnipræſentia, an ſit eadem cum divina eſſentia immutabilitate.292.a.
accipitur & radicaliter & relativè.ibid.294.a.
an ejus cauſa ſit unica divina eſſentia immenſitas.
p.292.a.
an inferatur ex operatione in rebus omnibus.
p.293.b.
an rectè dicatur Deus exiſtere extra mundum in
ſpacio imaginario.294.a.
uſus practicus.295.b.
Omnipræſentia Chriſti hominis.292.b.494.a.
an rectè dicatur in omnibus locis præſens.293.a.
argumenta contraria. 513.a.
alia eſſentialis, alia perſonalis.ibid.
Omnipræſentia Chriſti hominis an pugnet cum ejus conceptione, nativitate & morte. 513.a.b.
an cum Sacramento Euchariſt.cum teſtimoniis Patrum.514.a.
cum Scriptura dictis de Chriſti ubi.ibid.
Omnipræſentia Chriſti quandoq; ſumitur de dominio
præſentiſſimo.494.b.
alia eſt intima, alia extima.ibid.
quatenus exaltationi demum ſecuta.ibid.
a quibuſdam in duplici ſignificatione ſumitur.
p.495.a.
Omnipræſentia Chriſti hominis, hoc eſt, præſens ac omnipotens in cœlo & terra dominium probatur.
p.495.a.
an fundamentum ejus ſit unio perſonalis.495.a.
principia ejus ſunt poteſtas, voluntas, Eccleſiæ neceſſitas. 500.b.
Patrum hypotheſes.500.b.
Omniſapientia Dei differt ab omniſcientia.317.a.
qualis ſit.317.b.
probatur dictis ſcripturæ.317.b.
Antitheſis.318.a.
Sapientia an propriè Deo conveniat.318.a.
an ulli rei creatæ.318.b.
uſus practicus.318.b.
Omniſcientia Dei an labefactetur, quando dicitur oblivisci peccatorum noſtrorum deſcendere & videre. 316.a.
an non cognoſcat Deus infinita.316.a.
an dubitativè, fortè & forſan.ibid.
an tollat arbitrii humani libertatem.316.b.
uſus practicus.ibidem.
probatur omniſcientia Dei.314.b.315.a.
Antitheſis.315.a.
Omniſcientia hominis Chriſti.519.b.520.b.
Occam.41.a.
Ὀνόματα.1.a.
Opera Dei, quæ Chriſto tribuuntur.422.b.
ſunt in duplici differentia.423.a.
ὀργανικὰ quomodo Chriſto tribuantur.ibid.
Opera Trinitatis triplicia.437.a.
Operare Dei duplex.240.b.
Oracula V.T. de vero Deo in Chaldaica paraphraſi accommodantur ad Meſſiam.415.a.
Oratio Manaſſis.69.a.
Orationis Dominicæ clauſula. Matth. an ſuperflua.
p.140.a.
Origenis argumenta pro textus Hebraici integritate.
p.128.a.

Coc P. Tanim.

INDEX IV.

P.

PAnim.346.a.

Panis vita Chriſtus.408.b.

παντοδυνάμιας Chriſto homini communicata tres ſpecies.491.a.

Paralipomenon duo libri.54.b.

παράστασις.444.a.

Paranetici libri.31.b.

Paræus an Neſtorianiſmum à ſe depellere poſſit.525 a.

Particula προσδιοριστικαὶ diſtinctiva an ad ſubjectum, an verò ad prædicatum referenda. 474.a.b. 477.b.

- *in ſecundo genere communicationis quomodo differant à primo.484 a.*

Paſſio Chriſti an ſit tantũ humana natura.478.b.479.a.b.

- *qua ratione tribuatur Filio Dei.480.a.b.*
- *an Chriſtus ſecundum utramq; naturam ſit paſſus,licet non ſecundum divinam.481.a.*

Paſchatis celebratio die Dominico.154.a.

Paſtoris liber.118.a.

Patefactiones divinæ in Vet. Teſtam. varij modi.14. a.

- *finis.2:7.a.b.*

Patientia Dei.306.a.b.

Pater quid.262.a.

- *dicitur prima perſona Trinitatis.263.b.*
- *an ſit cauſa filij.427.b.*

Patrum dicta de Scriptura autoritate.27.b.

- *de libris Canonicis,& eorum cuſtodia.35.b.*
- *ipſorum libri a Pontificiis corrupti.41.b.42.a.*
- *commentarii.171.b.*
- *judicium an ſit infallibile.185.a.*

Pauciora explicanda ex pluribus.214.b.

Paulus gentium Apoſtolus.107.b.

Pauli Epiſtolæ ſcriptæ partim ante captivitatem, partim in captivitate.32.a.101.b.

- *Acta.118.a. Epiſtolæ tredecim. 101. a.*
- *ejus Encomia.101.a b.*
- *quando ſcripſerit Epiſtolas.101.b.*
- *a quibus rejectæ.101.b.*

Pædobaptiſmus.154.a.

Paal Chriſtus.407.b.

Peccatorum mundatio opus Chriſti hominis.503.b.

Perfectionem Scripturæ Pontificij negant.142.a.b.

- *perfectam eſſe demonſtratur.142.b.*
- *Antitheſis Pontificiorum.150.b.*

Perfectio an alia ſit debita alia indebita.143.a.

Perfectio Dei qualis.325.b. probatur.326.a.

- *Antitheſis.326.b. cur Deus dicatur omnia feciſſe propter ſeipſum. ibid.*
- *cur ab homine requirat obedientiam.ibid.*
- *Creata quomodo ſint in Deo.326 b.*
- *uſus practicus.327.a.*

Pelargi abſtractum & concretum.517.a.

πεντάτευχον.52.b.31.a.

περίφρασις.521.b.

περιχώρησις.355.b.446.b.447.a.

Perſona.353.b.412.a.

- *vocis ſignificatio.350.b.*
- *Etymologia.353.b. origo.ibid. quid.354.a.*
- *Antitheſis.354. b.*
- *ab eſſentia quid differat.351.b.*
- *in Chriſto eſt una.447.b.*

Perſona Chriſti & duæ naturæ an differant.453.b.

- *τοῦ λόγου an ſit unita natura humana.454.a.*

Petri Epiſtola I. p.103. b. II.p.110. b.

- *Acta & Evangelium.118.a.*

Petrus Abslard. de Dei omnipotentia.298.a.

Petilianus de Timotheo.103.a.

φανέρωσις ἐν σαρκί.451.b.

Φανταστικοί.432 a.

Phariſæi.156.a.

Philaſtrius.40.a.

Philemonis Epiſtola à Paulo ſcripta.103. b.

Philippenſium Epiſtola.102.b.

Philo qua occaſione ſcripſerit librum Sapientiæ.81.b.

- *ipſius laus.82.a.*

Philoſophica Theologia.3.b.

Philoſophiæ tres partes imago Trinitatis.338.b.

Photiniani labefactant Dei veritatem.325. a.

- *V. T. libris parum tribuunt.66.b.67.a.*
- *ut & Prophetis.67.a.*
- *rejiciunt Cap.I. Iohannis.99.b.*
- *Evangeliſtas memoria labi potuiſſe ſtatuunt.100.a.*
- *doctrinam de Scriptur. perſpicuitate corrumpunt. p.172.a.*
- *de judice controverſiarum.188.a.189.b.*
- *ipſorum emblemata.190.a.*
- *nullo modo verum eſſe poteſt,cui ratio humana repugnat.190.a.*
- *nihil credendum quod rectæ rationi adverſatur. ib.*
- *Ratio Scripturæ non eſt contraria.ibid.*
- *Religio nihil habet contra rationem.119.b.*
- *Theologicè verum non poteſt falſum eſſe Philoſophicè.ibidem.*
- *ipſorum argumenta. ibid.*
- *negant naturalem Dei notitiam.242.b.*
- *neg. ſcripturæ perſpicuitatem.171.b.*
- *unicam fidei normam.181.a.*
- *judiciariam poteſtatem.188.a.*
- *Trinitatem.260.a. 261. a.*
- *Dei omnipotentiam.298.b.*
- *Miſericordiam.307.b.*
- *Juſtitiam.311.a.*
- *Omniſcientiam.315.b.*
- *Sapientiam.318.a.*
- *Trinitatis myſterium eſſe neceſſarium ad ſalutem. p.332.a.*
- *an ſalvis ſuis hypotheſibus poſſint noſtram de divinitate confeſſionem non eſſe errorem damnabilem adſerere.333.a.*
- *Trinitatis myſterium Scripturæ autoritate deſtrui adſerunt.335.b.355 a.357.b.*
- *negant Deum vocari poſſe ἐκ ἰαν.347.a.*
- *quomodo perſonam definiant.354. b.*
- *contra Trinitatem argumenta.396. b.*
- *impugnant dogma de duab. naturis in Chriſto.411.b.*
- *negant Chriſtum verum eſſe Deum.413.b.*
- *de Filij Dei filiatione.421.a.*
- *negant Patrem genuiſſe ex ſua ſubſtantia.429.a.*
- *impugnant humanam Chriſti naturã.433.b.434.b.*
- *de unione perſonali. 450.b.*
- *ſtatuunt contra officium Chriſti Propheticum Sacerdotale, Regium.539.a.*

Phraſium Idiotiſmi ex fontibus eruendi.214.b.

Piorum glorificatio opus Chriſti hominis.504.a.

Pipi.225.b.

Plato quando vixerit.62.a.b.

- *de virtutibus cardinalibus.82.a.*

Plenitudo Deitatis.490.b.

πλήρωσις.483.b.

Pluralis numerus an de Deo uſurpetur honoris cauſa. 373.b.375.a.b.

Pænitentia an faciat Deum mutabilem.282.a.

- *ejus cauſſa.282.b.*

ποιήματα.429.a.

Pontifex Romanus an ſit infallibilis controverſiarum Index.184.b.186.a.

Ponti-

Pontificii diſtinguunt inter verbum Dei ſcriptum & non ſcriptum, ſed malè.13.a.
locorum communium principium ab Eccleſia ſumunt.11.a. de Scriptura autoritate.23.b.28.b.
verbum ſcriptum odio habent.18.a.
negant Evangeliſtas & Apoſtolos habuiſſe ſcribendi mandatum.19. a.
docent Scripturæ autoritatem ab Eccleſia pendere.23.b. 28.b.
ipſorum de diſcrimine librorum Canonicorum & Apocryphorum error.33.a.43.a.
arguunt Scripturam imperfectionis, quod Canonici aliqui perierint.47.b.
Tobiæ librum canonizant. 72. b. Iudith.73.b.
Eſtheris ſupplementum.80.a.
Sapientiæ librum.84.b.
Eccleſiaſticum.86.b.
Baruch.88.b.
Danil · additamenta.90.a.
Maccabæorum libros.93.a.
Editionem vulgatam.124.a. 208.b.
Hebraicum textum corruptum ſtatuunt.127.a. ut & Græcum textum.138.a.
Scripturæ perfectionem negant.150.b.
Traditiones commendant.158.a.
probant.159.a.b.163.b.
negant Scripturæ perſpicuitatem.169.b.
negant ipſam unicam normam fidei.179.b.
negant judiciariam Scripturæ poteſtatem.185.b.
prohibent Laicis Scripturæ lectionem.194.a.197.
verſiones improbant.198.b.
repudiant Lutheri verſionem Germanicam. 210.b.211.a.
notitiam naturalem ad ſalutem ſufficere ſcribunt.251.b.253.b.
gentilibus ſalutem tribuunt.251.b.
ipſorum diſtinctiones.43.a.
Argumenta quibus probant Apocryphos libros eſſe Canonicos.44.b.
labefactant Dei miſericordiam.307.a.
Iuſtitiam.311.a.
negant myſterium Trinitatis ex Scripturis probari poſſe. 332.a.b.
de forma unionis perſonalis.448.a.
negant realem communicationem idiomatum divinorum carni Chriſti factam eſſe.507.b.
omnipotentia.508.a.
poteſtatis faciendi iudicium.508.b.
omnipræſentia Domini.ibid.
cultus adorationis religioſa.ibid.
an eadem ſentiant nobiſcum de omniſcientia Chriſti.520.b.
Stancari errorem ſequuntur.538.b.
circa officii mediatoris partes graviſſimè errant. p 538.b.
Potentia Dei an rectè dicatur infinita.299.b.
an diſtinguatur a voluntate Dei.ibid.
an differat potentia Dei ordinaria & abſoluta. 301.a. Chriſto data.491.b.
Prædicatio ἰδιοποιητική.477.a.
Prædictiones cum non eveniunt, an faciant Deum mutabilem.282.b.
Præſentia divina modi & gradus.294.b.
an gradus iſti tantùm operationibus diſtinguantur.295.a. λόγου in carne.293.a.
carnis Chriſti ad λόγον.494.a.
πανταχόπου ad omnes creaturas diſtinguenda à præſentia carnis ad λόγον.494.b.
alia localis & naturalis, alia perſonalis.913.a.
Exegeſis.

Precum oblatio.72.a.
Primogenitus omnis creaturæ.423.b.
Principium.418.b. Theologiæ.4.b.
Principij proprietates.4.b.5.a.
Prochori hiſtoria.119.a.348.a.
Prophetia Rabinis quid.31.a.
Propheta noſter Chriſtus. 535.a. b.
Prophetici officii duæ ſunt partes functio docendi, & doctrinæ efficacia. 535.b.
Prophetarum genera quinq;.14.a.
Prophetæ & Apoſtoli principalia tantum ſcripſerunt, quæ poſtea viva voce latius explicarunt.13.a.
Prophetæ minores.63.a.
Prophetarum in tres claſſes diſtributio.65. b.
tria ipſorum genera 66.a.
Prophetarum filij.ibidem. Officium.66.a.
Videntes. ibidem. doctrinæ ipſorum diviſio.66.b.
a quibus rejecti. ibid.
Prophetici libri. 61.b. eorum diſtinctio.31. b.
an in conflagratione urbis Hieroſolymitanæ fuerint conſumti, ac per Eſdram reſtituti.48.a.b.
Propoſitiones perſonales.461.a.b.
ex termino ad quem explicanda.462.a.
cur perſonales.462.a. exempla ibidem.
Antitheſis.462.b.
an ſint propriæ & regulares.463.b.
an eſſentiales & univocæ. 463.b.
an accidentales.464 a.
an identicæ.464.b.
an κατ' ἄλλο & ἀλλοίωσιν.463.a.
an figuratæ & tropicæ. 465.b.
an Synecdochicæ.465.b. an cauſales. 466.a.
an in iis ſubjecti loco ponatur hyphiſtamenon. p.467.a.
an diſparata de ſe invicem prædicentur. 467.b.
an paronymicæ & denominativæ.468.a.
uſus practicus.469.a.
Propria an poſſint communicari.510.a.
Proprietates Deitatis.355.b.
προσιέχειν.148.b.
πρόσωπον.352.b.
Protevangelium Jacobi.119.a.
Protocanonici libri.39.b.43.b.
πρωτότυπος Theologia.3.b.
Provectio humanæ naturæ in Chriſto.483.b.
Proverbia Salomonis.60 a.
Pſalterium.58.b. Pſalmor. tres claſſes. ibid.
'gaorum.10. autores.59.a. numeri.59.a.
Græcorum & Latinorum error in dividendis Pſalmis.16.a.b. ſeptem Pſalmor. genera.59.b.
Hebræi in quinq; libros dividunt.ibid.
à Gnoſticis & Nicolaitis repudiati.ibid.
Encomium. ibid.60.a.
Pſalmi.31.a.b.
Pſalmus.151.p.37.a. 59.a. 69.b.
Ptolomæus ac lege Moſis.52.b.
Ptolomaita.52.b.
Puncta vocalia an ſint recens inventum.127.b.
an Codici Biblico coæva hoc probatur.131.a.
eorum natura & conditio.132.a.
ambiguitates ex punctorum omiſſione ortæ.132.b
omiſſio in hodiernis Judæorum ſcriptis.136.b.
ſuppreſſio.136.b.
Chaldaica quorundam appellatio.137.a.
Hieronymus nullam facit eorum memoriam. ibidem.
Puncti τῦ ש conditio.136.a.
Purgatorium.154.a.

Q.

QVærere Dominum. 246.b.
Quadrageſimale jejunium.156.b.158.b.
Quartadecimani.154.a.
Quaternarius numeri Evangeliſtarum typi.98.b.

R.

RAbanus Maurus.40.b.
Rabinorum regula de Prophetarum ortu.63.b.
 aureolum de Scriptura.187.b.
Radix Hebræa trilitera imago Trinitatis.338.b.
Rapinam non duxit.528.a.
Rationabiliter an Chriſtus docuerit.191.a.
Ratio humana an ſit Theologiæ principium.5 b.
 ejus cæcitas.173.b.
 an & quatenus pugnet cum Scriptura.190.b.
 an myſterium Trinitatis evertat.340.b.
Rationi quid adverſatur, an credendum.190.a.
 an verum.ibid.
 an Scriptura ipſa ſit contraria.190.b.
Reciprocatio an in II. genere communicationis locum habeat.484.a.
Redemtor Chriſtus.407.b.
Redemptio Chriſto tribuitur.424.b.425.a.
 Chriſti hominis opus.503.a.
Reditus Chriſti ad judicium, an opponatur apud nos præſentiæ.519.b.
Relationes in Deitate.355.b.
Regium Chriſti officium.499.b.
 adminiſtratur ſecundum utramq; naturam.536.a.
Regnum Chriſti eſt vel hujus vel futuræ vitæ.536.a.
 in hac vita eſt regnum vel potentiæ vel gratiæ.ibid. in futura Gloriæ.536.a.
Regnare Chriſti.489.b.
Regum duo libri.54.a.
Regula totalis & partialis.143.b.
Remedium pro fœminis contra peccatum originale 151.b.
 pro maſculis ante octavum diem morientibus.p.152.a.
Res in Scripturis traditæ an obſcuræ.170.b.171.a.
Reſuſcitatio mortuorum opus Chriſti hominis.504.a.
Rex noſter Chriſtus.535.a.
Richard.de S. Victore.41.b.
Ritus Eccleſiaſtici quatenus in ſcripturis traditi.142.b.
Romanorum Pauli Epiſtola.101.b.
 cur & ubi ſcripta.ibid.
Radulph. Flaviacenſ.40.b.41.a.
Rubus ardens, & non conſumptus.231.b.
Ruth.54.b. an fuerit filia Regis.53.b.
 ejus liber.53.b.

S.

SAducæi.52.b.35.b.
Sacramentorum inſtitutio.154.b.
Sacerdos noſter Chriſtus.535.a.b.
Sacerdotalis officij partes duæ, ſatisfactio & interceſſio.p.535.a.
Salamin.38.b.
Salvator mediatus.399.b.
 nomen ipſius an etiam in V.T. ipſi fuerit tributum.400.b.
Salvatio Chriſto tribuitur.425.a.
Samaritani.59.b.52.b.
Samoſateni error.460.a.
 de Chriſto Pſalmos ſuſtulit.59.b.
Samuelis duo libri.53.b.
Sanabiles de Scripturæ autoritate quomodo convincendi.23.a.
Sapientia an ſit Theologia.2.b.
 ejus conditiones.2.b.
 alia activa alia contemplativa.2.b.
Sapientiæ liber.11.b.38.a.39.a.41.b.81.b.84.a.
Sardicenſis Eccleſia.38.a.
Σάρκωσις.445.b.
Satisfactio Chriſti.535.a.
Σχῆμα.432.b.527.a.530.a.
Schechinah.346.a.
Scholaſticorum opinio de propoſitionibus perſonalibus.p.462.b.
Schwengfeld.433.b.434.a.
Scientia an ſit Theologia.2.a.
 Dei alia generalis, alia ſpecialis, alia Theoretica, alia practica.314.a.
Scriba Stylus.14.b.
Scribarum correctiones.127.b.
Scribendi præceptum.20.a.b.
Scriptionis ſacrorum Bibliorum Autor.11.a.b.
 mandatum.14.b. internus impulſus.14.b.
 augustum initium.15.a.11.a.
Scriptura S. ὀνοματολογία & quidem ἐτυμολογία.11.a.
 principium.11.a. cur ſacra.11.a.b.
 homonymia.11.b.
 accipitur γενικῶς pro omnibus libris in ſacro codice, vel εἰδικῶς pro ſolis Canonicis.ibid.
 nomine illo non tam formale quàm materiale intelligitur.12.a.
 an Romana Eccleſia ſit prior.12.a.
 inter verbum Dei & Scripturam ſacram an ſit reale diſcrimen.12.a.
 minus rectè diſtinguunt Pontificii.13.a.
Script.Sacra Synonymia.13.a. Elogia.13.b.
 cauſa efficiens & quidem principalis.13.b.
 inſtrumentales.16.b. cur ſcripta.16.b.
 ejus Autoritas.22.b. neceſſitas.18.a.
 Pontificiorum ſententia.23.b. autoritas non niſi una.24.a. proprium adjunctum.25.a. effectum.27.a. autoritas ex Patribus probatur.27.b. ab Eccleſia pendere Pontificij probant.28.b. conditio & qualitas.29.a.
 materia.30.a. diſtributio.30.b. Scopus.30.a.
 libri Apocryphi qua ratione a Patribus nominentur.47.a.
 Pontificis Imperfectionem unde probent.47.b.
 finis.140.b. Encomia.141.a. efficacia.141.b.
 effectus.141.b. perfectio.142.a.154.b.
 proponit nobis omne conſilium Dei.143.b.
 ei nihil addendum, nihil detrahendum.144.a.
 forma interna.119.b. externa.ibid.120.a.
 ſermonis genus.120 a.
 ſtylus ſimplex majeſtatis plenus.120.a.
 cauſa ſimplicitatis.120.b. Antitheſis.121.b.
Scripturam eſſe divinam qualis ſit quæſtio.152.b.
 intelligentia.153.a. interpretatio.153.a.b.
 perfectionem labefactant Calviniani, Photiniani.154.b. VVeigeliani.155.a.
 an naſus cereus & regula Lesbia.179.b.
 Perſpicuitas.165.a.
 adverſariorum ſuffragium.169.a.
 Antitheſis.169.b.
 eſt regula & norma controverſiarum & dogmatum.174.b. commendatio.179.a.
 Antitheſis Pontificiorum.179.b.
 Calvinianorum.181.a.
 VVeigelianorum.181.a. Photinianorum.ibid.

Index

Iudex controverſiarum.181.a.
imperfectio.186.a.
objectum.192.a.
verſiones.197.b.
Antithesis.198.b.
lectio an ſit cauſa errorum & hæreſium.
ſcandalorum. 200.a. interpretatio.213.a.
ſenſus ex ipſa Scriptura eruendus, 213.b.
ſit interpretatio fidei analoga.214.b.
propria & literalis.215.a.
conſulendi interpretes veteres & recentiores. 215.b. uſus.216.a. definitio.216.b.
Scriptorum nothorum tres characteres.28.a.
Sethi Scripta.15.a.
Secundus homo Dominus de cœlo.138.b.
Secundinus Manichæus.280.b.
Senſus tres interiores imago Trinitatis.338.b.
Separabilia an realiter diſtinguantur.363.b.
Septenarius numerus.118.a.
Septuaginta Interpretes.202.b.
Seſſio ad dextram Dei.496.a. in cœlo.497.a.
Severi Monachi legati.481.b.
Servetus de Dei perfectione 326.b.
Simplicitas Dei, 273.b. Antithesis.274.a.
an ei repugnent vocabula concretiva.275.a.
adſerere, quod Deus ſit omnium Entium.ibid.
Trinitatis perſonarum.275.a.
diſtinctio antecedentis & conſequentis voluntatis. 275.b. uſus practicus.ibid.
Siracidis lib.86.a b.38.b.39 a.
an ſit Salomonis.86.b.
Siclorum Iudaicorum cum Samaritana literatura conformitas 51.a.
Similitudines Calvinianorum, quibus declarant unionem perſonalem.450.a.b.
quibus pii Veteres explicarunt.455.b.
Simonidis hiſtoria. 256.b.
Simon Magus.52.b.
Sodomorum everſio an etiam Filio tribuatur.392.a.
Sol imago Trinitatis.338.b.
Sol Chriſtus.408.a.
Sophonias.65.a.
Sophia.1.b.2.a.
Σωματικῶς. 459.a. 487.a.
Σωτήρ.399.a.
Spiritualitas an attributum Dei. 268.a.
Spiritus Sanctus, Rabinis quid.31.a.
an ſit Deus. 268.a. 271.a. an perſona. 362.a.
deſcenſus ejus.362.b.
in Baptiſmo invocatio.367.b.
Spiritus Domini 387.a.
an Pater Chriſti.439 b.
triplex ejus operatio in Chriſti incarnatione.439.b.
non ad menſuram Chriſto datus.490.a.
ejus miſſio & effuſio opus Chriſti hominis.503.b.
Speculum Miſericordiæ Dei.309.a.
Sponſus Chriſtus 407.b.
Subjectum quod & quo.523. b.
Subſtantia.353.a.
Suppoſitum.453.b.
Suppoſititiorum ſcriptorum indicia quatuor.118.b.
Suſtentatio humanæ naturæ à λόγῳ. 449. a.
Surſum.497.a.
Suſannæ hiſtoria. 88.b.
Stancarus Chriſtum ſecundùm humanam naturam eſſe Mediatorem ſtatuit 538.a.b.
Stella Chriſtus.408.b.
ςιφάνωσις μεγαλοσύνη ἐν ὑψηλοῖς.483.b.
ςοιχεῖν.175. a.
Stoici Miſericordiam Dei labefactant.307.a.
Stylus S.Scripturæ.120.a. ejus majeſtas.120. a. cauſa ſimplicitatis.120.b.
Σύνθετος ὑπόςασις.473.b.446.a.
Συνδυασμός.483.b.
Syriaca N.T.verſio.203.b.

T.

T*Argum triplex.201.b.*
Tertull. an Deum corporeum ſtatuerit.269.a.
Teſtamentarii libri.32.a.
Thalmud.156.a. de Meſſia. 415.a.
Thalmudici libri.133.a.
Thammerus.433.b.
Theologia ὀνοματολογία. etymologia.1.a.
natura.1.a. homonymia.1.b.
nomen tripliciter accipitur.1.b. ſynonymia.1.b.
encomia.2. a. pragmatologia cujus τὸ ὅτι.2.a.
τὸ ἐςι.ibid. genus.2.b. Theologia practica.2.b.
alia vera, alia falſa.3.a. ἀρχέτυπος.3.b.
Dæmonum.3.b. Beatorum viatorum.3.b.
naturalis.4.a. revelata.4.a.
cauſa efficiens principalis, inſtrumentalis.4.b.
principium.4.b. materia & forma.6.a. partes.6.b.
finis 6.b. effectus.7.a. objectum.7.a. adjuncta.7.b.
contraria.7.b. definitio.7.b.
Theologi vocantur profanis Philoſophi & Poetæ.1.a.
Theſſalonicenſium Pauli Epiſtola.I. & II.103.a.
Threni.62.b. Præfatiuncula ipſorum.69.b.
Thorah.31.a.
Thyatirenſis Eccleſia.117.b.
Tempus an fuerit ante mundi conſtitutionem.277.b.
Timotheo Epiſtola I. & II.p.103.a. & b.
Titi Epiſtola.103.b.
Tobias quando cæcus factus.70.a.b.
Tobiæ liber non eſt Canonicus.69.b.
diſſenſio Græcæ & Latinæ verſionis.69.b.70.a.
habet quædam Canonicæ veritati non congrua.71.a.
Pontificiorum argumenta.72.b.
Totum συνόλον.449.a.
Traditionis cuſtodia infidelitas.16.b.
Traditiones ἄγραφοι repudiandæ.155.a.
Pontificiæ ſunt Dei verbo adverſæ.155.a.b.
trahunt originem ex Phariſaiſmo.156.a.
ſunt hæreticorum propria.156.b.
fallaces & incertæ.156.b.
non a Chriſto & Apoſtolis profectæ.157.a.
Antithesis.158.a. diſtinctiones Bellarmini.158.b.
argumenta.159.a.b.&c.
Transfuſio idiomatum divinorum.267.a.
Transformatio adſumtæ naturæ in divinam gloriam. p.483.b.
Tres viri Abrahæ apparentes.235.b.
Τριάς.353.a.
Trinitas perſonarum an repugnet ſimplicitati Dei.275.a.
Trinitatis onomatologia.344.a.345.b.
Antithesis.344.b. myſterium.331.a.
cujus proœmialis προθεωρία.331 a.b.
an etiam in V.T. creditu fuerit neceſſarium.332.b.
an diſputandum non tantum θετικῶς ſed etiam ἀντιθετικῶς.333.a.
Antithesis.333.b.
etiam ex V.T. probari poteſt.336.a.
Antithesis.336.b.
ex naturali ratione omnimùs à priori, nec probari poteſt nec debet.336.b.
Antithesis.338.a.
ejus veſtigia in natura.338.a.
allegoriæ.339.a. teſtimonia gentilium.339.b.

ex ratione naturali oppugnari non debet.340.b.
Antitheſis.343.a. Hebrææ appellationes.345.b.
Græcæ.346.a. Antitheſis.347.a.
Latinæ.353.a. Perſona.353.b.
Trinitatis.355.a.
etymologia.ibid. origo.355.a.
Antitheſis.ibid.
argumenta generalia.356.a.b.
ſpecialia.358.b.
ex N. Teſtam.359.a.b.
ex Vet. Teſtam.372.b. &c.
pluralitas perſonarum tripliciter probatur. p.389.b.
Teſtimoniorum in Nov. Teſtam. quatuor claſſes.396.a.
Triplex generis humani morbus.141.a.
τριπρόσωπον.352.b.
Triſmegiſtus quomodo Deum definiat.257.a.
Τρισυπόστατος.352.b.
Trithitæ.259.b.
Τρόπος ἀντιδόσεως.473.b.
Trullana Synodus.45.b.
Typi Chriſtum præfigurantes.409.a.
ח litera.50.b.
cum crucis forma difformitas.ibidem.
Trinum & triplex differunt.355.a.
Trullanum Concilium.406.a.

V.

VAlentinus negat Dei ubiquitatem.259.b.
Valentiniani.478.a.
nullum Evangelium præter Iohannis admittunt.98.a.
de Chriſto error.478.a.
Ubiq;.293.a.
Verba vitæ æternæ.13.a.
Verba Activa apud Hebræos ſæpè ſumuntur impersonaliter.128.b.
tertia perſonæ ſingularis ſæpè ſine certo nominativo ponuntur.128.b.
Verbum hominis duplex.4.b.
Verbum Dei.13.a.duplex.4.b.
ſumitur ὐσιωδῶς & ὑποςατικῶς.12.a.
legere & audire in part cenſu habetur.12.b.
cur Deus ſcribi voluerit.16.b.
Veritas Dei.324.a.b.
probatur.324.b.
Antitheſis.324.b.
an ſit æterna.325.a.
immutabilis.325 a.
Vſus.ibidem.
Verſiones Bibliorum.122.a.123.b.
Veſtis comparatio quatenus in unione perſonali adhibeatur.455.a.
V.T. librorum hoſtes.66.b.
Vet. & Nov. Teſtam. comparatio.167.a.
Viatorum Theologia.4.a.
Videntes.66.a.
Viola ſimilitudo unionis perſonalis.412.b.
Vita quomodo Deo tribuatur.283.a.b.
an ab ejus eſſentia differat.283.b.
quot modis manifeſtetur.284.a.
Vita homini Chriſto data.493.a.
Vitis Chriſtus.408.b.
Virtutes cardinales tres.141.a.
Vnctionis Chriſti duplex ratio.402.b.
differt ab unctione Regum.402.
Vnio duarum naturarum perſonalis.436.b.
cujus actus & ſtatus.ibid.
cauſa efficiens.436.b.
quomodo tribuatur & Patri & Spiritui Sancto. p.437.a.
cur filius incarnatus.438.a.
Antitheſis.440.a.
Materia.440.b.
Antitheſis.ibidem.
Forma.443.a.
Teſtimonia.443.a.
modi varii unionis & ſpecies.443.a.b.&c.
verus modus.445.a.
Patrum appellationes.445.b.
Poriſmata.445.b.
Antitheſis.448.a.
conſiderata radicaliter, formaliter.446.b.
perſonalis quo ſenſu appelletur.453.b.
an rectè definiatur per copulationem.454.a.
an inter adſumtionem carnis in hypoſtaſin τῦ λόγυ, & unionem carnis cum λόγυ divina natura ſit aliquod diſcrimen.
an unio requirat aliquem habitum, ſeu perfectionem naturæ adjunctam infuſam.454.a.
Vnionis perſonalis formale an conſiſtat in communicatione Idiomatum.454.b.
ut unio eſt reciproca, an ita communicatio. p.484.a.
an ſit unio inter Patrem & carnem.485.b.
unio in tempore facta an ſecundum humanam naturam.488.b.
an fundamentum omnipræſentiæ.495.a.
Vnio myſtica.476.b.483.a.
Vnitatis variæ ſpecies apud Paulum. Epheſ.4.v.4.264.a.
Vnum aliud eſt per ſe, aliud per accidens.258.b.
unum numero.259.a.
Vnum quæ ſunt realiter, an communicato uno communicetur & alterum.511.a.
Vocabulorum nativa ſignificatio ex fontibus eruenda. p.214.b.
ἀγράφων in myſterio Trinitatis, utilitas.344.a.
ſignificatio.345.a.
nova ab Eccleſia nondum recepta non probanda.345.b.
uſus practicus.ibidem.
Voluntatis antecedentis & conſequentis an repugnet ſimplicitati Dei.275.b.
Voluntas & agendi libertas in Deo.319.a.
probatur.319.a. diſtinctiones.319.b.
Antitheſis 322.a.
an eodem modo ſe habeat ad omnia objecta.322.b
immutabilitas an pugnet cum libertate.323.a.
an objectum divinæ voluntatis ſit malum.323.a.
an omnia fiant neceſſario.ibid.
an velit unum propter aliud.323.b.
uſus.ibid.
Volumen fœderis.15.b.
Vorſtius corpus tribuit Deo.269.a.
& Dei evertit æternitatem.277.a.
immutabilitatem.280.b.
infinitatem.285.b. immenſitatem.289.a.
omnipotentiam.298.a.
bonitatem, juſtitiam.311.a.
omniſcientiam.315.a.b.
Dei ſapientiam.318.a. voluntatem.322.a.
Dei decreta.322.a.b. Dei perfectionem.226.b.
ejus opinio de unione perſonali.450.b.
ὐσία.344.b.346.a.b.
Vtilitas alia eſt totalis alia particularis.147.b.
unde duplex.ibidem.

Vulgata

Vulgata editio. 124.a.b.&c.205.b.
non eſt Hieronymi. 205.b.
Patres ab ea diſcedunt. 208.a.
Antitheſis. 208.b.
Solecismi. 206.a.
Pontificij eam defendunt. 209.b.210.a.

W.

W*Eigeliani.* 155.a.
error de perſpicuitate Scripturæ. 174. a.
de judiciaria ejus poteſtate. 191.b.
VVigandi Abſtractum. 517.a.

X.

X*imenius.* 41.b.

Y.

Υ*πάρξις.* 352.b.
ὑπερύψωσις. 483.b.
ὕψωσις. ibid.
ὑπόστασις, ejus etymologia. 349.a.b.
origo. 349.b.
ſignificatio. 351.b.
Antitheſis. 352.a.
quid propriè ſignificet, & quomodo ab οὐσίᾳ differat. 453.a.
ὑψηλὰ an ad I. genus communicationis pertineant. p.476.a.

Z.

Z*Acharias.* 65. a.
Ζωοποιητικὴ vis Chriſto homini communicata. p.493.a.

Omiſſ. pag. 90. col. a. lin. 5. poſt verba ſunt fidei. Sixtus Senenſis lib.1. Biblioth. cap.8. *non ſolùm poſtrema ſeptem capita libri Eſther*; ſed & *Hiſtoriam Suſannæ* rejicit ut additamenta.

FINIS.